
IHS


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
17 — I
60
ROMA

D. IOANNIS THAVLERI, CLARISSIMI AC ILLVMInati Theologi,

SERMONES

De Tempore & de Sanctis totius anni, planè pijßimi: reliquaqúe eius pietati ac deuotioni maximè inseruientia.

OPERA OMNIA,

A R. F. LAVRENTIO SVRIO CARTHVsiano in Latinum Sermonem translata, postremò recognita, & nunc iterum diligentissimè recusa.

Quorum Catalogum post Præfationem inuenies.





COLONIAE,
Apud Arnoldum Quentelium, Anno M.DC.XV.

Cum gratia & priuilegio S. Cæsar. Maiestatis.

MATTH. XIII.

Inuenta vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

LVCAE ITEM X. AC MATTH. XI.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis, &c.

REVE-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DN. ADOLPHO, ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, SACRI ROmani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, Legatoq; nato, VVestphaliæ & Angariæ Duci, Domino ſuo clementiſſimo, F. Gerardus ab Hamont, Carthuſiæ Colonienſis Prior, ſeſe & Monaſterium ſuum commendat.



N, quod diu in votis fuit pijs omnibus, Latinus tandem, multoque quam vnquam antehac repurgatior nitidiorque venit in amplexus tuos, Ampliſſime Præſul, ætatis ſuæ decus & lumen D. Ioannes Thaulerus, ſublimis & præclarus Theologus, vt qui tot annis ſolis Germanis Germanicè locutus eſt, nunc demum toti Orbi, tuis feliciſſimis emiſſus auſpicijs Latinè loquatur. Quando enim Dei Opt. Max. prouidiſſima benignitas & clementia ſuæ te voluit penè deſperatæ Colonienſi Eccleſiæ, accedente ad hoc tum Apoſtolica, tum Imperiali authoritate, omniumque vnanimi conſenſu, eſſe Antiſtitem: atque inde iam à tanti ſuſceptione Muneris, neruis in hoc omnibus incumbis, vt plebs tuæ commiſſa fidei, terraque omnis tuæ ſubdita poteſtati, ab erroribus repurgata, ad Catholicæ Fidei redeat ſynceritatem, moreſque tum in Clero, tum in populo quàm optimi reuiuiſcant, cum primis vtile nobis viſum eſt, vt inſignē hunc Authorem tuæ Celſitudini dedicaremus. Si enim ad veram Reformationem, quam molitur Reuerēdiſſima Paternitas Tua, nihil ita poteſ[illegible]ſe accōmodum, quàm vt ſeſe quiſque diſpiciat, ſcrutetur, expl[illegible]ac vbicunque à prima illa, in qua conditus eſt Adam Protop[illegible]iuſque hominis integritate ſe defeciſſe ac degeneraſſe perſpexerit, pro virili, Diuina fretus ope, ſeſe reformare contendat: id autem qua oporteat ratione fieri, cùm copioſiſſimè ſimul & luculentiſſimè ab hoc noſtro Authore tradatur, nimirum decuit eum pijſſimo optimæque Reformationis ſcientiſſimo Præſuli nuncupari. Nec ambigimus, quin R. P. T. longè gratiſſimus ſit futurus: dignus quidem, meo iudicio, quem omnis iure celebret poſteritas, quique obuijs (quod aiunt) vlnis excipiatur ab omnibus, maximè qui veræ ſtudent ſapientiæ,

quosq; iuuat certum, facile, expeditum nôsse iter Christianæ perfectionis, totiusq; sanctitatis apicem contingendum. Totus nanque in hoc incumbit, vt, quatenus quidem fieri potest, omnes ad Dei proximiq, dilectionem instituat: cunctos ad vitiorum extirpationem, interioris hominis peruigilem curam, virtutum studium, propriæ voluntatis, prauarumq; cupiditatum abdicationẽ inuitet: crucẽ suam omnes Christi exemplo tollere, & Dominũ suum per aspera multa, *per varios casus, per tot discrimina rerum*, constãter humiliterq; sequi, & animã deniq; cum vniuersis viribus illius, eidem felicissimè vniri, vnumq; cum eo spiritum fieri doceat: quod totũ vtiq; nihil aliud est, quam diligere *Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, cunctisq; viribus suis, & proximum sicut seipsum*. Hoc verò non Monachis tantum, sed & Christianis omnibus, ita est in commune præceptum, vt nemo prorsus inde exceptus sit, nisi qui & à Beatitudine velit excipi. Maximè tamen circa eam versatur hic Author noster Theologiæ partem, quæ MYSTICAE seu AFFECTIVAE nomẽ obtinuit: quæ quidem nihil aliud est, quã expurgatio animi à vitijs & rerũ simulacris, Amor summi & increati boni, quod Deus est, Diuinæ sapientiæ irradiatio, vnctio Spiritûs sancti, gustus exuberãtium deliciarum Dei, syncerissima Creatoris adorandi cum admiratione contẽplatio, iucunda fruitio, intima cunctarum animę virium cum Deo vnitio, dulcis Dei possessio & felix (quatenus quidem in hac vita licet) futuræ Beatitudinis degustatio. Atq; ad hæc obtinenda, sparsim in scriptis suis tam compendiarias & expeditas proponit vias ac rationes, quàm ipse in his probè versatus atque exercitatus fuit. Quo magis mirãdum, imò & dolẽdum est, neminem hactenus extitisse, qui eius scripta Latinè interpretaretur, tantamq; lucẽ & opes tantas omnibus communes efficere conaretur. Quod aut[illegible] sępius suis priuatis institutis, solisque externis exercitijs, v[illegible] mortificatione posthabita, per omnem ætatem inhære[illegible]s acriter obiurgat, non ideo facit, quod bona opera aut externa exercitia condemnet, (Hæc enim aliquoties haud vulgariter commendat) sed vt exemplo Christi, ad charitatem & verã cum Deo vnionem, cæterasque virtutes, propter quas eiusmodi externa assumuntur, pigros ac desides incitet & accẽdat. Interim quoque haud raro sublimia quædam, & paucis experta, tanquam diuini Amoris vino ebrius eructat: verbi gratia, Vti Pater Filium suum in anima generet, & eiusmodi alia multa, item de intermittendis Precibus

Hora-

Horarijs, durãte ſublimi viſitatione Dei & mẽtis exceſſu: ſed hæc ſolis perfectis, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali, ſcripta ſunt: nec ea paruuli adhuc & in Dei Amore teneri, temere ſibi aſſumere debent. Ita etiã quod ſpiritalibus, quibus vires non ſuppetunt, & infirmis, maximè Religioſis, ad quos potiſſimum habuit Conciones ſuas, & in quibus multi inueniuntur exhauſtis viribus, quædã liberius indulget, ne ſe vel ieiunijs, aut alijs pietatis ſtudijs, ſi ea immoderatius ſectentur, penitus deſtruant, non debent valentiores, & qui adhuc varijs paſſionibus agitantur, ſibi permiſſum credere: certi quòd abſque talibus exercitijs fornicationis ſpiritum cæteraque vitia aut vix, aut ægrè poterunt ſuperare. Nihil verò id Lectorem mouere debet, quòd impudentiſſimus Lutherus huius viri dictis quibuſdam ſua viſus eſt confirmare dogmata: Quid enim non audet eiuſcemodi fex hominum, qui etiã ipſius Chriſti & diuinorum librorũ ſententijs ad ſuæ impietatis aſſeuerationẽ abutuntur? quãquam dolendum eſt, quòd ſanctiſſimum virum nõnihil ſuſpectũ reddiderit. Potuit autem impio illi huius rei occaſionem præbere Author ipſe in aliquot prioribus Germanicis editionibus mirè deprauatus, adeò vt nec poſtrema Colonienſis editio vulgaris vſquequaque correcta prodierit: ſed noſtro iam labore effectum eſt, idq; adhibitis vetuſtis quibuſdam manuſcriptis exẽplaribus, vt germano ſuo ſenſui & integritati in hac editione Latina ſit reſtitutus. In qua etſi non arrideat Tulliana eloquentia, non tamen propterea reijcienda eſt. Quòd ſi quis dictionis tantùm phaleras requirit, is omnino ineptus eſt ac inidoneus, qui huius Viri ſcripta euoluat. Et tamen hoc hominum genere plenus eſt mundus: qui vtinam non minorem pietati, quàm ſcientiæ acquirendæ nauarent operam, nec eſſent ſola cognitione, quæ reuera planè ſterilis & arida eſt, contenti, ſed ſtuderent etiam veris ornari virtutibus, ne quandoque cum ſua inani ſcientia mergantur in chaos extremæ ignorantiæ apud inferos, ſimplicibus interim & idiotis, ſed Deum feruenter amantibus, ſua modeſtia ac humilitate cælos rapientibus. Cæterum illi, qui ad populum concionari publicè ſolent, habent in hoc viro, quod ſumma cum Auditorum vtilitate imitentur, id videlicet, vt omiſſis rebus ſuperuacaneis, & quæ multæ lectionis aut eruditionis quandam oſtentationẽ potius quàm ædificationẽ præ ſe ferant, ea tantùm ſubinde inculcent, quæ animos ad Dei timorem & amorem, ad vitiorum

[illegible]editum virtutumq; studium, ad seculi voluptatumque contemptum inducāt & extimulēt, nec sola eos Dei misericordia nimirum lactent, sed eius quoque in peccatores seuerissimā iustitiam & iram intolerabilem commemorent: quanquam vt nos id docere velimus, non multum ad nos attinet. Attamē Thaulerus noster hac ratione longè fortassis maiorem fructum suis Concionibus olim vel vnus fecit, quàm multi hodie suis nescio quibus verborum ambagibus ac inuolucris. Quòd autem inter ipsas Thauleri lucubrationes sparsim etiam aliorum certè excellentiū virorum, puta, vtriusque Eckardi, D. Henrici Susonis, D. Ioannis Rusbrochij viri excellentissimi, D. Henrici Louaniensis, & similia quædam admista sunt, vti Lector cernere potest, eò factum est, ne qui dies Dominici vel solennes Concionibus vacui manerent, tum etiā ne tam præclara talium virorū monumenta, intra solos Germaniæ fines delitescerent. Neq; nos ab Germanici exēplaris, quod Coloniæ editū diximus, ordine vsquam temere discedere voluimus, tametsi manuscriptorum codicum fidem libentius amplexi sumus. Faxit Deus Opt. Max. vt quàm nos libenter operam dedimus, vt tandem quandoq; thesaurus hic incomparabilis prodiret in publicum: tam sint Christiani, ij præsertim, qui diuino sunt cultui mancipati, alacres ac studiosi ad eum sibi comparandū, suisq; vsibus accommodandum. Nam quid alioqui prodest optimos euulgare Authores, nisi sint qui legant, & lectos etiam cupiant ac enitantur imitari? Sed ne longiores simus, quemadmodū in principio iam fecimus, ita nunc rursum Celsit. Tuæ Reuerendis. Præsul Authorē hunc propēsissimis animis dedicamus: certi nimirū hoc auidius ab omnibus rapiendum, quo magis erit perspicuū ipsum tibi Viro clarissimo, pijssimo atque doctissimo, haud mediocriter probari. Quod ad laborem nostrum attinet, nihil nos illius suscepti vnquam pœnitebit, si Christianæ Reip. aliquid inde cōmodi accessisse persenserimus. Nō enim priuatum aliquid aucupamur, Christi gloriam & animarū salutē quæsisse contēti. Quod vt fidentius auderemus, non parum nos permouit voluntas Reuerendi Patris Maioris Carthusiæ Prioris, summi nostri Ordinis Monarchæ, qui pro sua authoritate id à nobis petijt potius quàm exegit, vt hoc opus Typis excudi curaremus. Deum Opt. Max. obsecramus, vt cunctis ista lecturis suam adspiret gratiam, & R. P. T. diu nobis seruet incolumē, omnibusq; rebus bonis eximiè florētē. Ex ædib. nostris Carth. in Fer. D. Hiero. Anno Virg. partûs 1552.

CON-

CONTENTORVM IN HOC OPERE ELENCHVS.

THAVLERI *de Vita & Passione Christi Exercitia, quæ inter manus ferè omnium versantur, & sæpe impressa sunt, & multo vtilius seorsum imprimuntur, de industria omisimus.*

VITA

VITA D. IOANNIS THAVLERI, EX APPENDICE TRITHEMII NVPERRIME ADIECTA, ET COLONIAE TYPIS QVENTELIANIS Anno Domini 1546. iam tum primùm excusa.

IOannes Thaulerus, Ordinis S. Dominici, Theologus profundissimus, & Coloniensis ciuitatis fulcimentum, in declamandis Concionibus nemini suæ ætatis secundus, vir in diuinis & humanis scientijs eruditissimus, vnctioneque Spiritus sancti excellenter illuminatus: scripsit:

SERMONES de internæ Vitæ perfectione valde vtiles,

Tractatus aliquot de Virtutibus,

Et Epistolas varias spiritum deuotionis redolentes,

Et prophetico spiritu prædixit plagas & hæreses contra Sacramenta & dogmata Ecclesiæ Catholicæ orituras, quæ nostris nunc temporibus Ecclesiam deuastant, proh dolor.

Claruit Coloniæ circa annum Domini 1350..



HISTO-

HISTORIA ET ENARRATIO VITÆ SVBLIMIS AC ILLVMINATI THEOLOGI, D. IOANNIS THAVLERI, QVI IN AGRIPPINENSI COLONIA EX VANA VITA SVA, AD MIRAM

ſanctitatem miro quodam modo conuerſus fuit. Quæ pariter multas Inſtitutiones, doctrinas, Concioneſque optimas complectitur: & primò quo pacto, quaque occaſione ad huiuſcemodi illuminationem, vitamque tam perfectam pertigerit, in qua & per quam, Diuina fretus gratia, fructum tam immenſum in diuini Verbi propalatione fecit, vt haud immeritò quibuſdam præcipuis Eccleſiæ Doctoribus æquiparetur.



ANNO Domini ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo ſexto, Doctor quidam Theologus in ciuitate quadam crebrò concionabatur, quem vniuerſi penè libenter audirent, cuius doctrinæ fama longè lateque diuulgaretur. Quod cùm Laicus quidam, diuina gratia abundè præditus, percepiſſet, ſimulque ter in ſomnis fuiſſet admonitus, vt ad eam pergeret vrbem, in qua Doctor ille morabatur, quæ in alia regione ſita, plus minus triginta milliaribus ab eo diſtabat loco, in quo Laicus erat: ita ſecum ſtatuit, vt illuc proficiſceretur, percepturus ſi quid diuina gratia ibi vellet operari. Itaque iter faciens, tandem ad ciuitatem, vbi Doctor ille degebat, peruenit, eiuſque Conciones quinis vicibus auſcultauit. Interim in ſpiritu didicit, Doctorem illum natura virum bonum, manſuetum, ſuauem ac perbenignum, & ſacrarum literarum apprimè intelligentem eſſe, obſcurè tamen, & abſque lumine gratiæ diuinæ. Cuius propterea cæcitatem vehementer miſerans, ipſum acceſſit, & his verbis affatus eſt: Domine mi, plus quàm triginta milliarium iter tui gratia confeci, quòd multa domi de doctrina tua audirem: & nunc quinquies Concionibus tuis interfui. Quamobrem oro te, vt dum hìc apud te ſum, confeſſiones meas propter Deum recipere non graueris. Quod cùm Doctor annuiſſet, ſæpius eidem confitebatur ſimpliciter, humiliterque: & ſi quando Domini ſacratiſſimum Corpus percipere voluiſſet, Doctor ipſi porrigebat. Exactis deinde duodecim hebdomadarum ſpatijs, Laicus Doctori illi hunc in modum locutus eſt: Obſecro mi Dominè Magiſter, vti propter Deum publica nos concione doceas, quo pacto poſſit quis ad ſupremum perfectionis gradum, quatenus in hac vita poſſibile eſt, quàm proximè peruenire. Cui Doctor reſpondit: Quid eſt, fili, quod oras? Quorſum tibi tam ſublimia attinet dici, quando (vt mihi videtur) vix quicquam horum intellecturus es? Cui Laicus: Tametſi, inquit, venerande Domine, non intellexero, ſuſpirabo ſaltem, & votis ea omnibus deſiderabo. En quanta hominum multitudo ad auſcultandos ſermones tuos cõfluit. Si ergo ex his vel vnus, quæ dicturus es, intellectu perceperit, nõ inanis erit labor tuus. Doctor reſpondit: Si

dit: Si

pertingere potest, nisi cum profundissima humilitate, perspicua puraq́ intelligentia, & illuminata dilucidaq́ ratione. Quanquam, quod negare nemo potest, multi olim rationales spiritus, qui in natura sua non nisi puræ quædam intelligentiæ sunt, aberrârint, & ab æterna exciderint veritate, à choris quoque Angelicis æternaliter extrusi sint, hodieq́ idipsum etiam illis vsuueniat, qui seipsos cum propria suimet complacentia respiciunt, & per propriæ voluntatis vsurpationem, ac vanam in sua subtilitate complacentiam, illorum spirituum similes se reddunt. Quamobrem scitu atque notatu opus fuerit, Dilectissimi, quinam veri sint illuminati ac sapientes contemplatores. Equidem, quantum ex Scriptura colligere licuit, vigintiquatuor Partes seu Articulos, quos eiusmodi homo in se habere debeat, reperi: hos etiam vobis libens communico, illis absolutis, finem dicendi pariter facturus. Primum Articulum ipse supremus omnium Magistrorum Doctor, cunctarumq́ artium totiusq́ sapientię Magister Christus Iesus Dominus noster commemorat, vbi ait: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem*, & præceptum illud meum seruaueritis, quo iussi, *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, tanquam diceret: Licet scientia, sapientia, & sublimi intellectu polleatis, si non & fidelitas & charitas adfuerint, parum vobis contulerit. Certè de Balaam fertur, tanto eum ingenij ac rationis acumine fuisse præditum, vt ea, quæ Deus post multa demum annorum centenaria facturus erat siue manifestaturus, intelligeret: cui tamen parum id profuit, quòd non, quomodo oportuit, multa cum fidelitate & dilectione agnitæ inhæserit veritati. Et hæc de primo articulo dicta sufficiant. Secundus est, vt à seipso sit liber & expeditus, quod tamen haudquaquam illi videbitur: sed potius semper ita sentiet, se adhuc magis magisq́ expediri debere, & rebus omnibus abrenuntiare. Tertius est, vt sit Deo funditùs resignatus, ita vt nullum in eo Deus reperiat impedimentum, sed opera sua liberè in ipso perficere queat: quod tamen non sibi temere ascribet, quin potius ad hoc semper omnino se reputabit ineptum. Quartus est, vt & seipsum, & omnia, in quibus sese prius inordinatius dilexit, quæsiuit & intendit, siue in tempore ea sint, siue in æternitate, prorsus exuat abnegetq́. Quintus est, vt quæ sua sunt, nullo modo vel in se, vel in aliqua creatura quærat. Sextus est, vt semper & vbique diligenter attendat & obseruet, quid ab eo Deus exigat & fieri velit, eiq́, gratia illius fretus, faciat satis: nec tamen sibi aliquid inde arroget, quale quale illud fuerit. Septimus est, vt continuè sine intermissione Diuinæ se conformet voluntati, ita vt nihil aliud velit, quàm quod vult Deus. Octauus est, vt tam fortiter, tam strenuè in Deo se exerceat, illiqúe immensa quadam vi amoris adeo se adstringat vniatq́, vt nec Deus in ipso, sine ipso, nec ipse similiter sine Deo quicquam possit operari. Nonus est, vt in omnibus, quæ illi euenerint, siue dulcia sint, siue amara, in cunctis quoque operibus suis, in omni demum loco & tempore, Diuina præsentia perfruatur. Decimus est, vt nihil omnino accipiat à creaturis quibuscunque, neque grata videlicet, neque molesta, sed nudè omnia de manu Dei sui, vt quæcunque Deus per creaturas agit seu fieri permittit, nō secus tamen nec aliunde quàm ab ipso Deo accipiat. Vndecimus est, vt à nulla superari se delectatione vel sapore creaturarum secundùm naturam, absque rationabili necessitate, patiatur. Duodecimus est, vt non nimium deprimatur, nec immodicè angatur intus ex qualibet etiā aduersitate, quæ ipsum à veritate posset auertere,

Marginalia: Quot & qui articuli cui necessarij. — 1. — Ioan. 13. — Ioan. 15. — Num. 24. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8. — 9. — 10. — 11. — 12.

13. sed semper constantissimè adhæreat veritati. Tertiusdecimus est, vt à nullo falso lumine, nec ab vlla relucente specie creaturarum se decipi sinat, sed piè & amicabiliter omnia in suo relinquat esse, ex cunctis optima semper eliciens,
14. meliorq́ue ex omnibus, ex nullo peior fieri contendens. Quartusdecimus est, vt semper paratus sit, cunctisq́ue virtutibus instructus & armatus, ad resistendum vitijs vniuersis, vt nunquam non victor euadat, nunquam non palmam ferat.
15. Quintusdecimus est, vt veritatem nudè cognoscat & contempletur, sicuti est (quatenus Deus vult, & ipsi possibile est) in seipsa, iuxtaq́ue eam suam instituat
16. vitam, agnitæq́ue studeat satisfacere veritati. Sextusdecimus est, vt perfectus &
17. iustus sit, nihilq́ue minus tamen, quàm se talem, putet. Septimusdecimus est, vt
18. parcus sit in verbis, sed plurimum vitæ habeat interioris. Octauusdecimus est, vt verax, interna, humilisq́ue vita eius, exemplo potius quàm verbis prædicet
19. omnibus, & faciendo loquatur. Nonusdecimus est, vt præ omnibus Dei gloriam
20. quærat, nec aliud aliquid intendat in actibus suis. Vicesimus est, vt se libenter vinci ab omnibus, qui cum ipso contendunt, patiatur: idq́ue præcipuè in his, quæ
21. pertinent ad ipsum, non quæ pertinent ad Deum. Vicesimusprimus est, vt nullo quacunque in re priuilegio gaudere velit, sed etiam minimis quibusque se
22. prorsus iudicet indignum. Vicesimussecundus est, vt se inutilissimum, quem Mundus habeat, hominem ex animo credat: at nihilo minus magnam in se strenuitatem, fidem, spem, charitatemq́ue, reperiri sinat. Nihili pendat quoque suam
23. propriam sapientiam, & vniuersa sua opera ex humana ratione facta. Vicesimustertius est, vt tam in verbis, quàm operibus suis vitam & doctrinam Domini nostri Iesu Christi sibi tanquam speculum proponat, in eisq́ue sese contempletur, & quantum fieri poterit, omnia illa à se abdicet, abijciat, mortificet, quæcun-
24. que à dignissima illius imagine aliena sunt. Vicesimusquartus, idemq́ue postremus est, vt nunc primùm, tanquam paruulus adhuc, in vera, ingenti, perfecta humilitate proficere incipiat, sibiq́ue persuasum habeat, se iam primùm inchoare velle Diuinam implorare Misericordiam, vt illa sibi inueniat & opem ferat, vt in bonum euadere hominem possit. Et si talis etiam ab alijs habeatur, aut vilis propterea in hominum oculis fiat, id charius illi sit acceptiusq́ue, quàm si omnium fauore gauderet. Sed vereor, charissimi, ne prolixior fuerim. Hæc itaque sunt signa rationalis & purgati Fundi, quem splendor & imago omnis veritatis illustrat docetq́ue. Inspiciat nunc igitur vnusquisque semetipsum, & videat diligenter, si hos vigintiquatuor articulos in se reperiat. Et, si inuenerit, gaudeat: Si verò non inuenerit, sciat non sibi magnipendendum esse sublimem intellectum suum, nec cuncta intellectualia seu ingeniosa opera rationis suæ. Ipse namque totius veritatis fons & imago Deus nullum in eo opus supernaturale agere potest, nisi quem fortè singulari quadam gratia sua præuenire, quod Diuo Paulo contigisse legimus, velit. Sed hoc hisce temporibus, meo quidem iudicio, perquàm rarum est. Denique præstet nobis omnibus æterna Veritas Dominus Deus noster, vt cuncti per gratiam in vera perfectaq́ue humilitate, veri contemplatores efficiamur, ad laudem & gloriam ipsius.
Amen.

Vti Lai-

Vti Laicus occultam sanctitatem suam Doctori partim secretò aperuerit, ipsumque reprehenderit, quòd adhuc in ignorationis nocte versaretur, quòd vas illius immundum esset, & quòd ipse denique ad Pharisæorum numerum pertineret.

HOc finito Sermone, mox Laicus suum petens hospitium, eundem de verbo ad verbum, quomodo à Doctore prolatus fuerat, exscripsit: quo conscripto, Doctorem accessit, & ait: Domine venerande, Concionem tuam in scripta redegi, & si tibi molestum non foret, ipsam ex charta recitarem. MA. Equidem lubens audiero. Tum laicus totum legit Sermonem: eoqúe absoluto, ad Magistrũ ait: Obsecro mi Domine, vt indices mihi, si qua verba prætermiserim, vt & ea perscribam. MA. Certũ habe, charissime fili, rectè te Concionẽ hanc descripsisse, vti à me prolata est: & reuera, si multa mihi lucrari possẽ, haudquaquam eam tam exactè verbis totidem cõscribere valerẽ, vt à te cõscripta est, nisi denuò eundem, quem prius, in Scripturarũ perscrutatione laborẽ insumerem. Satisq; nunc mecum ipse ingenij tui felicitatem admiror, quodq; cùm toties mihi confessus sis, hanc in te deprehendere non potuerim. Tum laicus ille, tanquam recedere se velle simulans, Magistro ait: Si visum fuerit Deo, ad propria mi Domine redire mihi voluntas est. MA. Quid est quod te domum redire compellit, cùm nec vxorem habeas, nec liberos, quorum curam te habere oporteat? Aut quid obstat, quo minus, cùm neminem domi habeas, æquè hîc viuere possis vt illic? Et ipse breui, si Deus dederit, alium adhuc de spiritalis vitę perfectione Sermonem facturus sum. LA. Certum habe Domine Magister, me non ob Conciones tuas huc venisse, sed quòd sperarem aliquem hîc me, Dei cooperante gratia, fructum facturum. MA. Quem, dilecte Fili, fructum hîc faceres, quum simplex laicus sis, & Scripturas ignores, nec tibi concionari permissum sit? Mane, obsecro, hîc aliquandiu, forsitan Deo præstante, talem tamq; perfectum adhuc Sermonem habebo, quem te audire delectet. LA. Esset quidem, mi Domine, quod tibi dicere perquàm vellem: sed vereor vt æquanimiter ferre possis. MA. Age fili, quæcunque placet, securus loquere. Confido in Deo, me placidè laturum. LA. En venerande Domine, sacerdotij honore præfulges, & Concionem ad nos habuisti, optimis quidem institutionibus refertam, sed quas tu vita exprimere non cures. Interim etiam pueriliter satis ad me ais, vt hîc manere debeam, facturum te adhuc Sermonem, qui mihi placeat. Cæterùm id compertum habe, mi Domine Magister, nec Conciones tuas, nec vlla omnino verba quæ extrinsecus in hac vita dici queant, magnopere mihi prodesse posse: quin imò Conciones hominum sæpius plus obfuêre, quàm profuêre, mihi: quòd aliquæ plerunque sub eis imagines mihi inciderent, quas postea, domum reuersus, vix multo ac diuturno cum labore abijcere potui & obliuisci. Et ipse Domine Magister inter cætera in Sermone tuo hoc quoque dixisti, ab omnibus illum imaginibus liberũ & absolutum esse oportere, ad quem summus Magister Christus Iesus venire debeat: qui nimirum Magister quoties ad me venit, plus sub vnius mehorulæ spatio docet, quàm & tu Domine Magister, & cæteri Doctores omnes, quos mundus habet, ad extremum vsq; iudicij diem docere me possent. MA. Eia fili charissime, ob Dominicæ mortis honorem peto & obtestor, vt diutius apud me permaneas. LA. Graui quidem Domine Magister adiuratione me tibi

 obstrin-

perniciosa atq; contraria esse solent, si in eis perseuerare velit. Vnde etiam malignus spiritus nõ rarò hominibus, quos naturę debilis esse conspicit, fallaci suasione suggerere solet, vt districta & rigida exercitia assumãt: hoc vtiq; fine vt ante iustum tẽpus moriantur, vel infirmũ & debile caput acquirant. Quod vt melius intelligas, dicã tibi paucis Domine venerãde, quid mihi in meę cõuersionis exordio acciderit: Euoluebã ego librũ quendã, qui idiomate Germanico vitas Sanctorum explicat: cumq; singulorum attenderem austeram & districtam viuendi rationẽ, ita mecũ cogitare cœpi ac dicere: En isti æquè vt tu, in hoc seculo homines fuêre, & fortasse nõ tam grauiter, vt tu, Deum offenderunt. Atque hæc cogitans, cœpi strenua atq; seuera exercitatione quẽlibet Sanctorũ vel in aliquo sequi velle. Vnde accidit, vt tantam incurrerẽ infirmitatẽ, vt etiam morti proximus essem. Et die quadam circa Solis exortũ, cùm plus satis me exercitassem, cõtigit me, præ nimia infirmitate ac lassitudine, sub ipsis exercitijs meis obdormire: & in ipso somno videbar mihi vocẽ quandã audire, dicẽtem mihi: Age tu homo proprię voluntatis, si ante tempus tete occideris, grauissimas certè pœnas dabis. Qui si à Deo te exerceri permitteres, longè illi melius te exerceret, quàm tu possis ex cõsilio spiritus maligni. Ad hanc vocẽ, cùm videlicet diabolum nominasset, tantus me terror inuasit, vt repẽte è somno euigilarẽ & surgẽs, mecum cogitare cœpi, quòd absque consilio prędicta exercitia assumpsissem: moxq; syluam quandam proximã illi loco, in quo tum eram, petij: vbi seniori cuidã eremitę cuncta hæc per ordinẽ enarraui, rogauiq; hominem, vt aliquod mihi cõsiliũ impertiretur. Quibus auditis, senex ille hæc mihi respõsa dedit: Si quod tibi cõsilium impẽdere debeam, prius quæ vitæ tuæ ratio, quæ exercitia tua sint, mihi exponas oportet. Itaq; vt iussus eram, dixi illi districta exercitia mea, & quo pacto vitas Sanctorum perlegissem, eosq; imitari voluissem. Tum ille: Dic mihi, inquit, ex cuius hæc cõsilio fecisti? Cui ego respondi, me ex nullius omnino, nisi meo duntaxat cõsilio propriaq; voluntate ea fecisse. Et ait ille: Certum ergo habe, diaboli fuisse consilium. Vnde summopere cauendum tibi est, ne eum amplius sequaris: sed resigna & relinque te totũ Deo, & is melius te exercebit, quàm vel tuipse, vel diabolus. Ad hanc ergo senis illius admonitionem, omnibus illis exercitijs meis renuntiaui: totumq; me Deo funditus reliqui, vt ille me pro suo beneplacito exerceret. Equidẽ Domine Magister, secundùm naturã ingeniosus admodũ, optimæq; cõplexionis, & acuti intellectus eram, sicuti & tu es: sed Scripturarũ notitiam non habui, qua tu polles: attamen tam sublimi intellectu pręditus eram, vt quoties me ad ipsum reciperẽ, magna quædam & alta caperẽ, apprehenderemq;. Vnde vice quadam accidit, vt ex huiuscemodi intellectuali cognitione mea, mecũ in hunc modum cogitarem: Certè tam felici ingenio & sublimi intellectu præditus es, vt haudquaquã dubitandum sit, quin si seriò illũ applicueris, aliquid diuinum, siue de Deo, sis agnosciturus. Quæ cogitatio mox vbi mihi incidit, aduerti fallax esse maligni consiliũ, & pestiferã illius persuasionẽ: simulq; in hęc verba prorupi: O maleuole, ô maligne cõsiliarie, quale mihi consiliũ suggessisti? Planè si talem Deum haberemus, qui ratione capi posset, hunc ne tantilli quidẽ facerẽ ego. Post hæc manè quodam, cùm Preces matutinas legere vellem, ingens quoddam me cepit desiderium, ita vt dicerem ad Dominum in hęc verba: Misericordissime Deus, ô si placeret tibi, vt aliquid tale me nunc faceres experiri, quod omnẽ excederet intellectũ meum. Verùm mox vbi ista verba finie-

finieram, vehementer exhorrui, quòd tanta desiderare ausus fuissem, dixiqúe ad Dominū: Ah Deus æterne & adorande, ignosce huic temeritati meę. Valde enim me pœnitet facti huius. Et quî fieri potuit, vt miser ego homūcio, imò terræ vermiculus, tale quid vnquam in cor meum admitterē, vt tam excellētem gratiam desiderarē, cùm tamen satis in meipso cognoscā, quàm vilis, quantisq́ vitijs obnoxius sim, quamq́ te Deum meum omni tēpore vitæ meæ nunquam, vt debui, amauerim, intenderimqúe: sed tibi tam semper ingratus fuerim, vt me penitus indignū intelligam, quē terra sustineat? Vnde quia tantum tam præcellētis gratiæ in me desideriū exurgere passus fui, necesse est omnino, vt diras corpus meū pœnas luat, & acerba patiatur. His dictis, exui me vestib⁹ meis, nec cessaui duris carnem meam verberibus afficere, donec sanguis per humeros deflueret. Itaque cùm huiuscemodi verba in corde simul & ore meo vsq; ad solis ortū voluerentur, tum repente fulgidū quoddam lumē totam repleuit cellulā meam, in ipsoq́ lumine mentis excessum incurri, ita vt tempore illo omni priuarer ratione & sensibus meis: sed ea hora breuis admodū mihi videbatur. Cumq́ mihijpsi fuissem restitutus, ingens quoddam idemq́ supernaturale veritatis signum reperi, ita quòd cum B. Petro Apostolo haud immeritò dicere potuissē: *Domine, bonū est nos hic esse*. In ea nanq; breui horula plus veritatis multo cū lumine, perspicuaq́ cū discretione percepi, quàm & tu Dn̄e Magister, & vniuersi, quos mūdus habet, Doctores abhinc vsq; ad extremi iudicij diem, me docere possent. Quod ad præsentem vitæ tuæ statum attinet, satis me Domine Magister tibi dixisse reor. Math 17. Marc 9. Lucæ 9.

Vti Dominus Deus paganum quendam, in exteris longè degentem regionibus, per hunc laicum conuerterit: vtque Spiritus sanctus in hunc vsque diem, eandem gratiæ suæ virtutem exhibeat, quam in sacra Pentecoste Apostolis exhibuit, vbi aptas ac bene præparatas reperit mentes: itemque, vt hæc laicus iste Doctori latius explicârit, simul apertioribus illi rationibus probans, quòd Pharisæus esset, ac eò tandem illum adducens, vt vitam omnino statueret in melius commutare.

MAG. Si quid haberes fili charissime amplius dicere, id equidem vellem. Certè quę hactenus abs te dicta sunt, libenter audiui. Vnde nunc rursum etiam atq; etiam te oro & obtestor, vt apud me maneas, nec me vlla ratione relinquas. Quod si sumptus tibi nō suppetunt, ego eos tibi subministrabo, etiam si aliquo librorum meorum ipsi pignori posito, pecunia mihi mutuo accipiēda sit, tantùm vt apud me permaneas. LA. Dominus ipse tibi pro hac in me humanitate mercedē restituat obseruāde Magister. Cæterùm id pro cōperto habe, quòd nec tuis, nec alterius cuiusuis tēporalibus bonis opus habeā, cùm Deus omnipotēs procuratorē me suum fecerit, habeamq́ ferè quinque millia aureorū, qui Dei sint, liberaliter eosdē expensurus, vbicunq; vel necesse foret, vel ipse Deus eos vellet erogari. MA. Ergo, quantū audio, præ diuitis & magni Domini es procurator. Verùm id mihi satis mirū videtur, quòd paulo ante dixisti, quòd nec ego, nec Doctores oēs ad extremum vsq; iudicij diem tātum te possemus docere, quantū vna hora tu à Deo didicisti. Quęro ergo rex te: Sacra Scriptura profluxit ne è Spiritu sācto? LA. Profluxit haud dubiè. Ita enim fides Catholica cre-

 dit,

ædium virtutumq; studium, ad seculi voluptatumque contemptum inducāt & extimulēt, nec sola eos Dei misericordia nimium lactent, sed eius quoque in peccatores seuerissimā iustitiam & iram intolerabilem commemorent: quanquam vt nos id docere velimus, non multum ad nos attinet. Attamē Thaulerus noster hac ratione longè fortassis maiorem fructum suis Concionibus olim vel vnus fecit, quàm multi hodie suis nescio quibus verborum ambagibus ac inuolucris. Quòd autem inter ipsas Thauleri Lucubrationes sparsim etiam aliorum certè excellentiū virorum, puta, vtriusque Eckardi, D. Henrici Susonis, D. Ioannis Rusbrochij viri excellentissimi, D. Henrici Louaniensis, & similia quædam admista sunt, vti Lector cernere potest, eò factum est, ne qui dies Dominici vel solennes Concionibus vacui manerent, tum etiā ne tam præclara talium virorū monumenta, intra solos Germaniæ fines delitescerent. Neq; nos ab Germanici exēplaris, quod Coloniæ editū diximus, ordine vsquam temere discedere voluimus, tametsi manuscriptorum codicum fidem libentius amplexi sumus. Faxit Deus Opt. Max. vt quàm nos libenter operam dedimus, vt tandem quandoq; thesaurus hic incomparabilis prodiret in publicum: tam sint Christiani, ij præsertim, qui diuino sunt cultui mancipati, alacres ac studiosi ad eum sibi comparandū, suisq; vsibus accommodandum. Nam quid alioqui prodest optimos euulgare Authores, nisi sint qui legant, & lectos etiam cupiant ac enitantur imitari? Sed ne longiores simus, quemadmodū in principio iam fecimus, ita nunc rursum Celsit. Tuæ Reuerendis. Præsul Authorē hunc propēsissimis animis dedicamus: certi nimirū hoc auidius ab omnibus rapiendum, quo magis erit perspicuū ipsum tibi Viro clarissimo, pijssimo atque doctissimo, haud mediocriter probari. Quod ad laborem nostrum attinet, nihil nos illius suscepti vnquam pœnitebit, si Christianæ Reip. aliquid inde cōmodi accessisse persenserimus. Nō enim priuatum aliquid aucupamur, Christi gloriam & animarū salutē quæsisse contēti. Quod vt fidentius auderemus, non parum nos permouit voluntas Reuerendi Patris Maioris Carthusiæ Prioris, summi nostri Ordinis Monarchæ, qui pro sua authoritate id à nobis petijt potius quàm exegit, vt hoc opus Typis excudi curaremus. Deum Opt. Max. obsecramus, vt cunctis ista lecturis suam adspiret gratiam, & R. P. T. diu nobis seruet incolumē, omnibusq; rebus bonis eximiè florētē. Ex ædib. nostris Carth. in Fer. D. Hiero. Anno Virg. partûs 1552.

CON-

CONTENTORVM IN HOC OPERE ELENCHVS.

THAVLERI *de Vita & Passione Christi Exercitia, quæ inter manus ferè omnium versantur, & sæpe impressa sunt, & multo vtilius seorsum imprimuntur, de industria omisimus.*

VITA

VITA D. IOANNIS THAVLERI, EX APPENDICE TRITHEMII NVPERRIME ADIECTA, ET COLONIAE TYPIS QVENTELIANIS Anno Domini 1546. iamtum primùm excusa.

IOannes Thaulerus, Ordinis S. Dominici, Theologus profundissimus, & Coloniensis conuentus fulcimentum, in declamandis Concionibus nemini suæ ætate secundus, vir in diuinis & humanis scientijs eruditissimus, vnctioneque Spiritus sancti excellenter illuminatus: scripsit:


SERMONES de internæ Vitæ perfectione valde vtiles,

Tractatus aliquot de Virtutibus,

Et Epistolas varias spiritum deuotionis redolentes,

Et prophetico spiritu prædixit plagas & hæreses contra Sacramenta & dogmata Ecclesiæ Catholicæ orituras, quæ nostris nunc temporibus Ecclesiam deuastant, proh dolor.


Claruit Coloniæ circa annum Domini 1350..



HISTO-

HISTORIA ET ENARRATIO VITÆ SVBLIMIS AC ILLVMINATI THEOLOGI, D. IOANNIS THAVLERI, QVI IN AGRIPPINENSI COLONIA EX VANA VITA SVA, AD MIRAM

sanctitatem miró quodam modo conuersus fuit. Quæ pariter multas Institutiones, doctrinas, Conciones[q]ue optimas complectitur: & primò quo pacto, quaq[ue] occasione ad huiuscemodi illuminationem, vitamq[ue] tam perfectam pertigerit, in qua & per quam, Diuina fretus gratia, fructum tam immensum in diuini Verbi propalatione fecit, vt haud immeritò quibusdam præcipuis Ecclesiæ Doctoribus æquiparetur.



ANNO Domini supra millesimum trecentesimum quadragesimo sexto, Doctor quidam Theologus in ciuitate quadam crebrò concionabatur, quem vniuersi penè libenter audirent, cuius doctrinæ fama longè lateq[ue] diuulgaretur. Quod cùm Laicus quidam, diuina gratia abundè præditus, percepisset, simulq[ue] ter in somnis fuisset admonitus, vt ad eam pergeret vrbem, in qua Doctor ille morabatur, quæ in alia regione sita, plus minus triginta milliaribus ab eo distabat loco, in quo Laicus erat: ita secum statuit, vt illuc proficisceretur, percepturus si quid diuina gratia ibi vellet operari. Itaque iter faciens, tandem ad ciuitatem, vbi Doctor ille degebat, peruenit, eiusq[ue] Conciones quinis vicibus auscultauit. Interim in spiritu didicit, Doctorem illum natura virum bonum, mansuetum, suauem ac perbenignum, & sacrarum literarum apprimè intelligentem esse, obscurè tamen, & absque lumine gratiæ diuinæ. Cuius propterea cæcitatem vehementer miserans, ipsum accessit, & his verbis affatus est: Domine mi, plus quàm triginta milliarium iter tui gratia confeci, quòd multa domi de doctrina tua audirem: & nunc quinquies Concionibus tuis interfui. Quamobrem oro te, vt dum hîc apud te sum, confessiones meas propter Deum recipere non graueris. Quod cùm Doctor annuisset, sæpius eidem confitebatur simpliciter, humiliterq[ue]: & si quando Domini sacratissimum Corpus percipere voluisset, Doctor ipsi porrigebat. Exactis deinde duodecim hebdomadarum spatijs, Laicus Doctori illi hunc in modum locutus est: Obsecro mi Dominè Magister, vti propter Deum publica nos concione doceas, quo pacto possit quis ad supremum perfectionis gradum, quatenus in hac vita possibile est, quàm proximè peruenire. Cui Doctor respondit: Quid est, fili, quod oras? Quorsum tibi tam sublimia attinet dici, quando (vt mihi videtur) vix quicquam horum intellecturus es? Cui Laicus: Tametsi, inquit, venerande Domine, non intellexero, suspirabo saltem, & votis ea omnibus desiderabo. En quanta hominum multitudo ad auscultandos sermones tuos cõfluit. Si ergo ex his vel vnus, quæ dicturus es, intellectu perceperit, nõ inanis erit labor tuus. Doctor respondit: Si

pertingere potest, nisi cum profundissima humilitate, perspicua puraq́ intelligentia, & illuminata dilucidaq́ ratione. Quanquam, quod negare nemo potest, multi olim rationales spiritus, qui in natura sua non nisi puræ quædam intelligentiæ sunt, aberrârint, & ab æterna exciderint veritate, à choris quoque Angelicis æternaliter extrusi sint, hodieq́ idipsum etiam illis vsuueniat, qui seipsos cum propria suimet complacentia respiciunt, & per propriæ voluntatis vsurpationem, ac vanam in sua subtilitate complacentiam, illorum spirituum similes se reddunt. Quamobrem scitu atque notatu opus fuerit, Dilectissimi, quinam veri sint illuminati ac sapientes contemplatores. Equidem, quantum ex Scriptura colligere licuit, vigintiquatuor Partes seu Articulos, quos eiusmodi homo in se habere debeat, reperi: hos etiam vobis libens communico, illis absolutis, finem dicendi pariter facturus. Primum Articulum ipse supremus omnium Magistrorum Doctor, cunctarumq́ artium totiusq́ sapientiæ Magister Christus Iesus Dominus noster commemorat, vbi ait: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem*, & præceptum illud meum seruaueritis, quo iussi, *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, tanquam diceret: Licet scientia, sapientia, & sublimi intellectu polleatis, si non & fidelitas & charitas adfuerint, parum vobis contulerit. Certè de Balaam fertur, tanto cum ingenij ac rationis acumine fuisse præditum, vt ea, quæ Deus post multa demum annorum centenaria facturus erat siue manifestaturus, intelligeret: cui tamen parum id profuit, quòd non, quomodo oportuit, multa cum fidelitate & dilectione agnitæ inhæserit veritati. Et hæc de primo articulo dicta sufficiant. Secundus est, vt à seipso sit liber & expeditus, quod tamen haudquaquam illi videbitur: sed potius semper ita sentiet, se adhuc magis magisq́ expediri debere, & rebus omnibus abrenuntiare. Tertius est, vt sit Deo funditùs resignatus, ita vt nullum in eo Deus reperiat impedimentum, sed opera sua liberè in ipso perficere queat: quod tamen non sibi temere ascribet, quin potius ad hoc semper omnino se reputabit ineptum. Quartus est, vt & seipsum, & omnia, in quibus sese prius inordinatius dilexit, quæsiuit & intendit, siue in tempore ea sint, siue in æternitate, prorsus exuat abnegetq́. Quintus est, vt quæ sua sunt, nullo modo vel in se, vel in aliqua creatura quærat. Sextus est, vt semper & vbique diligenter attendat & obseruet, quid ab eo Deus exigat & fieri velit, eiq́, gratia illius fretus, faciat satis: nec tamen sibi aliquid inde arroget, quale quale illud fuerit. Septimus est, vt continuè sine intermissione Diuinæ se conformet voluntati, ita vt nihil aliud velit, quàm quod vult Deus. Octauus est, vt tam fortiter, tam strenuè in Deo se exerceat, illique immensa quadam vi amoris adeo se adstringat vniatq́, vt nec Deus in ipso, sine ipso, nec ipse similiter sine Deo quicquam possit operari. Nonus est, vt in omnibus, quæ illi euenerint, siue dulcia sint, siue amara, in cunctis quoque operibus suis, in omni demum loco & tempore, Diuina præsentia perfruatur. Decimus est, vt nihil omnino accipiat à creaturis quibuscunque, neque grata videlicet, neque molesta, sed nudè omnia de manu Dei sui, vt quæcunque Deus per creaturas agit seu fieri permittit, nō secus tamen nec aliunde quàm ab ipso Deo accipiat. Vndecimus est, vt à nulla superari se delectatione vel sapore creaturarum secundùm naturam, absque rationabili necessitate, patiatur. Duodecimus est, vt non nimium deprimatur, nec immodicè angatur intus ex qualibet etiā aduersitate, quæ ipsum à veritate posset auertere,

Quot & qui articuli cui necessarij.

1. Ioan. 13.

Ioan. 15.

Num. 24.

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

13. sed semper constantissimè adhæreat veritati. Tertiusdecimus est, vt à nullo
falso lumine, nec ab vlla relucente specie creaturarum se decipi sinat, sed piè &
amicabiliter omnia in suo relinquat esse, ex cunctis optima semper eliciens,
14. meliorq́; ex omnibus, ex nullo peior fieri contendens. Quartusdecimus est, vt
semper paratus sit, cunctisq́; virtutibus instructus & armatus, ad resistendum
vitijs vniuersis, vt nunquam non victor euadat, nunquam non palmam ferat.
15. Quintusdecimus est, vt veritatem nudè cognoscat & contempletur, sicuti est
(quatenus Deus vult, & ipsi possibile est) in seipsa, iuxtaq́; eam suam instituat
16. vitam, agnitæq́; studeat satisfacere veritati. Sextusdecimus est, vt perfectus &
17. iustus sit, nihilq́; minus tamen, quàm se talem, putet. Septimusdecimus est, vt
18. parcus sit in verbis, sed plurimum vitæ habeat interioris. Octauusdecimus est,
vt verax, interna, humilisq́; vita eius, exemplo potius quàm verbis prædicet
19. omnibus, & faciendo loquatur. Nonusdecimus est, vt præ omnibus Dei gloriam
20. quærat, nec aliud aliquid intendat in actibus suis. Vicesimus est, vt se libenter
vinci ab omnibus, qui cum ipso contendunt, patiatur: idq́; præcipuè in his, quæ
21. pertinent ad ipsum, non quæ pertinent ad Deum. Vicesimusprimus est, vt nul-
lo quacunque in re priuilegio gaudere velit, sed etiam minimis quibusque se
22. prorsus iudicet indignum. Vicesimussecundus est, vt se inutilissimum, quem
Mundus habeat, hominem ex animo credat: at nihilo minus magnam in se stre-
nuitatem, fidem, spem, charitatemq́;, reperiri sinat. Nihili pendat quoque suam
23. propriam sapientiam, & vniuersa sua opera ex humana ratione facta. Vicesi-
mustertius est, vt tam in verbis, quàm operibus suis vitam & doctrinam Domi-
ni nostri Iesu Christi sibi tanquam speculum proponat, in eisq́; sese contemple-
tur, & quantum fieri poterit, omnia illa à se abdicet, abijciat, mortificet, quæcun-
24. que à dignissima illius imagine aliena sunt. Vicesimusquartus, idemq́; postre-
mus est, vt nunc primùm, tanquam paruulus adhuc, in vera, ingenti, perfecta
humilitate proficere incipiat, sibiq́; persuasum habeat, se iam primùm inchoa-
re velle Diuinam implorare Misericordiam, vt illa sibi inueniat & opem ferat,
vt in bonum euadere hominem possit. Et si talis etiam ab alijs habeatur, aut vi-
lis propterea in hominum oculis fiat, id charius illi sit acceptiusq́;, quàm si om-
nium fauore gauderet. Sed vereor, charissimi, ne prolixior fuerim. Hæc ita-
que sunt signa rationalis & purgati Fundi, quem splendor & imago omnis ve-
ritatis illustrat docetq́;. Inspiciat nunc igitur vnusquisque semetipsum, & vi-
deat diligenter, si hos vigintiquatuor articulos in se reperiat. Et, si inuenerit,
gaudeat: Si verò non inuenerit, sciat non sibi magnipendendum esse sublimem
intellectum suum, nec cuncta intellectualia seu ingeniosa opera rationis suæ.
Ipse namque totius veritatis fons & imago Deus nullum in eo opus supernatu-
rale agere potest, nisi quem fortè singulari quadam gratia sua præuenire, quod
Diuo Paulo contigisse legimus, velit. Sed hoc hisce temporibus, meo quidem
iudicio, perquàm rarum est. Denique præstet nobis omnibus æterna Veritas
Dominus Deus noster, vt cuncti per gratiam in vera perfectaq́;
humilitate, veri contemplatores efficiamur, ad
laudem & gloriam ipsius.
Amen.

Vti Lai-

Vti Laicus occultam sanctitatem suam Doctori partim secretò aperuerit, ipsumque reprehenderit, quòd adhuc in ignorationis nocte versaretur, quòd vas illius immundum esset, & quòd ipse denique ad Pharisæorum numerum pertineret.

HOc finito Sermone, mox Laicus suum petens hospitium, eundem de verbo ad verbum, quomodo à Doctore prolatus fuerat, exscripsit: quo conscripto, Doctorem accessit, & ait: Domine venerande, Concionem tuam in scripta redegi, & si tibi molestum non foret, ipsam ex charta recitarem. MA. Equidem lubens audiero. Tum laicus totum legit Sermonem: eoque absoluto, ad Magistrũ ait: Obsecro mi Domine, vt indices mihi, si qua verba prætermiserim, vt & ea perscribam. MA. Certũ habe, charissime fili, rectè te Cóncionẽ hanc descripsisse, vti à me prolata est: & reuera, si multa mihi lucrari possẽ, haudquaquam eam tam exactè verbis totidem cõscribere valerẽ, vt à te cõscripta est, nisi denuò eundem, quem prius, in Scripturarũ perscrutatione laborẽ insumerem. Satisq; nunc mecum ipse ingenij tui felicitatem admiror, quodq; cùm toties mihi confessus sis, hanc in te deprehendere non potuerim. Tum laicus ille, tanquam recedere se velle simulans, Magistro ait: Si visum fuerit Deo, ad propria mi Domine redire mihi voluntas est. MA. Quid est quod te domum redire compellit, cùm nec vxorem habeas, nec liberos, quorum curam te habere oporteat? Aut quid obstat, quo minus, cùm neminem domi habeas, æquè hîc viuere possis vt illic? Et ipse breui, si Deus dederit, alium adhuc de spiritalis vitę perfectione Sermonem facturus sum. LA. Certum habe Domine Magister, me non ob Conciones tuas huc venisse, sed quòd sperarem aliquem hic me, Dei cooperante gratia, fructum facturum. MA. Quem, dilecte Fili, fructum hic faceres, quum simplex laicus sis, & Scripturas ignores, nec tibi concionari permissum sit? Mane, obsecro, hîc aliquandiu, forsitan Deo præstante, talem tamq; perfectum adhuc Sermonem habebo, quem te audire delectet. LA. Esset quidem, mi Domine, quod tibi dicere perquàm vellem: sed vereor vt æquanimiter ferre possis. MA. Age fili, quæcunque placet, securus loquere. Confido in Deo, me placidè laturum. LA. En venerande Domine, sacerdotij honore præfulges, & Concionem ad nos habuisti, optimis quidem institutionibus refertam, sed quas tu vita exprimere non cures. Interim etiam pueriliter satis ad me ais, vt hic manere debeam, facturum te adhuc Sermonem, qui mihi placeat. Cæterùm id compertum habe, mi Domine Magister, nec Conciones tuas, nec vlla omnino verba quæ extrinsecus in hac vita dici queant, magnopere mihi prodesse posse: quin imò Conciones hominum sæpius plus obfuêre, quàm profuêre, mihi: quòd aliquæ plerunque sub eis imagines mihi inciderent, quas postea, domum reuersus, vix multo ac diuturno cum labore abijcere potui & obliuisci. Et ipse Domine Magister inter cætera in Sermone tuo hoc quoque dixisti, ab omnibus illum imaginibus liberũ & absolutum esse oportere, ad quem summus Magister Christus Iesus venire debeat: qui nimirum Magister quoties ad me venit, plus sub vnius mehorulæ spatio docet, quàm & tu Domine Magister, & cæteri Doctores omnes, quos mundus habet, ad extremum vsq; iudicij diem docere me possent. MA. Eia fili charissime, ob Dominicæ mortis honorem peto & obtestor, vt diutius apud me permaneas. LA. Graui quidem Domine Magister adiuratione me tibi

obstringis: & si ex obedientia diuina hic mihi manendum est, non id faciam, nisi & ipse fidem mihi dederis, omnia iam dicta à me, & deinceps dicenda, sub secreto Confessionis tete habiturum, vt occulta permaneant. MA. Id equidem fili charissime lubens fecero, tantùm vt apud me diutius moreris. Tum Laicus ille in hunc modum Magistro locutus est: Multa quidem, Domine Magister, in eo, cuius iam crebrò mentionem fecimus, Sermone tuo bona & optima dixisti: sed inter dicendum talis animo meo similitudo incidit, vt viderentur mihi haud secus ex te illa bona procedere, quàm si vinum merum per fæces duceretur. MA. Quid tibi vis, obsecro mi Fili, hac similitudine tua? LA. Nihil aliud Domine Magister, quàm vt indicem tibi, vas tuum mundum non esse, nec à fæcibus expurgatum. Cuius causa est, quòd *litera te occidit*, & ab ea te quotidie adhuc occi-
2. Cor. 3. di permittis. Sic enim, vt ipse melius nosti, Scriptura dicit: *Litera occidit spiritus autem viuificat.* Attamen eadem litera, quæ modò te occidit, etiam viuificare te poterit, si ipse volueris. Cæterùm pro præsenti vitæ tuæ conditione adhuc in tenebris es, & lumen in te non est, in quo literam perspicuè cognoscere queas. Deinde etiam ad Pharisæorum adhuc numerum pertines. MA. Equidem fili charissime, ad hanc vsque ætatem excreui, nec vnquam tam durè mihi aliquis locutus est. LA. Eia Domine Magister, vbi nunc est Concio tua? Vide vti hic deprehendaris. Porrò licet durius tibi locutus esse videar, tamen ita se habere, vt dixi, vel ex te ipso facile probauero. MA. Id est quod maximè velim. Neque enim vnquam Pharisæorum genus dilexisse me scio. LA. Primò Domine venerande ostendam tibi, quo pacto litera te occidat. Scis ipse amande Magister, vti mox posteaquam discretionem boni & mali adeptus fuisti, ad studium te contuleris literarum, in quo tamen prorsus temetipsum quærebas, & hac ipsa quoque die ab hoc vitio haudquaquam immunis es: sed etiamnum in natura tua, licet occultè, superbus es, & multum inniteris grandi scientiæ tuæ, & quo præditus es, titulo Doctoratus tui, nec in his purè solum Deum amore & intentione prosequeris, nec eius duntaxat gloriam in literarum studio spectas, sed teipsum adhuc in incidentium creaturarum fauore plus satis quæris & amas: idq́ue pręcipuè in vna quadam creatura, ad quam sępius oculos cōtorques, quamq́ue inordinato fauore prosequeris. Et hæc ratio est, quòd te *litera occidit*. Quod autem dixi, vas vacuum & immundum te habere, id similiter verum est. Neque enim Deum in cunctis actionibus & dimissionibus tuis purè amas: sed in multis adhuc teipsum te quærere & amare deprehendis. Ideoq; vas tuum inane & fæculentum est: vnde fit, vt vinum bonum atque merum doctrinæ cælestis verbiq; diuini, licet purissimi & optimi, per illud transiens, animę mundę Deum amanti & intendenti, insipidum sit, & gratiam non adferat. Quod præterea dixi, in nocte vel in tenebris te versari, æquè verissimum est: idq; vel inde satis euidenter apparet, quòd tam pauci ex concionibus ac institutionibus tuis supernaturaliter per gratiam illuminantur. Denique, quòd Pharisæum te esse affirmaui, id nihilo minus verum esse probabo. Quanquam non sis omnino ex falsis illis Pharisæis vnus. Dic mihi venerande Magister, nonne falsi illi Pharisæi seipsos quærebant & amabant, nec Dei gloriam purè intendebant in omnibus? Vide nunc temetipsum, si non coram Deo Pharisęus sis, & quidem non minimus. Nec dubites plurimos hodie superesse, qui coram Deo veri Pharisæi habeantur, magis tamen & minus, pro ratione seu qualitate vitæ singulorum. Hæc cùm laicus dixis-

dixisset, Magister amplexus eum, osculabatur genas illius, & ait: Quædam mihi, dilectissime fili, similitudo venit in mentem, & idem mihi contigisse videtur, quod mulieri illi Samaritanæ iuxta puteum euenit. Certè enim cuncta mihi exposuisti occulta vitia mea: & specialiter, quòd ad certam quandam creaturam sæpius multumquè respiciam. Attamen nec ipsa id nouit: quandoquidem nunquam illam experiri vel aduertere permisi, quod à me diligeretur. Sed neque vlli id omnino hominum constare arbitror. Vnde nihil ambigo, à solo Deo huius te notitiam obtinuisse. Itaque magnopere te rogatum velim, charissime fili, vt ob honorem dominicæ mortis, ipse mihi iam spiritualis pater esse velis, meq; miserum peccatorem filium tuum esse patiaris. LA. Certum habe obseruande Domine Magister, si ita præter rationem & ordinem loqui perrexeris, me nullo hîc pacto mansurum, sed citius rediturum ad patriam. MA. Quæso te mi fili, ne id facias: sed obnixè rogatus, maneas apud me. Libenter enim pollicebor tibi, me haudquaquam ita deinceps locuturum. Scitoquè iam me statuisse velle conuerti, vitæq; rectioris iter arripere, multumquè me desiderare corrigere vitam meam secundùm consilium tuum. Et quicquid mihi consulueris, id ego cum gratia Dei aggrediar & effectum reddam. LA. Reuera Domine Magister, id tibi perquàm necessarium est. Complures nanque Doctores scientia seu litera misere seduxit: quosdam quidem, qui prorsus falsi Pharisęi fuêre, ad æternam damnationem inferni, quosdam verò ad graue horrendumq; Purgatorium. Neque enim parua res est, dum quis ab omnipotente Deo subtilem intellectum, multamq; rationem percipit, quibus diuinam facile Scripturam intelligit, nec tamen secundùm eam viuere studet.

Ioan. 4.

Scire absque facere, nihil prodesse, imò obesse etiam.

Quàm stupenda Deus per hunc laicum operatus sit: vtque ea de causa, præter cæteras, ad tantam gratiam pertigerit, quòd Dominus prorsus resignatam in eo reperiret humilitatem.

MAG. Obsecro te fili charissime, vt propter Deum mihi exponere non graueris, quo pacto ipse ad tam perfectam vitam perueneris, qua ratione inceperis, quæ fuerint exercitia tua, qualis denique tota conuersatio & institutio vitæ tuæ. LA. Ista Domine Magister petitio tua prorsus simplex est. Enimuerò, quod certo certius est, si omnia illa, quę Deus omnipotens in me misero peccatore intra septennium operari dignatus est, aut dicere tibi, aut in scripta redigere deberem, nullum te arbitror tantæ magnitudinis librum habere, qui vniuersa hæc capere posset. Nihilo minus aliqua tibi libens referam, quæ pro hoc tempore tibi conueniant. Principio quidem permultum mihi hac in parte Deus contulit, quòd bona quadam, profunda & resignatissima præditus eram humilitate. Cæterùm non magnopere ad te attinet, vt dicam tibi exercitia mea, quæ foris in corpore meo tenui: quandoquidem naturæ & complexiones hominum diuersissimæ sunt. Quisquis autem funditus humiliterq; Deo se resignat, huic Deus tum per tentationes, tum per alias occasiones talia subministrat exercitia, quæ & vtilia illi esse, & eum, si velit, ferre posse, nouit. Porrò qui à diuersis, quæ ipsorum exercitia sint, sciscitatur, vt plurimum falli solet. Singuli nanque sua illi exercitia dicunt, quæ dum ille sequi vult & imitari, nulla habita virium suarum ratione, nihil mirum est, si decipiatur & aberret. Quæ enim exercitia vni optima sunt, & maximè conducunt, ea sæpenumerò alteri omnino perni-

perniciosa atq; contraria esse solent, si in eis perseuerare velit. Vnde etiam malignus spiritus nō rarò hominibus, quos naturę debilis esse conspicit, fallaci suasione suggerere solet, vt districta & rigida exercitia assumāt: hoc vtiq; fine vt ante iustum tēpus moriantur, vel infirmū & debile caput acquirant. Quod vt melius intelligas, dicā tibi paucis Domine venerāde, quid mihi in meę cōuersionis exordio acciderit: Euoluebā ego librū quendā, qui idiomate Germanico vitas Sanctorum explicat: cumq; singulorum attenderem austeram & districtam viuendi rationē, ita mecū cogitare cœpi ac dicere: En isti æquè vt tu, in hoc seculo homines fuêre, & fortasse nō tam grauiter, vt tu, Deum offenderunt. Atque hæc cogitans, cœpi strenua atq; seuera exercitatione quêlibet Sanctorū vel in aliquo sequi velle. Vnde accidit, vt tantam incurrerē infirmitatē, vt etiam morti proximus essem. Et die quadam circa Solis exortū, cùm plus satis me exercitassem, cōtigit me, præ nimia infirmitate ac lassitudine, sub ipsis exercitijs meis obdormire: & in ipso somno videbar mihi vocē quandā audire, dicētem mihi: Age tu homo proprię voluntatis, si ante tempus tete occideris, grauissimas certè pœnas dabis. Qui si à Deo te exerceri permitteres, longè illum melius te exerceret, quàm tu possis ex cōsilio spiritus maligni. Ad hanc vocē, cùm videlicet diabolum nominasset, tantus me terror inuasit, vt repēte è somno euigilarē & surgēs, mecum cogitare cœpi, quòd absque consilio prędicta exercitia assumpsissem: moxq; syluam quandam proximā illi loco, in quo tum eram, petij: vbi seniori cuidā eremitę cuncta hæc per ordinē enarraui, rogauiq; hominem, vt aliquod mihi cōsiliū impertiretur. Quibus auditis, senex ille hæc mihi respōsa dedit: Si quod tibi cōsilium impēdere debeam, prius quæ vitæ tuæ ratio, quæ exercitia tua sint, mihi exponas oportet. Itaq; vt iussus eram, dixi illi districta exercitia mea, & quo pacto vitas Sanctorum perlegissem, eosq; imitari voluissem. Tum ille: Dic mihi, inquit, ex cuius hæc cōsilio fecisti? Cui ego respondi, me ex nullius omnino, nisi meo duntaxat cōsilio propriaq; voluntate ea fecisse. Et ait ille: Certum ergo habe, diaboli fuisse consilium. Vnde summopere cauendum tibi est, ne eum amplius sequaris: sed resigna & relinque te totū Deo, & is melius te exercebit, quàm vel tuipse, vel diabolus. Ad hanc ergo senis illius admonitionem, omnibus illis exercitijs meis renuntiaui: totumq; me Deo funditus reliqui, vt ille me pro suo beneplacito exerceret. Equidē Domine Magister, secundùm naturā ingeniosus admodū, optimæq; cōplexionis, & acuti intellectus eram, sicuti & tu es: sed Scripturarū notitiam non habui, qua tu polles: attamen tam sublimi intellectu prędictus eram, vt quoties me ad ipsum reciperē, magna quædam & alta caperē, apprehenderemq;. Vnde vice quadam accidit, vt ex huiuscemodi intellectuali cognitione mea, mecū in hunc modum cogitarem: Certè tam felici ingenio & sublimi intellectu prædictus es, vt haudquaquā dubitandum sit, quin si seriò illū applicueris, aliquid diuinum, siue de Deo, sis agnosciturus. Quæ cogitatio mox vbi mihi incidit, aduerti fallax esse maligni consiliū, & pestiferā illius persuasionē: simulq; in hęc verba prorupi: O maleuole, ô maligne cōsiliarie, quale mihi consiliū suggessisti? Planè si talem Deum haberemus, qui ratione capi posset, hunc ne tantilli quidē facerē ego. Post hæc manè quodam, cùm Preces matutinas legere vellem, ingens quoddam me cepit desiderium, ita vt dicerem ad Dominum in hęc verba: Misericordissime Deus, ô si placeret tibi, vt aliquid tale me nunc faceres experiri, quod omnē excederet intellectū meum. Verùm mox vbi ista verba finie-

finieram, vehementer exhorrui, quòd tanta desiderare ausus fuissem, dixiqúe ad Dominũ: Ah Deus æterne & adorande, ignosce huic temeritati meę. Valde enim me pœnitet facti huius. Et quî fieri potuit, vt miser ego homũcio, imò terræ vermiculus, tale quid vnquam in cor meum admitterẽ, vt tam excellẽtem gratiam desiderarẽ, cùm tamen satis in meipso cognoscã, quàm vilis, quantisq; vitijs obnoxius sim, quámq; te Deum meum omni tẽpore vitæ meæ nunquam, vt debui, amauerim, intenderimqúe: sed tibi tam semper ingratus fuerim, vt me penitus indignũ intelligam, quẽ terra sustineat? Vnde quia tantum tam præcellẽtis gratiæ in me desideriũ exurgere passus fui, necesse est omnino, vt diras corpus meũ pœnas luat, & acerba patiatur. His dictis, exui me vestib⁹ meis, nec cessaui duris carnem meam verberibus afficere, donec sanguis per humeros deflueret. Itaque cùm huiuscemodi verba in corde simul & ore meo vsq; ad solis ortũ voluerentur, tum repente fulgidũ quoddam lumẽ totam repleuit cellulã meam, in ipsóq; lumine mentis excessum incurri, ita vt tempore illo omni priuarer ratione & sensibus meis: sed ea hora breuis admodũ mihi videbatur. Cumq; mihijpsi fuissem restitutus, ingens quoddam idemq; supernaturale veritatis signum reperi, ita quòd cum B. Petro Apostolo haud immeritò dicere potuissẽ: *Domine, bonũ est nos hîc esse.* In ea nanq; breui horula plus veritatis multo cũ lumine, perspicuaq; cũ discretione percepi, quàm & tu Dñe Magister, & vniuersi, quos mũdus habet, Doctores abhinc vsq; ad extremi iudicij diem, me docere possent. Quod ad præsentem vitæ tuæ statum attinet, satis me Domine Magister tibi dixisse reor. Matth 17. Marc 9. Lucæ 9.

Vti Dominus Deus paganum quendam, in exteris longè degentem regionibus, per hunc laicum conuerterit: vtque Spiritus sanctus in hunc vsque diem, eandem gratiæ suæ virtutem exhibeat, quam in sacra Pentecoste Apostolis exhibuit, vbi aptas ac bene præparatas reperit mentes: itemque, vt hæc laicus iste Doctori latius explicârit, simul apertioribus illi rationibus probans, quòd Pharisæus esset, ac eò tandem illum adducens, vt vitam omnino statueret in melius commutare.

MAG. Si quid haberes fili charissime amplius dicere, id equidem vellem. Certè quę hactenus abs te dicta sunt, libenter audiui. Vnde nunc rursum etiam atq; etiam te oro & obtestor, vt apud me maneas, nec mẽ vlla ratione relinquas. Quod si sumptus tibi nõ suppetunt, ego eos tibi subministrabo, etiam si aliquo librorum meorum ipsi pignori posito, pecunia mihi mutuo accipiẽda sit, tantùm vt apud me permaneas. LA. Dominus ipse tibi pro hac in me humanitate mercedẽ restituat obseruãde Magister. Cæterùm id pro cõperto habe, quòd nec tuis, nec alterius cuiusuis tẽporalibus bonis opus habeã, cùm Deus omnipotẽs procuratorẽ me suum fecerit, habeamq; ferè quinque millia aureorũ, qui Dei sint, liberaliter eosdẽ expensurus, vbicunq; vel necesse foret, vel ipse Deus eos vellet erogari. MA. Ergo, quantũ audio, præ diuitis & magni Domini es procurator. Verùm id mihi satis mirũ videtur, quòd paulo ante dixisti, quòd nec ego, nec Doctores oẽs ad extremum vsq; iudicij diem tãtum te possemus docere, quantũ vna hora tu à Deo didicisti. Quęro ergo ex te: Sacra Scriptura profluxit ne è Spiritu sãcto? LA. Profluxit haud dubiè. Ita enim fides Catholica cre-

dit. Sed heu pœnitet me Domine Magister, tanta me tibi dixisse, & te adhuc tam pueriliter loqui. Ecce vnam ipse tibi quæstionem proponam,& si illam siue per Scripturam,siue absque Scriptura soluere poteris, ex parte Dei mille tibi aureos numerabo. MA. Dic, oro, mi fili, quænam sit illa quæstio tua. LA. Quæro ex te Domine Magister, possesne me instruere, quo pacto homini alicui pagano, procul in remotis partibus degenti, tali sermone epistolam scriberem, vt & legere ille eam & intelligere posset: eaqúe epistolæ forma foret, vt idem ille ex ea lecta ad fidem conuerteretur? MA. Huc sanè non habeo,fili, quod dicam. Talia nanq; opera,ipsius sunt Spiritus sancti. Cæterùm oro te,vt indices mihi,si quid tale tibi contigerit: aut si quid inde nosti, qua id ratione factum sit,aperias: &,sis ne tu ipse,qui id feceris.LA. Non ego illud feci Domine Magister,sed Spiritus sanctus per me indignũ tale quid operari dignatus est. Et certè multa hinc dici possent: sed omnia persequi nimis longum foret. Nam & integrũ, si omnia,quæ ad hanc rem pertinent,scriberentur,librũ implerent. Nihilo minus pauca quædam tibi narrabo,ex quibus rei summam vtcunq; colligere licebit.Paganus quidam erat homo certè optimi cordis,& secundùm modum suum iustus.Hic multo tempore clamabat in cælum, illumq; sedulò inuocabat, qui & ipsum & creaturas omnes condidisset, dicebatqúe in hunc modum: Rerum omnium Creator Deus,en ego in hac regione & huius terræ fide natus sum.Porrò Iudæi aliam fidẽ habent: similiter & Christiani aliam fidẽ sectantur. Tu verò Domine, qui supra nos es, & omnia fecisti,indica mihi,obsecro, quocunque tibi placito modo,si qua fides alia hac mea fide, in qua natus sum, potior veriorqúe sit, vt credere valeam: & ego libenter tibi obtemperabo,assumpta fide tua.Sin verò mihi id significare recusaueris, & ego in hac fide mea mortuus fuero, cùm aliam meliorem nesciam, magna mihi certè iniuria fiet. Cùm hæc paganus ille oraret, factum est Domine Magister, vt à me illi epistola scriberetur: qua lecta, ad fidem Christi conuersus est. Idemq; mihi epistolam quandam rescripsit,in qua,vti sibi successerat, exposuit: quæ certè epistola ita erat nostro vulgari Germanico idiomate conscripta, vt à me quàm optimè legeretur. Plurima hinc, Domine Magister, adhuc dicenda superessent: sed summam rei iam tenes. MA. Mirabilis sanè Deus est in donis suis: & reuera charissime fili, varia & rara quædam mihi narrasti. LA.Equidem Domine Magister vereor satis, me plus tibi dixisse,quàm debuerim. Enimuerò aliquid me tibi dixisse animaduerto, quod malè te habeat in natura tua. Cùm enim ipse laicus sim & idiota, tu verò magnus sacræ Theologiæ Doctor, & nihilo minus tam multa tibi veluti sub docendi ratione dixerim, fieri non potest quin aliquid te offenderit. MA. Si non ægrè laturus es fili,dicam tibi,quid mihi displicuerit. LA. Prorsus non ægrè feram: securus omnia dicas. MA. Grauiter fero, charissime fili, in natura mea, imò nec à me expellere possum, quòd tu, cùm sis laicus, me Theologum & Magistrum docere debeas: deinde etiam, quòd me Pharisæum vocasti. LA. Sunt ne adhuc alia Domine Magister, quæ tibi in me displiceant? MA. Minimè, quod equidem sciam. LA. Licebit ne mihi pace tua Domine Magister, de his duobus tibi satisfacere? MA. Non modò licebit, fili charissime, sed vt id facias,etiam atque etiam te rogo. LA.Dic,oro te, mihi Domine Magister, vnde id erat, aut per quem factum fuit, vt Virgo beatissima Catharina,cùm octodecim circiter annorum esset,quinquaginta acutissimos Philosophos verbis superaret, ita vt etiam omnes vltro se ad moriendũ pro Christo of-

ſto offerrent? Dic mihi, inquam, Domine Magiſter: quis id egit, aut quis ibi loquebatur, vt tantos Philoſophos vna Virgo tenera ſuperaret? MA. Nulli dubiũ eſt, quin Spiritus ſanctus id egerit. LA. Credis ne Domine Doctor, eiuſdẽ adhuc potẽtiæ eſſe Spiritum ſanctum, cuius tunc erat? MA. Omnino ſic credo. LA. Quid igitur obſtat, quo minus credas etiam per me miſerum peccatorẽ loqui tibi poſſe eundem Spiritum ſanctum, quando & per Caipham, qui & ipſe peccator fuit, Ioan. 11.
loqui dignatus eſt? Et certè, ſi ea, quę dixi, tam iniquo animo laturus es, deinceps cautius tecum loquar. MA. Quęſo te fili, ne id facias: iam enim etiam hac in parte me corrigam. LA. Dixiſti præterea Domine Magiſter etiam hoc malè te habere, quòd Phariſæum te appellauerim. Cæterùm cùm hoc dixiſſem, ita tunc huius à me ratio tibi reddita eſt, vt meritò ſufficere tibi deberet. Sed quia illa contentus non es, adhuc alia tibi ratione probabo, magis te hac in parte reum eſſe, quàm ipſe tunc dixerim. Sanè noſti Domine Magiſter, hortari quodã loco Saluatorem noſtrum ac dicere in hunc modũ: *Attendite vobis à Phariſæis. Alligant enim* Matth. 23.
onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominũ, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Iam teipſum pauliſper cõtemplare. Certè viginti quatuor partes ſeu articulos humeris noſtris impoſuiſti, quos ipſe vix leuiter attingis. Sic & alio loco idem Saluator de eiſdem Phariſæis ait: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate &* Ibidem.
facite: ſecundùm opera verò eorũ, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. MA. Iſta verba Dominus noſter ſemel locutus eſt LA. Nihil refert: imò adhuc cõtinuè ea dicit. Sed vide nunc Domine Magiſter, ſi nõ optimas nobis inſtitutiones tradideris: quas tamen quantum vita & opere ſequaris, Deus nouit, & tu quoque non ignoras. Et vt in pręſentiarũ ſeſe habent res tuę, libens ſequor doctrinam tuam, ſed inuitus imitarer vitam tuam. Vnde nunc tecũ ipſe iuſto, quæſo, iudicio perpende, ſi non coram Deo verè Phariſæus ſis: non tamen ex falſis illis & impijs Phariſæis, quibus infernus debetur. MA. Planè fili non habeo quod dicam, niſi quòd me peccatorem eſſe fateor & cognoſco. Et nunc vitam meam in melius commutare ſtatuo, etiam ſi propterea mortis mihi diſcrimen ſubeundum ſit. Neqꝫ iam longius expectare queo: ſed te fili etiam atque etiam oro & obſecro, vt purè propter Deum conſulere mihi velis, quo pacto vitam rectiorem incipere debeam: ſimulq́ꝫ oſtendas, qua ratione ad ſummam, quæ quidem in hac vita obtineri poſſit, perfectionẽ queam pertingere. LA. Difficile eſt, Domine Magiſter, quod pace tua dixerim, aliquod tibi hac in parte conſilium ſubminiſtrare. Vita nanqꝫ tua ſeu ratio viuẽdi, quam hactenus tenuiſti, ex cõſuetudine longa penè in naturam tibi verſa eſt. Vnde ſi priſtinos mores & ſolitum viuẽdi modum abdicare & reijcere debueris, quod vtiqꝫ neceſſarium erit, non poterit hoc abſqꝫ grauí naturæ tuæ moleſtia & dolore fieri, præſertim cùm iam quinquageſimũ plus minus annum attigiſſe videaris. MA. Id, ni fallor, ætatis ſum fili chariſſime. Attamen etiam illis, qui ad vndecimam horam venerant, merces integra & dena- Matth. 20.
rius redditus eſt. Itaque iam omnino ſtat ſententia, atque ita definitum eſt in animo meo, vt ſi etiam certus eſſem me ob hoc moriturum, exhinc iam conuerti, & priſtinæ fallaci & intellectus curioſitati deditæ vitæ, vitijs quoque & vniuerſæ ſenſualitati meæ renuntiare, iuxtaqúe conſilium tuum per Dei gratiam deinceps viuere velim. Quapropter iterum atque iterum te rogo, vt omni dilatione poſtpoſita, qua me ratione vitæ meæ emendationem incipere oporteat, Dei amore me inſtituas, edoceaſqúe. Neque enim iam vltra differre potero. LA.

Quandoquidem ea tibi Domine Magister à Deo gratia collata est, vt humiliari non recuses, & vili ac pauperi te creaturæ subijcere velis, Deo in primis honorem nos tribuere conuenit, cuius etiam est. Quando verò ita oportet, vt ex parte Dei ipse tibi consilium præstem, Deum mihi adiutorem adhibebo, & ex amore illius, vt melius potero, tibi consulam. Et principio quidem eo te modo docere incipiam, quo solent pueri instituí in scholis: hoc est, quoddam tibi spirituale tradam Alphabetum, in tres & viginti sententias distinctum, quot videlicet literas Alphabetum habet, à quo pueri discendi sumunt exordium.

SEQVITVR

Alphabetum Aureum, Doctori à Laico traditum, vt iuxta illud vitam suam corrigere inciperet. Quod haud dubiè sæpe relegere, iuxtaque illud nostram instituere vitam, omnibus nobis quàm vtilissimum fuerit.

ALPHABETVM AVREVM.

A Aggredienda tibi in primis est vita bona, pura, spiritualis, non quidem leuiter aut pueriliter, sed strenuè & animo virili.

B Bonum facito, & malum declinato, idque sedulò ac diligenter.

C Congruum ac temperatum in omnibus medium seruato.

D Disce & intus & exterius modestiam & humilitatem præ te ferre.

E Extirpa funditus, & abnega propter Deum propriam voluntatem tuam, vt possis vnitus in Deo manere, & Deus in te.

F Fortiter ac seriò continuè in Deo perseuera.

G Gaudens simpliciter ac studiosè obedito, & ad omnia, quæ Dei sunt, sine murmure voluntarium te præbeto.

H Haudquaquam retro vel ad seculum, vel ad naturam, vel creaturas & actus earum respicias.

I Intus in corde diuina ac spiritalia meditari ac ruminare, tuamque veterem vitam lachrymis abluere & deplangere consuesce.

K Constanter & audacter diaboli, mundi, & carnis tentationibus resiste.

L Læto ac forti animo per temporalia ad æterna contende ac penetrato.

M Maneat semper in te dilectio Dei & proximi.

N Nullius omnino bona, qualiacunque ea sint, concupiscas.

O. Ordi-

O Ordinatè omnia in meliorem, non peiorem, partem trahas.

P Pœnitentiam siue pœnam peccati, vndecunque ea tibi obueniat, siue à Deo, siue à creaturis, pro peccatis tuis libenti animo suscipias.

Q Qualescunque te vnquam offenderunt, seu læserunt cogitando, loquendo, operando, eis omnem iniuriam ex animo remittas.

R Retine tibi omni cum diligentia corporis & animæ castitatem.

S Serua in omnibus mansuetudinem, & ex omnibus stude melior fieri.

T Tene fidem, custodi veritatem erga quosuis, absque dolo, simulatione, & fraude: & exerce te in operibus misericordiæ cùm corporalibus, tum spiritualibus, prout potueris.

V Vide diligenter, ne vel in edendo & bibendo, vel qualibet alia re, modum & mensuram excedas.

X Χριστι vitam atque doctrinam semper animo reuolue, eamque pro viribus imitare, & iuxta eam, vitam tuam institue.

Y Intemeratam Virginem Matrem deuotis pulsato precibus, vt auxilio tibi sit in perdiscenda hac institutione mea.

Z Zelosus consuesce voluntatem ac sensualitatem tuam sub disciplina continere ac cohibere, vt pacificè consentiant in omnia, quæ Deus euenire tibi permiserit, aut egerit tecum.

Vt Doctor iste hanc institutionem Alphabeticam citò, non tamen absque labore, perdidicerit: vtque deinde Laicus viciniorem ipsum ad perfectionem edocuerit viam. Necnon vti Doctor idem vitam morientem aggredi, in eaque tam diu se exercere coactus fuerit, donec seipsum vinceret.

AGE nunc Domine Magister, suscipe hanc puerilem institutionem à Deo, qui per me indignum peccatorem, eam tibi tradidit. MA. Tibi forcasse, dilecte Fili, isthæc institutio puerilis videtur: sed mihi certè virilis esse apparet: attamen qualis qualis sit, mihi eam cum Dei gratia suscipere decretum est. Sed oro te, dic mihi, quantum mihi ad eam perdiscendam temporis tribuas.

buas. LA. Ad honorem quinque vulnerum Christi, quæ sunt signa immensi illius erga nos amoris, quinque age hebdomadas capiamus, vt tanto eam rectius perdiscas. Interim tu ipse tibi magister eris: & vbi contigerit in aliqua harum literarum te fallere, & aliquid quod illi contrarium sit, admittere, nudatos prius humeros virgis cædes. MA. Faciam quod hortaris fili, & dictis tuis morem geram. Itaque in hoc viuendi genere tribus ferè hebdomadibus exactis, Laicus ex Magistro sciscitatus est, quo pacto secum ageretur. Cui Magister respondit: Certum habe, fili charissime, me in his tribus hebdomadibus huius institutionis tuæ perdiscendæ gratia crebrius virgis cæsum esse, quàm fuerim omnibus retro diebus vitæ meæ pro omni studio meo. LA. Vt igitur nunc habes Domine Magister? callesne omnes huius alphabeti literas? MA. Vtcunque eas calleo Fili, & per Dei gratiam satis bene mecum agitur: vellem tamen, me adhuc perfectius hanc tuam tenere institutionem. Cæterùm oro te, vt latius me instituas, & perfectiora demonstres. LA. Ipse nosti Domine Magister, pueris in scholis altiora non proponi, donec prima elementa probè addidicerint. MA. Equidem dilecte fili, si tuum me Alphabetum perdidicisse dicerem, reus mendacij tenerer. LA. Ergo consultius est, nos vltra non procedere, donec ipsum perdidiceris. Deinde rursus quasi tribus elapsis hebdomadibus, Magister ipse per nuntium quendam Laicum illum ad se vocari fecit. Qui cùm venisset, ita illum affatus est Magister: Congratulare mihi fili. Iam enim ex Dei gratia satis me callere videor alphabetum tuum. Et si placet tibi, libens ipsum recitabo. LA. Non opus est Domine Magister, vt ipsum recites. Non enim ambigo te verum dicere, multumqúe tibi congratulor. MA. Difficile quidem, fili, hanc potui institutionem perdiscere. At nunc oro, vt latius me edoceas. LA. Ex me certè, Domine Doctor, latius te instituere non possum. Sed si Deus omnipotens per me vlterius docere te voluerit, non recuso facere quod in me est: eroqúe libens, quanuis indignum, instrumentum illius, per quod ille quicquid sibi placet operetur. Nec aliud omnino tibi consulam, nisi quod ille mihi dederit ac subministrârit, idqúe ex puro Dei ac tuæ salutis amore. Et si acciderit tibi, quod adolescenti illi euenit, qui cùm à
Matth. 19. Domino consilium relinquendi omnia audisset, tristis abscessit: Si, inquam, similiter tibi acciderit, ego hac in parte extra omnem culpam ero. MA. Nihil te hoc solicitum reddat, fili. Ita enim iam omnino animum obfirmaui, vt nihili ducam, quicquid hinc mihi accidere poterit: sed Dei atque tuum consilium sequar, & me obedientem præstabo. LA. Quandoquidem ea nunc animi constantia & promptitudine es domine Magister, in primis consulo tibi ex charitate Dei, vt Ordini ac superioribus tuis semper sis ac maneas obediens. Vix enim aliter fieri poterit, quin si rectius, vicinius, & angustum velis iter ingredi, premi te oporteat & vexari, & maximè ab Ordine & confratribus tuis. Cumq; id tibi euenerit, subtilis intellectus & sensualitas tua multa secum cogitabunt, & ad summum Pontificem aut alio te ire hortabuntur, ac alios denique varios modos exquirent, quo crucem hanc euadere possint. Cęterùm id tibi summopere cauendum erit. Quin potius quicquid tibi molestum acciderit, feres patienter, perpetuoq; in obedientia humili perseuerabis. Nam & eadem tibi via gradiendum erit, quam Dominus adolescenti, paulo superius dicto, ostendit. Accipias oportet in humeros crucem tuam, & Dominum Saluatorem, illiusq; aliquo modo exemplar secteris, idq; cum vera, grandi, ac patienti humilitate.

Opor-

Oportet etiam, vt acuto, ſubtili ac pompoſo intellectui tuo, quem ex Scripturis tibi comparaſti, renunties. Nec iam amplius ad tempus aliquod lectioni aut ſtudijs incumbes, ſed nec Conciones habebis. Cumq́ illi, qui tibi confiteri ſoliti ſunt, ad te pro Confeſſione facienda venerint, quandam præ te ſimplicitatem feres, ita vt Confeſſione facta, ſtatim ab eis recedas, nihilq́ eis loquaris, nec aliquod conſilium præſtes, ſed dicas eis: Prius ipſe diſcam, quo pacto mihi conſulere debeam: & vbi id probè didicero, deinde etiam vobis conſilium impendam. Et ſi quæſierint, quando concionari velis, poteris citra veritatis iniuriam ſimpliciter reſpondere, habere te aliquid negotij quod agas. Atque ita paulatim ab hominibus te abalienabis. MA. Si concionandi mihi officium interdicitur, nihil ſupereſt, fili, quod agam. Quid igitur faciam? LA. Ad cellam tuam te recipies, & preces tuas horarias leges, eaſdemq́ vbi poteris, in choro cum cæteris perſolues. Omni quoque die, niſi aliquod iuſtum habueris impedimentum, Sacrum facies, ſiue Miſſam celebrabis. Deinde verò ſi quod tempus ſuperfuerit, illud in meditatione vitæ, paſſionis, & exemplorum Chriſti expendes, conſiderando diligenter, quàm vita tua illius vitæ diſpar ſit. Interim quoque omnes *annos* tuos, & omne præteritum tempus, in quo teipſum malè amaſti, recogitabis *in amaritudine animæ* tuæ, attendendo quàm modicus erga Deum fuerit amor tuus: & contra, quàm ingens illius erga te dilectio. In his Domine Magiſter humiliter ſtudebis. Sicq́ fieri poterit, vt ad veram paulatim pertingas humilitatem, & à veteri conuerſatione & priſcis cõſuetudinibus tuis in melius commuteris. Deinde vbi tempus illud aduenerit, quod Deus bene nouit, repente in virum alterum & nouum hominem te mutabit: ita vt ex ipſo naſcaris denuò, & omnino nouus homo fias. Attamẽ antequam iſta regeneratio in te peragi queat, prius omnia quæ poſſides, diuendas oportet, eaq́ Deo humiliter reſignes: hoc eſt, vniuerſæ ſenſuum ac intellectus tui curioſitati ac ſubtilitati, & quicquid hoc eſt, vnde tibi honorem aut delectationem conquirere poſſes, & omni denique illi delectationi, quam hactenus in natura tua poſſediſti, & in qua ſecundùm naturam inordinatius quieuiſti, prorſus renunties oportet, humiliterq́ cum beata Magdalena Domini tui pedibus te proſternas. His enim omnibus omnino moriendum tibi erit. Iam ſi hæc aggredi cœperis, iucundum & gratum Deo omnipotenti de te ſpectaculum præbebis, quippe qui hæc ſine delectatione adſpicere non poterit: & credendum eſt, quòd non committet, quin te ad anteriora propellat vrgeatqúe, vt tanto melius proberis, & tanquam aurum in fornace ad purum excoquaris. Fieri, inquam, poterit, vt dilectionis poculum, quod vnigenito Filio ſuo præbuit, etiam tibi ex parte porrigat. Quod eſt, fieri poſſe vt quicquid egeris vel dimiſeris, & omnis vita tua, vilipendatur & deſpiciatur ab omnibus: & qui hactenus tibi confiteri ſoliti ſunt, procul abs te recedant, tanquam qui ſenſibus ac ratione deſtitutus ſis: omnes quoq́ amici tui, & bona pars Fratrum tecum in monaſterio tuo degentium, in vita tua offendantur ſeu ſcandalizentur, dicantq́ alter ad alterum, quòd rarum quendam & inſolitum viuendi modum aſſumpſeris, qui te penè fatuum reddiderit. Itaque vbi hæc tibi euenerint, vide ne quomodo terrearis Domine Magiſter, ſed potius exulta in Deo tuo, quoniam *iuxta eſt ſalus tua*. Attamen infirma hinc natura tua nonnihil haud dubiè contremiſcet, ſed magnificè confidas Deo tuo: ipſe te handquaquam derelinquet. Porrò vbi in hac preſſura fueris conſtitutus, fieri vix poterit, quin aliquan-

Eſaiæ 38.

Lucæ 7. & 10.

aliquando in mentem tibi veniat, vt roges Deum aut desideres, vt aliquam ille tibi supernaturalem largiatur consolationem, & quandam te faciat dulcedinem experiri. Quod vbi tibi inciderit, certus sis, non à Deo illud esse desiderium, sed inde potius, quòd adhuc superbia quædam lateat in natura tua. Enimuerò magna præsumptio est, eiuscemodi à Deo dona tam supernaturalia postulare quenquam audere. Ideoq́ꝫ si id tibi contigerit, vt tale aliquod intra te desiderium sentias, tota illi virtute te ilicò oppones, illudq́ꝫ cum ingenti ac humili resignatione supprimes, dicens corde simul & ore: Eia pijssime Deus, valde, & ex toto corde displicet mihi, & doleo plurimum, quòd tam grande & altum desiderium intra me surgere sentio, quando apertissimè cognosco tantis me donis tuis prorsus indignum esse, imò indignum quoque, quem terra sustineat. Cumqúe hęc verba ore dixeris, etiam si nondum ita perfectè sentias in corde tuo, non admodum terrearis: sed tibijꝫ si pœnam imponas, hanc videlicet, vt quoties tale intra te desiderium surrexerit, virgis te cædere debeas. Quod si nec sic quidem cessare voluerit, tum illud tanquam tentationem sustineas, quandiu Deus voluerit, vt ipsum patiaris. Denique si hanc viuendi normam subire volueris, obseruande Magister, nihil tibi vtilius fore scias, quàm vt cum profunda quadam ac forti resignatione teipsum Deo humiliter resignes in omnibus, quæ tibi euenerint, siue dulcia ea fuerint, siue amara, siue delectent, siue crucient, ita vt ex sententia Deo dicere possis: O Deus pijssime & adorande, etiam si in hac vita istaqúe pressura ad extremum vsque iudicij diem ex tua voluntate permanendum mihi foret, te tamen haudquaquam deserere vellem, sed constanter perpetuoq́ꝫ tibi adhærerem. Equidem Domine Magister, in gratia Dei satis intelligo, eam nunc in corde tuo versari cognitionem, vt dicas tibijpsi intus, quæcunque hactenus à me dicta sunt, dura valde & difficilia esse. Ideoqúe & ipse supra protestatus sum, si te à proposito resilire contingeret, quemadmodum illi adolescenti, de quo supra dictum est, accidit, me extra omnem noxam esse velle. MA. Verum est, charissime fili, quod ais. Adhuc enim durior mihi videtur esse hic sermo tuus. LA. Et tamen ipse me rogasti Domine Magister, vt compendiosissimum ad supremam huius vitæ perfectionem iter tibi demonstrarem. Et certè securiorem ego, quàm sit ista, viam ad imitandum exemplar sacratissimæ humanitatis Christi nullam noui. Quamobrem syncerè tibi consulo, vt satis iustum bene deliberandi tempus accipias, tete ad teipsum recipias, & quicquid cognoueris ex diuina tibi inspiratione faciendum, id securus aggrediaris. MA. Placet mihi, fili, consilium tuum, & ita faciam: videboq́ꝫ, si potero, memetipsum cum cælestis gratiæ adiutorio vincere.

Quid de hinc Doctori acciderit. Vt graues in natura pressuras & hominum contemptus pertulerit, ita vt viribus deficere inciperet.

ELAPSIS hinc octo diebus, misit Doctor nuntium quendam ad Laicum, qui illum ad se accersiret. Cumq́ꝫ Laicus aduenisset, ait illi Magister: Ah fili charissime, vix dici queat, quantum in me pugnæ, doloris, luctæ, ac certaminis noctu diuq́ꝫ pertulerim antequam cum Dei auxilio eò pertingere potui, vt diabolum & carnem seu naturam meam superarem. Nunc verò ex gratia Dei animum prorsus imperterritum ac promptum, veram quoque ac integram

gram

gram voluntatem consecutus sum, ita vt lætus, opitulante Deo, eam, quam me docuisti, viam aggredi velim: & quantumuis id fortasse molestum erit naturæ meæ, patienter tamen sustinere debebit, nec propterea vllo modo retrocedam, sed stabilis & constans in hoc proposito per Dei gratiam perseuerabo. LA. Tenes ne adhuc memoria Domine Doctor ea verba, quæ nuper tibi dicebam? MA. Statim vt à me recessisti, diligenter omnia perscripsi. LA. Congratulor tibi Domine Magister, & ex animo congaudeo, quòd tam promptum & strenuum atque audentem animum adeptus es, nec minus hunc tibi faueo, quàm mihijpsi. Nunc igitur incipe securus in Dei nomine, & age viriliter. Sicq; copia abeundi accepta, laicus discessit. Magister itaque laici institutioni atque consilijs morem gerens, opus sibi iniunctum inchoauit. Dimisitq; ilicò vniuersa, quæ dimittere iussus erat. Vnde factum est, vt antequam anni vnius circulus volueretur, tam despectus haberetur ab omnibus, qui cum illo in cœnobio degebant, quàm fuerat antea acceptus & honoratus. Speciales quoque amici illius, & quotquot illi, tam viri quàm fœminæ, confiteri solebant, ac omnes denique qui nouerant & dilexerant eum, ita se ab eo abalienârunt, quasi nunquam eum vidissent: quod naturæ illius non parum molestum atque contrarium erat. Ad hæc, etiam caput illius admodum debilitari cœpit, quod maiorem illi terrorem incussit. Vnde per nuntium vocauit ad se laicum, eiqúe vniuersa, quæ sibi acciderant, enarrauit: &, vti natura sua nimium deficeret viribus: & maximè, vt de capitis infirmitate haud mediocriter anxiaretur. Cui laicus respondit: Noli terreri Domine Magister, sed resigna te humiliter Deo, & illi multum confide. Mihi certè satis adhuc placent, quæ circa te sunt: & bene se habent res tuæ, & adhuc melius habebunt. Certè tu ipse nosti, quòd ad rectum iter pertingere, & in ipso ambulare volentem, per aliquas sáltem passiones & aduersa, veritatis exemplar, id est, Christum Saluatorem nostrum sequi oporteat. Itaque nihil terrearis omnino, sed relinque te totum Deo. Nam & mihi similiter accidit. Interim nihilo minus dum in hac infirmitate positus es, discretè subuenias naturæ tuæ per cibi melioris vsum. Mihi in simili infirmitate posito Confectio quædam ex speciebus aromaticis parabatur, quæ confortabat caput meum: & talem etiam tibi fieri curabo. Attamen id certum habe, quòd me semper totum Deo reliquerim, vt faceret cum anima & corpore meo, quicquid vellet. MA. Sed me iam aliter doces, hortarisq;, vt cibo meliori succurram infirmitati meæ. LA. Nemo, Domine Magister, Deum tentare debet. Quandiu in hac debilitate constitutus es, libenter permittit tibi Deus, vt subuenias naturæ, & maximè capiti tuo. Eia nunc Domine Magister, diuino fretus auxilio, perge vt cœpisti, teipsum gaudens Deo in omnibus cum ingenti ac vera humilitate resigna. Confide Deo tuo, & expecta gratiam illius, & quicquid tum ille à te exegerit, siue dulce illud fuerit, siue amarum, illi cura vt satisfacias pro virili. Quod ad me attinet, oro te propter Deum, ne molestè feras, quod diutius tibi hac vice adesse nequeo. Grauis nanque causa quædam cogit me valefacere tibi. Quod si me omnino carere nolueris aut nequiueris, ad illum locum aliquem mitte, & ibi me patiar inueniri. Sed si absque vllius mortalis creaturæ solatio persistere poteris, id quidem optimum tibi fuerit. MA. Ne, quæso, ita loquaris, fili charissime: neque enim te diu carere potero. Et certè multum me cruciat, & angit vehementer animum meum, quod iam à me discedere vis. Quando tamen, vt ais, tam seria te res, quæ

 ad Deum

ad Deum pertineat, abire compellit, memetipsum comprimam ac resignabo, & feram absentiam tuam quoad potero. LA. Quandoquidem ergo, Domine Magister, sub virga & flagellis Domini contineris, ad quæ etiam sponte te obtulisti, discretè admodum viuendum tibi erit. Cura ergo, vt facias tibijpsi quod iustum est. Nec perturbet te, quòd à creaturis derelictus es. Quòd si pecunia opus habueris, pone pignori aliquot codicum tuorum, & pro eis mutuo eam accipe. Caue tamen, ne vel vnum illorum vendas. Erit enim, vt mihi videtur, quum omnes tibi necessarij erunt. His dictis, Laicus Magistro valefaciens, abscessit lachrymante interim Magistro ob discessum illius, & se Deo commendante.

Vti Doctor Thaulerus à Deo mirabiliter visitatus, tactus, & illuminatus fuerit: vtque laicus ad eum redierit, benignè eum adhortans, vt intermissum concionandi studium repeteret.

CVm igitur duobus annis Magister ille in grauissimis tentationibus, magno omnium amicorum suorum cõtemptu, & ingenti se paupertate continuisset, ita vt etiam pro quibusdam libris suis pecuniam mutuo accipere compelleretur, grauem quoque totius naturæ suæ infirmitatem multa cum humilitate sustinuisset, accidit ea nocte, quæ D. Pauli Conuersionis diem proximè præcedit, vt grauissima in eum tentatio irrueret, qualem cor humanum vix excogitare posset. Vnde tantam totius naturæ suæ infirmitatem contraxit, vt ea nocte ad Matutinas preces decantandas pergere non posset, sed mansit sedens in cella sua, resignans se funditus Deo cum ingenti ac vera humilitate, omni solatio & auxilio cuiuscunque mortalis creaturæ penitus destitutus. Cumque in hac infirmitate positus esset, cœpit inter cætera Domini nostri Iesu Christi passionem meditari, cogitando quàm magno ille eum amore fuerit prosecutus, & suam ediuerso vitam inspicere, attendẽdo quàm minima esset vita sua ad vitam illius, & quàm modica sua fuisset dilectio respectu illius immensæ charitatis. Vnde magna eum cepit contritio & dolor de omnibus peccatis suis, & malè transacto atque deperdito tempore suo. Itaque toto affectu, corde & ore dixit ad Dominum: Ah misericors & pie Deus, miserere, miserere mei propter abyssum miserationum tuarum, quoniam non sum dignus quem terra sustineat. Cumq; huiuscemodi in corde simul & ore versaret, plenè vigil, corporeis auribus (nihil tamen videns) audiuit vocem dicentem sibi: Habeto nunc pacẽ tuam, & confide Deo, certumq; habe, quòd cùm ille in terris degeret, quemcunque infirmum sanasset in corpore, eundem & in anima sanârit. Quibus verbis finitis, mox in ecstasi factus, & omni intellectuali ratione sua destitutus fuit Magister, ita vt nesciret, quid secum ageretur, vbi esset, aut quonam raperetur. Vbi verò sibijpsi redditus fuit, inuenit in seipso in tota natura sua nouã quandam & magnam virtutem & fortitudinem, qualem nunquam in omni vita sua se fatebatur expertum, necnon claram ac luminosam discretionem, seu rationem illuminatam, quæ ante id tempus admodum illi ignota fuerat. Stupens autem secum mirabatur, vnde tam citò hæc illi contigissent, atque in hunc modum cogitare cœpit. Certè teipsum hinc expedire non poteris. Mitte ergo, & accersi hominem illum amicum tuum, & illi rem omnem per ordinem expone. Sicque fecit. Vocatus verò Laicus, obediens Magistro, venit ad eum. Cui Magister sta-

tim omnia, quæ sibi contigerant, per ordinem enarrauit. Quibus auditis, Laicus sic respondit: Hæc noua, Domine Magister, ex toto corde libens audiui. Scito te nunc primùm veram Dei gratiam veraciter expertum, atque nunc primùm secundùm vires superiores tactum esse. Scito etiam, quòd sicuti olim *litera te occidit*, sic eadem te nunc viuificatura sit, cùm Scriptura sacra omnes ex Spiritu sancto promanârit. Nec dubites Domine Doctor, quin sacrarum notitia literarum plurimum tibi dehinc profutura sit, posteaquam luce sancti Spiritus illustrari meruisti. Multa namque tibi per Scripturas patefient, quæ hactenus omnino tibi incognita fuêre. Scis enim ipse, vt sacra Scriptura & tibi & pluribus alijs Theologis, multis in locis sibimet contraria videatur. At qui eam in lumine sancti Spiritus rectè nouit intueri, quomodo tu eam posthac intueberis, ille nimirum euidenter agnoscit, quàm ea per omnia sibi concordet. Itaque nunc primùm sapienter Scripturas intelliges, & nunc primùm veram imaginem & exemplar veritatis Domini nostri Iesu Christi rectè sequeris. Nunc etiam aliquandiu intermissum concionandi studium repetendum tibi erit, vt proximos quosq; verbo ædifices instituasq;. Iam quoq; illud tempus adest, quo libri tui tibi requirendi, consulendi, ac euoluendi erunt. Certumqúe habe, vnam posthac concionem tuam centum prioribus fore vtiliorem fructuosioremq;. Qui enim te audituri sunt, multò amplius proficient ac emendabuntur, quàm antea fecerunt, eo quòd verba, quæ dehinc prolaturus es, ex mundo vase procedent: ideoq; animæ mundæ & Deum amanti grata & accepta erunt. Scito præterea, quòd sicut hactenus à multis contemptui habitus es, & despicabilis apparuisti, ita nunc centuplo cunctis amabilior videberis, multoq; eris gratior, quàm vnquam antehac fueris. Et nunc primùm populi ad te audiendum confluet multitudo, ita vt hac de causa valde tibi necessarium futurum sit, vt in magna te humilitate contineas, & solicitius te obserues. Vt enim ipse nosti, quisquis grandem aliquem thesaurum habet, illi valde necesse est, vt eum à furibus cautè custodiat. Et certè fures illi tartarei, spiritus vtique maligni, nimium exterriti sunt, atq; terrentur semper, quoties vident Deum omnipotentem tantum alicui homini conferre thesaurum. Ideoq; pro cõperto habeas, omnem illos moturos lapidem, & quicquid illis artis est atque virium, totum eò adhibituros, vt hunc tibi thesaurum eripiant atque furentur. Quamobrem valde tibi solicitè & vigilanter custodiendus erit. Cæterùm nulla alia re melius eum seruare poteris, quàm silenti, vera, profundaq; humilitate. Denique vt modò se habent res tuæ, non opus est, vt de cætero sub docendi ratione tecum loquar. Equidem nunc magnopere à te doceri cupio, & aliquandiu hic manebo, donec plures tuas Conciones audiam. Et quia, vt ipse fassus es, magnam quandam & nouam tam in natura, quàm gratia, virtutem expertus es, si Dominus tibi daret, perquàm vellem te nunc iterum concionari. MA. Quid ergo mihi consilij das fili charissime? Ego enim quosdam librorum meorum pignori posui, & non minus quàm triginta aureos pro eisdem mutuo accepi. LA. Mitte pro his aliquem, & ego ex parte Dei redimam eos, atque totidem tibi aureos donabo: & si quid ex his, posteaquam libros illos redemeris, tibi superfuerit, Deo restitues. Atque ita libri relati sunt atq; redempti. His itaque gestis, Doctor ille denuntiari fecit, se die tertia concionem habiturum. Quo audito, non parua cepit cunctos admiratio, & propter rei nouitatem, ingens hominum multitudo conuenit. Magister igitur cùm venisset, & tot

Quibus Scriptura sacra sibi ipsi contraria alicubi videatur.

 homi-

homines confluxisse cerneret, suggestum ascendit, & oculis cucullo opertis, dixit intra se: O misericors Deus, si placet tibi, da mihi facere & loqui, vt gratissima voluntas tua in me perficiatur. Quæ verba mox vbi finierat, sine vlla eius cooperatione fletus irruit in eum, & multas dulces valde lachrymas stillabant oculi eius, quæ tam diu perseuerabant, vt populus nimio inciperet tædio fatigari, ita vt vnus è turba magna voce exclamaret, dicens: Quousque tandem nos detines Domine? Iam tardior hora est. Si incipere non vis, dicito nobis, vt surgamus, & domum abeamus. Cumqúe & ipsemet Doctor tempus abisse aduerteret, rursus ad Dominum ait: Eia benignissime Domine Deus meus, si est voluntas tua, siste in me lachrymas istas,& da mihi, vt hunc possim sermonem absoluere. Quòd si non feceris, vereor ne existimes me necdum satis esse derisum. Attamen perfice in me omnem voluntatem tuam, secundùm quod videbitur tibi. Cæterùm quicquid ille diceret, quicquid oraret, nihil profecit omnino: quin potius lachrymæ magis ac magis inualescebant. Cernens ergo, sic diuinæ placitum esse voluntati, flens dixit ad populum: Equidem tam diu vos expectasse, charissimi, doleo satis. Verùm hac vice, nec vnum quidem verbum dicere possum. His auditis, surrexit populus & abijt, moxq́ per omnem ciuitatem huius rei fama diffusa est, ita vt tunc primùm Magister irrideri ac contemptui haberi inciperet, dicentibus cunctis: Ecce nunc luce clarius deprehendimus, eum omnino ratione destitutum ac sensibus. Vnde etiam confratres illius districtè ac seriò omne illi concionandi officium interdixerunt, dicentes illi in hunc modum: Haud mediocre nobis damnum & confusionem irrogas, dum per rarum ac insolitum tuum viuendi modum, nimiam capitis debilitatem contraxisti. Inter hæc Doctor ille Laicum suum aduocans, omnia quæ sibi euenerant, illi per ordinem exposuit. Cui Laicus respondit: Bono esto animo obseruande Magister, nec te terror vllus inuadat: certum, nunquam in tam bono statu fuisse res tuas, vti sunt modò. Vult namque Deus omnipotens totus esse amicus tuus. Ideoq́ credendum est, aliquid adhuc in animo tuo elationis latuisse, quod nunc Deus in te mortificauit, quando in sublimi loco positus, exemplo Christi Iesu, ab hominibus irrisus es. Et certè tantum Dei donum libenti animo suscipere debes. Confide namque, quicquid in te peccati latuit, totum nunc abolitum & eliminatum esse. Quamobrem bono sis animo Domine Magister, & hanc tui humiliationem gaudens & humiliter sustine. Nec nouum aliquid aut nimis insolitum hoc tibi videatur. Ipse namque etiam alijs similia contigisse comperi. Et caue diligenter, ne hanc crucis huius pressuram, quam Dominus tibi misit, vlla ratione contemnas. Consulo autem tibi, vt per hos quinque dies, ad honorem quinque vulnerum Christi, omni humano colloquio & solatio excluso, tecum maneas. Cumq́ ij dies lapsi fuerint, loquaris cum Priore tuo, & permittat tibi in aliquo Monasterio concionari. Quod si negauerit tibi, roges eum, vt prius te experiatur ac probet, faciatqúe tibi copiam semel in Conuentu Fratribus prælegendi. Quibus omnibus à Laico dictis, Doctor libenter obediuit. Elapsis hinc quinque diebus, petita & obtenta à Priore facultate, Doctor ille tam excellenter Fratribus prælegit, vt omnes præstantem, spiritalem, atque diuinam illius doctrinam plurimum admirarentur. Vnde in loco Capitulari deinde conclusum est inter illos, vt ipsum adhuc semel probarent, facta illi copia semel adhuc populo reconcionandi. Quamobrem vni ex Fratri-

Fratribus, qui in Cœnobio quodam sermocinaturus erat, iniunxerunt, vt concione finita hominibus significaret, Doctorem illum denuò die postera in eodem loco sermonem habiturum. Postquam igitur Frater ille concionem suam finierat, dixit ad populum: Ego in mandatis habeo, indicare vobis, Doctorem illum crastina die ante prandium hîc concionaturum. Sed si quid ei contigerit, quale nuper illi accidit, mihi haudquaquam imputabitis, quando ego id facio quod iussus sum. Attamen id pro certo habeatis, lectionem quandam illum nobis interim in cœnobio nostro tam excellentem, diuinam, profundam ac spiritalem prælegisse, vt multi nostrum asserant se pluribus annis tam diuinam haudquaquam doctrinam audisse. Quid autem vobis facturus sit, me penitus latet.

Sequenti deinde die Magister ad Monasterium populo designatum, perrexit. (erat autem Monasterium Virginum.) Cumqúe eo peruenisset, Sermonem suum ita exorsus est:


Sermo egregius atque deuotus, quem Doctor ille post suam illuminationem habuit in Monasterio quodam, de Christo vero animæ sponso: vtque hunc anima in vera, pudibunda, humili, ac patienti resignatione sequi debeat: & vt animam Christus varijs prius modis probet, & tandem amicabiliter suscipiat. Posset autem hæc Concio non incongruè in Festo Virginis alicuius fieri.

Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. MATTH. XXV.

IAM biennium est, ni fallor, charissimi, quando vobis vltimò concionatus sum. In eodemq́ue postremo sermone meo vigintiquatuor partes siue articulos vobis tradidi. Et, vt nôsse potestis, meæ tunc temporis consuetudinis fuit, vt multa Latina concionibus meis intermiscerem. Quod deinceps minimè facturus sum. Enimuerò vbi Latino sermone vti placuerit, faciam hoc apud Latinæ linguæ peritos, qui me dicentem intelligant. Sed nunc pro gratia impetranda, vnam salutationem Angelicam dicatis. Sententiam quandam thematis loco mihi proposui, Dilectissimi, cui etiam per omnem sermonem hunc inhærere decreui, & est ista: ECCE SPONSVS VENIT, EXITE OBVIAM EI. Itaque sponsus hic, Christus Iesus est: Sponsa verò, humana natura. Quamobrem nos omnes, charissimi, Christi sponsæ vocamur, & ei omnes nos meritò obuiam exire deberemus: sed heu, defectus ex parte nostra est. Veræ nanque viæ & rectæ semitæ, quæ ducunt sponso obuiam, desertæ admodum sunt & obrutæ: & nos, heu, parum eas obseruamus, nimisq́ue rarus est hodie qui ingrediatur per eas. Multa verò alia itinera sunt, in quibus plurimi aberrant, vt iam sponso nō surgatur, nec exeatur obuiam, sicuti, Deo fauente, aliâs vobis dicturus sum. Modò, ne prolixior sim, illa silentio præteribo. Cæterùm cùm omnes sponsæ dicamur, aperiendum mihi est, quid sponsam facere oporteat, vt sponso possit exire obuiam. Primò itaque meritò vnaquæque fidelis sponsa pauida & pudica erit, vitabitq́ue omnia quæ sponso aduersantur, vt sunt, vana gloria huius fallacis & malè munerantis seculi, superbia, inuidia, & alia huius mundi peccata, omnis quoque naturæ voluptas, siue in commodis & quiete, siue in alijs quibuslibet

Sponsus. Sponsa.

Quid primò sponsam facere oporteat.



rebus, quæ præter veram ac rationabilem sunt necessitatem. Cumq; sponsa hæc & eiusmodi ob sponsi amorem spreuerit, abdicaueritque, iam sponso nonnihil placere incipiet. Cui si tum adhuc magis placere voluerit, humiliter sese incli-
Actor. 1. net, totamq; se illi offerat oportet, dicens corde & ore: Eia sponse dulcissime, *tu corda nosti omnium*. Itaque toto corde tibi affirmo, libenter & animo voluntario facturam me omnia, quæ sciuero potueroq;, quæcunque tibi grata & placita, te me docente, perspexero: nec vnquam à te recedam, sed perpetuò ac fortiter tibi adhærebo. Hac igitur sponsione facta à sponsa, iam sponsus verso ad eam vultu, intueri eam incipit, iubetq; illi clenodium quoddam donari. Quale, inquis, clenodium? Hoc videlicet, quòd foris & intus varijs eam tentationibus exerceri permittit, vt illi facere consuetudo est singularibus amicis suis. Tum si sponsa adhuc tenerior & delicatior est, ait ad sponsum: Ah sponse pijssime, hæc mihi rara admodum sunt & inusitata, nimiumq; onerosa, nec similia quandoque experta sum. Vnde vereor satis, vt sustinere hæc, & subsistere queam. Quamobrem impensius te rogatum velim, sponse charissime, vt his me exoneres & absoluas. Cui sponsus respondet: Dic mihi, inquit, sponsa mea dilecta, æquumne tibi videtur, vt melius sponsa habeat quàm sponsus? Si sponso vis venire obuiam, necesse est vt prius eum aliquo modo sequaris. Et certè dignum omnino & iustum est, nec non possibile, vt sponsa saltem aliquid sponsi sui amore sustineat. Hac sponsi voluntate cognita, sponsa terrore concutitur, & pauida dicit ad sponsum: Quæso Domine sponse, ne irascaris mihi. Iam enim parata sum obedire tibi. Itaque permitte iam euenire mihi quæcunque volueris: ego auxilio gratiæ tuæ omnia propter te libenter & æquanimiter feram. His auditis, maiorem sponsus erga sponsam amorem concipit. Ideoq; adhuc præstantius quoddam illi munus largitur, hoc videlicet, vt vniuersa exercitia eius, cuncta instituta siue modi, & omnes actus illius, & quicquid demum siue faciat, siue dimittat, quanlibet etiam ea omnia in seipsis bona sint, ipsi tamen prorsus insipida videantur. Totum præterea tempus suum in omnibus quę agit, quantumuis ea bona sint, perdere se putet, atque in illis offendere se sponsum suum, & post hanc vitam graues pro illis pœnas se luituram, nunquam non formidet. Insuper vt irrideatur à plurimis, omnisq; vita & conuersatio illius, tanquam quę fatua sit, vilescat hominibus & nihilipendatur. Hinc verò sponsa in natura sua non parum debilis efficitur, adeo vt omni hora se ex his putet morituram. Cumq; adhuc delicata, pusillanimis & meticulosa sit, satis hinc terretur. Ideoq; sponsum suum seriò inuocat, dicens: Quid est sponse dulcissime, quòd in his me derelinquis, quum tamen non ignores, me nullo pacto hæc sufferre posse, quin mori inde compellar? Cui sponsus respondet: Eia, inquiens, electa mea sponsa, si vis obuiam procedere sponso tuo, æquum planè & dignum fuerit, vt vel in aliquo prius ipsum sequaris, atque illius itineris aliquam partem conficias, quod ille ambulauit. Quum igitur sponsus ob amorem sponsæ mortuus sit, dirosq; nimis cruciatus & pœnas varias & multas trigintatribus annis perpessus sit, nónne rationi tibi congruũ videtur, & omnino condecens, vt & sponsa ex amore mortis discrimen subeat? Planè si magnus esset & fidelis erga sponsum amor tuus, facile hic omnem à te timorem excluderet. His atque huiuscemodi sponsi responsionibus acceptis, nimio spõsa timore ac pudore corripitur: dicitq; ex intimis præcordijs suis corde & ore ad sponsum: Iam nunc sponse amantissime funditus cognosco,

gnosco,

gnosco, iniustè me & malè egisse, nimiusque me terror inuasit, & doleo certè ex toto corde meo, quòd me non fideliter vsq; ad mortem tibi resignaui. Et ecce dehinc totã me tibi credã, vt quicquid tu volueris, & ipsa velim, siue dulce id sit, siue amarũ, siue sanitas, siue ęgritudo, siue mors, siue vita, seu cuiuscunque demum generis, quicquid tu mihi euenire volueris, gratũ mihi erit: adeoq; exhinc omni penitus voluntati meæ renuntio, tibiquè sic illam trado & offero, vt nunquam posthac eam repetere seu appetere velim. Tu quoq; benignissime sponse, tam in tempore, quàm æternitate fac cũ me peccatrice quicquid voles. Quantũ enim ex me est, indignã me planè cognosco quam terra sustineat. Itaque vbi tam fortem, cõstantem & integram in sponsa voluntatẽ sponsus animaduertit, quid, putatis, facit sponsæ suæ? Nimirũ miseretur illius. Sed quomodo, inquis? Videlicet, tum primùm excellens quoddam & præclarum illi poculum præbet, hoc scilicet, vt in omni ea, in qua posita est, pressura, tentatione & angustia illius, longè adhuc plura & grauiora, quàm antea passa sit, illi accidere permittat. Quapropter spõsa hanc sui sponsi voluntatem intelligens, cuncta hæc pro amore illius sponte ac libenter patitur. Inclinansquè se humiliter ad sponsum suum, dicit: Omnino sic decet, charissime sponse, vt non quod ego volo, id tu velis: sed potius quod tu vis, illud ipsa velim. Vnde & hoc poculum siue munus tuum libenter & animo voluntario propter te sustinebo. Cruciet, affligatq; naturam, quantum volet: libens tamen ipsum de manu tua suscipio. Dum igitur sponsus in æterna sapientia sua hanc sponsę voluntatem & intentionem conspicit, supra modum sponsa illi chara efficitur. Sicquè ex nimio amore in hoc donato illi grauis afflictionis poculo, per omnem naturam pati eam sinit, donec ab vniuersis maculis & peccatis ac defectibus suis penitus expurgata sit atque mundata. Tum verò dicit ad eam: Exurge nunc speciosa atque decora sponsa mea. Iam enim *tota pulchra es, & macula non est in te.* Simulquè supra quàm dici queat, amabiliter & benignè eam respicit. Deinde ad has nuptias sponsi quoque Pater æternus venit, dicitq; cum gaudio: Surgite, properate ocyus. Tempus est, vt ad templum ducantur isti, & nuptiali fœdere copulentur. Adsumensq; sponsum & sponsam, ducit ambos pariter ad templum, iungitq; eos sibi inuicem, tamquè forti & ingenti eos mutuo nuptiali amore copulat colligatquè, vt neque in tempore, neque in æternitate vnquam ab inuicem disiungi aut separari queant. Dum igitur hæ nuptiæ celebrantur, Filius sponsus ad Patrem dicit: AEterne & amantissime Pater, quisnam in his nuptijs pincerna noster erit? Respondet Pater, & ait: Hoc munus & officium est Spiritus sancti, & ipse pincerna erit. Moxquè sine mora magnificus ille, summus ac reuerendus pincerna, tam abundanti ac nimio spõsam amore potat atq; perfundit, vt tota charitate supereffluat, & omnino tota liquefiat & ꝓfluat in sponsum: mentisq; ecstasim incurrens, sic nimio fiat amore ebria, vt tam suiipsius quàm creaturarũ omnium, & quæ in tempore, & quæ in æternitate sunt, obliuiscatur. Ad has nimirũ nuptias, dilectissimi, si quis pertingeret, is tum primùm ad veram & ipsissimam verorum gaudiorum æternarumquè nuptiarum perueniret solennitatem. Et quæcunque talis est sponsa, hæc iam vera est adoratrix effecta, *Patrem adorans in spiritu & veritate:* eademquè pacem inuenit & gaudium in Spiritu sancto. In istis siquidem nuptijs lætitia est super lætitiam: pax quoque maior & exultatio copiosior hîc est in vna hora, quàm omnes siue in tempore, siue in perennitate, creaturæ præstare possent. Gaudium nanque, quod hic

Cant. 4. Ioan. 4.

hic ſponſa à ſuo ſponſo percipit, tantum & tam ingens eſt, vt nulla ipſum ratio, nullus ſenſus capere queat vel attingere.

Sub his verbis quidam magna voce exclamauit, dicens: Verum eſt, Verum eſt, Verum eſt. Quibus dictis, mox cecidit in terram velut mortuus. Quo viſo, mulier quędam alta voce dixit ad Doctorem: Ceſſa domine Doctor, alioqui homo iſte inter manus noſtras ſpiritum exhalabit. Et Doctor reſpondit: Eia chariſſimi, ſi ſic viſum eſt ſponſo, vt hanc ſponſam ſecum tollat, libenter eam illi relinquere debemus. Sed tacete modò, ego iam iam finem faciam.

Quæſo, dilectiſſimi, omnes vnanimiter in cælum clamemus ad Dominum, illius miſericordiam implorantes. Reuera nanque ſatis ſuperq́ dolendum nobis eſt, quòd tam hebetes, tam ſurdi ac ſtolidi facti ſumus, vt cùm omnes nos ſponſas Dei vocari minimè ignoremus, vix tamen aliquis noſtrûm aut perquàm rarus ſit, qui naturam ſuam, poſt ſponſum viriliter ambulando, periclitari auſit, donec aliquid de admirabili atque iucunda huius ſublimis gaudij & felicium nuptiarum ſolēnitate percipere & experiri mereatur. Enimuerò hiſce nouiſſimis temporibus perpauci reperiuntur, qui ſponſo veraciter pergant obuiam, quales olim priſcis temporibus perplures inueniebantur. Vnde valde vnicuique neceſſarium eſt, vt ſeipſum attendat, ſerioq́ ac ſtudioſè obſeruet, & ſui curam gerat peruigilem. Iam enim tempus illud appropinquat, imò præ foribus adeſt, quo maior pars hominum oculos quidem habeat, ſed non videat: & aures, ſed non audiat. Quamobrem agedum, chariſſimi mei, conemur omnes has iucundiſſimas & felices nimium nuptias experiri. Cæterùm, vt inſtitutum perſequar & finem faciam, vbi ſponſus & ſponſa ab inuicem ſeparantur, ſponſaq́ ad ſeſe rediens, ſe adhuc in tempore exilij huius poſitam cernit, dicit ad ſemetipſam: Heu me miſeram, ſumne iterum hîc? Et nonnihil incipit contriſtari. Verùm tam verecunda eſt, tam in humilitatis abyſſum demerſa, tam denique perfectè & funditus ſponſo ſuo reſignata, vt nullo modo ipſum vel cogitare vel appetere auſit, quum optimè cognoſcat illius ſe conſortio prorſus eſſe indignam. Ob hoc tamen ſponſus minimè omittit, quin reſpiciat interdum pulchram, dilectam, & gratiſſimam ſibi ſponſam ſuam, non ignorans, quòd nemo, præter ſe, illam conſolari queat. Hîc iam in calce Sermonis huius moneo vos, chariſſimi, vt nō mirum vobis videatur, quòd dixi vobis, quo pacto ſponſus & ſponſa ſibi mutuò colloquantur. Certè nemo credere poſſet, niſi qui id expertus foret, quàm mira & inaudita ſponſa cum ſpōſo miſcere colloquia ſoleat. Attamen etiam in ſacra Scriptura ſæpius inuenire licet, vt amans & deuota anima cum ſponſo loquatur, vt nullum perfectum ipſa verba ſenſum referant. Quod etiam hodie quandoque contingit, vt videlicet eiuſmodi ad ſponſum verbis ſponſa vtatur, vt ſi quis ea audiret, diceret eam aut ebriam, aut mente captam eſſe. Cæterùm vereor, dilectiſſimi, ne longior fuerim. Præſtet igitur nobis ipſe verus ſponſus Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt omnes veræ ſponſæ efficiamur, atque in vera ingentiq́ue humilitate ac profunda & perfecta noſtri reſignatione ipſi venire obuiam valeamus, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei. Amen.

De miris

De miris quibusdam, quæ circa quosdam ex hac concione euenerunt, quæ postmodum deprehensa sunt. Vnde simul aduertere licet, quanta Deus per apta instrumenta operetur, per alicuius videlicet illuminati hominis concionem multo plus, quàm centum aliorum.

HAC absoluta concione, Magister templum ingressus, rem diuinam fecit, atque permultis bonis hominibus Dominici Corporis venerabile tribuit Sacramentum. Cæterùm in Monasterij illius horto vltra quadraginta homines sedētes permansêre. Quod ipsum Laicus notârat. Quumq; Missæ Sacrum fuisset absolutum, accedens ad Doctorem, eidem hoc indicauit: simulq; assumēs eum, duxit ad locum, quo id præsens intueretur. Sed interea dum Missæ Sacrum Magister perageret, omnes præter duodecim surrexerāt, quos adhuc illic residentes repererunt. Quibus visis, Magister ad Laicum ait: Quidnam, fili charissime, faciemus hominibus istis? Tum Laicus per singulos ibat, & vnumquenque tangebat atq; mouebat, sed illi minimè sentiebāt, nec secus quàm mortui videbantur. Id quod Magister nō parum mirabatur, quippe qui tale aliquid ante id tempus haudquaquam viderat. Aitque rursum ad Laicum: Putasne fili, mortuos esse homines istos? Subridens Laicus: Si, inquit, mortui forent, tua & sponsi culpa esset. MA. Si sponsus mecum est in causa, facile huic malo succurretur. LA. Nihil ambigas Domine Magister, quin omnes isti adhuc in hoc tempore degēt, & perquàm vellem, vt diceres Virginibus sacris Cœnobij huius, vt introducant eos intra ambitum priorem Monasterij sui ad locum calidum, ne natura ipsorum in hac frigida humo aliquam cōtrahat debilitatem. Sicq; factum est, vt Virgines illæ satis modestè ad loca calida eos deferri iuberent: dixeruntq; Doctori, etiam se vnam ex consodalibus suis habere similiter in ecstasi positam, & in lecto iacētem, ad quem eam velut mortuam deportassent. Quibus Magister ait: Quæso, charissimæ, ne hanc rem grauatè accipiatis, & vbi aliquis eorum sibi redditus fuerit, detis illi, modò sumere voluerit, sorbitiunculam quandā. Quæ responderunt se libenter id facturas. Atque ita Magister vnà cum Laico discessit, veneruntq; pariter in cellam Doctoris, vbi Laicus sic eundem alloquutus est: Quid tibi videtur, obseruande Magister? Simile ne quandoque in hac vita tibi contigit? Cernis iam, quanta Deus apto instrumento operetur? Equidem nihil dubito, quin plures hanc tuam percepturi sint concionem, & quæ sub ipsa facta sunt. Vnus siquidem alij indicabit. Quamobrem si placet tibi, mihi perquàm gratum fuerit, vt hos infirmos filios atque filias tuas aliquandiu quiescere sinas. Satis enim negotij hic eis Sermo ad multū tempus facesset. Ceterùm si Dominus dederit tibi, id in rem plurimorum mihi fore videtur, si etiam hominibus secularibus concioneris. Quumq; iam ieiunij Quadragesimalis tempus agatur, libētius ad Sermones festinant. Arbitror autē plurimos conuenturos ob sermonem hunc, quem hodie fecisti. MA. Si ita consulis, dilecte fili, libenter tibi morem gero. Et quidem in Sabbatho proximè futuro Festum est diuæ Virginis Gertrudis. LA. Et quodnam illius diei est Euangelium? MA. De muliere in adulterio deprehensa, & adducta ad Iesum. Sed qualecunque sit Euangelium, non mei propositi est illi inhærere. Sed facile aliquod inde thema desumam, ad quod totus

meus Sermo tanquam ad scopum respiciat, cuiusq; occasione hominibus vitia & defectus eorum ob oculos ponam, iuxta quod diuina mihi gratia subministrabit. Nec magnifacio, quicquid etiam inde accidere possit. Credo autem facile contingere posse, vt tum ipsi fratres mei id sedulò agant, vt extra hoc Monasterium aliò emittar: quandoquidem ita mecum statui, nec ipsos, nec quenquam omnino palpare: sed nudam simpliciter veritatem dicam, vti Dominus dederit: nec id omittam, etiam si propterea occidendus sim. LA. Credo certè, Domine Magister, in ducẽtis, aut trecentis, vel etiam pluribus retro annis haud vnquam tam fuisse necessarium, vt hominibus nuda simpliciter ac seriò veritas diceretur, vt hisce nostris temporibus. Quamobrem nihil te moueat, quicquid hinc accidere possit. Si hic esse tibi non licuerit, certè alibi eris: & vbicunque fueris, Deus te minimè derelinquet. Itaque Magister in fine cuiusdam concionis hominibus indicari iussit, se die Sabbathi, qui diuæ Gertrudi sacer esset, concionaturum. Quumque ille dies aduenisset, grandis diuersorum hominum turba confluxit, quo Doctoris sermonẽ audirent. Is ergo veniens, ita Sermonẽ exorsus est.

Sermo Doctoris habitus ad populum, in quo vitia acriter reprehendit.

QVID dicam, aut vnde sermonis mei exordium sumam, charissimi, quandoquidem nulli non videre pronum est, quàm malè nobiscum agatur in multis, & nisi aliter vitam nostram instituerimus, peius adhuc haud dubiè & periculosius nobiscum agetur? Iam verò antequam dicere incipiam, omnes vos rogatos velim, ne quis ea, quæ dicturus sum, grauatè accipiat. Tam enim hac tempestate veritatem ipsam nobis expressè & apertè dici necessarium est, quàm non fuit in ducentis aut trecentis vel pluribus retro annis. Vnde mecum ipse statui, generaliter & in communi omnes nos perstringere, nec aliquem omnino palpare, sed sine occultis glossis siue commentis, quicquid Dominus mihi suggesserit, simpliciter eloqui: paratus ob hoc propter Dei amorem sustinere, quicquid etiam inde mihi euenerit patiendum. Cæterùm si quæ temporis breuitate præpeditus, hac vice dicere non potero: aliâs, si mihi permissum fuerit, absoluam. Enimuerò multa mihi in hac concione dicenda proposui, vt nec de Euangelio diei huius, nec de B. Gertrude, cui hic dies sacer est, aliquid dicere, sed nec quicquam Latini sermonis, quo tanto breuior sim, admiscere velim. Sumpsi autẽ thematis loco sententiam quandam ex Euangelio hodierno, & circa ipsam omnis meus Sermo versabitur. Estq; hæc sententia: *Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, ad Dominum adducentes, ipsam in medio statuerunt. & quòd lapidibus obrui deberet, accusârunt. Quibus Dominus ait: Qui vestrûm sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Quo audito, omnes exiêre de templo.* Sanè charissimi, si hisce nostris temporibus Dominus noster Iesus Christus ad nos Christianos huiuscemodi verba diceret, credo equidem perpaucos esse remansuros, quos exire non oporteret. Et ne aliorum defectus reprehensurus, me meosq; præterisse videar, à meipso mihiq; similibus Concionatoribus Confessoribusve incipiam. Quot nostrûm, putatis, ad hanc Dominicam vocem permanerent, qui nullius sibi conscij peccati, non cogerentur exire? Certè nos pauperes dicimur, & de patrimonio crucifixi, hoc est, ex eleemosynis fidelium viuimus. Verùm si huic nostrę vocationi dignè per omnia facimus satis, nouit Deus, nouit & diabolus. Timeo profectò paucos inter nos esse, qui in recipiendis confessionibus purè Deum intendant & ament.

Ioan. 8.

Cuius

Cuius euidens argumentum est, quòd plerique diuitum libentius quàm pauperum confessiones audimus. Quod vtique hinc non obscurè notari potest. Si qui tales enim pauperis alicuius cõfessionem recipiamus, & dominum aliquem aut dominam adesse ex denuntiante intelligamus, surgimus repẽte, & dimisso paupere, ad dominũ aut dominam nostram properamus. Quare hoc, nisi quia auari sumus, & honoribus gaudemus, placetque nobis, si dicere possimus plures nobis diuites dominos ac dominas confiteri: sanctorum verò pauperum nulla apud nos mentio fit. Quid autem vel qua ratione nos cum eiusmodi diuitibus in confessione habeamus, nouit iustus ille iudex Deus. Sanè nostrum erat, viam illos veritatis & æquitatis edocere, & quo pacto viuere eos oporteret. Sed quando illi prauas & illicitas suas consuetudines sibi permitti rogant, nos plures subtiles glossas & commenta fabricamus, dicimusque illis, non repugnare Scripturis ipsorum consuetudines prauas. Verùm id falsò dicimus. Neque enim vsquam Scriptura habet, auaritiam, superbiam, luxuriam, & id genus alia peccata, permittenda esse. Non est hoc nisi maligni commentum atque consilium. Itaque, charissimi, quicunque tales sumus Confessores, viam non veritatis, sed perditionis vobis monstramus: & primùm quidem nosipsos, deinde verò etiam vos vnà nobiscum in foueam æternæ perditionis præcipites agimus, vt nos quidem inferiores simus, vos autem supra nos in illis pœnis deuoluamini. Porrò licet vos diuites simul nobiscum non æquè profundè in pœnas decidatis: non tamen idcirco melius habituri estis: quandoquidem ratio atque synderesis vestra sæpe vos admonet, quòd haudquaquam securiorem rectioremq́ue vobis viam demõstremus. Præterea etiam in suggestu meritò vos, dilectissimi, cõcionibus nostris rectum iter docere, paucisq́ue verbis absque commentis siue glosiis, ipsam vobis veritatem indicare deberemus. Quod quidem si vnquam necessarium fuit, iam vel maximè necessarium est. Sed heu plerique nimis insipiẽtes & pauidi sumus, ita vt plus homines quàm Deum vereamur. Cuius nimirum ratio est, quia hisce temporibus in id loci res redijt, vt si quis ex nobis ipsam fortasse veritatem dicere velit, in nullo penè Monasterio libenter toleretur, eique concionandi officium interdicatur: moxq́ue in locum illius subrogetur alius, qui quicquid prior dixerat, reijciat atque refellit. Malè profectò sese habent res nostræ, charissimi, ideoq́ue non parcam quin veritatẽ eloquar. Quin potius omnibus in vniuersum, cuiuscunq́ue status vel cõditionis sint, vitia defectusq́ue suos, vti Dominus dederit, simpliciter ob oculos proponam. Eueniat hinc mihi quicquid volet. Totũ hoc propter amorẽ Domini Dei mei libẽter sufferam. Quis, oro, dilectissimi, hîc est absq́ue peccato? Si quis talis est, primus in eos lapidẽ mittat. Dixi iam aliqua vobis, quæ, si verborũ faciem attẽdas, quasi de solis fratribus meis dicta videntur. Cæterùm ea mihi haudquaquã intentio fuit, vt illos solos notarẽ. Quin omnes illos vnà nobiscum incusaui, qui confessiones audiunt, & diuini verbi præcones sunt: Siue illi Pastores sint, siue Sacerdotes, siue Religiosi, siue cuiuscunq́ue demum conditionis homines, quibus hæc potestas collata est atq́ue cõmissa. Hos, inquam, omnes in illis, quæ dixi, intelligi volui. Hîc iam de Episcopis & cæteris magnæ authoritatis atq́ue potentiæ Prælatis, qui plures tenent Ecclesias, mihi dicendum foret. Sed arbitror eorũ aliquem hîc minimè adesse. Ne quis tamen putet, si hos omnino silentio prætercam, me ob metum aliquem, vel aliud aliquid hoc agere, tanquam eos palpare velim, saltem nonnihil de eis dicam: & erunt fortasse

Quales sint plerique Confessionarij.

Contra quosdam palpones.

Malè docentẽ grauius malè docto puniri.

Quid Cõcionatoris sit officij.

Veritatis odium parere.

☞

Contra Prabendosos.

Episcopũ esse diœcesis suæ pastorem.

qui hoc ad illos referant, quod ipsum equidẽ haud molestè feram. Sanè in quacunq; prouincia Episcopatus est, illius prouinciæ pastor est Episcopus, quousque se iurisdictionis seu diœcesis illius fines extendunt. Est, inquam, pastor & caput  Episcopatus illius, vt populum, qui in illo est, pascat, idq́ue cura agat peruigili, vt plebs sibi commissa, in Christianæ religionis & ordinationis obseruatione perseueret. Cæterùm cùm iam plerique Pastores ipsimet cæci sint, nihil mirum est, si oues oberrent, & à lupis deuorẽtur. Sed quid me de his multa dicere oportet, quando facile aduertitis quid innuere velim? Timeo certè, quòd quidã magni Sacerdotes atque Prælati potentes, qui plures simul Ecclesias occupant, pluribus quoque & grauibus sint peccatis impliciti, & quandoque etiam furibus peiores sint, quando fures bona hominum tollunt, isti verò mali & indigni sacerdotes prædantur atque furantur Deo bona sua, cùm omnes Ecclesiæ Dei sint & eleemosynę illius, quas vtique nulli dedit, nisi qui in suo eas seruitio expendere curent. Vbi verò aliquis eiusmodi sacerdos pluribus Ecclesijs onustus moritur, quale is suis hæredibus testamentum relinquit? Miserum certè. Eandem namq;, quam ipse ambulauit, hęredibus suis viam ostendit. Bona siquidem illius hæredes arripiunt, & cum illis ad eundem, quo ille præcessit, perditionis locum pergunt, si tamen absq; restitutione moriantur. Quàm periculosè cum istis agatur, vix breui sermone explicare sufficerẽ. Sed qui sine peccato est vestrûm, primus in illos lapidem mittat. Deinde iam etiam de inferioris ordinis secularibus sacerdotibus agendum est, quorum multi, vt vereor, malè & periculosè nimis viuunt. Planè quicunque sacerdos lusorum aut fornicatorum sectatur vitam, hic peior est ipso Iuda, Dominum Saluatorem prodente, quod facile probare licet. Iudas enim *fur erat* & lubricus, & traditor Iesu Christi Dei ac Domini nostri. Sacerdos verò beneficium aliquod Ecclesiasticum habet, quod Dei est, qui idcirco hoc illi concessit, vt suum exequatur officium, permittitq́ue illi vitæ inde necessaria, & quibus citra incommodum carere non potest, sumere: si quid autem præterea superfuerit, id totum Dei cùm sit, si non Deo in pauperibus membris eius reddiderit, sed in alios vsus illicitos expenderit, peius profectò quàm ipse Iudas furtum admittit. Talis nanque sacerdos alearum ludo bona Dei sui cõsumit, aut pluribus alijs diuersis modis pauperum eleemosynas lõgè peius, quàm Iudas, dilapidat. Insuper idem ille impuris manibus suis, quibus Deum suum in altari tractauit, scortum vile turpiter tangere nõ veretur, idemq; osculatur ore suo, per q̃ Deus intrauit, & dat illi cor suũ, quod soli Deo dare debuerat, ac tandem transgreditur votũ & iuramẽtum suum, quod præstitit Deo, simulq; Deum tradit, dum se mulieri coniungit, quẽ Deo vniri oportebat: neq; id semel illi, vt Iudæ, fecisse satis est, sed crebrius id agit. Iudas quidẽ vnica tãtùm vice Dominũ in Sacramento suscepit, & ille tamẽ fortasse nec cõsecratus erat, vt est sacerdos, nec cõtinentiæ votũ emiserat, vt facit sacerdos. Hinc ergo vosipsi iam colligite, charissimi, si talis sacerdos non ipso quoque Iuda peior sit. Equidem timeo satis, plures hoc tẽpore Iudas superesse. Cæterùm quicunq; tales sunt, attendant, obsecro, fragilitatem cõditionis & incertitudinem vitæ suæ, & corrigant se in his ex animo, quod eis summè necessarium fuerit. Certè miror vehemẽter, quòd vlla fœmina tãtæ præsumptionis est, vt vnquã à sacerdote aliquo tãgi ausit. Quòd iã seculares sacerdotes, prædictis vitijs subiacẽtes, Iuda traditore peiores sunt: nos qui Religiosi dicimur, & in sacris Ordinib' monasticis viuim', si similia perpetremus,

Contra eleemosynarum fures.

Contra ludẽtes & fornicantes sacerdotes. Ioan. 13.

Qui sacerdotes proditore Iuda peiores.

Iudæ & mali sacerdotis collatio.

Iudarum pluralitas.

Cõtra sacerdotum concubinas.

tremus, lógè profectò adhuc sceleratiores sumus. Quòd si Prælatus talia admittat, huius adhuc grauiora crimina sunt. Si Episcopus, ille adhuc enormius peccat. Si deniq; Papa, huius omnino pessima & grauissima sunt peccata. Quo enim status est altior, tanto casus grauior, & culpa maior. Si verò aliquid eiusmodi Virgo Deo dicata seu Monialis agat, & ipsa valde enormiter peccat. Talis enim Virgini Matri corpore & anima se conformare deberet. Vt enim Virgo gloriosa Domina nostra Vnigenitum suum saluo & intemerato genuit virginitatis pudore, sic & sacrę quæque Virgines illius beatissimæ Matris exemplum in omni castitate sequi se velle promiserunt, quo Deum Dei Filium iugiter in cordibus suis parere queant. Sed quis est hîc absque peccato? Si quis talis est, primus in hos omnes lapidem mittat. Iam verò dum longius solis Spiritualibus seu Clericis reprehendendis immoror, vestri me forsitan oblitum, vos qui seculares estis, arbitramini. Itaque & vos in medium adduci oportet. Neque enim vos absque peccato estis, sed quemadmodum nos, ita & vos in multis reprehensibiles estis. Non est autem, vt quisque in alterum ea, quæ dicentur, reijciat, sed seipsum potius & cor suum attédat: quod si rectè fecerit, credo tantum illic eum negotij circa seipsum habiturum, vt facile aliorum obliuiscatur. Cæterùm rogo vos, charissimi, ne ea, quæ dicturus sum, ægrè feratis. Enimuerò ab ipsis supremis iudicibus & Magistratu vrbis huius incipiam. Vos igitur Domini Iudices & Magistratus, si qui hîc estis, dicite (obsecro) mihi, quàm bene vobis cum Deo conuenire putatis? Vosipsi nôstis, quomodo neminem in vestrum ordinem admittatis, nisi sufficientis ætatis sit, & vxorem legitimam habeat. Et id quidem iustè satis. Quare autem id fiat, nec dum bene perspectum habetis. Olim priscis temporibus id studiosissimè & multa cum prudentia seniores iudices agebant, vt nullos admitterent in suum ordinem iuuenes, nisi prius ad iustam peruenissent ætatem, vt videlicet interim iuris Ciuilis, Imperatorij, ac Prouincialis notitiam assequerentur, Iura quoq; maiorum & plebiscita terræ addiscerent. Cumq; ad congruam pertigissent ætatem, & omnia hæc iura perdidicissent, homines quoque iusti & diuino timore præditi forent, vt fide digni & ad hoc officium idonei viderentur, tum demum eligebant eos senes, & in suum numerum recipiebant. Quòd omnes, qui vestri ordinis sunt, legitimam debeant habere vxorem, ideo institutum est, ne corde & animo pro aliqua alia muliere, nisi pro sua duntaxat coniuge, quam domi semper reperiunt, soliciti sint. Hîc iam vosipsos, quęso, domini mei examinate, si Maiorum vestrorum seduli imitatores sitis. Mihi quidem id non videtur. Multos enim in vestrum ordinem pro solo fauore admittitis, atque eos ad iudicandum assumitis, quos diuini cóstat esse timoris expertes, amare diuitias, & pecunias accipere vbicunque possunt, nec curare quicquam si iure vel iniuria id agant. Talia autem munera & bona, quæ sic in iudicijs accipiuntur, iudicia ipsa subuertunt atque peruertunt. Insuper etiam adulteros in vestrum numerum recipitis, quod tamen omnino iniustum est, & specialiter prohibitum, ne tales ad iudicandum admittantur, quorum vita Deo & bonis legibus aduersatur. Et hac de causa non rarò falsa & iniqua iudicia fiunt, quæ vtique Dominus Deus supremus iudex grauiter in die nouissimo vlciscetur in omnibus, qui ea ferunt. Ipse namq; Deus iudicium statuit, & illius est iudicium. Si quis ergo illius iustitiam in iniustitiam conuerterit, ille certè diu non patietur inultum abire. Ecce domini mei, qui populi iudices

Quo quisque altero grauius peccet.

E quibus, & qualibus conficeretur magistratus.

Contra corruptos iudicum electores.

Cur iudicia falsa subinde ferantur.

dices & rectores estis, à vobis exordium sumere volui, quòd vos supremum iudicium teneatis. Si ergo vos correxeritis maiora iudicia, quibus præestis, facile inferiora ac minora quæque iudicia consequenter corrigentur: quandoquidem ea vobis auctoritas est, vt id efficere possitis. Sed quicquid hîc negligitur, quicquid in minoribus iudicijs peccatur, huius potior causa vos estis, & id totum in vestra capita redundabit. Credite mihi, satis periculosè vobiscum agitur, nisi vitam vestram in melius commutetis. Neque enim parua apud Deum res est iudicium, sed plena periculi. Et in veteri Testamento grauissimè Deus omnipotens iniusta iudicia, adulteria, & superbiam vindicare solebat: & certè etiam hodie ea vlciscitur, licet nos tam stolidi ac stupidi facti simus, vt diuinas vltiones minimè aduertamus. Si vobis, charissimi, audire molestum non est, dicam paucis mira quædam & horrenda, quanta videlicet mala, & quàm grauia peccata ex vno adulterio etiam paucos adhuc intra annos contigêre. Nec somniũ aut fabulam, sed rem gestam, quam ipse deprehendi, vobis narrabo. Cùm enim trigesimum ferè ætatis annum agerem, & in oppido quodam ex voluntate superiorum meorum studijs incumberem, in eodem oppido cum duobus ciuibus notitiam & familiaritatem contraxi. Erant autem ambo ætate iuuenes, & satis diuites mercatores. Hi miro se inuicem amore prosequebantur, & bona sua in commune administrabant: erantq; illis duę æquè iuuenes vxores, quę se non minori dilectionis studio mutuò complectebantur. Et si quando alterum eorum pro negotijs quoquam proficisci contingeret, vxorem, domum, & omnia, qua sibi mutuò cõfidebant fide, seruanda commendabat. Horum notitiam cùm fortè anno vno habuissem, altera ex vxoribus ipsorum quadam vice secretius voce lugubri & multis cum lachrymis mihi retulit, ex multo tempore enormem se peccatricem fuisse, nihilq; aliud quàm titionem infernalis incendij fore. Quibus dictis, præ nimia lachrymarum abundantia ne verbum quidem addere potuit. Cuius ego lachrymis motus, & dolori compatiens, rogaui eam, vt causam tanti mœroris aperiret, promittens me fidele consilium, opitulante Deo, cuius immensam esse dixi misericordiam, illi subministraturum. Tandem resumpto spiritu, dixit: Domine, filia N. non est legitima, sed per adulterium suscepta è socio mariti mei. Cùm enim vir meus ante annos quindecim longius abisset, socius eius quadam vice, nimia, quæ (vt nôsti) inter nos est, fidelitate abutens, cùm familiarius inter nos loqueremur, tandem mecum in adulterij crimen lapsus est, & ex ipso iam dictam filiam meam N. concepi. Deinde in cumulum damnationis meæ, peccatum istud post lapsum nunquam confessa sum, sed instar Iudę traditoris, sacratissimum corpus Domini polluto corde & ore nouem vicibus suscepi. Quibus auditis, rogaui eam, vt si rectè sibi consultum vellet, nuda veritate diceret mihi, si plus quàm semel cum adultero illo peccâsset, & si ille nôsset hanc filiam N. ex se generatam. Respondit illa: Gratias Deo, non nisi vnica illa vice peccatum hoc admisimus, quod tam ipsum quàm me adeo pœnituit, vt maxima pecuniarum summa, si licuisset, ipsum infectum reddere cuperemus. Nec vllo pacto vnquam ille rescire potuit, hanc esse filiam suam: adeò ob certas quasdam causas semper illud secretum habui. Dixi ergo illi mulieri: Inprimis consulo tibi, vt aliquem modum excogites, quo tutè possis marito tuo rei gestæ indicare veritatem. Ad quod illa: Prorsus, inquit, id facere non audeo. Si enim vir meus id resciuerit, cer-

Historiola notatu digna.

rit, certa sum, quòd aut adulterum illum vnà mecum occidet, aut certè interficietur ab illo, & ita in omne statim vulgus hæc res diffundetur. Tum ego: Si ergo, aio, hoc consilium attentare non audes, vel hoc omnibus modis agas, vt filia tua illegitima in aliquo Monasterio collocetur, nec vllo pacto vnà cum veris hæredibus in bonorum mariti tui possessionem succedat, in damnum verorum hæredum, & æternam animarum condemnationem, quando quicquid de bonis mariti tui perceptura est, iniustè vtique possidebit. Dicasque marito tuo, te filiam illam religioni deuouisse, & ipsum obnixè preceris, vt te finat satisfacere voto tuo. Quod cùm mulier ista frequentius fecisset, & ego succedens, multis rationibus idem viro illius persuadere tentâssem, nec tamen aliquid nos proficere cernerem: tandem mulieri dixi, vt si animam suam liberare vellet, modum aliquem excogitaret, rem gestam marito, suauiori quo fieri posset ordine significandi, ne tam grauatè, vt ipsa suspicabatur, id acciperet, antequam hæc filia nuptui traderetur, quo sic demum ab hoc periculoso & molesto conscientiæ remorsu liberaretur. Et cùm diutius res ista penderet, contigit duos prædictos mercatores, amicorum interueniente consilio, matrimonium conficere inter filium vnius, & filiam alterius, vt putabatur, reuera autem inter fratrem & sororem. Qui sic incestuosè coniuncti, miro se inuicem amore prosequebantur. Ibi tum ego videns tantam iniquitatem, ex misericordia compatiens miseris, tentaui diuersis modis, si qua ab inuicem potuissent ratione separari. Sed cùm nihil me proficere viderem, fieretque prædicta virgo N. è fratre marito grauida, meque iussa Superiorum meorum ad domum propriam reuocarent, consului primæ adulteræ & peccatrici, vt totum grauamen suum cuidam fratri N. pio & erudito in confessione detegeret, & eius consilio vteretur. Sicque recessi. Quàm malè verò postea eis successerit, vti frater ille mihi scripsit, vix explicare sufficerem. Et hæc quidem ipse percepi. Quot igitur fortasse alijs in locis, quos ego non nouerim, fratres & sorores cognati & consanguinei, matrimonio sibi iuncti sunt? Timeo certè, quod dictu quoque nefas sit, patrem quendam cum filia incestuoso & adulterino concubitu dormire. Planè charissimi, dici non potest, quàm multa & grauia peccata ex luxuria siue adulterio nascantur. Id certum habetote, adulterium enorme crimen esse, & Deo valdè odibile. Propterea *dilatauit infernus os suum absque vllo termino.* Credite mihi, adulter, siue adultera, peior est quodammodo fure vel raptore. Fur enim & raptor bona hominis temporalia tollunt. Adulter verò vel adultera, grauius crimen adulterando committit. Deus nanque ipse matrimonium instituit, atque ideo illius est, & ipse tam fortiter duos sibi mutuo homines in omni fide coniungit, vt vnum corpus dicantur, nec vllam sibi debeant inuicem infidelitatem exhibere, quod etiam Deo se constanter seruaturos ambo promittunt. Fur ergo, vt dixi, & raptor bona hominis tollunt. Adulter verò & adultera crimen periurij incurrunt, atque ita quod Dei est furantur, Deumque, quantum in ipsis est, spoliant. Enimuerò ab ipso Deo sacrum coniugium institutum est, vt illius sit, vtque homines in multa fidelitate & sanctitate proles generent, hac intentione, vt impleatur regnum ipsius. Hinc ergo iam colligite, si non longè peius sit adulterium furto & rapina, quando adulteri, quod Dei est, furantur: fures verò & raptores, quæ hominum sunt, auferunt. Itaque dilectissimi, cauete adulterium, quia graue & enorme scelus est. Equidem si pericula omnia

Quanta ex adulterijs oriantur mala.

Isaiæ 5.

Adulterium furto & rapina peius esse.

omnia & mala ex adulterio nascentia exponere vellem, totus hic dies vix mihi sufficeret, & tamen sine hoc, nimium (vt vereor) prolixus fui. Dicendum iam mihi foret de superbia, de auaris hominibus, de militibus & eorum socijs vxoribusq́; de mechanicis etiam & coniugibus ipsorum: sed tempus minimè patitur. Certè multa adhuc habeo, quæ suo tempore dicturus sum, nisi concionandi mihi fuerit officium interdictum. Cæterùm moneo vos, charissimi, ne quis alteri obijciat ea, quæ audistis, eo quòd quorundam duntaxat vitia perstrinxi. Omnes enim nos rei sumus & peccatis obnoxij. Si quis autem hîc sine peccato est, primus in iam dictos lapidem mittat. Credite mihi, vt inpræsentiarum sese habent res nostræ, summopere necessarium nobis est, vt quamprimùm in melius commutemus vitam nostram. Alioqui nisi id egerimus, sunt aliqui inter vos, qui ad illud vsque tempus superuiuere poterunt, quo Deus omnipotens grauem quandam & raram angustiam siue pressuram hominibus euenire permittat. Surgite nunc, & orationem Dominicam cum Angelica salutatione dicitote.

Vt hoc sermone finito, Magister à fratribus suis denuò concionari vetitus fuerit.

HAC Concione finita, omnis illius ciuitatis populus de Magistro plurima ac varia loquebatur. Quidam laudabant ipsum, quidam vituperabant: maior tamen pars ipsum commendabat, dicens: Est profectò vir bonus ac Deo deuotus, qui neminem timet, sed de seipso & de omnibus merissimam profert veritatem. Fratres verò illius statim hoc Sermone absoluto, congregati in loco capitulari, vnanimiter concluserunt, vt eum ab officio concionandi penitus remouerent: satisq́; hoc studiosè agebant, vt eum ad aliud sui Ordinis monasterium emitterent. Quod cùm Rectores ac Domini ciuitatis illius comperissent, Monachos illos accedentes, rogabant, vt Magistro copiam facerent amplius concionandi: simulq́; sciscitabantur, quidnam in illo aduertissent, vt eum concionari prohiberent. Qui responderunt: Ipse potiores amicos nostros offendit & auertit à nobis. Ad quod Domini ciuitatis: Certè, aiebant, nullos in hac vrbe meliores vos amicos habere credimus quàm nos, qui melius rebus vestris consulere, magisq́; vobis auxilio esse queant. Itaque timemus potius id vos malè habere, quòd vos publicè reprehenderit. Sed etiam nos reprehendit, nec tamen id molestè ferimus. Sanè eiusmodi hominem, qualis ipse est, etiam pretio vos comparare deberetis, qui veritatem hominibus dicere audeat, nec quenquàm omnino formidet, vt æquum est. Sic ergo in gratiam & pro honore dominorum illorum, Magistro non solùm illic permanere, sed etiam amplius concionari permissum est. Posthæc rogatus est Magister à secularibus hominibus, vt eis iterum communem quendam Sermonem faceret. Quibus ille ait: Si Dominus dederit, faciam, quod rogatis, proxima die Dominica post nonam.

Erat autem Dominica illa, *Iudica*, seu de Passione Domini in Quadragesima. Quumqúe statuta ea dies & hora aduenisset, maxima plebis multitudo conuenit. Venit etiam & Magister, & ita Sermonem suum exorsus est.

Secun-

Secundus Sermo Magistri ad populum vulgarem.

Joan. 8.

PRAESENTIS diei Euangelium, dilectissimi, illud est, vbi Dominus ait ad turbas & ad Principes Sacerdotum: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Prolixum hoc est Euangelium, & quia spero plurimos vestrûm id hodie ex Pastoribus suis audîsse, ipsum prætermittens, Sermonem tanto facio breuiorem. Sed antequam incipiam, pro consequenda gratia Matrem misericordiæ & omnis gratiæ inuocemus, dicentes: Aue Maria, &c. Meritò quidem, charissimi, quando hodie Dominicæ Passionis dies Dominicus agitur, de eadem Passione verba facere deberem: sed tanta mihi dicenda sunt, vt id modò fieri nequeat. Valde enim necessarium nobis est, vt dicatur nobis de vitijs & defectibus nostris. Si tamen commodè fieri poterit, aliquo opportuno huius hebdomadæ die de venerabili Sacramento concionem habere decreui, qui videlicet ad illud accedere debeant, quique non: & quid illos impediat, qui accedere non debent. Deinde etiam de amarissima Domini nostri Iesu Christi passione Sermonem facturus sum. Et inpræsentiarum quidem, dilectissimi, nihil vobis dicere possum, nisi communitatem nominatim exprimam. Vnde etiam præmonitos vos velim, vt si qui hîc erunt, ad quos Sermo meus non spectabit, illi quoque dicenda sibi non attrahant, nec iudicent eos, ad quos fortè spectabit, sed Deo gratias agant, quòd eos à malis præseruârit. Qui verò reos se esse intellexerint, quosque hic Sermo meus notabit, citius resipiscãt, & sese emendent. Hoc enim impendio eis necessarium fuerit. Itaque in omnium penè ore versatur commune hoc & verum verbum, quo dicimus, Adam & Euam valde iniquè egisse, dum diabolum sequerentur, & transgrederentur mandatum Domini Dei sui. Sed si quis ritè perpenderet, quantos (putamus) hodie inueniret grauioribus peccatis implicitos, quàm Adam & Eua fuerint? Certè quilibet temerarius miles, & superba ac lasciua coniunx illius, longè plura ac maiora mala perpetrant, quàm Adam & Eua perpetrârint. Enimuerò sequebatur Eua diabolum, & violabat mandatum Dei. Adam quoque respexit mulierem, & ei placere volens, transgrediebatur & ipse præceptum Dei. Sed mox pro vnius huius mandati violatione vterque de paradiso expulsus est: adeoque & in ipsos & in omnes posteros illorum diuinæ sæuit ira vindictæ, vt deinde in quinque annorum millibus neminem ad cæleste regnum ingredi permitteret. Atque interim Adam & Eua in inferni limbo tantisper expectare cogebantur, donec tempus illud impleretur, quo per Vnigenitum suum Deus Pater eos liberare dignatus est. Equidem, charissimi, non nisi vnum hoc mandatum Adam & Euam prætcrisse scio, nec in Scripturis reperire potui aliud aliquod graue eos peccatum admisisse. Si ergo Deus omnipotens vnum hoc peccatum tam seuerè ac horribiliter in eis vindicauit, non est certè, quòd superbæ istæ, inuerecundæ ac vanæ mulieres ob multa eos vituperent, & de pluribus criminibus accusent. Enimuerò id certum habetote, si in illis studijs & actibus, in quibus modò viuunt, fœminæ istæ perseuerauerint, nescire me quid illis futurum sit. Non enim semel tantum, vt Eua, diuinum transgrediuntur mandatum, sed sæpe nimis, diuersis modis, temporibus ac horis. Quamobrem superbæ vos, ineptæ ac temerariæ fœminæ, tandem resipiscite, quæso, præsertim cùm Dominum maiestatis, quem vestris

Contra milites & illorum vxores lasciuas & rapaces.

Gen. 3.

Vnum tãtum Adæ & Euæ peccatum legi.

vestris iniquitatibus offenditis, peccatum in Eua tam grauiter vltum esse sciatis, imò etiam quotidie adhuc seuerè nimis vlcisci in doloribus & angustijs partûs constitutæ, propria discatis experientia. Resipiscite, inquam, resipiscite, dilectæ mihi in Christo fœminæ. Alioqui nisi ita egeritis, certum vobis sit, nimis periculosam vos agere vitam. Estq; dolendum satis & valde perniciosum periculosumque, nos qui Confessionibus audiendis vacamus, ista in vobis dissimulare.

Quot hodie a suis Euis decipiantur Adæ.

Vnde non minori in periculo nos, quàm vos, positi sumus. Maiori autem in periculo mariti vestri versantur, qui Adam imitantur, respiciendo vos, ac permittendo dissimulandoq;, vt non semel, se crebrius, Eua sitis. Sed audi me, quisquis eiusmodi maritus, quisquis eiusmodi Adam es. Sanè non ideo tibi Deus Euam tuam commisit, vt toties eam sua sinas violare mandata: sed ideo potius eam tibi tradidit, vt custodias illam, tantamq; illius curam geras, vt ne vnum

Cur sua viro detur vxor.

quidem præceptum illam præterire sinas. Iam verò illam curiosius respicis, & qui peccatum præpedire debueras, ipsi ad peccatum perpetrandum auxilio sis. Sed dum ita dissimulas mala, quæ ipsa admittit, non vtiq; innocens es, sed particeps sis peccatorum ipsius, & toties diuinum transgrederis mandatum. Timeo valde, charissimi, quosdam hac tempestate inueniri Confessores, qui pluribus etiam viris ac fœminis diuina non verentur subministrare Sacramenta, quos

Desperationi qui potissimũ obnoxij.

tamen in certis nouerint mortalibus peccatis esse constitutos. Et horum plerique, vt vereor, in fine vitæ suæ in desperationis profunda merguntur, & ita perpetuæ damnationis miserias incurrũt. Multum enim circa huiusmodi mundanos homines, dum mori eos oportet, dæmones occupantur. Omnia nanq;, quæ vnquam gessêre, peccata grauissimè illis obijciunt. Et quid putatis animi tunc esse miseris illis, quando toto vitæ suæ spatio fallaci huic seculo dediti fuêre, & dæmones astutissimi sunt, atq; decipiendi calliditate pleni? Nunc ergo, dilectissimi, si qui ex vobis in his culpabiles se nôrunt, erubescant, obsecro, coram Deo & hominibus, & se emendare festinent. Certũ est enim, multos Iudęos atque pa-

Quid si noster hic viueret auctor hodie?

ganos haud mediocriter in vita vestra scandalizari. Enimuerò pagani dum audiunt tam turpiter atq; scurriliter viros ac mulieres apud nos vestiri, vt ipse satis comperi ex his, qui ab ipsis audierunt, sic dicunt: Christiani forsitan nõ veri sunt homines, quòd tam bestialiter vestiti incedunt, sed fortasse etiam quiddam beluinæ naturæ habent. Et omnibus vobis notum est, Iudæos habitare hîc nobiscum in regionibus nostris. Qui vbi audiunt (audiunt autem sæpissime) Deum nos tam indignè tractare impiè horribiliterq; iurando, dicunt, vt ab alijs mihi relatum est, imò vt ipsemet audiui, cùm aliquando loquerer cum illis de fide

Blasphemiæ Iudaicę ansam Christianos esse.

nostra Christiana: dicunt, inquam, in hunc modũ: Crederemus nos Deum nostrum esse, quem vos Deum vestrũ dicitis? Certè ita nobis persuasum habemus, si tantæ potentiæ foret Deus vester, haudquaquam eum permissurum, nec inultum abire passurum, quòd toties eum tam impiè tractatis animo irato sæpe nimis iurando ac periurando. Prorsus si ipse Deus esset, ferre id minimè valeret.

Cõtra temerarios iuratores.

Quocirca nihil ambigatis enormiter vos peccare, quicunq; sic ad iurandum impiè laxatis linguas vestras. Credite mihi, nõ hoc diu inultum abire Deus patietur, sed aut hîc, aut in futuro seculo, vbi acerbè nimis punientur peccata, grauissimè ipsum in vobis vindicabit. Et vos impudicæ fœminæ, quæ tam lasciuum &

Contra lascivas fœminas.

turpem defertis habitum, pro certo habeatis, Deum optimum maximum citò in petulantiam vestium vestrarũ terribiliter animaduersurum. Neq; enim diu

eam.

eam sustinere poterit. Vbi iam est honesta illa, pudica, verecunda & bene morata conuersatio vestra? Quomodo illam sic penitus omnem diabolus vobis eripuit? Timeo, timeo certè, Deum iustum iudicē, impudentem ac vitiosam vitam vestram districtè in vobis animaduersurū. Ipse nanque ait: Si adspexerit vir fœminam, aut fœmina virum, & alter alterum concupierit, *iam mœchatus est in corde suo*, & iam mors perfecta est, opere necdum expleto. Quò tandem vir suos deflectet oculos, vt vos ô fastuosæ fœminæ non adspiciat? Hei periculosè nimium ex vtraque parte vobiscum agitur. Vos semper Adam & Euam reprehenditis, quòd vnum duntaxat mandatum fregerint, qui tamen tanta pro eadem transgressione ad mortem vsque & etiam post mortem mala sustinuêre: sed prǽstaret vos non Adam & Euam, sed vosipsos potius reprehendere & culpare, cùm mandata Dei, vt verendum est, sæpius multo quàm illi, transgrediamini. Cæterùm cùm in hoc Sermone viros duntaxat & fœminas militares expresserim, non est quòd propterea aliquis putet, me illos dūtaxat notare voluisse. Quinimò simul omnes notare volui, & qui supra & infra statum militarem sunt, mercatores videlicet & eorum cōiuges, & breuiter cunctos illos, qui in hac parte culpabiles sunt, cuiuscunq; tandem illi statûs sint aut conditionis. Deinde haud mediocriter timendum est, charissimi, multos inueniri, qui Christi nomine censeantur, & tamen ita viuant, vt si in eadem mala vita sua decesserint, peius ipsis quoque Iudæis sint habituri. Non enim aliud constat Iudæis, quàm vsuras exercere se debere vt habeant vnde viuant. Christianos autē minimè latet, nefas & illicitū esse fœnerari, & nihilo secius id agunt. Itaq; subter Iudęos in inferno deprimentur. Atque hîc omnes illos pariter intelligi volo, qui coram Deo fœneratores sunt, & tamen ab hominibus tales nec haberi nec dici volunt. Denique & illos omnes hîc noto, qui iniustas exercent redemptiones, & illicita venantur ex pecunijs lucra. Memini sanè tali me vixisse tempore, quo rarum valde & insolens erat vti redemptionibus, & pauci tum temporis illis vtebātur. Et si qui tum sub redemptionis conditione contractus fiebant, synceri ac simplices erant & secundùm Deum, ita vt ego ipse quoque nonnullis tales contractus facere permitterem. Dicam autem vobis, qua id ratione permittebam. Venerunt illis temporibus ad me homines quidam honesti, quorum vnus dixit mihi: Quid consulis Domine? Ego ab hoc homine certos quosdam propriæ pecunię redditus emi super bonis eius hæreditarijs. Ipse quoque venit ad me, orans vt propter Deum id facere velim, & permittere, vt hinc literæ conficiantur, quę hanc teneant conditionem, vt si Dominus illi præstiterit facultatem redimendi bona sua, ego hoc illi permittere velim propter Deum. His auditis, ego sic hominem illum alloquebar: Dic mihi, inquam, nihil aliud hîc spectas vel intendis, nisi quòd purè propter Deum id facis? Ad quod ille: Certè, inquit, nihil aliud hîc specto. Quid enim aliud quærerē, aut quid me moueret aliud, nisi quòd miseret me bona huius perpetuò mihi & hæredibus meis obligata esse debere? alioqui màllem ea vt propria possidere, sicuti & emi. Hoc modo, dilectissimi, consensi aliquoties temporibus illis in redemptiones: sed videte, obsecro, quàm purè, quàm simpliciter & secundùm Deum ista olim fiebant. Iam verò hisce nostris temporibus per superbiam & auaritiam nostram ita has redemptiones peruertimus corrumpimusqúe, vt coram Deo vtplurimum plus quàm semiusura fit: cuius culpa penè maxima est apud nos Confessores, quòd nos talia permittamus. Ecce

Matth.5.

Iudæis fœnerantibus qui peiores.

Contra fœneratores.

dicam vobis, chariſſimi, ad quantam miſeriam hac tempeſtate dilapſi ſumus. Non ita pridem contigit venire ad me ciuem quendam, & dicere: Obſecro mi Domine, aliquod mihi in ea, quam tibi refero, cauſa conſilium impende. En ego & vxor mea & filij mei non habemus, quæ ad vitam noſtram pro huius ſeculi more ſuſtentandam bene ſufficiant. Itaque viſum eſt mihi, vt propria bona mea vendam cum conditione redimendi: ſed nolui id abſque tuo attentare conſilio. Si ergo ſic mihi conſulis, ita prorſus facere decreui. Cui ego: Id, inquam, minimè tibi conſuluerim: quin potius diſſuadeo modis omnibus quàm poſſum fideliter & ſynceré. Reſpondit ille: Ergo non habeo vnde viuam iuxta huius temporis conſuetudinem. Ad quod ego: Certum, dixi, habeto, ſi eo quo narrâſti ordine proceſſeris, grauiter te Deum offenſurum, & peccata aliquot mortalia commiſſurum. Nolo enim te lateat, contractus omnes emptionis & venditionis redditnum vel poſſeſſionum, in quibus emptor reſeruat ſibi poteſtatem, capitalem ſummam vllo vnquam tempore, dum ſibi placet, repetendi, vſurarios eſſe. Cunctis enim contractibus illis, in quibus ex mutuo aliquod lucrum ſperatur, ex pacto vel ex intentione principali, explicitè vel implicitè, quocunque licet colore multi nunc eos excuſare conentur, vſura plerunque admixta eſt. Si ergo primò alienæ vſuræ te participem facies, ſi parati & notorij vſurarij opera, abſque graui neceſſitate, vſus fueris: ſiue non paratum proximum tuum ad fœnerandum induxeris. Secundò, auaritiæ crimen incurres, quæ vnum ex ſeptem eſt vitijs capitalibus, dum illa te mouet ad hoc faciendum. Tertiò, etiam per ſuperbiam peccabis, dum hoc fine id agis, vt tu, & vxor tua proleſq; tuæ ſeculi luxum & pompam poſſitis imitari, & conformare vos cæteris. Vnde his rationibus motus, nequaquam id tibi conſulere auſim. Sed hoc potius, qua poſſum fide, tibi conſilium do, vt ſorte tua boniſque tibi à Deo conceſſis contentus, viuas ſecundùm priſci ſeculi morem, ſiſq; gratus Deo, qui haud dubiè ſubueniet tibi ita facienti, vt habeas quæ tibi ſufficiant. Certè ſi nunc conſilio meo acquieueris, & feceris quæ dico, ſenties id tibi in anima & corpore profuturum. Tum ille ait: Gratias habeo tibi Domine obſeruande pro tam ſalubri mihi abs te impenſo conſilio, cui etiam omnino morem gerere ſtatui, dimiſſo illo quod facere cogitâram. Videte nunc, chariſſimi, quò dilapſi ſumus. Deinde percepi eundem probum virum ad alium quendam Doctorem eodem anno perrexiſſe, qui id ei tanquam licitum permiſit, ita vt omnia bona ſua ſub prædicta redimendi conditione ſuſpecta venderet. Planè nos nimis latam vobis viam facimus, & tamen revera ita non eſt, ſed *anguſta eſt via quæ ducit ad vitam.* Heu, quod ſatis ſuperque dolendum eſt, ad id loci hoc tempore res redijt, vt pauca ſint in populo Chriſtiano negotia, quæ omnino iuſta & ſyncera ſint. Proh dolor, quàm multos hodie inuenire eſt cæcos ductores, & ſi cæcus ſuper cæcum in infernum ceciderit, tanto vterque peius habebit. Quamobrem, quod vobis ſummopere neceſſarium eſt, cauete vobis chariſſimi. Timeo enim quibuſdam ex vobis amicitiam hominū mundi huius nimis gratam eſſe. Dicam vobis aliquid de meipſo & ſimplicem veritatem dico: ſed rogo, ne quis inde ſcandalizetur. Quadam vice importunè ſatis mihi in mentem venit, vt mare transfretarem, & mortis periculis exponerem corpus meum, paganiſquè Dei verbum concionarer, periculum facturus, ſi quos ex eis, Dei fretus auxilio, ad Chriſti fidem conuertere poſſem. Creuit in me iſta voluntas, adeoquè inualuit, vt iam itineri me accingere vellem, mecumque

Math. 7.

de mo-

de modo illuc perueniendi cogitarem. Quumqúe in hac re sedulò occuparer, contigit quodam manè, vt quum ad lectum redissem, & iam obdormissem, quendam mihi in hæc verba me alloquentem audire viderer: Quonam moliris iter? Non opus est ad paganos transfretare. Plurimos enim hîc inter Christianos reperies, qui dum Christi nomen gerunt, peius ethnicis viuant. Vbi ergo his tandiu concionatus fueris, donec ad veram & Christiano homine dignam vitam perueniant, tum demum ad Saracenos transeundi habeto facultatem. Hæc admonitio trina vice, & sub eadem semper forma verborum, mihi fiebat in somnis: vnde factum est, vt à transfretandi studio animum meum reuocarem. Hinc iam aliqua mihi de mercatoribus dicenda forent, sed vereor vt nimis prolixus sim. Attamen pauca de his dicam. Sunt quidam hoc tempore mercatores, qui modis admodum iniquis & valde Deo contrarijs lucrantur bona sua, idqúe tam varijs atque diuersis, vt omnes hîc referre nequeam. Cæterùm id pro comperto habeatis vos mercatores, quando aliquid in qualibet regione ob solutionis dilationem carius venditis, quàm alioqui, si emptor promptam vobis pecuniam numeraret, venderetis, quicquid vltra iustum pretium accipitis, id totum ad vsuram pertinere coram Deo: quandoquidem illud proximis vestris subripitis. Idem sentiendum est, dum pecunias vestras permutatis, transscribitis seu mutuò datis, ad certum vsque terminum: qui vbi aduenerit, scitis quid vobis lucri de singulis centum aureis, quasi pro vestro (vt vocatis) interesse, suppresso interim vsuræ vocabulo, pendendum sit, propter damnum quod ex mutuo fingitis vobis instare. Heu, quis tandem erit auaritiæ vestræ finis? Si prudentes vultis esse mercatores, cur non

Contra mercatores quosdam.

O quid hodie diceret hic Auctor de diuersis practicis vsurarijs & simoniacis, quibus à diabolo irretita animæ, ducuntur ad infernum absque numero.

potius æternas diuitias comparatis, faciendo *vobis amicos de mammona iniquitatis*, pauperes scilicet, quorum *est regnum cælorum*, à quibus illud emere potestis, quodqúe sine operibus misericordiæ diuites non intrabunt? *Væ vobis*, inquit Propheta, *qui congregatis non vestra. Vsquequò aggrauatis contra vos densum lutum?* Potestis quidem interim in hoc seculo vos & Confessores vestri ista pallio quodam tegere, & per falsa quædam commenta defendere, non tamen idcirco coram Deo iusta erunt. At vbi ad æternitatem ventum fuerit, illic omne auferetur velamen, & quicquid iniustum fuerit, omnibus luce clarius apparebit. Sed vt breuior sim, videte (obsecro) vos negotiatores vosmetipsos, (est enim hoc vobis apprimè necessarium) & attendite vobisipsis. Sæpenumerò nanque in emptionibus ac venditionibus vestris mentimini, & imponitis proximis vestris per subtilia quædam glossata atque commentitia verba. Dies quoque festos, quos colere vos oportebat, qua ratione expendatis, ipsi melius nôstis. Denique quàm multæ consuetudines & viæ malæ iam subortæ sint, vos minimè ignoratis. Hæc porrò omnia nos, qui confessiones vestras recipimus, arguere deberemus: sed heu plus æquo plerique dissimulamus, & malè permittimus vobis. Timeo profectò, quosdam nostrûm munuscula quædam accipere interdum à vobis, & illorum gratia permittere vos tanta quibuscunque modis congerere ac retinere, vnde centum alij viuere possent. Quæ etiamsi iustè forent acquisita, nihilo minus indigentibus inde subuenire deberetis, in quem finem vobis à Deo collata sunt. Enimuerò diues ille, qui *induebatur purpura*

Lucæ 16.

Abac. 2.

Contra mercatores mendaces.

Lucæ 16.

purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, mortuus, in inferno sepultus est, hac vtique de causa, quòd sibi reseruabat bona ipsi à Deo donata, & vtebatur eis secundùm naturæ suæ voluptatem. Et quanuis nihil iniustum possedisse, nihil alienum rapuisse legatur, cogebatur tamen inferni perennes subire cruciatus. Hîc iam vosipsos, quæso vos mercatores, intuemini, vosipsos examinate. Vix enim, vt ego quidem sentio, fieri potest, quin vbi tam grandes pecuniarum summas, totque superflua bona lucramini, eadem cum superbia & auaritia possideatis, imò etiam cum alijs pluribus magnis peccatis, quæ vt plurimum hîc sese admiscere solent. Quod vtique vosipsi non obscurè deprehenderetis, si rectè inspicere & discutere rem ipsam non pigeret. Obiter hîc refero vobis, charissimi, quid mihi adhuc infra quinquennium, si bene memini, acciderit. Venit ad me mercator quidam homo opulentus valde, & cœpit mecum familiariter colloqui, atque inter cætera dixit, plurima eademque ingentia sibi bona in extera quadam regione deberi. Quem cùm ego percontarer, vnde id factum esset, vt tanta sibi in extera prouincia deberentur: respondit, merces suas ibi venditas & traditas emptoribus, atque hos tantum sibi debere. Cui rursus ego: Dic mihi, inquam, veritatem. Si quispiam aliquanto minoris, sed prompta pecunia, illas abs te merces emisset, reliquissetne illi eas? Prorsus, inquit, reliquissem, & id maluissem vtique, vt pecunijs acceptis, alia mihi bona comparare potuissem. Subintuli ego, & dixi: Certum ergo habe, quicquid propter dilationem temporis amplius acceperis, quàm pro prompta pecunia accepturus erat, id omne iniustum esse. Et licet coram hominibus vsuræ nomen non obtinuerit, coram verò tamen iustoque Dei iudicio vsura vocatur. Contra ille: Secus, inquit, se res habet. Hic enim mos est & consuetudo regionum, vt ita fiat. Cui ego respondi: Nihil refert, nec propterea iustum & æquum est. Vos enim huiusmodi malas consuetudines & prauas ad inuentiones fabricatis, & fabricâstis: & ideo peius est. Vosne consuetudines Deo contrarias, legem facere vultis? Ergo etiam consuetudo erit, descendere in infernum. Itaque vt iam prædixi, id certum habe, si quid vbicunque locorum seu in qualibet regione ob solutionis dilationem carius vendas, quàm faceres, si numerata tibi pecunia redderetur, aut ex mutuata pecunia lucrum recipias propter dilatam solutionem, quicquid vltra receperis, id totum inter iniusta & malè acquisita bona numerandum esse, adeoque etiam restituendum illis, à quibus acceperis, si vnquam saluari voles. His auditis, ait ille ad me. Certè durus es homo. Confessor meus semper id mihi permisit: Cui ego: Confessor tuus, aiebam, fortè capit pecunias tuas, & permittit tibi, quod nec ipse Deus cum omnipotentia sua tibi permittere valet. Videte hîc charissimi, quàm perniciosa res auaritia sit. Diues ille mercator sic à me recessit, vt ne verbo quidem testaretur, se vnquam in melius commutaturum vitam suam. Credite mihi, dilectissimi: summoperè nobis omnibus necessarium est, vt nos ex animo emendemus, & corrigamus malam vitam nostram. Nimis enim periculoso tempore viuimus, & timendum est, adhuc periculosiora nobis tempora imminere. Sed quid dicam, quando, vt mihi relatum est, non desunt, qui me nimis rigidè nimisque seuerè concionari causentur? At ego constanter affirmare non dubito, neminem ex hîc coram adstantibus esse, qui non multo, quàm ego, seuerius concionaretur, si modò quæ ego, expertus foret, & illi, vt mihi, ex officio ordinariè conciona-

Diuitias malè partas, iems iniuper vsurpari.

An mali vius legē faciant.

cionari incumberet. Et si non prolixum vobis fieret, dicerem vobis quædam, quæ huic loco non parum congruerent, quæqúe vos audiisse iuuaret.

Tum simul vno ore quam plures è populo dixerunt: Securus loquere domine Magister, patientes ac beneuolos nos habebit auditores.

Paradigma.

Rem igitur quandam refero vobis, charissimi, quæ mihi ipsi contigit. Quodam tempore solus sedebam in Cella quadam, & cùm mecum cogitare cœpissem mirabilia Dei, & quàm admirabilis esset hoc tempore Ecclesiæ status, vt omnis bona ordinatio plus satis negligeretur & pessum iret: inter has meditationes, corporibus auribus meis vocem quandam percepi loquentem ad me, tametsi nullum omnino viderem. Loquebatur autem in hæc verba: Surge, iam quædam experienda tibi sunt, vt tanto certius proximis tuis veritatem palam edicere ausis. Atque in hoc vltimo verbo, omni sensuali ratione mea destitutus fui: factusque in ecstasi, sub ipso hoc raptu in Purgatorium videre permissus fui: vbi tam cruciabilia & acerba nimis multorum hominum, ex quibus etiam plerosque noui, tormenta, pœnasqúe tam immensas, & dolores tam intensos atque pauendos adspexi, vt nulla ratio, nullus intellectus exprimere sufficiat. Denique certum habetote, tam multa, tam varia & diuersa illic tormentorum genera, mirum in modum excruciantia, me inspexisse, vt tantus inde me terror & tremor inuaserit, vt cuncta naturalia vitæ huius gaudia haudquaquam me exhilarare possint: & si vel centum adhuc annis superuixero, nunquam me lætificandum putem, nisi id Deus supernaturali quodam modo faciat. Sed oro vos, dilectissimi, ne quis hinc scandalizetur, quòd hæc vobis referre volui. Timeo equidem, quosdam cogitare fortassis, quòd meam in his exponendis gloriam quæsierim. Atqui certissimum vobis sit, me nullius gloriam, sed nec alicuius substantiam huius gratia quærere vel optare. Satis enim superqúe contentus sum his, quę mihi in Monasterio meo iuxta conuentûs consuetudinem ministrantur: imò nunquam non vereor, ne qua fortè superflua capiam ex his, quæ mihi in refectorio apponuntur. Et certè nullum hîc adesse credo, qui, si vidisset & expertus esset ea, quæ ego vidi & expertus sum, tam videlicet horrenda & metuenda supplicia, non melius forte paucis sibi appositis atque concessis contentus foret, quàm sim ego. Ideoqúe nemo vestrum ex prædictis verbis meis scandalizetur. Ego sanè nullam aliam reperio causam, quare me Deus ista cernere voluerit, nisi ob culpas & defectus meos, vt & meipsum corrigerem, & alijs veritatem, quam certò agnouissem, fidentius edicere auderem, vitiaqúe & peccata ipsorum minimè palparem. Vnde & si certus forem, me hac de causa neci tradendum esse, nihilo minus nudam ac simplicem eloquerer veritatem. Sanè vidi nonnullos in intentissimis pœnis illis, de quibus vehemens me cepit admiratio, quòd tam diu in tantis cruciatibus permanere debuissent. Ante multos siquidem annos aliqui ex eis ex hac vita decesserant, quos, dum viuerent, etiam bonos & pios esse credebam: & tamen ijdem in locis illis purgatorijs tam ingentia & ineffabilia supplicia sustinebant, vt nemo ea dignè in hac vita pensare aut intelligere possit. Quocirca id omnibus nobis ex animo consulo, ne Purgatorium paruipendamus: sed conuertamur citius, & seriò nos emendemus. Planè si sciretis, quàm supra modum nobile ac fructuosum sit præsens tempus, non illud tam parui duceretis, nec tam stolidè defluere pateremini. Enimuerò vbi ex hoc transitorio tempore ad illa futura

Purgatorij quamque pœnæ.

tura & æterna perducimur, iudicium valde breue, simplex, rectum ac rigidum fit de illis, qui præsens tempus stultè abire permittunt. Sed quid dicam, charissimi? Si enim de diuina iustitia aliquid vobis dicere tento, tam illa immensa, districta & rigida est, vt verear quosdam ex vobis hinc desperandi occasionem sumere posse. Si contra de infinita illius misericordia, quam omnibus in hac vita præstare paratus est, verba facere volo: iterum metuo, quosdam ita de hac confisuros, vt peius & stultius acturi sint, atque ita eiusmodi peccatum aliquod admittere queant, cui (vt timendum est) neque hîc, neque in futuro Deus veniam daret. Vereor quidem, dilectissimi, ne prolixior fuerim, tametsi adhuc multa mihi dicenda supersint de varijs hominum generibus, diuersisquè negotijs, eo quod longè nimis à recto itinere digressi sumus. Et reuera si toto hoc anno, prætermissis omnibus, vni concionandi officio vacarem, puto me haudquaquam vel sic adhuc omnes nostros defectus & peccata expositurum. Cæterùm vbi Dominus disposuerit, vlterius vobis loquar. Surgite nunc, & orationem Dominicam cum Angelica salutatione dicitote.

POST hæc quadam vice contigit, Magistrum ad quoddam inclusorium iter facere, in quo quinque morabantur inclusæ, quæ ipsum sedulò rogabant, vt Sermonem eis faceret de vera perfectaquè vita inclusoria. Quibus ille ait, facturum se libenter quod peterent, si Dominus ita disponeret, die Dominico proximè secuturo. Cùm igitur dies ille Dominicus aduenisset, conuenit ad eum locum hominum multitudo, & Magister suum ita sermonem exorsus est.

Sermo sequens, in Dominica Sexagesimæ habitus est, cuius argumentum hoc est: Cur videlicet diuus Paulus raptum suum in tertium cælum tot annis silentio presserit: Quòd Dei dona per afflictiones veniant, aut certè per afflictiones confirmentur: De duplici item abnegatione, vna naturæ, altera Spiritûs. Denique, qui ad veram inclusam pertineat.

Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, &c. II. CORINTH. XI. & XII.

SALVBREM hodie, dilectissimi, & necessariam nobis diuus Paulus in Epistola sua tradidit institutionem. Sed quia Epistola eadem prolixior est, non totam, sed partem duntaxat illius referam vobis. Ait ergo Apostolus, loquens de semetipso: *Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* Hîc mihi, quæso, animaduertite charissimi, quomodo sanctus Apostolus per annos quatuordecim raptum hunc suum sub silentio habuerit, nec voluerit proferre in publicum, donec id sibi à Deo permitteretur. Non fecit equidem instar quorundam huius tempestatis hominum, qui dum exiguam quandam à Deo fortasse gratiam accipiunt, statim erumpunt foras, alijsquè eam absque permissu Dei referunt, narrantquè interdum

Cōtra temerarios visionum suarū effutitores.

terdum

terdum eam eiusmodi hominibus, qui tam parum inde nouerunt, quid sit aut quò spectet, quàm ipsi. Vnde fit etiam sæpenumerò, vt huiuscemodi loquacibus gratia talis subtrahatur, deturq́ue alteri magis illuminato. Itaque videte dilectissimi, ne absque licentia Dei, dona vobis ab ipso collata euulgetis, certi quòd pauci hodie reperiantur, qui illuminata sint ratione seu discretione prædit. Atque idcirco cauendum est, ne dona Dei citò & absque illius licentia proferantur. Iam quòd diuo Paulo à Deo permissum fuit, quæ sibi contigerant eloqui, ad nostri vtique præmonitionem & necessariam institutionem permissum fuit à Deo, vt videlicet si id contingeret, vt cuiquam nostrûm sine merito præcedenti gratiam suam præuenientem infunderet, ne is postmodum terrore concuteretur, si affligi eum permitteret, quemadmodum beato Paulo vsuuenit. Enimuerò id pro comperto habendum est, dona Dei per afflictiones venire: Si verò ante afflictiones veniant, per afflictiones tamen ea confirmari atque probari oportere. Cùm ergo tantæ sit nobilitatis vtilitatisq; aduersa perpeti, idcirco Deus omnipotens omnibus dilectis Sanctis suis tam graues permisit afflictiones occurrere, eademq́ue de causa beato Apostolo suas nobis afflictiones referendi copiam dedit. Ait enim in hac eadem Epistola sua: *Ministri Christi sunt: vt minus sapiens dico, plus ego: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus, accepi: Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate*, &c. Hæc & alia multa in Epistola hodierna se diuus Apostolus pertulisse commemorat, quæ ne singula recitando prolixior fiam, hoc vnum duntaxat adijcio, quod inter cætera adiungit, dicens: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi* (Paule) *gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter ergo*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Nunc ergo, dilectissimi, posteaquam diuus Paulus vas electionis in hac sua Epistola, quanta sit afflictionum vtilitas, satis superq́ue nobis probauit, dignum profectò est, vt tanto Apostolo fidem adhibeamus, & ipsum imitemur atque sequamur. Enimuerò fieri nō potest, vt vnquam ad laudabilem & fructuosam pertingamus vitam, nisi sponte naturæ oblectamentis renuntiemus. Naturæ siquidem renuntiare nihil aliud est, quàm abdicare & abnegare voluntariè vniuersa, in quibus natura delectatur, illis duntaxat exceptis, quæ naturæ sustentandæ rationabiliter necessaria sunt, quæ talia erunt, vt nobis adiumento sint ad seruiendum Deo, & perueniendum ad Deum. Alia omnia propter Deum deserenda sunt. Neque enim experiri quis potest, aut capere supernam dulcedinem Dei, nisi infirmarum rerum suauitati ac sensuum inclinationi & voluptati valefaciat. Vnde & Apostolus ait: *Fratres, si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Contemplandum nobis hîc est, & pro virili sectandum amabile prorsus exemplar Domini Saluatoris, sicuti idem Apostolus monet: *Exuite vos*, inquit, *veterem hominem, & induimi Dominum nostrum Iesum Christum.* Est porrò alia adhuc multo nobilior &

Dona Dei qui obueniant.

2. Cor. 11.

2. Cor. 12.

Naturæ renuntiare quid.

Rom. 8.

Rom. 13. Ephes. 4.

excellentior abnegatio, quàm ſit ea, qua naturam abnegamus: Et ipſa eſt, quando voluntariè ſpiritui renuntiamus, quod quomodo fiat, vos aduertere velim. Poſteaquam ſpiritus carnem omnino edomuit & redegit in ſeruitutē, cunctaq́; iam caduca, & labentia tranſcendit, tum ſaltum quendam in ipſa perennia bona facit, quæ nimirum multo ei delectabiliora ſunt, quòd ad ſaporem & fruitionem attinet, quàm antea illi naturalia fuerant oblectamenta. Dum ergo guſtare eum, fruiq́; cõtingit excellentibus illis ſummis bonis, iam haud ſecus cum delectationibus & affluentijs ſpiritûs renuntiare oportet, quàm prius naturæ oblectamentis renuntiare coactus fuit, ita vt Deo dona & operationes illius pro eius beneplacito relinquere ſciat. Et iſta quoq; renuntiatio in principio non parum difficilis eſt, his qui ſecundùm ſpiritus delectationem Deum guſtârunt. Dicitur autem eadē hæc renuntiatio paupertas ſpiritus, de qua Dominus loquitur:

Matth 5. *Beati*, inquiens, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Enimuerò ſępe contingit quoſdam eò deuenire, vt in ſeipſos in fundum ſuum, in voluntatem & beneplacitum ſuum valde ſubtiliter rapiant atque trahant ea, quæ eis lucent & ſapiunt, nec ſe Deo per modum mortificationis relinquant. Cæterùm quicunq; tales ſunt, hos nihil dubitetis gratia ac donis Dei nimis infructuoſè vti. Cuius ratio eſt, quòd cùm Deum minimè lateat, niſi eis lucem & saporē infunderet, citius illos à ſe receſſuros eſſe, idcirco quibuſdam eos ſuauibus cõſolatiunculis retinet, ne penitus ſe deſerant. Iſtiuſmodi homines valde adhuc fragiles ſunt, & puſilli, quippe qui propria abundant voluntate, & vmbram pro re ipſa diligunt & amplectuntur. Quorũ etiam hoc vitium eſt, vt cùm maximè ſint externi admodum ſe inter nos eſſe arbitrētur: ſed nimium falluntur opinione ſua. Porrò qui ſe Deo funditus reſignant & offerunt, quiq́; dulce & amarum æqualiter accipiunt ab illo: qui deniq; ſi influentia lucis vel ſaporis eis ſubtrahatur, haudquaquam propterea à Deo recedunt, hi veri ſunt interni. Sanè quicunq; ea, qua iam dictum eſt, ratione ſeſe abnegârunt, animiq́; voluntario tam ſpiritus, quàm naturæ dulcedines penetrârunt, & ſupergreſſi ſunt, hi profectò vtilem ac fructuoſum fecēre tranſcenſum, & plura quàm dici queat penetrârunt. Sed eis deinde multa vigilantia & cuſtodia opus eſt, qua ſeipſos nunquam non diligenter obſeruent, circunſpiciant & curent, vt in ingenti ſemper humilitate perſeuerent. Nõ enim tunc hoſtes Tartarei ceſſant, ſed iugiter modis, quibus poſſunt, eos retrahere moliuntur. Credite mihi, chariſſimi: profunda reſignatio ſeu voluntaria abnegatio per omnem naturam, bonũ quoddam initium eſt, ſi tantùm cum vera ſit humilitate coniuncta, quemadmodum D. Petrus ait: *Chariſſimi, humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis*. Atque vtinam diſcere poſſemus, quo pacto ad veram ſpiritus in profunda humilitate ſubiectionem pertingere debeamus, vt vbi Deus gratiam ſenſibilē nobis ſubtrahit, facile eam illi reſignare poſſimus, noſtrumq́; reſtringere appetitum ſiue deſiderium, vt voluntariè eam non concupiſcamus. Hoc eſt quod D. Dionyſius ait: Cùm Deus, inquit, ſenſibiliter cõmoratur in anima mea, tanto gaudio perfundor, & tam bene mihi eſt, vt ſi eam mihi auctoritatem tribueret, vt illa hora haud ſecus mihi, quàm illi, creaturę omnes obtemperarent, nõ mihi tam bene foret, vt eſt ex pręſentia illius. At vbi ſenſibilis præſentia eius mihi ſubtrahitur, tum (fateor) teneor quodā deſiderio illius. Sed vbi id mihi accidit, defectus vtiq; meus in cauſa eſt, quando Salomon ait, quòd in cunctis Dei operibus quietem & pacem habere debea-

Humilitate abnegationi profunda opus eſſe. 1. Pet. 5.

S. Dionyſius

debeamus. En istud suspiriosum ac languidũ desiderium, sanctus hic Dionysius suum defectum reputauit. Quare hoc, nisi quia vir sanctus haud obscurè intellexit, necdum plenè se resignatũ esse, quando sic Dei prẹsentiam desideraret? Maxima siquidẽ resignatio est, ad derelictionem sese resignare, & in omnimoda derelictione resignatum esse. Quod ad eos maximè pertinet, qui dulcedinẽ Dei delectabiliter experti sunt. Oportebat quidẽ, dilectissimi, tam viriliter nos certâsse, vt in Deo tam prudẽtes facti essemus, quòd creaturas omnes, diuino freti auxilio, transcendere ac penetrare quiremus, donec in ipsum Dẽũ pertingeremus. Ibi iam in Spiritu sancto doceremur res oẽs naturales ratione nostra calcare atque supergredi, vt cum Augustino dicere possemus: Omnes creaturæ via nobis sunt ad Deum. Ita vt quæcunq; videre vel audire contingeret, qualiacunque demum illa forent, cuncta sciremus in vsus nostros inflectere, & in melius interpretari, ac boni quippiam inde elicere. Certè homo Christianus ratione sua tam crebrò, tamqúe humiliter se exercere, & creaturas omnes toties penetrare deberet, donec creata omnia amitteret: tamqúe strenuè & viriliter, idqúe non vna, sed pluribus vicibus, à cunctis sese abstraheret, donec Deum animæ suæ gaudiũ, & dilectum cordis sui solum inueniret, de quo B. Apostolus loquitur, dum ait: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. In qua nimirum transformatione spiritus huiusmodi transformatus est, & vnum effectus cum vno. Si quis hac in parte sese periclitari, & tam sibijpsi, quàm creaturis omnibus, perfectè renuntiare vellet, is vtique superaret omnia cum Deo seu virtute Dei. Quod Paulus testatur, vbi ait: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Eia nunc charissimi, festinate, obsecro, agite, properate, discite viuere, certi etiam hoc præsenti tempore eò hominẽ pertingere posse, vt tam immẽsum supernaturale gaudium experiatur, quale nec omnes creaturæ ad nouissimum vsque diem præstare possent. Denique & hoc agedum addiscere conemur omnes, quo pacto veri adoratores efficiamur, *Patrem adorantes in spiritu & veritate*. Sed vereor ne prolixior fiam, quandoquidem istæ me inclusæ rogârunt, vt dicã eis quid ad inclusam pertineat. Et hoc ipsum paucis nunc expediam, dicamq; qualẽ vnamquanq; veram inclusam esse oporteat. Itaq; ad inclusam pertinet, vt simplex sit, & tam mente quàm corpore, id est, intus & foris inclusa. Nõ decet eam per fenestras prospicere, aut sciscitari quid hîc aut illic rerũ geratur, aut gestum sit. Tantæ eam puritatis & abstractionis vitam agere par est, vt si pro omnibus, quẹ in purgatorij locis detinẽtur, animabus preces fundat, digna sit & sufficiens atq; idonea illas omnes inde liberare. Sanè inclusoria vita, non est parua res. Decet planè inclusam tam syncerè ac purè viuere, vt totum hoc à Deo consequi valeat, quod vniuersa sancta Ecclesia per septiformem sancti Spiritus gratiam consequitur. Quòd si secus agit, non est vera inclusa. Talẽ quoque vitam eam ducere conuenit, vt si cuncta illi Ecclesiastica iura subtrahantur, nihil ei apud Deum obesse queat. Sed heu eò nunc res rediji, vt inclusæ vespertino tempore hospites suscipiant, & manè multa eis administrent: quod non inclusarum, sed pandocheorum officium est. Præterea etiam hoc ad inclusam pertinet, vt silentium suum diligenter obseruet, rationabili duntaxat & vera necessitate excepta, & vt purè ac attentè precetur. Non est illius, pandocheorum munus exercere, neque confabulari hominibus, sed hoc potius, vt in vera diuinaque resignatione tam fortis & immobilis perpetuò persistat, vt etiam cum sensibili delectatione lætoqũ. consensu, semper Dei prẹsentia sensibili

Augustinus.

1. Cor. 6.

Philip. 4.

Ioan. 4.

Inclusarum quid intersit.

Corruptus inclusarum status.

Silentio inclusis opus esse.

carere possit, ac nihilominus fidelis ei perseuerare, simulq́ue creaturis omnibus renuntiare propter ipsum. Sed iam inclusas quasdam dicere audias, necessarium sibi esse, vt in virtutibus sese exerceant erga proximos suos. Verùm huiusmodi non inclusorium, sed hospitale magis petere debuissent, atque illic circa Christi membra humiliter sese exercere, quod tum propriè ex officio pertinuisset ad eas. Hoc enim fideliter agere debent, qui in hospitalibus degunt. Rursus aliæ dicunt: Seruiendum atque subueniendum est mihi proximis meis propter Deum. Sed neque hoc veræ inclusæ officium est. Quòd si penitius ipsa intueretur, inueniret vtique, quàm occultè pugnet cum proposito suo. Inclusa quæque tam puram, tam absolutam & ab omni creatura liberam & abstractam vitam agere deberet, vt merita illius vniuersis, qui Christi censentur nomine, subuenire ac opitulari possent. Cæterùm adhuc aliæ sunt, quæ dicant tam infirmæ ac debilis sese naturæ esse, vt necessarium sibi sit, quò per humanas confabulationes sese releuent, & infirmitati suæ hoc pacto succurrant. O miseras illas inclusas, quàm prorsus falluntur consilio maligni. Id pro comperto habetote, charissimi, quisquis in inclusorio aliud quærit, quàm voluntariè pati propter Deum, eum incautè inclusorium petere. Iam quasdam inuenire est, quæ inclusorium subeant, vt in ipso cum bona pace & quiete eleemosynis vescantur, quas tamen despecto modo, publicè per plateas, vt exules, non nisi inuitæ admodum mendicarent. Sed quotquot eiusmodi sunt, purarum inclusarum nomen sibi temere vendicant: multoq́; præstaret animabus earum, quòd in publica via vt exules iacerent in ea forma, quæ ad miserationem omnium transeuntium animos moueret. Cæterùm vbi inclusa aliqua inclusorium ingreditur, purè, liberè, nudè ac voluntariè Christo sese ad crucem offerre debet pro hominibus vniuersis, memor verborum illorum, quæ Christus in cruce ait: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Beata illa & veneranda Maria Magdalena, vera inclusa fuit, quandoquidem omni creaturarum solatio sponte renuntiauit. Certè Deus Pater omnipotens vnigenitum Filium suum in terras misit, & humanam voluit, vt in ea pateretur, assumere naturam: & nos tamen semper fugimus pati. Verùm quicquid agamus, id certissimum est, si compendiosius apprehendere iter, citiusq́ atque subtilius cuncta penetrare velimus, id aliter fieri non posse, quàm vt verissimum Domini Saluatoris exemplar saltem aliquo modo patiendo sequamur. Est tamen, quod hîc pro nostri consolatione adducam. Sanè Deus Pater cælestis non ita durus & seuerus in nos est, sicut fuit in Vnigenitum suum. Enimuerò si tota nos virtute Deo ad patiendum obtulerimus, ita vt sponte atque libenter sufferre velimus, quicquid illi placuerit vt toleremus, nec tempore afflictionum ab eo recesserimus, neque occurrentes fugerimus afflictiones, vbi hoc ipse aduerterit, citius vbi ei tempus esse videbitur, omnes à nobis auferet afflictiones, diuinaq́ sua ac supernaturali, iucunda & sensibili nos consolatione perfundet. Quod nimirum cuicunque contingit, vt videlicet festiuam hanc & iucundam in seipso experiatur solennitatem, is nullam tum sentit terrenam festiuitatem. Non ad Dominicæ natiuitatis, non Paschę, non Pentecostes, nec ad aliam demum quancunque instar communium hominum exhilaratur solennitatem. Solùm hoc ingens internum conuiuium, dum scilicet omnipotens Deus cum supernaturali ac præsenti gratia sua in iubilo ad ipsum venit, copioso eum gaudio afficit. Idq́ue quocunque anni tempore in ipso agitur, omnes prædictę in illo so-

Marginal notes: Pauperibus inseruire, quorum aut quarum sit. — Matth. 27. — Pati nemine velle, tamen oportere pati. — Patientię spontaneæ meritum.

lo solennitates simul peraguntur atque complentur. Quamobrem libenter, Dilectissimi, ferre debemus, quicquid nobis aduersum acciderit. Quisquis enim ad supernaturalem hanc & iucundam solennitatem per passiones pertingit, hic prudens valde, essentialis & bene ordinatus efficitur, tantamq; ex influentia Spiritus sancti sapientiam acquirit, vt satis superq; intelligat, quid agendum, quidque dimittendum sibi sit. Tum verò cuncta in eo opera illius fructuosa redduntur, at ipse nihil omnino de se sentit: sed in magna semper humilitate perseuerans, inutilem se seruum arbitratur, iugiterq; in filiali quodam ac amoroso sese timore continet, nec aliud aliquid timet, nisi non plenè satisfacere se dilecto cordis sui, amantissimo Patri suo. In hoc statu, id est, dum huc pertingit, omnia priuata ac propria (hoc est, ab ipso assumpta) instituta & consuetudines propriæ voluntatis suæ decidunt, & conuersatio illius simplex, verè Christiana, & ad cælestia erecta efficitur. Interim nihilo minus cunctis ipse hominibus ignotus est, nisi quis eiusdem sit vitæ, qui eandem sit gratiam expertus & solennitatem. Præstet nobis omnipotens Deus, vt discamus per afflictiones pati, & per passiones ad hanc supernaturalem, gaudiosam, & felicem solennitatem pertingere mereamur, perducente nos ad eam ipsa æterna veritate Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat Deus per omnia seculorum secula. Amen.

Tres quædam optimæ institutiones.

QVISQVIS ille es, qui vnquam ad Deum & ad optimum, quem in hac vita consequi valeas, statum pertingere exoptas: hęc tria, quæ subijcio, studiosius obseruare debebis.

Primum est, vt Deum Deiq; honorem, non tuum, præcipuè verò voluntatem illius, non tuam, in omnibus intendas. I.

Secundum est, vt in cunctis actibus & extrouersionibus tuis teipsum studiosè obserues, ab ysse nihilum tuum intendas: studioq; perseuerante, circa quæ verseris, quid intra te agatur, ac fundum denique tuum, attendas. II.

Tertium est, vt haudquaquam illis, quæ tibi commissa non sunt, tete ingeras, sed omnia in suo statu ac ordine dimittas. Sint bona, bona. Mala verò non iudices, sed in tuum potius fundum introuersus, ibi perseuera, diligenter ac sedulò vocem Patris tui, vt in se constanter ad finem vsque permaneas, hortantem auscultans. III.

HAEC duo quisquis obseruârit, magna consequetur:

Primò, sit intus & foris in veritate atque ex ipso fundo, non verbis tantùm, pusillus & paruus: Sit, inquam, in omni intellectu suo, in fundo & in oculis suis, absque vllo commento, prorsus paruus & nihil. I.

Secundò verò, sit Dei amore præditus, non eo sensuali, quem nos amorem dicimus, sed essentiali, hoc est, vt intimè in fundo suo purè Deum intendat. II.

Meritò proinde quisque ab omni animaduersione, intellectu & sensualitate nudus & absolutus esse debet, quòd Deus omnipotens nudus & absolutus est, quo sic spiritus ad eius puram & nudam essentiam possit accommodari. Ita enim necessarium est, vt anima nuda & vacua sit, quæ arcana secretorum illius capere debeat. Vnde & necesse est, vt omnia illa amputare quisque conetur, in quibus aliquid suum reperit.

De obitu Magistri, vtque idem defunctus Laico amico suo apparuerit, rationem illis reddens seueri atque horribilis exitûs sui è corpore, dicens quòd illum vice Purgatorij sui tolerârit: simulque certiorem illum faciens de ingenti gaudio & felicitate perenni, quæ à Deo pro salutari sua doctrina consecutus fuit.

PRAETEREVNDVM hîc minimè est, vti Magister sæpe memoratus in vera humili, ac spiritali vita iugiter profecerit, & magna quædam virtutis sumpserit incrementa. Enimuerò in gratia Dei tam prudens effectus est, vt quicquid in illa vrbe ac regione, quam incolebat agendum esset, siue spirituale, siue seculare id fuisset, illius consilio & sapientia omnes vti peroptarent, eò quòd acceptus illis esset, & fidem illi haberent, crederentque, imò & morem gererent consilijs illius. Plures etiam tam ad seculares quàm spirituales homines conciones habuit, secundùm formam illarum, quas iam supra posuimus. Quumq; in hac tam vtili ac fructuosa vita nouem annos laudabiliter exegisset, cunctisque, vt dictum est, in illa regione & oppido charus & gratus esset, iisdem nouem annis absolutis, placuit altissimo Deo famulum suum & amicum dilectum ad se recipere, nec diutius in hoc exilio relinquere. Et quia sine Purgatorio illum ad cælestia transferre decreuerat, grauem eum ac diuturnam corporis molestiam & valetudinem incurrere permisit, ita vt per viginti hebdomadas paralysi decumberet, nec parum acres dolores pateretur. Exactis deinde viginti hebdomadis, haud obscurè ex diuina agnouit gratia, sese ex hac luce propediem migraturum, Deumq; cruciatibus suis finem impositurum. Quo cognito, rogauit ministros, vt Laicum suum adduci curarent, redderentque illum de suo propinquo decessu certiorem, quodq; non mediocriter illum sibi morienti adesse desideraret. Nec mora, vbi Laicus ista resciuit, Magistro obtemperans, ad illum ocyus venit: & perquàm familiariter ab illo acceptus, sciscitabatur eundem quo pacto haberet. Cui Magister respondit: Puto equidem non ita procul abesse diem illum, quo me Dominus ex hac luce ablaturus est. Vnde id mihi gratissimum, nec minus consolatorium fore scias, si morienti mihi præsentem te exhibueris. Cæterùm rogatum te velim, inquit, vti schedas illas chartaceas accipias, in quibus omnia diligenter scripta reperies, quæ multo tempore inter nos dicta factaq; sunt: quædam etiam de vita mea, quæ Deus per me miserum & indignum seruulũ suum operari dignatus est. Et si tibi videbitur, siq; Dominus dederit, in libellum vnum ea redigas. Ad hæc tale Laicus responsum dedit: En Domine Magister, penes me sunt quinque conciones tuę, quas scripsi ex ore tuo. Si ergo visum est tibi, has illis scriptis tuis interseram, vt vnus ex omnibus sub tuo nomine libellus fiat. Cui Magister: Quanta, inquit, possum dilectione te oro & obtestor, fili charissime, vt neque ex parte mea, neque sub meo nomine quicquam edas. Neque enim mea sunt, neque ea vel in vita vel post mortem meam sciri volo, sed Dei sunt omnia, qui ea per me miserũ operari dignatus est. Si tamen è re proximorum fore, & ad illorum ædificationẽ cedere posse arbitraris, si ista conscribas: nihil impedio, quo minus scribantur, si tantùm hoc caueas, ne vel me exprimas, vel nomen meum. Hoc autem modo scribere licebit, verbi gratia,

Purgatorium quoddam hic suum pati.

gratia, Magister dixit aut fecit hoc vel illud, tacito semper nomine meo. Sed hoc curandum tibi erit, vt vbi libellum confeceris, eum in hac vrbe nulli legendum tradas, ne quis fortè me fuisse deprehendat: sed potius absorpta eum tecum in regionem tuam. Denique plures alios sermones bonos Magister contulit cum Laico suo vndecim diebus, ad illam vsque horam, qua animam fusurus erat. Quæ cùm aduenisset, ita Laico locutus est: Velim, dilecte fili, tuum in hac parte consensum mihi præbeas, vt si Deo placuerit, ad te post obitum in spiritu reuertar. Cui Laicus: Si Deo, inquit, ita visum fuerit, placet & mihi, vt eius in hoc voluntas fiat. Dehinc cùm Magister morti suæ proximus fieret, constitutus in agone, tam horribiles atque pauendos edidit gestus, vt fratres illius & quotquot illic præsentes aderant, non minimum ex adspectu illorum gestuum pauorem, metum & angustiam incurrerent. Atque ita demum extremam horam, quantum ex signis exterioribus colligère licebat, horribiliter clausit. Cumque iam obijsset, omnes penè, qui in illa ciuitate morabantur, commoti sunt, quòd vniuersis illis impendio charus esset. Porrò quum animaduertissent quidam loci illius homines, quàm familiariter Laicus sæpedictus illi in extremis inhæsisset, honorem illi impendere volebant, ipsumqúe ad conuiuia sua inuitare. Verùm vbi hoc illi innotuit, mox è ciuitate illa fugit in terram suam. Proficiscente igitur eo, & iam tertij diei iter agente, ad solis occasum venit ad villulam quandam. Quumqúe præ primæ noctis sese intendentibus tenebris vlterius ambulare non posset, nec hospitium publicum in ea villula reperiret, quendam honestum virum, fortè illi in ea via obuiam factum, rogare cœpit, vt se famulumqúe suum hospitio reciperet, & quantum vellet exigeret ab eis. Cui vir ille respondet, libenti animo quod petebat sese facturum, si grata habere vellet ea, quæ apud ipsum essent. Itaque factum est, vt eos hospitio reciperet: & Laicum quidem illum, vt melius potuit, decumbere fecit, seruum verò illius duxit in horreum super stramenta. Posteaquam igitur cubitum iuissent, euigilans Laicus ille in ipsa nocte, vocem quandam exilem prope se audiuit, nec tamen quicquam videre potuit. Vnde nonnihil terreri cœpit. Tum vox illa sic ei locuta est: Ne timeas dilecte fili, Ego enim sum Magister. Quo audito, Laicus dixit: Vellem equidem scire ex te Domine Magister, si tamen Domini voluntas est, vt tecum agatur, quidve causæ fuerit, quòd tam horribili, quantum exterius notare licuit, atque tremendo fine vitam clausisti. Enimuerò quosdam ex fratribus tuis, quasi de te diffidere cœperunt: & vereor certè, ne quosdam ex eis offenderit tam seuerus exitus tuus. Ad hæc vox illa Magistri sic respondit: Ista iam nunc aperiam tibi. Certum habe, ita decretum fuisse Deo, vt anima mea mox vbi à corpore migraret, à sanctis Angelis susciperetur, & per eos defenderetur à dæmonibus, ne quid illi amplius molestiæ mihi inferrent, nec ego vltra eos cernerem, nec quicquam cum eis deinceps commercij haberem. Vnde & me tam tremendo vitam meam fine claudere, & ipsum Purgatorij vice sufferre oportebat. Et reuera maligni spiritus tantis me angustijs constringebant, tamqúe subtilibus & astutis me fallacijs ac dolis impugnabant, vt mihi omnino desperare velle viderer. Et si loquendi mihi non fuisset ablata facultas, tantos clamores edidissem, quòd miram in me cernere fuisset calamitatem meam, vnde agonia mea, quam in me fratres cernebant, notari potuisset. Cæterùm omnipotens Deus pro pœna illa & cruciatu vberem mihi mercedem resti-

DOMINICA PRIMA ADVENTVS DOMINI.

Vti à peccatis resurgere, hostes nostros expugnare ac vincere, & gratiosissimum Domini aduentum in animas nostras obseruare debeamus.

SERMO PRIMVS.

Hora est nos iam de somno surgere.

AD ROM. XIIII.



HODIE, dilectissimi, Aduentus Dominici initia celebramus. Et planè iucundissimum nunc tempus imminet, de quo in sancta Ecclesia festiua admodum & deuotissima verba leguntur atque psalluntur. Sicut enim vernum tempus cæteris totius anni temporibus plus delectationis & amœnitatis habet, sic & istud iam imminens tempus, præ alijs anni solennitatibus deuotius est sacratiusque. Nimirùm hoc tempus est, quod omnes veteris Testamenti Patres, & quotquot tunc Sancti esse poterant per annorum fermè quinque millia, magnis desiderijs, votis atque gemitibus suspirabant & adesse precabantur, dicentes: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes ad illuminandum eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Omnia quoque eiusdem Testamenti gesta atque figuræ, eò tendebant, vt illius qui tunc venturus sperabatur, nunc verò etiam venit, magnitudinem & excellentiam declararent. Nunc itaque, dilectissimi, sine cessatione soli sapienti Deo gratias immensas & laudes deuotissimas exoluamus, quòd nos in tempore gratiæ condidit, cunctasque nobis diuitias atque charismata sua (modò nosipsi velimus) impertiri paratus est.

Aduentus Dominici vtilitas. Isa. 64. Lucæ 1.

Hortatur ergo nos Apostolus, vt à somno vitiorum exurgamus. *Nox* enim, inquiens, *præcessit, dies autem appropinquauit. Sic, vt in die, honestè ambulemus.* Quamobrem studiosè aduertere debemus, qua ratione collapsi simus, qua item à vitijs & peccatis omnibus ad primam innocentiam consurgere oporteat. Certè rerum omnium Conditor Deus, humanum genus ea ratione creauit, vt cælestis palatij sedes vacuas, vnde Lucifer cum suis complicibus deturbatus fuit, occuparet atque repleret. Cęterùm hic idem Lucifer inuidia & odio implacabili succensus, hominem quoque ad inobedientiam fallaciter perduxit, cui dum incautus consentiret, omnem gratiam, & virtutes omnes, per quas ad Dei & sanctorum Angelorum similitudinem accedere debeat, repentè perdidit, purissimamque naturam suam multa impuritate infecit, atque adeò sibijpsi lethalia vulnera inflixit, vt intellectus cæcitatem, voluntatis peruersitatem, concupiscibilis in appetendo fœditatem, & irascibilis demum infirmitatem, sicut rectissimè

Isa. 14. Gen. 3.

Psal. 48. Propheta Regius ait: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hinc iam factum est, vt tres aduersum nos hostes consurrexerint, qui iam proh dolor per lata terrarum spatia vbique præualent, & tyrannico dominatu miserorum corda mortalium occupant possidentque. Sunt autem hi hostes, Mundus, Diabolus, & Caro. Hi dum sua in homine voluntate potiuntur, heu heu perit anima, tanta benignitate ac pietate à Deo electa atque dilecta. Nam cuicunque præualent, is citra dubium mortis æternæ miserijs inuoluitur, nisi resipiscat. Porrò quòd hoc præcipuè tempore tres hostes isti, tam periculosè, tamque horribiliter locum Dei in multis religiosis pariter atque secularibus hominibus occupent, eisque dominentur, prout omnibus videre pronum est: id amici Dei, qui hunc intentione & amore prosequuntur, amarissimè deplorant. AEternum quippe animarum dispendium tanto eos dolore cruciat, vt præ illius vehementia, corda ipsorum dirumpi possent, dum palam quotidie intuentur vsque adeò in hominibus amorem priuatum inualuisse, vt paucissimi sint, qui Deum Creatorem suum puro amore ac syncera intentione prosequi velint. Ecce enim Mundus per superbiam dominatur, siue ea intus lateat, siue foras erumpat. Et quantos hæc Satanæ insignia contineant, quis explicet? Quotusquisque est hodie, qui non aliquo numero haberi velit? Horum autem peccata quis dinumeret? Satan verò dum pleno in homine dominio potitur, hunc ad amarulentiam, ad iram, ad odium, ad suspiciones sinistras, ad iudicia temeraria, ad vlciscendi libidinem, ad auersiones, & ad discordias impellit. Vnde quotquot huic militant, discordes, absque dilectione, & erga alios temerarij sunt iudices & animo crudeli. Caro denique voluptates bestiales, commoditates atque fomenta, oblectationes sensuum, & rerum omnium prosperitatem exoptat atque sectatur. Hinc verò quot miseris damna mortalibus accedant, sicut nemo ad plenum capit, ita qui his sunt malis implici & excæcati, ab horum notitia longissimè distant, ruuntque præcipites in infernum. Itaque per hos iam vtcunque designatos hostes, totum ferè genus humanum seductione pestifera ad damnationis perpetuæ profunda abducitur.

Tres pestilentissimi hostes. *Mundus.* *Satan.* *Caro.*

Vt ad Deum reuertamur. Cæterùm quisquis ad pristinum illum honorem ac dignitatem, quam primò quidem ipse Protoplastus, dehinc verò etiam nos peccando perdidimus, feliciter redire, & Dominico in animam aduentui locum præbere cupit, huic mundum fugere, Satanam expugnare, carnem cum discretione in seruitutem redigere, & in sequentibus, quæ numero senario concluduntur, diligentissimè sese exercere incumbit. Primò quidem per superbiam & voluptatem Adam in Paradiso cum Eua coniuge sua subuersi sunt. Sic ergo alia duo sunt, per quæ nos redire oportet, quò pristinas natura vires recuperet. Primum est, vt omni inordinatæ voluptati viriliter atque discretè reluctemur ac moriamur. Alterum, vt quia natura per superbiam sese erexit, nunc eam profunda cum humilitate non Deo tantùm, sed & hominibus subijciamus vniuersis. Vulgari nanque prouerbio dici solet: Infimum petat locum, qui gradum supremum contingere volet. Per hæc duo, priores naturæ vires reparantur. Insuper alia duo sunt, in quibus Angelis nos conformari oportet. Primum est, vt cunctis mala nobis inferentibus ex animo ignoscamus, & inimicos haud secus quàm amicos puro amore prosequamur: sicut & sancti Angeli nostris sæpenumerò iniquitatibus offensi, dilectionis tamen affectum nobis impendunt. Alterum, vt proximis quibusque spon-

Gen. 3. I. II. I. II.

ſponte & ex animo inſeruiamus, ſicut & cæleſtes illi ſpiritus diuinitatis amore perpetuum nobis exhibent famulatum. Denique adhuc alia duo ſunt, in quibus etiam Deo nos conformari oportet. Primum eſt obedientia vera, quam ille cæleſti Patri ſuo ad mortem vſque conſtantiſſimè præſtitit. Alterum, vt in obedientia hac, cæteriſque virtutibus, iuxta exemplum ſanctiſſimæ vitæ & paſſionis Chriſti, quandiu in hac vita ſumus, magis ac magis in dies proficere atque perſeuerare conemur. Per hæc nimirum pura atque cæleſtia corda aſſequimur, & vnus cum Deo ſpiritus efficimur in humilitate profunda, in reſignatione ſpontanea, patientia miti, nuda ſpiritus paupertate, & feruentiſſimo Dei amore. Et hæc quicunque ſectantur, (quales heu pauciſſimi ſunt) hoſtibus ſuis fiunt ſuperiores, & diuina eos clementia à graui afflictionum ſarcina exonerat, crucemque eorum ſimul cum eis portat. Deo nanque permittente, electi omnes diuerſis fatigantur afflictionibus, ea potiſſimum de cauſa, vt hæc quatuor, quæ ſubiungo, in eis oriantur. Primò, vt per hoc ad ſeipſos reducti, vnde illæ afflictiones veniant, perſcrutentur: atque per eas ad ſua redeant interiora, ſecumque maneant. Secundò, vt afflictionum cauſam, & culpam ſuam, cur eas Deus ipſis euenire permiſerit, diligenter examinent, quóve per has ipſos ille perducere velit, eoque cognito ſeſe emendent, Deum impigrè ſequantur, illiuſque ſe voluntati penitùs reſignent. Tertiò, vt ſeipſos & creaturas omnes omnino relinquant, & tum Deo, tum creaturis omnibus ex toto ſeſe ſubmittant, ſubijciantq́. Quartò, vt veram in multiplici aduerſitate diſcant patientiam. Quid eſt autem vera in aduerſis patientia? Illudne, vt immotus quis extrinſecus permaneat? Non planè, ſed vt in intimis ſuis, in ipſo fundo ſuo ſentiat & credat in veritate, neminem ſibi iniuriam inferre poſſe, ſed ſemper ſibi digna factis rependi, & iure maiora ſe pati debere, atque ſibi mala irrogantibus ex animo compatiatur. Qui eiuſmodi ſunt, ij Chriſti verbum ſalubriter audiunt, Chriſtum humilem ſequuntur, quibus ille præſidet, ac dominatur, quibuſq́ ait: *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

I. II. — Cur affliguntur electi. — I. II. III. IV. — Patientia vera quid. — Ioan. 8.

Cæterùm eorum, qui Chriſti verbum audiunt, duplex genus eſt. Alij illud cum gaudio auſcultant, & vbicunque illud audire licet, eò properant, ac ipſum intellectu, quatenus ille ſenſibus iungitur, & naturali ſuo lumine percipiunt. Vnde fit, vt quicquid eorum palatum non afficit, id eis minimè placeat: ſicque cum hac ſenſualitate, ſiue cum his ſenſibus ſuis huc illucque diſcurrunt, ſemper aliquid noui & audire & intelligere cupientes. Nec aduertunt quòd eiuſmodi oporteat diſcurſus reſcindere, ſi in virtutibus proficere velint, & aliud omnino iter arripere, ſi quandoque in viros probatos euadere debeant. Alij verò ad ſeipſos ſeſe recipiunt, ſecumque manent in interiori fundo ſuo, & ordinationes diuinas per rationis illuminationem ſimpliciter obſeruant, ſuamque vocationem, & quò eos Dominus inuitet, ac trahat, ſolerter attendunt: & hæc ſine medio ſuſcipiunt à Deo. Nam quæ per media, vtpote mortales creaturas, præſtantur: deſipiunt profectò, eo quòd multiplicitatem quandam contrahant, & quendam amaritudinis contineant hamum, ac ferè ſemper nonnihil ex creaturis acidum referuent, ita vt omnino denudari ea oporteat, ſi ſpiritui in veritate ſapere, & in ipſum debeant verum pertingere fundum. Quotquot autem dona ac ordinationes Dei intus obſeruant, ſiue ea

Duplex auditorum genus



ut ea per media, siue absque medio percipiant, ex ipso ea fundo suscipiunt, & in diuinæ bonitatis referunt fundum. Hi sunt, qui ex ipso vero fonte hauriunt atque degustant. Priores verò illi, de quibus supra diximus, propriæ quæsitionis & voluntatis lepra infecti sunt. Inde est, quòd in institutis, exercitijs ac rebus omnibus, sua lucra venantur. Attamen hæc ipsa nusquam ita purè, sapidè ac abundanter inueniunt, sicut in intimo illo, qui media non habet, fundo. Sed quærat fortasse aliquis, quo pacto diuinas ordinationes citra obstaculum sentire quis debeat. Id profectò, vigilanter sese inhabitando, secumquè manendo, fieri habet. Sit proinde sui quisque habitator, & inanes excursus ac inquisitiones externas deuitet. Enimuerò si tempestiuè domi fuerit, certo certiùs experietur, quidnam agatur domi, quidquè Deus illi & intus absque medio, & foris per media disponat ordinetquè. Et tunc sese resignet, Deumquè sequatur, quacunque hic ipsum via deducere volet, siue ad contemplationem, siue ad actionem, siue ad fruitionem. In his, inquam, siue dolorem ingerant, siue saporem administrent, Deum promptè sequatur. Quòd si nihil horum à Deo sibi præstitum fuerit, in sua nihilominùs illi se simplicitate resignet, atque his omnibus pro illius amore libenter careat, introquè etiam cum labore se recipiens, amabile Domini Saluatoris exemplar sibi proponat. Ille namque cuncta opera sua triplici de causa peragebat. Primò, in omnibus illis cælestis Patris sui gloriam, nec quicquam omnino suum, siue in magnis, siue in paruis requirebat, sed cuncta illi ferebat accepta, atque in ipsum refundebat omnia. Secundò, ex imo cordis sui salutem & beatitudinem humani generis affectuosissimè quærebat & intendebat, cunctos saluare & ad agnitionem sui nominis perducere gestiens, sicut & Apostolus apertissimè testatur: *Qui vult*, inquiens, *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Tertiò, in cunctis verbis & operibus suis omniq; vita sua hoc vel maximè sectabatur, vt nobis verum exemplar & imaginem perfectissimæ vitæ in summo & excellentissimo gradu relinqueret. Quotquot igitur in his ipsum subsequi conantur, nobilissimi prorsus amabilissimiq; homines fiunt. Qui in his regenerantur, ipsi sunt opulentissimus sanctæ Ecclesiæ thesaurus, qui semper id quod optimum esse nouerunt, perficere student, nec magnoperè attendunt, si magna, vel parua, maiora vel minora sint opera, quæ eis facienda incumbunt, sed in omnibus diuinum duntaxat beneplacitum obseruant. Atque hac ratione cuncta ipsorum opera, præcipua & optima sunt. Neque etiam vtrum sublimi vel inferiori loco à Deo collocandi sint, dispiciunt, cùm nihil eis nisi diuina voluntas in rebus omnibus æquè sapiat arrideatq;. Præstet nobis omnipotens Deus, vt & nos quandoque tales effici mereamur. Amen.

Quæstio pia.

Triplici de causa Christū, quæcunque egit, egisse.

1. Tim. 2.

DOMINICA EADEM.

Vt Dominico in nos aduentui locum præparare, cuncta in nobis vitia perimere, & Dominum nostrum Iesum Christum reuerà imitari & induere, ac triplicem hominem nostrum semper exercitare debeamus.

SERMO II.

Hora est iam nos de somno surgere. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

AD ROM. XIII.

NIMIRVM, dilectissimi, hora iam est, vt de somno peccatorum nostrorum surgamus, in quibus Pharaoni, id est, Tartareo spiritui, qui huius mundi princeps vocatur, miserabiliter seruiuimus, illius obsequentes voluntati, nostrisque prauis affectibus ac desiderijs indulgentes, vtque fidelissimo Patri & Deo ac Domino nostro deinceps seruiamus *in iustitia & sanctitate*, in vera tum exterioris, tum interioris Lucæ 1. hominis reformatione, *in charitate & fide non ficta, in vigilijs, ieiunijs & obsecrationibus nocte ac die*, 1.Tim.1. 2.Cor.8. alijsque ei placitis studijs, quibus eius nobis gratiam per peccata amissam conciliemus. En adstat ipse ad fores cordium nostrorum, & pulsat vt Apoc.3. sibi aperiatur. Sed heu infelici hoc seculo vix quisquam inueniri potest, qui illi aditum ad cor suum velit patefacere. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: at Filius hominis* Matth.8. Lucæ 9. verus Deus, in quo solo tamen vera est salus & beatitudo nostra, non habet in animabus, quas redemit sanguine suo, *vbi caput suum reclinet*. Adeò iam omnes penè ab illo auersi, & ad vitia toto studio, amore & voluntate conuersi sunt, in ijsque miserabiliter ac perniciosè nimiùm obdormierunt. Verùm ab hoc lethali vitiorum somno si reuerà resurgere velimus ante, Vt à somno surgendum sit. quàm in æternam ruamus mortem, & aduentui Saluatoris dignum nostris in pectoribus locum præparare, quemadmodum in huius diei Epistola D. Paulus nos admonet, Rom. 13. oportet sanè vt tenebrarum operibus omninò abiectis, nunquam ea repetamus, etiamsi mortis discrimen subeundum sit, atque nosipsos & omnem propriam cupiditatem & quæstionem funditus mortificemus & deseramus, obseruemusque quorsum vocemur à Deo, & ad quid illius spiritus sua nos illustratione hortetur, atque eidem confestim obsequamur & obtemperemus: sicque cunctis in virtutibus progrediamur, ac stabiles perseueremus. Docet enim nos spiritus Christi, detegitque intus in ipso animæ fundo non Spiritus Christi quid nos intus doceat. modò manifesta opera carnis, sed etiam occultiora vitia nostra, quam subtiliter ea in natura nostra, sese nimium spectante vel quærente, delitescant: & vt istiusmodi impedimenta & obstacula remouere ac deponere, fundum nostrum repurgare, vitia extirpare, nosipsos profundissima nostri in Deum resignatione prorsus nihili facere debeamus, ipsum obnixè rogando, vt cuncta vitia & defectus nostros per acerbissimam passionem suam penitùs in nihilum redigat, & extinguat in nobis. Atque eam ob rem necesse est, vt Dei reprehensiones Vt vitia in nobis obseruare, mortificareque debeamus. intra nos obseruemus, eius iudicijs nos submittamus, atque vnà etiam ipsi nos arguamus & reprehendamus: itemque naturam nostram vitiatam, hoc est, carnem cum vitijs & concupiscentijs, omni exclusa vana consolatione, radicitus crucifigere & mortificare instituamus, & nosipsos frangere, penetrare, vincere conemur: idque præpotentis Dei, in nobis viuentis ac nobiscum decertantis, freti ope & adiutorio: tempus etiam & locum, quibus nos exploremus, perscrutemur ac superemus, ad hæc agenda captemus. Enimuerò haud exiguum huc tempus exigitur: tumque Deus nobis vitia nostra reddet manifesta, & impedimenta dabit intelligere. Neque hæc tantùm, sed etiam vt naturam & nosipsos vincere, ac in spiritus ditionem redigere debeamus: & ipsum spiritum, qui est fundum seu potior animæ portio, in ipsum Deum dirigere cum animo introrsus verso, Deoque vnito, & super omnia libertatem in Deo adepto: animam itidem habere subditam ac morigeram, corpusque castum, mundum &

 patiens,

patiens, adeoqúe demissum, vt infra mortales omnes infimi esse appetamus, desideremusqúe duci pro nihilo & abijci, nosqúe amittere in Deo, & Christum crucifixum sequi, in eoqúe solo viuere nobis dabit, tanquam qui nihil neque nouerimus, neque possimus, neque habeamus ex nobisipsis, nisi vitia quæuis & æternam damnationem. Quæ ô si quispiam probè coleret, & in iis sese exerceret, eaqúe obseruaret, atque huc totum suum tempus adhiberet: citò profectò spiritu, anima & corpore in Deum transformaretur. Porrò qui hæc negligit, nec suæ naturæ obseruandæ inuigilat, is in sua natura pessum ibit & corrumpetur, multisqúe vitijs & defectibus præpedietur. Interim nihilominùs quidam apud homines sanctuli haberi volunt, suisq; vitijs quandam boni speciem loco excusationis prætexunt: sed non nisi sibijpsis imponunt. Nam quantoperè tentationum, vitiorum, & instabilis naturæ suæ passionum fluctibus exagitentur & impellantur ad peccata, ipsi abundè comperiunt in seipsis. Atque hæc vitia, non modò septem capitalia satis vulgata, sed & omnia alia ex illis pullulantia, tam multigena & varia sunt, quanta est hominum diuersitas. Singuli enim suis vitijs & tentationibus laborant. Sed quis, obsecro, cunctos hosce laqueos euadet immunis? Nemo sanè nisi humilis, pauper, & resignatus spiritu. Quis omnes hos morbos & ægritudines vel nosse poterit? Nemo profectò, nisi qui Dei spiritui sit subiectus. Tales enim diuinitùs illustrantur, & per dilucidam veritatem liberantur. Quando nanque de seipsis humiliter & tenuiter sentiunt, atque in suum nihilum profundè demersi sunt, eam ob rem illuminantur & eriguntur à Deo, atque per ipsum in ipso à cunctis impedimentis absoluuntur & liberantur. Atqui perplures inuenias licet, qui naturam suam nunquam probè penetrarint aut perfregerint, neque per verum vitæ & passionis Christi iter, ipsum Christum re vera imitando, naturamqúe suam edomando & mortificando, ingressi sint. Itaque non possunt spiritus sui habitatores ac possessores effici: sed simulatque à natura immortificata vel passionibus suis permouentur, vel à sensualitate, vel mundo, vel malo spiritu impugnantur, mox in ruinam impelluntur & concidunt, non aliam vtique ob causam, nisi quòd in vero fundamento neutiquam firmati aut extructi, neque inclusi sunt in intimis Christi Iesu, vbi veterem ac immortificatum hominem suum occidisse ac sepelisse debuerant. Ita enim spiritus eorum per Christi spiritum liberè posset introire, vnusq; cum Deo spiritus effici ac permanere: tumqúe quicquid Deus non est, eis verteretur in amaritudinem, bonumqúe illud omnis imaginis expers, putà Deus ipse, in fundo spiritus sese manifestaret, eorumqúe spiritum intra se amplecteretur, ipsosqúe totos in Christum crucifixum transformaret, atque omnes gressus seu itinera eorum ad abiecta & cruciatibus plena Christi vestigia dirigeret: & hac ratione stabiles ac firmi possent effici. Quò sanè nos hortatur Apostolus, dum ait, *induimini Dominum Iesum Christum*. Et ipsum quidem Dominum Iesum si ritè induere, atque in eum amore essentiali transformari, & ad veram libertatem & spiritus nostri stabilitatem pertingere velimus, intro nos recipiamus oportet in ipsum spiritus nostri fundum, vbi regnum Dei lucet, & bona omnia nobis promanant, vbi schola est diuinæ sapientiæ, in qua omnes veri Theologi omnimoda vera sapientia, charitate, sanctitate instituuntur, ac consummantur. Quisquis enim plus sese abstrahit, abnegat, mortificat, nudum ac expeditum reddit ab omnibus

[Margin notes: Sanctitas ficta apud quosnam repetiatur. — Vt diaboli laqueos euadamus. — Vt Dominũ Iesum induamus. — Habitare in interiori homi-]

bus

bus quæ Deus non est, & in quibus Deus purè non spectatur, quibusve natura cum propria quæsitione inhæret, seseq; humili cum resignatione simpliciter intro recipit, obseruatq; instinctus & institutiones Dei: is vtique magis illustratur ac docetur à Deo, totaq; adeò Scriptura diuina, omnimoda discretione & dilucida veritate absque errore ei prælucet & eum illuminat. Idem autem docetur hic, vt viuere debeat in mente siue intimo deiformi homine suo spiritu in Deum subleuato ac erecto, atque cum desiderabundo amore perpetim ambulet in conspectu Dei, quem in animæ suæ fundo præsentem inuenit, inibiq; rapitur in Dei spiritum, viuitque soli Deo, laudans eum iugiter cum tota cælestium spirituum frequentia. Docetur etiam, vt intus in anima exercere se debeat in sentiendis internis Christi doloribus, atque eò rapi magna cum compassione & perpetua exercitatione, ita vt semper in intimis Christi commoretur. Denique docetur, vt in externo homine, corde & sensibus, Christi actus, mores, cogitationes & verba imitari debeat, atque cum eodem nudus extendi & figi in cruce, & pendere cum illo distentus & clauis affixus in cruce sanctæ obedientiæ, desolatæ derelictionis, & humilis patientiæ. Hæc, inquam, omnia docentur in schola hominis intimi. Si quis illud ò è intrò se recipere, obsecrare, quærere & pulsare velit, vt internus codex in animæ fundo ipsi expandatur, is non magnoperè codicibus alijs opus habet. Siquidem diuinæ veritatis simplici illustratur lumine, vt seipsum & naturam suam & creaturas omnes funditùs abnegare & repudiare, atque per Christi passionem, sensitiuam portionem penetrando, in spiritus cum Deo vnionem ingredi debeat. Verùm necesse est vitam, & passionem Christi continua, efficaci, forti & perseueranti meditatione exerceat, ita vt omnes sensus eius in illa refrænentur atque figantur, & tota portio sensitiua, ac natura vitiosa, & impura intentio in ea moriantur, adeoq; ea sensibus & cordi imprimatur, vt quæuis alia cogantur cedere, & extraneæ imagines omnes profligentur per impressam crucifixi Iesu imaginem. Qui in sola hæret humanitate, & multas fundet lachrymas, & naturam destruet, ac nihilominùs immortificatus & indomitus foris & intus erit, ita vt Deus opus suum diuinum in illo non possit perficere. Ergo amor ille cogitandus est, ex quo Deus cuncta fecit & perpessus est: ipsæq; cogitationes in intellectum adducendæ sunt, atque ea ratione passio Domini commemoranda. Tum verò amor sursum nos impellet in diuinitatem, ac spiritus noster vnietur cum Deo, & aliam accipiet naturam, & in habitum mutabitur, cunctæque vires animæ & sensus nostri transfundentur & transformabuntur in passionem Christi, adeò vt non nisi Christum sentiant, & hunc crucifixum: prorsusque inflammentur amore Dei, qui tot cruces & compassiones ob peccata nostra suscepit & pertulit, lugens propter nos cunctis diebus vitæ suæ: quæ illius interna afflictio, pressura & angustia, tanta tamque immensa fuit, vt si ea in creaturas omnes, quæ vnquam vixerint, distributa fuisset, cunctas inde mori necesse fuerit. Neque verò tutior vlla via est, quàm vt in crucifixa Christi humanitate commoremur, eius vitam & passionem iugiter meditemur, atque in eis vitam nostram expiemus, emundemus, illisq; imitando conformemus: nostras afflictiones illius pœnis diluamus, cum ipso ex amore patiamur, crucem nostram in ipsum subleuemus, & spiritum nostrum per eas in eius diuinitatem demergamus. Atque ea de causa si ad pristinam, in qua conditi

ne quàm vile.

In mente.

Anima.

Corde & corpore.

Vt liber mentis nobis aperiatur per exercitiũ passionis Christi.

Amor Christi patientis quantus.

Vt in Deum redire possimus per merita Christi.

diti sumus, puritatem nostram redire velimus, ita vt regnum Dei in nobis detegatur, possimusq́ue cum Deo nostro ambulare in cælo spiritus nostri, quem præsens semper Deus inhabitat, necesse est veterem multis obnoxium vitijs hominem nostrum perfecta contritione & vera confessione repurgemus: atque cum tota deficiente vita, imperfectione ac infirmitate nostra, adeoq́ue totos nos in immensam Dominicæ passionis abyssum proijciamus, atque inibi peccata nostra acerbè lugeamus, & impuram vitam nostram in perfecta ac mundissima vita Christi expurgemus, omneque debitum nostrum ex aureo passionis Christi monte dissoluamus: atque leprosas animas nostras in calidi sanguinis eius riuis abluamus ac sanemus: & in profunda illius vulnera atque amoris balneum, vbi vitia cuncta & omnis sensualitas nostra mortificatur, nos immergamus: & in eis immortificatos sensus nostros ac naturam instabilem contineamus, nosq́ue funditus mortificemus: neque ab exercitatione hac cessemus, donec vetus homo noster edomitus, & in spiritus seruitutem redactus sit: & anima cum vniuersis viribus suis reformetur, & in Deum subrigatur, & cunctis virtutibus ac donis exornetur: atque spiritus, qui est suprema animæ portio, Deo adhæreat, Deo vnitus & in Deo liber permaneat, supra naturam eleuatus in Deum: corpusq́ue & anima vnum maneant in Christo crucifixo, cuius omnis vita & passio nobis impressa perseuerent, haud secùs insculpta cordibus & sensibus nostris, quàm signum ceræ: vbi cuncta ceu in libro exarata sunt, in quo continuè studebimus, plusq́ue inde illustrabimur ac edocebimur, quàm ex cunctis mundi voluminibus. Et possit sanè ea deuotione sese quispiam in his exercere, vt eandem consequatur puritatem quam in baptismo, etiam si omnia peccata mundi admisisset, adeò vt mundus totus & omnia oblectamenta ipsi amarescant, sitq́ue paratus agere, omittere, & pati, quicquid cedit ad honorem Dei: imo vt mâlit cum Christo paupertatem, cruces, dolores, ignominiam perpeti, quàm diuitijs, commodis, honore affici. Nusquam enim neque Christus melius obtinetur, neque anima Christo vnitur, & intus in fundo illustratur, quàm in vitæ & passionis eius conformitate, vbi vera potitur pace & libertate. Hæc nimirum frigida queunt pectora nostra liquefacere, si sic perpetuò nobis impressa seruemus, donec velut habitus in nobis fiat isthæc Saluatoris species vel imago, cui omnes aliæ formæ vel imagines cedere compellantur, quando videlicet sensibus & cordibus amabilissimæ præsentiæ illius speciem siue imaginem hausimus ac retinemus, contemplantes, quàm amabilis, honestus & sanctus fuerit cunctis moribus suis, quàm humilis & benignus erga quosuis homines, quàm dulcis in institutionibus, quàm resignatus & patiens erga hostes suos. Id verò ipsissimum est fundamentum, in quo vitia & passiones nostræ omnes consumuntur, cuius contemplatione Sancti

Vt triplex homo noster transformetur in Christum. Sensus.

morti sese obijciebant. Porrò vbi se quispiam in isto ea, qua diximus, ratione exercitârit vno aut altero mense, vel anno integro, prout studiosus fuerit erga sese superandum ac mortificandum, deinde vertetur ipsi in habitum. Tum verò ita omnis & passio Christi in ipso penitus viuet, ita vt cunctæ vires & sensus illius adeò in ipsas rapiantur ac ijs perfundantur, vt nihil cernat, audiat, sentiat, nec quicquam ipsi libeat præter Iesum, & hunc crucifixum. Atque vbi hoc pacto cum vniuersis viribus & sensibus suis Christi humanitati habitualiter vnitus est, adeò vt propriam humanitatem pro Christo tradiderit,

Christi-

Christiqúe vitam & passionem loco illius receperit, iam homo inferior hic perseueret oportet, nec potest longius ingredi, nisi in vitam & passionem Christi. Anima verò per eas magis compendiaria introducitur via, ita vt perspicuè cognoscat Deum absque vlla specie corporea, idq́ per meritum passionis Christi: quæ quanto magis in homine exercitatur, tanto anima fortius scandit in Deum, & Deum dilucidius cognoscit, vitæq́ & passionis comperit mysteria, & maiori exercetur amore ad ipsum redamandum, & sese intus obseruandum, atque Christi inter nos dolores maiori cognitione & compassione sentiendos & perscrutandos, vt per compassionem cum ipso crucifigatur, & amore ad omnes extendatur. In hoc autem gradu hærebit anima, & spiritum, qui est præcipua animæ portio, sinet sursum pergere in Deum, & cum illo manere vnitum, vtpotè qui propria illiùs habitatio, & locus requietionis eius est. Verùm quantumuis in Deum sublimiter raptus sit spiritus, homo inferior in suo persistat gradu, ac fideliter se exerceat, & omnibus quibus natura afficitur, moriatur oportet. Quanto enim plus natura moritur, tanto magis viuit spiritus in Deo: & quò spiritus magis ascendit in Deum, eò natura ampliùs illustratur ac erigitur. Quanto autem corpus & anima copiosiori corroboratur gratia, eo magis libet illi mori, sibiq́ subtrahere, & cum contempto Iesu abijci: idqúe animæ profectum efficit, facitq́ spiritum perfectè animæ vnitum manere. Imitari sanè nos conuenit exemplum Abrahæ. Vbi spiritus noster diuinitatis montem scandere instituit, asinum, id est, corpus cunctis actibus bonis & laboribus ad Christi exemplar onustum, & seruum, id est, animam rationalem, quæ omnigenis virtutum exercitijs asinum propellit & extimulat, inferiùs relinquemus, vbi Christi humanitati vniuntur, & solum spiritum ad diuinitatis vnionem in montem scandere liberè sinemus. Sed priùs bene moriamur ac expurgemur oportet. Nihil enim inquinatum, neque modò, neque post hanc vitam intrabit ad Deum.

Anima. *Mens vel spiritus.* *Abrahæ exemplũ.*

Porrò studiosè nobis aduertendum est, vt in exercitijs nostris progredi debeamus. Non est enim ars vlla præclarior, quàm nosse seruire Deo, & obseruare quid exigat à nobis, quæ iure vocari debet ars artium, potiusqúe artis, id est, quàm laboris: magisq́ proficimus in hac arte intima ad Deum conuersione, resignando, patiendo, Deum orando, & nihili pendendo nosipsos, quàm grandia operando. Cùm enim nos resignamus & patimur, iam Deus suum in nobis & nobiscum efficit opus: sicq́ vnum efficimur cum Deo. Nec quicquam Deo gratius, nobis vtilius est, quàm resignare & perpeti, & obedire Deo ac hominibus ob gratissimam voluntatem Dei. Quotquot enim cum suis exercitijs in solo infimo & externo homine cum delectatione, deuotione & complacentia subsistunt, etiam si ea sint de passione Domini, quàm diu tamen cum illis in natura & in seipsis persistunt, & cum voluptate ad ea feruntur, neque cum eis in animæ fundum, vbi Deus moratur, ingrediuntur, ij sanè falli grauiter poterunt, & malus spiritus admiscere se poterit: vtpotè qui nouit quæcunque in infimo aguntur homine, & quicquid in natura persistit, id in seipso corrumpitur. Hoc verò agnoscit dæmon in externo homine nostro, potestq́ nos sub virtutis specie seducere. Ergo qui securus esse expetit, non sit his contentus, sed cum essentiali conuersione intret in animæ fundum, vbi verum radiat lumen absque errore vllo: atque inibi discat intus exire sese, neque magnoperè externis

Vt progrediamur in hac arti arte. *Vti securi simus à deceptione.*

 ternis

ternis & circa imagines versantibus exercitijs suis innitatur, & cum vniuersis viribus conuertatur ad Deum in ipso præsentem, à quo declarabitur illi imago crucifixæ humanitatis eius, in qua totius vitæ eius summa comprehenditur, ne qua alia simulacra in ipso locum habere queant, certus alioqui nunquam partem optimam se assecuturum. Qui in sublimi positus est, procul respicit vltra inferiora omnia. Ita sese erigere quilibet debet & commorari in spiritu cum Deo, atque in creaturis omnibus contemplari Deum, & manere simplex in se ipso, & cuncta cognoscere in Deo, ac simplici obtutu sine multiplicitate cuncta intueri: & quæcunque agenda sunt exercitia, pura intentione faciat ad honorem Dei: habiturus proinde Deum in omni negotio absque negotio, atque simplici amoris oculo cuncta penetraturus, & relaturus omnia in Deum. Præterea scire conuenit quenlibet hominem ceu triplici constare homine, quorum cuilibet sua danda sunt exercitia. Homo exterior ieiunando, vigilando, orando, & cæteris operibus bonis sese exercebit Homo interior siue anima, deuotione interna, puris desiderijs, sanctis cogitationibus sese occupabit. habitabitqúe in Christo cum cognitione quadam & experimento & condolentia operum illius, atque cum Christo Deo & homine vnita erit, suscipietqúe influxum diuinum, vbi sese Deus animæ declarat, secernitqúe spiritum ab anima, atque omnes animæ vires ad sua dirigit loca ad Deum conuersas, ne spiritum præpediant. Denique fundum animæ, siue spiritus intimus, id est, supremus deiformis homo in essentiali sese introuersione, & vera cum Deo supra omnes modos, actiones & cogitationes vnione, eiusdemqúe fruitione & amplexu sese exercitabit. Has tres hominis portiones ita singulas in suis exercitijs constitutas esse oportet, nec quicquam horum omittere, sed in suis singulas crescere, eaque decorare. Quanto autem homo sensitiuus magis commortuus est, & actiones externi hominis puriores sunt, Christiqúe vitam & passionem imitantur: quanto item internus homo erga Christi passionem deuotior est, tanto intimus homo siue spiritus amplius in diuina veritate scandit in Deum. Sed antequàm id obtinere liceat homo externus & internus tam efficaciter in vita & passione Christi exercitatus sit oportet, vt ea perpetim in corde, sensibus, cogitationibus geratur, semperqúe illi præsens sit crucifixus Iesus, in quo & per quem semper expurgatur, quo propius ac interius ingrediatur in Deum, & sit vnus spiritus cum Deo vita & conseruatore nostro. Vt enim corpus nostrum, absque attractione anhelitus, viuere non potest: ita nec spiritus noster, absque Dei spiritu & gratiæ illius influxu, vitam suam tueri potest. Sed nec anima erecta mente & subleuatis viribus potest in Deo persistere absque internis Dominicæ passionis exercitijs: neque corpus à vitijs seruari potest, nisi imitando & amplectendo amabilem vitam, mores & conuersationem sponsi nostri, & bona exercitando opera. Quòd si hæc duo sua deserant exercitia & benefacta, non potest spiritus liberè proficisci in Deum, nec Deo vnitus manere, neque occultam percipere veritatem. Vbi nanque deficit fundamentum, necesse est omnis structura collabatur. Quando verò spiritus non manet intimè vnitus Deo, vbi diuina gratia & Deo ipso donatur, eiusqúe luce in animam redundante, cingitur ac illustratur, iam quidem anima in Domini sui vita & passione tam intimè illustrari ac edoceri non potest, vt illi se conformet, eumqúe imitetur: atque ita etiam nequaquam thesaurum & diui-

Vt triplex homo noster sese exercere debeat.
Exterior.
Interior.
Intimus.

diuitias in Christo latentes experitur: quas nobis prestare dignetur per seipsum idem Christus Iesus Deus ac Dominus noster, in secula benedictus. Amen.

DOMINICA EADEM.

Quàm inæstimabilem dignitatem ac felicitatem per sanctißimam Incarnationem suam Saluator noster humano generi contulerit, & vt vnum cum ipso efficiamur. Auctor D. Eccardus iunior.

SERMO III.

Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator. ZACH. IX.



ONVIT *vox lætitia in terra nostra, vox exultationis & salutis in tabernaculis* peccatorum. *Iubilate montes laudem, & omnia ligna syluarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit.* Eia quàm gratos esse nos oportet, dilectissimi, quòd Dominus ac Saluator noster tam copiosissimè nostri, qui terræ vermiculi & diuersis peccatis obnoxij eramus & sumus, misereri dignatus est. Psal. 117. Esaiæ 49. Psal 95. Esaiæ 55. Et cui tam ferreum pectus, aut cor adeò durum ac lapideum inesse queat, vt anima illius præ amoris vehementia non resoluatur ac liquefiat, quoties vel auditu percipit, vel corde meditatur, rerum omnium supergloriosissimum Conditorem, intra materni corpusculi viscera mortalem passibilemque naturam nostram assumere, Dominum omnium, seruum nostrum: Filium Dei, sponsum nostrum: & supremum denique iudicem, fratrem nostrum fieri voluisse? Dedit planè seipsum nobis cum omnibus diuitijs atque charismatibus suis. Neque enim sine salute Iesus, neque sine vnctione Christus, nec sine gloria venit Dei Filius. Cæterùm id imprimis scire vos velim, quòd omnes illas gazas atque diuitias, quas per suam humano generi Incarnationem clementia Saluatoris largiri dignata, neque angelicus neque humanus vllus capiat intellectus. Vnde non nisi pauca de his verba facere statui. Primò nanque per sacratissimi corporis & animæ suæ cum diuinitate sua vnitionem id nobis ab ipso collatum est, vt corpus illius nostri sit spiritus alimentum & esca, quem alioqui nulla vel corporalis vel spiritualis creatura reficere potest, præter ipsum Deum solum. Solatium qualecunque creatura præstare potest, cibare omnino non potest. Vnde ipse ait: *Caro mea verè est cibus.* I. Ioan. 6. Secundò ex hoc, quòd corpus & anima Christi non alicuius puri hominis personam acceperunt, sicut aliorum hominum, per quam vnus ab alio distinguitur: sed persona Filij Dei, erat persona quoque & subsistentia corporis & animæ Christi: cumque ipsum Verbum vbique sit & in omnibus: inde, inquam, ista nobis vtilitas prouenit, vt nihil ita nobis proprium esse valeat, vt Deus. II. Quia enim ipse in nobis est, nihil prorsus in ipso est, cuius nos capaces atque participes esse nequeamus. Tertiò ex hoc, quòd non solùm essentialis, verùm etiam actualis in ipso hominis cum Deo vnitio erat, adeò vt vires supremæ & intellectus, ipsius diuinitatis essentiam contemplarentur, & voluntas eadem perfrueretur, in quo salus atque beatitudo omnis consistit, id nobis vtilitatis accessit, vt æternæ beatitudinis eodem modo, quo ipse beatus est, nos quoque capaces simus, & interim in hoc exilio felicem quendam illius, quam adepturi sumus, beatitudinis pregustum percipiamus. III. Quartò ex hoc, quòd omnes vires inferiores, sensusque corporei eiusdem Domini Saluatoris, adeò diuinitati vniti erant, vt rectissimè dicamus: Deus vidit, Deus audiuit, Deus passus IV.

 est: hoc

est: hoc nobis collatum est, vt ex vnione illius cunctæ operationes nostræ, diui-
V. næ ac deiformes esse queant. Quintò ex hoc, quòd idem ipse *non Angelos, sed se-*
Hebr.2. *men Abrahæ apprehendit*, quodq; diuinitas illius non Angelicæ, sed humanæ se na-
turæ copulauit, per quod omnes haud dubiè homines maiorem præ cæteris
creaturis cum illo communionem habent, quippe cuius & membra sunt, & ideò
quendam ab ipso tanquam à capite suo, quod ipse est, influxum sortiuntur: ex
hoc, inquam, ea nobis vtilitas accessit, quòd omnes quotquot illius membra su-
mus, eam inuicem communionem habemus, vt bona meritaq; omnia Virginis
gloriosæ omniumq; beatorum, per amorosam hanc in Christo vnionem, quo-
dammodo ita mea sint, vti ipsorum: & quicquid partibus transmarinis agitur,
meum sit: quodq; meum est, ipsorum vicissim sit, qui & in cælo, & trans mare
degunt. Pro quo beneficio ipsum nos vicissim ex cunctis viribus totaq; faculta-
te nostra semper & in æuum laudare atque diligere, ipsiq; gratias agere, quàm
VI. æquum sit, quis non videat? Sextò denique ex amabili hac vnione collatum est
nobis, vt per Filium & cum Filio, Patrem videre simul & agnoscere possimus.
Ioan 17. De quo ipse Filius ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem*
Matth.11. *misisti Iesum Christum.* Et iterum: *Nemo nouit Patrem nisi Filius.* Vnde quisquis sal-
uari, & ad hanc beatam Dei Patris cognitionem pertingere cupit, in qua omnis
nostra beatitudo consistit, necesse est vt vnicus cum Christo, in spiritu per amo-
rem vnitus eidem, æterni Patris filius sit. Non enim multi filij, sed vnus filius.
Possumus quidem ex corporea natiuitate distingui, (hoc enim & necessarium est) sed in æterna illa generatione non nisi vnus esse debet filius. In Deo siquidem vna tantùm naturalis origo siue principium est, & ibi non nisi vna est naturalis filij emanatio. Non duæ emanationes filij, sed vna. Vnde si vnus cum Christo filius esse debeamus, necesse profectò est, vt vna perpetua cum Verbo æterno ex Deo Patre emanatio, & in eundem reuersio simus. Quòd si quærat aliquis, qua ratione ad id pertingendum sit, vt vnicus Dei Patris filius efficiamur, is aduertat ea quę subnectuntur: Cùm Verbum æternum Deus noster humanam naturam assumeret, non hunc vel illum hominem induit, sed liberam quandam, indiuisam, ac imaginis expertem naturam humanam assumpsit. Ob hanc verò naturæ nostræ à verbo susceptionem, ipsa humana natura in Filio, Patris imago est ob vnitatem personæ. Ipse namque Filius æternus, humanæ naturæ exemplar est. Sicut enim verissimè Deus homo factus est, ita & citra vllam dubitationem homo per gratiam Deus effectus est. Atque hoc modo natura humana in eo quod facta est, in diuinam imaginem, quæ æterni Patris est imago, transformata est. Si ergo filij Dei esse volumus, oportet separare, deserere, deponere ac abstrahere à nobis, quicquid intra nos distinctionem seu differentiam facit. Homo siquidem iste vel ille, Petrus aut Paulus, naturæ accidens est. Deserat ergo quisque, & obliuioni tradat accidentia quæque, & se talem, qualis in libera & indiuisa seu indistincta humana natura est, capiat. Cùm ergo hæc ipsa humana natura, iuxta quam sese capit, per Verbi æterni susceptionem æterni Patris filius effecta sit, ob hoc etiam ipse vnus cum Christo Patris æterni filius efficitur, dum se in eadem natura, quæ Deus effecta est, capit, & Deo per amorem coniungit. Caueat itaque pro hoc vel illo homine se capere, sed (vt dictum est) iuxta indiui-

Huc facit, quod ipse Dominus dicit: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. *Et rursus:* Nemo venit ad Patrem nisi per me.

diuisæ ac indistinctæ humanæ naturæ sese libertatem accipiat. Ad hæc, si filius esse velit, ab omni sese * nihilo abstrahat, separetque. Nihilum quippe distinctionem seu differentiam facit. Videlicet quòd non sum ille vel ille homo, distinctionem inter me & illum facit. Vnde qui distinctionem seu differentiam effugere quærit, nihilum à se abijciat. Est in anima vis quædam, quæ ab omni nihilo & creatura, nuda & prorsus seiuncta est, nec aliquid cum cæteris rebus commercij habet. In ipsa nanque solus Deus existit, nudè in ea lucens. Denique qui eiusmodi filius est, motum & operationem, & quicquid suscipit, propriissimo & excellentissimo modo capit. Vbi namque Patris ęterni Filius iuxta ęternitatem filius est, id à Patre est, & quicquid habet, in Patre habet. Cumque & per essentiam & per naturam cum Patre vnum sit, esse & essentiam omnem intra se habet. Porrò cùm idem ipse dicat: *Pater, volo vt sicut nos vnum sumus, ita & ipsi vnum sint*: inde iam fidelis quisque habet, vt sicut filius vnum est cum Patre: sic & ipse cum eodem per gratiam & amorem vnum sit, cunctaque illa quæ Pater in se habet, & ipse homo in se per gratiam habeat à Deo. In quo quidem dubitare minimè oportet. Deus enim illi proprius est: & quicquid ita accipit, proprium illius est. Quæcunque verò opera sua in hac diuina proprietate non accipit, omnia illa coram Deo vana sunt & otiosa. Hæc sunt opera illa, ad quæ aliunde mouetur, quorum Deus pura intentio, finis & scopus non est. Quæ omnia cum ex vita minimè procedant, haud dubiè mortua sunt. Ea namque sola viuunt, quæ motum ex sua origine suscipiunt. Vnde si opera nostra vitalia esse debeant, ex ipso fundo suo in Deo, & Deum, non aliunde extra Deum, fieri ea oportet. Attendat, obsecro, dilectio vestra. Si diligo iustitiam, quatenus ea vel inest mihi, vel supra me est: iam non diligo eam, qualis ea in seipsa est, qualisque simpliciter est: quia extrouerto me ab illo simplici vno quod necessarium est. Diuisam quippe accipio. Cùm autem Deus ipse iustitia sit, ipsum profectò non diligo, neque accipio, quatenus ille simplex est. Iustitia itaque qualis ea in seipsa est, capienda mihi est. Sic enim eam, quatenus ipsa Deus est, accipio, & in Deo vnitus maneo. Atque ita faciendo, & iustitiam ego semper operor, & ipsa per me operatur. Eadem ratione bonitatem, sapientiam, amorem, & quæcunque Deo asscribi seu tribui possunt, in seipsis & propter seipsa, hoc est, in Deo, quum sine ipse Deus, omni alia intentione remota, capere & amare debemus. Ita namque ad veram vnitatem illam, in qua Pater cum Filio, & per Filium cognoscitur Pater, perueniemus. Hanc nobis simplicitatem, præstet super omnia Deus gloriosus, & in secula benedictus. Amen.

* hoc est, peccato & creaturarum imagine.

Ioan. 17.

Lucæ 10.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Vt Christus suo in nobis aduentu operetur Dei timorem, bonam voluntatem, paupertatem, castitatem, humilitatem, intentionem puram, & gratiam contemplationis.

SERMO I.

Deus spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti.

AD ROM. XV.



MVLTA quidem sunt, dilectissimi, immensæ erga nos charitatis & benignitatis Dei indicia, & quocunque nos vertimus, vbique & in omnibus quasi expressa quædam amoris illius ac beneuolentiæ signa

Dei benignitas.

Psalm 18. ſigna animaduertimus, vt iam prorſus nemo ſit *qui ſe abſcondat à calore eius*. Quid enim poſſit aliud illa bonitas immenſa, quæ nihil omnino habet admixtum mali, cui non eſt aduentitium quiddam bonitas ſua, ſed eſt ipſa illius natura & eſſentia, quid, inquam, poſſit aliud, quàm amare, quàm gratificari, quàm ſeſe declarare, effundere, impartiri, communicare? Et id quidem facit, quantum in ipſa eſt, abſque vlla intermiſſione, abſque vlla perſonarum acceptione, abſque vlla vel tenuiſſima exprobratione. Itaque non eſt aliquod tam breue temporis punctum vel momentum, quo non optet maximeqúe velit cuilibet animæ rationali tota cum omnibus bonis & chariſmatibus, cum omnibus donis & diuitijs ſuis illabi, & ſuam in ea habitationem efficere, cum ea dulciſſimè & fideliſſimè commorari, eam ab omnibus malis expurgare ac tueri, & cunctis virtutibus tanquam pulcherrimis & coruſcantibus gemmis exornare. Sed vtinam, non dico, quàm illa parata eſt ad tot tantaqúe nobis indignis præſtanda vermiculis, ſed vel vtcunque paratos nos & capaces exhiberemus. Offert ſe totum Deus, & nemo propè eſt qui vel aduertere dignetur. Stat pulſans ad animæ oſtium, & aperienti promittit ſe ad ipſum ingreſſurum, & cum illo cœnaturum. (Quid eſt autem cœnare Chriſtum cum anima, niſi deliciosiſſima ſuæ beatiſſimæ & omnibus bonis affluentiſſimæ diuinitatis fruitione eam reficere, & dulciſſimæ ſopitam contemplationis ſomno ſinu ſuo refouere?) & proh nefas ab omnibus propè repellitur. Inuitat ille perpetuis inſpirationibus & amantiſſimis admonitionibus internis, quas tamen bona pars hominum ob animi ſurditatem nec percipiunt quidem, vt poſtpoſitis mundi curis ſuperuacaneis, ac infrugiferis & non neceſſarijs occupationibus, itemqúe ſenſibus & viribus intrò reuocatis & collectis, & toto amore ab omnibus rebus caducis abſtracto, & in ipſum relato & accommodato, ipſi vacemus, ipſi inhæreamus, & audiamus quid ipſe in nobis loquatur: hoc eſt, perpetuo & ardentiſſimo conatu à rebus mundi auocatos nititur nos ad cor animumqúe reducere: ſed quanto ille ſtudioſius nos intrò inuitat, eò nos liberius totos nos effundimus in res externas, Deoqúe contempto, pleno cordis affectu & animi voluntate adhæremus labentibus creaturis, quarum amor adeò nos ſibi miſera quadam captiuitate vendicat, implicat, & excæcat, vt omnium rerum diuinarum non ſolùm incurioſi, ſed etiam planè rudes & expertes ſimus. Et ea cauſa eſt, quòd tanta eſt hodie ſpiritualium & perfectorum hominum raritas, quòd tam paucos habet Eccleſia contemplatores Dei. Quomodo enim poſſint experiri ea quæ Spiritus ſunt, & ad ſpiritalem, internam ac contemplationi deditam vitam pertinent, qui amorem ſuum nolunt ab illis quæ carni & ſenſibus plauſibilia ſunt, reuocare, & ad Deum adiungere? Audiuiſtis in ipſo Sermonis huius themate, quanto deſiderio optarit Apoſtolus repleri nos à Deo *omni gaudio & pace in credendo*, vt abundemus *in ſpe & virtute Spiritus ſancti*. Sed quando nos tantis bonis affici mereamur, qui illa ſemper colimus & ſectamur, quæ non niſi acerbiſſimas amaritudines, perturbationes, miſerias, deſolationes, & omnis virtutis inopiam in nos aduehunt? Quando nos digni ſimus virtute & gaudio Spiritus ſancti, qui ſemper hæremus foris, nunquam intro in noſipſos ingredimur? Verum gaudium & pax vera nuſquam obtinetur, niſi in Deo. Deus autem intima mentis noſtræ penetralia inhabitat. Itaque aut gaudio & pace ſemper careamus neceſſe eſt, aut intro nos recipiamus. Ibi tum ſentiemus aduenientem in nos Chriſtum cum

Noſtra ingratitudo.

nouis

nouis semper gratiæ suæ muneribus, atque veram pacem & spiritale gaudium nobis abundè aspirantem, firmaqúe spe & fiducia ac virtute Spiritus nos corroborantem. Atque iste Christi aduentus nunquam intermittitur, nisi quando nos illi impedimento sumus: quod fit, quoties contra illius voluntatem data opera quippiam admittimus, quo illius gratiam à nobis excludimus. Et quamuis peccata mortifera id maximè efficiant, tamen etiam venialia, si non studiosè vitentur, & peccandi affectus proscindatur, non mediocriter gratiæ incrementa & aduentum Christi præpediunt. Gratiam autem, quo minus in nobis augeatur, impedire, maiori sanè damno nos afficere est, quàm si maxima labentium rerum detrimenta patiamur. Vt autem nonnihil comperti habeamus, quidnam soleat Dominus Iesus suo aduentu in homine operari, paucis nunc inde dicturi sumus. Aduenit ille quidem in nos tum ob immensam bonitatem suam, qua cupit nos benefacere, tum ob summam inopiam ac indigentiam nostram, quæ tanta est, vt nisi continua Dei liberalitate ac beneficentia releuetur, nos funditus perire necesse sit: quod qui diligenter attendunt, non facilè in superbiam eriguntur, certi nimirum, si quid habeant boni, mutuò se id à totius boni fonte accepisse, qui si, quod suum est, repetat, se in extrema paupertate permansuros. Dum verò Christus ita homini illabitur, multa & maxima in eo efficere solet, quæ omnia velle prosequi, infiniti operis fuerit: sed ex pluribus pauca nos adferemus. Primò quidem, si homo etiamnum vitijs deditus sit, dum in eum aduenit Christus, volens illum sua gratia visitare & emendare, magnum quendam illius pectori timorem infundit, sua illi tremenda iudicia ob oculos statuit, itemqúe peccata & vitia illius, & quæ ijs commeritus est, horrenda æternaqúe supplicia: minatur illi se eum proiecturum à facie sua in tenebras exteriores, & dæmonibus sociaturum, nisi humiliter pœniteat de perperam admissis: obijcit illi impiam & execrandam eius ingratitudinem, quòd pro maximis suis beneficijs tam sibi ingratus fuerit: atque hinc totus homo quadam formidine corripitur, nec potest euadere, quò minus vitam corrigat suam, nisi velit obstinatus in malo persistere. Timet enim ne subita Dei vltione in suis sceleribus extinguatur, ne non habeat pœnitendi oportunitatem, si procrastinet sui emendationem, ne derelictus à Deo, totus excæcetur, ita vt immanissima animæ suæ pericula nec intelligat quidem. Itaque concipit bonam voluntatem, Deo in ipso eam excitante & efficiente, qua firmiter statuit vltrò sese ac libenter diuinæ subdere maiestati, obedire sapientiæ, bonitati consentire atque coniungere, & coram Deo cum creaturis omnibus reuerenter & humiliter demittere ac humiliare, illiusqúe semper & in omnibus parere voluntati. Hæc bona voluntas virtutum omnium quoddam veluti fundamentum est, quæ cui deest, ille bonus esse non potest: quam quisquis habet, & pacem illam habet, qua Apostolus, vt suprà dictum est, nos repleri optat, cantantibus sanctis Angelis & dicentibus: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nam quotquot hac voluntate sunt præditi, pacem obtinent cum Deo, cum seipsis, cum creaturis omnibus. Pugnat autem hæc voluntas è diametro cum propria voluntate, quandoquidem illa gratiæ est, hæc naturæ vitiatæ: illa nihil vult nisi quod placeat Deo: ista omne obtrectat imperium, nulli volens obtemperare nisi suis affectibus. Bona voluntas per Dei gratiam ipsi coniunctam mala omnia & cunctas dæmonum vires superat: & quamuis in vitiorum impugnatione & dæmonum vexatione laborem

Quænam Christus in nobis operetur.

I. Dat timorem.

Voluntatem bonam.

Rom. 15. Lucæ 2.

borem

borem sentiat, tamen diuino freta adiutorio, nequaquam vult cedere aut succumbere: aut si interdum labi contingat, tamen non iacet in vitijs, sed ilicò ad pœnitentiæ salutarem confugit medicinam, denuoqúe vires animumq; resumit. Deinde vbi hanc in homine Christus excitauit aduentu suo bonam voluntatem, vt eum ad virtutis incrementa proueheat, animum illius mouet ad cunctarum labentium rerum contemptionem, & ad voluntariam amplectendam paupertatem. Quare hoc? Quia difficillimum est, perfectionis iter ingredi terrenarum opum pondere prægrauatum. *Nisi quis renuntiat omnibus quæ possidet*, ait ipsa Veritas, *non potest meus esse discipulus*. Habent ista terrena bona viscum quendam suum, quo facilè animum necdum perfectè huic mundo emortuum, detinent & implicant, ita vt necesse propemodum sit aut omnia à se abijcere, (quod fecerunt illi, qui primi Christo crediderunt, & post eos alij innumerabiles) aut difficillimè possit virtutum perfectio obtineri. Quamobrem, vt diximus, Christus in hominem adueniens, hortatur ad contemptum diuitiarum, vt possit expeditior Christi vestigijs insistere: non tamen cogit quenquam: quia consilij istud est, non præcepti. Tamen qui eò se moueri sentiunt à Deo, debent illi morem gerere, & libenter Dominum suum extremè inopem per tranquilla & serena beatæ paupertatis itinera sectari, atque contemptu præsentium mercari cælestia, pro vilibus recipere eos thesauros inæstimabiles, quos nec fures tollere, nec vetustas vlla corrumpere possit. Quantum autem prosit eiusmodi facultatum contemptio, nemo nisi expertus nouit. Certè Christus ipse omnia relinquentibus centuplum pollicetur. id est, maxima gratiæ & virtutum dona,& vitam æternam. Et quare non libenter à se homo Christianus abijciat causa amoris Christi, quæ tamen, velit nolit, breui amissurus est? Sed cui id nimis molestum est, vtatur suis facultatibus parcè ac moderatè, & superflua miseris communicet, nec sibi auarè retineat in suam perniciem, quæ Deus pro communi omnium vsu condidit. Postquam autem paupertatis amorem Christus in homine effecit, iam porrò ad mentis & corporis excolendam eum inuitat castitatem. Amat enim Christus, Virginis filius & agnus sine macula, purum corpus & animam impollutam: & quamuis casta coniugia non sint reprehendenda, tamen animum distrahunt, nec sinunt totum se applicare Deo, quandoquidem necesse est placere coniugi, & quæ sunt mundi curare. Vbi cùm multa sint spiritualis profectus impedimenta, Christus ijs liberum optans esse hominem, ad castimoniam inuitat, vt possit totus vacare Deo, nec sit opus solicitum esse *quæ mundi sunt, sed quæ Domini*. Atqui castimoniam & integritatem carnis & animi obtinere & seruare volenti, necessarium est, omnem amorem inordinatum suiipsius, parentum, consanguineorum, atque creaturarum omnium præsentis seculi contemnere & repudiare, vt totum pectus vni Christo deditum sit & addictum,& affectus penitus nulli rei temporariæ, sed soli pulcherrimo & sanctissimo Creatori inhæreat: mortales omnes non nisi purè in Deo & propter Deum diligat nihil in illis proprij commodi aut priuatæ delectationis requirat: omnes carnis illicebras, omnes carnalium affectuum, carnalis amoris, carnalium tentationum & voluptatum occasiones, quoad poterit, propter amorem summi Dei fugiat, odiens in hoc mundo *animam suam*, id est, animæ illicitas & perniciosas appetitiones, vt eam custodiat *in vitam æternam*: nulli sit singulari & nimia familiaritate coniunctus: (sæpe enim ea in odium desinit: & quod spiritu inchoa-

[Margin notes: III. Paupertatem voluntariam. — Lucæ 4. — IV. Castitatem mentis & corporis. — 1. Cor. 7. — Ioan. 12.]

inchoari & agi videtur, facilè in carnem abit) nec se ab vllo patiatur quibuscunque vel munusculis, vel officijs, vel salutationibus aut alia qualibet re illici ac irretiri. Sit animus semper ab omnibus liber: qui amat, amet: qui odit, oderit: qui discedit, abeat: nihil eiusmodi omnibus moueatur, contentus habere amicum Deum, cuius est firma, stabilis & syncera amicitia. Animum seruet cura peruigili ab immundis & turpibus simulacris, expellens ea ac profligans continua cruenti Saluatoris ex alto crucis stipite miserandum in modum pendentis meditatione, cuius sibi crucifixam imaginem semper teneat insculptam, & cordi, animæ, corpori, ac toti adeò naturæ suæ impressam, vt huius fideli contemplatione cum feruenti ad ipsum prece coniuncta, execretur omnem turpitudinem, & quicquid vel corporis, vel animæ possit inficere puritatem. Amet etiam solitudinem & silentium, fugiat hominum consortia, sacras visitet ædes, bonis sese operibus exerceat, otium detestetur, pœnitentiæ studijs deditus sit, & licet se castum sentiat, non tamen sit securus, sed fugiat occasiones, memor Lucæ 1.
vt olim Præcursor Domini teneris sub annis vastam petierit eremum, non parentum sanctitate, nec diuinis securus oraculis. Denique sobrietati studeat, & semper sit proprio iudicio vilis, seseque ducat pro nihilo. Verùm quia plerunque spiritus vanitatis vexare solet eos, qui iam dictis virtutibus nauare solent operam, eam ob rem Christus aduentu suo profundam solet homini infundere humilitatem, qua omnibus Dei donis se sentiat planè indignum, omnium se vilissimum ex animo putet, nulli se ausit æquiparare, nihil sibi nisi vitia sua asscribat, & nedum sub Deo, sed & creaturis omnibus sese submittat. Hæc humilitas totius sanctitatis vitale est fundamentum: quam qui adeptus est, omnium Dei donorum capacissimus est, potestque in eo Deus quicquid libet operari. Humilitas hominem facit mitem, benignum, morigerum, clementem, misericordem, pium erga omnes & singulos eius operæ indigos. Humilis & amans spiritus, quocunque vult, liberè peruolat, cunctis illi cælis patentibus: habetque animam suam semper in manibus suis, trahitque eam quocunque vult. Viuit semper in Christo, habetque in se viuentem Christum, cuius vestigia amplectitur, cuius vitam alacriter imitatur. Humilem nihil affligere, nihil perturbare potest: quia quamuis dura & indigna patiatur, peiora se meruisse fatetur. Post hæc Dominus Iesus virtutum omnium decorem ac præstantiam in homine suo illapsu operatur, quæ est pura erga Deum intentio, qua illius honorem spectat in omnibus & supra omnia. Hac intentionis puritate quisquis præditus non est, idem ipse charitatis expers est. *Charitas* enim *non quærit quæ sua sunt*, sed Deum, 1. Cor. 13.
Deique honorem. Sola intentio facit, vt hominis vita & actiones Deo vel placeant, vel displiceant: quamobrem in omnibus maximoperè connitendum est, vt puro corde feramur in Deum, illum laudare, illum honorare, illi placere cupientes, qui ex amore purissimo condidit nos, & propria culpa perditos, sua morte redemit, atque æternam nobis pollicitus est beatitudinem, non aliquo commodo suo, sed maxima felicitate & vtilitate nostra. Denique hanc intentionis puritatem is præcipuè habet, qui plurimum amat. Vbi namque amor, vt dici solet, ibi & oculus. Itaque adueniens in hominem Christus, sui amoris illi adspirat gratiam, quæ quanto est maior, tanto etiam intentio sanctior, & reliquæ virtutes sunt perfectiores. Quibus posteaquam probè exornatus est homo, ad gratiam contemplationis à Christo prouehitur, ad quam ista breuis quæ-

V. Humilitatē profundam.

VI. Intentionem puram.

VII. Gratiam

C dam

contemplationis. dam est præparatio: Vita externa sit bene composita, honestis moribus & bonis actibus semper occupata & ornata. Vita interna sit amoris diuini & gratiæ plena, absque simulationis duplicitate, simplex & recta, in Deum semper intenta, & cunctis decorata virtutibus. Conscientia sit pura, vita innocens, sensus sobrius, natura edomita, ita tamen, vt necessaria illi discretè subministrentur: foris benignum & officiosum sese erga sui indigos præbere, & rursus in otium sanctum, expers formarum & imaginum, intrò se recipere: omnem proprietatem in liberrimam Dei voluntatem resignare, omnes animæ vires in spiritus vnitate colligere, Deum perpetua cum reuerentia laudare, gratias agere, amare, colere, eidemque perpetuum exhibere famulatum. Porrò qui corde multiplices sunt, & alios curiosè obseruant, qui plus satis sunt erga vitæ necessaria conquirenda, quique sensibus obsequuntur: denique qui rerum creatarum noxijs occupantur imaginibus, ij contemplatione diuina prorsus indigni sunt. Præstet nobis Dominus Iesus, vt ita nos semper geramus, quò digni simus, in quibus ipse pro suo voto semper possit operari. Amen.

DOMINICA EADEM.

Videtur esse D. Eccardi Senioris.

Quàm vicinus & proximus nobis sit Deus, & vt ipsum, & regnum illius intra nosipsos requirere, supraque omnem locum & tempus agnoscere debeamus.

SERMO II.

Scitote quia propè est regnum Dei. LVC. XXI.

Lucæ 17. Rom. 13.



IN audistis charissimi, ipsum Dominum dicentem, *regnum Dei propè adesse*. Imò & intra nos est. Et Apostolus ait: *Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus.* Scire itaque nos oportet. Primò, vt ipsum regnum Dei prope nos sit. Secundò, quando ipsum prope nos sit. Atque horum sensum diligentissimè vos auscultare & attendere velim. Planum est, charissimi, si rex ego essem, & idipsum tamen ignorarem, minimè me regem esse: Si verò ita prorsus & mihi & omni populo persuasum foret, & ego cunctos ita sentire pro comperto haberem, me videlicet regem esse, idipsum quoque haud dubiè me esse, & omnes regni thesauros & opus ad me iure pertinere. Quòd si trium horum aliquod mihi deesset, me citra controuersiam regem esse non posse. Eodem modo & in hoc tota salus nostra consistit, vt sciamus & cognoscamus summum & optimum bonum, quod nullo dubitante Deus ipse est. Sanè vis quædam animæ cuiuslibet hominis inest, qua Deum totum capere valet. Nec aliquid certius est, quàm nihil ita vicinum siue propinquum esse homini, vt ipse est Deus. Nam & vicinior ille est homini, quàm sit ipse homo sibijpsi. Enimuerò ex hac vicinitate & præsentia Dei ad hominem, totum hominis esse dependet. Sed & lapidi atque ligno similiter præsens atque vicinus est Deus. Sed ipsa hoc ignorant. Si verò lapis Deum cognosceret & amaret, & quàm ille sibi vicinus sit, eodem modo quo supremus Angelus, intelligeret atque perspectum haberet: eadem lapis, qua summus Angelus, beatitudine gauderet. Atque hac ratione lapide beatior est homo, quòd videlicet iste Deum agnoscit, & quanta ille sibi vicinitate iungatur, intelligit. Quod quò vberiùs perfectiusque cognoscit, eò & beatior est: & quò minus illud intelligit, eò & minori beatitudine gaudet. Neque enim vel quòd Deus in ipso est, vel quòd proximus ipsi est, vel quia Deum

habet,

habet, id ipsum beatum efficit: sed quòd Deum cognoscit & amat, & quàm ille sibi vicinus sit, intelligit atque perspectum habet. Et hic scire potest, *quia propè est regnum Dei.* Fateor vobis, charissimi, quia dum interdum regnum Dei mente contueor atque reuoluo, idipsum pro sui magnitudine silere me facit. Regnum quippe Dei, ipse Deus est cum vniuersis diuitijs suis. Non igitur parua res est regnum Dei. Imaginetur aliquis, & sua sibi cogitatione proponat mundos omnes, quos diuina potentia producere posset. Non est hoc regnum Dei. Cuicunque verò animæ Dei regnum intùs refulget, quæque ipsum perfectè cognoscit, huic prædicatio omnis & instructio superflua est. Ab illo nanque Dei regno ipsa docetur, & de vita æterna secura efficitur. Denique quisquis hoc regnum Dei quàm sibi vicinum sit, intelligit atque cognoscit, ille cum Iacob Patriarcha dicere potest: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Gen. 28. Nam & creaturis omnibus Deus ipse æquè vicinus inesse probatur. Inde est quod Sapiens quidam ait: Super omnem creaturam Deus expandit retia sua, ita vt ipsum in vnaquaque inuenire & agnoscere pronum sit, si tantùm diligentes esse velimus. Et alius quidam: Ille, inquit, Deum ritè cognoscit, qui eum in omnibus æqualiter nouit. Vnde seruire Deo cum timore, bonum est: Ex amore verò seruire illi, melius est: Amorem autem in timore assumere & habere posse, id quidem optimum fuerit. Rursus, quietam & tranquillam in Deo vitam agere, bonum est: Pœnosam verò patienter degere vitam, melius est: Porrò in ipsa pœnosa vita quiete potiri, id nimirùm optimum est. Quærit mellifluus ille Bernardus, & ait: Quid est quòd oculus meus cælum cognoscit, & pes minimè? Bernardus. Nimirum, inquit, quia oculus meus similior illi est pede meo. Si igitur anima mea Deum cognoscere debeat, cælestem eam esse oportet. Sed quærat fortasse aliquis, quo pacto ad id anima adduci queat, vt intra se cognoscat Deum suum, & quàm ille sibi vicinus sit intelligat. Attendite hîc, obsecro. Cælum impressiones quascunque extraneas non suscipit, nec vlla ei passibilis calamitas, quæ ipsum perturbet, imprimi potest. Ita prorsus & animam habere, sicque in Deo firmatam, fixam, stabilitam esse oportet, quæ hunc agnoscere debeat, vt videlicet neque spes, neque timor, neque gaudium, neque dolor, neque odium, neque amor, nec aliud omninò, quod ipsam turbare queat, ei se imprimere & adhærere possit. Ad hæc cælum vndique à terra æquali spatio distat. Ita & anima à cunctis rebus inferioribus æquè semota esse debet, vt non magis vni quàm alij coniungatur: sed in quolibet euentu, in prosperis & aduersis, in abundantia & inopia, & quæcunque demum illi occurrant, ab omnibus æquè semota sit, & in huiusmodi plenè mortuam, resignatam, & ad superna extentam ac eleuatam, sese exhibeat. Cælum præterea vndiquaque purissimum, ab omnique labe alienissimum est: & ipsum neque locus, neque tempus contingit. In ipso quoque corporalia quæuis locum non habent. Ipsum insuper in tempore non est. Motus etiam illius supra quàm dici queat, velocissimus est. Denique sine tempore mouetur, sed motus illius tempus efficit. Sanè dilectissimi, nihil ita animam in diuinitatis cognitione remoratur, vt locus & tempus. Hæc enim partes sunt: Deus verò vnus est. Vnde si hunc anima cognoscere debeat, id omninò supra locum & tempus fieri habet. Non enim, quomodo multiplicia hæc visibilia, Deus hoc aut illud est, sed vnus ipse est. Et ideo animæ hunc videre volenti, nulla sunt in tempore adspicienda. Nam quamdiu

anima locum & tempus, aut eiusmodi aliquid quod imago sit, agnoscit, tamdiu, citra dubium, Creatorem omnium cognoscere minimè valebit. Planum est, si oculus colorem discernere debeat, prius ipsum ab omni colore seiunctum & remotum esse oportere. Adhuc anima Deum cognoscere volens, nihil cum nihilo commercij habebit. Planè quisquis Deum videre potuit, nihil esse creata omnia liquidò cognoscit. Creatura collata creaturæ, aliquam præ se fert pulchritudinem, & nonnihil esse videtur. Si verò cum Creatore componatur, nihil est. Postremò si Deum anima cognoscere debeat, necesse est vt etiam suiipsius obliuiscatur, seseque perdat & amittat. Dum enim seipsam contuetur & agnoscit, Creatorem suum neque videt, neque cognoscit. Si verò seipsam Dei amore amittat & perdat, cunctaqúe deserat atque relinquat, iam seipsam in Deo, illum videlicet cognoscendo, recuperat inuenitqúe. Et ibi tunc & seipsam & omnia, à quibus sese abstraxerat, in Deo perfectè cognoscit. Ad hæc dilectissimi, anima summum bonum, aut æternam bonitatem veraciter agnoscere volens, siue debens, illic eandem æternam bonitatem cognoscere habet, vbi ea in seipsa bonitas, siue bona est, non vbi diuisa est. Similiter si veram essentiam cognoscere volet, ibi eam cognoscere debebit, vbi ea in seipsa existit, quod est in Deo, non vbi in creaturis diuisa est. In solo nanque Deo tota diuina essentia est. In quolibet verò homine, cùm vnus homo non sit omnis homo, totum humanum genus haudquaquam continetur. Sed ipsum & alia omnia in Deo anima modo excellentissimo cognoscit, eò quòd illic ea secundùm essentiam intuetur. Est aliqua domus miro artificio depicta, qui in ipsa sunt, multo plura inde dicere nouerunt, quàm quibus ad intima illius nunquam peruenire licuit. Nihil verius. Ita planè fratres mei certo certiùs scio, si anima Creatorem suum cognoscere debeat, idipsum supra locum & tempus fieri oportere. Et quæcunque ad hoc anima peruenire potuit, illa Deum cognoscit, & quàm *propè* sit *regnum* illius, quod idem ipse est cum diuitijs suis vniuersis, intelligit. Multas Theologi in scholis suis quæstiones mouent, quo pacto id fieri queat, vt anima Deum cognoscat. Certè charissimi, non est seueritatis Dei, quòd tam multa & ardua exigit ab homine. Quin potiùs suæ id liberalitatis est, ex qua nimirum exoptat, vt suos anima sinus dilatet, quò & plurima capere, & multa ipse illi præstare & impendere possit. Nec est, quòd aliquis sua secum cogitatione definiat, difficulter ad hæc posse perueniri. Licet enim prima facie difficile videatur, & in ipso exordio non citra difficultatem à rebus omnibus abstrahamur, ac moriamur, sed in ipso progressu, cùm iam in his aliquandiu perstitimus, nulla facilior, nulla iucundior, nulla amabilior vita est. Ipse nanque benignissimus Conditor noster diligentissimè id agit, vt nobis & adsit continuè, & intus instruat, erudiat, & ad sese perducat, si modò sequi velimus. Neque enim vnquam tantoperè aliquis rei cuiuslibet desiderio tenebatur, quantum ad sui cognitionem nos Deus adducere exoptat, appetitqúe. Semper ille paratus est, sed nos minimè parati sumus. Ipse prope nos est, nos ab ipso longè sumus: Ipse intus est, nos foris: Ipse secretus, nos extranei sumus. Denique sapiens quidam ait:
Sap. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, per angustam videlicet semitam, in viam spaciosam, vt in longitudinem & latitudinem deueniat, id est, in veram libertatem Spiritus, cum Deo vnum effecti. Præstet nobis omnipotens Deus, vt sic eum omnes sequamur, quò nos ad se ipse adducere dignetur. Amen.

Domi-

Dominica eadem, pro altero Sermone legere quisque potest, ac meditari fidelem Thauleri exhortationem de districto iudicio Dei, quod in morte omnibus occurrere solet. Cuius exordium est: Ah mortales, mortales, *&c. quam in calce libri huius offendes.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

Vti Deo in cordibus nostris iucundam habitationem praparare, & omnem inde mœrorem ac tristitiam malam expellere debeamus. Auctor D Henricus Suso.

SERMO I.

Tu es qui venturus es? MATTH. XI.

OMNES verè pij Christi fideles de amabili aduentu Domini lætantur. Meritò sanè & nos in Domino exultare, ipsiqúe totis animi viribus gratias agere debemus, quòd nobis miseris atque deperditis, per humanæ naturæ assumptionem, tam familiaris, tamqúe communis effectus est: quodqúe seipsum & quicquid habere potest, nobis ex toto iam dedit, & insuper omni momento animabus nostris conferre paratus est. Nihil enim est in toto orbe tam commune, quodqúe sic facilè obtineri possit, vti Deus: quandoquidem vna sola bona voluntate & desiderio ipsum licet adipisci. Et si fortassis eum admittere nolumus, manet foris stans atque pulsans ad ostium animæ nostræ. Hortatur itaque nos sæpiùs ipsa sancta Ecclesia mater nostra, vti ad susceptionem Domini nos præparare debeamus. Vult nanque suscipi Dominus in munda conscientia, diuersis virtutum floribus exornata. Et hoc satis iustè. Quàm enim dissimilis est lectus aliquis amœnus, rosis ac lilijs diuersisqúe floribus eleganter adspersus, in quo suauiter requiescere atque dormire possis, agro alicui inculto, tribulis ac spinis obsito: tam etiam dissimilis est hominis inordinati conscientia. Enimuerò deliciæ sunt Domini, in ciuitate florida requiescere. Quod nimirum sponsa in Canticis quodam tempore sentiebat, quando sponsi sui cupitis ac amorosis amplexibus frui desiderans, aiebat dilecto suo: *Lectulus noster floridus*, ac si diceret: Cubiculum secreti nostri obseratum est, *lectulus* amoris nostri *floridus* est. *Veni ergo dilecte* votorum meorum. Nihil enim restat, nisi vt me in vlnis infiniti amoris tui dulciter obdormire facias. Verùm sunt nonnulli, quorum conscientia non exornata est floribus, sed cor fimo ac sordibus conspurcatum. Sunt enim aliqui, quorum vitia foras eruperunt ad vanas & caducas oblectationes & honores seculi huius. Sed istos modò prætermittimus. Alij sunt, quorum defectus intrinsecus latent: qui etiam defectus licet plurimi sint, inter ipsos tamen specialiter tres sunt adeò graues, vt eis vix aliqui alij defectus valeant comparari. Primus est, indiscreta tristitia: Secundus, inordinata animi pressura: Tertius, vehemens dubitatio siue diffidentia. De primo sciendum est, hominem sæpiùs tanta tristitia absorberi, vt nihil boni facere libeat, neque possit: cùm tamen interim quid sibi desit, ignoret. Et si fortè causam mœroris huius ex seipso requireret, eam inuenire non posset. Hanc tristitiam amabilis ille rex Dauid sentiebat, quando dicebat: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Ac si diceret: Certè aliquid deest tibi, quamuis ipsa, quid sit, ignores: *Spera in* Domino, & melius habebis, *quoniam adhuc* cum gaudio *confitebor illi.* Hæc

Apoc. 3.

Cant. 1.

Tres speciales defectus.

I.

Psal. 41. Ibidem.

tristitia ex ipsa natura siue complexione sæpius originem ducit, quæ etiam (proh dolor) multos ab eo, quod bene inchoauerant, retrocedere fecit. Ex omnibus enim, qui sub sole viuunt, nulli tam necessaria est multa animi magnitudo, quàm illi qui viriliter dura propriorum defectuum suorum certamina subire, ac de vitijs palmam referre intendit. Quid enim quælibet ægritudo corporalis homini molestiæ adferre queat, si mentem habeat in Deo bene consolatam? Et rursus quid delectabile esse poterit illi, qui perpetuo quodam animi pondere ac grauitate deprimitur ac cruciatur? Totis itaque viribus conari quisque debet, vt ab hoc vitio liberetur. Quomodo autem, ait aliquis, ab hoc vitio potero liberari? Id ex subiecto patebit exemplo: Erat quidam discipulus sapientiæ, quem circa conuersionis suæ initia tristitia hæc inordinata tam lethaliter oppresserat, vt nec legere, nec orare, nec quicquam boni per id tempus facere posset. Qui dum die quadam in cella residens, ab hac passione grauiter vrgeretur, & incredibili dolore affligeretur, facta est ad eum desuper quasi vox quædam intellectualis, dicens: Quid hic sedes otiosus, & in te ipso tabescens? Surge nunc, & meam passionem deuotè pertracta, & in mea amaritudine tuum deuinces dolorem. Quo audito, frater ille surrexit, & se ad meditandum Domini passionem contulit: & ex eo tempore medicina hac salutari sanatus, per eius continuam replicationem, nequaquam plus de cætero talem vnquam sensit animi passionem. Secundus interior animi defectus, est inordinata animi pressura siue grauedo. Qui hunc defectum sustinet, tantum bene discretionis habet, vt sciat quid sibi desit, quòd videlicet non satis secundùm Dei beneplacitum ordinatus sit. Cæterùm defectus hic inde nascitur, quòd quis ponderat ea quæ ponderanda non sunt, & specialiter afflictionem à Deo ipsi interius immissam. Sunt autem quatuor grauissimæ afflictiones, quas cor humanum sustinere possit, quæ etiam tales sunt, vt de eis nemo facilè desolatis illis cordibus, quæ eas patiuntur, fidem adhibere queat, nisi qui eas vel in seipso expertus sit, vel cui hoc à Deo donatum sit. Quando enim eorum alleuiari deberet afflictio, hoc est, quando sese ad Deum conuertunt, tunc grauissimè torquentur, & pessimas contra Deum sustinent immissiones & incidentes cogitationes. Hæ autem afflictiones non ideò graues esse dicuntur, quòd damnum aliquod graue animæ inferant: sed quòd acerbissimi doloris gladio ipsam configant. Sunt autem istæ iam dictæ tentationes: Dubitatio circa fidem, Diffidentia de diuina misericordia, Immissæ cogitationes aduersus Deum & Sanctos eius, & Tentatio manus sibijpsi inijciendi. Sed de harum secunda iam dicere volo, quæ est, vbi quis de diuina misericordia incipit desperare. Hæc autem desperatio ex tribus causis originem ducit, quòd videlicet ponderare & æqua lance metiri nesciant quid sit: Deus, quid peccatum, & quid contritio. Certè Deus benignissimus tam inexhaustus fons est prorsus immensæ misericordiæ ac naturalis bonitatis, vt nunquam vlla quamlibet fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestauerit, tam desideranter atque libenter in medijs flammis iacenti manum porrigeret adiutricem, sicut Deus homini contrito, etiam ☞ si possibile foret eum omnia totius mundi peccata vel millenis vicibus quotidie perpetrâsse. Quid igitur causæ est, ô dulcissime Deus, quòd multis cordibus tam verè amabilis es? cur animę multorum tantoperè exultant de te? cur mẽtes plurimorum ita copiosè lætantur de te? Nunquid hoc ipsorum innocentiæ tribuen-

[Margin notes: Paradigma. — I. Defectus. — 4. Grauissimæ afflictiones. — 4. Difficillimæ tentationes.]

buendum est? Minimè. Sed dum attendunt proprios defectus & culpas suas, & quàm te verè sint indigni: quodqúe nihilo minus tu eis teipsum adeò liberaliter exhibeas, impendas, offerasqúe, cùm tamen bonorum nostrorum non egeas: Psal.15. hoc est Domine, quod te in eorum cordibus tam verè magnum dulcemqúe efficit. Ita namque facilè est tibi mille, sicut vnum, talenta remittere: & infinitis mortalibus culpis, sicut vni, veniam dare. Et hæc dignatio est super omnem dignationem. Vnde nec ipsi dignas vnquam tibi gratias referre possunt: & ideò in tuis laudibus corda ipsorum resoluuntur & liquefiunt. Planè, etiam secundùm Lucæ 15. Scripturas, multo isti tibi laudabiliores sunt, quàm si nunquam in peccata collapsi essent, & in tepore viuerent, nec tanta erga te dilectione feruerent. Nam iuxta D. Bernardi sententiam, non tam attendis quid homo fuerit, quàm quid pro cordis sui desiderio esse velit. Et ideò quisquis de te peccatorum remissionem etiam tot vicibus quot momenta sunt temporis, negare tentat, magno te prorsus honore spoliare molitur. Peccatum quippe te de cælis in terras attraxit, te, inquam, Redemptorem tam amabilem, qui nos omni hora tam dulciter es suscipere paratus. Qui proindè hoc pacto, quid sit Deus, ponderare nouit, ille (prout Dauid testatur) Deo diffidere, vel de eius misericordia desperare non potest. Secundum est, quòd ponderare nesciunt, quid peccatum sit. Verum vtique II. peccatum in hoc duntaxat consistit, quòd homo cum deliberata ac certa voluntate scienter atque libenter, absque rationis contradictione à Deo sese auertens, ad prauitates conuertit. Porrò si contingeret vel tot incidentias aliquem sustinere, quot momenta sunt temporis, quæ & adeò abominabiles & detestandę forent, vt similes cor humanum vix excogitare, aut aliqua lingua effari posset, de quocunque etiam illæ essent, siue de Deo, siue de creaturis, & homo in tali statu vno vel altero vel pluribus quoque annis contra voluntatis suæ renisum persisteret, si saltem ratio remorsum, displicentiam atque auersionem ab huiusmodi haberet, ita quòd non cum plena deliberatione & integra voluntate talibus consentiret, sed potiùs resisteret, cùm natura huiusmodi sustineat, peccatum mortale haudquaquam admissum foret: quod etiam secundùm ipsam sacram Scripturam & sanctæ Ecclesiæ traditionem, per quas nos docet Spiritus sanctus, certo certius est. Veruntamen latet in isto occulta quædam pressura, quæ & est subtilissimus quidam & acutissimus funis, qui hîc contingere possit: & hæc est, quando homini aliqua praua cogitatio incidit, & ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atque suijpsius oblitus, non ita celeriter inde se auertit. Et tunc putat se cum voluntate & deliberata ratione illi intendisse, & seipso neglecto, peccasse mortaliter. Sed absit vt hoc ita esse credamus. Concors namque multorum etiam Sanctorum sententia est, rationem sæpè per importunas incidentias & delectationem præueniri, idqúe satis bona mora & longo tempore, antequam ratio suijpsius per maturam deliberationem plenè compos fiat. Et tunc ea recipere vel auersari, peccatum admittere vel respuere potest. Quod quum ita sit, nequaquam in huiusmodi mortale peccatum homines isti metuere debebunt, si sanæ atque Catholicæ doctrinæ fidem adhibere volent. Augustinus Augustinus. namque adeò voluntarium peccatum esse dicit, vt si voluntarium non est, peccatum nullo modo sit habendum. Et Doctorum sententia est, si Eua sola de pomo gustasset, & in hoc ei scelere non consensisset Adam, nihil nobis obesse potuisse. Eodem modo qualescunq; cogitationes sensualitati ingerantur absque rationis.

III. tionis vero fauore & consensu, peccatum mortale non efficiunt. Tertium quod eis nocet, hoc est, quòd ponderare nesciunt, quid sit contritio. Est enim contritio virtus quædam, quæ hominem liberat à peccatis suis, si sit cum discretione

Cōtritio. coniuncta. Dicit nanque Sanctus Bernardus, quòd indiscreta contritio displicet Deo. Iudas certè, proditor Domini, & Cain fratricida, confessi sunt, & diffisi sunt: & ideò contritionem quidem habuerunt, sed absque modo & inordi-

Matth. 27. natam. Alter, *Peccaui*, inquit, *tradens sanguinem iustum.* Alter: *Maior est iniquitas*

Gen. 4. *mea, quàm vt veniam merear.* Sic & isti, de quibus nunc agimus, sæpè inordinata quadam contritione obnubilati, aiunt intra semetipsos: Heu malum est quòd viuo. Vt quid etiam natus sum? O si mori mihi liceat, & plura alia, quibus Deum frequenter grauius offendunt, quàm ipsis peccatis. Proinde qui veram optat habere contritionem, in seipso humilitatem, peccati displicentiam, & firmam in Deo fiduciam habere curet. Vnde & ipsa præamabilis æterna Sa-

Eccli. 38. pientia ait: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Planè nimis fatuus fuerit, qui dum vno se sentit oculo destitutum, etiam

Sex quædam notabilia. alterum sibi vult eruere. Iam deinceps sex quædam in meticulosis istis hominibus consideranda veniunt, quæ illis inesse solent. Primum est, quòd multum

I. à vera rectitudine distant, nec facilè cuiquam in his rebus fidem adhibere volunt, etiam cui alioqui credere deberent: idque potissimum illis, qui eis consolatoria dicunt, quibus sæpè minùs credunt, quàm illis qui eis molesta & contraria ingerunt. Quod totum ex interno cordis dolore, quem ipsi ferè continuum patiuntur, prouenire dubium non est. Libenter quoque pro consilio vel auxilio percipiendo defectum suum alijs queritando manifestant: quod tamen ita passim facere non deberent, cùm vix aliquod inde releuamen atque subsidium reporteat: & quanto plura huic remedia opponere nituntur, tanto ipsorum afflictio ampliùs excrescit. Consultum autem eis foret virum aliquem Deum timentem, in diuinis literis eruditum & expertum, inquirere: & huic sine omni dubitatione acquiescere tenentur. In extremo quippe iudicio non ab eis, sed ab istiusmodi viro religioso & docto Deus rationem exiget, si saltem

II. ipsi, quod in eis est, facere studuerint. Secundum est, quòd multiplici eodemque vano timore solicitantur: vnde fit vt nunquam sibi bene confiteri videantur, quamlibet doctus sit ille cui confitentur. Quantumuis etiam quod in se est faciant, nunquam tamen veram animi tranquillitatem & pacem pectoris assequuntur, cuius illa potissimum causa est, quòd discernere nequeant, quæ peccata oporteat expressè confiteri. Sola nanque mortalia peccata, quantum

☞ fieri potest, distinctè & expressè confiteri obligamur: leuiores verò culpas & defectus quotidianos, generali quadam enarratione exposuisse satis est. Cùm autem in præfatis tentationibus nullo mortali peccato teneantur adstricti, non necesse habent, imò nec debent homines isti omnes incidentes cogitationes suas ita distinctè vel expressè confiteri, sed generali duntaxat expositione eas aperire satis est, idque iuxta consilium alicuius discreti Confessoris. Malignus

☞ quippe spiritus per hanc confessionis scrupulositatem, cordis pacem & quietem turbare molitur: & ideò resistendum est ei. Nam quò illi ampliùs acquie-

III. scitur, eò conscientia grauius intricatur. Tertium est quòd certam habere scientiam volunt in illis rebus, in quibus certitudo haberi non potest. Scire nanque volunt atque adeò certi esse, se peccatum mortale nullum habere. Sed si scriptis

Sanctorum fides adhibenda est, nemo in hoc seculo tam felix, tam bonus, tamqúe doctus inuenitur, vt se in gratia Dei esse, certus esse queat, nisi fortè diuina id ei reuelatione innotuisset. Sufficit in hac parte, quòd diligentiori conscientiæ examine habito, nullum certum mortale peccatum in ea reperitur. Sic itaque scire velle, ex ignorantia procedit: vt si, verbi gratia, puer aliquis nôsse velit, quid in corde suo tractet Imperator. Eam ob rem sicut aduersa valetudine laborantem medico suo credere oportet, vtpote naturæ infirmitatem melius quàm ipse ægrotus agnoscenti, sic & istiusmodi homines alicui discreto Confessori acquiescere tenentur. Quartum est, quòd aduersus Deum IV. quadam impatientia feruntur: & hoc similiter ex ea, quam continuè sustinent, grauissima passione procedit. Quum enim in alijs aduersitatibus parum aut nihil sint exercitati, contingit eis, sicut alicui iuueni & indomito equo, qui vehiculo adstrictus, dum ex nimia fatigatione & lucta perpetua maceratur, nec euadendi consilium inuenit, animo demisso, modestius sese habere incipit. Ita & isti, quamdiu suis aduersitatibus reluctantur, & se necdum ex toto diuinæ voluntati ad sustinendum æquanimiter pro amore ipsius omnem illam aduersitatem resignârunt, satis grauiter affliguntur: & tamen eas sustinere oportet, donec misericors Deus ipsorum laborem & patientiam consideret, qui etiam nouit, quando eis ab huiusmodi expediat liberari. Et ideo nihil ita necessarium est, quàm se humiliter ad ipsas afflictiones sustinendas resignare & offerre, quamdiu Domino placuerit, eiusqúe patienter auxilium implorare, & bonorum hominum orationes expetere. Quintum est, quòd in nullo V. tam grauiter errant, sicut in hoc, quòd prauis incidentijs & immissionibus credere ac respondere, eisqúe per rationem resistere, & aduersum eas contendere acquiescunt. Quod profectò summoperè cauendum est. Hoc ipso namque quo resistere volunt, adeò eis immerguntur, vt vix euadendi spes vlla supersit. Vnde consultum fuerit, vt absque contentione & studio resistendi, ab eis ilicò auersi, ad id quod proximè vel audire vel videre vel agnoscere contingit, sese conuertant, ac si dicerent: Sint tibi susurria tua, nihil ea ad me pertinent. Maior est peruersitas tua, quàm vt ad hæc tibi respondere velim. Quanto namque minus ea curant, tanto citius ab eis eruuntur: & istud iterum atque iterum facere debent, donec ipsa auersio vertatur in consuetudinem. Hæc autem nemo satis intelligit, nisi illi, qui ea in seipsis experiuntur. Sextum est, VI. quòd quanto sacratiora sunt tempora, & ipsi se libentius ad Deum conuerterent, tanto ipsorum afflictio augetur, ita vt nec vnam quidem orationem Dominicam vel Angelicam salutationem absque huiuscemodi diabolicis susurrijs explere liberè possint. Vnde & ipsi in quandam velut desperationem labentes, orationem à se abijciunt, & hoc pacto sibijpsis loquuntur: Quid, putas, ista tibi oratio tot sordibus conspurcata? Sed in hoc nimium errant, & suo aduersario penitus obsequuntur, cuius hoc præcipuum studium est, vt eos ab exercitijs spiritualibus repellat. Nesciunt certè, quòd oratio ipsorum cum omnibus immissionibus illis, de quibus dolent, optimè sapit, & verè accepta est ante conspectum diuinæ Maiestatis. Sæpe nanque (vt Diuus Gregorius ait) mens humana adeò perturbatur, vt seipsam eruere nesciat, sed in præsenti dolore & angustia constituta, ipsa pro eadem ante Dei oculos aduersitas deuotissimè interpellat: ipsaqúe passionis amaritudo in oculis illius resplendens, citius

eum ipsi quàm alia exercitia inclinat, & velocius adesse compellit. Vnde nec vllum omnino bonum opus negligendum est, nec orationes & templi frequentatio, quæ maligno spiritui singulariter aduersatur, & molesta est non minimum, vnquam intermittenda. Quod enim homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis molestia accedit, & satis grata est huiusmodi oratio in oculis Dei. Sæpe namque eos, qui vix tenuiter loqui possunt, homine bene sano citius exaudimus. Et quanto ab oratione desistimus, tanto aduersario nostro consentimus. Denique cùm sufficientissimè probatum sit, nihil in his rebus peccati esse, quæstio hic talis exoritur: Quare videlicet misericordissimus Deus tam grauem afflictionem præfatis hominibus euenire permittat, cùm vix vlla pœna corporalis siue cruciatus vllus eis proferri queat, quem non præ ista afflictione vel desperationis oppugnatione eligerent. Ipsi sanè, & quidam simpliciores homines, qui neque per scientiam, neque per experientiam ista nouerunt, ex culpa ipsorum eis talia euenire putant. Sed hoc verum non esse vel inde liquet, quòd multi etiam Sancti in huiusmodi exercentur, prout experientia quotidiana & Sanctorum quoque scripta testantur, & econtrà homines impuri sæpe talium omninò sunt expertes. Imò quibusdam in ipsa pueritia ista contingunt, dum adhuc à grauioribus peccatis sunt immunes. Si cui verò ista afflictio & dura pœnitentia post religionis ingressum aut veritatis agnitionem ob culpas suas contigisset, gratias immensas ac deuotissimas pro hoc omnipotenti Deo agere deberet. Nam, vt ex Scripturis sanctis probari potest, magnum diuinæ dilectionis indicium est, multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere. Quare autem Deus sapientissimus per hanc desperationis tentationem homines profundius humiliet, & vehementius compescat, quàm alijs afflictionibus, id in diuinæ Maiestatis arcano absconditum est, & ipsi hoc ita suscipere debebunt. Cùm enim omnia ille corda, mentes, ac mores hominum perfectè intelligat perspiciatque, vnicuique sicut fidelis medicus, quod ei magis expediat, adhibere solet. Si quis autem fortasse quærat, quænam in hac afflictione vtilitas consistat, fidenter illi respondeo, magna prorsus & ineffabilia bona hinc prouenire posse. Primò namque homines natura superbi, nunquam melius & occultius ad veram humilitatem omnium virtutum matrem, quàm hoc modo, deduci possent. Qui enim hac tentatione premuntur, deformitate & spurcitia incidentiarum, deformitatem & turpitudinem metiuntur peccatorum: quòd ita non esse, iam antè probauimus. Sanè vel vna tantùm vana complacentia suijpsius hominem in Dei oculis deformiorem reddere posset, quàm vel mille, licet pessimæ, incidentiæ tales. Quod & in ipso Lucifero videre pronum est, qui sine vlla huiusmodi immissione, grauissimè lapsus est. Ideò autem à Deo ista permittuntur, vt qui seipsum olim præ superbia cognoscere noluit, saltem nunc per hanc afflictionem ad sui cognitionem perducatur. Vnde & qui prius alios despiciebat, iam dignus sibi videtur, qui ab omnibus habeatur contemptui. Quo quid vtilius esse homini, aut ipsum magis in Deum ducere possit? Impossibile namque est, vt qui verè humilis est, perire sinatur. Proinde tam iuxta Scripturas, quàm ipsam quoque veritatem, qui in huiusmodi afflictione sunt constituti, ad genua procidentes, Deo omnipotenti gratias agendo, hanc ipsam execrabilem tentationem, per quam ad tanta virtu-

Margin notes: Quæstio notabilis. — 2. Mac. 6. — Vtilitates ex tentationibus superatis quantæ. — Esaiæ 14.

virtutis gratiam pertingunt, velut deaurare deberent. Ista namque afflictio hominem ab inferni faucibus ereptum, in cælo constituit: & à peccatis innumeris præseruat, dum tantum illi facessit negotij, vt omnium interim vanitatum obliuiscatur: quod profectò vtilissimum est. Sed & ad omnem virtutem assequendam, non parum subsidij præstat. Qui enim eam patiuntur, tantos cruciatus sustinent, vt virtutes quasi pro remedio quærant: & nihil eis impossibile est, quo passionem suam euadere queant & obliuisci. Quod tamen quanuis serium eis sit, à Deo nihilominus sæpe in hac miseria stare permittuntur, donec post multorum bonorum operum aggregationem, vasa plena gratia & virtutibus fiant. Hic iam considerare libet, quàm suauiter & amorosè æterna Sapientia cuncta disponat, dum quod plurimum sibi nocere homines arbitrantur, ipsa ad summam eorum vtilitatem inflectit. Magnam insuper Purgatorij partem hæc afflictio tollit, & eam patientibus impendio prodest, & ingens præmium adducit. Quamuis enim multorum se criminum reos arbitrentur, sed coram Deo veri magniqúe Martyres sunt, cùm nulli dubium sit, longè acerbiorem huiusmodi perpetuam afflictionem dolorem infligere, quàm vnus carnificis ictus collo exceptus. Denique passionem hanc magnæ esse dilectionis indicium præsagiumqúe, tam Scripturarum testimonijs, quàm ipsa veritate probatur: quippe quam & copiosa gratia, & multorum secretorum reuelatio sit subsecutura. Debent igitur præfati homines eam non solùm patienter, sed & libenter sustinere, certi quòd breuis hæc amaritudo & *momentaneum tribulationis* huius, *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* operetur in eis. Huius breue quoddam libet exemplum subijcere: Monialis quædam vnam ex supradictis passionibus sustinebat, quæ post obitum suum cuidam apparens, hanc se pro purgatorio sustinuisse, & dehinc sine medio ab omnipotenti Deo in regnum felicitatis æternæ susceptam asserebat. Quod nobis præstare dignetur dulcissimus mediator & Dominus noster Iesus Christus in secula benedictus. Amen.

Purgatorij pœna qui hic tollatur.

2. Cor. 4.

Paradigma.

DOMINICA EADEM.

Quomodo nosipsos prorsus exire debeamus, vt in desertum pertingere, & in ipso Deum contemplari possimus.

SERMO II.

Quid existis in desertum videre? MATTH. XI.

DOMINVS ac Redemptor noster, dilectissimi, in Euangelio hodierno Iudæis inter cætera sic ait: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* In quibus verbis tria vobis notanda sunt. Primum est, exitus. Secundum, desertum. Tertium, quid in deserto videndum sit. Primum itaque, vt dixi, exitus est. Hic autem felix exitus, quadruplex est. Primus est exitus è mundo, id est, è concupiscentia seculi huius, & mundi contemptus, ad quem nos S. Ioannes Apostolus hortatur: *Nolite*, inquiens, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Qui sic amori seculi huius in maligno positi renuntiant, illi perfectè ex AEgypto egrediuntur, & regem Pharaonem

Tria notanda.

1. notabile.

Exitus quadruplex.

1.

1. Ioan. 2.

raonem deserunt, dum videlicet superbiæ, vanæ gloriæ, præsumptioni siue iactantiæ, & vitijs quibuscunque reluctari plena voluntate decernunt, constituuntqúe. His verò præcipuè necessarius fuerit dux aliquis ac præcessor, qui Mosis mansuetudinem, qua ille excellenter ornatus erat, exprimere sciat, & misericordiæ visceribus affluat: quoniam quidem his necessarium valde est, vt in hoc suo egressu & benignè sufferantur, & qui eis præsunt, eosqúe instituunt, patienter eos tolerent. Qui verò è Sodomis & Gomorrha egrediuntur, id est, qui auaritiæ, gulæ, & luxuriæ iugum abijciunt, atque ab eis grauiter impugnantur, hi Angelo ductore opus habent, eo videlicet, qui compati sciat, qui sobrietate, castitate, vitæqúe districtione polleat. Et quotquot ab huiuscemodi duci se permiserint, Deo fauente, ab omni citius auaritia, superbia, & im-

Esaiæ 55. pudicitia eximentur, Esaia testante, qui ait: *In lætitia egrediemini, & in pace de-*

Ioan. 16. *ducemini.* Saluatore quoque dicente: *In mundo pressuram habebitis in me* verò *pa-*

II. *cem.* Secundus exitus, est quarumlibet rerum externarum & inutilium occupationum priuati amoris, propriæqúe desertio & abnegatio voluntatis, atque ad nosipsos conuersio, quo nosmet penitus agnoscere, quidqúe simus, & quibus vitijs teneamur obnoxij, aduertere discamus. Enimuerò fieri non potest, vt ad sui cognitionem pertingat, qui sese inter prospera & aduersa non exit abnegatqúe. Vnde diuus Bernardus ait: Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Satius autem foret cuique, nôsse seipsum, & quantis sit vitijs inuolutus, quantaqúe pressus fragilitate, perspectum habere, quàm vel cunctarum huius mun-

Cant. 1. di artium peritum esse. Quamobrem in Canticis Salomon ait: *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum,* id est, imitare Sanctorum vitam, & in ea ceu in speculo teipsam contemplare, hoc est, non voluntatem tuam, sed ipsorum exempla

III. sectare. Tertius egressus siue exitus est, propriam commoditatem, quietem, ac sensum relinquere, & proximis quibusque sese exponere & accommodare, consilio, auxilio, & exemplo, pro virium & ingenij facultate, cum perpetua quadam & intima mentis dilectione illis succurrendo, quo ad perennis beatitudinis suæ pertingant locum. Sic enim præceptum habemus à Domino, dum

Ioan. 13. ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et rursus: *In hoc*

Ibidem. *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et Apo-

Galat. 6. stolus: *Alter,* inquit, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et in

Gen. 42. Genesi scriptum est, vti Ioseph locutus sit fratribus suis in hæc verba: *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.* Patet

Cant. 7. hoc etiam in amoris volumine, vbi sic scriptum reperimus: *Veni dilecte mi,*

IV. *egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas.* Quartus exitus est desertio rerum omnium extra Deum, ita vt amor Dei omnem alium amorem intra nos superet, adeò vt Dominum Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, & ex cunctis viribus nostris diligamus, ad quem exi-

Gen. 12. tum Abraham Patriarcha à Deo inuitatus fuit, cùm illi dictum est: *Exi de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui:* hoc est, noli transeuntia quæque diligere, sed solum Conditorem tuum puro amore prosequere, & in omnibus illis quæ possides, ipsum quære, ama & intende. Hoc pacto Cananitis illa Euangelica, vt verba illius apertissimè testantur, de suis fi-

Matth. 15. nibus egressa fuerat, ideoqúe à Saluatore audire meruit: *Fiat tibi sicut vis.*

Deni-

Denique ad hunc exitum etiam ſponſa, ſeu anima diuinitatis amore ſuccenſa, & eius ſodales, in Canticis prouocantur, dicente illis Spiritu ſancto: *Egredimini filiæ Sion.* Vbi hoc notandum venit, meritò eas filias, & non filios, dici, quòd eiuſmodi debiles adhuc in ratione ſeu intellectu, diuerſis quoque fœmineis timoribus impliciti, in omni derelictione necdum robuſti ſatis atque conſtantes, ſed inſtar puellarum filiarumqúe teneri ac imbecilles ſint. Cant.3.

Secundum, eſt deſertum. Poſtquam enim ſecularia deſideria & peccata vtcunque abnegata ſunt repudiataqúe, iam ad deſertum quoddam peruenitur, quod vitam religioſam ſeu abſtractam ſignificare poteſt. Cæterùm duplex eſt myſticum deſertum: Vnum bonum, alterum malum. Deſertum malum eſt, quando cor humanum vanitatibus plenum, virtutibus, amore ac cæleſtibus eſt deſiderijs deſtitutum, & in animæ templo nullus diuinæ laudis cultus peragitur, eò quòd *oues domus Iſrael*, id eſt, cogitationes bonæ, *diſperſæ* ſint, *vnaquæque in viam ſuam.* Bonum verò ac fertile deſertum eſt, vbi perturbationum paſſionumve tempeſtas procelloſa ſedata, ac mundanorum anfractus deſideriorum, affectuſqúe creaturarum, à corde & intimo mentis penitus profligati ſunt. Et licet interdum eiuſmodi homo primo incurſu paſſionem ſeu cruciatum ipſum in corpore, membris, aut ſenſibus non citra moleſtiam ſentiat, & primos motus patiatur, ipſa tamen interior voluntas, immota ac imperterrita perſeuerat. Hoc planè bonum deſertum eſt, vbi extrinſecus tempeſtas ſæuit, & intùs pax integra ſeruatur. De hoc deſerto per Prophetam Dominus loquitur, dicens: *Ducam in eam ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Non enim audire & intelligere quis poteſt, quid in ipſo ſit, quidve Dominus intus in ipſo loquatur, donec ad hanc ſolitudinem pertingat. Porrò triplici de cauſa vita eiuſmodi abſtracta, deſertum appellatur. Primò, ob ſectatorum illius vitæ paucitatem, qui à ſeculo nequam ſeſe auertant, dum omnes ferè ſenſualitatis ſuæ oblectamenta ſectantur. Reuera omnem mundi ſpeciem atque imaginem è corde excludere, & in interiora deſerti ſimul cum Moſe tendere, & illic vnà cum ipſo commorari, quò oues quiſque ſuas melius paſcere, & interiores tentationes ac phantaſias depellere poſſit, id longè optimum eſt. Sicut enim Moſi oues ſuas ad interiora ſolitudinis minanti, *Deus in flamma ignis de medio rubi apparuit:* ita & hic ardentiſſimo amore, flammigeriſqúe deſiderijs ſuccendetur, & implebitur. Tum verò Deum ſequatur. Hæc planè gratiſſima illa ſolitudo eſt, de qua in Canticis legimus: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?* Diuus Gregorius ait: Ea amoris natura atque conditio eſt, vt ſupra ſeipſum per ſancta deſideria magis ac magis tendat, nec quieſcat, donec ipſum ſummum bonum apprehendat: quippe cùm nihil ſit in terris, quod ei videre libeat vel appetere, ſed in Deum ſupra ſeipſum nititur. Et iſtud bonis quibuſque rectè congruit, qui quanto maiori cum deſiderio huic ſummo bono magis inhærent, tanto eis ſit grauius atque moleſtius quicquid de terrena ſpecie blanditur, eò quòd virili ac ſtrenuo deſiderio Deo conditori ſuo innituntur: ſicut & ſanctus Iob ait: *Suſpendium elegit anima mea, & mortem oſſa mea.* De hoc quoque deſerto in Canticis ſub Angelorum perſona dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* Quibus anima charitate vulnerata reſpondet: *Inueni quem diligit anima mea. Tenui illum, nec dimittam.* Quiſquis enim ad hoc deſertum pertingit, ille interna ac myſtica guſtare & eloqui nouit. Amor nanque exercitio ſuo virtutes omnes renouat, & adauget. Hoc

Margin notes: 2. notabile. — Deſertum duplex. — Oleæ 2. — I. — Exod.3. — Cant. 8. — Iob 7. — Cant. 8. — Cant. 1.

Matth. 27. Hoc ipſum Redemptor noſter confirmabat, cùm in monte Thabor diſcipulis ſuis gloriam ſuam manifeſtaret, ſimul inſinuans quis ſit deſerti fructus, & quid ad Deum nos conuertentes, ab ipſo viciſſim ſperare debeamus: nimirum
2. Cor. 3. quod Apoſtolus ait: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in*
II. *eandem imaginem transformamur.* Secundò, ob hoc quòd ſicut in deſerto flores varij, ijdemqúe pulcherrimi reperiuntur, eò quòd viatorum pedibus minimè conculcentur: ita & in vita abſtracta, per pia, ſtrenua ac rigida exercitia, diuerſas licet virtutes colligere & comparare. Cumque exercitia hæc dolore & cruciatu plerunque non careant, inde eſt quòd rariſſimus quiſque vitam hanc abſtractam ſubire dignatur. Inueniuntur autem in ea candentia lilia, & flores nitidiſſimi, corporis videlicet & animæ puritas. Inueniuntur & roſæ purpureæ, dum videlicet caro & ſanguis in vitiorum expugnatione & lucta conſumitur: & hæc ipſa, dum ita cogit neceſſitas, in martyrio Deo immolantur. Quæ profectò non facile in mundo obtinentur ſiue diſcuntur. Adhæc, etiam humilitatis viola, & plures aliæ miræ virtutis & efficaciæ radices atque flores, plurima ſcilicet Sanctorum exempla in hoc vitæ abſtractæ deſerto reperiuntur. In ipſo itaque locum ſibi habitationis ſuæ eligere quiſque debet, hoc eſt, vitæ rectioris modum aſſumere, ſanctoſqúe præcedentes in caſtitate, paupertate, obedientia,
Cant. 2. cæteriſqúe virtutibus imitari, de quibus in Canticis legitur: *Flores apparuerunt in terra noſtra,* hoc eſt, innumeri homines virtutibus onuſti & vitæ probatæ, ab
III. hac luce migrârunt. Tertiò, ob hoc, quòd ſicut in deſerto, ita & in vita abſtracta, quę ad corporis curam ac ſuſtentationem pertinent, vix tenuiter inueniuntur ac adminiſtrantur: vnde ſimiliter huius mundi amatoribus eam ſubire videtur impoſſibile. Nam & filij Iſrael in vaſta illa ſolitudine poſiti, ob defectus multiplices aduerſus Moſen querulis vocibus murmurabant. Intelligitur autem hic vita ſobria ac temperata, cum deuotione coniuncta, qualem omnes ducere ſunt adſtricti, adeò vt ſi cuiquam vel totius mundi dominium contigiſſet, ſola tamen vitæ ſuæ neceſſaria inde cum timore ſumere deberet. Hinc verò anima corroboratur. Denique licet in hoc vitæ abſtractioris deſerto raram vel nullam ſenſuum reperire ſit oblectationem, abundat tamen hic ſpiritalis con-
Eſaiæ 51. ſolatio, omnem mundi voluptatem longè tranſcendens, ſicut Eſaias ait: *Conſolabitur Dominus Sion, & ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi*
Eſaiæ 35. *hortum Domini.* Et iterùm: *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.* Et ita
Eſaiæ 54. veriſſimè, prout idem ait, *multi filij* (hoc eſt, merita) *deſertæ, magis quàm eius quæ habebat virum,* mundum videlicet. Sic etiam Pharaoni præceptum fuit à Domino, vt populum illius dimitteret, quo ille ſibi in deſerto ſacrificaret, recepturus illic conſolationem ſpiritalem, pro AEgypti conſolatione mundana. Ter-
3. notabile. tium idemqúe poſtremum eſt, quid in deſerto videndum ſit. Itaque poſteaquam homo in deſertum exijt, interioribus oculis regem & ſponſam illius, id eſt, animam contemplari monetur: quod profectò iucundiſſimum eſt gratiſſi-
Cant. 3. mumqúe. Hinc in Cantico amoris legitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem*
Eſaiæ 9. *Salomonem,* id eſt, Chriſtum, de quo Eſaias ait: *Puer natus eſt nobis. Et vocabitur nomen eius, Admirabilis.* An non admirabilis Deus in diuinitate ſua, qui propter ſponſam ſuam homo fieri dignatus eſt? Hoc planè mirùm illud eſt, quod Moſes
Exod. 3. videns ait: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Rubus enim, humana ipſius natura eſt: Flamma verò, anima illius nobiliſſima, ar-

dentiſ-

dentissimo amore succensa: Lux autem, diuinitas ipsius mortali corpori vnita. Hunc ergo contuemini Salomonem, cui sapientia infusa est, quæ finem non habet, & omnia continet: qui est veritas, à quo viam cælestis patriæ sumus edocti. Contemplabitur autem ipsum deuota anima, vt eum non iuxta naturam, sed secundùm spiritum viuendo imitetur. Sed & natura ipsa plurimum in aduersis corroborabitur, dum fideliter regis sui naturam considerabit, & vt suum ipse absoluerit incolatum, expendet. Magnum planè amanti animæ solatium adducere debet, nunc quidem infirma illius intueri, nunc verò ex illius vitæ spiritalis consideratione gaudio perfundi. Dicit Doctor quidam præcipuus: Delectationum magnitudo vires debilitat, & superabundans spiritalis exultatio spiritum consumit, nec potest esse perpetuum vehemens gaudium. Vnde necessaria est gaudiorum vicissitudo & alternatio, præsertim cùm necdum hęreditario iure concessum sit animæ, Deo suo intra sancta sanctorum ministrare. O felix & *inebrians calix, quàm præclarus es.* Debet igitur anima, nunc quidem diuinam celsitudinem ac maiestatem, nunc verò illius etiam amabilem contueri humanitatem. Inexpertæ, rudes & extraneæ animæ, ad fidem Dei: deuotæ verò, expertæ atque probatæ, ad contemplandum in suo decore Regem regum omnium, inuitandæ sunt. Et hæc quidem amans anima oculis interioribus dispiciet, quomodo videlicet proximum suum instituere atque dirigere, eidemve resistere debeat. Ait enim mellifluus ille Bernardus: Veni ô mi Domine Iesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem: iactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit, Ego regnabo. Ambitio, detractio, inuidia, & iracundia certant in meipso, de meipso, cuius ego potissimùm esse videar. Ego autem quantum valeo, resisto: renitor, quantum iuuor: Dominum meum IESVM reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me iuris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem, nisi Dominum IESVM. Veni ergo Domine, *disperge illos in virtute tua,* & regnabis in me: quia tu es ipse rex meus, & *Deus meus.* Sustineo te Domine admirando, pulsando, orando, diuersas patiendo afflictiones, multipliciterqúe gaudendo. Et quis cessabit tanto se Regi præparare? Postquam enim Deus modicam naturam nostram diuinæ essentiæ suæ capacem fecit, & eandem ipse quoque assumere dignatus est, eiusdemqúe colore coopertus est, illiusqúe nobis pulchritudo innotuit: multo profectò maiori amore dignus est, quàm nos ipsum amemus. Multum sanè damnabilis essem, si non ipsum supra omnia diligerem, cùm nihil ipse exigat à quoquam, nisi se amare. Hac itaque ratione, dilectissimi, primò nos extra nosipsos exire oportet, vt sic secundò ad felicem hanc solitudinem valeamus pertingere, & tertiò verum regem animarumqúe sponsum cognoscere & contemplari concupiscamus. Ad hæc autem duce Mose, id est, bona voluntate, opus habemus, quæ nos ad montem diuinitatis deducat. Populus verò per Mosen ex Ægypto eductus atque deductus nouiter cõuersorum inolitæ cõsuetudines sunt, qui facile ad priora itinera reuoluuntur, vitulumq; conflatilẽ ex auro efficiunt, ex carnalibus videlicet vetustisqúe incidentijs, ex impudicis & secularibus cogitationibus, quæ eos secundùm carnem viuere, suo ventri, non Deo seruire, & creatura frui solicitant, incitantq;. In his planè vero Mose Domino nostro Iesu Christo opus habemus, qui nos semper ducat atque deducat, trahatq; post se, ad

Psal. 22.

S. Bernardus.

Psal. 58.

Exeundum nobis quà sit.

exeun-

exeundum rursus in interius desertum cordis nostri, in quo Deus latet absconditus. Quod nobis præstare dignetur idem ipse super omnia benedictus in secula. Amen.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Author D. Henricus suso.

De diuersis interrogationibus, de profunda humilitate, resignatione, nostri ipsorum abnegatione, & excessu in Deum.

SERMO I.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, Quia non sum, &c. IOAN. I.

In noua audiendi cupidos



AVDISTIS dilectissimi, quomodo Pharisæi ad Ioannem quosdam miserunt dicentes: *Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, Quia non sum*, &c. Tales hodieque complures Pharisæi reperiuntur, qui inanibus duntaxat quæstionibus vacēt. Alij quidem de rebus mundanis sciscitantur, quid illi & illi agant: qui in vrbibus, in regionibus, apud reges & principes ac dominos, aliosque tam seculares quàm Ecclesiasticos, rumores circunferantur: vti se habeant  illi & illi, & bene est eiusmodi, dum rumoribus pascuntur. Proh pudor talia à religiosis fieri, quos ita oportebat affectos esse, vt plurimum erubescerent vel scire vel referre rumores vanos atque terrenos. Quid enim ad eos attinent ea quæ mundi sunt? Alij ex quadam curiositate percontantur, nimirum plurima nosse cupientes, & alta quædam capere, vt & ipsi de rebus sublimibus loqui sciant. Nec ij ad altiora quandoque proficiunt, nec vlla de eis spes superest, quamdiu tales permanent. Alij eo animo quærunt, vt alterius mentem explo-  rent, & quid in eo agatur, compertum habeant. Hi instar Pharisæorum fallaci adulatione quempiam accedentes: *Magister*, inquiunt, *scimus quia verax es*. Et si (Matth. 22.) suos in illo mores deprehendant, iam bona sunt omnia: sin minus, nihil est quicquid ille agat. Rursus itaque alios adeuntes, ab his similiter perquirunt: nec est vllus quærendi finis, vt habeant vnde morum suorum tueantur improbitatem: nec ab his induci se patiuntur, quicquid eis dicas vel etiam cantes. Alij in sua percontatione probantur, quorum corda & voluntas gratissimam bonamque Dei voluntatem ardentissimè sitiunt. Qui siue manducent, siue dormiant, siue scriptioni aut lectioni vacent, siue neant, siue gradiantur, siue subsistant, eò semper desiderio feruntur, vt dicant: Eia quo pacto gratissimam dilecti Dei nostri voluntatem nosse licebit? Alij demum nihil prorsus interrogant. Hi sunt, qui ad supremum perfectionis conscendêre apicem, qui iam nullis quæstionibus vacant. Sed vbi tales reperiemus? Nam hi nihil admirantur. Augustino verò & Aristotele testibus, ex admiratione quæstio oritur. At isti, vt dictum est, nihil admirantur: sed omnem omnino admirationem transcenderunt, ipsa veritate perlustrati. Sed vt ad Euangelium redeamus, quemadmodum paulò ante audistis charissimi, Pharisæi illi cum Herodianis Ioannem interrogabant, quis esset. Et quid cælestis ille princeps, imò Lucifer ille & Archangelus, respondit? *Non sum*, inquit. *Confessus* enim *est*, ait Euangelista, *& non negauit, quia non sum*. Hoc verbum, *non sum*, omnes proferre recusant: & huc omne eorum tendit

in hac possit vita obtineri, haud dubiè reperisset. Ab hoc verò neminem vel ætas, vel infirmitas, vel inopia, vel abundantia excusat. Et quis enarrare sufficiat, quàm inæstimabilis essentia in hoc, *Non esse*, lateat? Sed heu nemo est, qui illud velit iter arripere. Quicquid agas, non est qui non aliquo in pretio haberi velit. Imò omnes & sumus, & volumus, semperqúe voluimus aliquid esse. Hoc laqueo omnes penè adeò captiui detinentur, vt nemo sit, qui seipsum deserere & abnegare velit. Inde est, quòd minori cum labore decem opera externa perpetremus, quàm vel semel perfectè nos exeamus aut abnegemus. Hic omnium bellorum, totiusqúe laboris nostri scopus est. Huius gratia seculares quique bona sibi plurima coaceruant, cognatos & amicos comparant, corpus & animam mille periculis exponunt: nempe, vt sint aliquid: imò vt magni sint, vt diuitijs, honoribus, ac potentia præcellant. Quantum verò religiosi & Ecclesiastici etiam pro hoc agant & dimittant, patiantur & operentur, seipsum quisque perscrutetur. Heu Monasteria omnia & inclusora vniuersa, hoc execrabili malo abundant, vt quisque & esse cupiat aliquid, & apparere. Ipse Lucifer in cælo in quandam superbiam erigebatur, & esse volebat aliquid: & hoc ipsum in extremam illum abyssum, in ipsius nihili fundum, imò in vilius aliquid quàm sit omne nihilum, detrusit, impulit, detraxit. Hoc quoque progenitores nostros Adam & Euam extra paradisi amœnitatem repulit, & omnes nos, quotquot de illa progenie sumus, in varias calamitates, labores, atque sudores præcipitauit. Hoc omnium est causa miseriarum & luctuum. Inde est, quòd absque Deo, absque gratia, absque dilectione, cunctisqúe virtutibus nudi ac vacui sumus: quòd nullam neque foris, neque intus pacem experimur, quodqúe multa sæpe & in Deo, & in hominibus displicent nobis. Hæc, inquam, mala omnia ex ea sola radice pullulant, quòd scilicet aliquid esse contendimus omnes. Contra verò nihil esse velle, in quolibet viuendi modo, in locis omnibus, & cum hominibus vniuersis, veram, integram, essentialem, ac perpetuam efficit, fouet, ac obtinet pacem: nec quicquam eo felicius, securius, & nobilius in hoc mundo contingere potest. Sed heu quantum illud auersamur omnes, diuites & pauperes, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus? Legimus in Euangelio secundùm Lucam, quòd Pharisæus quidam homo opulentus Christum rogauerit, vt manducaret cum eo. Optimum certè erat opus illud, Christum reficere cum discipulis eius: præter quos tamen etiam alij plures illic aderant. Nec deerat Pharisæo huic intentio bona. Quid igitur? Illud sanè nobilissimum, *Non sum*: Hoc, inquam, deerat illi. Ex hoc vnde probamus? Attendite: Conuiuantibus illis, superuenit mulier illa peccatrix, & ad Saluatoris collapsa vestigia, intus ex intimo fundo suo profitebatur, *Non sum*. Quamobrem non solùm vltra cælos omnes, sed & supra multos Angelorum Ordines, vt puto, est exaltata. Nam in imum ad pedes Domini proruens, ex intimo, vt dixi, cordis sui loquebatur, *Non sum*. Inde verò, ex isto scilicet fundo, perpetuum quoddam ac indeficiens, *Ego sum*, exoriebatur. Et Christus ipse quicquid illa voluisset, mulieri præstitit. Sedebat illic hospes iste Pharisæus, qui grande hoc opus patrabat, cunctis illis cibum ac potum

O si hæc ita non essent.

Esaiæ 14.

Gen. 3.

Lucæ 7.

Magdalenæ excellens præconium.

conferens, qui secum in corde suo istud indignè ferebat, dicens intra se, cur Dominus illi fœminæ tantam exhiberet familiaritatem, cùm ipsa peccatrix esset. Sed heu dominabatur in eo detestabile illud, *Ego sum*: non autem, *Non sum*. Vnde fiebat, vt se dignum arbitraretur, ad quem sese Dominus conuerteret, cuius verba auscultaret, qui cum loqueretur, & non cum illa peccatrice muliere. Et nunc, dilectissimi, quanti adhuc hodieque eiusmodi Pharisæi, tam in clero, quàm in populo reperiuntur? Hoc hominum genere totus vbique mundus abundat, & superabundat. Et sub nigro, griseoque, sub albo, rubicundo, atque cæruleo habitu plurimos inuenias licet, qui vel propter diuitias suas, vel ob potentiam suam, vel propter sapientiam atque scientiam suam, vel ob ingenij ac intellectus sui acumen, vel propter eleemosynas, vel ob habitum suum (propter quę sibi sanctiores videntur) aliaque similia, æquum esse arbitrentur, vt ad ipsos quisque non absque opinione sese conuertat, cum ipsis verba misceat, ipsorum sermones auscultet, & eorum gratia quippiam agat: atque hoc modo intra se loquuntur: Mihine ab eis hoc pręstari par est, quibus ego hæc atque illa pręstiti, qui sum talis ac talis? Et reuerà multum indignè ferrent, si non pluris haberentur ab omnibus, quàm illi in quibus iam dicta minimè recognoscerent: de quibus ita intra se loquuntur: Eia, quinam sunt isti, aut vnde veniunt? & quomodo cogitare præsumunt, quod (si Deo placet) nobis etiam facere permissum est? & sic alios aspernantur. Talis erat Pharisæus ille, qui supra Publicanum inaniter sese extollens, suam secum iniustitiam reportauit, quòd in oculis suis grandis esset. Publicanus verò, qui fateri nouerat, *Non sum*, qui nihil sibi videbatur, oculis in ima depressis, ita potiùs ait: *Deus propitius esto mihi peccatori*, qui nihil sum: imò propter peccata mea minùs quàm nihil. Et de hoc in Euangelio legimus, quia *descendit iustificatus ab illo in domum suam*. Et hæc ipsius est sententia Dei. Quilibet ergo sese attendat, nec facilè alium aspernetur, quisquis etiam ille sit, vel quoquo modo se habeat. Beata & felix illa peccatrix, de qua præfati sumus, quæ domum Pharisæi subintrabat, tria in suo exercitio peregit. Primò namque, sicut à Deo auersa fuerat, ita ad hunc sese ex toto conuertit. Oculos mundi vanitatibus deditos, nunc lachrymis rigat. Capillis suis pedes Dominicos extersit, in satisfactionem illius, quòd mundo quandoque illis inseruierat. Corpus suum anteà luxui deditum, crebris Dominicorum pedum deosculationibus attriuit & afflictionibus: bonaque sua vnguentum fundendo immolauit. Secundò, seipsam Saluatori penitùs resignauit & obtulit. Tertiò, vehementissimi plena doloris & contritionis fuit. Planè, dilectissimi, omnis non vndiquaque probata & exercitata resignatio nec fabæ vnius pretio æstimanda est, nisi opere & veritate exhibeatur extra fallacissimam naturam, cui heu plus mille anguli, plus mille versutiæ insunt, in quibus seipsam fouet ac retinet: quæ nisi radicitùs extirpentur, haud secùs aliquem eiusmodi hominem susciperem, quàm malignum spiritum, in Angeli sancti specie habituque mihi apparentem. Enimuerò qui tales sunt, horum ita verbis stare tutum est, vti per culmum vnum, si is pontis vicem in Rheno latissimo suppleret, iter facere: Tam, inquam, horum resignatio certa atque secura est. Vnde non immeritò ficta & fucata huiusmodi resignatio censenda est. Et tamen videas id genus homines quandoque venire, ac dicere: Domine mi, obsecro de suprema nobis veritate & perfectione loquere. Hem, quantam mihi hæc verba nauseam ingerunt. Sic & Pilatus à Domino olim sciscitabatur.

Vtinam hæc falsa essent.

Lucæ 18.

Ibidem.

Resignatio ficta quantuli æstimanda.

Hypocritica ostentatio.

batur, quid esset *veritas*. Sed nullum omninò responsum obtinuit. Adeò non potest, quid sit veritas, explicari. Deus ipse veritas est. Veritas, puritas, simplicitas, vnum sunt & vna essentia. Iam si quandoque verbis aut operibus duriusculè tractentur isti, repentè prosiliunt, erumpunt, & instar canum remordent, nimisque indignè ferunt, & hæc atque illa sibi facta queruntur: sicque luce clarius innotescit, quæ ipsorum fuerit resignatio, dum verbis simul & actibus animum fundumque suum omnibus produnt. Quæso, dilectissimi, nemo seipsum fallat. Nihil enim mihi nocere potest, si me fallatis. Vos ipsi estis, quibus illuditur. Nec mihi, sed vobis incommodatis. Equidem nihil ambigo, etiam in religione complures inueniri, qui in ea omnes penè vitæ suæ dies exegerint, qui ingentem quandam ac singularem præ se ferant sanctitatem, & caput in humeros demittant, qui tamen ita ex hac luce sint migraturi, vt vera resignatio nec ad momentum vnquam illis illuxerit. Intelligens quisque, & dolere, & præ admiratione etiam in risum solui possit, quòd miseri homines adeò imponunt sibi ipsis. Id certo certius tenendum est, neminem sibi de resignatione blandiri, nec se resignatum esse, in animum debere inducere, quandiu vel guttula vna sanguinis in carne, vel aliqua medullæ portio in ossibus latet, quæ nõ pro vera sit resignatione decocta atque cõsumpta. Cæterùm quandiu aliquis vel vltimum veræ resignationis punctum nondum perfectè adeptus, vel necdum debitè prosecutus fuerit, tantisper etiam Deo frustrabitur, nec proximam ac supremam vel in tempore vel in æternitate beatitudinem poterit experiri. Necesse est enim, vt *granum frumenti*, si fructum adferre debeat, prius emoriatur. Et *si mortuum fuerit, fructum* plurimum afferet. Oportet omninò charissimi, vt moriamur, deficiamus, annihilemur, vt iam ex sententia dicamus, *Non sum*. Nec votis duntaxat, desiderijs, ac precibus huc peruenitur: necesse est vt subsequantur opera, vt res tanta aliquo constet. Quod enim nullo constitit, haud dubiè nec valere aliquid potest. Vnde si desiderijs, votis ac precibus solis absque sumptu, absque labore & dolore ea posset resignatio comparari, in nullo foret pretio habenda. Sed id fieri minimè potest. Nam & Augustinus ait: *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.* Nemo proinde existimet Deum nos miraculosè ad altiora prouecturũ. Quamuis enim nullo negotio etiam hoc tempore miræ elegantiæ rosam ille de terra producere posset, non tamen id facit. Vult siquidem, vt ea ordinatè & suo (puta verno) tempore, per rores & pruinam, diuersasque tempestates, quæ ad hoc ordinantur ac referuntur, germinet atque succrescat. Dolenda planè conditio, multos etiam religiosos, triginta, quadraginta & eo ampliùs annis, in perpetuo quodã tempore iugique querimonia inanissimam prorsus vitam agere, & nec post tanta annorum curricula, sui notitiam vel tenuem habere. Quanto satius foret, vnum in hoc annum expendere, vt sibijpsis perfectè morerentur, ac à seipsis deficerent, & tandem quibus constricti tenentur, retia abrumperent? Heu heu, cùm mors quandoque superuenerit, & ipsi longa vitæ suæ spatia miserè neglexerint, absumpserint, perdiderintque, quàm irreparabile ipsis damnum erit, quòd deinceps perenniter eis, quæ adipisci poterant, carere debebunt? Maior ea calamitas erit, quàm in hoc tempore dicendo quis consequi possit. Æquum sanè erat, ita quemlibet religiosum, spiritualem, ac cœnobiticam agẽtem vitam, multa cum diligentia, ac indefesso proficiendi studio, pluraque bona consequendi desiderio viuere, vt nulla vnquam ei dies abscederet, qua non tantum se profecisse notaret, vt

Ioan. 18.
Ioan. 14.
Resignationis veræ indicium.
Ioan 12.
[illegible] duerti te schismatici hodierni.
Contra ignauiam religiosorum.

Miserabile quiddam.

ret, vt priora vix posset conspicere. Miserandum profectò est, huius mundi infelicissimos amatores maiorem pro vilissimis quibusque temporalibus rebus acquirendis curam impendere, quàm Dei electos pro summo illo ac ineffabili bono, quod Deus ipse & est, & appellatur. Hei spiritalis quisque ac monasticæ vitæ homo, ita omni deberet esse voluntate absolutus, vt nihil vnquam in eo notari posset, præter illud, *Non sum.* Videas plerosque instabiles, diuersos sibi viuendi modos somniare: iam pane duntaxat & aqua viuere velle, iam verò alio moliri iter: modò hoc, modò illud proponere. Sed ego compēdiosissimum simplicissimumque vobis iter ostendo. Intret quisque fundum animę suę, & ibi diligenter, quid se potissimum impediat ac remoretur, exploret: & hunc laqueum, huncque lapidem in Rheni profunda demergat. Eat alioqui quocunque volet, omnia mundi climata peruagetur: nullum aut perexiguum citra hoc lucrum reportabit. Hæc nouacula, propriæ scilicet voluntatis, affectuum ac desideriorum mortificatio, carnem ab ossibus abradit. Sed heu multi sunt, qui naturam trucidant, & vitia germinare sinunt: de quorum profectu spes nulla superest. Nunc ergo, dilectissimi, intra vosipsos conuersi, attentissimè quęso considerate, quantum adhuc distetis, quàm dissimiles adhuc sitis amabili Saluatoris imagini, cuius tanta, tamque profunda resignatio fuit, vt omnium tam præteritorum, quàm futurorum hominum resignatio, huic minimè valeat comparari. Denique, quod superius dixi, peccatricem illam soli Christo se resignâsse, id ita intelligendum est. Quando nosipsos propter Deum relinquimus, tunc omnia simul eidem resignamus. Iam multos inuenire licet, qui se Deo quidem relinquunt, sed hominibus sese relinquere nolunt, contenti à Deo affligi ac deprimi, non ab hominibus. Cæterùm oportebat Deo nosipsos relinquere ac resignare, quocunque modo id ipse voluerit. Vnde quisquis ille est, qui nos ad nostri vult nihili considerationem adducere, multo cum amore ac gratitudine id ab eo suscipere debemus, vti sic in veritate dicamur, quod & sumus, *Non sum.* Pręstet nobis omnipotens Deus, vt ita ad hanc nostri annihilationem pertingamus, quò per hoc in diuinam immergamur ac absorbeamur essentiam, Amen.

Nouacula optima quæ.

Lucæ 7.


DOMINICA EADEM.

Vt ad veram simplicitatem per sensuum custodiam, & nostri contemptum pertingamus, & vt in vita Saluatoris continuè exerceri debeamus.

SERMO II.

Marc. 1.

Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. IOAN. I.



E Vicino iam imminet nobis, dilectissimi, festiua planè ac iucundissima solennitas, in qua Verbum æternum humanam naturam assumere voluit, in qua itidem idipsum Verbum æternum sine cessatione in qualibet anima sancta spiritaliter nasci debet. Verbum, vt nostis, voci admodum vicinum est. Diximus heri, quo pacto ad veram debeamus resignationē pertingere, vt nos in fundo nostro in veritate nihil esse sentiamus. Hîc verò modum aliquem, & iter ad hoc compendiosissimum, inuenire posse, in quo nemo aberrare queat, id optimum fuerit. Hoc autem meo iudicio vera simplicitas est, quę ad hanc certissimè resignationem perducit. Porrò ad veram simplicitatem, primò sensuum refræna-

Compendium ad renouationem veram optimum quid.

natio-

natione, & imaginum abdicatione ac denudatione peruenitur. Huc verò requiritur, vt in omni multiplicitate & externa operatione quisque sensuum suorum dominus efficiatur. Sensus enim hominem extra seipsum auocant, & extraneas in ipsum imagines adducunt. Legimus de quodam patre, qui in Vere extra cellam suam debebat procedere, quòd oculos suos cucullo ex toto operiebat. Interrogatus cur id faceret, respondit: Custodio oculos meos ab arborum aspectu, ne à spiritus mei contemplatione præpediar. Eia charissimi, si hunc vastæ solitudinis adspectus impediebat, quantoperè nobis obesse credendum est diuersas, quibus implicamur, multiplicitates? Secundò, ad hanc simplicitatem obtinendam impendio prodest, absque omni interna imagine viuere. Triplices verò imagines reperiuntur. Primæ, sunt noxiæ: Aliæ, vanæ & otiosæ. Tertiæ, bonæ atque laudabiles, quæ tamen nonnihil impediunt, officiuntque. Noxiæ imagines sunt, quando aliquis creaturarum species cum delectatione & complacentia intrò recipit, ac in se trahit, siue cum ipsis ludit, aut certè inordinatam ac vitiosam in eis complacentiam habet & requirit. Quæ quantoperè noceant, sermo non explicat, cùm citra vllam dubitationem, Deum hic cedere, ac procul abscedere oporteat, licet fortasse ad opus prauum minimè procedere velimus. Interim tamen per hæc dulcissimo amatori Deo iucundissimam in eius palatio voluptatem præripimus, & pretiosum aromatum hortum fœtidissimo ac putenti fimo commaculamus, ita vt iam cum sponsa haudquaquàm dicere possimus: *Lectulus noster floridus.* Hic tam solerter intuendum est, quòd homini Deum amanti, & magis ac magis amare cupienti, frequenter sese creaturæ ingerant, etiam contra omnem cordis, animæ & mentis eius voluntatem, & dira quadam morte cruciatuque ipsum afficiant. In hoc ergo patientiæ scutum arripiendum est, & eiuscemodi in vera resignatione æquanimiter sufferendum: modò tamen ipse sibi per creaturarum amorem inordinatum, talium cogitationum occasionem non præstiterit. Sed reuera felicissimus foret, & incomparabilis possessor thesauri, qui ab infantia in indepicta perstitisset puritate. Aliæ imagines, vanæ quædam sunt incidentiæ, quibus non magnoperè cor hominis occupatur, vt quòd Rhenus fluat, quòd aues per aëra volitent, & id genus aliæ, quæ licet parui momenti sint, impediunt tamen. Ab his verò omninò liberum esse, præsentis seculi non est. Vnus tamen alio longè facilius ab eis exuitur. Vera est enim illa D. Bernardi sententia, qua ait: Vbi cor humanum diuino amore plenum est, ibi cedere oportet omnem vacuitatem atque teporem, sicut clauus clauo expellitur. Impendio proderit, aliquid diuinum altissimè cordi imprimere, adeò vt cuncta inferiora depellat elimineтque. Tertiæ imagines bonæ ac vtiles sunt, & præstant tamen & ipsæ impedimentum. Sunt plerique, qui tam multis imaginibus & tot occupationibus implicantur, ac si Rhenus totus per eos decurreret. Quò fit, vt nulla vnquam cordis quiete, nulla pectoris pace gaudeant. Et licet interdum extrinsecus sese quieti tradant, & quiescere peroptent, plurimis tamen interim cogitationibus & occupationibus intus agitantur, haud secus quàm arbor folijs exuberans, ventis exposita, quæ non potest non vltrò citroque moueri. Ita nec ij cuncta illa opera de corde suo excludere queunt, quæ facere statuerunt, quæque tanto exequuntur studio, vt nunquam quiescere possint, tamen si bona se intentione moueri arbitrentur. Atqui verum est, quod vulgo dici solet: Inten-

[Margin notes: Paradigma. — Imagines triplices. — I. — Cant. 1. — II. — III.]

tionum multiplicitas veram turbat vnitatem. Econtrà sunt alij ex ipsa natura instar musculi quietissimi, qui proinde facilius, quàm illi alij, ad culmen perfectionis euolant. Cæterùm si inquieti illi effrænis naturæ suæ importunitatem frangerent, sibijpsis violentiam inferrent, sese restringerent, & alligarent, sicque quieti darent operam, longè profectò excellentiores redderentur, quàm vel mille ex alijs illis naturæ beneficio, non exercitio, quietis. Valde autem necesse est, vt seipsos nunquam non diligenter obseruent, & vbicunque sese deprehenderint, funditus se relinquant exeantque, nec vllo modo leuitati vacent. Procul enim omnem ludum & dissolutionem omnem abijcere eos oportebit, si pro Dei voluntate ad perfectionis apicem pertingere volent. Vnde ceu strenui milites cum honore ad certamen viriliter procedent. Necessarium quippe est, naturam frangere atque domare, imagines ac rerum species abijcere & superare, idque cum labore & dolore, velut si capillis alicuius lappa iniecta foret, eam vtique cum dolore & cruciatu euellere cogeretur. Attendite quæso dilectissimi, ne fortè eueniat vobis, veluti si pædagogus aliquis diuersos sub ferula sua pueros habens instituendos, inter alios vnum quendam suscepisset, qui lectioni suæ addiscendæ non solùm nullam impenderet operam, sed etiam hinc inde expatiaretur: quem fortasse semel atque iterum virgis cæsum, ad meliora prouocaret: sed si hunc laborem suum nihil proficere cerneret, contumacem illum à suo pædagogio remotum, ipsius relinqueret arbitrio. Ita, inquam, cauete dilectissimi, ne sic vobis faciat Deus. Eodem namque modo & ipse se habet erga eos, quos ad cælestem scholam suam elegit, vbi secreta illius & ipsum singulariter cognoscere, ardentissimè amare, & eius gustare dulcedinem eos discere conueniebat. Huius autem scholæ discipuli, ipsi religiosi sunt, & quotquot monasticen profitentur: Schola verò hæc præamabilis, vita est religiosa siue monastica, in qua quicunque degunt, à mundo & à diuersis sunt miserijs & calamitatibus abstracti atque disiuncti, quò Deo omnipotenti in veritate perfectissimè atque purissimè viuant, Deum & seipsos sine cessatione obseruent, ac naturæ denique fastidiosæ, sensibus ac mundo, perfectè moriantur. Hos ergo crebrò diuina pietas respicit, hortatur, impellit, arguit, affligit. Qui si tum nihilominùs otio ac ludis vacare velint, abijcit eos, & (vt Propheta terribiliter ait) dimittit *eos secundùm desideria cordis eorum.* Tunc verò parum aut nihil ab ipso vrgentur, commonentur, arguuntur: & sic miseri absque dilectione, absque gratia, absque Deo viuunt, & tamen pace qualicunque (si tamen ea pax dicenda est) gaudent, satisque sua sorte contenti sunt, eò nimirum, quòd pædagogus eorum nec verbis durioribus, nec plagis eos afficere, nec quicquam cum eis negotij habere dignatur. Quàm verò periculosè & anxiè tunc cum eis agatur, quis non videat? Obsecro, charissimi, attendat quisque saluti suæ. Oportebat sanè religiosum quemque tanto Dei sui flagrare desiderio, vt & suijpsius, & creaturarum omnium penitus obliuisceretur, sicut omnibus videre pronum est, vti miserabiles & omni lachrymarum fonte plangendi huius mundi amatores, pro rebus caducis atque vilissimis nihil non agant, dimittant, patiantur, & aspera omnia æquè vt prospera subeant, vt terrenis opibus ac possessionibus locupletentur. Hoc Dominus ipse innuere volebat, quando ait: *Filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Æquum profectò foret, religiosum quemque adeò diuini amoris igne succensum, adeò prorsus intus & fo-

Naturam hic arte vinci.

Comparatio luculenta.

Psal. 80.

Religiosis qua in re præstēt seculares.

Lucæ 16.

& foris deiformem esse, vt quisquis eum accederet, nihil vnquam in eo nisi Deum, aut certè animum feruentissimum in Deum erectum, & ad diuina omnemque Dei voluntatem paratissimum inueniret, vt quamlibet ille frigidi aut tepidi cordis esset, ab ipso succenderetur: quemadmodum multi carbones ab vna succenduntur pruna, simulque calorem & lumen accipiunt. Reuera, dilectissimi, non est aliquod tam breue momentum, quo non singularem quendam diuinæ gratiæ influxum percipere liceret, si nos saltem eò conuerteremus. Deus enim pura quædam ac (vt ita dixerim) fluida essentia est, & spiritus noster mera quædam capacitas. Deus est actus purus, & anima rationalis pura passio, si tantùm nos ad nostrum principium verteremus, ad quod conditi sumus, sicuti riuus ad suam originem. Iam verò, proh pudor, atque dolor, miseri nos semper ad externa dilabimur, atque in sensibus commoramur: per quod nosipsos planè seducimus, & imponimus nosipsis ad exteriora effusi, cùm tamen ipsum os Christi locutum sit: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet*, non foris, non in sensibus, non per imagines. Nec est quòd arbitretur aliquis, sanctas me imagines damnare ac interdicere. Imò si possum, quandam omnibus imaginem imprimere volo. Quilibet ergò in interioribus suis seipsum totum in cor paternum subleuet, atque ibidem superessentialem illam imaginem, quam cælestis Pater ab æterno seipsum intelligendo expressit, ex eius diuinitatis abysso accipiat, & tunc adhuc vlterius in desertam ac vastissimam illam diuinitatis procedat abyssum, atque amabilem illam imaginem rectius in fundum suum modo quodam speculatiuo trahat, adeò vt ipsa omnes animæ suæ vires pertranseat penetretque, ita vt siue comedat, siue bibat, siue eat, siue subsistat, siue vigilet, siue dormiat, nunquam hæc amabilis atque dulcissima imago ab intimis suis essentialiter, non autem imaginariè recedat: & iuxta hanc, omnem & foris & intus componat, ordinet, instituatque vitam suam: pictoris hac in parte imitator effectus, qui aliquam egregiam imaginem delineaturus, omnes prius alterius cuiusdam excellentis imaginis lineas contemplatur, & eas in sua tabula, quatenus potest, exprimere curat: ita, inquam, & ipse amabilem hanc & superessentialem attendat imaginem, diligenter considerans, vt ea iuxta diuinam naturam suam absque intermissione in diuinam redeat ac reflectatur abyssum, cum omnibus quæ vnquam à Patre percepit: & iuxta hanc, suæ quoque imaginis primas lineas ducere enitatur. Ad hæc eandem quoque imaginem iuxta eius attendat humanitatem, illius mansuetudinem, humilitatemque contemplans, idque non cum modo, sed supra omnem modum, & in omni modo, qualescunque sint illi, in solitudine & in hominum frequentia, quibuslibet locis ac temporibus, semper hoc sibi speculum proponat, & ad ipsum omnes cordis sui vires conuertat, ita vt si etiam ostiarij officium gerere, aut alijs externis negotijs & exercitijs debeat intendere, non minus amabilem hanc imaginem animæ suæ seruet impressam, quàm si in cella ab omnibus externis expeditus negotijs, aut etiam in templo sederet. Omnes quoque vias suas ita dirigat, cunctaque verba ea moderatione proferat, ac si illi coram assisteret. Si comedit, quemlibet morsellum ipsius amoroso ac feruido sanguini intingat: Si bibit, potum suum ab ipso benedici, ipsumque se in eodem sibi porrigere, aut ex sacris illius vulneribus se potare cogitet: Si dormit, super cor illius cruentum sese reclinet: Si

Deus. Anima.

Ioan. 4.

Imaginũ sanctarũ assertio.

Feruentis amore diuino studium.


net: Si loquitur, illum sibi adstare, sermones suos attendere, atque ob oculos sibi assistere, cunctosque gestus & intentionem suam inspicere imaginetur: atque hoc modo se totum in præclaram hanc diuinamque imaginem immergat, certus quòd hæc ipsum in indepictam, formæ ac modi nesciam, & ineloquibilem illam imaginem sustollet euehetque. Ita namque intus cuidam fuit in
Oraculū. spiritu dictum: Qui seipsum ad sedendum reponit, priusquam à Domino sedere iubeatur, hic à suo deturbabitur loco. Multi multas habent intentiones, sed intentionum multiplicitas veram turbat vnitatem. Iam olim feliciori seculo Theologus quidam ita ait: Consideret quisque in fundo suo, quæ opera, qui ritus siue modi, quæ exercitia magis ipsum ac vicinius in formæ nesciam ac superessentialem illam imaginem introducant, subuehantque; & ea opera, illos ritus, eaque potissimum sectetur exercitia, donec & suijpsius, & rerum omnium exuatur formis ac imaginibus, & in diuina illa imagine supra omnes imagines absorbeatur. Quod omnibus nobis largiatur misericordia Christi, Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

De triplici natiuitate, reductis singulis ad singula Missarum Sacra, quæ ea die tria celebrantur. Et vt tres animæ vires recolligere, ac omni proprietati renuntiare debeamus.

SERMO I.

Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis. ESAIÆ IX.



Natiuitas triplex. TRIPLEX hodie in Ecclesia Catholica natiuitas celebratur, quarum quælibet tanto vnumquemque gaudio deberet & exultatione perfundere, vt præ iubilo, præ amore, præ gratitudine, præ intima denique lætitia seipsum capere non posset. Et reuera quisquis hæc in seipso minimè experitur, habet vnde timeat sibi.
I. Prima ergo, eademque suprema natiuitas est, qua Pater æternus Vnigenitum
II. suum parit in diuina sua essentia, & in personali distinctione. Alia natiuitas, est virgineæ Matris partus, qui saluo integritatis pudore, & illæsa puritate, fie-
III. bat. Tertia natiuitas est, qua Deus omnipotens cum amore & gratia, diebus & horis singulis in qualibet sancta anima veraciter, sed spiritualiter nascitur. Hæ
Missæ i. tres natiuitates illo, quod hodie peragitur, triplici Missæ Sacro designantur.
I. Primum namque Missę Sacrum, quod in ipsa nocte celebratur, cuiusque Introitus est: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie* (id est, in æternitate) *genui te:* occultam illam natiuitatem designat, quæ in caliginosa, occulta, & inco-
II. gnita diuinitate agitur. Secundum Missæ Sacrum, quod Introitum habet: *Lux fulgebit hodie super nos,* splendorem deificatæ humanæ naturæ significat, ipsumque partim in die, partim in nocte agitur: quia & hæc natiuitas partim nota,
III. partim verò incognita fuit. Tertium denique Missæ Sacrum, quod in ipsa clara iam die celebratur, cuiusque Introitus est, *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis,* amabilem illam natiuitatem exprimit, quæ diebus, horis, ac momentis omnibus fieri deberet, imò & fit in qualibet anima sancta, sese ad hanc cum amore & illius obseruatione conuertente. Si namque hanc in se natiuitatem debeat experiri feliciter, oportet sanè vt omnes vires suas introuertat atque reflectat

reflectat in Deum. Quod dum facit, adeò in hac natiuitate Deus quodammodò illius iuris efficitur, adeoqúe se illi verè proprium facit, vt nihil vnquam alicui tam proprium fuerit, sicut & ipsa verba, paulò antè recitata, apertissimè innuunt: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis*. Imò planè noster est ipse, & super omnia verè proprius nobis, cùm sine cessatione omni tempore nascatur in nobis. De hac itaque postrema, sed prorsus amabili, natiuitate, per vltimum æquè Dominici natalis Missæ Sacrum designata, primo loco apud vos, charissimi, verba facturus sum, simulqúe dicturus, vti ad hanc & possimus & debeamus pertingere. Sanè vt ipsa nobiliter ac fructuosè intra nos agi possit, primæ illius natiuitatis, qua Deus Pater vnigenitum Filium suum in æternitate parit, nobis consideranda proprietas est. Ex abundantia namque superessentialium diuitiarum bonitatis suæ sese continere Deus non potuit, quin se effunderet, & omnibus se communicaret: cùm natura boni, teste Augustino & Boethio, sit, sese effundere. Effudit ergo se Deus Pater pariendo Filium suum, secundam in diuinitate personam, & deinceps effudit sese in omnes creaturas. Inde est quod Augustinus ait: Quia enim Deus bonus est, & nos sumus: & quicquid vlla creatura bonitatis habet, ab illa sola essentiali Creatoris bonitate totum processit. Sed quærat fortasse aliquis, & dicat: Quæ est ergo proprietas illa, quam in paterna generatione considerare debeamus & discere? Attendite: Pater ille cælestis in personæ suæ proprietate, cum diuino intellectu suo, sese intra se recipit, seqúe intuens, ac perspiciens clarissima cognitione essentialem perennis essentiæ suæ abyssum ex hac sui cognitione & intellectu, se totum profert pronuntiatqúe. Et hoc Verbum Filius ipsius est: istaqúe sui cognitio, Filij sui in æternitate generatio est. Manet itaque ipse Pater in seipso per essentialem vnitatem, & emanat per personalem distinctionem. Seipsum quippe Deus Pater intuens ac intrans, seipsum quoque perfectè cognoscit: & rursus emanans, imaginem suam producit, quam intra sese cognouit & intellexit per personalem distinctionem. Iterumqúe in sese refluens, seipsum cum perfecta sui complacentia intuetur & amat: & hæc sui complacentia, in ineffabilem quendam ad intra emanat amorem, qui est ipse Spiritus sanctus. Atque hoc modo & intus manet, & foras emanat, rursusqúe intro reuertitur. Verum est itaque hoc quod dici solet, Omnem exitum propter reditum fieri. Vnde quemadmodum cæli motus omnium est nobilissimus perfectissimusqúe, cùm ipse proprijssimè in suam originem, suumqúe principium, vnde effluxit, reuertatur ac tendat: ita & hominis nobilissimus ac perfectissimus motus siue cursus est, quando is magis absque omni medio in suam reflectitur originem. Hanc ergo proprietatem cælestis Patris, in effluxu & refluxu illius, vnusquisque etiam in seipso habere debet, qui diuinæ huius generationis mater spiritalis esse voluerit. Primò namque totum sese intrò recipiet, & iterum foras extra seipsum egredietur. Quod qua ratione fieri debeat, auscultare vos velim. Tres nobilissimas anima vires habet, per quas vera est sanctissimæ Trinitatis imago: & hæ sunt, Memoria, Intellectus, & Voluntas: per quas Deum apprehendere & capere potest, imò & omnia illa, quæ Deus ipse vel est, vel habet, vel dare potest, atque per has æterna speculatur. Ipsa quippe anima inter tempus & æternitatem condita est: & suprema quidem sui portione, ad æternitatem: infima verò, sensualibus videlicet ac animalibus viribus suis, ad tempus perti-

Esaiæ 9.

Quæstio.

Exitus omnis cur fiat.

Nobilissimæ vires animæ quot.

pertinet.] Iam verò, proh dolor, & supremis & infimis viribus suis, ad tempus & temporalia defluit, euagatur, excurrit. Cumqúe aliqua sibi inuicem affinitate vires infimæ atque supremæ iungantur, facilima ac propensissima est anima ad euagandum in hæc sensibilia, vana, caduca: & ita auertitur ab æternitate. Hic iam planè necessarius est recursus quidam siue reditus, si natiuitas ista in anima debeat agi: necessaria quoque est fortis ac strenua introuersio, intractio, ac interna collectio, omnium tam infimarum quàm superiorum animæ virium, & vnitio quædam earundem ab omni dispersione. Virtus quippe vnita, vt dici solet, fortior est, quàm dispersa. Vnde quemadmodum sagittarius tela ad scopum directurus, quò certius iaciat, acutiusqúe altero oculo cernat, oculum alterum claudit; ita & penitius rem aliquam consideraturus, prius omnes sensus suos occludit, eosdemqúe ad vnum illud centrum siue animę fundum dirigit, sublcuatqúe, vnde ipsi profluxêre, haud secus quàm omnes arboris frondes ex illius radice. Collectis porrò omnibus sensitiuis & infimis viribus, cunctisqúe affectionibus in vires supremas, & in supremum animę fundum, quod totum ad introitum pertinet, iam superest vt & exeamus, imò & excedamus, siue supergrediamur, extra & supra nosipsos in Deum. Ibi verò omni proprietati voluntatis, affectus & operis renuntiabimus, ita vt pura ac nuda quædam Dei intentio, quæsitioqúe in nobis remaneat, nec quicquam omnino propriæ quæsitionis quocunque modo, vt iam non ipsi aliquid esse, aut fieri, aut lucrari appetamus, sed illi soli esse, illi soli locum præbere summo, excellentissimo, ac proximo modo, quo suum intra nos opus, suamq́; natiuitatem peragere queat, nec vllum in his ex parte nostra patiatur impedimentum. Dum enim duo quædam vnum fieri debent, alterum agentis, alterum verò patientis vicem gerat oportet. Si oculus meus imaginem parieti hærenté aut aliquid aliud cernere debeat, ipsum ab omni imagine nudum ac expeditum esse necessarium est. Nam si cuiuslibet imaginis formam sibi habeat impressam, videre non potest. Similiter si auris sonum, aut aliud aliquid percipere debeat, vacuam ipsam ac liberam esse oportet. Et quicquid demum aliquid capere debeat, vacuum esse necesse est. Ad hunc sensum ea Augustini verba spectant, quibus ait: Effunde, vt implearis: exi, vt ingredi possis. Et alibi: O anima nobilis, ô nobilis creatura, quid extra teipsum requiris illum, qui totus verissimè ac simplicissimè intra est? & diuinæ consors facta naturæ, quid adhuc agere habes cum creaturis? Denique sic loco in animæ fundo præparato fieri non potest, quin ipsum & interiora omnia Deus impleat. Deus enim & natura nihil relinquunt vacuum. Imò prius quàm natura aliquod vacuum dimitteret, cælū potiùs dirumperetur, & vacuum illud adimpleret. Multò minùs Deus aliquod vacuum patitur, cùm hoc suæ naturæ proprietati iustitiæque maximè repugnet. Eligat ergo quisque vnum è duobus. Aut taceat ipse, & Verbū natiuitatis huius in ipso dici poterit & audiri: aut loquatur ipse, & Deum tacere oportebit. Huic namque Verbo nulla re melius seruitur, quàm tacendo, pręstolando, ac auscultādo. Si proinde totus aliquis exierit, totus Deus in ipsum intrabit: quantusq́; fuerit illius exitus, tantus huius introitus erit, neque maior, neque minor. De hoc exitu in Genefeos volumine similitudinem quandam legimus, vbi Deus ad Abraham loquens: *Exi*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua*. Qui deinde ad Mosen quoque loquens: *Ego*, ait, *ostendam tibi omne bonum*: hoc est, diuinam natiuitatem, quæ sola omne bonum est. Terra igitur, de qua Abraham

Virtutis vnitę vis.

Augustinus.

Vacuum non pati naturam.

Genes. 12. Exod. 33.

ham exire iubetur, corpus ipſum eſt, cum omni delectatione inordinationeque, qualeſcunque illæ haberi poſſint. Cognatio verò, ſenſitiuarum eſt propenſio virium, & imagines earum, quas illę poſt ſe trahunt. Quæ tamen inſuper etiam ipſam animam & proſperis & aduerſis moueri faciunt, in eamque gaudium & mœrorem, concupiſcentiam & metum, ſollicitudinem ac leuitatem adducunt. Cumque hæc multa nobis affinitate coniuncta ſint, & quaſi de cognatione noſtra, valdè ea ſolicitè obſeruare debemus, & ab eis exire penitus, deſtituendi alioqui & priuandi omni bono, quod (vt præfati ſumus) hæc ipſa reuera natiuitas eſt. Vulgò dicitur: Domi educatus filius, laſciuit vt vitulus. Hoc ſanè hac in parte veriſſimum eſt. Quotquot enim nondum exiêre ac tranſcendêre naturam ipſam, & omnium rerum naturalium domeſticam familiaritatem, omniaque illa quæ ſenſus adducere, videre, audire, guſtare vel tangere poſſent, hi velut boues aut vituli ſunt ad hæc ſublimia diuinaque capeſſenda. Quare hoc? Quia videlicet ipſorum fundus interior, inſtar ferrei montis eſt, in quem nulla vnquam lux irradiat. Dumque hi ſua ſenſualitate, formis & imaginibus deſtituuntur, nihil vltra nouerunt, nihilque ſentiunt aut experiuntur. Sunt ergo domi adhuc: & ideo nobilem hanc natiuitatem minimè percipiunt, ſicut ipſe Chriſtus ait: *Qui non renunciat patri, & matri, & omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et iterum: *Qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hucuſque, dilectiſſimi, de prima & vltima natiuitate locuti ſumus, & vt ex prima diſcere debeamus, quid ad vltimam exigatur. Reſtat nunc, vt etiam de media natiuitate verba faciamus, in qua Vnigenitus Dei Filius hac nocte de Matre ſua natus, omnium noſtrum frater effectus eſt: qui in æternitate ſine matre, in tempore verò ſine patre genitus eſt. Nimirum Auguſtini ſententia eſt, glorioſam Virginem multo inde feliciorem fuiſſe, quòd Deum ſpiritualiter, quàm quòd eundem corporaliter pepererit. Vnde ſi quis exoptat natiuitatem hanc ita in ſua anima ſpiritualiter atque feliciter agi, ſicut in Mariæ anima acta fuit: obſeruandæ illi proprietates ſunt, quæ beatæ & glorioſæ Virgini inerant, quæ & corporalis & ſpiritalis vnigeniti Filij Dei mater erat. Ipſa profectò virgo puriſſima caſtiſſimaque, imò & deſponſata fuit, & præter hæc etiam incluſa, & abſtracta ab omnibus, quando ab Angelo eſt ſalutata. Ita & ſpiritualem Chriſti matrem, puriſſimam ſimul atque caſtiſſimam virginem eſſe oportet. Quæ tamen ſi ab hac quandoque caſtitate excidit, ſaltem nunc reuertatur, & ſic iterum pura atque virginea efficietur. Virgo namque ſignificat eam, quæ foris quidem infœcunda eſt, intus autem copioſiſſimos producit fructus. Atque hoc modo noſtra quoque hæc, de qua agimus, virgo ſenſus ſuos exteriores occludet, nec multum foris negotij habebit, dum parum hinc vtilitatis referre licet, ad glorioſæ virginis exemplum, quæ non niſi diuina ac cæleſtia meditabatur. Intus verò vberes habebit fructus, vt Propheta ait: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Ad hæc etiam abſtractam ducet vitam, vt videlicet omnes mores, ſenſus, geſtus, verbaque ſua omnia intro conuertat, magnos proinde copioſoſque producturа fructus, imò & Deum ipſum, Dei Filium, Dei Verbum, quod eſt omnia, & continet vniuerſa in ſe. Maria quoque, vt dictum eſt, deſponſata fuit. Ita ſanè & hæc ſpiritalis Chriſti mater, ſoli Deo Creatori omnium deſponſata atque deuincta erit, & ab omnibus creaturis ſoluta, Apoſtolico inſtructa ſermone: mutabilemque voluntatem ſuam in incommutabilem Dei proijciet voluntatem,

Lucæ 4. Matth. 19.

Auguſtinus.

Mariæ Virginis proprietates.

Virgo quid.

Pſal. 44.

1. Cor. 1.


vt suam ille adiuuet infirmitatem. Insuper & inclusa erat virgo Maria. Ita & hæc Dei sponsa inclusa esse debebit, si hanc intra se natiuitatem veraciter feliciterquè volet experiri: illoquè tempore non solùm ab exteriori discursu, qui nonnihil defectus habere videtur, sed etiam ab externa sensualique virtutum exercitatione abstinebit, & quietem ac silentium quoddam intra se faciet, seseque intùs recludet, naturæ ac sensibus occultabit, furabitur, subtraheturque: ac intra seipsam silentium, pacem internam, quietem, pausamque efficiet: de quibus in proximè sequenti Dominica die ita cantabitur: *Dum medium silentium* (Sap. 18. * tenerent) *tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus Domine de cælo, à regalibus sedibus venit:* hoc est, Verbum æternum à corde paterno. In hoc medio silentio, vbi omnia in summo quodam silentio sunt, vbi verum est silentium, veraque tranquillitas, Verbum istud perfectè veraciterque auditur. Si enim loqui Deus debeat, homo sileat necesse est: si Deus ingredi, (Matth. 2.) cuncta cedere & exire oportet. Inde est, quòd Domino adhuc in infantia AEgyptum subintrante, cuncta illius patriæ idola corruerunt. Hæc idola sunt quæcunque nos à verò ac immediato æternæ huius natiuitatis ingressu præpediunt, quamlibet illa bona sanctaque videantur. Hinc Saluator noster ait: (Matth. 10.) *Gladium veni mittere in terram,* quo scilicet amputentur omnia, quæ homini ali- (Ibidem.) qua consanguinitate iunguntur, pater, mater, frater, soror, &c. *Inimici* quippe *nostri, domestici nostri sunt,* vt idem inquit, qui diuersas in nos imagines adducunt, hoc intra nos Verbum occultantes, quamuis ipsum nobis penitus non auferant, eripiantque. Denique licet ista quies non possit esse perpetua, spiritalis tamen huius partus mater medium hoc silentium in quandam consuetudinem trahere debebit, vt ex ipsa consuetudine tandem habitus nascatur. Quod enim bene exercitato facilimum est, id inexercitato vel impossibile esse videtur. (Vsus vis.) Vsus enim facit artem. Præstet nobis omnipotens Deus, vt omnes ita huic intra nos natiuitati locum tribuamus & quietem, vt verè spiritales Dei matres efficiamur.

IN EADEM FESTIVITATE.

Vt Verbum Dei quatuor modis intelligere & cognoscere debeamus.

SERMO II.

In principio erat Verbum. IOAN. I.



DE hoc sempiterno Verbo Doctores quidam aiunt, quòd Deus omnipotens non nisi vnum duntaxat Verbum locutus sit, & hoc necdum prolatum sit. Quod ita intelligendum est: Verbum istud sempiternum, Patris Verbum est, eiusdemque Filius vnigenitus Dominus noster Iesus Christus. In hoc ipse omnes creaturas elocutus est sine principio, & sine fine. Hoc Verbum necdum prolatum est: quia (4. modis suscipi Verbum Dei.) nunquam discessit à Patre. Hoc ipsum Verbum, dilectissimi, quatuor modis accipere debemus. Primò namque in altari inter manus sacerdotis ipsum verum Deum, hominemque verum cognoscemus ac diligemus, eundemque cælesti (I.) Patri offeremus. Secundò verbum illud æternum agnoscemus, quod ex con- (II.) cionatore è suggestu declamante procedit, ipsumque in sua capiemus proprietate. Sicut enim aqua per canalem defluit, ita Verbum Dei ex Doctore promanat.

nat. Nec attendemus magnoperè, si concionator aliquibus teneatur culpis ob-
noxius, sed ipsum Verbum æternum in sua essentia contuebimur, quale illud
ab æterno è fundo suo profluxit. Tertiò Verbum illud æternum in cunctis Dei III.
amicis intelligemus, qui eiusdem Verbi imitatores effecti, nunc cum ipso in cæ-
lestibus triumphant: in eis etiam, qui ipsum adhuc in terris imitantur, qui sunt
omnes illi, qui per sanctam vitam Christo Iesu sunt incorporati. Quarto modo IV.
Verbum illud æternum intelligere debemus, quod in nuda anima de nuda di-
uinitate profertur, quod ipsum ineffabile est, nec illud anima verbis exprimere
potest. Sciendum est autem charissimi, Verbum æternum seipsum, imò prorsus
seipsum, nec aliquid minus, sine cessatione in anima parere. Et quæ talis esse po-
tuit anima, melius id ipsum Verbum æternum cognoscit, quàm omnes Docto-
res verbis illud exprimere possent: imò minus est, quicquid verbis dici valet.
Ab illo namque infra horulæ vnius spatium copiosè instruitur. Inde est, quòd Qualis instructio vtilissima.
Doctores quidam impensius hortantur omnes, vt ad Spiritus sancti pædago-
gium festinent. Sed vbi ille pædagogus esse debet, oportet vt discipuli bene sint
præparati, quo excellentissimam doctrinam eius, de paterno corde scaturien-
tem, plenè valeant capere. Animam siquidem, in qua hæc natiuitas fieri debet,
puram admodum esse necesse est: nec vulgarem, sed excellentem ducere vitam,
prorsus solitariam esse, & intus habitare, non foras ad quinque sensus & crea-
turarum multiplicitatem excurrere, sed in purissima sui parte & esse & com-
morari. Hinc Magister Eccardus ait: Opus illud, quod Deus in anima vsque- Eccardus.
adeò vacua, pura, nuda & abstracta, vt in ea seipsum generare queat, spiritaliter
operatur, ipsi Deo iucundius foret, plusqúe de Deo in hominem adferret, quàm
opus illud, quo creaturas omnes ex nihilo produxit, imò & omnia opera il-
la quæ plasmandis creaturis omnibus impendit. Quare hoc? Quia videlicet
nullam ipse tam capacem creaturam habet, in quam potentiam suam, fundum-
qúe essentiæ suæ ita perfectè effundere atque inscribere queat, sicut in opere illo
facit, in quo spiritaliter seipsum in qualibet anima sancta generat. Hæc autem
Dei in anima generatio, vt antè sæpius dixi, nihil aliud est, quàm ipsius in noua
quadam cognitione & intelligentia, nouoqúe modo in anima manifestatio. Sed
quærat aliquis fortasse, verum suprema animæ beatitudo in eo consistat opere, Quæstio.
quo se Deus in ipsa sic spiritualiter generat. Hîc, quæso, attendite. Quamuis, vt
præfatus sum, maiorem ex hoc opere Deus voluptatem capiat, quàm ex omni-
bus illis, quæ vnquam in cælo & in terra in creaturarum plasmatione molitus
est, multo tamen anima felicior est ex opere illo, quo ipsa in Deum regenera-
tur, quamuis Deus nascatur in ipsa. Hoc enim quòd Deus in ea nascitur, ipsam
plenè felicem & beatam non efficit: sed illud potius, quod cum amore intimo
& vnione interna cognitionem illam sequitur, quæ in ipsa generatur, & in eam
reuertitur originem, vnde nata est atque profluxit, illi inhærens, & quod suum
est deserens abnegansqúe, beata nunc atque felix effecta, non de eo quod suum
est, sed quod illius. Habet enim anima, si velit, & Patrem, & Filium, & Spiritum
sanctum præsentem intra se: & hîc in eam, quæ in ipsa est, vnitatem promanat,
nudusqúe ei Deus in ipsa nuda anima manifestatur. Hoc verò, vt Doctor qui-
dam præcipuus ait, nemo pertingere valet, quandiu ex rebus infimis vel tantil-
lum tentationis patitur, quantum acus vnius acumen capere posset. In nudam
siquidem diuinitatem nemo penetrare potest, nisi ita nudus sit, vt erat quando

Vnde suscipienda omnia.

ex Deo profluxit. Hic verò sapientissimum nobis Doctores consilium præstant, vt ipsi Domino palmam tribuentes, cuncta immediatè ab ipso, non à creaturis, suscipiamus. Sic enim suum illi honorem relinquimus, eumqúe & vt volet, & quando volet, operari permittimus, nihil nosipsos illius operibus immiscentes, sed inde prorsus nudos ac liberos nos seruantes. Fateri namque debemus, quàm optimè omnia illum pro suprema vtilitate facere. Vnde, quantum possumus, illius hîc tuebimur honorem. Denique, vt Doctor quidam ait, ministri illi, qui sordida & abiecta faciunt opera, in non magno apud regem pretio sunt: qui verò cubicularij eius sunt, horum in omnibus satisfacit voluntati, eosqúe non vulgari numero habet. Ita & Deus electis amicis suis, secreta sibi familiaritate coniunctis, nihil omninò negat, nec eorum quibuslibet petitionibus deest. Dicunt etiam Doctores aliqui, multos ad cælestem beatitudinem admitti, qui Dei secreta familiaritate non magis fruantur in terris, quàm aliquis in densissima sylua positus, fulgentissimo solis splendore. Quid ergo restat, dilectissimi, nisi vt Deum supremo modo desideremus, vt hoc ipsum desiderium vita & ingenti voluntate perficiamus ac persequamur? Quod nobis idem ipse præstare dignetur. Amen.


IN EADEM SOLENNITATE.

Author D. Eccardus iunior.

Vt in Deo nascamur, mentemqúe nostram vt in ipsum continuè subleuare debeamus, & quo pacto cuncta opera nostra diuina efficiantur.

SERMO III.

Ego ipse qui (per Prophetas) loquebar, ecce adsum. ESAIÆ LII.



QVAMVIS Deus omnipotens cum tota diuina essentia sua in creaturis & locis omnibus præsens adsit, ipsius tamen anima munda, totis ad ipsum viribus conuersa, peculiari quodam singulariqúe modo capax est: nascitur que in Deo, imò & per gratiam transformatur in ipsum, & per hoc omnia illius opera diuina efficiuntur. Quod quicunque obtinere voluerit, totis ad hoc viribus enitetur, omnemque in hoc nauabit operam, vt continuè magis ac magis in diuina vnione proficiat, eique vicinior, propinquiorque efficiatur, & vnus cum Deo fiat spiritus, atque per continua flammigeraque desideria, suspiria, ac anhelationem, ad amorosam cum Deo vnionem, humilemque sui ipsius & omnium rerum abnegationem, resignationemque, immediatè ac intimè ad Dei præsentiam & vicinitatem penetrare conetur. Per hæc enim anima in Deo nascitur ac renouatur. Deo ergo sic vnitus, tota virium suarum facultate omnem vitam suam, cuncta opera sua, & quicquid demum agit, in hanc natiuitatem introducet, intrahetque, decernens ibi, atque proponens, quòd cuncta opera sua ex amoris illo incendio, quo tunc ardet, & ex illo fundo, eaque diuite voluntate, & libenter peragere, & se semper in omni vita sua peregisse velit: insusque hoc ipsum vehementissimè à Deo desiderabit, & cuncta opera sua tota voluntate eò adducet, intrahetque, vt omnipotenti Deo supremo & amabilissimo modo semper & seruire, & seruijsse se velit: & tunc haud dubiè amabilis ac benignissimus Deus, ex immensa bonitate sua, omnem ipsius vitam, cunctaque opera, tepida alioqui deuotione peracta, iuxta supremum illud atque proximum, ad quod vnquam per-

pertingere meruit, & minimum quodque iuxta ac maximum remunerabit, metietur, ac iudicabit, nisi (quod absit) peccatis hoc iterum perdiderit, destruxeritque. Quando ergo ad externa sese opera quisque extrouertere proponit, siue ad ministrandum ex charitate debilibus aut sanis, siue ad loquendum vel audiendum de Deo, siue ad scribendum, legendum, cantandum, dicendum, totum se Deo in quolibet tali opere exhibebit, offeretque: simulque cum illo pedibus ipsius prouolutus, affectuosissimè ab ipso desiderabit, vt sibijpsi ex illo opere per suam bonitatem, supremam & excellentissimam illam laudem trahat, eliciatque, quam omnes Angeli & homines, imò & creaturæ vniuersæ illi præstare & impendere possent. Et si hoc fortassis ante operis inchoationem, aut sub ipso opere facere neglexerit, saltem post operis absolutionem cum amore, attentione, deuotioneque ipsum Deo offerat, rogans, vt ipse tale illud, quomodo prædictum est, ex sua bonitate efficere, & tanquam ea ratione, ex illo videlicet fundo ac amore, de quibus præfati sumus, peractum, suscipere dignetur. Et tunc reuera pijssimus Deus, pro sua inæstimabili bonitate, opus illud tanquam ex eodem amore, eodemque fundo, perfectum absolutumque iudicabit. Cæterùm sicut ex natura lapis ad ima semper tendit, atque ad terram propensus est, adeò vt hoc absque essentiæ suæ deletione nemo illi auferre possit, & si vel mille annis in aëre quadam violentia detineretur, ea tamen illi ad cadendum propensio remaneret, ita vt dimissus, absque mora ad ima prorueret: ita & homo deiformis atque diuinus, quandam ad Deum propensionem, anhelamque affectionem habet, adeò vt quamuis accidentium rerum necessitate, vel violentia quadam ad alia auocetur, hanc tamen semper in Deum propensionem habeat: quæ quandiu illi manet, quamlibet multum ad alia coactus abstrahatur, semper tamen in ipso essentia & habitus boni atque virtutis perseuerant. Vnde quàm citò ab illa necessitate exuitur ac expeditur, sine vlla dilatione in fundum suum, & in ipsum Deum illic præsentem, immergitur. Potest autem quisque statum mentis suæ ac bonitatem suam inde cognoscere, si requiem vllam habeat, aut prolixiorem moram trahat, quantum in ipso est, in re qualibet extra Deum, aut cuius ille vera causa non sit. Inde enim homo deiformis est atque diuinus, quòd totius fundi atque recreationis suæ, omnis delectationis & gaudij sui, ac vniuersæ demum actionis suæ finis & initium, Deus est, & in Deum tendit. Et quò hoc purius, verius ac nudius in ipso est, tantò & plus Dei intra se habet. Quælibet enim arbor esse suum, altitudinem ac latitudinem suam capit ex radice. Vis ergo scire cuius sis? Interroga fundum, radicem, & intentionem tuam. Vide quàm illam profundè in Deum miseris, fixerisque. Et si solum Deum esse perspexeris, quò inclinaris, quem quæris, & intendis, haud secus quàm lapis terræ profunda petit, non autem teipsum, nec aliquid tuum: iam reuera deiformis ac diuinus es, nec aliàs vllo modo. Felicis memoriæ Doctor Eccardus, quadam vice de singulari & occulta Dei familiaritate interrogatus, & quod maximum esset beneficium atque bonum sibi à Deo collatum, respondit: Equidem non magnifacio me Deum sentire, experiri, gustare, eiusque suscipere illuminationes: sed (si id sub confessionis secreto seruare promittis, quoad superuixero) primum mihi à Dei bonitate præstitum, hoc esse scias, quòd omnem naturæ meæ rebellionem inordinationemque deuici penitus, posse videlicet, & non posse, amorem & odium, dolorem & gaudium, spem & timorem, cæteraque huius-

Similitudo venusta.

Quanta hominis ad Deum propensio.

Tria Eccardo à Deo præstita, quorum 1.


II. huiusmodi. Secundum est, quòd Deus in cunctis operibus meis intus mihi illucet, ita vt in omnibus operibus ac locis præsentiam eius diuinumque lumen illius habeam: in quo quid plus, quid minus sit, agnosco: & ex ipso lumine ope-
III. ror, non autem è sensibus meis. Tertium est, quòd semper ita me gero, quasi is qui modò incipiat, qui modò recens nascatur, & seipsum recenter in illam diuinam offerat natiuitatem, seque & omnem vitam suam, totumque esse suum
1.Pet.2. renouet in ipsa: quemadmodum Petrus Apostolus hortatur, dicens: *Quasi modò geniti infantes*, &c. Debemus enim esse velut incipientes, vt videlicet nunquam ad tantum perfectionis culmen ascendamus, quin ex animo ad infima parati simus, & cum voluptate ac hilaritate quadam, ad vltimum gradum nos demittere queamus. Et hoc quotidiana in nobis incrementa accipere debet, vt tanquam incipientes, in omni congregatione desideremus, quæramus, intendamus, atque velimus semper omnium vltimi esse, nec vlla præ alijs commoditate, vel priuilegio gaudere cupiamus: idque cum humili descensu ac demissione in proprium nihil nostrum, in vera resignatione, cum ardentissimo amore Deum toto corde & viribus omnibus quærendo ac purissimè intendendo. Quod nobis omnibus per immensam misericordiam, sacratissimamque Incarnationem suam præstet Iesus Christus Dominus noster, Amen.

IN EADEM SOLENNITATE.

De diuersis proprietatibus, per quas filij Dei efficimur.

SERMO IV.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri. IOAN. I.



MAGNAM, dilectissimi, hodierna die benignissimus Conditor noster dilectionem nobis exhibuit, ac mira quædam præstare dignatus est, dum nos, qui illius inimici eramus, & ab ipso multum extranei atque remoti, tam misericorditer respexit, vt potestatem nobis dederit filios suos fieri. Vnde planè æquissimum congruentissimumqúe fuerit, tanto nos beneficio nos esse ingratos: sed ad ipsum nos præparare, & vera signa, indicia, ac proprietates electorum, charissimorumqúe Dei filiorum pro viribus obtinere conari. Quod quo pacto fieri debeat, attentis quæso auribus percipite. Quisquis æterni Patris filius esse desiderat, hic hominibus alienum & extraneum se exhibebit, ab eorum se consortio longè faciet: purus quoque & internus erit, mentem iugiter propensam in Deum habens. Et hic filius Dei efficitur, quando nascitur in Deo: quod fit quoties nouam aliquam intus à Deo percipit cognitionem. Tunc enim anima spiritaliter nascitur, quando Dei patitur operationem. Sed hoc animam non facit perfectè beatam: præstat autem illi præfata cognitio, quòd cum dilectione, laude, & gratitudine cognitorem illum, in quo nata est, sequitur, & ita in suam reuertitur originem, & ex gratia Dei filia efficitur, vnita eidem in vera charitate. Quod quisquis obtinere cupit, Christi sectetur humanitatem. Hic enim Deus ipse cum supernaturali diuinitate sua venit ad hominem. Præterea, charissimi, filij Dei seipsos abnegant, exeunt, relinquunt: & ita virtutes sine labore perficiunt, atque ad summam perfectionem conscendunt. Qui verò seipsos retinent, & virtutes cum labore operantur, nunquam perfectionis attingunt apicem. Hoc est, Qui opera-

Quid agēdū filius Dei esse volenti. Anima quando spiritaliter nascatur.

operatur ex seipso, modicum Deo exhibet famulatum: sed qui Spiritus sancti ductum sequitur, magna etiam in minimis operatur. Quod obtinere volenti, quantum ratio & discretio sinunt, hominum consortia sunt fugienda. Nam & Ethnici cuiusdam sententia est, nunquam se inter homines fuisse, quin semper minor homo redierit. Multum enim homines exterioribus dediti, & in verbis incircumspecti, à virtutum profectu deuotos quosque remorantur, impediuntque. Vnde qui internæ vitæ dant operam, facilè ex verbis suis damnum aliquod accipiunt, dum indiscretè loquuntur, idque præsertim in hominum frequentia. Indiscretè autem loquitur, quem post emissum sermonem pœnitet esse locutum. Ille planè bonus est filius, qui vetera sua delicta prauasque consuetudines suas in melius commutauit. Nam alioqui impossibile est, ipsum à Deo in nouum posse hominem transmutari. Porrò quando mens siue cogitatio hominis in nullo extra Deum quiescere potest, tunc primùm ille Deum tangit, & efficitur illius. Felix proinde, qui iugiter secum habitat. Hoc autem facit, cuius mens apud Deum est, libenterque cuncta Deo placita exequitur, & iuxta illius instinctus ac inspirationes vitam suam instituere, moderarique conatur. Is est animus verè bonus, qui nulla rerum temporalium concupiscentia tenetur. Et bonus quisque filius Deo suo per dilectionem absque rerum labentium ambitu & affectu vnitus est. Sanè quemlibet Dei filium ita viuere æquum est, vt semper in illo Deus quandam virtutum stabilitatem, firmitatemque reperiat. Porrò quieta corporis habitudo compositioque mentis in virtutibus stabilitæ siue firmatæ indicium est. Tunc Deus in homine est, quando in ipso nihil est, quod diuinæ contrarium sit voluntati. Tunc exterius in corpore hominis est, quando nihil in ipso deprehendit, quod suæ maiestatis offendat oculos, & quando Christus simul cum illo corpus illius exercet. Hoc est, Tunc Deus in homine commoratur, quando ex certa scientia nihil ille in se habet, quod displiceat oculis ipsius, cunctaque mutabilia relinquit atque transcendit. Ille Dei potens efficitur, qui seipsum impensius odit, deserit, abnegatque, & hic in pace terram suam possidet. Magistri Eccardi sententia est, id homini in hoc seculo vtilissimum simul & optimum esse, quòd cor illius ad deuotionem amplius inflammat, Deoque vicinius coniungit, applicatque. Post hoc id præcipuè meritorium est, alios similiter ad Deum ac vnionem Dei pertrahere. Id enim optimum est charitatis opus erga proximos quosque in hoc tempore. Sed & hoc ad Dei filios pertinet, minimos quosque defectus pro magnis habere peccatis. Qui plurimis sese foris aut intus admiscet & implicat, cunctisque se ingerere gaudet, hic statim multis defectibus plenus erit. Sed nos omnia affectu relinquere, & cuncta in ipsorum nihilo possidere debemus. Hi planè charissimorum Dei filiorum conatus sunt, peccata omnia tam venalia quàm lethalia, ea potissimum ratione fugere, ne dilecti Dei sui offensam incurrant. Et Augustinus ait, Pro minimo peccato veniali, quod hic per pœnitentiam non expiatur, maiorem in Purgatorio subeundum cruciatum, quàm sit omnis pœna vitæ præsentis. Et Anselmus: Mallem, inquit, mori, & cuncta redire in nihilum, quàm vnum saltem peccatum veniale sciens admitterem. Rursusque Augustinus ait: Anima ad æternitatem facta est: ideo nisi in Deo quiescere non potest. Eiusdemque & ista sententia est: Qui aliud aliquid petit, quàm diuinæ voluntatis agnitionem, executionemque: ille malè petit, nec salubriter exauditur. Debet etiam quisque filius Dei virtu-

Consortia hominum cui vitanda.

Indiscretè loqui.

Filius bonus quis.

Felix quis.

Virtuosæ mentis indicium.

Eccardi oraculum.

Augustinus

Anselmus.

G tum

tum exercitijs insistere. Quum verò virtutes ei in habitum versæ fuerint, ab earum exercitio liber erit. Tunc enim eas absque labore perficiet. Quum autem virtutes sine labore & dolore operatur, iam earum exercitia transcendit. Attamen ab operibus virtutum, donec anima à corpore separetur, nullus absolui potest, nisi anima illius supra seipsam raperetur, & Deus in ipsa agentis & patientis expleret vicem in hoc tempore. O, si essemus, quales esse deberemus, omnibus votis nostris Deus satisfaceret. Qui vult talis esse, vt à Deo diligatur, & qualis libenter esset, ille deserat, quicquid in hoc seculo amat, & totum amorem suum ad solum transferat Conditorem. Qui cum Filio Dei remunerari exoptat, à peruersis & cum peruersis huius seculi hominibus hic pati discat. Et licet aliquis tantopere salutem suam sitiat, quantum sitibundus potum, præ cuius defectu aliàs moreretur, nihil id sibi conferre poterit, nisi vitiorum priùs graui sarcina abiecta, deinceps virtutum actibus diuinam gratiam promerentibus insistat, & omnem pro Deo iniuriam sufferat patienter. Alioqui nec hic, nec in seculo futuro salutis suæ esuries ac sitis vnquam poterit extingui, expleri, saturari. Hoc enim propriè ad æternam requiritur beatitudinem, vt Deum amemus, à vitijs abstineamus, virtutibus operam demus, vt nulla nos præsentis vitæ fallacissima voluptas, aut oblectatio exhilaret, omnemque pœnam, & quicquid durum, molestum, atque contrarium est, non solùm libenter sustineamus, sed occurramus etiam eisdem. Sic enim affecti, iam bene habemus, quod aliàs præsumere non possumus. Qui eiusmodi est Dei filius, ex omnibus vndecunque visui eius se offerentibus ædificatur. Si enim aliquem delinquere cernat, gratias agit Deo, quòd se à talibus præseruauit: & pro delinquentis conuersione fideliter orat. Si quid boni videat, hoc in seipso perficere gestit, appetitque. Duobus etenim modis visio nostra fieri debet, vt videlicet noxia quæque deponere, & quæ nobis in virtutibus desunt, adijcere possimus. Denique qui solis externis exercitijs vacando, vt verbi gratia, prolixè vigilando, ieiunando, laborando, tacendo, cantando, duras ac sordidas vestes circunferendo, alijsque magnis ac sanctis operibus insistendo, filios Dei fieri se posse arbitrantur, nec interiorem fundum suum respiciunt, ad quid ille propensior sit, quove inclinetur, siue id magni sint, siue perexigui defectus, vt vel ad sui complacentiam vanam, aliorum displicentiam, inuidiam, & rancorem erga proximos, truculentiam quoque, amaritudinem, proprium sensum, propriam voluntatem, proprium iudicium, aliaque similia, eaque vigilanter non obseruant, nec inolitas prauas consuetudines, corruptosque mores suos, verborum scilicet asperitatem, morum leuitatem, ironicas subsannationes & scommata, aliaque id genus vitia abijcere student, nec optimis exhortationibus, pijsque institutionibus ac informationibus acquiescunt, nec fundi sui curam habent, hi longissimè adhuc à recto se nouerint abesse itinere. Ipsis enim per Esaiam Dominus ait: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Quiescite agere peruersè, & conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu,* &c. Imò si quis vel in frusta se discerpi patiatur, si non à peccatis suis emundare, proximis amabilem ac dulcem se exhibere, & Deum super omnia amare discat, nihil hoc illi prodesse valebit. Et D. Dionysius ait: Ad veritatem sese conuertere, nihil aliud est, quàm ab amore quarumlibet rerum creatarum se auertere, & post hoc amorosè cum summo & increato bono, Deo Opt. Max. sese vnire. Porrò gaudium illud, quod habet is, qui nullo

Diligi à Deo volenti quid agêdum.

Quæ ad beatitudinem obtinendam requirantur.

Esaiæ 1.

S. Dionysius Martyr.

nullo rerum labentium amore fœdatur & occupatur, & intra conſcientiam ſuam in ſpeculo ſe diuinitatis contuetur, omnem prorſus intellectum longè lateque tranſcendit. Reuera nobilis virtus amor eſt, qui & homines deos, & Deum hominem facit. Et rurſus: Mundate vos, inquit, & cum Deo vnite. Vna ſiquidem diuinitatis irradiatio maiori animam Deo vnione connectit, quàm cuncta illa externa poſſent opera, quæ vnquam ſancta Eccleſia peregit. Nam hæc omnia quid mihi proderunt, quando cor meum totum Deo non do? Hæc quiſquis (ait idem) obtinere deſiderat, ille quicquid intellectu capi & attingi valet, tranſcendat oportet. Nihil ſanè tam occultum habet Deus, quod animæ recipere impoſſibile ſit. Atque vtinam tam ſapiens eſſet, vt ea diligenter inquirere ipſam non pigeret. Et Doctor quidam aſſerit, quòd cor vitamque ſuam Deo offerenti & reſignanti, plus ille muneris ac recompenſationis ſit præſtiturus, quàm ſi denuò pro ipſo pateretur. Hoc autem facilius aſſequetur, qui altiſſimam ſubire ſtatuit paupertatem. Ea porrò in hoc conſiſtit, vt ſeipſum quiſque in nudum quoddam exilium, & omnium creaturarum, omniſque ſolatij derelictionem, deſtitutionemque proijciat, & vndique afflictus ac deſolatus, nullius ſuffragium expetat, nullius quærat auxilium, ſed quaſi qui nihil ſciat, ſemperque fatuus fuerit, ita ſe gerat, neminem habens, qui ſibi vel ad hauſtum vnum compatiatur aquæ frigidæ. Inter hæc verò nunquam Dei ſui in corde ſuo immemor erit, illiuſque diſtricta & incerta iudicia non ſolùm non quæret euadere, ſed mente etiam grata & hilari ad ea ſeſe offeret, paratus ſuſtinere, quicquid ipſi Deus euenire permiſerit: omnemque Dei voluntatem, quam cogitare poterit, illius auxilio fretus, pro ſuarum facultate virium exequetur: nec vlli, preterquam ſoli Deo, ſuas queretur miſerias & calamitates: idque cum perfecta humilique reſignatione, crebrò rogans Dominum pro virili atque conſtanti perſeuerantia in cruce & afflictione, pro eius acceptiſſima voluntate. Sanè, dilectiſſimi, quàm amabiles Dei filij eſſent, qui iſta forent adepti, quamque mira & ſtupenda ille cum eis ageret, quantumque ſuum per eos augeret honorem, non facilè dici poteſt. Tales enim reuerà ipſiſſimi ſunt homines, qui Deo magnificè confidunt, eidemque in ſpiritu adhærent & veritate. Præſtet nobis omnipotens Deus, vt omnes eiuſmodi filij Dei efficiamur. Amen.

Amor qualis virtus.

Inclytum apophthegma.

DOMINICA PROXIMA POST NATALEM DOMINI.

Quomodo nos habere debeamus, vt in anima noſtra Deus ipſe naſcatur.

SERMO VNICVS.

Dum medium ſilentium * tenerent omnia, &c. SAP. XVIII.

* teneret



CVM ipſo ſacratiſſimo Dominici natalis die de æterna illa generatione, qua Pater cæleſtis & produxit, & etiamnum ſine ceſſatione in æternitate producit Verbum ſuum ſibi conſempiternum, nunc demùm in fine ſeculorum in humana quoque natura procreatum, vtcunque locutus ſim: reſtat nunc, vt & de ea natiuitate, quæ in nobis, & in qualibet anima ſancta fieri debet & adimpleri, nonnihil dicam. Ipſe enim cæleſtis Pater Verbum ſuum æternum in anima perfecta pronuntiat, loquiturque. Ea verò, quæ in præſentiarum dicturus ſum,

de perfecto accipienda sunt homine, qui in vijs Domini ambulârit, & adhuc ambulet vitijs purgatus, & virtutibus bene ornatus: non autem de homine inexercitato, ac dedito naturæ suæ. Talis enim nimium adhuc ab hac natiuitate distat, & vix aliquam illius habet notitiam. Itaque concionis huius thema, de quo iam sermonem habiturus sum, partim verba illa sunt, quæ libri Sapientiæ cap. 18. habentur in hunc modum: *Dum medium silentium * tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*, &c. partim etiam ea, quæ in Iob habentur cap. 4. *Porrò ad me dictum est Verbum absconditum*, &c. in quibus tria nobis consideranda veniunt. Primum est, Vbinam Deus Pater Verbum suum in anima loquatur, vbi natiuitatis huius locus sit, & vbi ea operis huius capax sit: Nimirùm in ipsa purissima, nobilissima, ac subtilissima sui portione. Vnde oppidò quàm necessarium est, vt anima, in qua hæc debet agi natiuitas, maximè studeat puritati, excellentissimè viuat, abstracta sit ab omnibus & solitaria, & in interioribus suis secum habitet, non per sensus ad creaturarum multiplicitatem defluat & excurrat, sed tota intus habitet, prorsus solitaria sit, & in sui nobilissima portione, suo videlicet fundo, commoretur. Illic enim natiuitatis huius locus est. Secundum est, vti sese quisque in hoc opere, seu inspiratione, seu natiuitate habere debeat: vtrum videlicet præstet, hancqúe magis promoueat paternam in anima generationem, quòd homo hic Deo cooperetur, & cooperando, hanc in anima sua peragi mereatur natiuitatem, idqúe imaginem sibi aliquam in suo intellectu vel ratione, aut cogitationibus proponendo, simulqúe exercendo se in illa, vt verbi gratia, quòd Deus est sapiens, omnipotens, æternus, & quicquid eiusmodi de Deo cogitari potest: an potius, vt ab omnibus sese cogitationibus, verbis, operibus, formis, & imaginibus intellectus abstrahat, expediatqúe, & ipsum duntaxat Deum patiatur, Deumqúe sinat intra se operari, & ipse quietus sit, & sanctè otiosus. Tertium est, quantus sit huius natiuitatis fructus. Nunc igitur etiam naturali ratione, quæ dixero, comprobabo, ita vt vel manibus palpare possitis, ita esse oportere, vti dicturus sum. Et licet (vt æquissimum est) longè maiorem Scripturis, quàm mihi ipsi fidem adhibeam, vos tamen faciliùs credituri, tenaciusqúe memoria retenturi estis, si dicta mea ratione firmentur. Principio itaque primum illud verbum tractandum suscipio, quod suprà memoraui, videlicet, *Dum medium silentium * teneret omnia, omnipotens Sermo tuus*, &c. Illud etiam: *Porrò ad me dictum est Verbum absconditum*. Quæso benignissime Deus, vbinam est hoc *silentium*? vbinam locus iste? vbi Verbum istud, siue hic Sermo tuus pronuntiatur atque profertur? Sicut præfatus sum, ita & nunc dico charissimi: Totum hoc in purissima, nobilissimaqúe animæ portione agitur, in ipso fundo, imò in ipsa animæ essentia, in occultissima animæ parte. Illic *medium silētium* est. In illam quippe nulla vnquam imago, nulla creatura ingredi potuit: & ibi anima nec operatur aliquid, neq; scit, neque intelligit: ideoq; nulla ibi vel suipsius, vel cuiuslibet creaturæ imago est. Quicquid enim anima operatur, per vires id agit. Per intellectum intelligit, quæcunque intelligit. Per memoriam cogitat. Per voluntatem amat. Deniq; omnis interior actio illius, semper per aliquod medium fit. Visio seu vis videndi, non nisi per oculos operatur, nec nisi per illos videre aut operari aliquid potest. Et ita se habet in reliquis sensibus. Quicquid ergo, vt dixi, anima extra operatur, per aliquod medium id agit. In ipsa verò essentia nullum prorsus opus est. Quare? Quia vires animæ,

Perfectis solis conuenire hunc solidum cibum.

Tria quædam considerāda.

I.

II.

III.

I.

Sap. 18.

Iob 4.

Per quæ operetur anima.

animæ, quibus ea operatur, ex ipso essentiæ fundo promanant, in quo *medium silentium* est, in quo solo huius est expectatio natiuitatis & operis: & in ipso Deus Pater suum loquitur Verbum: quippe qui ex sua natura nullius omnino nisi diuinæ duntaxat essentiæ absque omni medio capax est. Hic planè Deus in hunc ipsum animæ fundum totus, totus, inquam, non cum aliqua sui parte ingreditur. Nec quisquam præter ipsum solum Deum, fundum hunc animæ attingere valet. In ipsum creatura penetrare non potest: sed hanc in viribus foris remanere oportet, in quibus suam quidem intuetur imaginem, per quam intro recepta, in illis hospitium est consequuta. Verum est enim, quòd dum animæ vires creaturas contingunt, imagines quasdam atque similitudines ab ipsis creaturis hauriunt fabricantqúe, & ex his intro receptis creaturas deinde agnoscunt. Sed viciniùs in animam creaturæ penetrare nesciunt. Nec vnquam anima vlli sese creaturæ coniungit, quin illius sponte prius imaginem in se admiserit, ex qua deinceps creaturæ sese coniungit. Imago siquidem est, quod anima in viribus exercet de rebus anteà perspectis. Si enim vel lapidem, vel equum, vel hominem, vel aliud aliquid cognoscere velit, horum imaginem prius introreceptam sibi proponit. Atque hoc modo creaturis sese anima vnire potest. Imago verò non nisi ab extra per sensus ingredi & admitti potest in animam. Vnde nihil est æquè incognitum animæ, vt ipsa sibi. Hinc est, quòd Doctor quidam ait, Animam suijpsius nullam imaginem fabricare, nec introrecipere posse: & ideò nec seipsam agnoscere valet. Cùm enim imagines omnes per sensus introrecipiantur, planum est, animam suijpsius nullam imaginem habere posse. Nouit itaque ex imaginibus cætera omnia, sed seipsam minimè nouit ob defectum medij. Sed & intus ab omni imagine, omniqúe medio libera est: quæ causa est, quòd seipsum cum ea Deus nudè ac liberè absque vlla imagine vel similitudine vnire potest. Sanè quicquid artificem aliquem posse fatemur, idipsum sine modo Deum Opt. Max. posse, non possumus non fateri. Porrò quanto artifex sapientior est potentiorqúe, tanto etiam opus illius rarioribus medijs absolutum, atque simplicius est. Multa in externis operibus suis homo media habet, & priusquam ea ita perficiat, quomodo in animo sibi effinxit, plurima illi necessaria sunt. Sol verò & Luna artificium & opus suum, quod illuminare est, citò perficiunt. Mox enim vt suos diffundunt radios, totus vbique mundus illustratur. Super hos autem Angelus est: qui in sua actione rarioribus medijs ac imaginibus indiget. Supremus Seraphim non nisi vnam imaginem habet: & quicquid omnes illi, qui infra ipsum sunt, sub multiplicitate accipiunt, ipse totum accipit in vno. Cæterùm & hunc, & omnia in infinitum Deus transcendens, nec vlla opus habet imagine, nec vllam imaginem habet. Ipse in anima, imò in ipso animæ fundo, quem nulla vnquam attigit imago, sine omni medio, imagine, & similitudine operatur: quod nulla creatura facere potest. Deus Pater suum in anima Filium parit, non quomodo creaturæ, in formis, imaginibus, ac similitudinibus, sed eodem modo, quo ipsum in æternitate gignit, non magis, neque minus. Sed dicat aliquis: quomodo Pater gignit Filium suum in æternitate? Nimirum Deus Pater seipsum perfectè intuetur atque cognoscit, non per imaginem aliquam, sed per seipsum, & ita Filium suum in vera gignit diuinæ naturæ vnitate: eodemque modo, non alio aliquo, eundem Filium suum in animæ fundo & essentia parit & vnit seipsum cum ea. Quòd si aliqua

Imago.

Solis & Lunæ opus.

de perfecto accipienda sunt homine, qui in vijs Domini ambulârit, & adhuc ambulet vitijs purgatus, & virtutibus bene ornatus: non autem de homine inexercitato, ac dedito naturæ suæ. Talis enim nimium adhuc ab hac natiuitate distat, & vix aliquam illius habet notitiam. Itaque concionis huius thema, de quo iam sermonem habiturus sum, partim verba illa sunt, quæ libri Sapientiæ cap. 18. habentur in hunc modum: *Dum medium silentium * tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*, &c. partim etiam ea, quæ in Iob habentur cap. 4. *Porrò ad me dictum est Verbum absconditum*, &c. in quibus tria nobis consideranda veniunt. Primum est, Vbinam Deus Pater Verbum suum in anima loquatur, vbi natiuitatis huius locus sit, & vbi ea operis huius capax sit: Nimirùm in ipsa purissima, nobilissima, ac subtilissima sui portione. Vnde oppidò quàm necessarium est, vt anima, in qua hæc debet agi natiuitas, maximè studeat puritati, excellentissimè viuat, abstracta sit ab omnibus & solitaria, & in interioribus suis secum habitet, non per sensus ad creaturarum multiplicitatem defluat & excurrat, sed tota intus habitet, prorsus solitaria sit, & in sui nobilissima portione, suo videlicet fundo, commoretur. Illic enim natiuitatis huius locus est. Secundum est, vti sese quisque in hoc opere, seu inspiratione, seu natiuitate habere debeat: vtrum videlicet præstet, hancqúe magis promoueat paternam in anima generationem, quòd homo hic Deo cooperetur, & cooperando, hanc in anima sua peragi mereatur natiuitatem, idqúe imaginem sibi aliquam in suo intellectu vel ratione, aut cogitationibus proponendo, simulqúe exercendo se in illa, vt verbi gratia, quòd Deus est sapiens, omnipotens, æternus, & quicquid eiusmodi de Deo cogitari potest: an potius, vt ab omnibus sese cogitationibus, verbis, operibus, formis, & imaginibus intellectus abstrahat, expediatqúe, & ipsum duntaxat Deum patiatur, Deumqúe sinat intra se operari, & ipse quietus sit, & sanctè otiosus. Tertium est, quantus sit huius natiuitatis fructus. Nunc igitur etiam naturali ratione, quæ dixero, comprobabo, ita vt vel manibus palpare possitis, ita esse oportere, vti dicturus sum. Et licet (vt æquissimum est) longè maiorem Scripturis, quàm mihi ipsi fidem adhibeam, vos tamen faciliùs credituri, tenaciusqúe memoria retenturi estis, si dicta mea ratione firmentur. Principio itaque primum illud verbum tractandum suscipio, quod suprà memoraui, videlicet, *Dum medium silentium * teneret omnia, omnipotens Sermo tuus*, &c. Illud etiam: *Porrò ad me dictum est Verbum absconditum.* Quæso benignissime Deus, vbinam est hoc *silentium*? vbinam locus iste? vbi Verbum istud, siue hic Sermo tuus pronuntiatur atque profertur? Sicut præfatus sum, ita & nunc dico charissimi: Totum hoc in purissima, nobilissimaqúe animæ portione agitur, in ipso fundo, imò in ipsa animæ essentia, in occultissima animæ parte. Illic *medium silētium* est. In illam quippe nulla vnquam imago, nulla creatura ingredi potuit: & ibi anima nec operatur aliquid, neq; scit, neque intelligit: ideoq; nulla ibi vel suijpsius, vel cuiuslibet creaturæ imago est. Quicquid enim anima operatur, per vires id agit. Per intellectum intelligit, quæcunque intelligit. Per memoriam cogitat. Per voluntatem amat. Deniq; omnis interior actio illius, semper per aliquod medium fit. Visio seu vis videndi, non nisi per oculos operatur, nec nisi per illos videre aut operari aliquid potest. Et ita se habet in reliquis sensibus. Quicquid ergo, vt dixi, anima extra operatur, per aliquod medium id agit. In ipsa verò essentia nullum prorsus opus est. Quare? Quia vires animæ,

Perfectis solis conuenire hunc soli dum cibum.

Tria quædam consideräda.

I.

II.

III.

I.

Sap. 18.

Iob 4.

Per quæ operetur anima.

animæ, quibus ea operatur, ex ipso essentiæ fundo promanant, in quo *medium silentium* est, in quo solo huius est expectatio natiuitatis & operis: & in ipso Deus Pater suum loquitur Verbum: quippe qui ex sua natura nullius omnino nisi diuinæ duntaxat essentiæ absque omni medio capax est. Hic planè Deus in hunc ipsum animæ fundum totus, totus, inquam, non cum aliqua sui parte ingreditur. Nec quisquam præter ipsum solum Deum, fundum hunc animæ attingere valet. In ipsum creatura penetrare non potest: sed hanc in viribus foris remanere oportet, in quibus suam quidem intuetur imaginem, per quam intro recepta, in illis hospitium est consequuta. Verum est enim, quòd dum animæ vires creaturas contingunt, imagines quasdam atque similitudines ab ipsis creaturis hauriunt fabricantque, & ex his intro receptis creaturas deinde agnoscunt. Sed viciniùs in animam creaturæ penetrare nesciunt. Nec vnquam anima vlli sese creaturæ coniungit, quin illius sponte prius imaginem in se admiserit, ex qua deinceps creaturæ sese coniungit. Imago siquidem est, quod anima in viribus exercet de rebus antè perspectis. Si enim vel lapidem, vel equum, vel hominem, vel aliud aliquid cognoscere velit, horum imaginem prius introreceptam sibi proponit. Atque hoc modo creaturis sese anima vnire potest. Imago verò non nisi ab extra per sensus ingredi & admitti potest in animam. Vnde nihil est æquè incognitum animæ, vt ipsa sibi. Hinc est, quòd Doctor quidam ait, Animam suijpsius nullam imaginem fabricare, nec introrecipere posse: & ideò nec seipsam agnoscere valet. Cùm enim imagines omnes per sensus introrecipiantur, planum est, animam suijpsius nullam imaginem habere posse. Nouit itaque ex imaginibus cætera omnia, sed seipsam minimè nouit ob defectum medij. Sed & intus ab omni imagine, omniqúe medio libera est: quæ causa est, quòd seipsum cum ea Deus nudè ac liberè absque vlla imagine vel similitudine vnire potest. Sanè quicquid artificem aliquem posse fatemur, idipsum sine modo Deum Opt. Max. posse, non possumus non fateri. Porrò quanto artifex sapientior est potentiorqúe, tanto etiam opus illius rarioribus medijs absolutum, atque simplicius est. Multa in externis operibus suis homo media habet, & priusquam ea ita perficiat, quomodo in animo sibi effinxit, plurima illi necessaria sunt. Sol verò & Luna artificium & opus suum, quod illuminare est, citò perficiunt. Mox enim vt suos diffundunt radios, totus vbique mundus illustratur. Super hos autem Angelus est: qui in sua actione rarioribus medijs ac imaginibus indiget. Supremus Seraphim non nisi vnam imaginem habet: & quicquid omnes illi, qui infra ipsum sunt, sub multiplicitate accipiunt, ipse totum accipit in vno. Cæterùm & hunc, & omnia in infinitum Deus transcendens, nec vlla opus habet imagine, nec vllam imaginem habet. Ipse in anima, imò in ipso animæ fundo, quem nulla vnquam attigit imago, sine omni medio, imagine, & similitudine operatur: quod nulla creatura facere potest. Deus Pater suum in anima Filium parit, non quomodo creaturæ, in formis, imaginibus, ac similitudinibus, sed eodem modo, quo ipsum in æternitate gignit, non magis, neque minus. Sed dicat aliquis: quomodo Pater gignit Filium suum in æternitate? Nimirum Deus Pater seipsum perfectè intuetur atque cognoscit, non per imaginem aliquam, sed per seipsum, & ita Filium suum in vera gignit diuinæ naturæ vnitate: eodemqúe modo, non alio aliquo, eundem Filium suum in animæ fundo & essentia parit & vnit seipsum cum ea. Quòd si aliqua

Imago.

Solis & Lunæ opus.

in ipsa foret imago, non ibi vera vnio esset, in qua omnis illius salus consistit. Quæstio. Quærat ergo fortassè rursus aliquis, & dicat: Suntne in anima imagines ex ipsa natura? Minimè. Si enim id verum esset, nunquam anima beata efficeretur, cùm nullam Deus creaturam condere possit, in qua ipsa plenam obtineret felicitatem atque beatitudinem. Alioqui non esset Deus præcipua beatitudo & vltimus finis, quod tamen ex sua illi natura competit: vnde etiam initium & finis vult esse omnium. Creatura verò, sicut beatitudo esse non potest, ita nec perfecta satietas. Huius autem vitæ perfectio in omnium virtutum perfecta adeptione consistit, cui vitæ æternæ perfectio succedit. Necessarium proindè est, vt in suæ quisque animę essentia fundoque commoretur, tangendus illic à simplici essentia Dei, absque medio imaginis cuiuscunque. Imago quid indicet. Imago sanè quælibet non seipsam indicat, neque designat, sed id cuius imago est. Porrò cùm verissimum sit, nullam nisi de exterioribus, & de his, quæ per sensus introrapiuntur, de creaturis imaginem haberi: & eiusmodi imagines, ea quorum sunt imagines, indicare atque referre, eoque animum remittere, impossibile foret ex quacunque etiam imagine perfectam obtinere beatitudinem.

II. Secundum, quod superius proposui, de quo in hoc sermone dicturum me commemoraui, est, quid faciendum sit homini in hoc opere, quo mereri possit, vt hæc in ipso natiuitas peragatur: Vtrumne præstet ipsum in hoc opere cooperari, aliquam de Deo imaginem in animo versando, ac cogitando de Deo: an vt sileat potius & quiescat, Deumque intra se loqui sinat & operari, & hoc ipsum Dei opus ipse præstoletur, sustineatque. Hac de re locuturus, quod supra dixi, etiamnum dico, hæc solùm ad perfectos pertinere, qui omnium sunt virtutum essentiam adepti, ita vt sine ipsorum cooperatione virtutes ex eis velut habitus quidam promânent, & in quibus specialiter & ante omnia dignissima vita, præclarissimaque Saluatoris doctrina viuat. Hi tales nouerint, & pro comperto habeant, optimum ac nobilissimum, ad quod in hac vita pertingi possit, id esse, vt sileant ipsi, Deumque hic loqui & operari sinant. Vbi enim vires animæ à cunctis suis operibus & imaginibus abstrahuntur, ibi Verbum istud profertur, sicut ea, quam superius adduxi, Sap. 18. libri Sapientiæ sententia testatur: *Dum medium silentium * teneret omnia* &c. Et illa Iob 4. ex Iob: *Porrò ad me*, &c. Quanto itaque ipsi vires omnes ad maiorem nuditatem, omniumque rerum & imaginum intrò admissarum obliuionem pertrahere queunt, quantoque creaturarum amplius obliuiscuntur, tanto huic æterni Verbi inspirationi seu prolationi viciniores, eiusdemque capaciores sunt. Vnde si omnium omnimodam possent obliuionem & ignorantiam assequi, adeò vt etiam de vita sua inscij & immemores essent, quomodo Paulus se fuisse testatur, 2.Cor.12. cùm ait: *Vtrum in corpore vel extra corpus, nescio: Deus scit*: tum huius natiuitatis capacissimi forent. Sanè in illo Apostoli raptu, adeò spiritus omnes illius vires ad interiora retraxerat, vt corporis sui penitus obliuisceretur. Et tunc in ipso neque memoria, neque intellectus, neque sensus, neque vires (quæ quodam influxu corpus ipsum mouere & ornare debebant) operabantur. Naturalis verò Actor.9. calor interea ab actione sua suspensus erat. Vnde factum fuit, vt toto illo triduo, quo nec esculentum aliquod, nec poculentum sumebat, nihil de corpore Exod.24. & 34. absumeretur. Ita fiebat & in Mose, quadraginta diebus & noctibus totidem ieiunante: qui nec ipse infirmabatur, sed eadem die vltimo, qua primo, corporis incolumitate gaudebat. Ita nimirum & perfectus quisque cunctis se subducere

sensi-

ſenſibus, vireſque ſuas omnes introrſum recipere, & ſic demùm tam ſuijpſius quàm rerum omnium deberet obliuiſci. Hinc Doctor quidam ita animam alloquitur: Abſtrahe te, ô anima, ab externorum operum inquietudine: dehinc fuge, & abſconde te à tumultu non ſolùm operum externorum, ſed etiam internarum cogitationum. Hæc enim animæ pacem perturbant. Si ergo Verbum ſuum in anima Deus omnipotens loqui debeat, ipſam in pace & quiete eſſe oportet. In tali tam pacifica & quieta anima, Verbum ſuum & ſeipſum Deus pronuntiat, ſeipſum inquam, non aliquam imaginem. Nam & Dionyſius ait, Deum ſuijpſius nullam imaginem aut ſimilitudinem habere, cùm ſit ipſe eſſentialiter omne bonum, omnis veritas, eſſentia omnis. Et ipſe cuncta opera ſua, & in ſeipſo, & ex ſeipſo, vnico actu perficit & operatur. Nec eſt quòd arbitretur aliquis, Deum Opt. Max. cùm cælum & terram & omnia contenta, in eis conderet, quædam hodie, & quædam cras, alijſque diebus creaſſe alia: licet id Moſes aſſerat, quod tamen ille propter tardiores quoſque fecit, qui aliter capere non poterant. Planè nihil aliud ille fecit, niſi quòd voluit tantùm, & facta ſunt omnia. Deus enim ſine imagine, & abſque medio operatur: & quo quiſque minus imaginum habet, eo & operationis illius capacior eſt: quoque ſeipſum magis introuertit, cunctorumque amplius obliuiſcitur, eò huic operi diuino vicinior ſit. Ad hoc autem ſacer ille Dionyſius Timotheum diſcipulum ſuum inuitat, & exhortatur, dicens: Tu verò, Timothee chariſſime, intentiſſimè contuendis ſpectaculis myſticis excita te, & ſenſus linque, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia: & vt illi iungaris, qui ſuper omnem ſubſtantiam, omnemque ſcientiam eſt, ignotè pro viribus teipſum intende. Enimuerò abs teipſo, atque ab omnibus liberè & abſolutè ac purè excedendo, ad ſuperſubſtantialem diuinæ caliginis radium, ſublatis omnibus, & abſolutus ex omnibus, euolabis. Sic ſic omnino ab omnibus abſtrahi nos oportet. Ipſe nanque Deus in imaginibus operari dedignatur. Vbi ergo, dicit aliquis, operatur Deus abſque imagine? in ipſo fundo, in ipſa animæ eſſentia. Hoc verò Dei opus ſcire nemo valet. Vires enim non niſi per imagines, eaſdemque proprias aliquid agnoſcunt. Equum non per hominis, ſed per equi imaginem cognoſcunt. Cumque hoc modo imagines omnes ab extra in ipſam veniant, latet eam hoc opus Dei, quod & illi vtilius eſt. Hæc quippe ignorantia, in quandam eam admirationem rapit: & inde iam adſpirat & anhelat ad ipſum cognoſcendum, ac interim experitur ipſum eſſe: ſed quid vel quomodo ſit, ſcire non valet. Ita prorſus expedit illi. Cognita enim cuiuslibet rei cauſa, ſtatim res illa homini faſtidium ingerit. Vnde mox ad alia cognoſcenda ac inueſtiganda animum intendit, ſemperque ſcire deſiderat, nec tamen cognitis inhæret. Hoc ipſum ergo, quòd anima opus illud diuinum non intelligit, hæcque ignota cognitio facit, vt huic eidem operi perſeueranter inhæreat, ipſumque apprehendere vehementiſſimè ſitiat, appetatq́. Ita enim ſapiens quidam ait: *Ad me dictum eſt Verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.* Et poſt paululum: *Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum: imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui.* Vbi, cùm natura Verbi ſit, aperire quod latet, quærendum nobis eſt, quid ſibi velit, quòd Verbum abſconditum appellat. *Stetit quidam,* ait, *cuius non agnoſcebam vultum.* Stetit, & apparuit coram me, quaſi aliquid indicaturus. ipſum autem, quem

Deuota ad animã exhortatio.

S. Dionyſius.

Vniuerſa Deum ſimul creaſſe.

S. Dionyſius.

Quæſtio.

Iob 4.

Ibidem.

Filius Dei cur dictus Verbum, idque absconditū. quem stetisse coram se ait, est *Verbum* illud *absconditum*: ideò dictum *Verbum*, quia animæ Deum indicat ac manifestat: ideò verò *absconditum*, quia sciri non potest quid sit. Vnde & sequitur: *Et quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius*. Quare autem cum tali susurrio venit, nisi vt manifestet seipsum? Persequendum ergo est, ac tota auiditate insectandum, quandiu absconditum est. *Ad me dictum est*, ait Sapiens ille, *Verbum absconditum. Dictum est Verbum*, & tamen hoc ipsum *absconditum* fuit. Quare *absconditum*, nisi vt ad ipsum suspiremus, ipsum insectemur, persequamur, & ad ipsum denique affectuosissimè anhelemus? Ita sanè & Apostolus nos adhortatur, vt ipsum persequamur, donec inueniamus: nec cessemus, quoadusque ipsum apprehendamus. Idem ipse raptus in tertium cælum, vsque ad essentialem contemplationem Dei, in qua viderat omnia, cùm sibi restitutus fuisset, horum oblitus erat. Cuncta etenim illa in intimo fundi eius peracta fuerant, quò intellectus penetrare non potuit: & ideò abscondita erant: vnde & insequi & apprehendere ea ipsum oportebat: non extra se, sed intra se. Erant enim prorsus intus, non foris. Denique hoc idem Apostolus iam plenius edoctus, ita constantissimè loquitur: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit me separare à Charitate Dei*, & ab eo quod ipse apprehendi in me. De hoc Philosophus quidam alteri æquè Philosopho dignam Philosopho sententiam deprompsit, dicens: Percepi quiddam in me, resplendens intellectui meo, quod equidem aliquid esse experior, sed quid sit, intelligere nequeo: videtur tamen mihi, si id apprehendere possem, omnem me veritatem perspecturum. Cui alter ille Philosophus: Hoc ergo, inquit, persequere, certus quia si apprehendere poteris, bonorum omnium cumulum, & ipsam quoque vitam æternam obtinebis. De hoc etiam Augustinus ait: Sensi quiddam in me, resplendens animæ meæ: quod si perficeretur in me, dicere non dubitarem, id vitam esse æternam: occultat se, & nihilo minùs manifestat se: furtiuè venit, quasi omnia animæ furaturum, ablaturumque: manifestat se, & indicat ex parte, vt per hoc animam alliciat, prouocet, & post se trahat, imò & auferat sibijpsi. Inde & Propheta ait: *Domine, accipe ab eo spiritum hunc, & redde illi spiritum tuum*. Hoc ipsum amans anima innuens, ita dicit: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*: Quasi diceret: Illo intrante, me deficere oportuit. Hoc & Christus indicat, cùm ait: *Qui reliquerit patrem aut matrem propter me centuplum accipiet*. Et, *si quis venit post me*, & me habere desiderat, *abneget semetipsum* & omnia. Et, *Qui mihi ministrat, me sequatur*, non sensus suos.

Ephes. 4. 2. Cor. 12. Rom. 8. Apophthegma. Augustinus. Cant. 5. Matth. 19. Matth. 16. Ioan 12.

Obiectio. Sed dicat fortasse aliquis: Naturalem animæ cursum perturbas, & contra suam naturam, vt faciat, ipsam inducere moliris. Illius quippe natura est, per sensus imagines apprehendere, facere, & dimittere: quem tu ordinem inuertere velle videris. Sed hoc ita se non habet. Quis enim nouit, quantam excellentiam ac nobilitatem Deus naturæ humanæ contulerit, necdum ab vllo Philosopho conscriptam, sed illis omnibus absconditam? Quotquot enim Philosophi de animæ nobilitate aliquid in scriptis reliquerunt, eò duntaxat pertingere potuêre, quò naturalis eos ratio perducebat. Necdum in ipsum fundum deuenerant: vnde & plurima ipsis occulta mansêre & incognita. De hoc denique verbo Propheta Regius: *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus*. Quod quia *absconditum* est, ideo & in nocte, *dum medium silentium* * *teneret omnia*, venisse legitur. Cui & illud sancti Ioannis concordiat:

Psal. 84.

Et lux

Et lux in tenebris lucet. Et, *In propria venit, & sui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Tertium, quod in hoc sermone tractandum suscepi, est cælestis Verbi huius, vel potiùs spiritalis natiuitatis huius, atque tenebrarum, in quibus ipsum Verbum lucet, quæ & propria illius dicuntur, fructus & vtilitas. Sanè, prout iamiam recitata diui Ioannis sententia testatur, datur hinc animæ illi, in qua ista peragitur natiuitas, vt filia Dei esse possit: & ipsa per hanc cælestis Patris, non alterius cuiusquam, per generationem filia efficitur. Adhuc & aliam vtilitatem attende. Philosophi omnes, & quotquot ratione vel intellectu veritati inuestigandæ atque docendæ operam dedêre, atque vnquam daturi sunt, nec minimum aliquid in hoc fundo hacqúe scientia intellexêre. Et licèt veriùs ignorantia dicatur, plus tamen in se complectitur, quàm omnis exterior hominum scientia cognitioqúe. Ipsa nanque hominem non solùm à cunctis rebus intellectu cognoscibilibus, sed etiam à seipso abstrahit, allicitqúe in Deum. Hoc & Saluator insinuare volebat, cùm ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. adhuc autem & animam suam*, imò & externa omnia, *non potest meus esse discipulus.* Ac si diceret: Quisquis creata omnia deserere recusat, ad hanc diuinam natiuitatem nec admitti potest, nec in ipsa generari: quod illi in veritate præstabitur, qui cunctis exterioribus, atque etiam semetipso nudare ac spoliare se studuerit. Et ipse certè veraciter credo, atque adeò certus sum, cuicunque id perfectè obtigerit, eum nulla deinceps ratione à Deo posse separari atque recedere. Plus dico, nec mortalem culpam admittere posse. Nam turpissima citiùs morte extingui se pateretur, quàm vel minimo lethali peccato præberet assensum. Addo adhuc, quòd qui eiusmodi sunt, nec veniale delictum sponte atque scienter admittere vel sustinere queant in seipsis, vel alijs quibuslibet, vbi ipsum impedire possent. Adeò nanque ad interiorem illam natiuitatem attrahuntur, solicitantur & alliciuntur, vt aliò se nunquam deflectere queant, nec aliud iter arripere. Ad hanc iugiter suspirant & anhelant: ad quam nos ille promoueat, qui recenter homo fieri dignatus est, vt sic infirmi nos atque fragiles homines, in ipso diuina quadam ratione nascamur. Amen.


Ioan. 1. III. Luca 14.

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

Vt spiritaliter circuncidi, impedimenta omnia remouere, & per humilitatem ac resignationem cum Deo vniri debeamus.

SERMO I.

Circuncidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. DEVTER. X.



AEQVVM planè est, dilectissimi, vt quomodo nunc nouum annum ingredimur, ita cum eodem à cunctis nos inueteratis defectibus, ac prauis consuetudinibus circuncidamus, & propositum bonum renouemus. Certè inuenire est quosdam, qui vel à Deo, vel ab amicis eius admoniti, vitæ quidem rectioris iter arripiant: sed citò à bono proposito, rectaqúe via, pijsqúe ritibus & exercitijs deuient, relabantur, tepescant: adeò vt priusquam etiam ipsi

Deo cuncta opera verba & actiones suas accepta referrent. Operæpretium nanque est, vt suam quisque voluntatem Deo in omnibus resignet, & intrinsecus operari ac habitare iugiter conetur: Se ad interiora rapiat, inque animæ fundum certissimam Dei habitationem cum vniuersis viribus, sensibus, voluntate & actionibus suis demergat: acceptissimam Dei voluntatem sitire discat, etiam cum labore, & si fortassis desiderium impræsentiarùm nullum habeat, oret pro desiderio, & se ex toto Deo captiuum tradat, non verbotenus, sed essentialiter, supra verba, supra cogitationes, supra intellectum & rationem, resignatè atque passiuè, sibi ipsi moriendo, & à seipso deficiendo, ac intimo quodam & incognito modo, simul in hac caligine in puram nudamque fidem sese immergendo. Ibi nanque duntaxat *in spiritu & veritate* Pater adoratur. Et tales ipse quærit adoratores, qui sic eum adorent, quorum ille precibus semper annuit, deest nunquam, ipsosque incessanter exaudit. Huius libet exemplum subijcere: Virgines duæ idem inclusorium incolebant, quarum altera de rebus sublimibus loqui, & difficilibus nouerat quæstionibus satisfacere: altera verò talia negligens, in multa simplicitate sua, in Deum immersa, illi se omnimodis resignabat, vnde factum est, vt Dei altissimi ita potens efficeretur, vt omnibus illius votis ac petitionibus ille sine mora præberet assensum. imò negotia omnia illi commissa, etiam pro quibus illa orare fuerat oblita, si saltem illi commissa fuissent, vt pro eis Domino preces funderet, ita feliciter Dominus dirigebat: adeoque hominum, quorum ea negotia erant, desiderijs satisfaciebat, vt sæpius reuersi, inclusæ huic vberes referrent gratias. Quod illa cernens: Qui fit istud, ait, ô Deus dulcissime, cùm nec cogitauerim quicquam hac de re? Ad quod ille: Non, inquit, opus erat vt pro illis negotijs me rogares: abundè sufficiebat mihi, ea tibi commissa esse, tuamque me intelligere voluntatem. Hanc enim, velim nolim, semper me perficere oportet, meamque per te voluntatem exequi, eò quòd tuam mihi perfectè voluntatem resignaris. Aio ergo, quòd eorum, qui se Deo resignârunt, instituta seu ritus atque sensus, plus sine verbis, cogitationibus ac desiderijs orant, quàm alij extra hos, in suis precibus etiam vbertim lachrymantes. Ipsi enim & in Deo, & cum Deo orant: modusque ipsorum & vita, mera quædam oratio est. Credite mihi: quisquis ita se Deo omni tempore essentialiter captiuum tradidit atque tradit, huic & Deum vicissim se essentialiter captiuum tradere oportet. Tum verò hominem supra omnem modum, omnemque captiuitatem in diuinam quandam transfert libertatem, imò & in seipsum, ita vt homo eiusmodi iam quodam modo diuinus potius, quàm naturalis homo sit: & quisquis eum tangit, etiam Deum tangat. Et si quis eum cernere vellet & agnoscere, id in Deo fieri oportet. Hîc iam cuncta sanantur vulnera, debita omnia relaxantur. Hîc quidam excessus atque transcensus fit extra creaturas in Deum, extra naturalem existentiam, in essentiam quodammodò diuinam. Hîc amoris ludus omnem superat intellectum, omnem sensibilem ac naturalem modum transcendit. In isto qui positi sunt, quique tales esse meruerunt, in proxima vtique felicissimaque via, & in modo supremæ beatitudinis sunt constituti, vbi Deo omnipotenti supremo perenniter modo sumus perfruituri. De hoc satius est nihil omnino, quàm aliquid dicere; & experiri, quàm intelligere. Qui eiusmodi sunt, in perpetua quadam voluntatis suæ stant resignatione, imò & omnium eorum quæ Dominus vult relinqui ac resignari: & seipsos

Ioan. 4.

Paradigma.

Quinam efficacius orent tacendo, quàm alij etiam flendo.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt mentem nostram nudam & vacuam, quò Deus in ipsa nasci queat, seruare, & in bonis actibus nos exercere debeamus.

SERMO II.

Quærite Dominum, dum inueniri potest. ESAIÆ LV.



SEMEL quidem Dominus noster Iesus Christus, ex gloriosa Virgine in humana natura corporaliter natus est, sed iugiter adhuc cum totius gratiæ plenitudine in qualibet anima sancta & munda, locum ei præstante in intimis suis, in ipso fundo suo, cunctis exterioribus exclusis, generatur. Enimuerò id ante omnia necessarium est, vt qui hanc cupit in se experiri natiuitatem, in illis versetur quæ Patris sunt, quomodo ipse Dominus ait: *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Patri verò in diuinis præ cæteris Personis potentia appropriatur. Ita sanè nemo vnquam hanc valet natiuitatem certò experiri atque sentire, nisi cum violentia multa: imò nec proficere potest, nisi magnam exteriori homini vim inferat, sensusque suos in omnibus abneget, mortificetque. An non violentia magna opus est, vbi vires omnes repelli, cedere ac refrænari, & à suo desistere ac cessare opere oportet? Planè in his omnibus violentia adhibenda est, nec sine hac efficitur quicquam. Inde est quod Dominus ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quæritur hic, vtrum ea, de qua præfati sumus, natiuitas semper, aut saltem quandoque, in anima agatur. Cui sic respondemus: Prout quisque se ad eam disponit, & sæpius per diem & noctem, alijs postpositis, illi vacare studet, ac totis viribus omnium obliuisci, & in hac se solum agnoscere conatur, ita hanc sentire meretur. Quæ vt facilius quæstio possit intelligi, attendantur quæ subiungo: Est in homine intellectus agens, intellectus patiens, & intellectus possibilis. Intellectus agens, semper in actu est, & actualiter operatur. Possibilis verò, operandi habitum habet. Verbi gratia: Quæ aliquis ante decennium locutus est, memoria adhuc retinet, & quamuis impræsentiarum non dixerit, ita tamen illa ei iuxta sunt, vt ea quæ iam actu cogitat vel operatur. Ista quidem actu, illa in potentia seu in habitu quodam habet. Ita nimirum & hic est. Ipse Dominus ait: *Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Quandoque se manifestat, quandoque etiam abscondit se Dominus. Notum est, quomodo Domino tres discipulos illos in montem adducente, eisdemque claritatem suam, quam ex diuinitatis vnione habebat, nosque omnes post resurrectionem habituri sumus, manifestius visendam exhibente, Petrus vnus ex illis, toto affectu illic manere desiderârit. Vbi enim animus bonum aliquod intellectu apprehendit, ab eo quatenus bonum est, nulla potest ratione disiungi & auelli. Nam quod intellectus bonum esse cognoscit, id voluntas per memoriam sibi repræsentatum, amore prosequitur, nec inde se potest abstrahere, nisi malum aliquod illi sentiat adiunctum. Ideoque necessarium est, vt Dominus quandoque sese abscondat. Adhuc alio modo quæstioni huic responderi potest. Vt suprà dixi, Intellectus humanus in Agentem, Patientem, & Possibilem distinguitur, Intellectus agens semper actu aliquid operatur vel in Deo, vel in creaturis. Quando in creaturis rationabiliter sese exercet, ipsas videlicet suo ordine in

Lucæ 2.

Matth. 11.

Quæstio.

Intellectus triplex.

Ioan. 16.

Matth. 17.

Intellectus agens.

ipsarum originem Deum referendo, aut seipsum quoque ad Dei gloriam, laudem & honorem, offerendo & exhibendo, quod totum vtique præstare potest, adhuc agens intellectus appellatur: Quando verò Deus operi illius sese admiscet, vel operari ipse constituit, iam spiritum pati oportet. Possibilis autem intellectus ad vtrunque respicit, quid videlicet & Deus operari seu agere, & spiritus pati queat: curatque vt hoc, quantum possibile est, effectum sortiatur. Agit itaque intellectus, quando spiritus ipse operatur: patitur autem, quando Deus operari decreuit. Quod dum fit, quiescere spiritū oportet, & D[illegible] sustinere operationem internam. Porrò antequam illud à spiritu inchoetur, & perficiatur à Deo, quendam ad hoc spiritus respectum habet & possibilem intellectum seu cognitionem, qua intelligit totum hoc fieri posse: & hic est possibilis intellectus, licet plurimum negligatur, nec vllos proferat fructus. Certè quando spiritus pro virium suarū facultate fideliter sese exercet, & ipsi spiritui, & operi illius se Dei spiritus admiscet, tunc spiritus humanus Dei spiritum contemplatur sustinetque. Ea verò Dei contemplatio passioque, cùm spiritui humano, in hac præsertim mortali vita, ita fit intolerabilis, vt eam continuè nequeat tolerare: inde est, quòd se Deus nonnunquam cognitioni visionis internæ subtrahit & abscondit. Et hoc est quod ipse ait: *Modicum. & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* quo apertius significatur, fidelissimum Deum interioris adspectus cognitioni & exhibere se quandoque, & rursus subtrahere. Potest tamen huius etiam alia ratio dari. Cùm Dominus Iesus tribus illis discipulis, in montem Thabor adductis, solam corporis sui claritatem, quam ex diuinitatis vnione habebat, & nos omnes in extremo iudicij die visuri sumus, conspiciendam præberet, ea visione suscepta, Petrus & alij duo libentissimè ibidem ob visionem illam permansissent. Ita profectò, quisquis Deum inuenit, ab eo quatenus Deus est, discedere non potest. Dumque hoc intellectus apprehendit, ibi & memoriam & voluntatem seu amorem subsequi oportet: nec inde potest abscedere, nisi aliquid mali se admisceat. Necesse est itaque, vt interdum præsentiam suam homini subtrahat Deus. Est enim anima simplex corporis forma, quæ quoquò se verterit, eò totam se vertit. Intellecto itaque cognitoque bono, ab eo diuelli non posset, ita vt nullum corpori influxum, nullum præberet auxilium, sicuti Apostolo contigisse credimus. Cuius nimirum anima si illic, vbi summum bonum cognoscebat, centum perstitisset annis, toto illo spatio nunquam corpori suo spiritus intendisset, imò & illius fuisset oblitus. Quod cùm huic præsenti vitæ minimè congruat, supremus ille sapientissimusque rerum omnium moderator Deus, cùm suæ placet voluntati, nobisque vtilissimum, congruentissimumque esse intelligit, suam nobis præsentiam ac dulcedinem subtrahit, instar fidelis medici, ægroto suo noxia quæque denegantis. Reuerà non est hominis, diuinæ natiuitatis experiri dulcedinem: sed eam præstare, Dei est, cuius & opus istud est, qui & largiri eam potest, & denegare cùm volet. In illius planè arbitrio est, operari & quiescere, cùm nobis id intolerabile esse ipse cognoscat. Neque enim destructor ipse naturæ est, sed magis perficit eam. Operatur autem in nobis, secundùm quod illius nos operi accommodamus & adhæremus. Sed quærat fortasse aliquis, & dicat: Cùm ad hanc natiuitatem necessariò exigatur animus à cunctis imaginibus, formis & operibus, etiam quæ viribus naturaliter insunt, liber, vacuus & absolutus: quid de externis illis operibus fa-

Marginal notes: Patiens. Possibilis. — Ioan. 16. — Matth. 17. — Anima quid. — 2. Cor. 12. — Quæstio.

bus faciendum est, quæ ex charitate quandoque facere oportet, vt verbi gratia, instruere & consolari miseros & afflictos? priuandus ne erit natiuitate illa, qui his intenderit, quandiu talibus immoratur? Nam & Apostolos talibus intendisse certissimum est, quomodo Chrysostomus de Paulo Apostolo ait: Quasi, inquiens, vniuersum mundum ipse genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere. Ad hunc ergo modum, immenso hoc bono pro istis minoribus bonis priuandus erit, qui eis intenderit? Aduerti te: Illud quidem nobilius est, sed ista vtiliora sunt laudabilioraque. Commendata fuit à Domino Magdalena, quòd optimam partem elegisset: & tamen ex parte vita Marthæ vtilior fuit, cùm hæc Domino eiusque discipulis sedula ministraret. Et S. Thomas ait, actiuam vitam tunc contemplatiua meliorem esse, cùm in actione ex amore effunditur, quod in contemplatione haustum fuit. Quod non nisi vnum est. Non enim vtilior seu fructuosior actio est, nisi quatenùs ex ipso contemplationis fundo procedit, quæ actionem fructuosam efficit, in quo contemplationis perficitur intentio. Et licet hoc per motus quosdam fiat, non est tamen nisi vnum. Ex vno quippe fine procedit, & tendit in eundem. Vt verbi gratia: si quis in aliqua domo de vno latere ad aliud se transferat, mouetur ille quidem, sed non nisi in vno. Ita & in hac actione nihil amplius habetur, quàm in contemplatione haustum fuit in vno. Quiescit enim altera in altera, & vnam altera perficit. Nam ex contemplationis vnitate hoc actionis studium Deus ipse exigit & intendit. In illa nanque nobis duntaxat, in hac verò etiam proximis inseruimus atque vacamus. Quod ipse quoque Saluator abundantissimè fecit, & ad eiusmodi vitam non solùm nos exhortatus est, sed eam in seipso omni tempore incolatus sui magnificè expressit. Omnes quoque discipulos, & Apostolos suos, imò & Sanctos suos, ad inseruiendum communitati emisit, impulit, incitauit. Inde & Apostolus Timotheo scribens: *Prædica*, inquit, *verbum*. Num exterius illud verbum prædicandum dixit, quod aëra cædit? Non sanè. Sed illud, quod intus datur, quod intus in interioribus animæ latet, hoc eum prædicare iussit, vt & vires animæ ex illius cognitione pascerentur, & foris quoque hominibus innotesceret. Voluit enim, vt & ad actionem seu externam vitam pro necessitate proximorum sese transferret, vt illi hoc in ipso verbum palam deprehenderent. Lucere siquidem hoc debet in memoria, in intellectu, in voluntate, & etiam in sensibus, vti Dominus ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Quod apertissimè dictum est contra quosdam, qui ita præterunt contemplationem, vt actionem negligant, paruique faciantque, dicentes se nullis virtutum exercitijs indigere, sed ea omnia transcendisse. De talibus non loquebatur Dominus, quando ait: *Semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centesimum*: sed illud potius aptè quadrat in eos, quod Domini Præcursor ait: *Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Sed dicat mihi aliquis: Quid ergo erit de quieto silentio, de quo iam ante dixisti? Huc enim, ad actionem videlicet, multæ exiguntur imagines. Quoduis nanque opus, siue externum, siue internum, in sua propria imagine fieri habet: vt dum prædico, aut aliud aliquid ago. Quomodo ergo in his quietum silentium habere potero? Dum enim intellectus agnoscit, voluntas diligit & vult, memoria recogitat, omnia hæc per imagines fiunt. Attendatur hîc obsecro. Scribunt Theologi de intellectu agente & patiente. Agentem

Chrysostomus.

Magdalena & Marthæ collatio.

Actio quando contemplationi præfert.

2. Tim. 4.

Matth. 5.

Matth. 13.

Matth. 3.

Intellectus agens. tem dicunt, qui imagines rerum externarum contemplatur, & à rebus exterioribus imagines abstrahit, vestitq́ue eos materia & accidentibus, collocans eas in intellectu patiente, qui tunc spiritales in se imagines producit. Ita ergo patiens intellectus ab agente grauidatus, rerum imagines conseruat, & per eas res quasque agnoscit, per agentem intellectum sibi repræsentatas & introadductas. Nec tamen res ipsas agnoscere potest, nisi ab intellectu agente iterum illuminentur, & hic lumen suum denuò super ipsas effundat. Iam totum hoc, quod in homine naturali facit intellectus agens, eodem modo in homine abstracto Deus ex integro facit. Tollit enim agentem intellectum, & se in illius loco constituit: quodq́ue intellectus agens operari debuerat, ipse per seipsum operatur. Talis namque homo ab omni sese occupatione expediens excutiensq́ue, omnem in se agentem intellectum consopiuit. Necessarium proinde est, vt hoc opus Deus in se recipiat, ipseq́ue artificis explens vices, in intellectum patientem agat, eique infundat. Quod qua ratione fiat, ita aduerti potest: Intellectus agens duas simul imagines habere nequit, sed prius vnam, deinde suscipit & alteram. Sicut & in aëre licet diuersi colores exhibeantur, non potest tamen nisi vnus post alium videri: quod & intellectus agens similiter facit. Porrò quum Deus loco intellectus agentis operatur & parit in intellectu patienti, diuersas simul imagines eodem momento producit. Quando enim hominem ille ad aliquod opus bonum incitat, mox ibi cuncta bona opera sese exhibent, offeruntque. Et tunc mens hominis centuplo maiori cum vigore solidiusque ascendit, & ad omne bonum fit propensior. Nam quicquid homo boni præstare potest, totum ibi simul se exhibet ac repræsentat in momento vno, punctoque eodem: quod manifestissimum indicium est, non hoc intellectus esse aut opus, aut natiuitatem, cùm ipse hoc minimè præstare queat, sed illius, qui rerum omnium

Phil 4. ideas simul continet in seipso, de quo Apostolus ait: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Non hoc aut illud *possum*, inquit, sed *omnia in eo* indiscriminatim, & sine exceptione. Hinc ergo sciendum est, non nostras aut naturæ has istorum operum imagines esse, sed naturæ Conditoris, qui imagines has istudque opus in ea reposuit. Non est quod aliquis hoc sibi opus vsurpet: non hominis illud est, sed Dei. Homo illud temporaliter suscipit, sed Deus illud supra tempus &

Quæstio. supra imagines omnes in æternitate largitur. At fortasse rursus quærat aliquis hoc modo: Cùm intellectus meus naturali opere suo se priuârit, nec vllum iam proprium opus, nullamque imaginem habeat, cui deinceps innitetur, cùm certum sit, ipsum aliquod semper obiectum & sustentaculum habere velle, possuntne interim vires animæ superiores, vtpote vel intellectus, vel memoria, seu voluntas aliquid apprehendere, & operari in illud? Ad quod ita respondetur: Obiectum intellectus nuda ac pura in seipsa essentia est, non accidens. Quando ergo intellectus alicuius substantiæ veritatem cognoscit, ad hanc statim sese conuertit, & in ipsa cupit quiescere. Ibi tunc verbum suum de obiecto illic existente intellectualiter profert. Porrò quandiu veritatem substantiæ alicuius propriæ non inuenit, & ipsum necdum fundum attingit, ita vt pronuntiare queat, istud est hoc, & ita est, haud secus: tandiu adhuc inquisitioni vacat, & expectat adhuc, necdum se inclinat, nec quiescit, sed laborat continuè, & ipsam inuestigationem in quadam expectatione deponit: atque hoc modo nonnunquam vno vel eo amplius anno vim naturali inuestigandæ veritati incumbit,

bit, ſcire volens, quid ea ſit. Sed multo adhuc diutius laborat in abſtrahendo, quòd ipſa, quam inquirit, veritas non eſt: & interim ſine obiecto & ſuſtentaculo perſiſtit, nec vllum inde pronuntiat verbum, quippe quum necdum ad plenum hanc cognoſcat veritatem. Atque hoc modo nunquam in iſta vita intellectus ſupernaturalis veritatis, quæ Deus ipſe eſt, fundum attingit. Vnde ſemper in quadam manet expectatione ſuſpenſus, ſemperquе laborat, & verius ignorantia quædam quàm ſcientia vel cognitio dici poteſt, quicquid hic percipit de Deo. Nunquam enim ita manifeſtum ſe exhibet Deus etiam amicis ſuis in hac vita, quin nihil ſit in comparatione illius, quod eſt ipſe in ſeipſo. Et licet veritas in ipſo fundo ſit, intellectui tamen manet abſcondita & operta. Interim verò non detinetur intellectus, vt quieſcat tanquam in aliquo obiecto, necdum finem ponit operi ſuo, ſed adhuc præſtolatur & laborat circa vnum, nunc quidem abſconditum, ſed tamen quandoque reuelandum cognoſcendumquе. Quandiu enim homo perfectè ſcire non valet quid ſit Deus, nec ignorat tamen quid ipſe non ſit, eaquе omnia abſtrahendo negat, tamdiu nulli intellectus obiecto immoratur, ſed expectat ſemper, quemadmodum materia formam. Nam vt materia non quieſcit donec omnes ſuſcipiat formas, ita nec intellectus quieſcit niſi in illa veritate, quæ omnia in ſe includit continetque. Illius eſſentia ſola eum abundè ſatiat, redditquе contentum: quam tamen interim Deus illi ſubtrahit, & exhibere differt, vt illius ſtudium excitet, diligentiam prouocet ad proficiendum vlterius, ad plura conſequendum, & alia adhuc vera obtinendum bona, nec minimis contentus ſit, ſed ad ſuprema contendat, ſummaquе enitatur apprehendere. Sed hic fortaſſe dicet mihi aliquis: Iam ante pluribus dixiſti, vires omnes quieſcere debere, & nunc ais, intellectum, cæteraſquе vires ipſam debere veritatem perſequi, & in hoc ipſo ſilentio eam ſuſpirare, cùm tamen ingens clamor, multaquе loquutio eſſe videatur, vbi ſic vnum aliquid quod deſi:, appetitur, ſititur, expectatur, deſideratur, quæ & hanc quietem iſtudquе ſilentium haud dubiè ſit impeditura. Siue enim vires intendant aliquid, ſiue velint, ſiue quærant, ſiue laudent, ſiue gratias agant, ſi qua illuc imago exurgat, non ibi verum & integrum videtur eſſe ſilentium, nec perfecta quies. Cui ſic reſpondemus: Dum ſe ex toto quiſque, & à ſeipſo, & à rerum omnium proprietate, idquе in omni modo, rebuſquе omnibus denudat, quicquid tum in ipſo generatur, non illius eſt, ſed Dei, cui ſe reſignauit atque reliquit. Cuius enim eſt verbum quod profertur? illius qui dicit, an illius qui audit? Sanè licet verbum ipſum in audiente ſit, propriè tamen parturientis eſt & proferentis, non audientis. Nam quemadmodum ſol radios ſuos in aera diffundit, lumenque ſolis aer ſuſcipiens, ipſum terræ ſubminiſtrat, nobiſque ſimul confert, vt colores queamus diſcernere: & licèt ipſa lux formaliter in aere ſit, eſſentialiter tamen in ſole eſt, quippe quæ non ex aere, ſed ex ſole procedit: ab aere verò ſuſcipitur, & per eum porrò omnibus, quæ lucis illius capacia ſunt, adminiſtratur: ita eſt in anima illa, in qua Deus per gratiæ ſuæ natiuitatem ſe generat, quæ hanc deinceps in vires diſtribuit, in quibus & excipit eam diuerſis modis, quandoque per deſiderium, quandoque per intentionem bonam, nunc per actionem nouam, modò per gratiarum actionem: quoquo tamen modo animum vireſque afficiat, totum Dei eſt, non hominis. Vnde quicquid illic ipſe operatur, tanquam id quod Dei eſt, non quod ſuum capere quiſque debet, quomodo ſcriptum eſt:

Pia obiectio.

Vera reſponſio.

Verbum ne ſit audientis, an proferentis.

 Spiri-

Spiritus sanctus incomprehensibili modo tempestuosè & leniter spirat. Denique non ipse orat in nobis, sed nos in ipso, sicut Apostolus ait: *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Enimuerò id ante omnia vel maximè necessarium est, vt nemo sibi inde aliquid vsurpet, nihilqúe asscribat, sed totum se Deo offerens exhibensqúe, illum in se operari sinat, eiusqúe in se perficere voluntatem. Illius nanque hoc opus est: verbumqúe istud illius opera, & quicquid hominis est, producit, dum hic seipsum reliquit abnegando & exuendo vires suas, & actionum essentiæ suæ proprietatem deserendo. Tunc enim Deum vicissim & in vires, & in ipsam essentiam subintrare oportet, quando homo omnem suam proprietatem resignauit, abdicauit, annihilauitqúe, sicut scriptum est: *Vox clamantis in deserto.* Hanc quisque vocem in se pro illius arbitrio sonare permittat, & seipsum in omnibus incessanter obseruet. Sed quærat fortassis aliquis: Quinam habebit se is, qui à seipso in omnibus libenter exoneratus, vacuus & expeditus esset, quiqúe & à seipso, & à rebus omnibus exui debet omninò ac denudari? semperne diuinam ille operationem præstolabitur, & ab omni actione quiescet? an etiam ipse interdum aliquid operabitur, vt vel ieiunet, vel oret, aut vigilijs, lectioni, alijsque pijs virtuosisque operibus insistat, cùm iam dictum sit, nihil eum extrinsecus, sed cuncta intus à Deo suo accipere debere? & si prædictis non insistat operibus, nihilne negliget? Huic ita satisfacimus: Externa opera neutiquam intermittere debebit, cùm ea non sine rationabili causa & prouida ordinatione sint instituta, quò videlicet per ea, perque vitam religiosam homo in Deum, & ad salutaria quæque ducatur ac dirigatur, vt his iugi exercitatione intentus, & in ipsis sedulè occupatus, nulli in se ipso vitio locum præbeat, nec ad aliena & extranea diuagetur, sed bene operetur in Deo, quo dum hic eum habere desiderat, ipsum paratum inueniat, nec ob distortas & peruersas actiones illius, ab ipso procul abscedat. Nam quò maiorem delectationem in rebus externis quærimus, eò & salus nostra amplius elongatur à nobis. Quò enim amor intentior, eò in separatione dolor grauior, vehementiorque. In hoc ergo cuncta sunt bona opera & virtutum exercitia (vt est, legere, orare, cantare, ieiunijs carnem afficere, vigilijs & genuflexionibus insistere, & alia id genus virtuosa opera peragere) instituta & excogitata, quo per hæc homo occupatus atque religatus, à rebus extraneis, inordinatis, impijs & nefandis præseruetur, præpediaturque. vnde mox vt aduerterit aliquis Spiritum sanctum nihil intra se operari, interioremque hominem suum à Deo derelictum, nihil illi vtilius, nihil salubrius fuerit, quàm vt in cunctis sese virtutibus exerceat, illis præsertim, quæ magis illi conducere queunt, eique vtiliores sunt, magisque necessariæ: vtque nulla seipsum cum proprietate quærat. Ea verò de causa huiusmodi virtutum incumbat actibus, ne ad illicita pertrahatur, sed Deo Creatori suo in bonis adhæreat, quo ille eum paratum inueniat, & dum opus suum in anima contemplari venit, ipsum diu requirere non cogatur. Cùm autem in vera ordinataque deuotione ipsum à Deo ad altiora rapi contigerit, omnem externorum exercitiorum occupationem, durante huiusmodi raptu, missam faciet, etiam si ea talia sint exercitia, ad quæ voto sit obstrictus, ita vt nec Papa, nec Episcopus vllus eum inde possit absoluere. Certè à voto ipsi Deo præstito nemo potest absoluere, nisi in aliquod melius commutetur. Per votum enim quisque se Deo obligat & obstringit. Vnde si quis plura vota emisisset,

1.Cor.12. Esaiæ 40. Marc.1. Quæstio. Vota quādo piè laxentur.

fiſſet, vt quòd ieiunijs & precibus ad certum vſque numerum & tèmpus inſiſteret, quòd peregrinationis moleſtiam ſubiret, limina Sanctorum inuiſeret, & id genus alia pia faceret opera, ab his omnibus abſoluitur, dum aliquam ſubit religionem & Ordinem. In Ordine quippe & cunctis virtutibus & ipſi Deo obligatur, adſtringiturquée. Eodem modo quamlibet diuerſa quiſpiam Deo pollicitus ſit, dum ad veram dilectionem pertingit, atque ſurſum in Deum rapitur, ab omnibus interim votis eſt liber & abſolutus: quandiu vera hæc deuotio & ecſtaſis in ipſo perdurat, vt videlicet cum vniuerſis viribus ſuis in Deum intractus, raptus, abſorptus & immerſus ſit. Imò ſi per ſeptimanam vnam, aut menſem vnum, aut integrum perſeueret annum, toto illo ſpatio nec Monachus nec Monialis aliquod coram Deo tempus negligit. Cui enim obſtricti ſunt, huic ante omnia ſatisfaciant oportet. Quando autem ſibi talis aliquis reſtituitur, vota ſua exequatur ab eo tempore, quo plenè compos eſt ſui ipſius. De præterito verò tempore, & de omnibus interea neglectis, ad quæ ex ſuo Ordine teneri ſe ſenſerit, docebit eum Deus, qui per ſeipſum ea omnia ſupplet, quandiu eum ad altiora rapit. Minimum enim Dei opus omnes omnium creaturarum actiones longè præcellit. Hæc verò de eruditis ac copiosè illuminatis perfectiſquée hominibus dicta ſunt, qui à Deo & per ſacras literas edocti pariter & illuminati, & cum Apoſtolo, in Deum rapti ſunt & abſorpti, quos *vnctio docet de omnibus*: non autem de externis immortificatis hominibus. Quid ergo, dicet aliquis, de laico homine erit, qui non niſi corporalia nouit & intelligit exercitia, & nihilominus ad aliqua facienda quodam propoſito ſe adſtrinxit, ſiue ad ieiunandum, ſiue ad orandum, ſeu id genus alia peragenda? Planè reſpondeo: Si ex vera Spiritus ſancti illuminatione intra ſe in veritate ſenſit, externa exercitia impedimento ſibi eſſe: ea in Deum imponat, proijciatquée, vt libero & expedito corde Deo intendat. Quamlibet nanque cauſam, quæ ipſum in Deum ducere, Deoquée vicinius coniungere poſſit, in Deo quærere debet & obſeruare, ſicut Apoſtolus ait: *Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt*. Quòd ſi poteſt aliquod propoſitum bonum, deinde melius aliquid in ſe per intellectum agnouerit, atque de præcedenti illo certius deprehenderit, quòd contra Deum & animæ ſuæ ſalutem tendat, id primum eſt quod ab illo eum propoſito abſoluit, ita vt iam ſecurius ad perfectionem poſſit iter inquirere, ſuumque mutare propoſitum, quod alioqui leuiter faciendum non eſt. Id autem probari facile poteſt. Magis enim fructus ipſe & veritas interna, quàm opus externum, adſpicienda ſunt. Inde eſt quod Apoſtolus ait: *Litera occidit*, id eſt, cuncta indiſcreta externa exercitia: *ſpiritus autem viuificat*, intima videlicet ipſiſſimæ veritatis apprehenſio, ſenſioque: quæ profectò diligentiſſimè ab eiuſmodi laico homine intra ſe obſeruanda eſt: & quicquid vicinius Deo ipſum coniungere, magiſque aptare poteſt, id ante omnia propriè ſequendum. Interim tamen (ſi poteſt) ſuperiorem ſuum, aut illuminatum aliquem Dei amicum conſulat, ne ſibijpſi innitatur: & ita ab omni deceptione tutus erit: vel certè ſi talem Dei amicum habere non poteſt, conſilium petat à ſuo Confeſſore. Denique id ſummopere cuique curandum eſt, vt mentem ad ſuperna erectam, non depreſſam ad ima, ſed ardentem habeat, idque in quieto ſilentio, ſeu tacita quiete. Præſtet nobis omnipotens Deus, vt per hanc quietem ſilentiumque internum ita ipſum ſequamur, vt

Religionis aſſumptæ prærogatiua.

Eſtaſeos veræ priuilegium.

1.Cor.12. 1.Ioan.2.

1.Cor.13.

2.Cor.3.


Verbum illius ipsi consempiternum, per Spiritus sancti inspirationem intra nos suscipere, vnumqúe cum ipso fieri mereamur. Amen.

IN VIGILIA EPIPHANIAE.

Vt tribus hostibus nostris resistere, tentationes omnes humiliter sufferre, Christiqúe Saluatoris infantiam, sacratissimamqúe vitam sectari debeamus.

SERMO VNICVS.

Accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel. MATTH. II.
Vel illud: Cùm factus esset Iesus annorum duodecim. LVCÆ II.



I sacrum Euangelium vel millies à quouis hominum relegatur, prædicetur, recogitetur, semper ibi noua quædam veritas, ab eodem prius non inuenta, reperitur. Itaque in hodierno Euangelio sic habes: *Accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Plerosque inuenire est, qui dum pium quoddam vitæ melioris, reiqúe alicuius bonæ intra se desiderium sentiunt, multa citò audacia & præsumptione occupentur: & dum adhuc recens est spiritus parturitio, importuna ac vehementi quadam strenuitate & introuersione idipsum exequi proponant, constituantqúe, nihil interim attendentes, vtrum natura ipsorum id sufferre possit, & an gratia eorum tanta sit, vt operi seu exercitio inchoato ad finem vsque sufficere queat: cùm tamen finem ipsum considerare meritò deberent, priusquam aliquem nouum modum arriperent: ac deinde recens illud desiderium fugiendo, aut quasi suspendendo, mox ipsum in Deum proijcerent, deuotè eum rogantes, vt cuncta opera ipsorum per ipsos, & in ipsis pro sua gratissima voluntate perficere dignaretur. Cæterùm inter hos iam dictos aliqui sunt, qui pio desiderio concepto, mox ad opus sese accingunt, diuersosqúe raros ac nouos viuendi modos arripiunt, modò hunc, modò illum. Et ita in hac præsumptione dum suis nituntur viribus, sæpe & in corpore & in spiritu sese destruunt: fitqúe non rarò, vt vbi Deus quæri putabatur, ipsa potius natura prædominetur. Itaque Ioseph nutritius Saluatoris, cùm in AEgyptum vnà cum puerulo & matre illius Herodem fugiens abijsset, ibidemque Angeli relatione in somnis ei facta, Herodis didicisset obitum, & iam ad terram Israel remeâsset, audiens ibi quòd pro Herode filius eius Archelaus regni sceptra teneret, timuit eò ire, metuens ne puerulus ab illo quoque perderetur. Quæ quid significent, nunc aperiendum est. Herodes rex, qui puerum fugauerat, illiusqúe fuerat necem meditatus, mundum haud dubiè designat, qui hunc puerulum in homine necare molitur, qui proinde necessariò fugiendus est, si viuum intra nos puerum seruare velimus. Vbi verò iam aliquis mundum extrinsecus reliquit, fugit, abdicauit, & vel in cœnobium, vel in inclusorium sese recepit: iam in ipso consurgit Archelaus, & dominium sibi vendicare molitur. Hoc est, totus in ipso mundus intus versatur, adeò vt hunc vix vnquam nisi magno cum conatu, diligentia, strenuitate, multoqúe exercitio, & imprimis per diuinæ gratiæ opem, magnoperè illi, si vincere debeat, necessarium, superare, & ab interioribus suis eliminare & excludere queat. Habet enim quisque tres crudelissimos eosdemqúe fortissimos hostes, indefesso studio & implacabili odio iugiter ipsum impugnantes. Primus est ipse mun-

Herodes mysticè quid.

Archelaus.

Tres crudelissimi hostes.

1.

mundus, qui per spiritalem superbiam illius animum pulsat, vt ob ea, quæ rectè agit, ab hominibus videri, sciri, in aliquo numero haberi & audiri velit: vtque mundo in vestium apparatu, in conuersatione, in verborum sublimitate & pompa, in gestibus, in sapientia, in consanguineorum caterua, in potentia, in diuitijs, in honoribus placere studeat appetatque. Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm ipsa signa diaboli. Secundus hostis est propria caro, quæ ipsum spiritali & II. carnali fornicatione adoritur, cupiens eum inducere, vt hanc verbis & operibus exequatur. Huic vitio omnes illi obstricti sunt, qui sensuum suorum oblectationes sectantur, quocunque demùm modo id fiat. Quod in seipso quisque vigilanter obseruare debet, ibi potissimùm, vbi in sensibus suis à rebus sensualibus magis de impudicitia tentatur. Sed & illi huic tenentur vitio obnoxij, qui creaturarum amore detenti, easdem cum delectatione diu noctuque sponte in corde suo circunferunt. Hæc enim omnia ad vitium istud fornicationis hominem adducunt. Porrò sicut exterior incontinentia corporis munditiam & integritatem, ita interior spiritus puritatem aufert. Quanto verò spiritus dignior nobiliorque est corpore, tanto & spiritalis fornicatio carnali immunditia nociuior est. Tertius aduersarius est diabolus, qui hominem malis & amaris cogi- III. tationibus, sinistris suspicionibus, temerarijs iudicijs, odio & vlciscendi libidine impugnat, dum hunc ita secum cogitare facit. Hæc & hæc ab illo tibi illata sunt: eiusmodi te sermonibus adortus est: non id æquanimiter feram. Inde iam duriorem alteri vultum exhibet, toruumque adspectum, aspera & plena iracundiæ verba loquitur, vnde deinceps mutuæ pacis violatio, amicitiæ perturbatio, pluraque alia mala oriuntur, dum se ad sui defensionem & iniuriæ propulsationem læsus accingit. Et hæc omnia citra dubium non nisi semen diabolicum, & inspirationes operaque Satanæ sunt. Vnde si salutis nostræ iacturam facere nolimus, necesse est vt fugiamus hæc omnia, & benignè humiliterque nos ad ipsum passionum ac afflictionum torcular offeramus, parati pro Deo aduersa perpeti, siue ea iure, siue iniuria eueniant: & in his Deo & veritati nostræ defensionis excusationisque partes relinquamus, nosipsos in nullo excusando: & ita pace Dei foris & intus, tam in aduersis quàm in prosperis, veraciter perfruemur. Quòd si negligimus ista, iam nobis reuera cauendum est, ne Archelaus, Archelaus. id est, prædicta vitia puerum nostrum, id est, gratiam Dei in animabus nostris destruant, trucidentque. Inde est, quòd humilis Ioseph solicitè inquirebat: si quis adhuc superesset, qui puerulo necem moliretur. Nam postea quam præfata omnia homo vitia suppressit, adhuc vel mille laquei supersunt, quos perrumpere debeat, nulli satis cogniti, nisi ei qui ad seipsum, & in seipsum veraciter se recepit. Ioseph enim sedulum vitæ spiritalis incrementum significat, & Ioseph quid. continuum in diuinæ voluntatis fideli executione profectum. Et hic puerum & matrem eius ab illius interfectoribus satis est idoneus custodire. Hic porrò Ioseph ab Angelo ad terram Israel redire iussus & admonitus fuit. Est autem terra Israel, idem quod terra visionis Dei. Iam econtra plurimi sunt, qui hic mise- Israel. rè pereunt, dum seipsos è diuersis his tentationum laqueis eruere volunt, priusquam eos diuina misericordia per suam gratiam liberet, & ab Angelo inde educantur, admoueanturve. Vnde sæpenumerò in graues labuntur errores, dum, vt dixi, priusquam à Deo veraciter absoluantur, ipsi inde se eripere volunt, sui videlicet intellectus acumine & subtilitate, verbisque sublimibus, quæ

intelligunt de rebus arduis & altis, quippe qui & summam contemplari Trinitatem, & de ea subtiliter loqui nôrunt. Inde verò quanti errores iam olim exorti sint, & adhuc indies oriantur, scire miseria est. Non enim tentationum laqueos, quibus Deo permittente circumplexi sunt, interioresque tenebras ad finem vsque sufferre volunt in AEgypto, quæ tenebræ interpretatur, cùm tamen reuera nec creaturæ omnes vnquam à Deo conditæ, ab hoc eos carcere absoluere, veraciterquè inde eripere queant. Solus id potest æternus & misericors Deus, nec vllus omnino præter ipsum. Quoquò ergo se vertant, ita planè fieri necesse est, si bene cum ipsis agi debeat. Eant, quærant, lata terrarum spatia peruagentur: non nisi in solo Deo contra has tentationes remedium offendent auxiliumqúe. Nec eo inficias, posse Deum, si velit, aliquo ad hoc instrumento vti, & vel per Angelum, vel per hominem ab his eos tentationibus eripere: sed tamen ipse est, cui id facere incumbit, non alius aliquis. Omni igitur discursu & inquisitione externa semota, intus in fundo suo auxilium quærant, & totum tentationis pondus Dei amore benignè tolerent, sese resignent, atque in AEgypto, tenebris videlicet interioribus, perseuerent, donec ab Angelo veraciter inde euocentur. Ioseph quoque in somnis admonitus fuit. Sanè vulgo dici solet: Qui dormit, non peccat, etiam si aliquid mali ingeratur dormienti. Quod & verum est, nisi antea sibi malorum præstitisset somniorum occasionem. Ita ergo & deuotus quisque, in quodam veluti sopore quieto erit intrinsecus ad tentationes omnes & afflictiones, quæ illi occurrere possint, atque sub ipsas humiliter sese demittet, easqúe velut in somno patienter sufferet, nec magni pendet, sed pro Dei amore non libenter solùm, verùm etiam hilariter eas ad extremum vsque plena cum resignatione sustinebit. Haud dubiè nec melius, nec fructuosius inde poterit absolui, & manere absque peccato. Atque in hoc patientiæ & resignationis somno inde euocabitur & exire monebitur, quomodo & sancto Ioseph Saluatoris nutritio factum legimus. Cæterùm custos iste siue nutritius Saluatoris, sanctæ Ecclesiæ Prælatos designat, vt (verbi gratia) Papam, Episcopos, Sacerdotes, Abbates, Priores, & quoslibet spiritales Confessores, qui omnes subditos suos, dum iunioris adhuc ętatis sunt, custodire, omnesqúe pro cuiusuis necessitate regere debent ac moderari. Sed heu multi ex eis ipsi cæci sunt, & ita cæcus cæcum ducit, vt metuendum sit, & Prælatos & subditos quosdam simul in æternæ damnationis foueam ire præcipites. Certè perquàm multos Prælatos & magistros habemus. Ego cùm sim Monachus, Suppriorem, Priorem, Prouincialem, Episcopum & Papam, habeo Prælatos mihi. Quòd si omnes illi aduersum me coniurâssent, cunctiqúe simul in lupos mihi verterentur, ita vt morsus crudeles mihi intentarent, in vera resignatione & subiectione ipsis me humiliter substernere deberem: & quicquid mihi inferrent, multa cum humilitate, absque omni murmure studioque remordendi, patientissimè tolerarem. Si verò beneficij quippiam in me conferre vellent, id humiliter recusare & renuere, meum foret. Si contra me mordere, etiamsi centuplo plures essent, id omne benignè hilariterque Dei contemplatione & amore sufferrem. Semper itaque pio quodam timore S. ille Ioseph tenebatur, quanquam Angelo nuntiante, omnes illos, qui in pueruli necem conspirauerant, obisse cognouisset. Inde iam solicitus perquirebat, quis in Iudæa regni sceptra moderaretur. Ex quo manifestè nōnulli errare probantur, qui ab omni timo-

Ægyptus.

Dormiēs an peccet.

Cęcus vbi cæcum ducat.

Ioseph quam fuerit pro Christo solicitus.

timore volunt esse immunes: cùm tamen quandiu hic viuere contingit, nunquam ille abijciendus sit, nunquam vt absit optandum. Ita enim Propheta regius ait: *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Planè etiam si vel Angeli sua nos dignentur admonitione denuntiatione que, adhuc tamen in timore persistendum est, diligenterque attendendum, regnetne Archelaus adhuc in nobis. Post hæc exurgens Ioseph, puerum accepit, & humilimam dignissimamque ipsius Genitricem. Per puerum, mundam quandam & immaculatam puritatem accipimus. Ita nimirum ad instar illius, ex toto quisque purus esse debet & mundus, nullisq; rerum temporalium maculis permixtus. Paruus quoque, per humilitatem profundam, atque subiectam non Deo tantùm, sed & creaturis omnibus propter Deum. Per dignissimam verò Genitricem illius, verum sapidumque diuinitatis amorem intelligimus. Est enim amor Dei, purissimę mater humilitatis, & exterminationis suijpsius, cum subiectione sub beneplacitum diuinum in resignata puritate. Cæterùm in hoc gradu tenellus adhuc homo est. Vnde ad terram Israel, terram videlicet contemplationis, necdum liberè procedere debet. Potest quidem, si vult, pro indulgentijs obtinendis eò tendere: sed euestigio ad AEgyptum reuertetur, quamdiu adhuc tam tener est, & necdum in virum perfectum euasit. Apprehendat igitur arma Domini Saluatoris, qui nos in sanctissima, innocentissimaq; vita sua edocuit omnia, viamque perfectionis apertissimè demonstrauit, ita vt quoties verbum Dei nobis habere non licet, in eadem purissima vita illius cuncta ad salutem nobis necessaria reperiamus abundè sufficienterque. Ipse nanque cùm duodecimum ætatis ageret annum, Hierosolymam venit: sed non ibi tunc moratus fuit, at cum parentibus remeauit ad propria. Nondum enim tunc, quod ad assumptum hominem attinet, perfectæ ætatis erat. Fuit ergo vsque dum tricesimum annum assecutus, in virum perfectum excreuisset, nec amplius crescere haberet. Tum verò iustam adeptus ætatem, quotidie Hierosolymis erat, instruens, dirigens, prædicans, arguensque Iudæos, viamque illis veritatis multa cum authoritate demonstrans: & pro suæ libito voluntatis huc illucque pergebat, & in Galilæa, in ciuitate Capharnaum, & Nazareth, & in omni terra Israel & Iuda, vt potens Dominus, liberè morabatur: atque in illis locis mira patrabat, signis coruscabat & prodigijs. Ita profectò & deuotus quisque facere debebit. Non se statim ad terram Israel, id est, contemplationis, quasi permansurus illic, recipiet. Potest quidem ad tempus ibi persistere, sed quandiu necdum satis excreuit, & adhuc tenellus est & imperfectus, fugiat rursus, non ibi perpetuò subsistat. Vbi verò ad perfectionis apicem conscendit, & robustus atque virilis effectus est, iam nunc ad terram Iuda accedat (Iuda idem est quod confessio Dei) & ad Hierusalem, pacem veram, ibique tunc hilariter viriliterque & docere poterit & arguere, & potenter in Galilæam, quæ transmigratio interpretatur, iter arripere. Quò dum peruenerit, iam supergressus est omnia, atque transcendit vniuersa, intratque ciuitatem Nazareth, iucundos flores, vbi deinceps speciosi vitę æternę flosculi germinant. Et hic ineffabilis quædam pax est & exultatio, requies & certa prægustatio vitæ æternæ. Denique huc illi duntaxat pertingunt, qui seipsos sub gratissima Dei voluntate humiliter relinquunt ac resignant, omnemque aduersitatis tentationem foris & intus benignè tolerant, nec inde se importunè excutere moliuntur, donec clementissimus Deus ipse eos inde per suam gratiam educere digno-

Psal. 18.
Puer.
Pueri mater.
Luc. 2.
Israel.
Iudæ.
Hierusalem.
Galilæa.

dignetur. Isti, inquam, ad hanc pacem & vernantem Nazareth perueniunt, vbi & inueniunt, quo in Deo perpetuò sunt fruituri. Quod nobis omnibus diuina clementia largiatur. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vt spiritalis natiuitas in lumine gratiæ per naturalis luminis suppressionem & occasum, cum longanimi expectatione quærenda sit & inuenienda: De immenso quoque passionum & afflictionum fructu, & tribus muneribus.

SERMO I.

Vbi est qui natus est rex Iudæorum? MATTH. II.


Venimus enim *adorare eum*, & mysticis honorare muneribus, auro, myrrha, & thure. Nimirum anima rationalis vel ex ipso suo lumine naturali Deum esse nouit. Sed quid, qualis, & vbi sit, id prorsus omnem illius fugit cognitionem, nec vllam huius habet notitiam. Exurgit itaque in anima sancta & religiosa pium quoddam amorosumque desiderium, eam ad quærendum diligenterque inuestigandum incitans de Deo suo: scireque peroptat, quid sit, vel quis sit ille, tam ipsi occultus, tamque incognitus. In hac porrò diligenti inquisitione laboranti, quædam ei stella oritur, quæ nihil aliud est, quàm splendor quidam & radius gratiæ cælestis, lumenque diuinum, quæ sic eam intus affatur: Iam nunc natus est: simulque animam ad ipsius natiuitatis dirigit locum, quem nullum potest lumen naturale indicare. Vnde quotquot lumine suo naturali hanc volunt natiuitatem inquirere, contingereque, deficiunt omnes ac pereunt, nec vllum faciunt virtutis profectum. Non enim illius potest luminis ductu reperiri. Sed quæ hanc denuntiauit, eadem & indicare eam, & ad hominis notitiam lux deducere habet, quid videlicet ipsa sit, quando & vbi peracta sit. Sed miseri isti lucis illius, in qua hanc valeant natiuitatem offendere, irradiationem præstolari neque volunt, neque possunt: sed foras erumpentes, eam naturali suo lumine inuenire moliuntur. Quòd * tamen fieri non potest: opportunum eos, quod necdum præsto est, sustinere tempus oportet. Sanè adeò hoc in quibusdam desiderium excrescit, sicque in eis operatur, vt carnem & sanguinem, imò & ossium medullas, penetret & absumat. Quicquid enim natura virium habere potest, huic totum impendere coguntur, si suo velint satisfieri desiderio, hancque veraciter inuenire natiuitatem. Cuncta eam naturalia lumina ignorant, nec ipsis eam valent indicare. Hîc iam tria quædam attendenda veniunt. Primum, est ipsum quod quærit, quod est desiderium. Secundum, est inquirendi modus. Tertium, huius inuentio natiuitatis. Itaque tria quædam omni insunt homini. Primum, ipsi naturæ in carne & sanguine adhæret, vt sunt sensus corporei, ipsaque (vt ita dicam) sensualitas. Secundum, est ratio siue intellectus. Tertium, pura nudaque animæ substantia. Et hæc omnia dissimilia sunt valde, diuersisque modis aliquid percipiunt, vnumquodque pro suæ essentiæ conditione. Quemadmodum & ipse Solis splendor, cùm in seipso planè simplex sit, non eodem tamen modo in vitro suscipitur, cum aliud nigrum est, aliud flauum, aliud album. Et reuera non absurdè per vitrum nigrum, ipsa sensualitas: per flauum, ratio vel intellectus: per album, ipse nudus purusque spiritus accipi potest.

Stella.

* fortè cùm

Tria quçdã attendenda.

Tria quædã omni homini inesse.

potest. Quando nanque sensualitas in intellectum, & intellectus in spiritum sese recipit atque conscendit: quod nigrum erat, flauum efficitur: & quod flauum, album. Sicq; pura quædam fit simplicitas, in quam solam lux ista illucet, in eademq; in veritate suscipitur, (vbi iam omnes formæ, imagines, similitudinesq; abscedunt deciduntq;) & hanc solam veraciter natiuitatem demõstrat. Ecce impræsentiarùm naturali sua obscuritate cælum vndique tenetur. Quòd si ipsum totum in purissimum lucidissimumque vertatur Solem, nemo præ splendoris magnitudine alterius imaginem videre poterit. Ita & corusca hac luce in anima radiante, omnes procul formæ & imagines abscedunt: & vbi ipsa lucere debet, ibi lumen naturale occidere & extingui oportet. Ea namque quæ tribus Magis Saluatoris natiuitatem stella indicauit, non stella naturalis fuit instar aliarum, nec quomodo aliæ, cæli firmamento naturaliter inhæsit. Et sensus ipsi de rebus visibilibus imagines capiunt, multoq; in eis res ipsæ nobiliores sunt, quàm sint in seipsis. Et (vt dictum est) sensus per nigrum vitrum designantur. Accedit intellectus, ipsasq; sensuales imagines à sensualitate abstrahens, intellectuales efficit. Ibi iam flauedo succedit. Si porrò intellectus seipsum excedat, seipsum abneget, & in ipsum purum nudumque transeat spiritum, omnia alba efficiuntur. Ibi sola hæc stella refulget, atque ad hunc scopum omnium vita mortalium nudè simpliciterque referenda est. Hæc tria tribus illis muneribus respondent, quæ hic Magi obtulerunt. Enimuerò aurum illi, thus, & myrrham obtulisse leguntur. Sed primùm quisque myrrham capiat, amaram quidem, & per hoc illam pœnitentiæ amaritudinem designantem, quæ ad inueniendum Deum cum primis necessaria est. Dum enim recenter aliquis à mundo conuertitur ad Deum, oblectationes omnes, cunctaq; noxia sunt abdicanda desideria, vitaq; voluptates. Quicquid nanque cum aliqua delectatione possedit, necessariò cedere abijcique oportet. Quod prima fronte difficile valde & amarum est. Verùm ita conuenit, ita digna exigit pœnitentia, vt quanta fuit oblectatio in rebus, tanta nunc ex eisdem amaritudo sentiatur, vbi certè sensu peruigili, magnaque prorsus diligentia opus est. Quò enim delectatio fuit maior, eò & myrrha ipsa erit amarior, imò *amaritudo amarißima*. Sed dicat fortasse aliquis: Quo pacto id fieri potest, vt quàm diu homo superest, absque delectatione sit? Ecce enim fame premitur, & cibum capit: æstuat siti, & bibit: somnolentia grauatur, & dormit: patitur frigus, & sese calefacit. Quæ omnia haud dubiè non amara sunt, sed iucunda grataque naturæ, nec id vlla potest ratione mutari, quamdiu natura id esse perseuerat quod est. Verum id est. Sentitur hîc delectatio, sed curandum, ne introrecipiatur, ne locus illi intus præbeatur: simul cum ipsis actibus transeat, præterfluatque: non hæreat, non quæratur, neque cum proprietate teneatur, neque cum affectu & voluptate quiescatur in ea. Præterfluere debet omnis eiusmodi delectatio, quæ vel in mundo sentitur, vel in creaturis. Natura hic per naturam mortificanda est atque vincenda. Imò & delectatio illa, gaudiumque quod ex mutua cum amicis Dei, bonisque hominibus confabulatione sentitur, & quicquid hoc est, ad quod propensus est homo, superandum est atque vincendum, eliminandumque, donec Herodes ipse, cunctaque illius familia, qui pueri animam quærunt, in ipso verè ac certè mortui sint. Nemo ergo fallat seipsum, sed mentis suæ statum, & vt habeat, vigilanter attendat: non in nimiam soluatur libertatem, non abijciat timorem. Adhuc alia quædam myrrha est, hac

Myrrha. Esaiæ 38. Myrrha alia.

hac priori longè amarior. Ea est, quam Deus ipse largitur, qualiscunque demùm sit illa, puta vel miseria, vel afflictio intus vel foris. Quam si quisque myrrham in ea dilectione, ex eoqúe fundo, vnde Deus ipsam largitur, susciperet: mirum profectò gaudium, iucundaqúe essentia in ipso nasceretur. Quanta pax, quanta inde lætitia sentiretur, quantæ denique id nobilitatis foret, quis explicet? Minima sanè, æquè vt maxima, crux, quam Deus homini accidere permittit, ex ineffabilis dilectionis eius fundo procedit: tantæ, inquam, dilectionis, quantæ vel maximum donum, quod præstare ei posset vel præstitit vnquam, quod tamen reuerà (si non negligenter crucem ipsam suscipiat) minus ei vtilitatis afferret, quàm afflictio immissa. Imò crucem omnem, quæ homini occurrit, & afflictionem vel minimam (qua vel capillus vnus de capite decidit, quod paruifaciunt omnes, sed vniuersi capitis capilli numerati sunt) Deus ab æterno præuidit, præordinauit, intendit, dilexit, eiqúe tali modo voluit euenire. Verbi gratia, quòd digitus aut caput ei dolet, quòd pedes frigore vexantur, quòd fames premit & sitis, quòd verbis contristatur aut factis, vel quicquid ei molestum occurrere possit, cuncta hæc ad festiuam illam, iucundissimamqúe essentiam præparant, sicque omnia à Deo præuisa sunt & præordinata, vt videlicet ea illi occurrerent, acciderentque, & hoc in certo *numero, pondere & mensura*, vt nec minui possint, nec aliter se habere. Planè quòd oculus meus in capite meo situs est, ab æterno præuisum est à Deo. Quòd si excidat ille, & visu vel auditu destituar, æquè hoc cælestis ille Pater ita euenturum ab æterno præuidit: habitoque desuper consilio sempiterno, ita fieri debere permisit in seipso. AEquum ne igitur est, vt internis oculis & auribus apertis, benignissimo Conditori meo gratias agam, quòd æternum consilium suum in me peractum est atque completum? An certè dolebo potius? Absit, absit. Planè quàm gratissimum mihi id esse debebit. Eodem modo charorum extinctio, rerum amissio, honoris ablatio, subtractio solatij, vel quicquid hoc est, quod Deus homini præstare dignatur, cuncta eum præparant, & ad veram pacem obtinendam impendiò illi suffragantur, si saltem modo prædicto ea suscipere nôrit. Iam plerosque inuenire est, qui aliqua molestia grauati, ita mihi dicere consueuerint: Domine pater, malè mecum agitur, diuersisque afflictionibus, multoque mœrore perturbor. Et ego rectè cum eis agi respondeo. Tum illi: Non, aiunt, Domine, sed mea id culpa actum est. Noxiam enim imaginem intrò recepi. Ad quod rursus ego: Siue tua id culpa actum sit, siue non, crede ipsam crucem à Deo tibi impositam: eidemque gratias agens, sustine & abstine, & resigna teipsum. Quotquot ille afflictionum myrrhas homini largitur, ea id ratione facit, vt per eas ad magnam eum perfectionem, & rara quædam sublimiaque perducat. Denique ob afflictionis passionisque fructum, cuncta homini contraria posuit, & voluit esse molesta. Certè eadem facilitate panem ille producere poterat, qua frumentum & triticum. Sed vt in omnibus homo exerceretur, cum labore voluit illum ex frumento panem conficere. Eodem modo & alia quæque in æterna sapientia sua præuidit, præordinauit, disposuit. Nec vnquam pictor aliquis tantopere sua secum cogitatione pertractat, vt quamlibet lineam in imagine ducat, quæ illius longitudo, quæ latitudo esse debeat: quod tamen præuidere necessarium est, si imago artificialem debeat suscipere formam, & rubeus cæruleusque color sufficienter

Sap. 11.

Aduersis cur Deus quosdam exerceat.

Cur panis materia homini creata, non ipse panis.

emine-

eminere: quin in infinitum maiorem Deus ipse conatum studiumque adhibeat, vt hominem diuersis afflictionum molestijs, tanquam lineis quibusdam varijsque coloribus ad eam perducat formam, vt illi supremo modo placeat, si tantùm ipse hoc dono, hacque myrrha rectè vteretur, eique faceret satis. Sed heu videas quosdam, qui non ea myrrha contenti, quam à Deo suscepêre, plures sibi imponere volunt, destruentes capita sua, & varias sibi phantasias parientes. Et licet diu multa pertulerint, dum tamen insipienter agunt, parum inde gratiæ reportant, eò quòd suis proprijs conceptibus, naturæque propriæ voluntati suæ innitantur, siue id in pœnitentiæ labore fit, siue rigore abstinentiæ, siue orationis assiduitate, siue deuotionis studio, aut alijs id genus exercitijs: quibus tanta cum proprietate insistunt, vt Deum interim ipsos præstolari oporteat, donec ea absoluant. Sed heu deficiunt omnes isti. Ita namque statutum est Deo, nihil in homine remunerari, nisi opera sua. In ipsa patria cælesti, in felicissima illa æternitate non propriam hominis voluntatem, sed sua duntaxat opera perenni remuneratione dignatur. Interim tamen quisque se ad illum conuertere, eiusque debet gratiæ cooperari, ne hanc in vacuum fortasse recipiat. Sed quod ipse in te non operatur, id pro magno non habet. Tertiò denique alia adhuc myrrha est, amara nimis, quam æquè Deus ipse largitur, internæ videlicet pressuræ, interioresque tenebræ. Hanc myrrham quotquot obseruare volunt, & se ad ipsam resignare, carnem & sanguinem ipsamque naturam absumunt: mutatque colorem in eis longè amplius hoc opus internum, quàm magna quædam exercitia externa. Venit enim Deus per tentationes horribiles, raris, specialibus ac miris modis, nulli nisi experienti, satis notis atque perspectis. Inde est, quòd quidam tam miris diuersisque agitantur vexationibus, pressuris & myrrhis, vt nemo inde facilè expedire se queat: sed tamen nouit Dominus, qua huiusmodi intentione permittat euenire. Ista verò negligere quàm incomparabile damnum adferat, lingua non explicat, nec aliquis satis deplorare potest, quomodo nec hoc vllus capit intellectus, in quam incomprehensibili amore hanc Deus homini myrrham largiatur. Vnde & oportebat hanc in nostros inflectere vsus, sed velut in somno eam præterimus negligimusque, nec aliquod in ea facimus emolumentum. Dicunt ergo plerique ex prædictis: Ea Domine, multa intus ariditate obscuritateque contabesco. Quibus ego: Feras, aio, dilecte fili, sustineasque patienter, & melius tecum agetur, quàm si in magna multaque sensibili deuotione versareris. Cæterùm myrrha hæc duobus modis attingitur, sensibus videlicet & intellectu. Myrrham exteriorem sensus contingunt, hoc videlicet modo: Volunt eiusmodi homines sapere nimium, suaque sapientia adstruere ab externo quodam casu eam euenire, ipsumque fortunæ & casui ascribunt, persuasum habentes, se eam melius euasuros fuisse, si hoc aut illo modo egissent, nec præsentem incursuros tribulationem, sed omnia ex sententia euentura fuisse. Volunt nimirum plus ipso Deo sapere, eumque instruere regereque: & quia de manu illius myrrham hanc suscipere nesciunt, magna satis afflictione grauantur, & myrrham nimis amaram sentiunt. Alij myrrham interiorem ingenij sui subtilitate contingunt discutiuntque, rebus & imaginibus intellectualibus ab hac sese pressura excutiunt, eximuntque: vnde fit sæpenumerò, vt simplices & illiterati multo citius meliusque

[Margin notes: Quid Deus in homine coronet. — Myrrha tertia. — Ariditate deuotionis aliquando præstante. — Contra fortunatios.]

proficiant, quàm qui huiusmodi rebus intellectualibus occupantur, eò quòd simplices Deum simpliciter sequuntur, nec nouerunt aliud, nisi quòd Deo suo spe bona innituntur. Quos si magno præditos intellectu sequi non pigeret, ita vt Deo soli se perfectè resignarent, multò nobiliùs, majoriqúe cum exultatione ad intima fundi sui pertingerent. Ad omnia namque longè præclarius, excellentius, liberiusqúe suus illis suffragaretur intellectus. Imò si se Deo soli in hac parte relinquerent, quælibet etiam vel minima sanguinis gutta, haud vulgariter huc conferret. Hinc deinde præclara quædam virgula & tener præstantissimi thuris ramusculus exurgit, quod videlicet thus, aliud fuit Magorum munus. Habet sanè thus ipsum odorem gratissimum. Ignis namque thuris granum comprehendens, odorem tantum illius, in ipso captiuum, inquirit & soluit, qui per aëra dispersus, sursumqúe elatus, odorem reddit suauem atque iucundum. Denique hic ignis ardentissimum illum designat amorem Dei, quem oratio vera in se continet, sicut & oratio ipsa per thus exprimitur, dum verum gratissimumqúe sanctæ deuotionis spirat redditqúe odorem. Oratio namque, vt Theologi definiunt, est ascensus mentis in Deum. Porrò quomodo stramina propter frumentum succrescunt, eoqúe excusso, nihil iam vtilitatis habent, nisi fortè aut fimum inde, aut stratum in quo iaceas, efficere velis: ita & vocalis oratio eò tantùm facit, vt homo ad præclaram illam deuotionem excitetur, incipiatqúe in eo odor illius gratissimus erumpere. Quo erumpente, securè vocalis oratio postponenda est. Hîc tamen illi excluduntur, qui vel ex præcepto Ecclesiæ, vel ex certa quadam obligatione, ad vocales sunt orationes adstricti, vel etiam quibus à Confessoribus suis eiusmodi orationes iniunctæ sunt.

Thus.

Oratio quid sit. Vocalis oratio quò tantum faciat.

Aurum.

Tertium postremò Magorum munus, aurum fuit. Hoc qui offerunt, præ omnibus mirabiles, singulares, gaudiosissimiqúe sunt homines, adeò vt de eis nil dici queat. Enimuerò à Deo Patre ab æterno in illius sunt Filio spiritualiter generati. Eunt cum alijs instar cæterorum, nec facilè dinoscuntur ab alijs: imò nec ipsi se nouerunt, dum sese nihil esse arbitrantur. Innominati sunt & incogniti. Sed Deus nouit eos, qui & seipsum offert in eis. Et vt paucis multa perstringam, dici non potest quàm stupendi ac mirabiles sint homines isti, quamqúe mira circa eos agantur. Sed dicat fortasse aliquis: Licet ne rogare nobis, vt eiusmodi homines tam excellentes efficiamur? Minimè. Nulli id permissum est, nisi cui Deus intrinsecus concedit. Ita sanè nulli prorsùs id licet. Iam enim matura mecum deliberatione habita, assero confidenter, neminem vel debere, vel scire, vel posse id orare. Quare hoc? Quia Deus seipsum pro hoc rogare debet, qui etiam conferre id habet. Non hoc alius aliquis potest. Ipse vtrunque est, & petitor & dator, non alius omninò. Est tamen aliud aurum, quod petere vel maximè fas habemus, vt videlicet Deus veram nobis ab omnibus fluxis & caducis creaturis & à nobis ipsis auersionem, veramqúe & integram in ipsum conuersionem, largiatur. Hæc est essentialis conuersio, quæ vt fiat in nobis, omnino petere licet, imò & petendum est. Ad hanc namque stella exoritur, ipsius index natiuitatis. Cæterùm super priores illos cælum planè rumpitur, & eis totum se aperit, & super ipsos singulos vox paterna auditur: *Hic est*, inquiens, *filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Sed & Spiritus sanctus in columbæ specie super ipsos in veritate descendit, conspiciturque: & hinc tertium

Matth 3. & 17.

tium in eis signum completur, hodie à Saluatore peractum, quod est aquæ commutatio in vinum, dum homines isti (si dicere fas est) Deus efficiuntur, id est, planè diuini ac deiformes. Hic iam nihil remanet nisi anima nuda, & purus nudusque Deus. Præstet nobis idem ipse omnipotens Deus, vt ita hanc omnes cum tribus Magis natiuitatem inquiramus, vt eam veraciter inuenire digni simus. Amen. Ioan. 2.

IN EADEM SOLENNITATE.

De æterna natiuitate, & vt ea non in viribus, sed in sola essentia fiat: quique oporteat nos ad nostri ipsorum obliuionem, & saluberrimum nescire pertingere.

SERMO II.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? MATTH. II.

DEINCEPS iam differendum est, vbi ipsa natiuitas fiat, prout ipsum thema exigere videtur: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Planè, vt sæpius dixisse me memini, ita & nunc dico, natiuitatem hanc non magis aut minus, sed eodem per omnia modo fieri in anima, in ipso videlicet animæ fundo & essentia, vt in ipsa fit æternitate: quippe cùm sit vna eademque natiuitas. Cæterùm hîc iam aliquot occurrunt quæstiones, quarum vna talis est. Cùm rebus omnibus Deus insit per essentiam, præsentiam & potentiam, idque naturalius interiusque, quàm insint ipsæ sibi ipsis: vbi verò Deus est, ibi non possit non operari, seipsum cognoscere, & proferre verbum suum sibi consempiternum: quid proprietatis habet anima præ cæteris rebus, vt in ea duntaxat diuina hæc natiuitas peragatur? Huius aduertenda distinctio est. Cunctis vtique rebus, vt dictum est, Deus per essentiam, præsentiam & potentiam inest, sed in anima sola parit Verbum suum. Quare hoc? Quia creaturæ omnes irrationales, vestigium tantùm illius sunt. Anima verò naturaliter ipsius est insignita imagine, quam imaginem per hanc natiuitatem exornari perficique oportet, cuius profectò natiuitatis solus homo capax est, non alia aliqua irrationalis creatura. Quicquid enim perfectionis, quicquid diuinæ vniformitatis, lucis, gratiæ, felicitatisve in animam venire debet, id totum cum hac natiuitate in ipsam veniat oportet, non alio aliquo modo. Tantum expectare hanc intra nos non pigeat natiuitatem: & haud dubiè bonum omne, consolationem omnem, gaudium, essentiam & veritatem omnem reperiemus. Si porrò ipsam negligimus, omne bonum vniuersamque negligimus felicitatem & beatitudinem. Quicquid in hac præstatur nobis, meram puramque adducit essentiam & felicitatem: quicquid verò extra hanc quærimus accipimusve, totum pereat necesse est. Vtere ipso, vt velis & vbi velis, peribit totum. Hæc sola essentiam vitæ æternæ subministrat, reliquum perit. In hac etiam natiuitate fit homo diuini particeps influxus, omniumque charismatum Spiritus sancti: quorum profectò creaturæ, Dei non insignitæ imagine, capaces esse non possunt. Animæ quippe imago ad hanc specialiter pertinet æternam generationem, quæ à Patre fit in ipso animæ fundo, & in intimis illius, ad quæ nulla alia potuit vnquam imago pertingere. Alia quæstio est: Cùm huius natiuitatis opus in essentia animæque fundo peragatur, qui æquè peccatoribus inest vt iustis: videtur planè ita in illis, vt in istis, eadem ipsa fieri natiuitas siue generatio.

Quæstio prima.

Rebus omnibus qui insit Deus.

Quæstio secunda.

ratio. Quæ ergo gratia, quæve hinc mihi potest vtilitas prouenire? Imò & illis, qui æternis iam sunt incendijs addicti, naturæ nobilitas perenniter integra manet. Hîc rursus alia distinctio aduertatur: Huius natiuitatis proprietas est, vt semper cum noua luce in anima fiat: eiusdemque natura est, vt vbi fit, exerat sese & manifestet, nec possit se occulere. In ipsa Deus sese in animã cum luce quadam profundit, quæ adeò in illius fundo essentiaque excrescit, vt erumpens, in vires ipsas exterioremque hominem supereffluat atque promanet: quomodo Paulo Apostolo in itinere cõtigit, cum ipsum Deus lumine suo tangeret, alloquereturque, vbi lucis quædam similitudo foris apparens à socijs illius visa fuit, ipsumque Paulum circumfulsit. Sic sic & lux illa, quæ in beatorum, perfectorum, iustorumque hominum animæ fundo consistit, præ nimia sui exuberantia in ipsum sese corpus effundens, illi claritatem largitur. Sed hanc lucem peccator suscipere non potest, imò ipsa quoque indignissimus est, cùm peccatorum sordibus atque malitia, quæ tenebræ nuncupantur, repletus sit. De quibus Euangelista Ioannes ait: *Et tenebræ eam* (lucem) *non comprehenderunt*. Quare? Quia via, per quam lux ingredi debebat, omni falsitate, densaque tenebrarum caligine occupata, repleta & obstructa est. Sed quomodo Deus & creatura in eodem subsistere non possunt, ita nec lux & tenebræ. Si vis vt animam tuam Deus ingrediatur, omnem inde citiùs expelle caducam creaturam. Ita enim oportet. Nam se in eodem non patiuntur. Denique hanc lucem experitur homo, cùm sese ad Deum conuertit. Tunc enim in ipso radians atque refulgens, quid agere, quidque dimittere debeat, abundè eum instruit, multasque ei saluberrimas suggerit ac subministrat informationes, anteà ei prorsus incognitas, & à suo remotas intellectu. Sed vnde sciri potest, si ipsa lux animæ resplendeat? Inde nimirum. Fit sæpenumerò, vt cor illius intrinsecus tactum, ab amore seculi abstrahatur. Quî id fieri posset, nisi per huius lucis irradiationem, quæ tam tenera, tam delicata, tamque iucunda est, vt repentè in fastidium conuertat quicquid diuinum non est, nec Deum sapit? Excitat hominem ad amorem Dei, multasque ille intùs saluberrimas sentit admonitiones, nesciens interim vnde veniant, vel à quo subministrentur. Sed profectò interioris hominis propensio seu inclinatio, nulla ratione à creatura est, nec ab vlla informatione illius. Quicquid enim creatura vel instruit vel operatur, totum ab extra venit. Fundum autem solum hoc opus contingit, permouetque: & quò se quisque magis expeditum exhibet liberumque, eò etiam plus lucis, veritatis, ac discretionis sentit. Quotquot igitur vnquam à veritate aberrârunt, ea de causa in errores collapsi sunt, quòd ab hac sese luce fundoque interiori auertentes, extrinsecus plus æquo veritatem inuestigare moliti sint: de quibus Augustinus ita ait: Multi lucem ipsam & veritatem inquisiêrunt, sed foris tantùm, vbi non erat: qui ad extremum adeò à seipsis procul recesserunt, vt nunquam ad interiora sua reuersi fuerint: nec tamen quam inuestigabant, veritatem reperire potuerunt. Hæc enim intus est in fundo, non extrinsecus. Quisquis igitur lucem veram, totiusque discretionem veritatis inuenire desiderat, sustineat parumper, & hanc intra se in ipso fundo suo natiuitatem obseruet: per quam non tantùm vires omnes, sed ipse quoque exterior homo copiosè illustratur. Mox enim, vt fundum ipsum Deus veritate contingit, lux quædam in vires sese diffundit, copiosiùs perfectiusque de omnibus instruens hominem, quàm à quibuslibet alijs posset edoceri. Vnde & Propheta regius

Actor. 9.
Ioan. 1.
Errorum omnium origo.
Augustinus.

gius ait: *Super omnes docentes me intellexi.* Cæterùm cùm lux ista radios suos in peccatores effundere nequeat, prorsus impossibile est, vt hęc in eis natiuitas peragatur. Non enim patiuntur se in eodem natiuitas ista & tenebræ peccatorum, licet non in viribus, sed in ipso fundo animæquè essentia fiat. Sed moueri quæstio potest, quid necesse sit ipsam in viribus non fieri. Distinctionem huius quæstionis attende. Quælibet creatura propter aliquem finem agit, qui vt in actione postremus, ita in intentione primus est. Deus itaque in cunctis operibus suis beatum prorsus finem respicit, hoc est, seipsum: ideoque omnia illa ea intentione molitur, vt animam cum vniuersis viribus suis ad eum finem, hoc est, ad seipsum perducat. Ideò Deus Pater suum in anima Filium parit, vt omnes animæ vires ad hunc ipsum pertingant. Attēdit ipse ad ea duntaxat quæ in anima sunt, cunctaque illa ad has nuptias & hanc inuitat solennitatem. Sed heu anima per vires foris diffusa est, atque dispersa quęlibet vis ad opus suum. Vt verbi gratia, Visiua vis in oculos, audiendi vis in aures, gustandi in linguam, &c. & ita ad agendum seu operandum intus, ipsa anima viresque illius infirmiores sunt, Virtus enim dispersa, imperfecta est & imbecillis. Vnde si efficaciter intus velit operari, recolligere debet ac reuocare omnes vires sensusque suos, ab omni dispersione diuisioneque ad operationem internam. Vt enim Augustinus ait: Magis ibi anima est vbi amat, quàm vbi animat. Quod & ex subiecto manifestius exemplo patebit: Gentilis quidam Philosophus Arithmeticæ perdiscendæ omnes animæ vires intenderat. Quadam igitur vice ante prandium huic arti impensius vacans, sedebat numerans, seseque exercendo simul ipsam artem inuestigabat. Fortè superuenit quidam, qui nesciens quòd is Philosophus esset, gladiū euaginans, sic ipsum alloquebatur: Dic mihi quî voceris, aut certè occidā te. Verùm ille adeò se totum intrò receperat, vt hostem illum neq; visu neq; auditu perciperet: nec tantùm se extrouertere posset, vt quo nomine appellaretur, illi indicaret. Quumq; multum ille diuque vociferaretur, nec aliquod obtineret responsum, caput illi amputauit. Quòd si Philosophus iste pro naturali sciētia assequenda, ita ab omnibus sese abstraxit: quanto magis nos id ipsum facere debemus, cunctasq; vires nostras colligere, ad contemplandū cognoscendumq; æternam & immensam veritatē? Planè ad hoc vires sensusq; omnes, intellectus quoque & ratio colligenda sunt, & in ipsum fundum conuertenda dirigendaq;, vbi thesaurus iste iacet absconditus. Quod si fieri debeat, omnis abdicanda est actio operatioq; & ad nescire quoddam seu ignorantiam pertingēdum, si thesaurum hunc inuenire velimus. Sed statim hîc quæstio occurrit, præstaretne vires singulas opus suum propriū seruare, nec aliam ab alia in sua actione prępediri? Et hîc distinctio quædam notanda est. Beati omnes quandam in Deo imaginem contuentur, & in hac cognoscunt omnia. Imò & Deus ipse seipsum cōtemplando, in se cognoscit vniuersa: nec necesse habet ab vno se conuertere ad aliud, quomodo nos oportet. Quod si similiter in hac quoque vita esset, vt proposito nobis omni tempore speculo quodam, in ipso sub ictu vno cuncta in imagine vna videremus simul & agnosceremus, nullum actio vel cognitio nostra pateretur impedimentum. Verùm cùm ab vno nos ad aliud conuerti oporteat, non potest esse opus aliquod in vna virium nostrarum sine alius impedimento. Ita enim naturali quodam amore viribus anima colligata est, vt quocunq; profluant illæ, profluat & ista. Nam & in cunctis illarū actionibus animam adesse oportet, simul-

Psal. 118.

Quæstio.

Finis causa fieri omnia.

Virtus dispersa quantillum possit.

Anima vbi potissimum sit.

Paradigma.

Quæstio.

ſimulque cum eis intendere illis: alioqui ſine ipſa nil poſſent operari. Si ergo cogitationibus ſuis ad externa opera defluat, neceſſariò intus in internis actibus ſuis infirmior debiliorque conſiſtet. Atqui ad hanc natiuitatem peragendam Deus animam minimè occupatam, ſed vacuam, expeditam ac liberam, & vult & debet reperire, in qua nihil ſit præter ipſum, quæque nihil expectet, niſi

Lucæ 14.

ipſum. Quod & Christus ipſe aſſerere voluit, quum ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, &c. non poteſt*

Math 10.

meus eſſe diſcipulus, & me non eſt dignus. Et iterum: *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius.* Quicquid enim domeſticum eſt homini, & cordi per affectionem inhæret, id inimicum ipſius eſſe certiſſimum eſt. Quòd ſi oculi cuiuſquam videre omnia, aures audire omnia, & cor velit vniuerſa cogitando percurrere, fieri non poteſt, quin in his omnibus anima diſpergatur, diſtrahaturque. Vnde rectiſſimè quidam ſic ait: Homo opus internum peragere volens, cunctas vires ſuas velut in angulum quendam animæ ſuæ intrahere, atque à cunctis formis & imaginibus ſeſe abſcondere debet, & ita poterit operari. Hic porrò in quandam rerum omnium obliuionem, ſaluberrimumque neſcire, pertingere habet. Valde enim neceſſarium eſt, vt *quietum ſilentium* teneant *omnia*, vbi ſempiternum Dei Verbum audiri debet: nec vlla re magis ipſum promereri, aut gratiùs illi ſeruiri poteſt, quàm quiete & ſilentio. In his auditur, & lux illius intelligitur: atque in hac ignorantia, vbi nihil ſcitur, ipſum ſe manifeſtat exeritque. Sed hîc fortaſſe dicat

Quæſtio.

aliquis: Quæſo Domine, cùm ignorantia defectum quendam exprimat, qua ratione omnem in ea ſalutem noſtram conſtituis? Sanè Deus hominem ad hoc creare dignatus eſt, vt ſciat. Vnde & Propheta ait: *Domine, fac eos ſcire.* Vbi verò ignorantia dominatur, ibi profectò defectus eſt & inanitas quædam & homo beſtialis, ſimia & fatuus eſt. Sed huic facilè reſpondetur: Verum quidem eſt, defectum eſſe ignorantiam, ſi in ea perſiſtatur. Cæterùm hîc ad ineffabilem quandam ſcientiam peruenitur. Atque hæc ignorantia homini non ex ignorantia veniet, ſed potiùs ex ſcientia ad ignorantiam deducetur, dum per diuinam ſcientiam ad hanc veniet ignorantiam. Vbi tunc ipſa hæc ignorantia inſcitiaque ſupernaturali ſcientia prorſus decoratur, nobilitaturque: atque dum ſic Dei ſuſtinet operationem internam, atque erga Deum paſſiuè ſe gerit, longè perfectior eſt, quàm ſi ipſe operaretur. Vnde & Philoſophus quidam ait, plus

Audiendo plus quam videndo diſci.

audiendo quàm vidẽdo hauriri ſapientiæ. De gentili quoque Philoſopho quodam legitur, quòd cùm morti vicinus lecto decumberet, diſcipulique ipſius coram eo de ſublimi quadam ſcientia verba facerent, caput erigens, ita locutus ſit: Eia, diſcam adhuc artem hanc, quò ea perenniter frui valeam. Auditus magis intrò adducit. Viſus effundit, imò ipſe videndi actus in ſeipſo. Vnde in vita felicitatis æternæ beatiores multo in auditu erimus, quàm in viſu. Ille enim audiendi actus, quo Verbum æternum percipitur, intus eſt in homine: videndi verò actus, ab homine procedit. Et per auditũ paſſiui, per viſum actiui ſumus. Cæterùm beatitudo noſtra haudquaquam præcipuè in noſtra actione conſiſtit, ſed in amoris magnitudine, & quòd Deum ex amore patiamur. Porrò quanto Deus omnes in immenſum creaturas nobilitate præcellit, tanto & opus illius noſtra actione potius eſt nobiliuſque. Proinde ex ineffabili ſtupendoque prorſus amore, in

re, in patiendo nostram ille salutem voluit consistere. Plus enim pati quàm agere, multoqúe amplius accipere quàm dare possumus: & quodlibet donum, ad aliud suscipiendum præparat. Quodlibet, inquam, donum Dei, ad maiora, potiora, pluraque capienda ipsum desiderium accendit, hominisqúe capacitatem extendit atque dilatat. Hinc Theologi quidam asseuerant, in hoc animam Deo conformem esse, quòd sicut hic in immensum dare potest, ita & anima in immensum suscipere: & sicut ipse omnipotens in agendo, sic anima abyssus quædam est in patiendo. Ideoqúe & cum Deo & in Deum transformatur. Cæterùm Dei est agere, animæ verò pati. Debet illa Dei cognitione cognoscere, Dei dilectione amare. Et reuera multo anima felicior est ex eo quod illius est, quàm de suo: sicut & beatitudo animæ potius in illius, quàm sua actione cõsistit. Denique sacer ille Dionysius vice quadam interrogatus à discipulis suis, cur Timotheus omnes longo post se interuallo in via perfectionis relinqueret, Timotheum hominem Dei patientem esse respondit, & qui Deum pati sciret, eaqúe de causa cunctos supergredi ac superare. Ea igitur, de qua prædiximus, ignorantia, non defectus est, sed perfectio: & passio hæc, suprema potissimaqúe actio est. Quamobrem ea, qua dictum est, ratione omnia impedimenta sua quisque missa facere debebit, cunctæque vires illius in silentio erunt, si prædictam intra se natiuitatem veraciter experiri atque sentire, regemque natum ritè inuenire voluerit. Quicquid aliud quęrenti se obtulerit, abdicandum prorsus & clausis oculis prętereundum est. Præstet nobis omnipotens Deus, vt quicquid recenter nato puerulo displicet, studiosissimè relinquamus, abijciamus, emendemus. Amen.

Pati facilius esse, quàm agere.

S. Dionysius.

Ignorantia laudabilis.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt homo & à seipso, & à creaturis omnibus surgere debeat, quo fundum illius Deus paratum inueniat, suumqúe in ipso queat opus peragere.

SERMO III.

Surge, illuminare Hierusalem. ESAIÆ LX.

NIHIL est in hoc mundo, quo Deus egeat, cuiusve desiderio teneatur: vno duntaxat excepto, quod tantopere desiderat, vt omnem in hoc expendat operam, quo id possit obtinere. Hoc verò est, vt nobilissimum fundum, cunctis hominum spiritibus insitum, paratum semper, nudumque reperiat, quò suum in ipso possit opus perficere & operari. Sanè quamuis plena auctoritate cælo terræque præsideat, nec quisquam illius possit resistere voluntati, in eo tamen defectum velut sustinere videtur, quòd festiuum prorsus gaudiosissimumque opus suum in anima sibi peragere non datur. Sed quęstio hîc incidere potest: Quid ergo faciendum sit homini, vt in hoc amabilissimo fundo Deus valeat lucere & operari? Planè, vt ipsum sermonis thema hortatur, surgendum est illi. Ita enim illud habet: *Surge, illuminare Hierusalem*: quo quidem haud obscurè innuitur, ipsum quoque hominem nonnihil cooperari debere. Nam & ab omni eo quòd Deus non est, à seipso & à creaturis omnibus, surgere debebit. Ex hac porrò consurrectione fundus iste subito ac vehementi tangitur desiderio: & quò ab omni dissimilitudine, id est, omnibus illis quæ Deus non est, homo amplius denudatur, expeditur, exuitur, eò & desiderium crescit vehementius, & supra seipsum homo altius erigitur ac subleuatur, atque non rarò ex ipsius nudi fundi contactu, desiderium

Quid maximè desideret Deus.

Vbi defectum pati videatur Deus.

Quæstio.

hoc carnem & ſanguinem,& ipſas quoque penetrat oſſium medullas. Huic verò tactui ſiue motui fundi interioris, duplex hominum genus duplici æquè modo occurrit. Primi generis homines, ingenij ſui ſubtilitate, formis & imaginibus intellectualibus, altiſqúe & ſublimibus rebus accedunt: dumqúe rara quædam & ſublimia audire geſtiunt & intelligere, hoc ipſo fundum hunc impediunt, hocqúe in ſe deſiderium extinguunt, dum in huiuſmodi ſublimium rerum cognitione quieſcunt, & multa pace gaudent: ſeqúe, dum circa intellectuales imagines occupantur, Hieruſalem eſſe veraqúe pace frui, perſuaſum habent. Quidam etiam per proprios conceptus, & aſſumpta quædam inſtituta ſua, ſiue in orando, ſiue in meditando, quæ vel ipſi excogitare, vel fortè in alijs notare potuerunt, fundum ſuum inſtruere ac præparare, & in illis pacem habere conantur. Eaqúe obtenta, iam ſibi veri Hieroſolymitæ eſſe videntur, tantaque pace in illis ſuis inſtitutis atque conceptibus perfruuntur, vt in nullo prorſus alio, niſi in ipſis, ſentiant pacem. Quòd autem pax iſta vera non ſit, ſed falſa prorſus ac deceptoria, vel indè liquidò conſtare poteſt, quòd in ſuis vitijs ac defectibus ſponte perſeuerant: vt verbi gratia, vel in ſuperbia, vel in corporis aut carnis voluptate, vel ſenſuum & creaturarum oblectatione, vel ſuſpicionibus malis, iudicijſque temerarijs, vel in animi pronitate ad motus & paſſiones, conuicia aut odium quoque, ſi leui iniuria afficiantur: vel in alijs id genus vitijs atque defectibus. Ex quo manifeſtè datur intelligi, quòd ipſimet hunc velint præparare fundum, & in ipſo operari, diuinam interim operationem præpedientes. Vnde pax ipſorum falſa penitus eſt, & ipſi necdum in veritate ſurrexerunt. Temerè itaque aut Hieruſalem ſibi nomen vſurpant, aut ſe vera gaudere pace præſumunt. Vt tamen ad hæc quandoque valeant pertingere, contra vitia ſua indefeſſo ſtudio & labore certare, Chriſti ſectari veſtigia, & in illius actibus & exemplis humilibus & charitatis operibus ſeſe exercere, in omnibus abnegare ſeipſos, & priuatis renuntiare commodis, atque hoc modo reſurgere diſcant, imò & fixo propoſito decernant. Alterius porrò generis nobiles ſunt homines, qui veraciter ſurgunt, atque idcirco à Deo illuminantur, quem etiam fundum ſuum præparare ſinunt, eique ex toto ſe reſignant offeruntque. Seipſos verò & omnia ſua in omnibus exeuntes, nihil ſibi in re qualibet reſeruant: neq; in verbis, neq; in inſtitutis, neque in agendo, neque in dimittendo, neque in proſperis, neque in aduerſis, non hoc aut alio modo. Sed Deum quærunt, & intentione proſequuntur, de manibus illius cum humili caſtoque timore accipiunt omnia, eademque in ipſum in nuda quadam paupertate, ſpontaneaque ſuijpſorum reſignatione referunt & refundunt, diuino illius beneplacito humiliter ſe ſubſternunt, ita vt quicquid ipſe velit in quibuslibet etiam rebus, gratũ ſit illis placitumque, tam in pace quàm perturbatione, in aduerſis æquè vt proſperis. Sola nanque bona ac beneplacens voluntas illius, ſapit eis quàm optimè. De his rectiſſimè dici poteſt, quòd Dominus diſcipulis, ipſum, quò ad diem feſtum aſcenderet, exhortantibus, reſpondit, dicens: *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Vos aſcendite ad diem feſtum hunc.* Iſtorum etenim tempus nunquam non paratum eſt. Quod eſt autem hoc tempus? Vt ſuſtineant patienter aduerſa, ſeſeque reſignent. Hoc tempus ſemper adeſt. Dei verò tempus, quo operari ille & illuminare ſiue debeat, ſiue velit, non ſemper præſto eſt. Vnde hoc in reſignata quadam præſtolanteque longanimitate illius arbitrio

Duplex hominũ genus.

I.

Fictitia qui gaudent in pace.

II.

Ioan. 7.

Tempus noſtrum qui ſemper adſit.

bitrio relinquunt. Hi ergo à prioribus illis in hoc differunt, quòd non ipsi fundum suum præparant, sed Deum hoc facere sinunt. Et licet primos motus vitiorum, à quibus nemo immunis est, sentiant, dum tamen eis ipsa vitia proponuntur ingerunturqúe, siue superbia, siue carnis voluptas, siue rerum temporalium oblectatio, siue ira, siue odium, siue aliud quodcunque peccatum, quo grauiter molesteqúe impugnantur, statim post primorum motuum impetum ad Deum humiliter accedentes, illiusqúe se resignantes beneplacito, molestiam omnem patienter ferunt, & ad patiendum sese resignant, offeruntque. Proinde & veraciter surgunt, cùm seipsos & omnia transcendant: & veri Hierosolymitæ efficiuntur, habentqúe pacem in perturbatione, & prosperitatem in aduersitate, eoqúe gratissima Dei voluntas in omnibus eis quàm optimè placet. Ideoque pacem ipsorum nec totus eis mundus eripere valet. Imò si & dæmones omnes, & vniuersum mortalium genus aduersum illos conspirâssent, pacem ipsorum nulla possent ratione violare. Solus enim Deus sapit eis, nec est aliquid in creaturis, præter ipsum, quod eorum palatum afficiat: vnde & verissimè illuminantur. Semper enim & in omnibus Deus lucet in eis purè efficaciterque: idque in densissima caligine multo verius, quàm in ipsa luce corusca. Dicam ergo, & constanter dicam, quia teneri, delicati & amabiles, imò & supernaturales ac diuini propemodum sunt homines isti, quippe qui in cunctis operibus suis nihil agunt absque Deo. Sanè si dicere fas est, quodammodo nihil sunt, sed Deus in eis existit. Prorsus ergo amabiles sunt, & ipsorum humeris totus incumbit orbis terrarum, sanctæque Ecclesiæ præclarissimæ columnæ sunt. Denique ad hunc gradum pertigisse, immensa felicitas est, & gaudium incomparabile. Cæterùm & in hoc prædicta duo hominum genera differunt, quòd vires priorum illorum, qui per seipsos fundum suum præparare moliuntur, nec sese resignantes, Deum id facere sinunt, adeò vitijs manent irretitæ, vt ea ad plenum superare nequeant, quin eis vel cum delectatione immorentur, vel aliquid suum cum propriæ voluntatis suæ oblectatione retineant. Alij verò, resignati videlicet, præclarissimique homines illi, qui Deo fundi sui præparationem relinquunt, cùm supra seipsos sublati sint, mox vt vitiorum impugnationem sentiunt, simul cum eis in Deum fugiunt: ibidemque in diuinam quandam libertatem assumpti, ab omni citius defectu eximuntur. Verùm hic talis potest quæstio oriri, debeantne homines isti, dum Deus fundum ipsorum præparet, extrinsecus aliquid operari: &, Teneanturne necessariò & ipsi Dei cooperatores esse: cùm tamen in ipso sermonis themate, Surgere moneantur, quod, nullo dubitante, opus quoddam est. Ita prorsus est opus aliquod, quod eis facere semper incumbit, nunquam intermittendum ab eis, quamdiu in hoc mortali degunt corpore: hoc est, quòd nullum proficiendi sibi finem statuent, nec vnquam ad tantum perfectionis conscendent apicem, quin adhuc continuè surgere nitantur, mentemque in Deum erigant, fundum interiorem denudent, expediant, euacuent, & sine cessatione cum tribus Magis regem natum inquirant, dicentes: *Vbi est qui natus est?* idq; in humili, castoq; timore, solicitè intus attendendo, quid à Deo exigantur, vt illi faciant satis. Verbi gratia: Si quid pati eos voluerit, vt patiantur: si agere, vt agant: si frui, aut contẽplationis vacare otio, vt vacent. Denique hic fundus ipse testatur in eis, quòd à Deo præparatus atque mundatus sit. Vult planè ipse solus hunc occupare fundum, nec alicui creaturæ ad hunc vlla

Nemini primis peccandi motibus carere.

Hierosolymitæ veri qui.

Quæstio.

Matth. 2.

præbet vnquam ratione accessum. Operatur autem in eo & per media, vt in prioribus illis: & absque medio, vt in his felicissimis hominibus. In quorum omnis medij experte fundo quid operetur, dici non potest, nec per vnum ad alterius notitiam deduci: solus expertus id scire potest, sed tamen alteri dicere non valet. Vbi verò Deus hunc in veritate fundum possidet, paulatim externa opera cum proprietate assumpta decidunt: sed Dei illa interna obseruatio, magnum in illis quotidie accipit incrementum. Cęterùm vbi & multo conatu suo, & in primis ex gratia Dei ad summum (quod contingere possint) perfectionis culmen ascenderint, seipsos ex toto abnegabunt, ac pro nihilo ducent, quomodo Saluator ipse ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*: nec vnquam ita de sua perfectione præsument, aut ita perfecti erunt, quin & in ipso summo perfectionis apice constituti, semper humiliter metuant, semper ex animo velint & dicant, *Fiat Domine voluntas tua*: multaque cum vigilantia discutiant & explorent seipsos, vtrumne alicui rei per affectionem inhæreant, vel si quod fortassis in fundo ipsorum Deus offendere queat, quod ei sit impedimento futurum, quo minus præclarissimum, nobilissimumque opus suum possit in ipso sine medio perficere. Præstet nobis diuina clementia, vt sic omnes surgamus, quòd Deus in nobis operari valeat. Amen.

Lucæ 17.

Matth. 6. & 26.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE.

Vt nos oporteat relinquere omnia, & voluntatem cognitionemque exire & abnegare, vtque intellectus ab omnibus liber & expeditus esse debeat, nec vnquam exire cœperit, quo Deus in nos ingredi possit & operari. De pœnitentia quoque & amore.

SERMO VNICVS.

Cùm factus esset Iesus annorum duodecim. LVCÆ II.

IN huius diei Euangelio legitur, quòd Dominus noster IESVS Christus, duodennis effectus, vnà cum parentibus suis Hierosolymam ascendit: *consummatisque diebus cùm redirent, remansit ipse in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum.* Perdiderant enim eum in multitudine, ideoque necesse habebant redire vnde venerant. Cumque in templum, quod ipsam animæ originem significat, peruenissent: ibi, quem amissum doluerant, læti repererunt. Sic nimirum præclarissimam Filij Dei in anima natiuitatem inuenire volenti, cuncti sunt homines deserendi, atque ad illam originem, illumque fundum, vnde processit, reuertendum. Omnes nanque vires animæ, vt intellectus, memoria, voluntas, ratio, cunctæque operationes illarum, cùm sint multa & multiplicia, ipsum quoque hominem multiplicem efficiunt, distrahuntque. Omnis igitur sensualitas, cunctæ imagines, & quicquid hoc est, in quo nosipsos quærimus, nosipsos intendimus, nosipsos inuenimus, relinquenda penitus sunt & abdicanda: & tunc, non aliàs, natiuitatem hanc reperire licebit. Non inuenitur Dei Filius inter amicos, cognatos & notos: magis autem & perditur apud illos. Sed hîc quærat fortasse aliquis, & dicat: Potestne ergo homo hanc natiuitatem in quibusdam reperire operibus, quæ diuina sunt, sed per sensus intro suscepta, vt sunt

Templum quid.

Vbi Christus inueniatur.

Quæstio.

ſunt meditationes de his quæ Deo tribuuntur, vt verbi gratia, quòd bonus ſit ipſe, quòd ſapiens, quòd miſericors, aut quicquid hoc eſt, quòd intellectus de Deo apprehendere poſſit, quæ tamen omnia prorſus diuina eſſe nemo ambigit? Planè reſpondeo, in his omnibus licet diuinis, hanc minimè poſſe natiuitatem inueniri, eò quòd omnia foris hauſta, per ſenſus intro illata ſint & adducta. Hæc verò natiuitas, ſi propriè atque purè intus relucere debeat, omnia ex Deo ſcaturire ac ebullire oportet, cunctamqúe hominis operationem ceſſare, vireſqúe ſuas non ſuæ, ſed diuinæ actioni ſeruire neceſſe eſt. Atque ſi hoc opus perfectum erit, ſoli Deo agentis vices relinquendæ ſunt, & homini patientis. Cæterùm vbi hic & velle & ſcire ſuum exit, abnegatqúe, ibi ille viciſſim ſponte veraciterqúe cum ſuo ſcire ſubintrat, luciſqúe ſuæ micantes radios in ipſo longè lateqúe diffundit. Sanè vbi hac ratione ſeipſum Deus ſcire debet, illic humanum ſcire nec ſubſiſtere poteſt, nec ei conferre aliquid. Nec eſt quòd ſibi quiſquam perſuadeat, eouſque proficere ſeu excreſcere poſſe intellectum ſuum, vt per hunc Deum cognoſcat. Nam ſi Deus diuino quodam modo intra nos lucere debeat, ad hoc non ſolùm nihil confert lumen noſtrum naturale, ſed ipſum etiam ad merum quoddam nihilum oportet redigi, noſqúe ſimul ex toto exire noſipſos: & ita demùm cum ſua luce mentis noſtræ penetralia Deus ſubire valebit. Quod dum facit, ſimul omnia illa ſecum intro adducit, quæ nos per abnegationem noſtri deſeruimus: imò & centuplo plura, potioraqúe, & præter hæc, etiam nouam quandam formam, omnia in ſe bona continentem. Huius in Euangelio exemplum habemus, vbi Dominus ſupra fontem ſedens, corporaliter cum Samaritana muliere loquebatur. Quæ cùm multa ab eo didiciſſet, relicta hydria ſua, ad ciuitatem properabat, conciuibus ſuis verum Meſſiam veniſſe nuntians. Crediderunt illi verbis mulieris, & ſimul cum ipſa ad videndum Dominum extra vrbem proceſſerunt. Cumqúe illius fuiſſent inſtituti ſermonibus, & quod à fœmina didicerant, ipſi quoque iam coram agnouiſſent, audiſſentqúe, mulieri hoc pacto dicebant. *Non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus: & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.* Ioan. 4. Ita reuera nec omnium ſcientia creaturarum, nec ipſa ſua ſapientia ſcientiaqúe ad hoc aliquem prouehere poteſt, vt Deum diuino modo ſciat atque cognoſcat. Nam ſi hoc pacto Deum ſcire debeat, ipſam ſcientiam ſuam ad meram quandam ignorantiam, & tam ſui quàm creaturarum omnium obliuionem, deduci oportet. Sed dicit fortaſſe aliquis: Quid ergo faciet intellectus, ſi ſic ab omni ſe actione continebit? Itane rectè proceditur, ſi animus in ignotam quandam cognitionem ſubleuetur? Sed id fieri non poteſt. Si enim animus cognoſcit aliquid, quomodo ignorare dicitur & eſſe adhuc vacuus, nudus & expeditus ab omnibus? An potius id rectius eſt, vt in caligine quadam & obſcuritate ex toto perſiſtat? Ita prorſus, hoc extremum eligendum eſt. Nihil enim homini conſultius, nihil vtilius eſt, quàm in obſcuritate quadam & ignorantia ſe conſtituat. Vtiliſſimũ homini quid. Ergo, dicat aliquis, abdicanda ſunt omnia, nec ad ea reuerti licebit? Abdicanda prorſus, nec ad ea redeundum. Quid ſunt igitur hæ tenebræ ſiue caligo? quod illius nomen? quo pacto appellatur? Nomen illius eſt, poſſibilis capacitas. Hic enim ſcire omne penitus deſeritur, vel potius homo ab omni cognitione deſtituitur, ſolaqúe manet poſſibilis capacitas, illius videlicet in quo homo perfici debeat. Ideoqúe inde redire non licet. Si porrò inde quis retra-

hat pedem, retroqúe respicere incipiat, id cùm nullo pacto à Deo veraciter esse possit, necesse est alterius persuasu ac suggestione, vt puta vel carnis sensuumque, vel mundi, vel dæmonis, id agi. Quorum si miser homo infausto consilio deceptus, prioribus neglectis, retro se conuertat, fieri non potest, quin in defectus quosdam labatur: imò eousque se extrouertere poterit, vt casum faciat irreparabilem & æternum. Non igitur retro conuerti licet, sed semper ad anteriora animus extendendus, semper ad vlteriora nitendum, ipsaqúe possibilitas prosequenda, donec id totum animus apprehendat quod capere valet. Non enim quiescit hæc facultas, donec plena essentia compleatur. Nam sicut materia non quiescit, nisi formis omnibus, quas capere possit, impleatur: ita nec intellectus cessat, nisi omnia, quæ capere valet, assequatur. Inde est quòd gentilis quidam Philosophus ait, nihil cæli motu in rerum natura velocius esse, sed hunc tamen mentem ipsam pernicitate superare. Vnde si pro virium suarum facultate semper ageret, ipsamque possibilitatem suam agendo prosequeretur, rebus quoque infimis nulla affectione inhæreret, (hoc enim miserè eum lacerat, varijsque erroribus perturbat) vltra supremi cæli ferretur altitudinem: cunctaque transcendens, nunquam inueniret requiem, donec ad summum, altissimum, potissimumque bonum pertingeret, & ab ipso reficeretur. Anima proinde sedula cogitatione perpendendo, quàm salubrè, quàmque sit vtile hanc prosequi facultatem: nudam se, vacuam, liberam & expeditam seruabit ab omnibus: hancque solam caliginem persequendo, explorando, inuestigando, nunquam ad ea quæ retro sunt, conuertatur: & ita demùm satis illi possibile erit, eum qui est omnia, & in quo sunt omnia, adipisci. Huic enim tanto vicinius appropinquat, propiorque efficitur, quanto seipsam amplius deserit, magisque euacuat ab omnibus, omniumque cognitione siue scientia. De hoc felicissimo deserto per Osee Prophetam Dominus loquens, ait: *Ducam eam* (animam vtique sanctam, sponsam meam) *in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Verbum nanque verum & sempiternum, non nisi in solitudine profertur: ea, inquam, solitudine, vbi homo & à seipso, & ab omni multiplicitate relictus, desertus & exul effectus est. Hoc desertum exilium, seu exulem solitudinem Propheta suspirabat, cùm ait: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Et quasi quæreretur ab eo, vbinam vera requies quærenda simul & inuenienda esset, secutus adiecit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Ibi nanque, puta *in solitudine,* omnium creaturarum solatio destituta, & in abiectione, dum ab omnibus vt vilissimi abijcimur, despicimur, nescimur: ibi, inquam, vera requies & summa pax animi inuenitur. De quo alio loco idem Propheta regius sic ait: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum,* & rerum omnium affluentia. Verùm hic dicet fortasse aliquis: Necesse itaque est, vt homo deserat omnia, sit exul ab omnibus, ipsæ quoque vires foris & intus ab omni prorsus actione quiescant, & suspendantur. Quod si ita est, sic à Deo relinqui, & in hac desolatione persistere, id planè grauissimum est, quomodo & Propheta propria experientia edoctus, dum ab ea cupit miseria absolui, testatur dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Cùm ergo sic Deus alicuius exilium seu desolationem protrahendo, ei neque lucet intus, neque loquitur, nec in ipso operatur, sicut iam dictum est, & ipse nos docuisti, atque hoc modo ipse homo in puro quodam nihilo consistit ac perseuerat:

Mentis celeritas quanta.

Oseæ 2.

Psal. 54

Ibidem

Psal. 83.

Psal. 119.

rat: præstaretne facere aliquid & operari, quo tenebras illas, grauissimumque exilium illud depelleret, euaderetque, vt verbi gratia, vel orare, vel legere, vel concionibus interesse, vel alijs pijs, sanctis, diuinis actibus insistere? Minimè gentium. Sed reuera & diutius & quietius ita persistere, id optimum vtilissimumque est homini in hoc perfectionis gradu constituto. Sine graui nanque dispendio ad quæuis alia inde procedere non potest. Hoc enim esset partim à Deo, partim à seipso velle præparari, quod fieri nequit vllo modo. Certè non potest vnquam homo tantoperè desiderare, aut ita velociter sui præparationem cogitare, quin multò citius Deus omnipotens ad ipsum præparandum præsto sit. Verùm, vt cœpta prosequamur, esto diuisa hæc esse, præparationem videlicet & operationem seu infusionem, vt illam moliatur homo, hanc verò Deo relinquat: (quod tamen impossibile est) eodem momento quo paratum offenderit hominem, non potest Deus non in ipso operari, illique suam infundere gratiam. Non enim eadem ratio est diuini operis, quæ humani: nec sic operatur Deus, vt artifex aliquis externus. Hic enim pro suo libitu & operatur & quiescit ab opere, & in eius prorsus arbitrio positum est, vt velit operari. Sed secus est cum Deo. Quando enim & vbi ille hominem paratum inuenerit, non potest non in ipso operari, illique se infundere: sicut & Sol iste corporeus, dum purus est aër, nec vlla nubium densitate præpeditus, continere se non potest, quin in illum se effundat. Nimirum defectus magnus in Deo foret, si vbi hominem liberum, vacuum, nudum, expeditum cerneret ab omnibus, in ipso grandia quædam non operaretur, & haud vulgaria illi bona infunderet. Physicorum quidem ea sententia est, eodem momento, quo in matris vtero pueruli corpus sua membra sortitum fuerit, vitalem illi spiritum à Deo infundi, animam videlicet corporis formam. Eodemque prorsus momento & præparatio completur, & præstatur infusio. Quando natura eousque peruenit, vt nihil illi supersit amplius faciendum, sine vlla mora Deus gratiam largitur: Ita & spiritu præparato, sine vlla dilatione idem ipse ingreditur. Hinc in Apocalypsis volumine Dominum ita dixisse legimus: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Non est itaque necesse, vt quæsiturus Dominum, vasta terrarum spatia circumeat, aut huc illucque discurrat. Ecce stat ad ostium pulsans, & expectans, si quis fortè aperire sibi dignetur, si quem fortè paratum inueniat. Non est, quòd ad vocandum ipsum abscedat longiùs: vix aperiendi moras sustinet: centuplo magis ille ingredi, quàm homo aduenientem suscipere desiderat. Eodem momento & iste aperit, & ille ingreditur. Sed erit forsitan qui dicat: Quo pacto id credere possim, cùm ipsum ingredi minimè sentiam? Ergo continuò sentire vis ipsum? Vt ipse sentiatur, non est in hominis, sed in illius arbitrio positum, & illius æquè beneplacito relinquendum. Et exhibere se potest quando vult, & rursus abscondere quando placet. Hoc est quod idem ipse Nicodemo ait: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Et audire eum dicit, & nescire tamen. Certè audiendo scientia comparatur. Sed quia audiendo intrà suscipimus, *audis*, dixit, id est, suscipis, & tamen ignoras eum. Sanè Deus & natura vacuum non patiuntur, nec aliquid relinquunt vacuum. Quamliber ergo vacuus sibi & inanis aliquis esse videatur, ipsumque se minimè sentire credat, aliter tamen sese res habet. Si enim vacuum aliquid

sub-

[Margin notes: Quæstio. — Anima quando cuilibet sua infundatur. — Apoc. 3. — Deũ amplius nos quam nos ipsum desiderare. — Ioan. 3.]

sub cælo foret, qualecunque hoc esset, pusillum aut grande, aut cælum illud sibi attraheret, aut certè ad illud cum seipso ad implendum sese demitteret. Multo magis Deus omnipotens, naturæ moderator & rector, nihil sub cælo patitur esse vacuum. Quisquis ergo Deum se non sentire queritur, subsistat hic parumper, nec ab ista vacuitate discedat. Fortè enim hac se hora subtraheret, quòd deinceps nunquam ad interiora sua, felicissimamque natiuitatem illam posset pertingere. Sed hic rursus ab aliquo talis fortasse mihi quæstio proponatur, vt dicat: Sentire planè videris Domine, fieri posse, vt ad id perfectionis pertingam, vt hæc felicissima Verbi Dei in anima mea natiuitas siue generatio peragatur. Quod si ita est, possemne aliquod habere signum, vnde si peracta esset, mihi scire liceret? Ita prorsus, non vnum tantùm, sed & tria verissima atque certissima signa. Duobus tamen omissis, vnum saltem dicere volo. Sæpenumerò quærunt ex me homines, possitne ad tantum perfectionis fastigium aliquis conscendere, vt ipsum neque tempus, neque multitudo, neque materia præpediant. Quibus ergo respondere soleo, id omninò fieri posse. Hac enim natiuitate veraciter in anima peracta, iam nec creaturæ omnes eiusmodi hominem præpedire queunt: quin potius semper & ad Deum, & ad hanc ipsum natiuitatem dirigunt ac manuducunt. Quodne cui videatur incredibile, per ea quæ fieri crebrò videmus, est adstruendum: Euidenter nanque huic simile quiddam in fulmine videmus, quod siue arborem, siue animal, siue hominem feriat, in ipso suo ictu ea ad se conuertit, ita vt si homo tergum illi opposuerit, impetu suo faciem illius ad se rapiat: & si arbor vel mille folijs abundet, omnia ad ipsum fulminis ictum sese directò conuertunt. Ita ergo & hanc semel natiuitatem expertis, & tactis ab ipsa, contingere solet. Ex qualibet nanque re ipsis occurrente, etiam si absurda sit plurimum, celerrimè ad hanc vertuntur natiuitatem: & quicquid ante præstabat impedimentum, iam prodest promouetque non minimè: atque ita semper ad hanc natiuitatẽ animæ facies reducitur, adeò vt quicquid vel auditu contingat, vel visu percipere, vel quælibet etiam occurrant, in his & alijs omnibus non nisi hanc capere & intueri potest natiuitatem, eandem semel expertus: imò (si dicere licet) cuncta illi quodammodò purè vertuntur in Deum, cùm in omnibus nihil intentione, nihil amore prosequatur, nisi purè Deum: quemadmodum & experientia quotidiana discimus, vt qui aliquandiu in Solis sphæram defigit obtutus, quicquid deinde adspexerit, Solis ei speciem aliquandam repræsentet. Cæterùm vbi hinc excidit, aut deficit in isto, vt Deum & in omnibus & in singulis rebus nec diligat, nec quærat, nec intendat, ibi nouerit hanc sibi deesse natiuitatem. Sed quæri potest, vtrum is, qui ad hanc potuit natiuitatem pertingere, non debeat pœnitentiæ actibus insudare: an si id non faciat, nullius negligentiæ reus teneatur. Hic sciendum est, quòd omnis vita pœnitentialis, & quicquid in ea exercetur, vt sunt vigiliæ, ieiunia, fletus, oratio, disciplinæ, cilicia, lecti asperitas, ac id genus alia, præter alias rationes non contemnendas, ob quas per ea sese affligere solent homines, etiam in hoc inuenta sunt ac instituta, vt carnis petulantia citiùs compescatur, ne caro præualeat spiritui, cui sedulò reluctatur, & *aduersus* quem, vt Apostolus ait, necdum penitus subacta, *concupiscit*, sicut & *spiritus aduersus carnem*. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, & perpetua pugna decertant. Caro siquidem hic vegeta est, fortis & audax, in sua videlicet patria, quæ terra est, constituta, mundum habens

Quæstio.

Tria quædam Dei præsentiæ signa.

Miri quiddam de fulmine.

Quæstio.

Pœnitentialia opera cur instituta.

Galat. 5.

habens

habens adiutorem, imò & omnes amicos suos, cibum videlicet, potum, teneritudinem, mollitiem: quæ omnia spiritui impendio aduersantur, vtpote exuli, & procul à sua patria peregrinanti. In illa autem cælesti mansione, tanquam in patrio solo, quotquot degunt, amici spiritus sunt atque cognati: ibi tota illius progenies, tota demoratur cognatio: ibi amicos habet plurimos, si non degenerem agat vitam, si ad eam crebrò suspiret, si denique tendat ad ipsam. Vt igitur in hoc miserabili exilio præsidium & auxilium ipsi feratur, & caro lasciua, fractis nonnihil viribus, ad pugnandum rebellandumque fiat impotentior, ne quandoque aduersus illum plus æquo conualescat, insurgat, præualeat: frænum illi pœnitentiæ injicitur, & quantum humana fert infirmitas, nonnihil deprimitur, non opprimitur, vt spiritus pleno iure illi tanquam mancipio suo possit dominari, & rebellem compescere. Hæc igitur omnia cùm pro edomando corpore suscipiantur, si hoc ipsum centuplo melius capere velimus ac superare, frænum illi amoris injiciamus, quo haud dubiè multo citius frangitur, vincitur, edomatur, multoque grauiori prægrauatur pondere. Vnde nihil tantoperè Deus in nobis desiderat, nihil æquè nobis deesse queritur, vt amorem. Certè quomodo piscator frustra piscem se capere sperat, nisi ille ritè hamum momorderit, quo facto de piscis captione certus est, quocunque ille se vertat: ita & amoris nexibus constrictus, fortissimo quidem colligatus est vinculo, sed onus planè suauissimum portat. Hoc onus quisquis mansuetis suscipit humeris, per ipsum plura consequitur, magisque summæ perfectioni propinquat, quàm omnibus posset exercitijs, rigore ac asperitate, quæ simul omnes possent homines agere atque subire. Suauiter aduersa omnia, & quicquid illi Deus euenire permittit, sustinet: dulciterque & ex animo omnem iniuriam remittit. Denique nihil ita Deo hominem coniungit, nihil ita Deum homini proprium facit, vt dulcis nexus amoris. Hanc dilectionis viam quisquis inuenire potuit, aliud iter non perinde requirit. Hunc hamum quisquis semel perfectè momordit, adeò totus capitur, vt pedes, manus, os, oculi, cor, & quicquid de substantia est hominis, totum diuini iuris efficiatur, totumque Deo proprium fiat. Nullo itaque alio melius caro nostra implacabilis animæ hostis vincitur & edomatur, quàm amore. Vnde in Canticorum volumine scriptum legimus: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Sicut enim mors animam à corpore separat, ita amor mentem, quam semel reperit, à dilectione mundi funditus extinguit, & ab ea cuncta remouet. Quicquid aut Deus, aut diuinum non est, non patitur. Hanc profectò viam quisquis calcat, & in hoc amoris bello captus est, quodlibet ille vel agat, vel non agat opus, perinde est illi: modò Deo gratissimum esse intelligat. Interim tamen opera & exercitia illius, & ipsi & cunctis hominibus vtiliora & fructuosiora, Deoque laudabiliora sunt, quàm vniuersorum hominum exercitia, etiam eorum qui absque mortali culpa vitam agunt, sed minori erga Deum dilectione flagrant. Quiescere illius, plus vtilitatis adducit, quàm alterius operari. Id ergo studium cuiusque sit, ita vitam moresque componere, vt hoc sit dignus hamo capi. Erit illa felicissima captiuitas. Nam quò captiuitas maior & arctior, eò & animus liberior. Præstet nobis benignissimus Conditor noster, Pater, Filius & Spiritus sanctus, vt hoc pacto capi, & demum ab omnibus eximi & expediri mereamur. Amen.

Quid maxime exigat à nobis Deus.

Cant. 8

M DOMI-


DOMINICA I. POST OCTAVAS EPIPHANIAE.

De interna siti, æstuantißimoque desiderio Dei, & vt hominem diuersarum tentationum canes venentur atque fatigent: vt seipsum abnegans, in Deum recurrat, fugiatque.

SERMO I.

Huius diei Euangelium est, in quo Dominus vinum legitur in aquam diuina potentia commutasse. IOAN. II.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. IOAN. VII.



DOMINVS IESVS Christus Saluator noster, qui hodierna die aquam in vinum commutauit, adhuc, sine cessatione vociferatur in cordibus nostris, vt ipsum sitire velimus: paratus sitibundas animas nostras pretiosissimo diuinæ gratiæ dilectionisque suę vino Cyprio non refocillare modò, sed inebriare etiam. Hinc in nouissimo die magno festiuitatis stabat ipse, & clamabat, dicens: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat* aquam scilicet vitæ. Sed quid est, oro, sitis hæc, de qua Dominus loquitur? Nihil aliud sanè, quàm vehemens Dei desiderium. Cùm enim Spiritus sanctus animæ illabitur, quendam ipsa amoris ignem carbonemque ignitum concipit, ex quo amoris incendium in ea generatur, quod ignitas dilectionis scintillas emittit, quæ deinde sitim quandam, intimumque Dei in anima pariunt excitantque desiderium, nesciente sæpius ipso homine in quo talia aguntur, quid sibi sit, quidve patiatur, nisi quod anhelum quoddam suspirium ad Deum, & creaturarum omnium nauseam ac tædium sentit. Hoc desiderium triplex est, & triplici hominum generi, valde tamen dissimiliter inest, incipientibus videlicet, proficientibus, atque perfectis: perfectis, inquam, quantum huius vitæ possibilitas admittit. Dauid Propheta vehementi tactus desiderio, in quodam Psalmo sic ait: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Constat omnibus, dum canes venatici ceruum strenuè persequendo, ipsum per montes & colles syluasque mira pernicitate volantem insectantur, ex illo cursus eius impetu vehementem in ipso sitim, & aquæ desiderium multo amplius, quàm in alijs feris, excitari. Vt ergo canes venatici ceruum, ita grauissimæ quædam tentationes hominem incipientem, recenter à seculo & peccatis conuersum venantur, persequuntur, fatigant. Dum enim sancti Spiritus gratia tactus, à mundo grauioribusque culpis ac sceleribus suis sese auertit, primò hunc septem mortifera peccata, horrendis acerrimisque tentationibus fortiter insectantur, multo fortasse amplius nunc, quàm pridem in seculo degentem. Tunc enim tentationes præuenire solebat, facile peccatis consentiendo. Iam verò, dum ad resistendum sese accingit, quantum illa hominem persequantur, primò sentire incipit. Eiusmodi hominem Sapiens quidam præmunire volens: *Fili,* ait, *accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Cui & hoc consultissimum fuerit, vt quanto fortius à tentationibus impetitur, tanto flagrantiori erga Deum desiderio, siti, feruore totus æstuet. Cæterùm fit sæpenumerò, vt canes ceruum velocitate sui cursus præuenientes, dum illum apprehendere queunt, in ventrem illius dentes infigant. Quumque hac extrema angustia

[Margin notes: Ioan 7. — Desiderium triplex. — Psal. 41. — Eccli 2.]

angustia correptus ceruus, quòd se à canibus excutere non possit, animaduertit, trahit post se quotquot potest canes, donec arbori vicinior efficiatur. Tum verò illos ad arborem fortiter allidens, fractis ceruicibus, enecat omnes: & ita eruitur ab eis. Sic nimirum & deuotus quisque dum tentationum suarum canes vincere, & ab eis excutere se nequit, magna cum festinatione ad arborem sanctæ crucis & passionis Domini nostri IESV Christi accedet, vbi certissimè canum, id est, tentationum suarum eliduntur capita, id est, vincuntur tentationes omnes, prorsusque profligantur, reddita pace & tranquillitate tentato. Porrò vbi ceruus maiorum canum vires eneruauit, excussit cerebrum, iam tum catelli aduolant, qui subtus ipsum conglomerati, morsibus suis frusta de ventre illius auferunt, ipsumque lædunt. Sed quia has ipsas sui læsiones plus æquo parupendit, vulneribus inflictis succedit putrefactio, vitamque ceruo auferunt. Idem & homini nouiter conuerso vsu venire solet. Dum enim maiores canes, peccata videlicet grauiora, viriliter reluctando superauit, catelli succedunt, à quibus minus sibi cauet, hominum videlicet societates, cultior pretiosiorque vestitus, humanæ confabulationes, benignitas & affabilitas hominū: quæ omnia & id genus plura alia, dum minori studio ea deuitat, hinc inde vulnerāt incautum, eiusque animum, cor & interiora omnia trahunt dilaniantq́; ita vt in vita spiritali, sancto feruore, diuinaq́; strenuitate non posit non putrefieri, tepescere, deficereque: sicque sensim Dei sensibilem gratiam, omnemque deuotionem amittit. Et plerunque leuiores hæ tentationes multo maiori ipsum damno afficiunt, quàm illæ grauiores. Tam enim manifestè mala sunt, ad quæ illæ inducere moliuntur, vt ea fugienda esse, dubitari non possit. Ea verò ad quæ leuiores hæ tentationes solicitant animum, leuiora peccata sunt, tamque illi minutula videntur, vt nec reputare ea velit: vnde nec ad resistendum illis accingitur. Sicut enim mala incognita, illis, quæ nota perspectaque sunt, grauius nocent: ita & hæc, de quibus præfati sumus, societas & confabulatio hominum, & oblectatio creaturarum, dum plus æquo paruipenduntur, incurabilius feriunt. Verùm vt ceruus ex qualibet sui venatione magis incalescit, sensimque vehementiori siti afficitur, ita & homo eiusmodi ex qualibet tentatione maiori diuinæ dilectionis ardore, sitique vehementiori debet succendi, ita vt semper magis ac magis ipsum ad Deum confugere quælibet tentatio compellat, vbi nihil nisi meram veritatem, pacem, iustitiam & consolationem inueniet, vt sic ipsa tentatio virtutis ei materia fiat, & profectus incrementum. Ad hæc postquam ceruus ex nimia cursus fatigatione plus satis lassus est, & nimia siti arefactus, solet venator canes à venatione reuocare & remorari paululum, præsertim dum de illius captione certus est, ipsumque intra leporarium habet, atque interim vires recuperandi ceruo tribuit facultatem, vt resumpto spiritu, venationis molestiam melius ferre queat. Eodem etiam modo facit homini Deus. Dum enim tentationum impulsus modum excedere conspicit, earum fluctus mitigat, vel sistit etiam vsque ad tempus: solicitaque benignitate sua in cordis palatum guttulam quandam aquæ, id est, dulcem suauitatis rerum diuinarum ac spiritualium saporem infundit porrigitque, vnde tantum roboris accipit, vt omnia extra Deum, id est, quicquid Deus non est, insipidum sit illi atque amarum: iamque omnia sibi pericula euasisse, tentationesque omnes debellasse videatur: nesciens, vtpote vitæ spiritalis adhuc rudis & inexpertus, id

Cerui industria.

Canes.

Ceruorū negligentia.

Cerui fatigati & hominis tentati collatio.

M 2 solum

solum reparationem quandam confortationemque esse, ad nouam venationem tentationemque. Dum ergo nil minus suspicatur, tentationum canes illius denuò guttur inuadunt, & iam multo quàm antè crudelius ipsum adoriuntur. Attamen ex illa diuinæ dulcedinis instillatione aliquanto, quàm fuerat ante, robustior effectus, eorum impetum leuius sustinet. Quòd autem Deus has illi tentationum molestias rursus euenire permittit, non sine magna fidelitate & dilectione id facit inæstimabili. Per has enim, velit nolit, ad Deum meritò refugere compellitur anhela æstuantissimaque siti, cordeque sitientissimo: ad Deum, inquam, in quo citra ambiguitatem omne gaudium, pax & consolatio veraciter consistit, quo tanto illi potus, qui sitim subsequitur, suauior, iucundior, delectabilior fiat, & hic in tempore, & postmodum in æternitate, vitaque beata, vbi vera ineffabilisque dulcedo, in ipso suo fonte ex corde paterno plena voluptate totoque ore non iam gustabitur, sed ad ebrietatem vsque haurietur, potabiturque. Ex huius verò dulcedinis prægustatione tantum homo consolationis, tantumque roboris accipit, vt nihil sit tam asperum, nihil tam onerosum, quod non facile ei sit amore Conditoris sui hilariter tolerare. Denique vbi ceruus, deuictis vniuersis canibus, pro voto suo ad fluuium, aut fontem aliquem pertingit, toto ore in ipsum immerso plena voluptate bibit quantum libet. Ita prorsus & noster hic homo facit, quando diuino fretus auxilio, ab omni & maiorum & minorum canum se dilaceratione excussit, minoribus videlicet maioribusque peccatis, & plena fiducia cum hac siti ad Deum venit. Tunc enim pleno ore ad ebrietatem vsque largissimè potat: adeoque tunc Deo plenus efficitur, vt præ nimio gaudio & spiritus exultatione, suijpsius obliuionem incurrat: videturque ipsi, quòd dura quælibet & aspera subire possit, imò non libenter solùm, sed & hilariter & aquam transire & ignem, vel etiam mille gladios. Nullo tunc vitæ vel mortis, prosperitatis vel aduersitatis metu afficitur. Vnde hoc, nisi quia diuino est amore inebriatus? Hoc verò gaudium, quod isti intus sentiunt, rectè iubilus vocatur. Hoc gaudio impulsi, quandoque lachrymantur & plorant, quandoque soluuntur in risum, quandoque etiam cantant. Nulli sapientes huius seculi, sola scientia, quæ inflat, tumidi, curiositatis studio dediti, miro licet magnoque præditi intellectu, cùm in seipsis minimè sint experti, capere possunt, quanta & quàm mira Deus agat in Sanctis & electis suis, vasis misericordiæ suæ. Omnes enim illi nec habent aliquid, nec nouerunt, nisi quantum naturæ beneficio sunt consecuti. Vnde mox vt aliquid eiusmodi, rarum & insuetum, in Dei amicis contemplantur, quasi stupentes dicunt: Quid sibi volunt rari isti & insoliti gestus? Nimirum hoc spiritalis ista ebrietas facit, quam curiosi & scioli ignorant. Deinde sic amore ebriati, ineffabili quoque gaudio perfunduntur, ita vt in omnibus lætitia & exultatione superabundent, adeò vt quicquid illis eueniat, prosperum id sit, siue aduersum, semper in vera pace & gaudio perseuerent. Ignitus nanque diuini amoris carbo, in cordibus eorum succensus, instar aquæ bullientis excandescit & feruet in eis, & refrigerium prętat, ipsosque prę gaudio & exultatione æstuare facit. Horum aliqui corde rupto animam fundunt, quòd tam magna & vehementia Dei opera, quæ intra se sentiunt, sufferre nequeant. Imò certissimum est, plures inde mortem obijsse, quòd his stupendis Dei in anima operationibus, supra quàm mortalis eorum patieba-

Iubilus quid.

Animales non capere spiritalia.

Contemplatiuo-

fiebatur imbecillitas, & natura ferre poterat, totos se traderent. Verùm sapientissimus omnium moderator Deus, cernens eiusmodi homines debitæ modo rationis transcendere limites, sesequé plus satis inebriare, facit instar honestissimi alicuius prudentissimiqué patrisfamilias. Hic enim pretiosi vini multum in sua mensa habens, facto prandio, surgit à mensa, vino relicto, sesequé ad quiescendum paulisper reponit. Tum verò accedentes proles ipsius, vinum illud ad ebrietatem vsque auidè sumunt. Surgens autem paterfamilias, comperto quid actum sit, durè satis filios suos virgis cædit: qui iam tantum doloris experiuntur inter verbera, quantum prius delectationis inter pocula fuerant experti. Nec eo contentus paterfamilias, tantum aquæ deinde illis porrigi iubet, donec plenè sui compotes efficiantur, vino, quo maduerant, digesto. Sic, inquam, & Deus facit electis filijs suis. Velut enim obdormisse se simulat, electosqué filios suos dulcissimum vinum suum toto ore plenaqué cum delectatione potare sinit, quantum libet. Cernens autem eos modum excedere, & periculum incursuros, suam eis dulcedinem, consolationem, vinumqué pretiosum subtrahit ad tempus: tantaqué eos amaritudine & animi mœrore intus adspergit, vt crederes nunquam eos lætatos fuisse: tamqué sobrios facit, vt nunquam ebrij fuisse videantur. Sed dicat fortasse aliquis: Et quę ipsorum culpa est: quòd adeò ebrij effecti sunt, quandoquidem vehemens eos tenebat sitis, & pleno eis ore bibere permittebatur? Cæterùm ideò hoc illis permissum fuit à Deo, vt per hanc eos alliceret, & tam à suijpsorum quàm creaturarum omnium amore & misera captiuitate abstraheret, eximeretqué. Iam verò dum nesciunt ea sobriè vti, vult eos ad seipsos reducere, & vino ebrios, sobrios efficere. Hinc porrò adeò temperati efficiuntur, dum videlicet relinquuntur sibijpsis & viribus suis, vt iam facilè agnoscant, quid sint ex seipsis, & quid possint viribus suis. Dudum plura pro Deo sustinere & operari volebant, quàm dici illis potuisset, longequé maiora. Iam verò saltem paruum opus citra magnam difficultatem peragere, & verbum vnum durius prolatum, Dei amore sufferre vix possunt. In hac ergo diuinæ dulcedinis subtractione, quid boni suis sumptibus, proprijsqué viribus possint, funditus veraciterqué cognoscunt. Et quando Deus radios suæ gratiæ donaqué sua retrahit, humiles, resignati, bene de omnibus sentientes, quieti ac modesti efficiuntur, vtpote satis à Domino correcti, & sub illius ferula quàm optimè instituti. Attamen prædicta omnia, tentationum videlicet impetus ac tempestates, diuinæ quoque consolationes, operationesque, in infimis adhuc viribus duntaxat acta fuêre, in quibus haudquaquam Dominus commorari dignatur. Non est in illis præclarior nobiliorque locus eius: angustiores illæ vires sunt, quàm vt tantam possint capere maiestatem, aut hæc suum in eis opus perfectè valeat moliri, peragereqùe. Vult itaque in supremis habitare viribus animæ, memoria videlicet, intellectu & voluntate, & ibi diuino quodammodo ac propriè operari. Illic enim duntaxat eius est locus: ibi propriam imaginem suam atque similitudinem reperit, illicque habitat & operatur. Vnde quisquis eum propriè inuenire appetit, illic eum, non alibi, requirat. Porrò cui id obtingere potest, vt eò pertingat, sub compendio veraciterque inuenit, quod diu multumque per ambages quæsiuit. Ibi tunc spiritus supra vires omnes in vastam quandam solitudinem, (de qua nemo mortalium dignum aliquid fari potest) id est, occultam modi nescij boni caliginem rapitur: adeoque illic in diuinam,

[Margin: rum aliquorum inopinæ mortis cauta.]

[Margin: Comparatio lepida & efficax.]

[Margin: Cur Deus suos consolatione sua aliquando priuet.]

uinam, simplicem, & modi expertem absorbetur ac perducitur vnitatem, vt omnem prorsus (si dicere fas est) distinctionem amittat, non quidem essentialiter, sed obiectiuè, & quod ad sensionem attinet. In vnitate quippe omnis amittitur multiplicitas, & omnem vnitas vnit siue in vnum redigit multiplicitatem. Cæterùm quando eiusmodi homo sibi restituitur, perfectiorem lucidioremque distinctionem habet, quàm aliquis alius aliunde habere possit. Et hoc vnde, nisi ex simplicissima illa vnitate, ad quam raptus fuit? Omnium, inquam, sanctæ fidei articulorum, omnisque veritatis apertissimas rationes, veramque distinctionem habet, vt videlicet Pater, Filius & Spiritus sanctus, non nisi vnus verus sint Deus, &c. Nec aliquis hanc diuinitatis distinctionem melius intelligit, quàm qui ad illam vnitatem pertingunt. Vocatur hæc & est quidem ineloquibilis caligo, & tamen ipsa est vera & essentialis lux diuinitatis: vocatur etiam & est incomprehensibilis vastaque solitudo, in qua nec semita vlla, nec ponticulus vllus, sed nec aliquis modus inuenitur, cùm modos omnes longè transcendat. Quæ vt apertiora fiant, pauca adijcienda sunt. Est itaque caligo hæc lux quædam, ad quam nullus creatus intellectus pertingere, nec ipsam capere ex natura potest. Et ideo desertum appellatur, quia nullus ad ipsum patet accessus. In hac ergo caligine, spiritus supra seipsum, & supra omnem captum cognitionemque suam transfertur & rapitur: atque illic de fonte diuinæ dulcedinis, ex ipsa sua origine, vera videlicet essentialique scaturigine Dei promanante, bibit. Et hic fons iste diuinæ suauitatis, supra modum dulcis, recens & viuidus est: quemadmodum & fontes omnes in sua sunt origine dulciores, puriores, recentioresque: dum verò longius promanant, ex solis ardore calidi aridique redduntur. Sed quàm purissimi fontis vnda hic ex vera Dei scaturigine potanda præstetur, quis explicet? In hunc fontem totum se cum omni esse & posse suo spiritus immergit, velletque pleno inde ore potare: sed quandiu mortali est carne circundatus, frustra ad hoc nititur. Interim tamen in verum diuinitatis fundum immergitur, quemadmodum aqua in terræ superficie natans, paulatim ab ipsa terra absorbetur. Porrò si is, qui ad hæc peruenit, secundùm vires infimas quiescere, somno & otio vacare, nec aliquid cum eis agere vellet, nulla profectò susciperet incrementa virtutum. Sunt enim vires inferiores suo modo exercendæ, seruandæ & occupandæ: alioqui haud dubiè citius inde Spiritus sanctus totus abscederet, & tunc euestigio spiritalis superbia, inordinata libertas, vnaque in proprio ingenio & intellectu complacentia, in anima nasceretur, succederetque. Vnde profundissima cum humilitate, qui eiusmodi est, diuinæ se debet substernere voluntati: quæ tum maiorem ab ipso, quàm vnquam ante, abstractionem exigit: idque modo longè excellentiori, quàm vnquam ante, maioremque puritatem, nuditatem, indepictam libertatem, solitudinem, suique annihilationem: nec non & longè perfectius internum externumque silentium, profundiorem humilitatem, & virtutes denique omnes in viribus infimis. Inde iam homo Conditori suo familiaris & intimus, imò & totus diuinus efficitur. Lubet hic paulisper intueri, in quàm mirabili via præfatos electos suos deduxerit Dominus, vtque suum cum eis quasi ludum exercuerit. Ecce enim primò cùm aliquid de pretioso vino dulcedinis suæ viribus interioribus hausissent, ipsum continere non poterant, sed inordinati atque ebrij efficiebantur. Deinde verò su-

Caliginis diuinæ descriptio.

Fontium natura.

Vires inferiores cur & qui exercendæ.

rò supra seipsos cunctasque vires ipsorum in sese illos rapuit, introque adduxit: & ibi seipsum totum, longè aliâ ratione excellentiorique modo illis præbuit impartijtque, quàm prius: & hîc iam optimè ordinantur. Hoc planè est, quod in Canticorum volumine anima amore ebria contigisse sibi gloriatur, dicens: *Introduxit me Rex in cellaria sua: ordinauit in me charitatem.* Reuera nanque quàm optimè illos hic ordinauit, & per mirabiles ac desertas deductos vias, in profundissimam diuinitatis suæ abyssum, hoc est, in seipsum, introduxit, transtulitque: Ibidemque tale aliquid præstitit eis, quod nemo sensibus externis capiat, eò quòd sensus omnes, & ipsum quoque humanum transcendat intellectum. Reipsa namque vitæ æternæ vera quædam prælibatio fuit. En dilectissimi, qualiter amabilis benignitas Conditoris cum electis suis ludere nouit. Et cur hoc, nisi vt sibi attractos nos omnes, vitam faciat sanctam atque beatam ducere, perennem felicitatem, gaudium & amorem suum expetere, ac votis omnibus ad ea suspirare, atque huc denique nos perducere, huiusque in nobis sitim accendere queat? Hoc nimirum vehementissimè sitit, & inde voce magna clamat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quid obsecro? Sanè non nisi aquam viuam. En tanta maiestas veram in nobis sitim experiri desiderat, imò & vehementer sitit & exoptat. Adeoque si cum desiderio ad ipsum sitire velimus, ita nos magnificè abundeque se potaturum pollicetur, quòd è ventre nostro flumina procedant aquæ viuæ, salientis in vitam æternam. Sanè quemadmodum corpus cibo corporeo refectum, ipsum cibum ad stomachum remittit, in quo virtute caloris ab epate procedentis digeritur, & deinde singulis quibusque membris subministratur, totum corpus enutriens atque confortans: ita & spiritus in supradicta potatione præclarissimam diuinæ maiestatis escam suscipit, quæ deinceps à vero feruentissimoque diuinitatis amore in omnia membra, totamque hominis substantiam & vitam, administratur diuiditurque, vnde cunctæ operationes illius & rectius ordinantur, vt melius ordinari non possint: & omnibus proficiunt ad exemplum. Ex illa porrò interioris hominis compositione ordinationeque, & ipse interior homo bene componitur & ordinatur, floret ac vegetatur, fortis, robustus & magnus efficitur, sufficiensque ad omnia quæ Deus ab illo exigit, salitque & ipse *in vitam æternam.* Quam nobis præstet omnipotens & misericors Deus. Amen.

Cant. 1. & 2.

Ioan. 7.

ALTER IN EADEM DOMINICA SERMO.

Vt spiritalis Christi sponsa gerere se debeat, quò Christo cælesti sponso suo placeat quàm optimè, &c. Hunc require supra in vita D. Thauleri sub hoc themate, Ecce sponsus venit, *&c.*

DOMINICA II. POST OCTAVAS EPIPHANIAE.


Vt nos in pretioso Redemptoris sanguine mundare, per quinque virtutes Deo vnire, & ex toto à cunctis animæ languoribus sanari & conualescere debeamus.

SERMO VNICVS.

Huius Dominicæ Euangelium est, vbi Dominus Leprosum curauit. MATTH. VIII.

Erat dies festus Iudæorum. IOAN. V.

LEGI-



EGIMVS in huius Dominicæ Euangelio, vt Dominus Leprosum verbo à graui illius infirmitate curârit. Et quomodo hoc tunc corporaliter factum fuit, ita hoc ipsum quotidie adhuc per pretiosum sanguinem suum in nostris animabus facit. Cui materiæ cùm rectius conueniat Euangelium illud de piscina, cuius aquam secundùm tempus lapsus è cælo Angelus commouere solitus fuit, placuit ipsum hoc loco tractandum suscipere. Itaque Ioannis 5. cap. legis, vt Dominus noster quodam die festo *Iudæorum* ascenderit Hierosolymam. *Est autem*, dicit consequenter Euangelista, *Hierosolymis* * *in Probatica, piscina quæ cognominatur Hebraicè* * *Bethesda quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Deinde post multa, quæ Euangelista subiungit, ita sequitur: *Is qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.* Et rursus post pauca: *Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es:* iam amplius *noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Huc vsque Euangelicus sermo se extendit. Hæc igitur piscina, est ipsa tenerrima nobilissimaqúe Domini Saluatoris persona. Et aqua ab Angelo mota, quæ in hac piscina fuisse legitur, est pretiosissimus eiusdem Redemptoris nostri veri Dei & hominis sanguis, in quo idem ipse nos omnes ab omni vitiorum sorde plenissimè mundauit: nec non vniuersos ad se venire, seseqúe ex integro emendare volentes, quotidie adhuc mundare ex amore paratissimus est. Languidi verò ac diuersis infirmitatibus oppressi, qui circa piscinam plurimi morabantur, aquæ motum præstolantes, vno modo totum humanum genus significant, & quotque ante Saluatoris obitum ex hac luce migrârunt, qui omnes & ante legem & sub lege captiui tenebantur per omnem vitam suam, & defuncti, adhuc limbum subire cogebantur, præstolantes ibi aquæ motum, pretiosissimi videlicet sanguinis Christi in amabili piscina corporis eius existentis effusionem, per quam sanandi, & ab omni captiuitate eximendi erant. Nam & in his nouissimis diebus, in tempore gratiæ, nemo plenè sanari potest à vulneribus & languoribus animæ suæ, nisi per efficacissimam huius piscinæ vndam, id est, pretiosissimum Domini nostri Iesu Christi sanguinem. Hac vnda quotquot languidi non adsperguntur, quotquot in hanc piscinam non mittuntur, citra omnem dubitationem non tantum temporalem, sed & æternam incurrunt corporis simul & animæ mortem. Alio verò modo siue sensu, languidi illi circa piscinam degentes, eos significant, qui post aquæ motum diuersis vitiorum morbis laborantes, varijs modis extrinsecus à Deo vocantur & commouentur, siue per inferni metum, siue grauem aliquam afflictionem atque tristitiam, siue alios prosperos vel aduersos casus, siue etiam per verbum Dei ex ore Prædicatoris susceptum, atque horum consideratione compuncti, & ad Deum sese conuertunt, & ad hanc veniunt aquam: in qua tametsi sanitatem

* Probatica piscina
* Bethseda,
* Bethsaida.

Piscina.
Aqua piscinæ.
Languidi

consequantur, quia tamen tepidè, cæcè, & frigidè id faciunt, & quantum in ipsis est, adeò à vera perfectione & veritate remoti manent, adeoque impuri ab hac luce decedunt, vt in Purgatorium detrusi, grauissimas illic pœnas, flammasque gehennales subire cogantur, sintque ibi dæmonum ludus, donec ab omni labe penitus purgati, digni fiant qui Sanctorum cœtui aggregentur. Deinde in Euangelio piscinam illam *quinque porticus* habuisse sequitur, & *in* eis multitudinem magnam *languentium* iacuisse, *motum aquæ expectantium. Et qui* primus *descendisset in piscinam post motionem aquæ, à* qualibet etiam *infirmitate* sanum fieri solitum fuisse. Per languidos, vt prætactum est, intelligi possunt superbi, iracundi, osores, auari, luxuriosi, & id genus alij peccatores, vitiosique homines, qui (si non dedignentur spontè ad ipsam veram piscinam accedere) in pretioso Redemptoris sanguine deuotè & corde contrito se lauando, à lethalibus huiusmodi morbis sanari possunt. Per *quinque* verò *porticus* illas, in vno quidem sensu quinque eiusdem Redemptoris vulnera accipi queunt, è quibus liquor salutaris emanans, animas nostras abluit, ac sanitati restituit. Attamen in alio sensu per easdem porticus, quinque specialium virtutum exercitia intelliguntur. Et licet virtutes omnes impendio cunctis necessariæ sint atque perutiles, dum tamen vnus alio infirmior est, & ad vnum propensior vitium quàm ad aliud, necesse proinde habet diligentius se in vna, quàm in alia, virtute exercere. Prima porticus siue virtus vel exercitium, est profunda subditaque humilitas, ita vt de seipso nihil homo sentiat, atque patienti animo in qualibet afflictione constitutus, non sub Deo tantùm, sed & sub creaturis omnibus sese deprimat, & omnia ac singula vndecunque occurrentia, à nullo alio præterquam à solo Deo suscipiat humiliter, eidemque cum humili castoque timore & vera despectione suiipsius in omnibus, aduersis & prosperis, penuria & abundantia, sine vlla contradictione resignet atque relinquat. Secunda porticus siue virtus, est diligens veri fundi, perpetuaque obseruatio & inhabitatio. Hæc in primis necessaria foret multis probæ ac honestæ vitæ hominibus, qui in bona simplicitate sua satis incautè extra fundum suum sese extrouertunt, & foris in quibusdam pijs ac licitis modis & operibus occupantur, vt, verbi gratia, vel in docendo, vel in loquendo, vel in operando: sicque sensualiter & delectabiliter, nescienter tamen, foràs euagantur. Quibus tunc plerunque euenit, quod Augustinus ait, vt ita in creaturas excurrant, vt nunquam intrò reuertantur. Verùm oportebat quenque in sua extrouersione & opere diligentem fundi sui curam habere, eumque vigilanter obseruare & seriò inspicere, quoties extra illum operis aliquid patrare vellet: sicque in cunctis actibus suis foris & intus, veram inuiolatamque pacem seruaret: quam plerunque ideò in suis extrouersionibus operibusque externis aut omninò non habet, aut minùs habet, quia irrationabiliter, ex motu videlicet sensualitatis, aut rerum foris occurrentium, non ex instinctu & admonitione sancti Spiritus, foràs processit, seseque extrouertit. Tertia porticus siue virtus, est vera essentialisque contritio de peccatis, quæ nihil aliud est, quàm vera auersio ab omnibus, quæ aut purè veraciterque Deus non sunt, aut quorum ille vera causa non est: & perfecta ac integra hominis conuersio ad Deum, cum omnibus quæ idem ipse homo & est & habet, (quod est nucleus atque medulla veræ contritionis) & cum ingenti plenaque fiducia in purissimum bonum illud, quod Deus ipse est, suiipsius immersio, eo cum affectu ac deside-

Languidi. Porticus quinque. I. II. III.

desiderio, vt in ipso & cum ipso semper optet sitiatqúe manere: eiqúe cum perfecto amore, puraqúe intentione, plena promptaqúe voluntate illius pro viriili beneplacitum exequendi, inhærere. Hæc est essentialis contritio: Quam quisquis habet, huic peccata sua omnia citra controuersiam remittuntur: & quò plus de tali contritione habet, eò maiorem ac puriorem delictorum suorum veniam consequitur. Quarta porticus siue virtus, est voluntaria paupertas. Vbi notandum, duplicem esse paupertatem. Prima est exterior, rerum videlicet temporalium. Altera interior, vbi est essentia veræ paupertatis. Priorem illam externam paupertatem, quum ad eam non sint omnes vocati, nec omnes habere tenentur. Ad posteriorem verò essentialem paupertatem omnes vocati sumus, quotquot Dei amici esse volumus. Hæc in eo consistit, vt solus Deus fundum nostrum possideat, nec ab aliqua re extra ipsum possideamur: vtqúe sic omnia habeamus possideamusqúe, vti Deus id exigit à nobis, in vera scilicet nostri spiritus paupertate, sicut Apostolus ait: *Nihil habentes, & omnia possidentes*. Quod est, vt nihil in hac vita tam charum habeamus, nec amicos, nec honorem, nec corpus, nec animam, nec delectationem, nec commoda, quin, si Deus id exigeret à nobis, cuncta hæc pro amore illius, & ad laudem & gloriam diuinæ ac paternæ voluntatis eius, libenter relinqueremus iuxta omnem modum, quo ipse nos ea relinquere vellet. Et licet naturæ infirmitas, vt fieri solet, fortassè remurmuraret, nihil id obesse potest, si tantùm promptam se ad id exhiberet voluntas. Hæc planè vera essentialis paupertas est, cui militant boni omnes, eamqúe exigit ab illis Deus. Isti si animum liberum, in Deum eleuatum, atque nullius rei amore vel delectatione captum, omniaqúe, si Deus exigeret, relinquere paratum habeant, tametsi potentissimum regnum possideant, coram Deo nihilo minus veri essentiales pauperes sunt, nec per hoc à diuinæ gratiæ susceptione præpediuntur, quandiu nulla res caduca, vilis ac transitoria, ipsos contentos reddere potest, nec pacem aut quietem habent in ea, sed continuè potius manus desiderij sui ad largissimas summi boni, quod Deus est, eleemosynas extendunt, quippe qui solus ipsorum fundo & voluntati sufficit. Et licet in inferioribus ac bestialibus viribus & in prosperis delectationem, & displicentiam in aduersis sentiant, perfectio tamen hinc non minuitur, sed in his patientia seruanda est, & animus resignandus, istaqúe in Deum referenda. Quinta porticus, siue virtus est, vt homo continuè in Deum & fundum atque originem illam, vnde profluxit, purè referat atque refundat, quicquid ab eo per gratiæ illius adeptus est largitatem. O si quis ad hanc porticum ritè pertigisset, quantæ id felicitatis foret? Est proh dolor inuenire multos, qui satis bene se habere putant, & omnia sua in tuto consistere, qui tamen dum rara quædam & admiranda Spiritus sancti charismata, per quæ in nouam gratiæ vitam renasci deberent, ex illius munere percipiunt, super ipsa dona totos se cum amore & delectatione effundunt, luduntqúe cum eis, nec e uestigiò in ipsam simul cum illis refluunt originem, vnde ea processerunt: sed illis inhærentes, etiam cum proprietate quadam sibi attrahunt, quasi aliquid iuris habeant in eis. Quod quàm graue illis damnum inferat, dici vix potest. Certè oportebat eos tam seriò ad Deum anhelare, vt ad omnes diuinos effluxus, & quicquid à latere accideret, nec respicerent quidem, aut cum mora aliqua eis intenderent. Sicut enim is qui per cancellos, aut stri-

ctiores

Margin notes: Contritio. (beside "rili beneplacitum"); IV. Paupertas duplex. (beside "rum veniam" / "pertas"); 2.Cor.6. (beside "nobis, in vera"); V. (beside "& animus resignandus")

ctiores rimas aliquid videre cupit, quandiu tota intentione id agit, totisquê viribus in id, quod videre appetit, suos defigit obtutus, nihil à medio, quod vel cancelli præstant vel rimæ, præpeditur: si verò hoc ipsum medium attentè respiciat, quamlibet id exiguum sit ac tenue, ab illius alterius, quod per cancellos aut rimas cernere volebat, adspectu non parum impeditur: Ita reuerà quamlibet tenuiter aliquis in donis Dei quiescat, aut in effluxibus illius, quantumuis puris ac nobilibus, cum voluptate ac delectatione vel modicè immoretur inhæreatquê, Deum interim Opt. Max. quem in ipsis donis purè capere oportebat, eademquê statim in ipsum refundere, simulquê cum ipsis donis in eam, vnde profluxerant, originem immergi refluereque, à se impedit, quo minus intra se possit operari. Porrò, vt superius dictum est, intra porticus illas *iacebat multitudo magna languentium, & qui* primus venisset *in piscinam post aquæ motionem*, sanitatis beneficium reportabat. Et quidnam est, oro, hæc aquæ turbatio siue motio? Nihil aliud sanè, quàm quod Spiritus sanctus è cælo delabens in hominem, omnia illius interiora concutit, magnamque in ipso commotionem excitat, adeò vt interiora illius penitus euertantur ac immutentur, ita vt quæ prius sapiebant, & delectabilia iucundaque erant, iam desipiant, molestaquê & onerosa sint: quæque prius auersabatur & exhorrebat plurimum, eorum nunc ingenti desiderio teneatur, vt sunt verbi gratia, contemptus sui, miseria, solitudo, otium sanctum, interioris vitæ studium, humilitas, abiectio sui, & abstractio ab omnibus creaturis. Hæc & his similia, summa eum voluptate & gaudio afficiunt. Vbi verò præfata sancti Spiritus commotio in ipso peracta est, tum languidus, hoc est exterior homo cum vniuersis externis viribus ac sensibus suis, totum se in piscinam veram Dominum nostrum Iesum Christum demergens, in pretiosissimo sanguine illius perfectè se lauat. Ex fundo igitur huius commotionis, à cunctis animæ languoribus haud dubiè sanatur homo, sicut alibi scriptum est: *Quotquot tangebant eum, salui fiebant.* Verùm fit sæpenumerò, vt Dominus quosdam permittat velut infirmos iacere, qui tamen plenam sunt sanitatem consecuti: sed ipsi hoc ignorantes, cunctis diebus vitæ suæ languidos se putant: nec aliud sibi persuasum habent, quin debiles sint & infirmi. Et hoc benignissimus simul & sapientissimus Conditor, pro ipsorum permittit vtilitate & salute. Satis enim perspectum est illi, eam ipsorum infirmitatem esse, vt si se plenè conualuisse pro comperto haberent, statim ad seipsos cum vana sui complacentia reflecterentur. Ex magna proinde fidelitate & amore, quem semper erga illos habet, quamdiu viuunt, eos in tali ignorantia, timore, pressuris & humilitate stare permittit, cùm tamen ad eum virtutis gradum ipsi conscenderint, vt nec pro toto mundo Deum offendere velint: imò priusquàm scientes in Deum peccarent, potius mortem ipsam fidenter subirent. Quid ergo, ait aliquis, fit eis pro hac suiipsorum humili resignatione in eiusmodi ignorantia? Nil aliud sanè, quàm quòd dum optatissima dies illa aduenit, qua de hac miseria erutos, Dominus eos secum in regnum suum abducere statuit, in ipsa hora, qua ex hac luce sunt migraturi, ab omni hac ignorantia longisque tenebris per seipsum eos absoluit, eripitque: paterneque eos refouet, ac blandè nimis consolatur: sæpiusque ante obitum ipsorum prælibare eos facit & experiri feliciter, quo in ipso perpetuò sunt fruituri. Et sic magna cum securitate animam fundunt. Quotquot autem in vastis illis tenebris ac paupertate interiori fidem illi

Aquæ motio.

Marc. 6.

Ignorantia salutaris quæ.

Quæstio.

seruårunt, hos sine omni medio in ineffabilem sempiternamqúe lucem suam secum abducit, vbi in illius diuinitate sepeliuntur, & ipsi sunt beati illi mortui,
Apoc.14 de quibus in Apocalypsi legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Deinde habes in Euangelio, vt Dominus circa piscinam supradictam hominem quendam inueneric, *triginta & octo annos* habentem *in infirmitate sua*. Vbi primò notandum est, tanto eum illic tempore iacuisse, vt de eo non absurdè dici posset, quod de
Ioan.11. Lazaro Dominus ait, eius videlicet infirmitatem *non ad mortem, sed pro Dei gloria* fuisse, *vt glorificaretur Filius Dei per eam*. Deinde id vel maximè optandum foret, hanc infirmi huius longanimem præstolationem omnes nos imitari velle, qua ille triginta & octo annis seriò diligenterqúe expectauit, donec ab ipso Domino curari mereretur, & audire vt surgeret, tolleretqúe grabatum suum, & in domum suam sospes atque incolumis abscederet. Istud è diametro pugnat aduersus eos, qui mox vt à peccatis conuersi, vitæ rectioris iter arripiunt, si non statim grandia quædam illis à Deo præstentur, oleum & operam se perdidisse credunt, nec iam secum habitare aut domi residere valent, & tanquam iniuriam à Deo sibi factam queruntur. Heu proh dolor tam paucos hodie reperiri, qui hac nobilissima sint præditi virtute, vt sese sponte resignare & abnegare, aduersaqúe benignè perpeti sciant, talesque haberi velint, quales reuerà sunt, suasque infirmitates, captiuitatem, tentationes patienter tolerare studeant, donec ab ipso Domino curari mereantur. Ideoque nec audiunt à Domino, vt surgant, tollantque grabatum suum, & ambulent, sintque sani ab infirmitate sua. Sed ô si quis suam æquanimiter ferret captiuitatem, nec priùs erumperet, quàm ab ipso Domino solueretur, quàm planè iucundissimum nobilissimumque id foret? quanta potestas, quantum illi dominium conferretur? Audiret citra controuersiam à Domino: Surge, nunquam deinceps iacebis: sed ab omni captiuitate absolutus, posthac liber eris, ambulabisque fidenter ac libere portans grabatum tuum: & quæ te olim portauerunt, nunc ipse potenter feres atque portabis. Quem sic Deus ipse absoluit, bene est absolutus, ambulatque delectabiliter, & post breuem hanc expectationem, ad magnam pertingit libertatem: qua omnes illi frustrantur, qui seipsos ante tempus absoluunt, & citiùs quàm oportet erumpunt. Denique quando prædicti homines in hac libertate positi, ex integro se conualuisse sentiunt, & à sua captiuitate absolutos, fit plerumque, vt extra hanc pacem incauti ac improuidi sese ad multiplicitatem, aut res externas, aut pristinas consuetudines, modos & exercitia sua extrouertant: contingitque tunc eis quòd infirmo supradicto, vt Dei ignorantiam incurrant. Iudæi nanque infirmum illum interrogabant, quis esset ille qui eum curasset. Sed hoc ipse nesciebat. Posteà verò reuersus in templum, cùm Dominum illic offendisset, & ex ipsius didicisset alloquio quis esset, abijt & nuntiauit Iudæis & omni populo, quia Iesus eum sanitati restituisset. Ita nimirum & isti amabiles homines facere debent. Mox enim vt Dei ignorantiam intra se senserint, dimissis postpositisque omnibus, ilicò ad templum sese conferent: id est, recollectis cunctis viribus suis, ad templum interius, id est, profundissimum fundum suum sese recipient, quem cùm ritè ingressi fuerint penetrauerintque, Deum ibi veraciter inuenient, inuentumque Iesum agnoscent. Simulque Dominum intus sibi loquentem audient: *Ecce sanus factus es: iam amplius noli peccare*, deinceps cautior esto. Post hæc, cuncta ipsorum opera, vita & esse, Deum veraciter annuntiant.

Contra quosdam teneros & impatientes.

Sanè

Sanè quando aliquis per veram experientiam cum pura cognitione in interiori templo, id est, fundo animæ suæ, modo præfato Deum inuenit, & ex proprio damno vtcunque eruditus atque probatus est, insuper adhuc & à Deo satis admonitus, tunc illius prædicatio mera puraque fit annuntiatio Dei, procedens ex comperta veritate, siue ex experientia, quæ tunc impendiò cunctis prodest mortalibus. Præstet nobis omnipotens Deus, vt in spe & longanimitate continua, obscuraque ignorantia seu obscuritate modi nescia, patienter sancti Spiritus irradiationem consolationemque præstolemur. Amen.


DOMINICA III. POST OCTAVAS EPIPHANIAE.

Quanta & quàm mira nobis Christianis Deus omnipotens & præstiterit, & præstet adhuc, ita vt meritò vel hac de causa vitè ad ipsum conuerti, eiusque sectari vestigia deberemus. Et vt vera falsaque conuersio dinosci queat.

SERMO VNICVS.

Huius Dominicæ Euangelium est, vbi Dominus in nauicula maris tempestatem compescuit. MATTH. VIII.

Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum. OSEÆ XIV.



EX Euangelio, quod hac die in Ecclesia recitatur, Iesum quandam *nauiculam* conscendisse didicimus, suosque eum discipulos fuisse subsecutos. Ita nimirum fideles omnes à peccatis auersi, Christi debent vestigijs inhærere, suumque Redemptorem sequi, sicut ipse per Prophetam suum nos exhortatur, dicens: *Conuertere Israel ad* Oseæ 14. *Dominum Deum tuum.* Sanè, quod notum est omnibus, ex cunctis, quæ sub sole erant, nationibus, vnam sibi Dominus specialiter elegerat, cui non solùm præstabat magnifica, sed etiam maiora se præstiturum promittebat, si se ex toto ad ipsum conuerteret, nec aliarum nationum ritus sacrilegos sectaretur, quæ iuxta sensuum suorum oblectationes ac desideria viuebant in tenebrositate ac cæcitate cordis sui, errantes per varios vitiorum anfractus, prauasque animi intentiones, iuxta seculi vanitatem, & deceptiones ac imposturas inimici: ex quibus etiam per seruos ac Prophetas suos peculiarem hanc gentem suam Dominus eduxit corporaliter: optimis quoque sanctissimisque legibus & præceptis instruxit, mandans eis, vt grato animo vigilanter attenderent, & potentiam iustitiamque suam erga inimicos ipsorum, & econtrà ineloquibilem benignitatem suam erga ipsos, quam in tot tamque multiplicibus & ineffabilibus operibus atque donis copiosè illis exhibuerat, & deinceps adhuc exhibere vellet, quo ad ipsum redamandum, eiusque obediendum præceptis, totos se conuerterent, animumque applicarent. Præcepit etiam eis, vt memores essent diei illius, in qua egressi erant de AEgypto & de domo seruitutis: totoque corde & ex animo se traderent ad meditandum cõtinuè, exequendumque mandata sua, præcepta atque iudicia. Cæterùm populus iste duræ ceruicis, incogitans, negligens & ingratus fuit, nec adiunxit animum, vt quod præceptum sibi erat à Domino per seruos illius, opere adimpleret, sed semper propriæ voluntatis, rebellis, proteruus, asper & improbus fuit. Et hac de causa omnes illos, quos ex AEgypto eduxerat, prostrauit in deserto: sed & deinceps

varijs eos modis afflixit, humiliauit, occidit. Rursumq; alios mittẽs seruos suos Prophetas, auersos, ad se pro sua misericordia reuocabat, dicens: *Si reuerteris Israel, ad me conuertere in toto corde tuo*, nec velis claudicare in duas partes, sed me solum sequere, deserens vias AEgypti, vias tenebrarum, peccatorũ ac damnationis æternæ: & adducam te in terram rectam, faciamque tibi omne bonum. Hæc omnia in veteri Testamento sub lege facta sunt in multis prodigijs ac mirabilibus, & abditis atque occultis sacramentis: & illa israelitica natio generationes omnes, quotquot post Verbi cælestis incarnationem fuêre, & in posterum adhuc futuræ sunt, in quibus & nos annumerati sumus, designauit. Eisdem nanque verbis, doctrinis, institutionibus etiam nos, qui sub gratia sumus, trahere non cessat: & si tantùm attendere non pigeret, innumeras occasiones, adhortationes, instructiones & excitationes nobis vsq; hodie subministrat, vt ad ipsum ex integro conuertamur, multaque mirabilia magnamque potentiam, & spiritualiter & visibiliter in vniuscuiusque nostrum conuersione exerit & exercet erga AEgyptum, id est, seculum nequam, & ipsius regem Pharaonem, putà diabolum, quæ omnibus agnoscere pronum esset, si saltem cum gratitudine ea obseruaremus. Sed heu contingit plerisque ex nobis, quod & populo illi. Corpore quidem conuertimur, sed cor perseuerat in AEgypto. Sanctæ religionis habitum deferimus, & quoddam vitæ religiosæ specimen damus: sed reuerà omnis intentio & amor noster, mundi huius & carnis voluptatibus ac delectationibus militat: licèt interim seriò admodùm diligenterque curemus, vt omnia extrinsecùs in vestitu, in cantu, in silentio, in inclinationibus, & in alijs similibus pijs vtique exercitijs, strictissimè obseruentur: quod dum fit, iam quasi salua sint omnia, contenti sumus, bonamque pacem sentimus, ideoque miseri persuasum habemus bene nos ab AEgypto conuersos esse. Sed longè secus ipsa se res habet: procul adhuc à vera conuersione absumus: omnia hęc, licèt bona, figura tantùm sunt & vmbra, & fici folia, quæ Deo non sufficiunt. Adhuc fructus adsint oportet, alioqui reprobi sumus & maledicto proximi, diuina (vt verendum est) maledictione feriendi, vt nunquam in æternum ex nobis fructum aliquis consequatur, quemadmodum ficui illi accidit, cui Dominus, cùm nullum in ea fructum, *nisi folia* duntaxat, reperisset, maledixit. Inde sæpe vos admonere curo, dilectissimi, vt non sola specie vel vmbra contenti esse velitis. Quamuis enim ea incipientibus & vtilis & oppidò quàm necessaria sit, longè tamen adhuc ab ipsa veritate & veræ sanctitatis essentia distat, ob quam omnia illa exteriora, & ipsa hæc species & vmbra suscipiuntur ac peraguntur. Et nisi peruigilem sui curam quisque habeat, fieri potest, vt in exteriori hac obseruantia & habitu, omnem in corde malitiam & peccata omnia circumferat, hoc est, vt sub habitu religioso mentem gerat diabolicam, & omni vitiorum spurcitie sordidam, non minùs quàm illi qui habitum ipsum non suscepêre. Imò, quod dolendum est non modicè plerique sub habitu religioso in maiora grauioraque scelera labuntur, quàm si adhuc in AEgypto & seculi fluctibus versarentur, quibus haud dubiè præstaret in ipso adhuc seculo degere, nec vnquam ad religionem venisse, cùm ipsorum damnatio multo sit grauior futura, ex ipso, quem indignè gerunt, habitu sanctitatis, ad quam non aspirant, cuique nullos impendunt conatus, nihilo secius interim omnibus religiosi status priuilegijs, bonis & commodis vtentes atque gaudentes. Cæterùm dilectissimi nihil æquè necessarium duco quàm

Cordis conuersio quàm sit necessaria.

Matth. 21.

Sedula cuique sui habenda cura.

quàm vt incipientes quique in suæ conuersionis initio diligentissimè edoceantur ea, quæ eos principio scire oportet: cumque in exterioribus probè fuerint instituti, & ea satis obseruare nouerint, edoceantur deinde, vt in eis ad altiora tendere ac proficere debeant: nec contenti sint exteriores ritus & exercitia obseruasse.(Hæc enim non ipsa perfectio sunt,sed bona quædam præparatio & adminiculum ad ipsam perfectionem consequendam.) Istis si in teneriori ætate, quando adhuc dociles,suasibiles,habiles,feruidi ac strenui sunt,probè imbuantur, fieri potest, vt quidam ex eis suum maturent profectum, & in ætate adhuc tenera ad altiora contendant. Sed heu proh dolor iam sæpè videmus quosdam, qui cum magno feruore spiritu cœperint,adeoque in ipso suæ conuersionis ferbuerint exordio, vt extraneum aliquem nec adspicere vellent, nunc vix ab hominibus auelli posse: quique prius saltem vnum seculare verbum ægrè audierint,nunc vix finem posse facere garriendi, & futilia otiosaque proferendi verba. Serò & manè curiositati vacant, & seculi rumoribus delectantur. Primò in abstractiori quiete, suaque deuotione, & labore ac studio huius ipsius deuotionis conseruandæ versari constituebant: iam verò quanto plus extrinsecus occupantur, tanto maiori pace gaudent. Planè hæc & his similia, certissima signa sunt, eos carne consummatos,& intus obtenebratos esse: aberrasse quoque, & in AEgyptum corde reuersos. Quisque igitur pro Dei amore sibijpsi prospiciat, seipsum obseruet, sui curam gerat peruigilem. Et licet fortassis in minori ætate bene inchoet,non præsumat: non confidat nimium: breuis hora omnia mutare poterit, nisi attendat saluti suæ. Adeò nanque instabiles atque mutabiles sumus, vt nemo id satis credere possit. Quidam in principio tam serij, tamque strenui sunt ad omnem perfectionem consequendam, vt saltem vnum leue verbum audiant, aut alium aliquem tenuem defectum admitti conspiciant, non parum offendantur, aut scandalizentur: quando verò prouectioris ætatis fiunt, ita sine omni conscientiæ redargutione leues & iocosi, imò sæpenumerò malitiosi conuitiosique redduntur in verbis, vt proximos suos non scandalizent tantùm,sed & affligant vehementer, multoque mœrore afficiant: quod tamen pro nihilo ducunt, & ita securi sunt, quasi omnia bene gesta sint. Quidam rursus in primis ad omnem aduersitatem & tentationem perferendam adeò fortes ac serij sunt, vt ipsum dæmonem nihili faciant, & magni quidam Martyres fieri velint.Quidum aliquandiu bonis ac honestis conuixère hominibus, ita peruersi, sui capitis, propriæque voluntatis homines efficiuntur, vt vix eis similes inuenire liceat. Alij similiter in suæ conuersionis exordio cum tanto feruore ad quælibet aspera perferenda, viliaque & abiecta amplectenda adspirant, vt omnis asperitas & vilitas eorum, quibus cum viuunt, quorumque subière institutum & vitæ genus, minus eis sufficiat, cupiantque multo esse maiorem. Sed postquam breue tempus inter eos fecère, non solùm communia non sustinent, verùm etiam quicquid pro vsu suo habere debent, vix ita delicatè, commodè & aptè parari potest, vt à murmuratione abstineant, & in omnibus queruli, impatientes, ac molestissimi sunt. Et quis dicere sufficiat, quanta illis præstanda forent, si omnis eorum murmuratio deberet penitus sopori? Quo contra sunt multi honesti, deuoti, religiosique homines, qui in principio difficilè seipsos exire & abnegare poterant: deinde verò breui spatio tantum in virtutibus ac vitæ sanctimonia profecère, vt vtilissimum prorsus præclarissimumque omni-

Incipientibus quid summè necessarium.

Feruor quorundam, qui subinde frigescat.

Quàm labiles ac instabiles simus.

omnibus alijs de se præbeant exemplum. Alij verò, de quibus præsumebantur grandia, ad nihilum redacti sunt, & tepuerunt. Meritò proinde ob instabilitatem ac mutabilitatem nostram, castè semper timere, multumque nobis metuere debemus, omni vana præsumptione calcata. Nescimus enim quid superuentura pariat dies, quid olim nobis accidere possit. Verùm vt qualemcunque singuli cognitionem habeant, vtrum verè conuersi sint, necne, pauca quædam subijcio, vnde probabiliter scire liceat & agnoscere ipsum fundum veræ conuersionis, & abrenuntiationis omnis mali, quod nobis aduersarius noster diabolus per quascunque peccati delectationes inferre queat.

Cū timore ac tremore sua cuique sa[lus] operanda.

Sanè in ipsa susceptione sacri Baptismatis, & Deo, & sanctæ Ecclesiæ promisimus peccatis omnibus resistere, Deoque per virtutum placitos actus perpetuum impendere famulatum. Sed heu, fallente diabolo, ad vomitum reuersi sumus, peccata vetera nouis cumulauimus, & Spiritus sancti perdidimus gratiam, diuina nobis benignitate concessam. Attamen, quæ clementia est Dei nostri, rursus per ineffabilem misericordiam suam, ad nouam nos conuersionem, vitam scilicet monasticam, reuocauit, promittens veniam peccatorum, ita vt omne damnum adhuc liceat recuperare. Sed & hîc falluntur plurimi, & diabolica suggestione seducuntur, ita vt nec in religione ad veram pertingant conuersionem. Nouit enim versipellis ille, ad omnia vetera peccata, etiam sub habitu conuersionis, astutè nimis à seculo conuersos reducere, & in his eos retinere, auferens hoc modo & inane efficiens, quicquid in sanctæ religionis habitu labor ârunt. Quod vt facilius euadere possimus, iam libet paucis perstringere, ac euidentius aperire, quinam verè conuertantur, & qui non.

Quid in Baptismo vouerimus.

Itaque veraciter conuersus, ritè humiliterque sui agnoscit nihilum: vnde votis omnibus vel maximè appetit, à nemine præ alijs reputari, præferri nemini, nulli præesse, sed potius in omnimoda resignatione subesse alteri, & pro illius iussu ac beneplacito omnia sua opera perficere. Ad hæc contemnit seipsum, & pro fatuo ducit: meram simplicitatem exoptat in omnibus ad vsum ipsius concessis: libenter sanis acquiescit consilijs: omnia in melius interpretatur ac trahit: quicquid vel ex præcepto, vel ex consilio, vel alterius rogatu faciendum ei incumbit, omni cum modestia & gratitudine, Deique timore diligenter exequitur.

Verè conuersus quis.

Quo contrà falsò conuersi, grandes sunt in oculis suis, & in sensu suo: cunctaque opera & actiones suas magni æstimant: nec se decere aut suum esse arbitrantur alteri subesse, aut alterius parêre voluntati: atque cum multa verborum superfluitate de rebus altis & sublimibus libenter verba faciunt, aut si necdum loqui sciunt, discere conantur, facta & exercitia sua iactanter extollunt, miram interim in verbis & moribus suis humilitatem simulatoriè præ se ferentes, ne superbiæ notam incurrant. Si porrò leuem eis contemptum irroges, mirum in modum rixosos fieri videas, acriterque decertare, & quantum possunt, excusare seipsos, tueri, defendere. Præsumptuosi nanque sunt, & iactantiæ dediti: atque in proprio sensu animique duritia obstinati, rebelles, rigidi. Quotquot tales sunt, adhuc sub potestate diaboli tenentur captiui, etiamsi vel Papæ habitum circumferant.

Falsò cōuersi quales.

Præterea, qui ritè conuersi sunt, erga proximos suos benigni & amicabiles sunt, præ fraterna dilectione bene cupiunt ac impensè fauent omnibus: omnia proximorum facta quantum possunt & veritas patitur, magnificè laudant, de ipsorum bonis impendiò gratulantur & exultant: & vbi possunt, auxilio illis & consilio prosunt:

Ritè conuersi.

ſunt: dumqúe aduerſum aliquid patiuntur, magnam illis impendunt compaſſionem. Econtrà malè conuerſi, præ rancore & odio tabeſcunt, alterius vtilitati vel etiam probitati inuident, conuitijs alios crudeliter inſectantur & detrahunt: parati ac procliues ad vlciſcendum ſe, & conuitiandum verbis contumelioſis, ac mente tumida & inflata. Adhæc probè conuerſi, ad omnem iniuriam, tædium ac moleſtiam, quæ Deo permittente illis eueniunt, patientes ſunt, multoqúe tempore tranquillo & pacato corde ea ſufferunt: verba lenia manſuetiſſimè proferunt, & cum benigno ac pacifico corde amant pacis inire fœdera, & amicitiam inſtaurare cum eis, qui ipſos iniuria affecêre. Falſi verò homines præ ira excandeſcunt, alterius felicitati inuident, detrahunt, diſcordiam amant, diſplicentias erga alios habent plurimas, perplexi & inuoluti ſunt in omnibus rebus ſuis, & pleni murmure ac queruli, tam erga ſuperiores quàm inferiores, qui eorum nolunt iudicio ſubſcribere, nec ſenſui inhærere. Inſuper homines recti ac verè iuſti, pij ſemper ac miſericordes ſunt, parati dare quantum poſſunt, & auxilium præſtare pro viribus: terrena omnia, caduca ac temporalia, pro nihilo ducunt, deſpiciuntqúe: amore & gaudio abundant in afflictionibus, in anguſtijs, in inopia, in vilitate: ſatiſqúe copioſè exultant in eis, Deoqúe gratias vberes referunt, quem & continuè in intimis ſuæ mentis contemplantur, quo cuſtode, protectore ac prouiſore gaudent, dicentes cum Pſalmiſta: *Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.* Omnem quoque ſuperfluam circa temporalia occupationem procul abijciunt, quò tanto liberiùs Deo Opt. Max. & rebus cæleſtibus poſſint intendere, vacare, inhærere. At contrà falſi inſtar clibani ſuccenſi, perpetua quadam rerum temporalium concupiſcentia flagrant, ſemper ad terrena inhiant, ſuum commodum, ſuam delectationem & commoditatem, vbi & quibus poſſunt modis, inquirunt. De cunctis operibus ſuis vel mercedem temporalem, vel laudem expetunt: & ſi pro ſuo voto non honorentur ab omnibus, nec in aliquo grandi numero habeantur, videas eos id ferre perquàm grauiter, & ſæpius etiam ad aliorum vſque prorumpere iniuriam. De ipſo quoque religioſo habitu, quem circunferunt indigni, ſemper aliquam ſecularem & tranſitoriam mercedem appetunt: & quò ſpe ſua potiantur, & vel ad honores ac dignitates promoueantur, vel in ipſis permaneant, modis etiam parum æquis interim vti non verentur. Ad hæc, recti probeque conuerſi, diligentiſſimè omne tempus ſuum ſanctis, & vtilibus occupationibus, ad Dei gloriam & proximorum ſalutem & vtilitatem, cum gaudio ſpiritali curant expendere, ſoliciti in bonis ſeſe actibus exercere, cunctaque quàm rectiſſimè peragere. Deo quoque cum bona fiducia inhærent, perſeuerantes in bono. E diuerſo, falſi homines ad omne bonum, ad omne virtutis ſtudium, ad omnem Dei cultum plumbei ſunt & acedioſi: in moribus rigidi & amarulenti, in corde malitioſi, puſillanimes, diffidentes, ſordidi, indomiti, ſomniculoſi. Adhuc rectè conuerſi, ſumma cum modeſtia ac honeſtate, naturæ neceſſaria capiunt, non ſolùm omnem deuitantes ſuperfluitatem, ſed etſi quid vltra neceſſitatem acceperint, ocyus reſignantes: in cibo parci ſunt & ſobrij, quod impendio ſpiritui ſuffragatur, & tota intentione ſeriò ſibi cauent à potu ſuperfluo. Falſi contra ſuæ gulæ ſatisfaciunt, ſuamqúe ſectantur voracitatem in edendo pariter ac bibendo: inſatiabiles & inexplebiles in ſeipſis, & Deo omnipotenti pro eius beneficijs ingrati. Sine modo & menſura, abſque morum [illegible]e, cibo [illegible]

Malè conuerſi.

Probè conuerſi.

Homines falſi.

Homines recti.

Pſal. 39.

Falſorum depictio.

Rectorum deſcriptio.

Falſi.

Recti.

Falſi.

potuqúe ventrem farciunt, vnde sæpius graues sibi contrahunt infirmitates: & vbi possunt, & occasio se præbet, suas voluptates ac oblectationes venantur. Saturati verò & immoderatius epulati quidam ex eis, facto prandio vel cœna, soluuntur in leuitates verborum, in risum, in ioca, in fabulas: libetqúe eis & effutire & percipere rumores seculi. Quidam verò proni ac propensiores tunc fiunt ad iurgia, ad bella, ad rixas, ad iram & odium. Alij deinde somniculosi & torpidi efficiuntur, ita vt vix vnam Dominicam orationem ritè queant absoluere. Hæc & his similia grauia mala, vt plurimum ex forti potu & cibi superfluitate nascuntur. Inde est, quòd Sancti omnes simplicitatem cibi & potus, aliorumqúe similium amplexi fuêre, ne quam occasionem præberent sibijpsis vel posteris suis ad huiusmodi vitia & excessus. Quo contra, quod dolendum est maximè, eò hodie ventum est, vt religiosi quidam non possint, imò potius non velint ijs contenti esse, quæ meritò sufficerent. Vnde multi ex eis ad tantam cæcitatem deducuntur, vt pericula & discrimina, quæ ipsis ex tentationibus vel suggestionibus diabolicis imminent, videre non queant. Nam priusquam id ipsi suspicentur, propensi fiunt ad luxuriæ fœditatem, quæ corda ipsorum noxijs cogitationibus ac immundis desiderijs commaculat; in quibus heu sæpius, vt verendum est, peccant non minimum, Deumqúe multo, quàm credant ipsi, enormius offendunt. Porrò ex prauorum desideriorum commotione, ad omnia bona opera redduntur inepti, & Deo Sanctisqúe omnibus inuisi: atque inde in vastissimas cordis tenebras, magnamqúe cæcitatem præcipitantur, qua fit, vt solatium & oblectationes suas in lubrica & dissoluta hominum societate ciboqúe & potu quærant. Hinc verò inordinata lætitia, & verba futilia leuiaqúe succedunt & oriuntur, quæ sic animum ipsorum ab omni deuotione reddunt alienum, vt vix vnum versum attentè legere possint: quinimò dum ex arida consuetudine ad psallendum vel persoluendum Horas suas accedunt, quicquid prius leuitatum, dissolutionum ac scurrilitatum visu vel auditu percepêre, instar simiarum maligni spiritus ob oculos eorum intus adducunt, & quasi per ludum repræsentant, ita vt sæpius in tussim aut risum sic immoderatè prorumpant, vt seipsos vix cohibere possint. Denique ritè veraciterqúe conuersi ita verecundi ac pudici sunt cordis in Dei omnipotentis & sanctorum Angelorum conspectu præsentiaqúe, vt potius mortem subirent, quàm sponte fœdam aliquam imaginem in suo versarent pectore, omnique custodia seruant corda sua ab omni impuritate, cura & occupatione, & sensus suos omniaque membra sua tanta cum diligentia custodiunt incessanter, vt propriam cutem suam sine magna displicentia vix audeant intueri: vtque inuiolatior in eis puritas perseueret, corpus suum ieiunijs, vigilijs, laboribus, deuotione continua & fiducia in Deum (in quo solo tota ipsorum consolatio sita est) afficiunt, moderantur, compescunt. Falsi verò & nequiter conuersi, non multum curant fœdas & iniquas cogitationes, & imagines versare ac intueri in animo, vnde crebrò fœdas quosdam non animæ tantùm, sed & corporis motus incidunt, vt iam quasi in portis inferi consistant, imò sæpius profundè labuntur in cordis consensum, parati omnem explere concupiscentiam & iniquitatem, si occasio adesset. Ita miseri cadunt præcipites ac improuidi ex inordinata suijpsorum dilectione, quæ eos omnem carnis voluptatem delectationemque expetere atque sectari facit. Ex his ergo admonitus, suæ quisque salutis

Quæ superfluus cibus ac potus mala pariat.

Ritè conuersi.

Nequiter conuersi


lutis curam habeat, ſibi proſpiciat & intendat, mentis ſuæ ſtatum vigilanter exploret: quamque periculoſa ſit vita hominis, dum licet, perpendere non negligat. Nemo poſthac ſecurus ſit nimium aut præſumptuoſus, ſed quiſque cum timore ſuam operetur ſalutem, ſibique proſpiciat. Licet enim impræſentiarum bene ſecum agatur, non inde præſumat neque confidat. Et tamen quantumcunque grauiter ceciderit, quanlibet imprudenter errârit, adhuc reſipiſcat & conuertatur in veritate. Facile ſalus amiſſa recuperatur, quandiu hîc viuere licet, quandiu Dominus parcit delinquenti. Præſtet hæc omnibus nobis clementia Saluatoris. Amen.

DOMINICA IV. POST OCTAVAS EPIPHANIAE.

Vt anima poſita ſit media inter tempus & æternitatem, vtque illi iugum Domini ſuaue & onus leue fiat.

SERMO VNICVS.

Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue MATTH. XI.


ETERNA Veritas Dominus noſter IESVS Chriſtus, in Euangelio ſecundùm Matthæum, cap. xj. inter cætera, quæ ibi locutus eſt, hoc quoque dixit, quod modò recitatum eſt: videlicet, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Cui ſententiæ ac veritati omnes homines ſuæ naturæ ac ſenſualitati dediti contradicentes, aſſerunt iugum Domini amarum, & onus illius graue eſſe. Et tamen quicquid dicant iſti, non poteſt non verum eſſe, quod ipſa Veritas affirmat. Cæterùm (vt de hoc iugo & onere aliquid dicamus) quod difficulter trahi poteſt, iugum dicitur: & quod portantem grauiter premit, id onus appellatur. Itaque per iugum, homo interior: per onus, exterior, vetus ac terrenus accipitur. Interior ille nobilis homo, ex præclariſſimo diuinitatis fundo profluxit, factus ad imaginem nobiliſſimi atque puriſſimi Dei, & ad eundem fundum ſeu originem ſuam reuocatur, inuitatur, pertrahitur, ita vt omnis boni valeat eſſe particeps: quodque Deus habet à natura, id ipſe adipiſci queat ex gratia. Sanè ſi quis intra ſe reperire, agnoſcere & contemplari poſſet Deum, & vt ille ſeipſum in fundo animæ interiori fundârit, abſconderit, occulerit, is haud dubiè felix eſſet & beatus. Et licèt homo interiorem animæ ſuæ viſum ad exteriora diſpergat atque conuertat, errans & euagans in creaturas, ſemper tamen ad Deum in ſuo fundo præſentem intro reuocatur, allicitur, & perpetuam quandam propenſionem habet ad illum, ita vt nuſquam inuenire requiem poſſit, quoquò ſe verterit, nec aliquid illius queat explere deſiderium. Cuncta nanque exteriora, imò & creata omnia, illi ſatiſfacere non poſſunt: ſed ipſa hæc viſibilia etiam neſcientem ad intima fundi ſui, quem Deus inhabitat, pertrahunt atque remittunt. Deus enim finis quidam eſt. Et ſicut omnia in ſuo loco quieſcunt, lapis videlicet in terra, & ignis in ſua ſphæra vltra aërem: Ita & anima deuota, diuinitatis amore ſuccenſa, in Deo ſalutari ſuo, tanquam in loco & vltimo fine ſuo quieſcit. Cui ergo iugum iſtud ſuaue eſt? quem ve ita trahere & portare delectat? Neminem planè, niſi eum qui ab omnibus creaturis auerſum animum ſuum, ad ipſum purum

Iugum.
Onus.

 Dei

Dei fundum intrò conuertit. En anima ipsa velut in medio posita est inter tempus & ęternitatē: Si ergo ad tempus sese conuertit, obliuionē haud dubiè perennitatis incurrit: & tunc æterna longè fiunt à mente illius, ideoqúe modica ei esse videntur, quemadmodum & in corporalibus vsuuenit, vt quæ à remotis adspiciuntur, perexigua appareant: quæ verò è vicino, magna, eò quòd parum inter ista, multum verò inter illa & inspicientem medij sit. Exemplum licet à Sole accipere. Hic quamuis sexagies terra maior sit, si tamen æstiuo tempore, quando altius ascendit, pelui aquam infundas, & paruum speculum imponas, in ipso integram Solis speciem intueris, vix fabæ vnius quātitatem referentem. Si verò minimum aliquod medium inter Solem immensum & speculum perexiguum sese interponat, statim ipsam Solis speciem prohibet à speculo. Ita nimirum si quis qualecunque medium, licèt minutissimum, admittat, quod ipsum veritatis fundum inspicere vetet, hoc (inquam) medium, quantumcunque exiguum, certissimum præstat impedimentum, quò minus immensum & ineffabile bonum illud, quod est ipse Deus, in animæ illius speculo suam queat speciem vel imaginem exhibere: imò quantumcunque præclaræ & excellentes imagines sint, omnes medium præstant inter animam & supersubstantialem imaginem illam, quæ Deus ipse est. Vnde id pro certo habendum est, in quacunque anima Sol iste diuinus refulgere debet, eam prorsus nudam, & à cunctis imaginibus liberam esse oportere. Nam si vel vna saltem imago in hoc speculo appareat, præpeditur anima per medium illius imaginis ab illa vera purissimaqúe imagine, quæ est ipse Deus. Proinde quotquot sunt qui hanc in se nuditatem exhibere non curant, nec internæ puritati student, ita vt abditus iste fundus intus in animæ ipsorum fundo sese detegere, manifestare, & sui quandam imaginem reddere nequeat, hi omnes culinarij sunt serui, & ancillæ coquinariæ, quibus amarum est iugum, quod Dominus *suaue* esse testatur. Et reuerà, qui suum nunquam aut introspexit, aut gustu qualicunque attigit fundum, (vt Origenes ait) manifestum indicium est, quòd nec de æterno vnquam sit reficiendus, nec ipsum gustaturus. Et ipse dicere non vereor, quicunque per diem saltem semel ad suum sese fundum pro viribus non introuertit, vitam eum non agere veri Christiani. Porrò qui fundum suum ab omnibus expediunt, illiqúe vacant, & imagines omnes abijciunt, quo Sol iustitiæ radios suæ lucis in ipsorum intimum fundum diffundere queat, illis iugum Domini supra omnem, quæ cogitari possit, dulcedinem suauissimum est: & econtrà, quicquid Deus non est, valde eis insipidum est & amarum. Imò quotquot istud vnquam gustârunt, aut experti sunt, illis totus hic mundus absynthio & felle amarior est. Vbi enim præclarissimus hic fundus semel gustatus fuerit, adeò trahit hominem, vt & ipsas ossium medullas & venarum sanguinem absumat: Et vbi supradicta imago seipsam veraciter expressit, ibi omnes noxiæ delentur imagines & abscedunt. Quid ergo causæ est, quòd impediunt nos quælibet res creatæ? Hoc nimirum, quòd eis dep[illegible] sumus, & cum quadam proprietate eis inhæremus. Nam si ab omni imagine, proprietate & affectione verè liberi essemus & expediti, tunc etiam amplissimi regni possessio nullum nobis adferre posset impedimentum. Curet ergo quisque sine proprietate & absque imagine esse: & securè tunc habeat, quicquid ad vitæ vsum necessarium sibi est, cum humilitate tamen & timore Domini. Denique in Vitis Patrum de quodam sancto sene legitur, qui adeò ab

Quanto sol maior sit terra.

Matth. 11. Origenes.

Paradigma.

tò ab omnibus fuit creaturarum imaginibus abſolutus, vt nullæ ei imagines poſſent inhærere. Contigit autem vt quidam frater pulſans oſtium cellulæ ipſius, cùm ille aperuiſſet, peteret ab eo ſibi quippiam accommodari. Abijt ille, vt quod poſtulatus fuerat adferret: ſed mox vt à fratre diſceſſit, rei petitę imago adeò tota à mente illius diſceſſerat, vt iam nec fratris, nec petitæ rei vllam memoriam haberet. Pulſauit ergo denuò frater, & ſenex ad oſtium acceſſit. Rurſumqúe eadem petitione pulſatus, abijt vt petenti ſatisfaceret: ſed iterum intro reuerſus, totius petitionis oblitus fuit. Tertiò itaque alio illo pulſante, ſenex iſte egreſſus, rogauit, vt ipſe ingrederetur, & quod petierat auferret. Ego enim, inquit, imaginem huius rei mente retinere non poſſum, adeoque animus meus ab omni imagine nudus eſt. In eiuſmodi puros, & ab omnibus formis & imaginibus abſolutos homines, Sol diuinus radios ſuæ lucis diffundit, & ipſi valde excellenter extra ſeipſos, & creata omnia abſtrahuntur ac rapiuntur, ſuamque voluntatem, imò & ſeipſos totos & omnia diuino beneplacito ac voluntati dedidêre. Hi adeò diuinæ ſunt voluntati obſtricti, tantoque cum gaudio Domini ſui iugum trahunt, vt per hoc rerum omnium obliuiſcantur: quò fit, vt cuncta illis temporalia, parua & modica: æterna verò, perquàm magna & propinqua videantur, eò quòd hæc eis in intimis ipſorum ſemper abſque medio præſentia ſint & propinqua. Hinc trahentem Dominum ſuauiter ſequuntur. Hæc de iugo dicta ſufficiant. Nunc alteram Dominicę ſententiæ partem ſuſcipiamus, quę eſt: *Et onus meum leue.* Per *onus*, vt ſupra dictum eſt, exterior homo accipitur, cui diuerſæ ſolent afflictiones & paſſiones accidere. Qui ergo ſunt, ô Deus dulciſſime, quibus onus tuum ſemper leue eſt? Hodie namque vix aliquis eſt, qui pro te pati velit, cùm tamen & pati & reſignare ſe, adeò neceſſaria ſint homini, vt ſine his parua ſpes profectus ipſius eſſe queat. Vertat ergo ſe quocunque voluerit: hac prorſus, non alia, via incedendum eſt. Et ſi fugere decernit, hoc ei certiſſimè prędico, quia timens deuitansq; pruinam, incidet in niuem. Proinde ſponte hilariterque ferat, commendans ſeipſum Deo in omnibus. Nam & Dominum Ieſum *Chriſtum pati* oportebat, *& ita intrare in gloriam ſuam.* Sed dicit aliquis: Quid ergo eſt quod pati debent ſerui Dei? Plana reſponſio: Ferre debent humiliter omnia iudicia, permiſſioneſque diuinas, quoquomodo illæ eis eueniant, iure vel iniuria, à Deo ipſo, vel ab hominibus: vt verbi gratia, ſiue moriantur amici, ſiue damna rerum incurrant, ſiue honoris iacturam faciant, ſiue interno vel externo Dei vel creaturarum deſtituantur ſolatio. Hæc omnia hiſque ſimilia onera leuiter ferre debent: imò & proprios defectus ſuos, de quibus dolent, nec eos tamen perfectè vincere & extirpare queunt. Eſt enim & hoc onus non minimum, ſub quo ſeipſos humiliter ſubmittere debent, & offerre ſe Deo ad ſufferendum illud pro gratiſſima voluntate ipſius, reſignantes ſe humiliter in beneplacitum diuinum, in tempore & in æternitate. Et quomodo equus proprium fimum, alligatus ipſemet vehiculo, cum ingenti labore exportat in agrum, vbi (licet alioqui fimus ſordida res ſit) ſi diſpergatur tam in agro quàm circa vineas, operatione illius frumentum optimum, pretioſumque vinum generatur, non tam bonum, nec tam pretioſum futurum, ſi fimus abeſſet: ita & iſti proprium fimum ſuum, id eſt, defectus ſuos, quos ad plenum extirpare nequeunt, cum labore & diligentia multa inſtar equi ad puriſſimum agrum diuinæ voluntatis, vera cum ſuiipſorum reſignatione deferant, certi quòd ex hac ipſorum humili reſignatione

Onus.

Lucæ 24.

Quid patiendum Dei ſeruis.

Comparatio venuſta.


tione iucundissimi fructus pullulabunt atque succrescent. Quisquis enim & sub isto onere, & cunctis Dei iudicijs ac permissionibus cum humili se resignatione deprimit, in eiusq; voluntatem cum perseueranti strenuitate & spe humili, tam in inopia, quàm abundantia sese proijcit, cuncta de manu omnipotentis suscipit, eademque in ipsum refundit & offert eidem, in vera abstractione secum intus manendo, seseque in sempiternam Dei voluntatem cum perfecta suijpsius & creaturarum omnium abnegatione demergendo: hæc, inquam, quisquis facit, & in hoc consistit statu, ei reuera *leue est onus* Domini: imò si cuncta mortalium omnium onera, si id possibile foret, ei imponerentur, adeò ipsi forent leuia, vt delectationem & gaudium ei copiosissimum verissimumque præstarent, & quodammodò cælum exhiberent. Deus enim ipse isthæc fert onera, & homo liber & expeditus ab eis, tantùm sub eis incederet. Cùm enim seipsum perfectè exierit, Deus in eum totus subintrat, omnemque illius actionem dimissionemque moderatur ac perficit per eum. Præstet nobis gloriosa Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt digni efficiamur, in quibus ita Deus operetur, vt & *iugum* illius *suaue* nobis sit, & *onus leue*. Amen.

DOMINICA V. POST OCTAVAS EPIPHANIAE.

De signis veræ humilitatis.

SERMO VNICVS.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. MATTH. XI.



HRISTVS IESVS Dominus noster, Magister verus, & omnium Doctor scientiarum atque virtutum, totiusque perfectionis exemplar, cùm ad instruendam ignorantiam nostram de summa cælorum arce descendisset, non magna subtilitate, aut modis quibusdam occultis & subtilibus vti voluit, sed breuibus, eiusdemque simplicissimis verbis formam quandam vitæ rectioris nobis exhibuit, & tam facilem quàm compendiosam nobis tradidit institutionem, nullo negotio, si velimus, discendam à nobis. Hanc porrò institutionem in sacratissimæ humanitatis suæ codice apertis, visibilibus, legibilibusque characteribus scriptam, circunferebat in hæc verba: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quid hac sententia breuius dari posset, aut facilius capi & addisci, si tantùm beneuolo studio crebrius ipsam reuolueremus, & in moribus ac vita nostra curaremus exprimere, considerando virtutum exemplis refertissimam ac locupletissimam deificatam humanitatem Christi, cuius non solùm omnis vita supra omnem æstimationem mitis fuit & humilis, verùm etiam omnia verba, ritus & conuersatio illius, & quicquid vnquam gessit, hanc exactissimè referebant institutionem? Inde est, quòd tales sibi ex omnibus discipulos elegit, qui hanc essent doctrinam idonei suscipere atque sectari. Et hi erant sancti duodecim Apostoli, & alij ipsius Discipuli, maximè verò dignissima Mater illius, quæ
Lucæ 1. concepto eodem ipso Dei Filio, ita de seipsa loquitur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hinc & ipse in hodierno Euangelio: *Confiteor,* ait, *tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,* id est, superbis & tumidis, *& reuelasti ea paruulis,* id est, humilibus. Ex quibus verbis colligitur, solos humiles occul-

occultorum mysteriorum Dei capaces esse. Vt ergo tantam assequi virtutem, & hanc melius lectionem addiscere valeamus, quædam hîc veræ humilitatis, quæ nunquam sine mansuetudine est, signa vel officia notanda sunt & attendenda, & sunt hæc. Primò, quisquis verè humilis effici voluerit, nihil eorum extrinsecus agere verecundabitur, quæ mundanis hominibus ignominiosa videntur. Id enim veræ à peccatis conuersionis & perfectæ contritionis signum est, si paratus sit ex animo minimus omnium fieri in omnibus, quò sic veram possit humilitatem cordis obtinere, quæ duntaxat intus in anima consistit. Et vt in hac felici beatæ humilitatis via magis ac magis proficere queat, suijpsius curam peruigilem fideliter habebit, & seipsum obseruabit diligenter. Dominus quoque magnam illi gratiam, qualem nunquam prius habuit, largietur haud dubiè. Secundò, in omnibus coram cunctis hominibus reum se fatebitur, meliores eos seipso iudicans, & sibi præferens omnes absque fictione. Tali nanque studio facilius proximos quosque emolliet, & corda ipsorum ad veram humilitatem amplius trahet, commouebitque. Et licet interdum ad hoc minimè ex aliquo debito sit adstrictus, pro Dei tamen gloria ex pura dilectione humiliter sese geret, reumque fatebitur & agnoscet, eo quòd Dominus sibi peccatum, præueniente gratia ipsius, necdum perpetratum remiserit. Eiusdem nanque beneficij & gratiæ est, peccata dimittere, & à peccatis præseruare. Tertiò, omnibus eundem dilectionis impendet affectum, non maiorem vni, minorem alij, sed æqualem & indiuisum omnibus, ita diligendo extraneos & inimicos, vt cognatos & amicos: diligendo omnes, tam malos quàm bonos, in Deo vt proximos, non per affectum carnis aut cogitationis, vel amore naturali, sed liberali quadam & integra dilectione, honorando quemlibet pro illius dignitate & conditione. Quartò, denudabit se & expediet ab omnibus, quò soli misericordi Domino Deo suo iugiter inhærere, & vnus cum ipso spiritus fieri queat. Deus enim nec vult, nec potest sociare & vnire se cordi seculari ac impuro. Vnde cum vera resignatione & abnegatione omnis proprietatis, cumque exteriori interiorique suijpsius extenuatione annihilationeque non sub Deo tantùm, sed & creaturis omnibus sese demittet, exinanietque: & hoc est nudare & expedire se ab omnibus rebus creatis. Quintò, ad Dei honorem omnem iniuriam & aduersitatem ex puro diuinitatis amore libens sufferet, sperando simpliciter in Deo, illiusque confidendo misericordiæ ac pietati. Denique ex his omnibus constat, humilitatis profectum in tribus consistere, in patiendo, in resignando se ex amore, & sperando in Deo. Hinc porrò nascitur cognitio miseriæ humanæ & Dei omnipotentis, & voluntas Deo per omnia subiecta, non quidem propter seipsam, sed propter honorem Dei. Præstet nobis omnipotens Deus, vt omnes humilitati studeamus, & humiliare discamus nosipsos. Amen.

Veræ humilitatis officia quinque. I. II. III. IV. V.

IN DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

Vt in vinea Domini laborare debeamus per incboationem, profectum, & perfectionem vitæ sanctæ, ac spiritalis. Et quantum inde fructum consequamur.

SERMO VNICVS.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam. MATTH. XX.

HODIER-


ODIERNA die Euangelium legitur, in quo Dominus similitudinem quandam proposuit de patrefamilias, *qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam. Exijt autem & circa tertiam, sextam, & nonam horam: & similiter,* quos reperit, in vineam suam misit. *Circa vndecimam verò* exiens, cùm inuenisset *alios ibi stantes,* dixit illis: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam.* Hic itaque venerandus paterfamilias, est Dominus noster Iesus Christus. Domus illius, est regnum cælorum: terra, purgatorium & infernus. Hic idem paterfamilias cernens amabilem vineam suam sine cultore otiosam consistere, naturamqúe humanam, quæ ad hanc excolendam ac possidendam condita fuerat, aberrasse, nec huic excolendæ nauare operam, volens ipsum hominem ad hanc denuò, ad quam ipsum condiderat, inuitare ac reuocare, *primo manè exijt.* Hoc autem quòd exisse dicitur, duobus modis accipi potest. Primò nanque hic idem Dominus noster Iesus Christus, summo *manè exijt,* quando per æternam generationem de corde paterno processit, & tamen mansit in illo. *Exijt* autem & *primo manè* in assumpto homine, quo nos in præclarissimam vineam suam conduceret, renocaretqúe. Porrò sicut in Euangelio habes, *exijt primo manè, exijt & circa tertiam, sextam, & nonam horam. Exijt autem & circa vndecimam horam, &* inueniens *alios stantes* duriùs eis dixit: *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui responderunt, *quia nemo se conduxisset.* Hi otiosi homines, quos nemo conduxerat, illos significant, qui in sua adhuc naturali puritate & innocentia persistunt, qui non immeritò felices atque beati dicuntur, & hos Dominus necdum à mundo & creaturis conspicit esse conductos. Sunt præter hos & alij, qui olim quidem conducti fuerant, sed modò libertati suæ sunt restituti, nec conducti ab aliquo. Attamen hi omnes, quod magnoperè illis cauendum erat, adhuc stant otiosi, id est, tepidi ac frigidi, sine amore & gratia viuunt. Sed qui in gratia Dei non est, licet naturalem suam habeat innocentiam, cùm in sola natura persistat, etiam si cuncta bona opera, quæ vnquam facta fuêre, (quod tamen fieri non potest) solus peragat, adhuc tamen totus otiosus ac sterilis est. Potest & matutinus hic exitus alio sensu, diuinæ gratiæ in anima ortus, accipi. Matutinum nanque tempus, noctis est terminus atque tenebrarum, quibus decedentibus, gratię dies in animę medio exoritur. Dixit autem Dominus *illis* quos otiosos reperit: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam.* Itaque ad hanc vineam alij atque alij, aliter atque aliter accedunt. Quidam nanque, vt sunt incipientes, cum laboribus externis & sensuum exercitijs ad ipsam veniunt, suis institutis ac propositis inhærentes: quibus abundè sufficit, si magna quædam pœnitentiæ opera faciant, si multum ieiunent, prolixisqúe vigilijs ac orationibus insistant, nullam interim sui fundi & cordis curam habentes, nec internæ studentes puritati, sed seipsos in sensuum oblectationibus, & humana gratia ac odio quærentes, retinentesque. Vnde deinde multa in eis temeraria iudicia, pluraque non leuia peccata, vt sunt, superbia, amarulentia, impetus ac vehementia passionum, propria voluntas, ad rixas & bella propensio, & his similia exoriuntur, non mediocriter à diuinæ gratiæ infusione eos præpedientia. Cæterùm cùm hæc omnia ex falso fundo pullulent, eum cum primis diligentissimè obseruabunt, secum agentes, vt eum penitus extirpare atque subuertere possint, ne quod ex ipso damnum sustineant vel ipsi, vel etiam proximi. Alij ad ipsam accedunt, vt sunt proficientes, qui iam sensua-

Paterfamilias.

Exitus duplex.

Otiosi.

Exitus matutinus.

sensualia oblectamenta contempserunt, & maiora quæque vitia, Deo opitulante, vicerunt, atque hi ad altiorem conscendêre gradum. Versantur autem circa exercitia intellectus, in quibus tantam delectationem tantumque gaudium sentiunt, vt minus soliciti sint vlterius proficere, nec ad supremam pertingant veritatem. Præsenti nanque delectationi inhærentes, ad Deum super omnia dulcissimum, omnem transeundo ac penetrando delectationem, non adspirant neque anhelant. In solo autem Deo delectari eos oportebat, non in donis illius. Alij rursus, vt sunt perfecti homines excellentes atque nobiles, ad hanc vineam omnia transcendendo ordinatè nobiliterque veniunt, nihil omnino vel amore vel intentione prosequentes, nisi solum Deum purè in seipso. Isti nec delectationem, nec effluxus omnes, qui ex Deo procedere queant, nec aliquid aliud attendunt, sed intimè simpliciterque sese in Deum immergentes, illius duntaxat laudem & honorem sitiunt & intendunt, id solum optantes, vt acceptissima voluntas ipsius, & in se, & per se, & in creaturis omnibus perficiatur. Ob hanc patiuntur & dimittunt omnia: cuncta de manu Domini suscipiunt: quicquid ex illius munere ab ipso percepêre, in ipsum omni tempore purè referunt, offerunt, refundunt: nec quicquam sibi inde vsurpare præsumunt vel ascribere. Et quemadmodum flumina ex mari exeunt, & ad ipsum tanquam ad suam originem reuertuntur: ita & hi præclarissimi homines, omnia diuina charismata & dona ad illam referunt ac refundunt originem, vnde profluxerunt, simulque cum eis refluunt in Deum. Dum itaque sic omnia ipsis desuper collata munera in diuinam referunt originem, & neque delectatione, neque commodo, neque hoc vel illo detinentur aut retardantur, nec aliquid omnino præter solum Deum intentione prosequuntur: fieri non potest, quin & ipse Deus solus ipsorum intus sustentaculum sit & fulcimen. Porrò licet hæc intentio ipsos adeò extra sese transferat, ac purè simpliciterque tendat in Deum, natura tamen occultè ad seipsam reflectitur, quod ex toto abrumpere & extirpare nequeunt, sed velint nolint, sustinere coguntur: & hoc est quòd Deum semper libenter haberent, & naturaliter beati esse appetunt. Quod profectò tenuiter admodum eis inesse oportebat, & minima ex parte quæri & intendi ab ipsis. Debet enim deuotus quisque vineæ cultorem sectari, tota die in vinea laborantem. Hic vt in labore perseuerare possit, cibum quandoque sumere habet: & licet prolixus sit labor, refectio tamen vix vnius horæ spatium absumit. Comedit autem, vt dixi, propter laborem, vt in ipso valeat persistere. Cibus verò quem sumit, carnem & sanguinem, ossa ossiumque medullas penetrat, atque per omnia diuisus membra, rursus in labore consumitur: quo consumpto, vinitor iterum ad sumendum cibum accedit, & hunc similiter in vineæ cultura consumere volens. Ita planè & perfectus quisque dum aliquam intra se ad seipsum reflexionem senserit & affectum, vel ad ipsum Deum, vel dona ipsius, aut aliquid eiusmodi habendum, valde sobriè ac tenuiter sese, vel quippiam suum in eis intendet & quæret, pro sola videlicet sui sustentatione id expetendo & vsurpando, non ad inhærendum, sed vt illud rursus in Dei obsequio & labore spiritali absumat: cumque id supremo modo cum gratiarum actione & amoris refluxu in Deum, sicuti ab ipso suscepit, consumptum fuerit, rursum tunc ei in diuinis effluxibus refocillari paululum licebit, quò deinde vires receptas iterum in Dei obsequio & alijs pietatis actibus vtiliter consumat. Sanè quotquot hoc pacto omnia Dei dona, tam corporalia

Eccles. 1.

Vinitoris & deuoti alicuius collatio.

quàm spiritalia, cum profunda ac humili suijpsorum in omnibus abnegatione, eidem rursus offerunt, hi soli tam ipso quàm donis ac charismatibus illius digniores atque capaciores efficiuntur. Prorsus vbicunque sint, digni sunt gemmas pretiosissimas, argentum quoque & aurum, & quicquid pretiosius mundus habet, si id natura pateretur, sumere in cibum. Verùm plerique eiusmodi Dei homines, magna foris paupertate premuntur, nec quicquam ex supradictis possident. Hi cum ingenti humilitate in omnipotétem Dei virtutem sese iactabunt, Psal.36. plenissimè illi confidendo, *& ipse* (vt Psalmista ait) *faciet*: ipse citra omne dubium debebit ipsorum habere curam, etiamsi in petra forent absconditi. Hi præclarissimi homines virtutibus locupletes, sed pauperes rebus, ligno vitis haud absurdè comparantur. Sicut enim lignum vitis forinsecus nigrum, durum, aridum & vile apparet, adeò vt si nemo illud agnosceret, nulli penitus vsui aptum crederet, nisi tantùm ad comburendum: verùm intus in ipso vitales quædam venæ latent, è quibus præ cunctis arboribus, liquor pretiosissimus emanat: ita nimirum & isti amabiles, atque in Deum absorpti homines, extrinsecus inutiles, deformes, ac aridi esse videntur. Humiles quippe sunt, & foris pusilli, nec alicuius reputationis: in verbis quoque & operibus ac exercitijs externis nihil singulare, nihil grande præ se ferunt: sed meram sectantur humilitatem, suntq́ue minimi in sorte sua. Sed latentes in eis intus in fundo veritatis vitales venas, vbi sua parte siue sorte abnegata, Deum iam habent partem & sustentaculum suum: hęc, inquam, agnoscere foret iucundissimum. Porrò sicut vinitor certo tempore vites putat, resecando palmitum summitates, quod nisi faceret, vinum acidum nasceretur: ita & hi excellentes homines omnem in se ipsis inordinationem amputare debebunt, atque ex ipso fundo euellere, in modis omnibus, & in omni prosperitate aduersitateq́ue, hoc est, vitia omnia, passiones omnes, & quicquid in eis defectuosum est, à corde rescindere studebunt & amputare. Et hoc citra capitis aut membrorum destructionem facere licet. Attamen priusquam abscindant, diligenter obseruabunt quid eis amputandum sit. Nisi enim & huius rei peritus esset vinitor, eadem facilitate meliores palmites, qui vuas erant prolaturi, qua ineptiores, putaret, atque ita vineam destrueret. Quod heu nonnullos facere videmus, veræ discretionis expertes: qui vitia ipsa prauasq́ue animi propensiones seu inclinationes in fundo suo relinquentes, miseram naturam opprimunt amputantq́ue. Natura quidem in seipsa bona satis ac nobilis est. Quid igitur huic imputant? Deinde quando tempus fructuum aduenit, id est, cùm iam vitam spiritalem gerere deberent, natura destructa est, & diuinam non sustinet operationem. Interim tamen discreta corporis castigatio, maximè incipientibus ac immortificatis haud mediocriter vtilis est & necessaria. Post hæc (vt in cœpta persistamus similitudine) ligantur palmites, atque à summo vsque deorsum traducuntur, appositis stipitibus, quibus sustententur. Ita sanè exemplar sanctissimum, & admirabilis vita Saluatoris nostri Domini Iesu Christi, eiusmodi hominum sustentaculum atque fulcimen erit, ita vt per eam deprimantur ac inclinentur, id est, vt suprema portio rationis ipsorum, cum perpetua suijpsius demissione in subdita humilitate, deorsum flectatur atque trahatur in ipsum fundum, atque in Christum Iesum, idque in veritate, non cum glossis quibusdam. Ad hæc omnes vires ipsorum, tam interiores, vt sunt, irascibilis, concupiscibilis, & rationalis: quàm exterio-

Discretio quàm sit necessaria.

res ac

res ac sensitiuæ, semper restrictæ ac religatæ erunt, quælibet in loco suo, vt neque sensus, neque voluntas, neque alia aliqua vis, plus æquo insolescant, sed semper succinctæ atque religatæ sint in debito ordine sub voluntate diuina, quemadmodum ille ab æterno voluit. Dehinc suffodiuntur vites, vt zizania extirpari queant. Ita & hi seipsos suffodere & perscrutari debebunt, attentè ac vigilanter obseruando fundum suum, vtrumne aliquid lateat in eo, quod euellendum sit. Et si aliquid repererint, absque mora illud extrahere curabunt, quantumuis modicum sit, vt Sol diuinus tanto immediatius ipsi valeat appropinquare fundo, ac perfectè in ipso lucere, ipsasque vires superiores excitare ad operandum. Tum verò Sol iste humores, quos potest, in illam vitalem venam siue vim, quæ in ligno, id est, fundo hominis latet, extrahit atque educit, & ita botri paulatim exoriuntur. O si quis suam ita nosset præparare vitem, vt Sol in ea diuinus & operari & radiare posset: præclarissimos sanè & excellentissimos fructus ille ex ea educeret, extraheretque. Sicut enim Sol corporeus, quando tota virtute diffunditur super botros, vi caloris sui eos gratiosissimè florere facit, atque hi flores odorem præclarissimum habent, omne virus depellentem, ita vt eum nec bufo, nec serpens vllo pacto sustinere queat: sic & ille Sol diuinus fundum hominis immediatè contingens, fructum quendam intus & foris inde educit, adeò purè in Deum tendentem, tamque gratiosè nobiliterque florentem per puram diuinitatis intentionem, vt inde tam admirabilis, tamque suauis erumpat odor, vt (velit nolit) omne serpentis maligni virus cogatur abscedere. Imò si dæmones vniuersi ac mortales omnes in terra degentes coniurâssent, eiusmodi puro homini, Deum amore ac intentione prosequenti, nulla possent ratione officere. Et quò magis illi nocere conarentur, eò ipsum altius in Deum exaltarent. Quòd si etiam in ipsum infernum, ita florens ac suauissimum spargens odorem, traheretur, fieri non posset, quin ibi regnum cælorum, & beatitudo sempiterna, atque adeò Deus ipse succederet, & infernus in ipsum paradisum verteretur. Nec est quòd timeat, qui ita feliciter floret, quælibet occurrentia, aut quicquid hoc est, quod ipsi faciendum incumbit. Vbi enim Deus purè quæritur & pro fine habetur, nihil illum impedire potest. Deinde, vbi vinea floret, in ipsos botros limpidissimos radios suos sol dirigens, eos magis ac magis excoquit: vnde paulatim abundantiorem dulcedinem concipiunt. Sic & in prædicto homine, diuini illustratione solis perfuso, adeò ad extremum media omnia attenuantur, vt ferè continuè eundem solem diuinum inueniat multo lucidius micantem intra se, quàm iste sol corporeus in cælo vnquam splenduerit: illustrationesque supernas in anima ferè absque intermissione, toties videlicet, tamque celeriter, quoties eò se conuertere potest. Atque ibi adeò totum esse ipsius deificatur, vt nihil ita veraciter sentiat, gustet & sciat, atque Deum: & hoc essentialiter quidem, sed tamen longè supra omnem rationalem modum, cognitionemque. Post hæc solet vinitor pampinare vites, quò sol absque medio in ipsas vuas radios suos diffundere possit. Ita & isti omnia media excidunt, omnes quoque imagines, modi, exercitia, oratio, & alia media: quæ tamen haudquaquam temere ab ipso prius relinquenda sunt, donec per diuinam gratiam spontè decidant: quod fit, quando altius supra omnem intellectum suum attollitur rapiturque, vbi in ipso præclarissimus ac diuinus fructus adeò fit suauis ac iucundus, vt nullus id sensus vel intellectus queat capere: adeoque ipse

Vites quare suffodiantur.

Solis corporei & diuini collatio.

Pampinatio vitium cur fiat.


longè abducitur, vt spiritus ita profundè immergatur absorbeaturque in Deum, quòd omnem amittit distinctionem, totusque cum diuina vnitur dulcedine: hominisque essentiam adeò ipsa diuina essentia penetrat, vt illa seipsam in hac amittat penitus, haud secus quàm vna aquæ guttula missa in integrum vas optimi vini. Sic, inquam, spiritus ipse in Deum ac diuinam vnitatem absorbetur immergiturque, vt omnem ibi, sicut præfatus sum, distinctionem perdat: & quorum suffragio eò deductus est, vt est, verbi gratia, humilitas, intentio, &c. similiter suum ibi nomen amittunt. Ibi namque pura quædam, secreta & tranquilla vnitas est absque omni distinctione: ipsaque intentio & humilitas, pura quædam simplicitas, & essentiale ac silens arcanum efficiuntur, vt etiam vix notari possint. Planè in hoc fundo horula vna aut saltem momento vno commorari, id homini centuplo vtilius, Deoque omnipotenti gratius foret ac laudabilius, quàm vel quadraginta annis cum proprietate & sui complacentia immodica proprijs inhærere conceptibus, propositis, institutis. Præstet nobis Dominus Deus noster, vt hoc modo omnes illi intra nos locum præbeamus, cunctisque illis moriamur, quibus nos certissimè oportet mori, pureque viuamus, quomodo viuere nos necesse est, si sublimissimum intra nos & per nos opus suum Deus peragere debeat. Amen.

IN DOMINICA SEXAGESIMAE.

De spiritali abnegatione resignationeque voluntatis nostræ in omnibus, quò Deus suum intra nos opus efficere queat.

SERMO I.

Exijt, qui seminat, seminare semen suum. LVCÆ VIII.



IN huius diei lectione Euangelica Dominus parabolam proposuisse legitur de seminante *semen suum*: quod dum ille seminaret, *aliud cecidit secus viam, aliud supra petram aliud inter spinas, aliud* denique *in terram bonam*. Itaque quòd exisse dicitur ad seminandum, hoc nobis denuntiat, quòd & nobis ante omnia exeundum sit. Planè ex toto exeas oportet, ô homo, si vnquam in virum perfectum euadere voles. Et vnde exibo, ais? Exeas necesse est extra propriam quæsitionem, propriam voluntatem, propriumque iudicium, siue sentire tuum. Hæc via est, non alia, vt Deum solum habeas scopum totius vitæ tuę, & illius ames atque sitias laudem & honorem. Ante omnia igitur diligenter obserua teipsum, & vbicunque te inueneris, aut aliquid propriæ quæsitionis in spiritu, vel in natura, aut alio quocunque, ibi noueris tibi extra te exeundum esse. Siue etiam hominum multiplicitas sit, aut alia quælibet creata, non corporaliter tantùm, sed etiam spiritaliter animo tuo inhęrentia, in quibus teipsum quæris, operępretium, imò & necessarium est, animum ab his abstrahere, teque extra omnem multiplicitatem fieri, si Deus vnquam intra te aliquid debeat vtiliter ac fructuosè operari. Sed & omnem propriam actualitatem, viresque omnes submittere, & inolitas naturæ prauas consuetudines, ac mores, & quicquid hoc est, cui per affectum inhæres, quodque te magis impedit & inuoluit, obseruare diligenter, & viriliter rescindere oportet & abdicare. Et quomodo formica primò grani summitatē rodit, ne crescat, vt medulla illius integra maneat: ita & tu omnia ea, quibus propensiori animo affico-

Exire ad serendū.

Formicæ industria.

afficeris, ad quæ magis humano quodam affectu traheris, quæque & citius & liberius facis, solicitus abscinde & abdicato: alioqui, vbi omnia magis tuta credideris, in fine te senties corruisse. Itaque exeas oportet ex omnibus. Dicunt Theologi, hominis exitum in voluntate cõsistere, quæ ad hunc ab intellectu inuitatur. Dum enim aliquid per intellectũ cognoscimus, illud introreceptum si voluntas bonum esse senserit, fertur super illud, volens in ipso quiescere. Quando enim voluntas amat aliquid, ob bonitatem illius foras egreditur, & quicquid boni habet, imò & seipsam, & quicquid vspiam boni creata omnia habent, totum effundit super id quod amat. Si verò impuro, falso, ac recuruo amore ducitur: non egreditur, non se effundit: sed intus permanens, hoc aut illud intentione prosequitur. Ita nimirum & omnes illi intrant, non exeunt, qui quod suum est, in Deo vel creaturis quærunt: vnde & amor ipsorum ad Deum recuruus est & fictus, vix dupondio supputandus. Cæterùm fidelis quisque ita in Dei sui amore ab omnibus exire curabit, vt ipsum solum diligens, nec delectationem, nec mercedem, nec vllum priuatum intendat aut venetur commodum: sed pro illius duntaxat amore & honore faciat, patiatur, dimittat omnia, etiam si nullam ab ipso mercedem aut gratiarum actionem foret vnquam recepturus: quod tametsi aliter fore credat & sciat: ita sibi occultum erit, vt illud intentione haudquaquam prosequatur, sed semper cor suum ad amandum & intendẽdum Dominum Deum suum anhelet, & in illius liquefiat amore ac intentione, ita vt oblitus ex integro suijpsius, nunquam intus ex diuina illuminatione reprehensus, intelligat se aliquid suum in Deo intendere & amare. Alioqui non Deo, sed sibijpsi sua facit opera. Amet ergo Deum, intendat Deum, commendet omnia Deo, illius arbitrio relinquens, vtrum sibi mercedem rependere velit, an non: nihil ipse vnquam ea de re cogitet. Nec timere debet, quòd aliquid hinc detrimenti patiatur. Quando enim sic purè in Deum refert omnia, siue sit honor, siue commodum, aut vtilitas, aut aliud aliquid, tunc ipse vicissim totum se ad hominem conuertit: & quò minus hic suum vel honorem, vel commodum, vel mercedem expetit & inquirit, eò magis ille in omnibus ipsum quærit hominem. Denique qui talis esse potuit, ei iam feliciter experiri licet, quàm verum sit, quod Ioannes Apostolus ait: *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* Non enim timet aliquid, quia nihil suum quærit: nec respicit ad commodum vel incommodum, sed omni constanter vtilitate vel iactura calcata, solo amore ducitur, solumque nouit amorem. Ergo sic exiens & abnegans priuatum lucrum aut commodum, plura à Deo consequitur bona cum iusto illo Simeone, qui Dominum infantulum suis meruit vlnis constringere. Porrò qua seipsum quisque ratione exire debeat & abnegare, nusquam melius atque perfectius disci potest, quàm in ipso Domino Saluatore, qui est *via, veritas, & vita*, licet hunc ista tempestate paucissimi dignè ac veraciter sequi velint. Proinde in qualibet interna paupertate, nuditate, desolatione constitutus, hunc eundem suum contempletur Redemptorem, attentiùs considerando, quàm æquanimiter omnem ille paupertatem sustinuerit. Cùm enim omnem ipse in sua anima sapientiam abundantissimè cõtineret, sciens & capiens omnia, quæ nunc scit & capit in gloria, adeò tamen in vera paupertate de ipso sapientiæ dono nihil sibi vsurpauit, vt crederes omnem illi creatam & infusam sapientiam fuisse subtractam. Anima nanque illius denũdabat sese ac inclinabat subtus increatam lucem, quæ nec

Exitus hominis in quo situs.

Quorum falsus aut curuus sit amor.

1. Ioan. 4.

Lucæ 2.

Ioan. 14.

Quanta Christi paupertas.

capi potest, nec idoneè inuestigari, nisi per abnegationem seu resignationem omnis scientiæ & cognitionis. In omni vita sua nullam sublimitatem vel subtilitatem rerum aut verborum sectabatur, sed simplicitati studebat, & simplex erat omnis doctrina illius. Hæc itaque recogitando, seipsum quisque in altissimam Christi paupertatem, in eodem sacratam, curabit immergere: & ita per ipsum omnis sua paupertas, accepta grataque erit Patri cælesti. Cumque sua libertate priuatur, & propriam cogitur voluntatem exire, abnegare, deserere, ad Christum reflectat oculos, contemplans, quàm perfectissimè ille resignatus fuit, quàm plenissimè omnem abnegârat propriam voluntatem. Cùm enim in matris sanctissimo vtero creatus esset, & omnis illi sui abiectio, cruciatus, & passio proponeretur, omni proprietate abdicata, adeò suam voluntatem submittebat, ac plenissimè cælesti offerebat Patri suo, vt nihil vnquam toto vitæ suæ spatio vellet ex seipso. Deinde in monte Oliueti positus in agonia, cùm sanguineum de tenerrimo corpore suo sentiret ebullire sudorem, humiliter ait. *Pater fiat voluntas tua.* Sic ergo relictus quisque ab omnibus creaturis, in Christi altissimam sese paupertatem deprimens, omnipotenti Deo liberum arbitrium ac voluntatem suam, tam nobilem, vt ipse eam cogere nolit, penitus resignet. Et quia voluntate & arbitrij libertate nihil homini charius est, ideò resignatio illius Deo gratissima est. Nec opus vllum, aut vlla vel Christi, vel alterius cuiuscunque paupertas, voluntatis abnegatione aut Deo gratior, aut ipsi homini est vtilior. Virtus nanque bonæ voluntatis, tanta tamque nobilis est, vt per desiderium perfectum, similitudinem quandam exteriorum operum Christi assequi possit. Vnde pauperrimus quisque tantum possidere & relinquere potest, quantum ditissimus omnium: imò & tantum offerre Deo, quantum is & condidit, & adhuc condere posset, si vellet. Ad hæc, cùm omnis corporalis voluptas, sensuum oblectatio & quies, commodaque corporis alicui subtrahuntur: Iesum aspiciat, attendens vt ille spontè hanc paupertatem susceperit. Ipse nanque omnem repudiauit sensuum corporisque voluptatem seu oblectationem quam vel audiendo, vel videndo, in cibo vel in potu, & alijs similibus, habere potuisset: & tamen vel minima subtractio molestior illius naturæ fuit, quàm nobis etiam maxima quæque, eò quòd præ cunctis hominibus tenerrimus fuerit, amabilissimusque, sensus habens multum amabiles, & complexionem optimè ordinatam, omnis defectus & vitij expertem. Denique verus ipse Nazarenus erat. Vnde tanto vehementiorem quælibet ei corporis afflictio dolorem intulit. Continua sitis, fames, incommoda corporis, vitæ asperitas, multimodæ cruces atque passiones ipsum macerabant, debilitabantque. Et licet interdum de cibo apposito vesceretur, absque omni tamen delectatione ex puro id amore faciebat, ne infirmiores quique desperarent. Quanuis etiam pro necessitate naturæ somnum caperet, cor tamen & anima illius vigilabant, & ipse somnus cum dolore & pressura coniunctus erat. Sæpius etenim grauiter suspirare atque terrore concuti solebat, & dormiens miserabilem præ se ferebat speciem. Interim nihilominus benignum se præstabat erga omnes, potissimum verò erga inimicos suos: nec vlli, præterquam cælesti Patri suo, suum querebatur dolorem & afflictionem. Præterea cùm omnem naturalem affectionem erga parentes, amicos, aut quæcunque alia mortificare quis cogitur, suum contempletur authorem Dominum IESVM Christum, intuens, vt ille omne sibi externum solatium interdixerit, atque subtraxe-

Christi exemplũ pręoculis habere quò faciat.

Lucæ 22. Matth. 26.

Gratissimũ Deo quid.

Quanta volũtatis humanæ virtus.

Christi teneritudo quāta.

[illegible] quali Christus vixit.

traxerit, omnem quoque cauerit amoris familiariorem exhibitionem, quo tamen erga omnes maximè æstuabat, idquúe etiam circa charissimos amicos suos, & specialiter circa dulcissimam Matrem suam, cui naturaliter afficiebatur vltra quàm aliquis vnquam filius suæ genitrici. Quòd si alicui graue est, absque proprietate & rerum labentium possessione viuere, Dominum Deum suum contueatur, adspiciens quàm singulariter hanc ille paupertatem assumpserit, quippe cui nec domus erat, nec possessio vlla, quomodo ipse ait: *Volucres cæli nidos habent, & vulpes foueas: at Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Et licet vestes cæteraque verè necessaria illi vtcunque suppeterent, absque tamen omni cordis proprietate ea habebat, solo vsu contentus. Denique & ab ipsa tunica, & à rebus omnibus ita semper liber & nudus fuit, sicut eo tempore, quo nudus pependit in cruce. Insuper quando naturæ necessaria desunt alicui, pauperrimum Dominum Deum suum contempletur, intuens oculis cordis, vt ille, cùm omnium esset potentissimus Creator, non erubuerit crebrò panem suum ostiatim mendicare, & assumptum hominem alieno cibo potuq; alere & enutrire: simulque hęc considerans, in altissimam Christi paupertatem sese demergat. Quòd si humiliatur aut opprimitur aliquis, nec in vllo habetur pretio, attendat diligenter, quantũ altissimus ille Dominus Deus suus sese humiliârit mũdum ingrediens, vt sese omnium infimum atq; postremum fecerit, cùm esset omnium Dominus: vt ipse æternus, temporalis: supremus, infimus: incomprehensibilis, contrectabilis atque comprehensibilis: immensus, perexiguus: & summè sapiens, infans effectus fuerit. Attendat, inquam, vt illa se maiestas annihilârit, quando in præstantissimæ Matris suæ vtero nostras infirmitates & miserias (peccato excepto) suscepit: totumque se paratissimum obtulit ad sufferendum omnem illum contemptum & pressuram, quæ tam ipse, quàm vniuersi eius amici propter ipsum deinde passuri erant. Et reuera suorum confusio, pœna & cruciatus amicorum, quæ propter ipsum erant toleraturi, animam & cor illius acerbiores gladio doloris transuerberabant, quàm vnquam aliquem sua propria, licet acerbissima, passio. Ad hunc tamẽ dolorem humiliter Patri suo cælesti se offerebat sustinendum, offerens simul eidem & suos, & omnium suorum amicorum dolores, cruces, probra, contemptus. Ad hæc, in vestitu suo, & tota conuersatione sua (quæ sicut humilima, ita & abiectissima erat) non vanitatem, sed vilitatem: non inanem gloriam, sed meram prætulit paupertatem. Adeò nanque pauperem & despectum se exhibuit, vt nisi Præcursoris fuisset voce denũciatus, vix aliquis pro Christo eum suscepisset. In cunctis quoq; operibus suis seipsum, vt ita dicã, annihilabat humiliabatque: & hoc specialiter in illa vltima cœna. Quæ enim maior poterat esse humilitas, quàm quòd excellentissima Christi persona, pauperum piscatorũ prouoluta vestigijs, eorũ pedes abluebat, extergebat, & dignantissimè diuino ore suo osculabatur? Insuper humiliauit se Dominus Iesus, honores seculi fugiẽdo, & ab omnibus despici, illudi, abjici, nec in aliquo pretio haberi desiderando, vt prophetica sentẽtia impleretur, dicens in persona illius: *Omnes videntes me, deriserunt me.* Sicubi verò honor ei oblatus fuisset, humilitate & lachrymis eum temperabat, permiscebatq;. Deniq; humiliauit se abiectissimo modo, turpissimã videlicet præsentis vitæ mortem subeundo, & crucis perferendo opprobrium atque ignominiam. Sed & sacratissimę aures eius mortis excipiebant sententiam: limpidissimi ipsius oculi, *in quos desiderant Angeli prospicere,* iniurias

Amorem qui suum Christus tẽperauit.

Matth. 8. Nuditas Christi quanta.

Panẽ qui suũ Christus quæsierit.

Quãtopere se Christus humiliarit.

Christi patientia.

Matth. 3. Humilitas Christi summa quæ.

Psal. 21.

1. Petr. 1.

rias omnes & abominabiles vexationes sibi irrogatas contuebantur: odoratum & gustum fellis cruciabat amaritudo, & ad extremum pretiosissimum corpus eius ignominiosissimam crucis pertulit mortem. Itaque præfata omnia non negligenter percurrendo, sed diligentissimè contemplando, seipsum quisque in profundissimam abiectissimamque Christi Iesu demergat & immergat humilitatem, ei se in humilitatis via conformare totis viribus annitens. Præterea vulnera passionemque eiusdem Saluatoris sui in suo portet corpore, quod Christianis omnibus magnoperè est appetendum, ita vt toti mundo ac vniuersæ curiæ cælesti perspicuum sit, illius incomprehensibili bonitati pro modulo suo gratum se esse, seipsum & propriam voluntatem suam & omnia sua, Deo hilariter offeret atque donabit, nunquam deinde repetiturus. Sicque cum Christo vestibus nudabitur. Visum intemperantem atque vagum, auditum curiosum & vanum, otiosa colloquia, & omnium denique sensuum voluptates & oblectationes mortificabit, cunctosque sensus suos subtus spineam Christi coronam cõprimere discet. Ad hæc nihil superfluum, nihil nõ necessarium contrectabit, siue continget: & ita manus habebit cruci veraciter affixas. Bona opera viriliter & alacriter aggredietur, simulque in eisdem perseuerabit, & ita sinistrũ pedem cruci Christi adfiget. Mentis dispersionem, & vagas ac instabiles animi cogitationes firmabit in Deo, & tunc dextrum quoque pedem ad crucem conclauabit. Vires animæ corporis nunquam perniciosa quadam tepiditate resolui patietur: sed ad instar brachiorum Christi, in Dei seruitio habebit extentas. Corpus suum imbecille, ad honorem sacratissimorum pedum Christi, in spiritualibus exercitijs crebrò ad fatigationem vsque laborare compellet, ita vt præ debilitate sua nequeat explere mala desideria. Multimodæ eædemque incognitæ passiones ac afflictiones ipsum ad Dominum & ad crucis angariam constringent, vnde & amabilis & totus apparebit sanguine rubricatus. Spontanea paupertas & afflictio illius dorso Christi nimium lasso stratum mollissimum exhibebit. Naturæ suæ mortificatio, ac virile contra vitia certamen, mœrentem animum illius releuabit. Cor denique suum deuotum atque feruidum omnes illius mitigabit cruciatus. Insuper, cùm omnia, quæ potuerit, fecerit: & tamen à corruptis hominibus, verbis scommaticis ac amarulentis impetitus, contemptus, irrisus, reprehensus fuerit: quicquid etiam boni fecerit, adeò omnes vilipenderint ac denigrârint, vt cum iniquis & sceleratis deputandum eum iudicârint: si tunc pro talibus orauerit, eis ex corde iniurias omnes remiserit, eosque apud Deum fideliter excusarit, atque ita sibiipsi ex amore mortuus fuerit, immobilis perseuerans, verè Christo confixus erit cruci, & mors illius in ipso florebit. Præterea cùm pro Dei amore omni creaturarum solatio renuntiat in omnibus, quæ medium aliquod inter Deum & ipsum facere possent, tum sub cruce stans cum afflicta Christi matre, eidem patienti compatitur. Ad hæc quando à Deo in grauibus afflictionibus, in interiori desolatione, duritia & ariditate cordis absque omnis dulcedinis infusione relinquitur, sicut & ipse in cruce relictus fuit, nullum quæret alienum solatium, sed ad Dominum sese conuertens cum vera sui iuxta omnem illius voluntatem abnegatione, vnicum illius implorabit auxilium. Et reuera quanto tunc afflictio fuerit amarior, & interna resignatio perfectior, tanto & Deo similior & charior erit. In hoc nanque electi Dei amici supremo modo probari solent. Ad hæc consolationis desideria franget & mortificabit, & ita

Passionis Christi recogitatio.

Marc. 15.

Luce 23.

Math. 27.

Quis summus pro beneficiis.

& ita sitientem refocillabit Dominum suum. Omnium quoque salutem vehementissimè sitiet. Postremò, animam semper habebit in manus æterni Patris suspensam atque erectam, & spiritum à tempore abstractum, & æternitati coniunctum, ad instar extremæ illius animæ ac spiritus Christi à corpore separatione. Denique his exercitijs crux nostra cruci Christi conformatur & assimilatur, qui nostræ salutis amore tam miserabiliter in cruce pependit, tribus eidem clauis affixus, totus propter nos deficiens, atque arescens in seipso, præ nimio, quem intus & foris patiebatur, dolore & cruciatu, vndique mortis amarissimæ circumdatus atque constrictus vinculis, opprobrium hominum & abiectio, imò & illusio factus omnium: intus quoque omni solatio atque dulcedine vsque ad extremum immensæ amaritudinis punctum destitutus, cum lachrymosis oculis, profluentibus vulneribus, extensis brachijs, attritis venis & neruis per omnia membra sua: idqúe in acerbissimę mortis angustijs, cuius profectò ineffabilibus doloribus, cruciatibus & pœnis nullæ aliæ similes extitêre. Denique perfectissimam cælesti Patri suo ad mortem vsque præstitit obedientiam. Sicqúe per multas ipsum afflictiones introire *oportuit in gloriam* Patris, qui Lucæ 24. demonstrauit nobis regiam viam crucis, extra quam non est alia ad æternam beatitudinem obtinendam. Cui quanto similiores fuerimus in terris, tanto propinquiores erimus in cælis. Præstet nobis omnipotens Deus, vt sacratissimę humanitatis suæ vestigijs inhærentes, ita singuli studeamus exire nosipsos, vt suum ille intra nos præstantissimũm opus continuè absque vllo queat impedimento peragere, ad laudem & gloriam suam. Amen.

Alterum huius Dominica Sermonem supra in D. Thauleri vita offendes sub Themate, Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, *&c.*

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

De tribus crucibus, latronis ad dexteram, & latronis ad sinistram Domini pendentis, & ipsius Domini: & vt hæ diuersas significent afflictiones & pœnas, ac passiones triplicis generis hominum, ad has cruces spiritaliter appensorum.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius Dominicæ est, in quo Dominus ait: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. LVCAE XVIII.

Christo confixus sum cruci. AD GALAT. II.

HODIE, dilectissimi, sancta mater Ecclesia in Euangelica lectione Domini nostri passionem nobis velut ob oculos ponit, vt eam reuocare ad memoriam, & peccata pro viribus effugere debeamus: quando filij diaboli suis effrænatiùs iniquitatibus vacant, & ad omnia licentiosè peccata feruntur, sibijpsis grauissima damna inferentes. Itaque in hodierno Euangelio Dominus noster suam prædicit passionem, & vt ascendens Hierosolymam, in manus peccatorum tradendus fuerit, & ab illis flagellandus, conspuendus, ac demùm atrocissima morte extinguendus: quæ omnia pro nostris erat iniquitatibus perpessurus. Similiter & Apostolus vas electionis (cuius omne exercitium erat circa passionum toleran-

Cur passionis Dominicæ in Bacchanalibus mentio fiat.

lerantiam,& veram animi resignationem)in seipso nobis manifestiùs ostendit, quomodo verè spiritalis homo, qui seipsum totum obtulit ad crucem & passionem, *Christo confixus*, ad vitales spiritus fructus cruces omnes, vndecunque ipsi occurrentes,trahat,nec iam ipse viuat,sed Christus in ipso, dum idem ipse Apostolus ad Galatas scribens, ita ait: *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et secutus adiungit: *Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* In quibus verbis saluberrimè admonemur eiusmodi vitam agere, per quam Christus glorificetur in nobis, & amarissima passio atque crux illius in nostro mortali corpore appareat & circunferatur, tam ad proximi quàm nostri ipsorum ædificationem correctionemque. Cæterùm id nobis obseruandum venit, quòd quamuis diuersæ sint passiones & cruces,quarum vnaquæque suam habeat longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem, non est tamen nisi vna tantùm crux, in qua perpetua salus nostra reparata atque perfecta fuit, ipsa videlicet crux excellentissimæ humanitatis Christi. Quæ tamen adhuc aliam nobis multo celsiorem insinuat crucem, (si tamen illa crux dicenda est, cùm reuerà nihil doloris aut cruciatus ipsi attulerit)vtputà diuinitatis illius. Erant autem & aliæ duę cruces iuxta Saluatoris crucem positæ, quarum vna latronis ad læuam, altera ad dexteram Domini pendentis fuit. Ex quibus omnibus & singulis, quasdam licet spiritales trahere similitudines, vt euidentiùs innotescat, qualis sit crux nostra, aut cuinam ex tribus supradictis ea debeat & possit comparari. Itaque per crucem latronis ad læuam Domini pendentis, & ipsum latronem, quidam designantur, qui in bono statu videntur esse, & viuunt in cruce perpetuæ exercitationis, exteriorisque rigoris, ad quæ ex professione obligantur: satisque hanc ipsam suis iniquitatibus meruêre crucem, sed parum inde vtilitatis fructusque reportant. Quare? Quia solis exterioribus exercitijs contenti,nihil penitùs propriæ voluntatis suæ, aliorumque multiplicium vitiorum atque defectuum suorum mortificationi student, imò & spontè perseuerant in eis. Vnde & fieri potest, vt cum eodem hoc latrone, post hanc crucem ad inferni profunda, pœnasque nullo fine terminandas demergantur, fiatque illis quod vulgò dici solet, vt hîc carrum, posteà verò in seculo futuro currum trahant. Cæterùm huius crucis sublimitas, est spiritalis superbia & complacentia vana, qua fit vt cæteris se anteferre non metuant: nec aliquis est qui eis possit facere satis: multumque de suis exercitijs sentiunt, adeò vt contemptui habeant quotquot non eisdem moribus, institutis, consuetudinibus & exercitijs viuant, deditique sint, quibus ipsi. Qui vtinam illam Augustini sententiam in memoria semper haberent, & vigilanter attenderent, qua ille ait fratribus & filijs suis: O fratres mei, cauete ne orantes, vel legentes, vel stantes, vel sedentes, vel vigilantes dicatis ore vel corde, habitantes in cinere & cilicio, cum Pharisæo: *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines.* Potiùs enim volo vos eremum exire, quàm talia dicere vel cogitare. Sed dum tentamini hoc asserere, vel de vobisipsis cogitare, mox clamate, mox vlulate, & dicite: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et cum Publicano dicite, quibuscunque virtutibus sitis ornati: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Profunditas verò huius crucis eorum designat altitudinem siue profundum vitiorum, in quæ prædicti Deo permittente miserabiliter corruunt: quod inde illis potissimum accidit, quia fundus ipso-

Crux vna principalis.

Tres cruces.

Crux latronis sinistri.

Huius crucis altitudo.

Lucæ 18.

Psal. 21.

Lucæ 8.

Profunditas.

ipſorum ſemper falſus fuit, nec vnquam ſtuduerunt intrò ſe recipere, vt vitióſum immortificatumque ſuum inſpicerent fundum, vitamque ſuam in melius commutarent: ſed ſolis duntaxat externis exercitijs inhærêre, nec eadem ipſa tamen ſine murmure ac tædio peragendo. Nihil etiam de diuina vnione & familiaritate nouerunt, ſed nec quicquam inde cogitare, inquirere vel experiri dignantur, haud ſecùs quàm ſi nihil ipſorum interſit, vtrum eam ſciant vel neſciant, diligentius inquirentes de rebus vltramarinis, quàm de hac ipſa vnione diuina, & quibus ad eam ſtudijs, qua induſtria, quibus medijs pertingatur. Vnde ſi quando de rebus diuinis incidit collocutio, perinde quæ dicuntur intelligunt, atque Italus Germanicum idioma. Satis ſuperque ſuę putant ſatisfactum profeſſioni, ſi multas orationes Dominicas, & plura pſalteria decantent: ſi exteriora obedientiæ opera, exteriori homine & ſenſibus ex arida conſuetudine perficiant. Vniat ſe Deus quibus volet, quid ad eos? Cæterùm ſi quod exterius lucrum, commodum, honor, dignitas, aut aliud aliquid ſeſe offerret, ibi cerneres, quid hæc ad eos attinerent. Sed cùm propriæ quæſitioni ac voluntati renuntiare, eaſdemque abnegare & poſtponere compelluntur, quidam ex eis inſtar furentium penè canum ſeſe gerunt. De his Auguſtinus loquebatur, cùm ait: Ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt. Sæpe nanque tam profundè corruerunt in peccata, vt etiam circa ea quæ fidei ſunt, & circa ſacram Scripturam nonnulli eorum vehementer aberrent, & ita miſeri in profundum ſuæ crucis, cui alligati ſunt, demerguntur. Porrò huius crucis latitudo, eſt via ſpecioſa, lata, ac bene trita, quæ ducit ad perditionem, per quam iſti ingrediuntur, ſecundùm carnem ſuam viuentes, indigni proinde qui Spiritus ſancti experiantur dulcedinem. *Qui enim in carne ſunt*, vt ait Apoſtolus, *Deo placere non poſſunt*: & qui arctiorem ſemitam, qua pergitur ad beatitudinem & vitam, inueſtigare recuſat, fieri non poteſt, quin per ambages erraticus viator incedat, & tardius perueniat, ſuam proinde ſalutem & beatitudinem craſtinans remoranſque. Itaque videas iſtos, de quibus agimus, quærere ſeipſos, & intendere in omnibus, aliqua ſemper libertate & priuilegio gaudere velle, & vt Euangelicis quocunque modo ſoluantur conſilijs, quò videlicet nihil moleſtiæ ſentiant, nihil patiantur aduerſi. Hoc totum eorum ſtudium, hoc deſiderium eſt. Vnde velint nolint, grauiſſimam in ſua conſcientia crucem ferre compelluntur, interim tamen & diuina conſolatione deſtituti, quòd Deum contemnant: & humana atque mundana, quòd eos deſpiciat mundus. Quæ verò moleſtior vita aut crux acerbior eſſe queat? En ſine dolore, ſine cruce, ſine moleſtia vitam tranſigere volunt, & tamen grauiſſimè patiuntur: ac, niſi ad Deum conuerſi fuerint, pòſt etiam infernum experientur. Longitudo denique crucis huius eſt, quòd ad finem vſque in ſuis perſeuerant vitijs & paſſionibus, nec virtutibus acquirendis animum apponunt. Hoc autem ea de cauſa iuſto Dei iudicio illis accidit, quòd ſemper ingrati ſunt innumeris beneficijs Dei, qui tot illis dona, tot gratiarum chariſmata largitus eſt præ multis alijs ſecularibus hominibus, quæ hæc multo meliùs expendiſſent: tamque crebris admonitionibus intus & aliàs diuerſis modis eis occurrit, & ad correctiùs viuendum ſolicitat, vt etiam ipſi mirentur, & diuinam erga ſe ſtupeant pietatem: nec tamen ſancti Spiritus monita effectui ſtudent

Auguſtini de bonis ac malis cœnobitis oraculum.

Huius crucis latitudo.

Rom. 8.

Longitudo.

Heb. 6. mancipare. De quibus terribiliter Apostolus loquens: *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium* Ibidem. *Dei, & ostentui habentes.* Additque similitudinem: *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, &* germinans *herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem:* quasi diceret, eis qui diuersa multipliciaque Spiritus sancti charismata sortiti sunt, quibusque ille specialia quædam secretioris familiaritatis & gratiæ suæ signa præstitit ac prærogauit, nec tamen correctiùs viuere student, sed in sua perseuerant sterilitate ac dissolutione, timendum esse, quòd æterna sint maledictione percellendi. Nunc igitur suæ quisque salutis curam gerens, id diligentissimè caueat, ne ad hanc infaustam & execrabilem crucem suspendatur, vel certè extremum in ea non claudat diem.

Crux latronis dextri. Alia crux bona est, quæ latronis fuit ad dexteram pendentis, qui & ipse satis hanc meruerat, & tamen ingentem ex ea retulit fructum. Hæc verò crux patientem vitę designat districtionem eorum, qui toto corde à seculo & peccatis omnibus auersi, ad vitam sese transferunt pœnitentialem. Et ipsi digni quidem, qui multa dura & aspera patiantur, eò quòd pretiosissimum tempus suum in prauis corporis & naturæ suæ voluptatibus, ac propriæ voluntatis mala libertate insumpserint: sed in eo maximè commendandi, quòd eiusmodi pro Deo voluptates omnes, omnemque malam libertatem & abdicare paratissimi sunt, & insuper adhuc æquanimiter ferre, quicquid Deus eis euenire voluerit. Vnde crux ista non solùm vtilis & fructuosa, sed etiam dulcis, amabilis & consolatoria eis efficitur. Fortissimam nanque fidem & spem firmam de ineffabili dilectione & misericordia Dei adducit in eos, sicut & in hunc, de quo loquimur, latronem adduxit. Cui quod, obsecro, tam breuissimo temporis interuallo maius bonum obtingere poterat, quàm quòd in ipso ferè mortis articulo à benignissimo Cō-

Lucæ 23. ditore suo audire meruit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?* Et his quoque nostris bonæ voluntatis à seculo conuersis hominibus, quod maius possit præstari solatium, quàm quòd à Domino tam clementissimè inuitantur, dicen-

Matth. 11. te illis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos?* hoc est, recipiam vos in gratiam meam, onus vestrum simul portabo vobiscum, & post momentaneos labores atque dolores, dulciter vos confouebo reficiamque. Hu-

Profunditas crucis huius. ius autem crucis profunditas, est altissima humilitas, non se præferre alijs, sed proprios semper contueri defectus, & instar latronis huius, qui se *digna factis* recipere profitebatur, in qualibet etiam afflictione & molestia, cogitare se plura meritò pati debere: nec aliquod tantum esse vel huius seculi vel futuri tormentum, quod sufficere queat ad suorum vltionem peccatorum. Hinc verò exoritur, neminem contemnere, nisi seipsum, neminem iudicare, neminem condemnare nisi seipsum. Quod vbi assecutus quis fuerit, iam crux ista florere incipit,

Sublimitas. gratosque producere fructus. Sublimitas crucis huius est, mentem habere erectam ac subleuatam ad contemplanda cælestia atque diuina, & exteriora quæque fugere: hoc est, mentem suam absque omnium rerum corporalium strepitu & perturbatione discere ac niti eleuare ad æterna semperque mansura: ac honestissimam quoque & omni virtutum genere florentissimam vitam, passionem &

mor-

mortem amarissimam, resurrectionem gloriosam, ascensionem admirabilem,
regnumque perpetuum & sempiternum Domini nostri Iesu Christi. Hæc enim
deuota mente considerata, molestiam omnem atque crucem non solùm tolera-
bilem, sed etiam amabilem reddunt. Fecit hæc etiam latro iste, sicut verba il-
lius apertius insinuant, quibus ait: *Domine, memento mei cùm veneris in regnum* Lucæ 23.
tuum. è quibus facile aduerti potest, vt sensus illius atque cogitatus circa regnum
perenne occupati fuerint. Latitudo crucis huius, est communis quidam, verus Latitudo.
atque syncerus ad Deum, & ad homines vniuersos, cunctasque creaturas, amor.
Quotquot enim huius crucis veri baiuli sunt, corde & ore non pro seipsis tan-
tùm, sed & pro omnibus, etiam pro inimicis, preces fundunt, & orationem
suam extendunt ad omnes. Ad hæc, corpus & animam ad obsequium omnium
prompta voluntate offerunt. Per hæc verò charitatis officia Deum in suis crea-
turis olim ab eis inhonoratum atque offensum, placare student. Et reuera *cha-* 1. Pet. 4.
ritas ista, quomodo Petrus Apostolus ait, ipsorum *operit multitudinem peccato-*
rum: & quod Christus de Magdalena ait: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam di-* Lucæ 7.
lexit multùm, de his quoque non absurdè accipi potest. Longitudo demùm huius Longitudo.
crucis, est perseuerantia in bonis operibus, & eorum auctio & incrementum.
Isti quippe cruciferi nunquam à bonis exercitijs torpescunt, sed vnum post
aliud multa cum discretione inchoantes, id summoperè curant, atque in hoc
omnem nauant operam, vt veterem deponentes hominem, renouentur spiritu
mentis suæ, nouumque induant hominem, qui secundùm Deum creatus est in
iustitia & sanctitate veritatis. Per hoc verò interior ipsorum homo renouatur
de die in diem, omnem penetrans ac superans tentationem, passionem, afflictio-
nem, ita vt in seipsis liquidò cognoscant, quàm verè locutus sit Apostolus, cùm
ait: *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra mo-* 2. Cor. 4.
dum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis
quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem
non videntur, æterna sunt. Tertia crux est Domini Saluatoris, illam crucem signifi- Crux tertii huius & quid.
cans, quam perfecti sustinent, quos cælestis Pater singulari quadam cum vnige-
nito Filio suo volens gloria & honore afficere atque coronare, singulari etiam
modo varias eis aduersitates, pœnas, tentationes, mœstitias, omnigenasque cru-
ces euenire permittit, eundem eis passionis calicem bibendum porrigens, quem
& dilecto Filio suo potandum præbuit. Quod euidentius in vtroque Zebedæi
filio videre licet, quibus regnum poscentibus Dominus ait: *Potestis bibere cali-* Matth. 20.
cem, quem ego bibiturus sum? quasi diceret: Si præcellentiores esse cupitis amici
mei, maiores prius aduersitates vobis subeundæ erunt. *Non est* enim *discipulus* Lucæ 6.
supra magistrum. Planè si *Christum oportuit pati, & ita* per crucem *intrare in gloriam* Lucæ 24.
suam: quis non videat, quàm æquissimum sit, etiam Dei amicos aliquid sustine-
re? Huius autem crucis profunditas, est timor filialis, quem Dei amici semper Profunditas huius crucis.
habent, pro suo arbitrio Deum secum agere, seque mouere permittentes, sem-
per soliciti, ne dilectum Dominum Deum suum offendant. Sublimitas verò Sublimitas.
crucis huius, est vera spes felicitatis æternæ, non quidem principaliter ex suis
meritis aut vitæ suæ integritate concepta, sed ex firma fide *per dilectionem* operan-
te, ex humili fundo veræ resignationis, per quam seipsos in gratissimum Dei
beneplacitum offerunt atque transfundunt. Et hæc *spes,* vt Apostolus ait, eos
minimè *confundit. Charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus* eorum *per Spiritum* Rom. 5.

Latitudo. *sanctum qui datus est* eis. Latitudo crucis huius, est charitas, qua imprimis *Deum* optimum maximum *ex toto corde suo*, dehinc seipsos in Deo, & proximos quosque *propter Deum diligunt*, Ephes. 4. *soliciti* semper *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, & quantum in ipsis est, omnem offensionem, labem & scandalum deuitant, prodesse nitentes omnibus, obesse nulli. Vnde nihil eorum metuunt, quæ eis aduersa, aspera, atque molesta possint occurrere, quo multas Deo animas lucrari valeant. Longitudo. Longitudo demum huius crucis ad æternitatem se extendit. Isti nanque cruciferi perfecti, ex animo sufferre parati sunt, quicquid Deus eis aut euenire permisit, aut adhuc permittere volet non in tempore solùm, sed & in æternitate: estque hoc summum eorum beneplacitum, quòd Deo cum eis facere placet & operari, vbi, quomodo, & quando ipse voluerit: & illius instinctus atque voluntatem sine murmure & contradictione simpliciter sequuntur. Matth. 26. Denique ipsi sunt, qui cum Christo ex sententia dicere possunt: Non mea Domine, sed tua voluntas fiat. Interim tamen nihil æquè dolent, quàm quòd propriam voluntatem non ita funditus nôrunt extinguere, quin adhuc quandoque per humanam infirmitatem saltem tenues defectus incurrant. Hi prorsus felicissimi sunt homines: & quantum crux illa, quam ferunt, non illis modò, verùm etiam toti prosit Christianitati, dici non potest. Per hanc verò crucem ad incomprehensibilem naturæ diuinæ crucem deducuntur, de qua Ephes. 3. Apostolus loquitur, vbi ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis virtutem, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Itaque huius crucis longitudo, est Dei omnipotentis interminabilis æternitas. Latitudo, eiusdem immensa bonitas ac pietas, quam effudit, & continuè adhuc effundit abundè in nos & in omnes creaturas. Sublimitas, est ipsius celsa omnipotentia. Profundum, illius imperscrutabilis ac infinita sapientia. Ad hanc crucem quisquis pertingere voluerit, prius supradictæ humanitatis eius cruci sese conformare debebit. Huius crucis baiuli sunt, qui modo iam dicto vitam ducunt verè spiritalem atque deuotam: quorum non postrema cura erit, omnia carnis opera detestari, fugere, abhorrere, vtporè Deo inuisa atque exosa, & strenuo serioque amore omnem prosequi iustitiam & sanctitatem: & ita per manus animæ cruci huic diuinitatis affixi erunt. Semper etiam *memores* erunt *mandatorum* Dei Psal. 102. & 54. & voluntatis ipsius *ad faciendum ea*: & cogitatum atque *curam* suam omnem in ipsum iactabunt, tota animi intentione omnia illa deuitantes, quæ possint maiestati illius in ipsis displicere: & ita per animæ pedem dextrum ad hanc crucem religati erunt. Inter hæc quoque duo immobiles perseuerare studebunt, verbi gratia, vt nec ab infelici felicitate superentur ac euertantur, nec à felici infelicitate recedant fugiantve, diligenter cauentes, ne ab aliqua harum perturbentur impedianturve, sed semper ad crucem diuinitatis maneant affixi. Ad hæc multam intus erga Deum compassionem gerent pro omni contemptu & iniuria ipsi illatis à mundi exordio, & in finem vsque seculi inferendis, non à mundanis tantùm hominibus, sed & à religiosis: pro contemptu quoque & opprobrio charissimorum amicorum Dei, qui se ad hanc crucem cum Domino Saluatore perferendam obtulerunt, quò illius crescat & augeatur honor. Hos ipse instar pupillæ oculi sui protegens, omnem iniuriam & molestiam eis irrogatam, suam ducit, adeò vt quisquis eos affligit, se iudicet afflixisse. Præstet nobis

nobis super omnia benedicta semperque veneranda Trinitas, vt ita cum Christo humanitatis illius cruci configamur, quò ad perennem coruscæ ac fulgentissimæ diuinitatis suæ contemplationem pertingere digni simus. Amen.

FERIA QVARTA CINERVM.

De quibusdam à vera conuersione impedientibus, & alijs ad eam promouentibus. De peccatorum nocumentis. De nouem veræ conuersionis gradibus.

SERMO VNICVS.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. THREN. IV.

DEVS omnipotens, *cuius misericordiæ non est numerus*, cuius bonitatem nemo æstimat, qui abundantia pietatis suæ merita supplicantium excedit & vota, non cessat à se auersos, duros & ingratos, ad se reuocare, ad se conuertere, si tantùm crebris illius inspirationibus acquiescere vellent. Quosdam nanque trahit per infirmitates, per inopiam, per aduersa plurima, quæ eis euenire permittit. Quosdam verò per informationes salubres & bonorum hominum exempla: Alios per inspirationes & admonitiones internas: Alios per potentiam siue violenter, vt Paulum: Alios asperitate, alios lenitate, eorum conscientias reprehendendo. Cæterùm tria sunt, quæ hominem in eius conuersione vehementer impediunt: vtputà, Amor & honor seu gloriola incertæ ac miseræ vitæ huius, cupiditas & oblectatio rerum temporalium, & voluptas siue delectatio carnalium vitiorum. Heu quantos hodie inuenire est, qui affectu & ambitione honoris & sublimitatis mundanæ ebrij & obcæcati, amorem suum ad res caducas transferunt, ad lucra inhiant, sensusque omnes ad conquirenda temporalia apponunt, quò suæ carnis fœtidissimas explere valeant voluptates. Cumque in hoc infelicissimo statu aliquandiu persistunt, tantam cordis insensibilitatem, duritiam, stupiditatem incurrunt, vt quælibet aspera & molesta libenter sustineant, *per mare, per terras, per tot discrimina rerum* iactari non dubitent, quò cupitas valeant explere voluptates, & praua sua desideria perficere. Quod in illo populo Israelitico manifestius cernere licet, quibus ad AEgyptum, & ad ollas carnium, quas ibi sub grauissimo labore edebant, redire optatius fuisset, quàm in deserto manna cælesti refici, quod omnem in se habebat saporis suauitatem, vt diuus Gregorius author est. Certè Deus omnipotens durissimum populum illum cum ineffabili amoris dulcedine, cum stupenda benignitate, magna potentia, multisque portentis atque prodigijs ex AEgyptiaca captiuitate eduxit, incomprehensibilia potentiæ suæ magnalia illi ostendit, & amorem simul atque potentiam suam copiosè declarauit, quo ex animo ad ipsum sese conuerteret, & iuxta præcepta sua deinceps vitam institueret. At populus hic duræ ceruicis, omnia sui Conditoris beneficia negligens, præcepta contemnens, ad pristinas adspirans voluptates suas, expertas olim AEgypti delicias sitiebat. Vnde contra Mosen Dei amicum erectus, cur se de AEgypto eduxisset, cum murmure expostulabat, creberrimasque illi excitabat tentationes, modò hanc, modò illam: ita vt furor Domini concitatus aduersus illos, quandoque per serpentes, quandoque per ignem, quandoque per aduersarios grauissimè sæuiret in eos, adeò vt ex omnibus illis, qui de AEgypto exierant, non nisi duo tantùm terram promissio-

Actor. 9.

Tria hominis cõuersionẽ impedimenta.

Exod. 16.

Num. 11. 14. 16. 21.

missionis ingrederentur. Hoc tunc in illo populo accidit. Et heu quanti sumus hodie etiam religiosi, quos idem ipse Deus tam potenter quàm misericorditer à seculo abstractos & eductos ad talem perduxit statum, vbi à veteribus peccatis, prauis consuetudinibus, moribus, verbis & gestibus veraciter conuerteremur, & deinceps illius nos sanctissimæ vitæ atque doctrinæ conformaremus, iuxtaqúe exempla ab ipso nobis relicta, totam institueremus moderaremurqúe vitam & conuersationem nostram. Et hoc vtcunque vmbraticè inchoauimus, talemqúe extrinsecus suscepimus habitum, vt qui nos foris contemplantur, præsumere de nobis possint, quòd Christi vestigijs inhærentes, à pristinis iniquitatibus conuersi simus. Sed heu quanta miseria est, quòd solo habitu, sola vmbra contenti, intus per desiderium ad ollas carnium, hoc est, ad carnes & corporis mollitiem, voluptates, oblectationes, lautitias aspiramus, afficimurqúe? Cumqúe eiusmodi, sicut olim in seculo, habere pro voto non possumus, ad murmurationes conuertimur: totqúe tentationes excitamus, vt turpe sit audire de nobis. Imò, quod peius est, nec ijs contenti sumus, monasticam professi vitam, quæ in seculo degentibus nobis abundè suffecissent præ inopia. Sed quicquid iam ditiores quosque seculi huius lautitiarum atque rerum habere vel cognoscimus, vel ipsi nobis somniamus, nos quoque miseri inopes & mendici habere volumus: nec facilè nobis aliquid pro voto fieri potest. Ipsum manna cæleste, quo pascimur quotidie, cunctaqúe Dei omnipotentis beneficia, quæ vel in corporalium ac temporalium bonorum, vel in internæ dulcedinis rerum spiritalium administratione ipse nobis largitur, nequaquam sufficiunt nobis, nec amorem nostrum ad ipsum inflectere & reducere queunt, vt nos toto corde conuertamus ad eum, ipsiqúe resignemus, quin potius nostra peruersitate & nequitia sæpe totum conuentum perturbamus, inficimusqúe. Quomodo enim in illa Israelitica plebe proceres quidam & viri principes murmurationis erant capita, quos proinde, iubente Domino, terra viuos absorbuit cum omnibus quæ ad ipsos pertinerent: ita & nunc quosdam inuenire est, quorum dum voluntati non acquiescitur, ad tantam erumpunt peruersitatem, vt inter eos & dæmoniacos parua differentia sit: imò reuera possessi sunt à diabolo, à quo etiam ad hanc peruersitatem incitantur ac propelluntur. Si quando verò per eiusmodi prauitatem suam id, quod volebant, assequuntur, & deinde bonam pacem habent: id æternæ damnationis ipsorum indicium atque præsagium est, euidensqúe signum, quòd à diabolo capti sint per malè duram & obstinatam in sua malitia voluntatem, per quam infelices ac miseros istos ad explendam reprobi fundi sui nequitiam ac peruersitatem impellit. Hi nullo pacto ad veram pacem & gaudium pertingere valent, quandiu in hac infirmitate sua perseuerant: interim mirum in modum iucundum & gratum est diabolo, quòd ita pro sua voluntate in omnes laqueos suos præcipites eos agere potest. Verùm vt ad sui cognitionem perducantur, consultum fuerit eis, abijcere & resignare omnia, quę per prędictam nequitiam & prauitatem obtinuêre, veniam poscendo ab omnibus, quos perturbârunt aut mœrore affecerunt, itemqúe suffragium & auxilium petendo ab eis, quibus id constat, vt sic diaboli queant laqueos euadere, & reuerti atque conuerti toto corde & integra voluntate ad Deum. Cæterùm quid iuuat de nostra conuersione plura verba facere, quando eò hodie redacta res est, vt solo habitu & vmbra plerique contenti simus? Heu pro maiori parte omnes

Contra impatientes, delicatos & inquietos cœnobitas.

Num. 16.

male

maledictam illam ficum referimus, sola folia habentem, & à fructu vacuam. Vix inter plures saltem vnum perfectè conuersum hominem reperire licet. Omnes, quæ nostra sunt & nosipsos quærimus, nostras commoditates & oblectationes venamur, multoqúe his amplius abundare conuincimur, quàm si in seculo degeremus. In mundo siquidem licèt voluptates plurimæ sint, adeò tamen illic miseriæ abundant, vt vbi vna vana offertur delectatio, centum cruces & tristitiæ comitentur. Nos verò ita delicati sumus & molles, nostrisqúe commoditatibus dediti, vt nihil ferè molestiæ sentire velimus: & quicquid deliciarum aut oblectationum mente cogitare possumus, id toto studio plerique adipisci conemur. Si in monasterio non habentur, amicos & cognatos solicitamus. Hîc iam conquerendi, denuntiandi atque scribendi, apud quosdam nullus est finis. Isne, obsecro, scopus est, quare ad religionem confugimus? Heu cur non ad animum redimus? cur non conuertimur ad corda nostra? quandiu sic miseri, sic vani, sic pueriles erimus? Hanc imperfectionem & cæcitatem nostram si per singula perstringere atque lugere vellem, dilectissimi, tempus me deficeret, & sermo nimis protraheretur. Vnde hæc missa facere statui. Dicam autem vobis tria quædam, ob quæ peccata summoperè vitanda sint, quæque ad ipsa fugienda vnumquemque haud vulgariter inducere queant. Primum est ipsa peccatorum deformitas & spurcities, vtpotè quæ sola fœtent coram Deo. Nihil enim abominatur Deus aut odit, nisi peccatum. Hinc est quòd peccatores quique varios habent execrandos & intolerabiles mores, quorum & ipsosmet tædere posset, si rectè secum perpenderent. Secundum est temporis breuitas, & mortis incertitudo velocitasque. Tertium est metus & horror damnationis & mortis æternæ, quam peccator pro suis sceleribus certò certius sibi nouit infligendam. Cæterùm tria sunt, ex quorum saltem vno vel alio, homines ad sui conuersionem inducuntur. Aut enim dolent de peccatis suis ob metum damnationis, aut spem vitæ perennis, aut diuini amoris immensitatem, largitatemque. Ex his, inquam, omnis conuersio trahit originem. Dum enim peccator quisque per fidem Deum esse nouit omnipotentem, eundemque iustum, timore & anxietate carpitur, metuens peccata sua in inferno punienda. Dum verò eundem misericordem esse intelligit, qui bona facta abundantissimè remunerare velit, spem bonam ac hilarem concipit intus in corde suo. Dumque eundem adhuc magis supra omnem humanum intellectum, pium ac misericordem esse credit, qui & homo factus sit propter hominem, ad redimendum omnes quotquot perierant, in horum meditatione exardescit ignis in ipso, qui nihil aliud est, quàm vehemens diuinitatis amor, quo ductus, ad Deum cum gratitudine conuertitur, illius perenni seruitio se addicens. Talis iam neque infernum, neque cæleste præmium attendere nouit, sed ea in dulcissimam diuinæ charitatis flammam trahit, atque eadem charitas ipsum diuinæ per omnia conformem efficit voluntati. Hinc iam gratias vberes ac immortales diuino agit amori, ex quo tanta nobis bona profluxêre. Et hic vera dilectione ducitur. Qui autem duobus prioribus modis conuertuntur, multum adhuc de priuato amore habent: vnde nec tantum Deo placent, quantum his posterior. De his iam distinctius loquendum est mihi. Itaque sciendum est, quòd eorum, qui pœnarum formidine conuertuntur, triplex genus siue differentia est. Quidam nanque solum infernum metuunt: & hi sunt,

[Margin notes, in order: Quæ tria meritò quemuis à peccatis deterreãt. — I. — II. — III. — Tribus ad cõuersionẽ homines induci. — I. — II. — III. — Triplex pœnas timentium genus. — I.]

R quo-

quorum tam reproba vita est, vt ipsi facile aduertant se æterna damnatione feriendos, si in eo statu decedant. Cumqúe mortis incertam attendunt horam, pauor eos & terror vehemens inuadit, dirè eos intus crucians, nec quiescere sinens, donec vitam in melius commutent, & pro sceleribus suis agant pœnitentiam. Verùm quia sese infirmiores considerant, quàm vt in
1.Ioan.5. mundo, *qui totus in maligno positus est*, & multas peccandi habet occasiones, peccata satis euitare possint, libenter monasticæ vitæ propositum arripiunt, & contempto seculo, religionem ingrediuntur. In hac sufficere sibi putant ad euadendum infernum, quod solum spectant & pro scopo habent, si capitalia peccata deuitent. Vnde venialia & quotidiana non fugiunt, & parum aut nihil inde dolent. Nullam enim strenuitatem habent neque assumunt ad superandum defectus, & vitia sua per opera pœnitentiæ: nec ad virtutes conquirendas auidè adspirant, eò quòd amor ipsorum modicus est. Confessione peracta, & iniuncta pœnitentia (vt vocant) persoluta, iam omnia salua esse arbitrantur, eò quòd infernum euaserint, vt ipsis videtur, & deinde bona pace gaudent. Atque ita remanent frigidi, torpidi, negligentes, inanes, leues, dissoluti, vanis solatijs & oblectamentis dediti, seculariter iucundi, lauti, in cura corporis superflui, suum commodum sectantes in omnibus, vbi honorem & famam suam integra seruare queunt. Intus quoque in propria voluntate persistunt, morosi, irresignati, superbi, malè soliciti, temerarij ac peruersi in actibus suis, vtcunque tamen morati, sed coram hominibus. Quando verò tentationes incurrunt, heu quàm sunt impatientes, acidi, torui, amari, indirigibiles, deiecti, erga alios rigidi & immodesti, nasuti, scioli in ore & intellectu, in quo etiam virtutes operantur cum proprietate. Quando ex sententia succedunt omnia, mirum in modum lætantur, & superabundant gaudio. Quando verò secus accidit, nimis soliciti sunt, nimiumqúe deiecti. Alios iudicant, aliorum defectus obseruant, & de eis libenter & cum gaudio loquuntur. Denique hæc & alia his similia, tam in corde quàm in ore plurima habent. Atque hinc eos dinoscere licet, dum per hæc produnt seipsos, varios præterea gestus & vitiosos actus exerendo. Hi in mortalium peccatorum periculis versantur, & sæpe antequam ipsi aduertant in ea collapsi sunt. Hi, inquam, quibus sola exterior conuersio sufficit, eidemqúe innituntur, adeò plerisque religiosis congregationibus graues fiunt & onerosi, vt præ illis tigres, leones & vrsos habere tolerabilius ducerent. Per ipsos nanque diabolus quicquid vult facile ad effectum perducere potest: & licèt viginti cucullis operiantur, illius tamen in corde satellites sunt. Ad hæc in sensu suo cunctisqúe suis operibus instabiles sunt. Vnde incertum est, vtrum ad finem vsque sint perseueraturi: diabolus enim intus eos nouit & in cute: ac ideo diuersis tentationibus impugnat. Porrò quando per Dei gratiam ad cor suum reuersi, & in ipsa religione in eisdem se mortalium peccatorum & æternæ damnationis periculis sentiunt constitutos, vt olim in seculo, penè desperare incipiunt, & impatientes efficiuntur. Tum verò si bonos apud Deum aut iuxta se in congregationibus, in quibus agunt, amicos non haberent, qui consilijs ac monitis precibusqúe suis inde eos eriperent, mortalis peccati consensum non possent euadere: quin & excusso cucullo, habituqúe sanctæ religionis relicto, ad AEgyptum apostatæ redirent, & congregationem

Vnde falso conuersi dinoscantur.

tionem suam, quantumuis sanctam, desererent. Ita nanque sibijpsis loquuntur: Cùm in seculo malè viueremus, saltem spes nobis magna supererat quandoque peccata euadendi, & abdicato seculo, rectioris vitæ arripiendi institutum, meliusq́ue viuendi: iam verò consilium omne & spes omnis recessit à nobis. Atque ex hac desperatione, & magna quoque superbia sua, qua nolunt tentationes & difficultates suas aperire, vt illis succurri posset, quidam relicto monasterio, AEgyptum repetunt, & ad peccata pristina reuertuntur. Horum *nouissima peiora prioribus fiunt*, iamq; totos se diaboli seruitio mancipantes, ei se dedunt offeruntq́ue, qui suæ eos seruituti subijciens, inuadit ac possidet miseros, nec iam vlli deinceps vitio resistunt: sed qui prius latenter peccare solebant, tentationum molestias non ferentes, iam publica flagitia perpetrare non erubescunt. Quidam ex his præ tentationum vehementia, quam sufferre nequeunt, amentiam incurrunt. Et quamuis aliqui ex ijs hunc aut alios eiusmodi casus per Dei misericordiam euadant, adhuc tamen maximè metuendum est, quòd fine malo decessuri sint, & (nisi verè doluerint) damnationem difficilè effugituri. Cæterùm si qui tales in extremis positi, veram à Deo contritionem percipiunt & amorem, ingens profectò illis misericordia fit: at nihilo minùs grauissimum instar infernalis incendij purgatorium multo tempore, non tamen æternaliter, sustinere cogentur: eoq́ue iam finito, vix adhuc ad infimum Angelorum Ordinem pertingunt, atque in eodem vix nouissimum sortiuntur locum. Et hoc ea de causa, quòd ad sui emendationem non amore, sed metu duntaxat & anxietate, tracti fuêre: atque ita, licèt difficulter, ad infimum Sanctorum gradum, locum & ordinem deducuntur. Sanè quotquot eiusmodi sunt, qui solo timore & pœnarum formidine ad sui conuersionem solicitantur & inducuntur, nec ad proficiendum in virtutibus vllam volunt nauare operam, his (meo quidem iudicio) consultius fuerit monasterium non ingredi, sed in seculo manendo in aliquo bono statu honestam agere vitam, vbi pro mundi cursu diuersas experiantur miserias, afflictiones, calamitates, tristitias, quę ipsorum poterunt quandoque duritiam frangere, & ad sui correctionem vel inuitos compellere, ne in sanctis deuotisq́ue congregationibus alicui noceant, aut sua imperfectione impedimento sint. Tales enim vt plurimum deuotis hominibus graues efficiuntur ad portandum, & supra quàm dici possit, onerosi. Verùm si ad tantam deuoluuntur calamitatem, qui cùm mortalia peccata libenter fugere velint, nullo feruore ad proficiendum accenduntur: quid de illis erit, qui non solùm nullam agunt pœnitentiam, sed vt iumenta in suis stercoribus computrescunt, scelera sceleribus cumulantes? O vtinam sapiant isti, & citò redeant ad cor suum.

Desperatio vox.

Infimis tantū Angelis assotiandi.

Quibus præstiterit nulli se religioni addixisse.

Qui deuotis hominibus graues Ioel. 2.

II. Alij non solùm infernum metuunt, sed etiam purgatorium. Quod ne subire cogantur, non mortalia tantùm, verùm etiam quotidiana venialia peccata fugiunt diligenter, pro præteritis peccatis gemunt & plorant, ac duram agunt pœnitentiam. Qui si in hoc statu decesserint, priusquam in virtuosis dilectionis operibus proficiant, diros cruciatus longumq́ue purgatorium, attamen vel centuplo mitius quàm priores illi subire cogentur, eò quòd in prædictis diligant immodicè seipsos: tum etiam, quòd contritio & pœnitentia ipsorum ex pœnarum formidine, quas se meruisse haud nesciunt, non ex puro diuinitatis amore procedat: in quo diuinæ sunt bonitati infideles, nec verum ad Deum accessum habuêre, sperando videlicet & confidendo in bonitate, passione ac meritis il-

lius magis, quàm in proprijs, licet & hæc exigantur. Proinde quicquid in his peccatum siue neglectum est ab eis, diris cruciatibus ac pœnis in purgatorio expiare debebunt. Quo facto, ad secundum poterunt Angelorum ordinem pertingere. Habent autem isti centuplo abundantiorem mercedem, quàm præcedentes illi, eo quòd plura suis proximis virtutum ac pietatis exempla reliquêre.

Archangelis iungendi.

III. Tertij verò non modò infernum ac purgatorium timent, sed libenter etiam absque omni purgatorio ad cælos euolarent. Ideoque non mortalia tantùm & venialia peccata, sed etiam minutos quosque defectus studiosè deuitant. Ad hæc seipsos pro virili, quantum valent, abnegare nituntur & vincere, ne quid secum morientes auferant, quod ardere possit: seriò quoque pœnitentiæ actibus, alijsque bonis operibus insistunt, aduersa strenuè perferunt, & quicquid purgatorio obnoxium esse queat, dum adhuc viuere licet, abijcere & emendare festinant. Hi prioribus illis Deo chariores sunt, magisque placent: sed tamen adhuc purgatorium subeunt, eò quòd omnia hæc magis propter seipsos, quàm pro Dei gloria faciant & patiantur: multo tamen citius, quàm prædicti inde eximuntur, eò quòd præ illis plus diuini amoris habeant. Exempti verò ac erepti de pœnarum loco, ad tertium poterunt chorum Angelorum, qui Virtutum habet vocabulum, euolare, propterea quòd sensualitatis suæ mortificationi diligenter institerint, maiorem quoque præ illis alijs supradictis gloriam & honorem consequuturi. Omnes isti adhuc ad primum conuersionis gradum pertinent, vtpote qui ex timore & pœnarum formidine conuertuntur: & quasi à sinistris suam ipsi ordiuntur sanctitatem.

Virtutibus aggregandi.

Conuersionis gradus tres.

I. Porrò alij, qui videlicet ex appetitu & desiderio gloriæ & beatitudinis sempiternæ vitam in melius commutant, quasi à

II. dextris accedunt. Hi plerunque homines sunt naturaliter læti: quo fit vt potius æternæ beatitudinis gloria & gaudio, quàm pœnarum infernalium metu trahantur, dicentes sibijpsis: Si tantùm delectant tempora, quid de æternis sentiendum est, quibus transitoria nulla comparari possunt, quæ perpetuis sunt mansura temporibus? Hæc & his similia, adeò ipsos ab omnibus mundanis vanitatibus, voluptatibus & oblectationibus auertunt, abstrahuntque, vt earum penitus obliti, mundo valefaciant, & ex animo ad Deum sese conuertant. Hi omnibus prædictis ex timore conuersis longè meliores sunt. Cumque vel institutum Monasticum, vel alium laudabilem statum arripiunt, adeò feruent, adeò saluti suæ seriò intendunt, vt non solùm peccata omnia magna & minuta fugiant, sed etiam tota intentione virtutes omnes, quantum possibile est, conentur adipisci: & vbi aliquod meritum conquirere possunt, strenuè laborant. Dum enim præmij illius, quod sibi restituendum sperant, immensitatem & æternitatem attendunt, nullus labor, nullus dolor, nimius eis esse valet: agunt & patiuntur libentissimè quicquid possunt, tantùm vt beatitudinem consequantur. Insuper copiosioris ac perfectioris gratiæ multo quàm supradicti omnes, capaciores sunt: & si in hoc statu decesserint, fieri potest, vt ad quartum Angelorum Ordinem, qui Potestates dicuntur, perueniant: ob ingentem strenuitatem suam, non tamen absque purgatorio, eò quòd & ipsi in cælestis regni quæsitione se potius, quàm Dei gloriam spectent, & pro scopo habeant: quod tamen sæpenumerò eis ex quadam inexperientia & ignorantia accidit. Horum profectus præcipuè in tentationibus & aduersitatibus consistit. In his enim seipsos nosse discunt, quòd gratiam ac dona Dei in seipsis cum proprietate possideant, ac se-

Quales sunt ex amore solo conuersi.

Inter cõuersos optimi qui.

Potestatibus sociandi.

ac sese potius ament quàm Deum, diuini honoris obliti. Igitur nihil his vtilius est, quàm vt diuersis afflictionibus & molestijs prægrauentur, probentur, examinentur, donec ad sui ipsorum notitiam perducti, omni propria quæsitione abdicata, diuinum honorem plus quàm seipsos, & proximos quosque tanquam seipsos diligant. Atque per hoc diuinæ iustitiæ propiores & conformiores efficiuntur. Et si hoc in statu antequam tepescant, eos obire contigerit, ad quintum Angelorum Ordinem, qui Principatuum est, deducentur. Breue tamen purgatorium sustinebunt, eo quòd amor ipsorum necdum verè purus sit. Quòd si profecerint in hac iustitiæ virtute, vt in aduersis, afflictionibus & irrisionibus se ipsis meliores, patientiores, & in intentione puriores fiant, magnam deinde assequuntur fortitudinem, ita vt deinceps tentationes & passiones omnes nihili pendant: quod inde potissimum contingit, quia omni renuntiant proprietati & propriæ quæsitioni. Hæc verò proprietatis abnegatio, quietem ipsis & pacem abundè præstat: quò fit vt tentationibus dominentur. In hoc feruore decedentes, fieri potest vt ad sextum Angelorum Ordinem, qui Dominationum est, perducantur. Tertius denique conuersionis gradus est, quando quis diuinam bonitatem, & beneficia sibi à Deo collata præter suum meritum attendens, ex horum consideratione totus ad gratitudinem & amorem Dei accenditur: iamque desiderare incipit eiusdem omnipotentis Dei, cum omnimoda propriæ voluntatis abnegatione seu resignatione, se seruitio mancipare. Et quia præ magna erga Deum reuerentia quid potissimum ad illius gloriam facere debeat, necdum perspectum habet, eundem cum metu & amoroso desiderio anxius inuocat, dicens cum Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* O si mihi scire liceret quidnam me vel facere, vel pati, vel dimittere velis: equidem mihi non parcerem. Nunc igitur Domine Deus, perfice hoc in me per gratiam tuam. Hunc ita affectum non metus inferni terrore concutit, non desiderium gloriæ exhilarat vel trahit, sed vehementer intrinsecus dolet de peccatis suis, non ob pœnæ formidinem, sed ex puro diuinitatis amore, lugens & dolens quòd immensæ bonitati Conditoris sui tam fuerit infidelis, nec huius potest infidelitatis obliuisci. Ideoque nescit, quo pacto quibusve pœnis hanc eandem in seipso dignè queat vlcisci infidelitatem. Cæterùm ita illi videtur, quòd si eam super se potestatem haberet, quam Deus habet, seipsum in infernum pro suis iniquitatibus puniendum præcipitaret. Ob hunc igitur iustitiæ zelum, quo peccata sua meritas optat pœnas luere, & pro viribus etiam seipsum in pœnitentiæ doloribus & actibus affligit, nunquam iudicabitur à Deo, & si vel omnia totius mundi flagitia solus perpetrasset, eodem momento quo sic perfectè doleret, omninò illi remitterentur. Atque ita decedens, nullum experiretur purgatorium, sed fortasse etiam ad septimum Angelorum Ordinem, quem Throni occupant, deduceretur, vtpote qui iam Dei sedes, & vas electionis effectus foret. Cui si diutius superesse contingeret, & indies magis ac magis in hac iustitia ex puro amore cresceret, iam cum Cherubim in diuino proficienti lumine, ex sententia cum Propheta decantare liceret: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ad amandum & dimittendum, ad agendum & patiendum iuxta gratissimum beneplacitum tuum, non voluntatem meam, quicquid mihi euenire volueris in tempore vel æternitate. Denique adhuc vlterius in hoc iustitiam zelante amore progrediens, tandem cum Seraphicis spiritibus valido diuinæ dilectionis ardore succenditur, ita vt cum Aposto-

Principatibus applicandi.

Dominationibus adiungendi.

III.

Actor. 9.

Thronis adducendi.

Cherubici. Psal. 56. & 107.

Seraphici.

Rom. 7. Phil. 1. Apostolo dicat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, vt (quod multo melius est) esse valeam cum Christo? Qui tamen fraternæ rursus salutis Rom. 9. desiderio accensus, cum eodem fidenter loquitur: *Opto ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: & hoc ob fructum illum, quem se facere posse circa proximos suos intelligit. Ob hanc verò sui resignationem, per quam seipsum pro fratrum & proximorum exit, abnegat, impendit salute, Deo supremo modo quàm optimè placet: ita vt descendens hic in ipsum, cum eodem se dignanter vniat, faciens illum secum vnum spiritum, vt iam cum Apostolo dicere queat Gal. 2. lætabundus: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus*. Præstet nobis summus & altissimus Deus, vt & nos hoc pacto conuertamur ad ipsum. Amen.

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE, quæ Inuocauit dicitur, cuius Euangelium habes Matth. 4. de tentationibus Domini.

Author D. Ioannes Rushrochius, in libello de 4. tentationibus subtilibus.

De quatuor subtilibus tentationibus, per quas bona pars hominum ad vitia pertrahuntur & seducuntur: & quomodo eiusmodi sit tentationibus resistendum, & vita correctior obtinenda.

SERMO I.

Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. APOC. II.



HAEC thematis verba, siue ipsum thema ex ij. Apocal. cap. desumptum est, vbi sic habes: *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, hoc est, vniuersæ Christianitati seu populo Christiano: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*. Hoc est, Qui aduersus diabolum, mundum, & carnem dimicans, victor euaserit, non lædetur à morte, nullo fine terminanda. Hæc enim mors secunda dicitur. Quotquot igitur studiosius se intrò recipiunt, ad inspirationes diuinas intus hauriendas, quàm ad hominum percipienda verba foras sese conuertant, quosqúe non tam sciendi curiositas, quàm bene viuendi cupido ad audiendum Dei verbum solicitat & inuitat: quibus item Dei sermo cibus est introductorius, in quo Deus illis quàm optimè sapit & placet super omnia, quiqúe demum cum fide & dilectione verbo interno simpliciter inhærent, ij sunt qui aures audiendi habent. Tales nanque apti sunt omnem intelligere veritatem, quam Deus illis reuelare voluerit: ijdemqúe peccata omnia vincunt, quæ est mors prima: nec læduntur à damnatione perpetua, quæ est mors secunda: quæ peccatum, hoc est, primam mortem, certissimè subsequitur. Illorum verò qui multiplices sunt, & in studio sacræ Scripturæ cum vana sui atque scientiæ suæ complacentia procedunt & versantur, semper alios docere volentes: hos (inquam) quicunque sequuntur, nunquam ad ipsius notitiam veritatis pertingunt: sicut nec ipsi quos sequuntur, eò quòd hi faciem suam à simplici lumine veritatis, quod in ipsis est, auertentes, ad Scripturæ sese multiplicitatem conuertant. Quamobrem diuinam non merentur illuminationē. Siquidem nec Spiritui sancto, nec cuiquam cedere consentiunt, sed semper Scripturæ literam sequi, & omnia pro suo volunt sensu & iudicio non intelligere tantùm, sed & docere. Hinc sæpius accidit, vt opi-

Audiendi aures qui habeant. Mors prima aut secunda, quæ

Ad veritatem qui non pertingunt. Qui diuinæ illuminatione indigni.

facinoribus cupimus præseruari, operæpretium est, vt discamus nosse & obseruare nosipsos per simplicem ad interiora nostra introuersionem, atque ita intus commorando, intra nosipsos & circa diuinas inspirationes permaneamus, audientes *quid loquatur* in nobis *Dominus Deus*. Ibi veram veritatem & vitam audiemus atque discemus: & tunc vita nostra, & sacræ Scripturæ, & sanctæ Ecclesiæ, & omnibus Sanctis consentanea atque conformis erit: sed & virtutum ac præcipuè humilitatis amore, tum à Scripturis diuinis, tum à cunctis mortalibus argui & reprehendi desiderabimus: & breuiter iucundum atque gratissimum nobis erit, & audire & videre sanam doctrinam, vitæque sanctitatem & innocentiam. Hæc porrò boni hominis indicia sunt. Omnia nanque ista inuiti audiunt, & non sine molestia percipiunt, quotquot seipsos non penitus exeunt, omnemque voluntatis suæ proprietatem in quibuslibet rebus aduersis, præsentibus vel futuris, non perfectè abnegant per studium atque exercitium mortificationis sui ipsorum, carnis, sanguinis, sensuum, & intellectualium operationum suarum, iuxta omnem modum, quo tam à Deo intus, quàm à secretioribus amicis illius foris admonentur, instruuntur, vrgentur, ac impelluntur, quandiu hic supersunt. Cæterùm id cum primis hic dicendum venit. Quatuor in mundo tentationes siue diabolicas seductiones & imposturas grassari: quas si quis diligentius perspexerit, nullo negotio nosse poterit, vtrum errore aliquo deceptus sit, an Christum Iesum re vera sequatur. Sunt enim tentationes istæ, modi quidam errorum. Et quotquot spiritales videntur, nec tamen coram Deo veram ducunt & virtutum studiosam vitam, aliquo horum quatuor modorum seducti sunt atque decepti. Aduertatur hic, oro, quænam sint errorum omnium causæ atque origines. Quisquis Deum & supra seipsum, & supra creata omnia intentione ac amore non prosequitur, ille semper diuini honoris, verarum virtutum, atque adeò ipsius Dei neglector est. Hinc fit, vt omni tentationum generi siue modo expositus sit, procliuis ad mala omnia. Siquidem infirmus & ignarus existens, facilè seduci potest, & sæpe nesciens in varios errores ac laqueos pertrahi. Hic iam nihil dicturus sum de illis, qui in manifestis ac grauibus mortiferis degunt vitijs: (horum enim aperta sunt opera) sed de ijs, qui sub dubio, specie, & opinione spiritalis vitæ, erroribus implicantur ac agitantur, & à sua salute procul aberrant. Itaque prima tentatio siue impostura, qua vel maximè bona pars hominum miserabiliter seducta est, natura est indomita. Ad hanc pertinent omnes illi, qui naturæ & sensuum suorum voluptates, oblectationes, affectus, propensiones & commoda sectantur in videndo, audiendo, loquendo, conuersando pro sensuum desiderijs, desiderando: item placere inuicem, prouocando mutuum amorem per munerum largitiones, per verba opera, per gestus & literas & nuntios, curiositatem quoque, vanitatem & lautitias sectando contra rationem, absque iusta necessitate, tam occultè quàm manifestè, in cibo & potu, in vestitu, in habitus varia, peregrina, & lasciua specie, grato-

Hominis boni indicia.

4. tentationes seu modi errorum.

Errorum omnium causæ.

1. tentatio.

gratoqúe colore, aliarumqúe diuersarum rerum multiplicitate, quibus putre carnis suæ cadauer, paulo post vermium escam futurum, ornare gestiunt, quo diabolo & satellitibus ei seruientibus queant placere. Hæc igitur prima est tentatio siue impostura, quæ & communissima est omnibus, quæ omnem ferè totius Ecclesiæ & populi Christiani deuotionem ac synceritatem miserabiliter infecit atque corrupit. Ipsa siquidem in Monasterijs, in inclusorijs, in Ordinibus, inter Prælatos, atque in omni sanctæ Ecclesiæ statu, à supremo vsque ad infimum, dominatur: quæ potior causa est, cur veræ virtutes hodie tam parum agnoscantur, tam miserè negligantur ab omnibus. Quodqúe magis dolendum est, adeò quidam excæcati sunt, vt mutuam complacentiam dicant esse castitatem & spiritalem amicitiam, quam Deus amet: se teneros & infirmos, ac nobilioris habitudinis vel complexionis esse, & ideo multa commoditate & supellectili opus habere. Denique bonos quosque omni honore dignos asseuerant, persuasum habentes se tales esse, in quo tamen nimium falluntur. Et licet chorum noctu diuqúe visitent, multa legant, psallant, preces vocales multiplicent, & id genus alia bona opera perficiant: ea tamen nec ipsis, nec Deo sapiunt, eò quòd ad exteriora diffusi, secundùm carnem ambulent, non secundùm spiritum, cæci, & inobedientes veritati ac instinctui Spiritus sancti: Ideoqúe sacra Scriptura & Sancti veteres in cælis iam degentes, verbis & vita omnes illos execrantur & maledicunt, qui cùm secundùm carnem & sanguinem viuant, nihilominus se Sanctos esse arbitrantur. Tales nanque destruunt, quod Christus & Sancti eius sanguine suo & tam viuendo quàm moriendo, ad Dei gloriam sacrârunt, fundaruntqúe. Denique hæc prima tentatio est, quæ in carne dominatur, per quam plurimi seducuntur.

Communissima tentatio quæ.

II. Secunda tentatio, ex qua secundus error oritur, prædictæ contraria est, vtpote quæ ex falso spiritu procedit, magnam præ se ferente sanctitatem, vbi nulla est. Hinc liquidò aduertere licet, multos in graues errores incidere, qui tamen plurimum videantur religiosi, & magna præditi sanctitate. Quod vt manifestius fiat, quæ subiungo, notanda sunt: Quicunque neglectiorem habitum, vitam duram & pœnitentiæ deditam assumit, & amicis atque cognatis, bonis temporalibus & omni mundano solatio ita renuntiat, vt in hoc seipsum magis propriumqúe commodum & lucrum suum, quàm Dei honorem, spectet & amet: hic instabilis est, & procliuis ad malum, ad illapsus vel incidentias vanas diuersarum rerum, cogitationum & imaginum, & ad quaslibet tentationes spiritales & errores. Opera namque sua ex proprietate quadam suijpsius perficit, & ad sese reflectitur. Et si Deum diligit, eidemqúe qualecunque seruitium impendit, cùm id pro suo faciat lucro, commodo & amore priuato, amor iste naturæ est, non gratiæ. Sibijpsi enim necdum mortuus est, nec se libero Dei vult beneplacito resignare & offerre. Ideoqúe Deo omnipotenti confidere non audet, quippe cuius natura cedere nusquam, sed in omnibus vult esse certa atque secura. Quapropter Deum pro sua voluntate & commodo habere desiderat, puta vt ille specialem quandam ipsi præ cæteris exhibeat familiaritatem, Angelum aliquem aut Sanctum ipsi mittat, à quo, vti viuendum sit, instituatur, & vtrum Deo placita sit vita sua, intelligat, vel certè literas aureis scriptas characteribus ad ipsum perferri curet, aut saltem per somnium siue visionem beneplacitum suum ipsi reuelet. Hæc autem vt plurimum ex spiritali procedunt superbia, qua excæcatus eiusmodi, tantis Dei beneficijs dignum

Superbiæ spiritalis depictio.

dignum

dignum se arbitratur. Et licèt quibusdam Sanctis talia contigisse dubium non sit, non est tamen cur iste ad similia adspiret. Hic porrò fallitur sæpius. Singularia Dei beneficia Sanctis quibusdam præstita, sibi quoque præstari exoptat: sed saluberrima Sanctorum dogmata, vitamqúe sanctissimam pro nihilo ducit, negligitqúe. vellet autem libenter inuisam antea sanctitatem exhibere, & raris quibusdam vijs, nulli hominum cognitis, ingredi. Et quia ex amore priuato, quo quis sese ac suum potius, quàm Dei amat & aucupatur honorem, falsa quædam & vmbratica sanctitas & hypocrisis, id est, vita superba ac simulata, nasci solet: singularem quendam forinsecus viuendi modum, signa & gestus assumit, & singularem præ se fert sanctitatem, quò ab omnibus credatur esse sanctus: atque per hos ipsos, quos foris exhibet, singulares modos suos gratiam inueniat apud omnes, placeat omnibus, & cunctorum opinione magnus habeatur. Sed si vita pœnitentiæ dedita, dura ac rigida exercitia, & externa instituta siue modi profunda sint cordis humilitate destituta, semper ibi hypocrisis quædam admixta est. Hinc nimirum accidit, vt is, de quo agimus, eiqúe similes, æquanimiter ferre non possint, vt aliquis ipsis dicatur sanctior, aut maioris sit opinionis quàm ipsi. Nam & instar Pharisæorum spiritaliter superbi sunt, & suo iudicio sapientes & perspicaces, cùm tamen reuera obesæ naris sint, inscij atque rudes, vtpote qui summam felicitatem & sanctitatem in solis externis operibus constituant. Et si Deo permittente, diabolus illis vel per somnia peruersa, vel per visiones manifestas appareat, transfiguratus *in Angelum lucis*, gloriantur admodum & sibijpsis impensius placent: atque ita periculosius adhuc decipiuntur: istaqúe adeò sibi appropriant, vt deinde vix vnquam conuerti possint. Hic itaque secundus est tentationum modus, per quem hostis fraudulentus homines proprietarios, qui suam nolunt abnegare, exire, relinquere voluntatem, quiqúe seipsos per inordinatum sui amorem possident, tentat atque seducit. Tertia tentatio siue impostura, præcedentibus longè intellectu subtilior est, difficiliusque aduerti potest. Hanc incidunt, qui religiosum siue spiritalem viuendi modum tenentes, sensibus subtiles sunt & acuti, ac intellectus naturalis acumine, & versutia pollent: sed diabolica fraude seducti, natura, ac donis naturalibus, pro naturæ voluptate absque amore & paupertate spiritus, profundaque humilitate, vtuntur & exercent. Natura siquidem ipsorum & sensus interiores, naturali lumine vigent ac florent: ipsumque lumen tanta cum voluptate ac proprietate possident, vt omnino persuasum habeant, veritatem omnem & quicquid ad vitam rectissimè instituendam ac agendam pertinet, absque supernaturali diuinæ gratiæ ope & auxilio, se capere posse & perspecta habere. Sed in hoc falluntur, maligni spiritus consilio ac persuasu decepti, magnamque spiritalem superbiam incidunt, adeò ipsorum animum inflantem, vt rarò possint resipiscere. Putant enim primam veritatem naturali suo lumine se consequi & apprehendere posse, atque suo acumine & scientia penetrare & peruestigare moliuntur arcana quæque mysteria sacræ Scripturæ, quam ipse Spiritus sanctus æternaque sapientia dictauit. Hinc præ superbia qua tument, se totius orbis sapientissimos credunt: omnemque Scripturam multo se lucidius ac perspicacius intelligere arbitrantur, quàm ipsis Sanctis, qui eam ex sancti Spiritus inspiratione conscripserunt, docuerunt, ac viuendo sectati sunt, fuerit intellecta. Horum omne exercitium est, intus imaginari,

Singularia aliquorum an vni uersis exoptanda.

Humilitas quantam vbique v... habeat.

2.Cor.11.

Proprietariorum pericula.

III.

Vide quã hic acu tanguntur huius seculi Hæresiarchæ.

studere, & ipsas Scripturas, quatenus audent arguere. Alios quosque, vitam sanctam & simplicem aut pœnitentiæ deditam ac rigidam ducentes, vt rudes asinos & bestias despiciunt, quippe qui sibijpsis præ omnibus placent, plusque delectationis & gaudij intus experiuntur in illis, quæ intra sese per rationem intelligunt & apprehendunt, quàm in his, quæ rationem omnem transcendentia, fidem exigunt, fideque, non intellectu capiuntur, & æternam nobis conferunt beatitudinem. Quapropter non absurdum fuerit, eos gentilibus ac paganis incredulis Deum ignorantibus comparare. Semper noua quædam & nouas adinuentiones proferre gestiunt, & exhibere coram hominibus, loquentes inde cum naturæ delectatione. Est enim hoc maximè commune eis, vt agant omnia & loquantur ex quadam sui proprietate: quò fit, vt placeant sibijpsis, priuatum venentur honorem, & superbiam exerant, quamuis id ipsi minimè aduertant. Huc accedit quòd vt plurimum difficilis extrinsecus conuersationis sunt, morosam quandam præ se ferunt grauitatem, adspectu torui & asperi, erga alios superbi & animosi, & corpori suo necessaria, quamuis pretiosa & lauta, abundè in omnibus administrantes. A cunctis honorari appetunt, & cæteris hominibus anteferri. En hic tertius est tentationum modus, quo omnes illi seducuntur, qui magno ingenio ac subtilitate præditi, in sua naturali prudentia aut acquisita scientia per vanam sui complacentiam sese extollunt, atque per seipsos cum lumine naturæ suæ absque gratia Dei ascendere moliuntur.

Qui pagani hodie censendi.

Qui tentationi huic obnoxij.

IV. Quarta tentatio siue impostura, præ iam dictis amplius formidanda, (quam quotquot incidunt, adeò à Deo cunctisque virtutibus procul aberrant, vt vix vnquam ad iustitiæ semitam reduci possint) omnes illos complectitur, qui sine virtutum exercitijs perinde pictum nudumque intellectum, essentialem animæ suæ existentiam intra se reperiunt, possidentque in nudo quodam otio spiritus ac naturæ suæ. Hi in vanum & cæcum quoddam essentiæ suæ otium prolabuntur, omnium prorsus bonorum operum & exercitiorum, intus æquè vt foris, incuriosi fiunt, cunctasque internas actiones, vt est, verbi gratia, velle, nosse, diligere, desiderare, & omnem demum actuosam ad Deum accommodationem, contemnunt, abijciuntque. Qui si toto vitæ suæ spatio vna saltem horula Deum puro amore ac intentione fuissent prosecuti, verasque virtutes gustassent, ad hanc cæcitatem & infidelitatem prolabi haudquaquam potuissent. Sanè ipse Christus Dominus & Redemptor noster, omnes beatorum Spirituum Ordines & homines sancti, in omne æuum agent, amabunt, desiderabunt, gratias agent, laudabunt, velle & nosse habebunt, & sine his actionibus beati esse non possunt. Ipse Deus, si non operaretur, neque Deus esset, neque beatus. Vnde multum falluntur isti planè miseri, & omni lacrymarum fonte plangendi, qui in peruersa naturæ suæ quiete obdormiunt ac demerguntur, eandemque colunt & sectantur quietem: cumque hanc intra se sentiunt, absque amore & virtutum exercitijs ipsam possidere, eidemque inhærere volunt. Inde verò magna infidelitas, hæresis, & peruersa falsaque spiritus libertas oritur. Hac tentatione siue impostura quotquot seducuntur, vt plurimum simplices sunt, in virtutibus parum aut nihil exercitati, & de vera sui mortificatione ne pilum quidem habentes: aut si etiam diu multumque in magna se pœnitentia exercere curârunt, absque amore tamen & pura erga Deum id intentione fecêre. Istorum modus est, quieta corporis in aliquo loco sessio.

Contra quosdam quieti suæ, imò ignauiæ nimium deditos.

fessio & collocatio, & omni operatione seposita, cum otiosa & ab imaginibus denudata sensualitate, intra seipsos se recipere. Et quia absque exercitio sunt & amorosa ad Deum adhæsione, ideò non penetrant seipsos, sed in sua propria essentia quiescentes, ipsam pro Deo seu idolo habent. Interim tamen vnum esse cum Deo, & vnam essentiam cum illo sibi habere videntur. Quod cùm impossibile sit, omninò periculosissimè grauissimeque decepti sunt, sicut & ante dixi, & aliàs crebrò me vobis dixisse memini. Iam restat vt videamus, quo pacto his iam dictis, & alijs quibuscumque tentationibus & imposturis quisque reluctari, eas, diuino fretus auxilio, superare, Deoque honorificè, & sibi ac proximis omnibus vtiliter viuere debeat & possit. Quod sanè quisquis obtinere appetit, aliud ei omninò tenendum est iter, alia ad cælestem patriam gradiendum via, quàm sit ea, de qua hactenus locuti sumus. Seipsum namque vt verè miser peccator, qui nihil ex se habeat, nihil possit, nihil velit boni absque gratia & auxilio Dei, in loco intimo sub hominibus vniuersis collocabit constituetque. (Super hoc suæ depressionis ac humiliationis fundamentum, vitam poterit sublimem construere) semperque intus cum Publicano clamabit, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, simulque spem perpetuam erga diuinam geret bonitatem. Dehinc præcepta Dei & sanctæ Ecclesiæ tali strenuitate aggredietur, vt fixum habeat in animo suo, ea, quòad vixerit, diligenter implere, & perseueranter inhærere eisdem. Rectæ rationis suæ dictamen promptè sequetur, Deoque & cunctis hominibus, apud quos vitam agit, libenter obediet, quatenus in hoc pacem, virtutem, & suæ proprietatis mortificationem consistere aduerterit. Sensus atque naturam sub fræno semper habebit, cunctis inordinatis resistet oblectationibus, seipsum exiet & abnegabit, propriam voluntatem, iudicium & sensum in omnibus, quando in hoc virtus sita erit, mortificabit & abijciet. Crucem suam tollens, Dominum Iesum Christum in pœnitentia & abstinentia sequetur, discretè tamen, quantum vires corporeæ & natura poterit sustinere. Erga omnes strenuam fidelitatem & beneuolentiam & communem in animo geret dilectionem, à quibus neminem prorsus excludere licebit, Domino Deo suo integram exhibebit obedientiam, & in omnibus eiusdem cum illo voluntatis erit. In aduersis quibuscunque patientiam cum hilaritate coniunctam seruabit, mitem, benignum & amabilem se præstabit omnibus, quos aliquo saltem modo ad Deum & virtutes se conuertere posse putabit. Prælatis ac superioribus suis, imò & bonis omnibus, vbicumque eos nosse poterit, pro cuiusque tamen conditione, sine simulatione, honorem impendet ac reuerentiam. In omnibus omnium necessitatibus, plena fidelitate, verbis, operibus & rebus omnibus quibus poterit, salua semper discretione, misericordiæ & charitatis exercebit opera, ac pietatis viscera pandet. Omnibus falsis ac subdolis hominibus, vbicunque eos agnouerit, semper grauem, serium ac maturum se exhibebit. Quæcumque recta ratio dictat aut diuinæ tradunt literæ, aut sancti homines docent, pro viribus (cum discretione tamen) obseruare conabitur. Possem hîc innumera dicere, quæ ad vitam componendam, moresque formandos pertineant, de bonis quoque exercitijs & vitæ sanctimonia: sed istud habenti fundamentum, de quo iam paulò diffusius loquutus sum, intra seipsum cum Dei gratia cuncta ad vitam rectè instituendam necessaria inuenire pronum erit. Est enim

Qui se pro idolo habeant.

Remedia cōtra tentationes optimū.

Lucæ 18.

Matt. 16.

enim hic communis quidam virtutum modus, omnibus illis oppidò quàm necessarius, qui Deo placere volunt, & tentationes omnes vincere. Attamen velim nos adhuc subtilius & profundius interiora nostra scrutari & obseruare, quo diuitias Dei, in spiritu nostro viuentis, limpidiùs ac viciniùs reperiamus, sentiamusque. Itaque nosipsos intrò recipere debemus, ac nudam & indepictam intelligentiam incomprehensibili exhibere & exponere veritati Dei, quam nobis impressam, nosq; vicissim illi impressos, & vnum cum illa effectos, in nobis inueniemus. Et hæc est clarissima vox, qua Dei filium inuocamus, eiusque cum illo hæreditatem & nosipsos possidebimus. Deinde hac sublimi cum dignitate & honore ad nosipsos redeuntes, coram omnipotentis Dei maiestate nos submittemus ac inclinabimus, idque in quandam nostri nihilipensionem, resignationemque, ad perferenda æquanimiter omnia, quæ Deus nobis euenire voluerit in tempore ac perennitate. Et hæc est vox gratiosissima. Ita & Christus secundùm humanitatem sese demittens, vitam nobis æternam comparauit ac emeritus est. Cum hac voce diuinam inuocamus iustitiam, simulque cum Christo in infinitam Dei abyssum siue profunditatem, cuius fundum nemo vnquam attingere valebit, descendimus. Ex hac verò profundissima demissione libera mente ad summam nos sublimitatem erigemus, atque cum omnibus beatis Spiritibus & Sanctis Dominum Deum in Christo IESV amabimus, laudabimus, eique deuotissimè gratias agemus, nunc & in omne æuum. Et hæc est iucundissima vox, quà supersanctissimam inuocamus Trinitatem, quam intra nos inueniemus habitantem in nobis cum omnium donorum & gratiæ plenitudine, nosque cunctis cum virtutibus ab illa nobis collatis, in diuinam reflexos vnitatem. Deinde ex hac locupletissima vnitate liberè profluemus vnà cum largissima bonitate diuina, cordeque liberalissimo atque pijssimo per cælum & terram, cum gratia & gloria, bonisque omnibus cuique necessarijs permanabimus. Et hæc est vox dulcissima, qua sanctum

Amor.

inuocamus Spiritum, per quam amoris possidemus latitudinem, vnumque efficimur cum illo. Porrò vbi amor ita spiritum possidet in vnitate, tum spiritus attingit viuacitatem, eidemque immensas suas diuitias felicissimè gustandas exhibet porrigitque. Tum verò cuncta hominis interiora, delectatione spiritali, castissimaque permouentur voluptate: vnde deinceps auidè desiderare & inhiare incipit in amoris infinitatem. Et hæc est occultissima vox, qua ipsum postulamus amorem, vt nos in se absorbeat, atque consumat in abysso sua, vbi omnes amantes spiritus sua destituuntur operatione, & fruitioni cedunt & vacant. Ibi se caliginosum manifestat silentium siue quies, quæ supra omnem modum otiosa consistit, in qua mortui sumus & supra nosipsos viuimus. Hæc est enim fruitio & summa beatitudo nostra. Hic

Absorptio in Deum

Silentium Spiritus.

est perpetuum quoddam silentium in nostra, vt ita dicam, superessentialitate: hic nullum profertur verbum in personarum vnitate, nec huc quisquam pertingere potest absque amore & virtutum exercitatione in iustitia. Falluntur igitur, & ab omni procul veritate nimis aberrant, quotquot falsum sectantur otium, falsamque spiritus libertatem. Et hæc ratio est omnes vincendi tentationes, cunctasque nequissimi hostis insidias & imposturas. Sanè hanc amoris celsitudinem & perfectionem multi nullo negotio consequi possent, si ita probè & sapienter exercere se curarent, vt iam superius dixi faciendum. Sed hoc

hoc plerisque admodum difficile est, & à paucis adamatur. Alij nec perspectum habent, vt carnem & sanguinem, & quod amplius est, propriam oporteat mortificare voluntatem. Nemo proinde facilè sibi magnam arroget sanctitatem, nemo de seipso plus æquo sentiat. Sæpe etenim non nisi naturalis quædam affectio siue propensio est, hoc est, indita naturæ delectatio, & proprius sensus siue iudicium, & instabilitas aut nouitas quædam, vel naturæ impetus, quod magna putatur esse sanctitas atque perfectio. Quandiu enim quadragesimum necdum excessit annum, ad varias affectiones homo pronissimus est, & natura instabilis. Frequenter etiam saporem & delectationem quærit, seipso neque sciente, neque aduertente in exercitijs suis: atque ita his ipsis vt plurimùm natura sese admiscet. Vnde fit, vt vbi se spiritum fouere, id est, sanctè viuere existimat, ibi immortificatam quandam suijpsius proprietatem & meram naturam suam foueat. Hinc sanctus Papa Gregorius, Leuitas Testamenti veteris vsque ad annum quadragesimum in tabernaculo fœderis ministrasse, deinde vasorum custodes effectos fuisse ait, ea ratione, quòd tunc natura frigidior fit,& ad occasum tendat: sicque Leuitas per ministerij sui perseuerantiam & bonorum operum aggregationem in seipsis, ea ætate sedatos, roboratos, solidatosque fuisse. Inde etiam est, quòd olim in lege anno quinquagesimo, qui Iubilæus dicebatur, terra quiescebat, remissio fiebat cunctis habitatoribus terræ, laxabantur debita, reuertebatur quisque ad hæreditatem patrum suorum, captiui soluebantur, & serui liberè nati, manumittebantur. Ita nimirum Dominicam intra nos consequuti natiuitatem,seu Verbi æterni generationem experti, tum primùm viuere incipimus: estque tunc oppidò quàm necessarium, vt in templo Dei,hoc est,intra nosipsos ministremus, actibus pœnitentiæ incumbendo, & sanctis operam nauando exercitijs, donec per Dei gratiam, terrenam & vitiosam vitam nostram,& quicquid tam Deo,quàm virtuti contrarium est,in cogitationibus, verbis, moribus, actibus & cunctis exercitijs nostris, funditus extirpemus, abdicemus, atque vincamus: adeoque ipse in nobis Dei amor conualescat, vt ad affluentissimam bonitatem, quæ idem ipse est, nos sustollere queat: vbi tum eadem bonitas, cuncta interiora nostra penetrans perfluensque, tanta ea voluptate & gaudio perfundet atque replebit, vt omnis terra corporis nostri otio & quiete perfruatur. Exterior nanque homo noster eo tempore ab omni feriabitur opere & exercitio. Et hic est quinquagesimus remissionis annus, dictus Iubilæus. Incipimus autem numerare ab eo tempore, quo Christus Dei sapientia in nobis natus est. Hæc est, inquam, nostra ad Romanam vrbem peregrinatio. Hîc enim debita laxantur omnia, id est, peccata remittuntur, captiui à vinculis omnibus absoluuntur, id est, animus ab omni inordinato quarumlibet rerum creatarum amore eximitur, serui omnes, qui de libera stirpe seu progenie descendêre,manumittuntur: id est,vires animæ superiores tantam consequuntur libertatem, vt in sui eleuatione Deum amare, laudare, Deo gratias agere & seruire,in quolibet etiam modo,omni loco & tempore,possint absque vllo siue dæmonis,siue mundi,siue carnis impedimento. Attamen vires infimæ & sensus exteriores, perpetuæ manent subiecti seruituti, ac laborare coguntur. Cùm enim caro sint,& ex carne traxerint originem,si suæ voluntati relinquerentur, ipsam quoque carnem sequerentur, & carni seruirent: atque ita opus eorum vitiosum foret,rectæque contrarium rationi ac inordinatum. Hoc

Nemini de se præsumendũ.

Afflictionibus homo quousque maxime obnoxius.

Iubilæus.

Quinquagenarij anni remissio.

igitur modo ad æternam nostram reuertimur hæreditatem, quam heu peccando vendidimus ac perdidimus: & ita demum veri custodes tabernaculi Dei, quod nosipsi sumus, efficimur, quando iuxta Apostoli doctrinam, *in sanctitate & honore scimus vnusquisque possidere vas suum*. & per diuinam virtutem omnes superare tentationes, atque libera mente sine impedimento supra omnia ad perenne bonum illud, quod nostra hæreditas, nostra est beatitudo, nos subleuamus. Quod nobis omnibus præstare dignetur super omnia toto diligentius affectu Dominus Iesus Christus, propter nos sæpe à diabolo, sæpe à mundo & flagitiosis hominibus tentatus, qui nobis hæreditatem Patris sui pretioso sanguine, morteqúe sua acerbissima comparauit atque mercatus est, vt hanc, ab omni absoluti impedimento, liberi atque felices, *cum ipso & in ipso* possideamus in beata & interminata perennitate. Amen.


1. Thess. 4.

DOMINICA EADEM.

De quatuor diabolicis tentationibus & laqueis, per quos multi in suæ salutis periculum pertrahuntur ac seducuntur: vtqúe hos agnoscere simul & euitare debeamus.

SERMO II.

Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. PSAL. XC.



IN Psalmo eodem, vnde præsentis Sermonis thema desumptum est, ita quoque Spiritus sanctus cuilibet verè Christiano ait: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Vbi per has quatuor bestias, vno contentas versu, quatuor æquè grauissimi errores, aut occultæ tentationes possunt intelligi. Itaque per *aspidem* subtiles & occultæ hostis maligni versutiæ & tentationes designantur, quas illa quoque eiusdem Psalmi verba significant, quibus ait: *Non timebis à timore nocturno*, id est, vt iam dixi, à tentationibus occultis, quæ plerunque in aduersis recenter inchoantibus occurrere solent. Per has nanque tentationes illi vt plurimum impugnantur, qui adhuc in gratia paruuli sunt, hoc est, nouellæ plantationes. Per secundam bestiam, puta *basiliscum*, luxuria accipienda est. Ea quippe basilisci malitia est, vt quemcunque adspexerit, ipso visu interimat. Ita sanè quisquis luxuriæ incitamenta & occasiones vitare negligit, non potest peccatum effugere: quo perpetrato, animæ mortem incurrit. Hanc etiam verba illa exprimunt, quibus hoc in eodem Psalmo dicitur: *A sagitta volante in die*, hoc est, aperta fornicationis impugnatione intus in corde, quæ deinde ad naturæ contaminationem procedit per voluptatis consensum & expletionem. Per tertiam bestiam, *draconem* scilicet, auaritia significatur, quam illa quoque eiusdem Psalmi verba denotant, quibus ait: *A negotio perambulante in tenebris*. Est enim auaritia & apud Ecclesiasticos ac religiosos, dum veritatem vendunt pro quibusuis rebus temporalibus, quod & alijs multis commune est, Prælatis etiam & sapientibus, qui per hypocrisim ad dignitates & honores conscendunt. Per quartam bestiam, *leonem scilicet*, cordis superbia designatur, illis quoque verbis expressa, quibus idem Propheta ait: *Ab incursu & dæmonio meridiano*. Quam & Paulus *Angelum lucis* appellat, in quem superbiæ spiritus se transformans, grauiter hominem in aperto prosternit atque supplantat. Hæc tentatio eis solet esse molestior, qui

Quatuor occultæ tentationes.
I. Aspis. Timor nocturnus.
II. Basiliscus. Sagitta volans in die.
III. Draco. Auaritia spiritualis
IV. Leo. 2. Cor 11.

qui multo iam tempore vitam laudabilem gessêre, quibus sæpè malignus spiritus sub specie boni periculosissimè imponit. Verbi gratia: Manifestam illis virtutem aut apertum bonum, vt est ieiunium, vigiliæ, proprijs conceptibus inhærere, & eiusmodi proponit: quæ dum inordinatius ac sine discretione prosequuntur, vertuntur eis in vitium, & ita diabolica fraude seducti, corruunt in peccatum. Sed iam distinctiùs de singulis erit bestijs dicendum, & quos quæque designent. Et primò quidem de his, quorum tentationes per *aspidem* intelliguntur. Planè aspis natura est animal inuidum, & reptando graditur, illos proinde non ineptè designans, qui vbique & in omnibus suum commodum mollitiemqúe sectantur, in cibo videlicet & potu, in eundo & stando: aspera quæque fugiunt, & tam sibijpsis quàm alijs (quod ad corporis curam attinet) admodum propitij sunt atque benigni. Et quia naturam habent aspidum, odio prosequuntur quotquot ipsorum iudicio non subscribunt, nec eis satis placent. Atque sicut aspis nihil æquè odit vt hominem, quem vbicunque contingere potest, sua in ipsum venena effundit: ita & isti, qui caput ipsorum non sequuntur, nec ipsorum modo viuunt, hos peruersis insectantur iudicijs, ac singulares appellant: & ita charitatem, quam habere atque colere se credunt, violant. Tales plerunque sunt illi, qui naturę suę desiderijs, voluptatibus & oblectationibus seruiunt: qui dum in religiosis congregationibus ex multo iam tempore positi, vitam extrinsecus spiritalem seu religiosam duxêre, & grauiora quæque facinora & mortalia peccata vtcunque vitârunt, licitum sibi permissumqúe à Deo suspicantur, quibuslibet naturæ solatijs atque fomentis vti. Hic error totum ferè populum Christianum, adeoqúe & ipsos Religiosos & Ecclesiasticos occupat: nec aliud scire volunt, quàm hanc esse vitam verè spiritalem. Quo fit, vt, Deo permittente, sæpenumerò, priusquam ipsi intelligant, aspidum virulentiam malitiamqúe induti, grauia peccata incurrant publicè & in occulto, & non sibi tantùm, verùm etiam multis alijs optimis deuotisqúe hominibus non parum adferant detrimenti. Secundò, per *basiliscum*, vt præfatus sum, luxuria & homines spiritaliter luxuriosi notâtur, qui sensuales appetitus ac desideria sua intus carnaliter prosequuntur, nec illis viriliter resistunt. Qui licèt forinsecus habitum deferant religiosum & abiectum, mores quoque non inurbanos ac honestos præ se ferant, intus tamen in animo tentationibus immundis, sensuumqúe voluptatibus agitantur & impugnantur. Quod inde potissimum eis accidit, quia in quotidianis exercitijs suis puram rectamq́ intrinsecus nō habent intentionem, vnde liber ad ipsos diabolo patet accessus, atque ita in grauibus intus tentationibus aberrant, deuiantqúe: &, quod absque dolore dici non potest, nonnunquam ad exteriorem fornicationem, aliaq́ peccata prolabuntur. Hoc genus hominū ex tribus cognoscere licet. Primò, sensibus inquieti, ac instabiles animo sunt, alio rumq́ defectus curiosiùs obseruant. Quo cōtra qui verè bonus est, sensibus, quietus ac stabilis est, & simplex per diuinam lucem in ipso commorantem, aliorum facta minimè attendit, & veritatē pacemq́ internam, prædictis illis omninò incognitā, intùs gustat & feliciter experitur. Secundò, subtiles impressiones, imaginationes atq́ incidentias habent, de quibus subtiliter & acutè secum meditantur, imaginanturq́, ac solerter eas obseruant: verbis item subtiles sunt, & acuti ad rara quędā & sublimia docēda proponendaq́: quę tamē nec ipsis sapiunt, nec alijs qui eos auscultant: & ita pessum eunt, ac sine fructu efficiūtur. Cōtra bonus quis-

Aspis.

Error cōmunissimus quis.

Basiliscus.

Interiorū tētatione victos, ex tribus agnosces.

I.

II.

quisque, ac vero ſpiritu prædítus, deſuper infuſam habet ſapientiam, per quam nullo negotio veritatem intelligit, ipſamqúe luce clarius demonſtrat, comprobatqúe. In docendo ſimplicitatem amat, non peregrinas voces, non verba acuta & ſubtilia, nec de rebus ſublimibus verba facit. Hæc enim omnia plus obſunt, quàm proſunt bono cuique homini ad perfectionem tendenti. Ad hæc quicquid non ædificat, aut ad deuotionem non inducit, ſummoperè fugiunt. At falſo ſpiritu infecti, ſubtiliter omnia inueſtigant & obſeruant, idqúe cum multiplicitate quadam: & opiniones ac dogmata ſua contentioſè aduerſus aliorum tuentur aſſertiones, etiamſi multo hæ meliores ſint præſtantioreſqúe. Parum quoque aut nihil ſeſe exercent, & virtutum actibus exercitijſqúe cum tædio inſiſtunt. Ad hæc, ſpiritaliter ſuperbi ſunt in omni conuerſatione & actibus ſuis.

III. Tertiò, ſicut boni quique ac verum habentes ſpiritum, communem quandam charitatem gerunt erga omnes, tam in cælo, quàm in terra conſtitutos: ſic è diuersò falſo repleti ſpiritu, vnum plus alio diligunt, ſeqúe omnium ſapientiſſimos & optimos arbitrantur. Hinc iam ſua dogmata, vitæ modum atque mores in magno volunt pretio haberi: quicquid verò ipſi non docent, ab omnibus cenſent repudiandum, negligendumqúe. Quicunque exteriores ritus & conſuetudines ipſorum non imitantur, hos in errore poſitos autumant. Vltrà quàm neceſſitas exigat, vitæ neceſſaria ſumunt: peccata minora nihili pendunt. Inſuper nec iuſti ſunt, nec verè humiles, nec liberales ac pij in pauperes, nec aſſiſtere dignantur aut opem ferre neceſſitatem patientibus, pauperibus & egenis: viſcera miſericordiæ nulla habent: compati neſciunt: nec intra ſe diuinum amorem, aut aliquam veram verè ſentiunt virtutem. Hæc tamen de alio nemo facilè iudicabit, ſed potiùs de ſeipſo. Hoc autem curæ erit omnibus, Chriſtum ſibi ob oculos velut pro exemplo conſtituere, qui ſe communiter impendit omnibus cum anima ſimul & corpore. Iſte igitur ſecundæ tentationis, quæ per *baſiliſcum* deſignatur, modus eſt, per quem interior & exterior fornicatio ſiue immunditia accipitur eorum, qui falſo ducuntur ſpiritu, qui magnam extrinſecus præ ſe ferunt ſanctitatem, & nonnihil eſſe videntur, ſed intus nihil diuinæ intentionis habent: atque ita in ſpiritali fornicatione vitam agunt.

Draco Auaritia quadruplex.

Tertiò, per *draconem* homines auari exprimuntur, qui ſpiritalem ſectantur auaritiam, quæ quadruplex eſt. Prima eſt eorum, qui inordinatius corporis quieti & commoditatibus, ac extraneis creaturarum ſolatijs dediti ſunt, quod &

I. quotidianum eſt eis, inſtar eorum qui quotidianam febrem patiuntur. Accidit autem hoc eis ex volatili concupiſcibilis æſtu ſiue calore. Hi omnium cupiunt habere notitiam, loqui de omnibus ac ſatisfacere, cunctorumqúe reddere rationem: ſed ſuiipſorum obliuiſcuntur, pro aliorum negotijs & cauſis inanes curas gerunt, facilè turbantur offenduntur qúe. Varijs agitantur cogitationibus: nunc huc, nunc illuc animo feruntur: modò hoc, modò aliud mente pertractant: atque hoc pacto ſemper occupatiſſimi ſunt, à manè vſque ad veſperum, ſæpe dormientes, ſæpe vigiles. Et quamuis hæc fortaſſis abſque mortali culpa fieri poſ-

II. ſint, magnum tamen intrinſecus damnum irrogant, & obſunt vehementer. Secunda auaritia illi febri comparatur, quæ alternis accedit diebus, quæ ex noxio calore vel frigore naſcitur. Itaque auaritia illa, quæ febri ex noxijs caloribus oriundæ ſimilatur, eorum eſt, qui dum gratiam aliquam perceperunt, & poſtea eadem ipſis ſubtrahitur, ſenſibus inſtabiles efficiuntur. Vnde hodie iſtum,

cras

tras alium sibi modum agendæ pœnitentiæ assumunt atque proponunt. Verbi gratia. Tam diu silentio vacare volunt, deinde iterum loqui. Nunc hunc, nunc illum volunt Ordinem assumere. Quandoque ad omnimodam adspirant paupertatem, post paululum omnia sua retinere consultius putant. Interdum pro Christo exulare constituunt, aliâs inclusorium petere. Iam venerabile Sacramentum esuriunt, deinde paruo elapso temporis spatio floccipendunt. Quandoque prolixas vocales assumunt preces, deinde magis placent quę mente funduntur. Et hæc omnia, hisque similia, ex cordis instabilitate trahunt originem: quando vana, caduca & temporalia inordinatius diliguntur, quando magis solis exterioribus exercitijs, modis, & virtutibus inhæretur, quàm ipsi Deo. Quanuis enim Deus in his pro scopo habeatur, quandam tamen instabilitatem adducunt, quandiu Deus cunctis virtutibus, modis & exercitijs non antefertur. Quod dum fit, omni instabilitate animus exuitur. Illa verò auaritia, quæ febri ex noxijs frigoribus nascenti comparatur, tertia, est eorum, qui peiori adhuc instabilitate vexantur & inquietudine: quales sunt ij, qui & Deum amant, & caducum aliquid simul cum Deo: in quibus amor Dei modicus, tepidus, & perquàm exiguus est, puta quia rebus extraneis simul cum Dei amore vacare volunt, cor vanum in frigido gerentes pectore, adeò vt in omnibus Dei obsequijs, natura ipsorum tam subtiliter quærat seipsam & proprium commodum suum, vt frequenter nec ipsi hoc intelligant, neque cognoscant. Hi quoque instar præcedentium, modò hoc, modò illud exercitium atq; viuendi modum arripiunt: nunc illi, nunc alteri confitendum censent: hodie istius, cras illius consilia magis placent, & sequi proponunt. In omnibus consilium expetunt: & raro consilijs nouerunt acquiescere, aut certè dati consilij obliuiscuntur. Sui contemptum molestè ferunt, nimium sibijpsis propitij sunt, verbis abundant arte compositis atque sublimibus, sed vitam agunt sterilem, nec vllos proferunt fructus. Pro virtutibus, si quas habent aut habere se putant, honorari percupiunt: pro minimis quibusdam actibus suis volunt laudari non minimum: & quicquid virtutis habent, ad omnium optant notitiam deduci. Vani sunt igitur intus in corde suo, nec quicquam illis virtutes sapiunt. Alios docere & regere gestiunt, doceri regique dedignantur: sui correptiones & accusationes prorsus abhorrent. Breuiter, si ipsissimam instabilitatis eorum causam scire placet, ipsa est naturalis quędam dilectio, qua sibijpsis inordinatè afficiuntur: & occulta superbia, quam intus in animo gerunt. Nimirum parum absunt hi à mortalibus peccatis, ac velut per arctissimum gradiuntur pontem: qui si incautius figentes gradum exorbitauerint, corruent in infernum. Quarta auaritia, quæ præmissis deterior est, & ex ipsis trahit originem, eorum est, qui per suam instabilitatem, & Dei omnipotentis, & sui ipsorum, & veritatis, & virtutum omnium noxiam incurrunt obliuionem: atque ita in varios prolabuntur errores, vt tandem quid faciendum, cuique inhærendum sit, penitus ignorent. Enimuerò ex obliuione Conditoris sui quandam omnium exercitiorum incuriam contrahunt: inde verò ad omnem sui correctionem difficiles ac tædiosi efficiuntur. Quò perducti, iam eadem facilitate ad omnia labi vitia possunt, vt is, qui nec tenuem vnquam de Deo cognitionem adeptus est. Lapsi autẽ vt resurgant, *hoc opus, hic labor est* & difficile id fieri potest, nisi ad pijssimam ac morientem Christi vitam sese conuertant, eam nocte ac die meditando, & conformando se illi pro viribus. Si qui verò ex eis

(margin: III. — beside "xijs frigoribus nascenti…"; IV. — beside "rint, corruent in infernum…"; Obliuio Dei. — beside "cuique inhærendum sit…")

intus duntaxat vitiosis seducuntur cogitationibus, nec ad grauia quædam foris peccata prorumpunt, pudore fortasse vel timore retenti, tales ad studium animum transferunt: omnia regere volunt, de omnibus se impudenter ingerunt & immiscent. Fitqúe sæpenumerò, vt ad optatos promoueantur honores ac dignitates, aliorumqúe Prælati fiant: eò quòd forinsecus spiritales, graues, maturi esse videantur: & hi quantum onerosi, imò & noxij sint pijs, deuotis, ac internæ vitæ deditis, facile dici non potest. Exteriorem Ordinis sui rigorem & exercitia, quamuis non sine difficultate, tenent, & ad hæc cæteros quosque compellunt, nihil amplius ab eis exigentes, nec ad vlteriorem perfectionem incitantes verbo vel exemplo: atque sic proh dolor in sua semper cerebrositate, proprio sensu atque superbia persistunt, draconi non absurdè assimilandi, qui omnia sibi contraria atque substrata deuorat & occidit.

Leo. Quartò, per *leonem* superbia spiritalis in supremo gradu accipitur, quemadmodum leo cunctorum animantium rex est. Hac miserabiliter infecti atque seducti sunt religiosi omnes, in vita spiritali erronei & aberrantes. Quod hinc illis euenit, quòd vitæ monasticæ institutum pro suo affectu ex seipsis absque diuina inspiratione arripuerunt: nec possunt felicem habere exitum, cùm in rebus externis simul & extraneis, non in ipso Deo, solatium quærant & requiem. Est enim hoc creaturis omnibus ab ipsa natura inditum, vt quietis ac voluptatis sint appetentes. Boni igitur in Deo, mali in seipsis & creaturis requiem quærunt, nescientes interim se grauiter in hoc errare atque desipere. Hinc porrò tantam superbiam, tamqúe inextricabilem incidunt imposturam, vt vix vnquam ad sese reduci queant, eò quòd sensualitati gratissimum sit, quiete ac voluptate potiri. Idqúe potissimum iuuenibus accidit inexercitatis immortificatisque, qui ad eiusmodi pacem cum delectatione pertingunt: nec solùm nihil inde mali suspicantur, sed etiam bonum esse sibi persuasum habent. Sed totum adhuc naturæ est, quæ cùm sibijpsi sufficientem nesciat præstare quietem, ipsa pax & quies tandem in peccatum conuertitur. Cæterùm quando isti ad eam nuditatem & otium siue quietem (vt ipsi putant) ab operatione iuxta vim supremam peruenêre, ex mera natura sensuum quieté assequuntur Hanc enim & quilibet absque Dei gratia potest obtinere, si se ab omnibus phantasijs & operationibus nouerit expedire. Sed quia amor Dei, teste D. Gregorio, otiosus esse non potest, ideò bonus quisque in hac naturæ quiete diu morari nequit. Hoc enim foret seipsum quærere. Ista nanque naturæ quies hoc pacto fouetur, vt sedeas quietus in aliquo loco & vndique otiosus, nec intus nec foris aliquid exercitij habens, quo hanc eandem quietem & consequi possis, & adeptam nemo perturbet præpediatve. Hoc autem peccatum esse quis non videat, cùm id nihil aliud efficiat, quàm cæcitatem quandam & ignorantiam, ac descẽsum in seipsum absque vllo opere? Etenim hæc ipsa requies, non est nisi otium quoddam, in quod præfati labuntur homines, & tam Dei, quàm sui ipsorum & omnium, quod ad rationem operis attinet, obliuiscuntur. Quo contra sancta probataque requies, quæ possidetur in Deo, est amorosa omnium ab animo exclusio, cum simplici intuitu siue inspectione in incomprehensibilem claritatem Dei, quæ semper in eodem deuotis desiderijs quæritur actiuè, & per fruitionem inuenitur, atq; perenniter possidetur in ardentissimo amore: possessa verò, nihilominus quæritur. Falluntur igitur quotquot seipsos intentione prosequuntur, & naturali quieti tradunt,

Quietem omnes appetere.

Amorem diuinum otiari nõ posse.

tradunt, nec Deum quærunt per desiderium, nec per fruitiuum amorem inueniunt. Quies enim, quam possident, ad otium quoddam suijpsorum eos deducit, ad quod ex ipsa natura & mala consuetudine propensi sunt. Sed in hac quiete Deus inueniri non potest. Deducit tamen ipsa hominem ad otium quoddam siue vacuitatem, quam & gentiles, & Iudæi, imò & pessimi quique homines sentire queunt & adipisci, si intra se viuant absque suæ discussione conscientiæ, seseque ab omnibus accidentijs & operibus expedire sciant. In hac autem vacuitate siue nuditate vel otio quies ista multùm delectabilis & satis magna sentitur. Et quidem non est ea in seipsa peccatum aliquod, cùm omnibus hominibus insit à natura, si seipsos expedire & euacuare possent ab omnibus. Sed si possidere hanc & sectari atque exercere velis absque virtutum actibus & studijs, transit in peccatum, & ipse in spiritalem superbiam cadis, puta in tui ipsius vanam complacentiam, quod vitium vix vnquam perfectè curatur, adeò vt interdū Deum te habere putes, & vnum cum ipso effectum, cùm tamen nunquam eò pertingas. Cæterùm cùm hanc falsam quietem & otium quis adeptus est, mox illi, diabolo id agente, videtur, bona quæque exercitia ab hac se quiete remorari & impedire. Vnde iam diuinæ intra se operationi resistit. Quod & apostatæ spiritus fecére in suijpsorum perniciem. Hi enim ad seipsos reflexi, cum vana quadam complacentia, de suo naturali lumine concepta in sua natura quiescere volebant. Quod cùm illis minimè liceret, à diuino excæcati lumine, ad perennē inquietudinem atque miseriam detrusi sunt. Sicut ediuersò boni spiritus à creationis suæ exordio mox in Deum conuersi, cum omnibus ab illo perceptis, felicitatem, beatitudinem & requiem inuenêre, nullo vnquam fine terminandam. Sed vt ad institutum reuertamur, vt iam ante dixi, Leo supra cuncta animãtia dominium sibi vendicat. Ita & isti, de quibus agimus, virtutum esse domini volunt, quas tenere se putant, cùm tamen è diametro virtutibus repugnent, sintque veri coram Deo hypocritæ, falsum ac erroneum naturæ suæ otium sectantes. Ex hoc autem naturæ otio error quidā spiritalis exoritur, qui spiritalis fornicationis habet vocabulum. Dum enim quietem aliquis sectatur in otio absque deuotis ac intimis adspirationibus & desiderijs ad Deum, omni tentationi ac errori expositus est, & ad quæque mala sibi præstat occasionē, eò quòd à Deo auersus, ad seipsum naturali dilectione siue affectu conuersus, in ipsa sua natura quantumlibet delectationis & solatij venatur & inquirit. Et quemadmodū plerique mercatores omnia pro solis temporalibus conquirendis faciunt & patiuntur, ita & iste quicquid agit, quicquid molestiæ sustinet, totum pro sua delectatione & commodo, non pro Dei amore, id facit patiturque. Et ita semper seipsum possidet in oblectationibus inordinatis. Et quamuis huius farinæ homines magnam quandoque pœnitentiam foris agant, hoc ipsum tamen non nisi propter se faciunt, putà, vt in honore habeantur, & rumor sanctitatis ipsorum longè lateque spargatur, vel vt vberem sibi mercedem cumulent. Natura siquidem amore priuato infecta, sibijpsi prodesse quærit in omnibus: & tam in præsenti seculo honorem, quàm in futuro mercedem impensius amat, appetitque. Isti infelices homines magna (vt ipsi putant) & inusitata ac singularia quædam à Deo sibi fieri petunt, sed heu falluntur miserè. Siquidem interdum, Deo permittente, contingunt eis ea, quæ postulant, illusione diabolica: nec tamen aliud ipsi persuasum habent, quàm à Deo ea sibi obtigisse pro salute sua: & quod amplius est, talia se quàm optimè

Leonis dominium.

Fornicatio spiritalis.

Quàm miserè quoddam spiritalis

superbia fallat. meruisse. Quod quid aliud indicat, nisi spiritali eos superbia infectos, nec quicquam intrinsecus diuinæ gratiæ habere? Ad hæc, vile aliquod solatiolum multum eos exhilarat, quia nesciunt quanta eis absint solatia interna ac spiritalia. Ad interiores spiritûs oblectationes atque sapores multum adspirant, nimiumqúe afficiuntur, quod est fornicatio spiritalis, cùm hic nihil aliud sit, nisi inordinata quædam naturalis amoris affectio siue propensio, qui videlicet amor ad seipsum semper reflectitur, quærens in omnibus commodum suum. Iam de voluntatis proprietate quid dicam? Ea pleni sunt, adeoqúe præterea rebus cupitis, atque etiam à Deo desideratis, afficiuntur, tamqúe importunè eas obtinere contendunt, vt nisi ipsorum voto satisfiat, à sensibus alieni futuri videantur. Est hîc videre quandoque & audire quæ animum horrore concutere queant, de ipsorum immortificatione, importunitate & impatientia, qua nolunt suis frustrari concupiscentijs desiderijsqúe. Imò & quidam ex eis nonnunquam à diabolo obsidentur, dum vel à Deo, vel ab hominibus, quod volebant, consequi non possunt, aut aliâs re cupita frustrantur. Manifestè proinde sancto Spiritui contrarij sunt, atque contrariam ducunt vitam. Sanè qui verè bonus est, seipsum cum omnibus, quæ facere potest, omnipotenti Deo, ad illius honorem & gloriam offert, nec quicquam illi satisfacere aut sufficere nouit, nisi bonum illud incomprehensibile, quod est ipse Deus. Hîc obiter sciendum venit, quòd amor diuinus & naturalis in externis actibus simillimi sunt, quemadmodum duo pili capitis vnius: sed intentio intus planè dissimilis est. Spiritus bonus ac amor diuinus, corde sursum erecto ac tendente, palam & in occulto, non nisi Dei gloriam & honorem semper intendit, quærit, appetitqúe: Amor verò naturalis, seipsum iugiter spectat & amat. Cumqúe hic in homine principatum obtinet, eundem in quatuor mortalia peccata præcipitat. Verbi gratia, in spiritalem superbiam, auaritiam, gulam, & fornicationem siue luxuriam: in quæ & Adam Protoplastus in paradiso lapsus est, & in illo totum genus humanum. Cùm enim ille (Protoplastum dico) seipsum naturali amore inordinatius prosequeretur, à Deo se auertit, & illius præcepto obedire contempsit, Ecce superbia. Sapientiam quoque & scientiam affectauit, Ecce auaritia. In cibo delectationem & saporis quæsiuit dulcedinem, Ecce gula. Et dehinc ad actus obscœnos incitatus est, Ecce luxuria. Veruntamen gratiam, quam ille peccando perdidit, intemerata semper ac votis omnium laudanda Dei genitrix, gloriosa virgo Maria, multo abundantius inuenit. Vnde & rectissimè *mater pulchræ dilectionis* dicitur, vtpotè quæ cuncta opera sua per amorem retulit in Deum, Christum Dei Filium per humilitatem concepit, eiusdemque passiones omnes cælesti Patri obtulit. Nullam vnquam sapientiam, scientiam, virtutem affectauit per auaritiam. In virtutibus aut cibo potuque non saporis suauitatem, non vllum quæsiuit solatium. Toto vitæ suæ spatio vixit castissima in omnibus membris suis. Denique ipsa sola cunctas hæreses & omnem hypocrisim interemit. Sed ad rem ipsam reuertamur. Itaque ex his prædictis duabus imposturis siue erroribus, puta falso otio & fornicatione spiritali, siue falsa (vt ita dicam) spiritalitate, tertius longè pessimus error nascitur: quo qui subuersi sunt, se contemplatores vocant: eosque cognoscere licebit ex naturali illa quiete, quam intra se otiosi seu otio dediti sentiunt. Hi se à peccatis immunes, Deo sine vllo medio vnitos, omnibus & diuinis & humanis solutos legibus, & ad nul-

Volũtatis propriæ mala.

Amoris diuini ac naturalis collatio.

Genes 3. Quæ mala pariat amor naturalis.

Eccl 24.

Mariæ virginis præconium.

Falsa spiritûs v-

ad nulla demum opera bona obligatos arbitrantur, hoc errore seducti, quòd putent otium illud, cui vacant, pro sui nobilitate ac excellentia, nullo pacto esse interturbandum impediundumque. Hinc enim repudiant subiectionem, nec quicquam omnino sursum vel deorsum operantur: ac velut instrumentum artificem præstolatur, nihil sine illo efficiens, ita & ipsi diuinam expectant operationem, nihil ipsi penitus agentes. Putant enim sua actione diuinum opus fore præpediendum. Nihil itaque penitus in virtutibus sese exercent, sed otio vanissimo tradunt. Vis scire quale sectentur otium? Breuiter expediam. Non gratias agere, non Deum laudare, nihil habere, nihil cognoscere, nihil amare, nihil orare, nihil desiderare volunt. Hæc omnia, tamquam noxia postponunt. Quicquid enim orare possent, iam habere se putant: & ita paupertatem spiritus sibi arrogant, cùm ab omni propria voluntate alieni sint, vt ipsis videtur, omnemque proprietatem & electionem abdicârint. Iam quod ad Ecclesiæ leges attinet, ea omnia non modò consecutos, sed & transcendisse se credunt, ob quæ cuncta sanctæ Ecclesiæ præcepta, ritus, consuetudines, cæremoniæ rationabiliter instituta sunt. Ad hæc persuasum habent, neminem, nec ipsum Deum quicquam sibi vel dare posse, vel auferre, eo quòd exercitia omnia cunctasque virtutes ad extremum vsque patiendo superârint, transcenderintque, vt ipsis videtur, atque ad meram siue puram quandam vacuitatem seu otium pertigerint, sintque ab omni virtute absoluti seu expediti. Huc autem, vt ita à virtutibus aliquis expediatur seu efficiatur liber, atque ad illud vacuum pertingat otium, plus requiri laboris inquiunt, quàm ad ipsas virtutes consequendas. Hac de causa tantam sibi libertatem vsurpant, vt nulli prorsus obedire velint, neque Papæ, nec Episcopis, nec Pastoribus suis. Et quamuis interdum extrinsecus obedire se simulent, intus tamen nulli omnino subijciuntur, nec voluntate, nec actione. Ab omnibus sanctæ Ecclesiæ consuetudinibus ac legibus immunes, & exempti esse volunt, palam asserentes, quòd quamdiu aliquis virtutibus consequendis nauat operam, tam diu adhuc imperfectus sit: quidq́; sit vera spiritus paupertas, & otium siue vacuitas ista prorsus ignoret. Insuper credunt omnia tam Angelorum, quàm hominum merita se vicisse, nec deinceps vllum posse vel virtutis augmentum capere, vel admittere peccatum, ea de causa quòd absque voluntate viuant, vt ipsis videtur, spiritumqúe suum quieti ac otio tradiderint, & in seipsis annihilati, vnum cum Deo effecti sint. Proinde cunctis naturæ desiderijs absque peccato liberè se satisfacere posse stultissimè credunt, vtpote qui summam adepti sint innocentiam, quibusqúe lex nulla posita sit. Breuiter ergo, ne spiritus otium, quies, & libertas vllum patiatur impedimentum, cunctis naturæ affectibus & concupiscentijs indulgent & obsequuntur. Nulla eis vel de ieiunijs, vel de Festorum obseruatione, vel de aliquo præcepto cura est, nisi quatenus hac in parte hominum facies verentur, aut hominibus placere appetunt. Nullam enim de re quacumque conscientiam habent. Quæso, diligenter seipsum in his quisque examinet, attendens si fortè de horum numero sit. Ipse constanter asseuerare non dubitem, latrones quosque & omnes in manifestis sceleribus vitam agentes, eiusmodi hominibus longè meliores esse. Illi enim facta sua cognoscunt & confitentur esse mala, isti minimè: quin potius laudant ea atque tuentur. Quid mirum ergo, si difficile resipiscant, si ægrè conuertantur? Quin & à diabolo quandoque obsidentur: tantaqúe ipsorum subtilitas est

bertas quæ.

Otij mali incommoda.

Libertas mala quid pariat mali.

Qui spirituales etiã latronibus peiores.

tas est atque versutia, vt facilè verbis superari nequeant: sed Domini Saluatoris vita, sacrisque literis diligentius inspectis, eos procul à vero aberrare, misereque seductos esse, omnibus videre pronum est. Sequitur nunc quartus error, qui aliorum est, qui & ipsi contemplatores vocantur: nonnihil tamen differunt in quibusdam à præcedentibus. Putant enim & ipsi, se nulli virtutum actioni adstrictos, sed ab omni operatione expeditos & otiosos, Deique instrumentum esse, in quo ille quicquid velit operetur: solumque passiuos esse siue patientes absque omni actione. Dicunt autem, ea opera, quæ Deus cum ipsis perficit & operatur, multo excellentiora magisque meritoria esse, quàm cuiuslibet alterius hominis opera, qui hæc per seipsum agit, licet in gratia Dei: seque Dei patientes nuncupant, eo quòd Dei sustineant seu patiantur opera, quæ ipse (vt putant miseri) in eis operatur. Verùm quamuis nihil ipsi intus agant, quamuis otium sectentur & quietem, mercede tamen frustrari nolunt. Attamen quicquid agant, nihil se peccare arbitrantur, cùm Deus id per eos efficiat, vt ipsi dicunt, & quicquid ipse velit, id per eos fiat, nec prorsus aliud aliquid. Et vt dictum est, intus absque omni sunt opere, nec alicuius rei vel præcepti habent rationem. Humilitatem quandam præ se ferunt in conuersatione & actibus suis: facileque aduersa omnia tolerant ea de causa, quòd se Dei instrumentum esse arbitrentur, per quod ille pro gratissima voluntate sua operetur. Sunt igitur isti veris Dei amicis admodum similes in multis: sed in hoc nimium aberrant, quòd omnia ea, ad quæ intus mouentur, siue bona sint siue mala, à sancto Spiritu procedere & fieri putant. Certè Spiritus sanctus neque otiosa aliqua & inutilia, neque vitę Christi aut sacris literis repugnantia in quocunque etiam homine operatur. Falluntur ergo in hoc infelices isti. Cæterùm difficulter agnosci queunt, quòd viam suam & vitę modum optimè tueri, & glossis quibusdam ornare sciant. Est tamen in quo agnosci poterunt, ipsorum videlicet propria voluntas, puta, quòd potius mortem obirent, quàm aliquid vel minimum eorum abnegarent desererentve, quæ cum proprietate possident. Hi contrarij sunt illis superioribus, qui se nulla virtutum augmenta suscipere posse mentiuntur. Isti enim adhuc mereri se posse credunt. En dilectissimi, omnes isti, & quotquot huius farinæ sunt homines, ipsissimi Antichristi prænuntij sunt, qui viam illius præparant, deducentem ad infidelitatem & damnationem perpetuam. Hic iam breuiter aperiendum est, vt hos subtiles & insidiosos laqueos euadere possimus. Certa ergo fide tenendum est, neminem à mandatorum Dei & sanctæ Ecclesiæ obseruatione, virtutumque exercitio absolutum & exemptum esse. Nemo etiam cum Deo vniri potest in otio, nisi & amet Deum atque desideret. Nemo sine bonis operibus aut sanctus est, aut esse potest. Nulli fas est à bonorum operum studio & exercitio cessare. Nemo in Deo quiescere potest absque amore diuino. Nemo in Deum subleuari potest, quandiu hunc neq; desiderat, neq; sentit. Nulli à diuinis ac sanctis operibus otiosum esse licet: sed omnipotenti Deo multa cum gratitudine quisque cooperabitur, ne diuinam præpediat operationem. Nemo sic Deo seruiet, vt hunc laudare, ipsique gratias agere se putet minimè adstrictum. Cùm enim hic omnium sit Conditor, sine fine potens ac diues, solusque dare possit & auferre, ab omnibus deuotissimè laudandus est, semperque illi gratiarum actiones referendæ. Indubiè quoque tenendum est, hominem in virtutibus proficere, mereri quoque & exercere se posse quoad vixerit: atque

Dei patientes qui cur ita temere vocent.

Velle proprium quibus inhæreat.

Neminē à mandatis Dei & ecclesiæ eximi.

Bonorum operum assertio.

atque ipsa Dei opera, in seipsis esse æterna & incommutabilia. Deus enim seipsum operatur, non aliud aliquid: & in his Dei operibus nullus est profectus, aut meritum cuiusuis creaturæ. Non est enim hic nisi Deus, qui nec fieri sublimior, nec augeri potest. Cæterùm creaturæ per Dei virtutem propria sua opera habent, & in natura, & in gratia, & in gloria. Quòd si possibile foret (est autem omninò impossibile) vt creaturæ spiritales omni operatione sua priuarentur, ita vt nihil prorsus operari possent, tamquę fierent otiosæ, sicut erant, cùm in diuina abysso increatæ essent, hoc est, vt vnum cum Deo efficerentur, ipsa quoque rationalis creatura talis per omnia fieret, qualis erat necdum creata in Deo: nihil penitus siue hæc, siue illæ mereri possent, non magis quàm eo poterant tempore: nec aliquid plus sanctitatis aut felicitatis haberent, quàm lignum siue lapis. Ex his igitur manifestè colligitur, quòd sine nostra operatione amore cognitioneque Dei, beati esse aut effici nulla ratione queamus: quanquam si nos nihil horum faceremus, Deus æquè beatus foret, sicut & est, & erit semper: quod tamen ad nostri correctionem nihil nobis conferret. Otium ergo istud, mera deceptio ac impostura est: quod tamen qui sectantur, quos falsos ac erroneos spiritus appellare non dubites, adeò subtiles & arguti sunt, vt superari nequeant. Sunt prorsus non dissimiles damnatis spiritibus, qui cùm damnationis æternæ sententia perculsi sint, nil delectationis, nil amoris, cognitionis, deuotionis habent, non laudant, non gratias agunt. Nec his nostris otiosis quicquam superest, nisi vt ex tempore ad suppliciorum perennitatem deducantur, sicut in ipsorum operibus diuina manifestatur iustitia. Huius otij planè contrarium tenemus in Christo, qui semper perseuerat in amando, desiderando, gratias agendo, atque laudando cælestem Patrem suum. Cuius anima licèt fuerit semper & sit etiamnum vnita atque beata in essentia diuina, ad istud tamen otium nunquam deuenit. Ipse & omnes Sancti perpetuo quodam tenentur desiderio (instar eorum qui perpetua fame sitive æstuant, vt ita loquamur) Deum amandi, Deo semper fruendi: quo tamen quanto amplius fruuntur, tanto magis frui desiderant, nec vnquam satiari possunt, tametsi eo supra omne desiderium fruantur, in æterna illa tam Dei quàm sua beatitudine, vbi non nisi omnimoda quædam vnitas est. Quamobrem frui & operari, & Christi Iesu, & Sanctorum omnium beatitudo est, bonorumque omnium vita, vniuscuiusque pro modo ac magnitudine amoris sui: & est iustitia, nullis temporibus peritura. Denique ne vllis diabolicis fraudibus ac imposturis seducamur, id nobis impendiò curandum est, vt, quemadmodum sancta monet Ecclesia mater nostra, & sacræ tradunt literæ, virtutibus ac bonis moribus nos foris & intus decenter ornemus: Deoque nos offeramus cum vniuersis operibus nostris. Sic enim illi cum aliquo medio, omnibus videlicet donis illius, occurrimus & obuiamus. Tum verò actuali nos ille charitate mouens, communem nobis erga omnes fidelitatem largitur. Qua concepta, cum communi dilectione ac fidelitate emanamus, & rursum cum laude & gratiarum actione in vero amore in diuinam remeamus originem, in pace simplici & beneplacito diuino constanter perseuerantes. Porrò per fruitiuam dilectionem & diuinam claritatem abstractè & solitariè viuendo, haud parum proficere, & cum Deo nos sine medio in quieta fruitione, seu fruitiua quiete vnire possumus. Quod quisquis facit, & perpetuò intus manet, semperque exultat, & continuè ad interiora conuertitur. Atque hos

Qua tantum ratione saluari quis possit.

Quid summè curandum.

hoc modo veræ possidentur virtutes. Præstet nobis misericors & benignus Conditor noster, vt hanc synceram veramqúe vitam consequamur omnes, & ab omnibus tentationibus clementer eruamur. Amen.

EADEM DOMINICA.

Vt diabolicas insidias euadamus per veram pœnitentiam pro peccatis nostris.

SERMO TERTIVS.

Ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. PSAL. XC.

Laqueus venantiũ. HAEC sunt eximij ac præstantissimi Dauidis Prophetæ verba, quæ ille securè dici sensuit ab eo, *qui habitat in adiutorio Altissimi, & protectione Dei cæli* commoratur. Per hunc verò *laqueum*, insidiosæ ac versutæ infernalium venatorum, hoc est, dæmonum tentationes, accipiuntur: per *verbum asperum*, seuera illa ac metuendissima Dei sententia, quam ille, prout habet Euangelium secundùm Matthæum, super impios feret, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hunc ignem quotquot ante nos fuêre Sancti & amici Dei, solicitè præuidentes in diebus suis, per bonam vitam & laqueos & venantes dæmones & verbum asperum euadere conati sunt, & per Dei gratiam euasêre, quemadmodum de quolibet eorum sancta canit Ecclesia: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.* Quoscunque enim Deus ad pœnitentiam trahit, ad singularem quendam viuendi modum extrinsecus vocat. Sed quamuis dispar habitus, & diuersa sint exercitia, status & consuetudines seruórum Dei, omnes tamen eandem charitatem habent, qua & virtutes diligunt, & vitia odio implacabili persequuntur. Dicam hic paucis simplicem quendam modum technas diabolicas & fraudes euadendi, in quatuor partes distinctum. Prima est, quòd quisque Dei amore peccata libens omnia deuitabit: atque in suorum emendationem ac satisfactionem peccaminum, Christi passionem in suo assiduè sensu cogitabit meditabiturqúe: maximè tamen quinque vulnera illius, quæ & speciali deuotione cæterisqúe precibus quotidie colet ac venerabitur. Alia est, quòd importuna naturæ suæ desideria & affectus ex hora in horam magis ac magis edomare & vincere curabit, quantum natura ferre poterit. Et pro qualicunque satisfactione & emendatione malorum desideriorum suorum, libenter continuè solus erit, semper bonis actibus intendet, atque in virtuosis sese exercebit actibus. Tertia est, quòd amorem hominum quorumcumque & omnium creaturarum, quas vel supra Deum vel æquè vt Deum amat, & quarum ille vera causa non est, è corde suo profligabit & excludet, desiderabitqúe vt Deus hîc sua peccata puniat, & aduersis se affligat. Sed & ipse pœnis se afficiet, & pro peccatis suis fundet lacrymas, aut ad minus desiderabit verum pro illis dolorem habere. Vitam quoque suam ordinatè instituet, & extrinsecus in virtutum rigore seriò se exercebit, quantum quidem poterit, instar humanitatis Christi: & in sanctæ Ecclesiæ obedientia pro virili ad finem vsque persistet. Quarta, quæ & circa molesta versatur, est, vt quando sibi aliquandiu in virtutibus exercitato, Deus aduersa multa euenire permittit intus & foris, ita vt quæque bona exercitia sua velut in nauseam sibi vertantur, patientiam seruet, dura & molesta libenter sufferat, pressuras, in quibus positus

Margin notes: verbum asperum. Matth. 25. — Eccli. 44. — Modus euadendi fraudes diabolicas quadripartitus. — I. — II. — III. — IV.

positus est, non quærat euadere: sed absque omni solatio spiritali æquanimiter toleret, paupertatem spiritus sectando. Sicque magis ac magis amoris naturam induere curet, qui non quærit quæ sua sunt, sed eius quem diligit: & ideò laboris sui nullam pro sua vtilitate mercedem expetit, nec aliquam pœnam metuit. Hunc amorem perfectè consequuti, sæpius mirari solent, quòd homo spiritalis pro mercede temporali vel æterna Deo suo famulari audeat. Ipsi sanè nullum temporale solatium expetunt, nec in futuro mercedem consequi flagitant à Deo. Non enim suum venantur commodum, nec ad priuata lucra respiciunt: sed hoc solùm volunt quod Deus vult, & ipsa Dei voluntas, præ omni priuato commodo vel vtilitate, eis quàm optimè placet & sapit. Præstet nobis Dominus Deus noster, vt sic tentationum laqueos euadamus, ne verbum asperum damnationis æternæ iudex ipse terribilis contra nos proferat, enuntietque. Amen.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE, quæ Reminiscere dicitur.

De essentiali conuersione ad Deum. Et vt per venationem, impulsum ac pugnam spiritûs aduersus carnem, per quę humilitatem & resignationem in Deum pertingamus.

SERMO VNICVS.

Exiens Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis. MATTH. XV.



XIENS Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* Hoc præsens Euangelium præclarissimam, vtilissimam, securissimam, & essentialissimam (vt ita dixerim) nos docet conuersionem, quæ quidem in hoc caduco possit fieri tempore. Et reuera quisquis non aliquo saltem modo hac ratione conuertitur, cuncta quæ agit siue dimittit, parum aut nihil illi prodesse queunt. Sed iam illa Euangelij verba principiò tractanda suscipimus, à quibus ipsum Euangelium sumit exordium, putà, *Exijt Iesus.* Vnde (quæso) exijt, aut à quibus? A Pharisæis haud dubiè & Scribis. Attendatur hic, obsecro, quales illi sint, à quibus Dominus exit. Scribæ, sapientes erant in illo Iudaico populo, qui de sua scientia superbiebant & gloriabantur. Pharisæi verò erant, qui de sua religiosa vita se iactabant, suis conceptibus & institutis inhærentes. Per hos igitur, maximè pestilentes & noxios duos fundos accipimus, qui inter spirituales homines esse queant: in quibus pessum eunt ac destruuntur, quicunque pereunt. Quodque sine dolore dici non potest,

Iesus vnde exierit.

potest, vix paucos hodie homines inuenire licet, qui non horum altero aut etiam vtroque infecti sint, quamuis multum dissimili ratione, dum vnus plus, alius minus corruptus est. Itaque per Scribas, homines illi subtiles, ac circa intellectum occupati, designantur, qui omnia ad intellectum trahunt, formando sibiipsis imagines per sensus, quas deinde in intellectum suum trahunt, & per eas alta quædam & mystica intelligunt, in quo gloriantur mirum in modum, & vbi licet, apud homines inde sublimiter loquuntur. Sed in fundo interiori, ex quo nuda veritas scaturire debebat, charitate vacui, deserti ac steriles permanent. Per Pharisæos autem, illi accipiendi sunt, qui seipsos bonos arbitrantur, vel (vt Euangelium habet) *qui in se confidunt tanquam iusti*, qui de se ipsis magnificè sentiunt, qui suis ritibus, modis & conceptibus inhærent, qui suas consuetudines rebus omnibus anteponunt, & ex his laudari cupiunt ac innotescere. Hi in fundo suo pleni sunt iudicij temerarij erga omnes illos, qui ipsorum modo non viuunt, aut ipsorum consuetudines paruipendunt. Ab his exijt Dominus Iesus. Interrogabant eum quandoque tales non absque temerario iudicio: cur *discipuli* eius *seniorum* præcepta transgrederentur, non lotis manibus *panem* manducando. Quibus ipse benignè respondit, quærens ex eis, cur & ipsi diuina præcepta violarent. Ita nimirum faciunt & hi nostri Pharisæi, de quibus agimus, dum suas consuetudines, conceptus siue proposita, potius quàm diuinas admonitiones & voluntatem Dei, obseruant, & præferunt eisdem: atque veros Dei amicos, qui aliquem certum modum vel consuetudinem cum proprietate tenere nesciunt, eò quòd Deum per occultos & abditos modos illius sequi cogantur, vilipendunt, despiciunt, iudicantque. Nolumus tamen hinc quenquam colligere, quòd homines in religiosis congregationibus dissolutè ac remissè viuentes iudicare non liceat. Sic enim omnis honestas, omnium grauitas morum, breui pessum iret. Moneo hîc vnumquemque omni qua possum fidelitate, vt hunc Pharisaicum viuendi modum fugiat, diligenter explorans fundum suum, si fortè aliqua falsa sanctitas in ipso lateat, quæ aut finem aut initium habeat aliunde, quàm ex Deo. Quotquot enim eiusmodi Pharisæi sunt, cùm præsentia Saluatoris maximè sint indigni, non apud eos moratur Iesus: quin potius exit ab eis. Hinc perplures hodie inuenire est, qui solos exteriores modos, exercitia, & consuetudines ita obseruare contenti sint, vt cùm hæc frigidissimo corde vtcunque seruauerint, nihil sibi deinceps faciendum putent. Sed fundum ipsorum creaturæ miserabiliter occupant, eundemque terrenus amor totum sibi vendicat, & tenet captiuum. Atqui sic affecti, sic intus creaturarum amore obscurati, prolixas fundunt preces, & multa psalteria decantant, haud secus quàm Iudæi nimium obcæcati, qui & ipsi multa æquè psalteria & alios sacros codices crebrò legunt, sed tamen à vera Dei cognitione longissimè absunt. Sic, sic prorsus & isti multas disciplinas capiunt, ieiunijs & orationibus insistunt, prolixas ducunt vigilias. Et hæc ipsa bona quidem sunt: nec possent non commendari, si fundus ipsorum intus in Deum tenderet. Verùm in his purè Deum minimè quærunt, sed omnem amorem, intentionem & desiderium suum ad creaturas transferunt, neglecto Creatore. Proinde hunc ipsorum Pharisaicum modum Dominus non ferens, exit ab eis. Non enim sunt ipsi plantatio, quam plantauit Pater cælestis: & ideò eradicabuntur, quemadmodum ipse Dominus ait: *Qui non est mecum, aduersum me est: & qui*

Scribæ. Pharisæi. Luc. 18. Math. 15. Iudicare quæ liceat. Math. 12.

& qui non colligit mecum, spargit. Sanè cùm tempus messis aduenerit, quo Dominus frumenta colliget, hoc est, omnes electos suos, quotquot tunc non cum ipso, sed cum alieno potius Domino, collegisse deprehendentur, omnes ipse relinquet deseretque: & in quibus puram suam plantationem in ipso fundo minimè repererit, eradicabuntur vniuersi. Itaque hos duos corruptos & falsos fundos cauere nos oportet, si vnquam saluari velimus, quanquam hi ferè in omnibus teneant principatum, & paucissimi sint, qui non altero eorum, vel etiam vtroque, sint infecti. Sunt autem, vt prædixi, naturalis subtilitas ad instar Scribarum: & exterior quædam Sanctitas, certis quibusdam modis & consuetudinibus ac exercitijs externis contenta, more Pharisaico nullam interiori puritati nauans operam, cùm illa quidem, si bona sint, oporteat non omittere, hanc verò multo amplius colere. Est hodie plures Scribas seu Scribarum sectatores inuenire, tam argutos atque subtiles, vt etiam prudenti Confessori, dum confitentur, non parum negotij facessant ipsa sua multiplici argutia & subtilitate, in qua semper perseuerant. Sed quomodo olim ab illis veris Scribis exijt, ita & nunc ab illis eorum discipulis exit Iesus. Sed quorsum tunc abijt, ait aliquis, cùm à Scribis & Pharisæis discederet? *in partes Tyri & Sydonis.* Tyrus angustia interpretatur, & Sydon venatio. Hæc duo, angustiam dico & venationem, paucissimi intra se obseruant, negligunt omnes, cùm tamen supra quàm dici queat vtilissimum sit, hæc duo simul experiri, simul pati: & si quis eis bene vti nouerit, incomparabiles inde fructus prouenient. De venatione primò dicendum est, vbi prima fronte quæstio occurrit, quid sit ista venatio. Sanè nihil aliud, quàm quòd interior homo semper ad Deum, tanquam ad centrum & ipsissimum locum suum adspirans, exteriorem hominem continuè propellit, instigat & vrget, quò tendat in Deum. Econtra verò exterior homo, aliud volens iter ingredi, semper ad externa & infima tendit, cùm locus ipsius terra sit, in imo posita. Est itaque vehemens discordia in homine. Interioris hominis (vt iam dixi) locus proprius est ipse Deus, ad quem suspirat, quò tota fertur intentio, voluntas, & desiderium illius, quoque ab ipsa natura tendere vrgetur. Sed hoc exteriori homini ex natura corrupta semper contrarium est atque molestum. Resistit igitur, & ad rebellandum totus accingitur, quemadmodum Apostolus ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Pugna hæc inter spiritum & carnem perpetua est, & ipsa inuicem se fatigant. Accedit Deus, & vtrumque simul interiorem & exteriorem hominem impellit, vrget, & fatigat per gratiam suam. Quod bene intelligenti maximè prodest, & iudicium est prosperè eum valere in anima sua. *Qui* enim *spiritu Dei aguntur,* vt Apostolus ait, *filij sunt Dei.* Cæterùm ex hac agitatione seu venatione, magna nasci solet in homine angustia, grauisque pressura: in qua dum absque omni solatio persistit, & eam intra se sentit, tunc haud dubiè Christus in ipsum ingreditur. Quisquis verò motum hunc & impulsum sancti Spiritus non sequitur, nec hanc intra se pressuram sentit, certus sit quòd mentis suæ domicilium Christus haudquaquam subibit. Quotquot enim hanc agitationem grauemque pressuram non sentiunt, nec viuendo sequi conantur per sui mortificationem, vix vnquam in viros probatos abeunt, nec aliquid in virtutibus proficiunt, quandiu tales perseuerant. Adhæc, ad interiora sua minimè pertingunt, nec suijpsorum

Lucæ 11.
Quæ saluari volentibus cauenda.
Tyrus. Sydon.
Venatio quid.
Rom 7.
Rom. 8.

rum plenam assequuntur notitiam, nec parum aliquid sciunt de eo quod latet in ipsis. Enimuerò perplures in homine tentationes exurgunt, tam in spiritu, quàm in natura. Sed aduersum has non est aliquod efficacius remedium, quàm vt eis occurras, simulqúe cum ingenti gratitudine flexis genibus suscipias. Tunc

Ps. L90. enim certus es Deum simul cum illis animam tuam ingredi, sicut ipse ait; *Cum ipso sum in tribulatione.* Itaque mundus impetu quodam tentationum suarum hominem inuadit: diabolus astutia & calliditate sua adoritur: ipsa quoque caro, sensus & vires inferiores, multa infirmitate hominem deprimunt & extrouertunt. Contra verò, interiorem hominem & Deus ipse, & naturalis illa, quam semper habet ad Deum, propensio vrget & impellit ad Deum. Vnde iam facilè colligitur, quantę eiusmodi hominem, cui talia contingunt, pressurę inuadant,

Remediũ tentationum. quanta occupet doloris amaritudo. Quòd si quærat aliquis huic desolato afflicto homini quid agendum sit in his miserijs posito, nec vlla ratione fugere valenti: planè respondeo, id illi faciendum, quod mulierem hanc Chananitidem fecisse, ex Euangelio didicimus. Quid enim illa fecit? Accessit ad Dominum, & clamabat post eum, *dicens: Miserere mei Domine fili Dauid.* Ita & ipse Domini Saluatoris vestigijs prouolutus, voce magna (id est, ingenti cum desiderio) clamabit, *dicens: Miserere mei Domine fili Dauid.* Id enim hîc sciendum est, quòd dum ita aliquis tentationibus agitatur, pressuris obruitur, ac varijs modis huc illuc impellitur & fatigatur, immensus quidam clamor intus in animo exurgit: clamor, inquam, spiritus, qui cælos ipsos penetrat sitientibus quibusdam ac inenarrabilibus gemitibus, omnem modum & naturam transcendentibus, quos

Rom. 8. ipse Spiritus sanctus in homine perficere habet, sicut in Apostolo legis: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hic * verè ipse hominis fundus pręparatur longè excellentius, quàm per sese homo potuisset quocunque etiam præparandi modo. Iam si contingat, vt in his ineffabilibus pressuris ac agitatione foris & intus aliquis constitutus, *gemitibus inenarrabilibus* vociferetur ad Dominum, tanto videlicet, tamqúe vehementi cum desiderio, vt ipsos etiam cęlos penetret: contra verò Dominus audire se dissimulet, aut certè nihil illi auscultare velle simulet, ibi prorsus necessarium est, vt funditus se resignet abnegetqúe, vt desiderium suum crescat, & ita magis ac magis fundum suum Domino offerat, & ab ipso sinat præparari. Quod si verè fecerit, fieri non poterit, vt fons perfectæ misericordiæ se contineat, vt suam Deus differat consolationem? Et tamen hæc ipsa mulier cùm instantissimè post Dominum clamaret, hoc eodem fonte misericordiæ se continente, riuuli proruperunt. Quis non miretur Deum tacere, & discipulos loqui? Ipsi enim Dominum pro muliere deprecabantur. Sed durius ille tandem respondit, non se missum, *nisi ad oues, quæ perierant domus Israel.* Atqui multo duriorem se mulieri afflictæ exhibebat, non solùm petitioni illius non satisfaciens, sed asperioribus quoque verbis palam innuens, indignam esse cui gratiam præstaret & misericordiam: nec modò panem, qui tamen res communis & admodum necessaria est, petenti denegauit, sed etiam suæ filiæ derogauit nomen, humanamqúe naturam, canem eam appellans, cùm diceret: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Qui, obsecro, durius eam probare, aut magis fatigare, viliorem qúe efficere potuisset? Videamus nunc, quid in hac sua pressura & afflictione mulier ista fecerit. Benignè prorsus ac mansuetè ferebat omnia, & non modò Dominum,

* verò

Deo non statim exaudiente, quid agẽdum.

Chananeę mulieris humilitas, patientia, constantia, &c.

num, vt vt vellet, pro gratissimo illius beneplacito, fatigare & exercere se sinebat: verùm etiam ipsa se multo amplius deijciebat, quàm ipse eam deiecerat, humiliâratque: simulque ad fundum suum sese introuertens, sui nihili abyssum penetrabat altius, dicens humillimè: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, quasi diceret: Sed nec tamen me agnosco, quæ vix etiam catellus dici mereor. In hac tanta sui demissione annihilationeque, firmam semper & inconcussam erga Dominum fiduciam gerebat, dicens: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Felices nimium, vereque beatos, qui hoc pacto ad ipsissimum veritatis fundum pertingere possent, non cum glossis, verbis aut sensibus, sed in ipsum verum fundum, ita vt nec Dominus Deus, nec creaturæ omnes, tantum eos deijcere, vilipendere, & deprimere possent, quin ipsi in veritate sese multo amplius intra se absque fictione deijcerent, vilipenderent, deprimerentque: nec tantum eis vel Deus vel creaturæ denegare, aut adeò eos repellere & abijcere valerent, quin semper stabiles perseuerarent, plenaque cum fiducia magis ac magis Deo propinquare niterentur: & studium denique atque conatum suum, non solum non remitterent, sed intenderent etiam & augerent, instar fœminæ huius, cui quamuis durè Dominus loqueretur, suæque misericordię denegaret largitatem, ipsa tamen minimè cessit, nec quicquam fiduciæ illius deposuit, quam erga diuinam gerebat gratiam. Ideoque tandem, quod voluit, adepta est: & quicquid postulârat à Domino, plenissimè obtinuit. Hęc sanè, dilectissimi, ipsissimæ ad æternam veritatem viæ sunt, quæ solæ sine medio, & absque errore in Deum ducunt, vera videlicet & profundissima sui nihilipensio, & vera in ipso fundo constansque commoratio, & erga Deum fiducia perseuerans: quomodo & hæc mulier inconcussam erga Redemptorem fiduciam retinens, tandem ab eodem audire meruit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Et reuera quisquis in hoc statu, hocque itinere veraciter deprehensus fuerit, audiet quandoque à Domino: O amice charissime, quicquid vis, pro voto consequeris. Cùm enim teipsum & omnia tua spontè abnegaris, exierisque, oportet iam vt totus intres in me, & in omnia mea. Siquidem non poteris, quicquid vis, obtinere, nisi in me vno, non in aliqua creatura. Ideoque fiet tibi, sicut vis. Hic in summum bonum, Deum Opt. Max. introitus veraciter fieri non potest, nisi per meram sui ipsius & omnis proprietatis abnegationem. Quantum quisque seipsum exit in omnibus, tantum Deus ingreditur in eum cum gratia sua. Denique ibi reperies omnia, vbi abnegaueris omnia. Huius libet exemplum proponere. Noui ego virginem quandam adhuc iuuenem, quæ non absurdè huic mulieri Chananitidi queat comparari, cui id, quod refero, adhuc infra quadriennium euenit. Nam & vsque hodie superest. Hæc igitur quadam vice alienata à sensibus, & in ecstasi posita, eousque rapta fuit, vt & Deum, & Virginem gloriosam, & Sanctos omnes cerneret. Cumque seipsam consideraret, inuenit se longissimo interuallo à Deo, Virgine beata, & Sanctis omnibus distare. Qua de causa ineffabilis eam dolor innasit, tantaque afflictio, vt sibi cruciatus infernales sentire videretur. (Id enim verissimum est, hanc in inferno damnatis maximam pœnam esse, quòd se abdicatos, remotos, ac separatos à Deo & Sanctis omnibus, intelligunt) Cumque nimis se remotam à Deo conspiceret, magna cum humilitate ad Virginem Deiparam, Sanctosque omnes sese conuertens, rogauit obnixè, quò sibi

Paradigma.

Maxima damnatorũ pœna, quæ.

gratiam Dei conciliarent. Respiciens autem, vidit adeò vnanimiter ac immobiliter Sanctos omnes in Deo diuinæ iustitiæ concordes ac vnitos, vt nec breuissimo momento suis precibus aurem accommodare dignarentur, eò quòd Dominus ipsam probare volebat, ad augmentum perfectus illius, quemadmodum & hanc Chananitidem olim probauerat. Quid faceret virgo humilima vndique derelicta? An desperaret? id omnino foret impijssimum. Ad Deum vel Sanctos confugeret? Fecit id quidem, sed vndique passa repulsam. Proinde ad ipsam sacratissimam humanitatis Christi passionem, mortem & vulnera sese conuertit, per ea sibi rogans Deum propitium fieri. Sed & hic illicò audiuit, qua temeritate per ea sibi posceret indulgeri, quæ vix vnquam digno honore, deuotione ac veneratione fuisset prosequuta. Hoc audito, virgo vndique confusa, cùm nec misericordiæ matrem gloriosam Virginem, nec Sanctos omnes, nec ipsam Dominicam passionem aliquod sibi velle suffragium præstare arbitraretur, ad Deum toto corde sese conuertens, ita ait: O dulcissime Domine Deus meus, cùm nemo sit qui mihi opem ferre velit, tu ipse benignissimè considera, quòd pauper creatura tua sim, tu verò sempiternus Deus, Dominus & Creator meus. Quocirca iuxta omnem voluntatem tuam, in ipsum æquissimum iudicium tuum me humiliter proijcio, resignans me ex integro vero corde in gratissimam voluntatem tuam in tempore & æternitate, parata hunc infernalem, quem sentio, dolorem & cruciatum, si tibi sic placet, perenniter sustinere. Quicquid enim tibi cælesti Patri meo, in me & de me fieri placet, ad hoc ego me nunc & in æuum, omni, qua possum, humilitate resigno. Hac sui resignatione peracta, mox supra omnia media translata atque rapta, & in amabilem diuinitatis abyssum absorpta fuit. O quàm felix est ista absorptio. Atque ex eo tempore qualibet die semel ad minus à Deo in eandem diuinitatis abyssum, aut certè in eandem viam rapitur, sustolliturque. De hac virgine (quæ adhuc teneræ ætatis est) id piè sentio & credo, nunquam illam toto vitæ suæ spatio graue aliquod peccatum admisisse, quo Dei gratiam perdidisset: & tamen cernebat se tam longè positam à Deo & Sanctis illius. Quanto ergo interuallo distare à Domino putamus, qui cùm eundem multis crebrò flagitijs & infandis sceleribus offenderint, illius præcepta sæpius transgressi sint, nihilominus vsque in hanc diem per amorem & delectationem rebus caducis ac mortalibus creaturis inhærent, nullos dignos pœnitentiæ fructus facientes? Sed vt iam dixi, ipsa hæc virgo tot correpta angustijs, in diuinum beneplacitum totam se humiliter resignabat, offerens sese ad perennes inferni cruciatus tolerandos, si id diuina iustitia exegisset. Ita non faciunt hodie plurimi, qui dum fortè quatuor aut quinque annis nonnihil correctius viuere studuerunt, grauiora quæque peccata deuitantes, grandia quædam sibi promittunt de seipsis, & multum se apud Dominum posse arbitrantur, dicuntque interdum alijs, quibus adsunt: Eia Dominum pro me deprecemini, quo vnus ex charissimis amicis illius effici merear hîc & in futuro. Qui si rectè in anima valerent, indignos se iudicarent, qui vel nouissimis Dei amicis annumerarentur. Cæterùm quisquis apud Dominum magnus esse desiderat, quemadmodum Christus in Euangelio docet, ponat se in nouissimo loco, & haud dubiè audire merebitur: *Amice, ascende superius*. Nam qui seipsos exaltant,

absque ambiguitate humiliantur à Deo. Nec est consultius aliquid, quàm animo resignato eum à Domino locum & mansionem cælestem petere, quæ ipse ab æterno

Passionis Christi reuoluendæ vtilitas.

Veræ sui ipsius abiectionis efficatia quanta.

Lucæ 14.

æterno quenque sortiri voluit. Enimuerò dum nosipsos propter Deum in omni euentu, in paupertate æquè vt in abundantia, penitus abnegamus, in Deum ingredimur. Sanè resignationis huius quisquis in hac vita vel scintillam vnam consequitur, perfectius ac verius per illam ad diuinam operationem præparari, & ad fundum suum, quem Deus præsens inhabitat, vicinius introduci poterit, quàm si ipsa corporis sui indumenta sibi detrahens, pauperibus largiatur propter Deum: vel etiam lapidibus vescatur & spinis, si id natura sustineret. In hac resignatione breui licet vixisse tempore, vtilius profectò fuerit, quàm quadraginta annis in proprijs conceptibus ac institutis cum proprietate & immodica suijpsius complacentia. Denique hæc nobilissima, compendiosissima, facilima & vtilissima via est, quę humano possit intellectu excogitari: quam tamen heu multi nimium infelices, ac omni lachrymarum fonte plangendi, etiam religiosi, negligunt, vana quædam & friuola sectantes, ac pretiosissimum perdentes gratiæ tempus, illudqúe præstantissimum negligentes bonum, quod in eis & deberet & posset sine cessatione momentis omnibus nasci: sicqúe multos annos, omnis prope gratiæ expertes, velut in somno transigunt, nec vllum virtutis profectum sortiuntur: adeò, vt post multa annorum curricula, in vltima ferè ætate, tantum veræ perfectionis habeant, quantum eo habebant tempore, cùm primò vitam meliorem inchoarent. Quod profectò sicut dolendum est maximè, ita & supra quàm dici possit, horrendum est audire vel videre in omnibus id genus hominibus. Et ipsi profectò, si damnum incomparabile, quod per voluntatis suæ proprietatem sibi irrogant, ritè perspectum haberent, tabescerent, & medullæ ossium ipsorum exarescerent. Præstet nobis omnibus, omni affectu & obsequio colenda beata Trinitas, Pater, & Filius & Spiritus sanctus, vt ita nos instar mulieris huius Chananitidis, in diuinam immergamus abyssum, quo in ipsa semper inueniamur. Amen.

Resignationis veræ quanta vis.

Pretiosū gratiæ tempus miserè perdū.

DOMINICA III. QVADRAGESIMAE, Oculi dicta.

De differentia inter verum & falsum fundum. De vera Contritione & Confessione, & de externis ac internis captiuitatibus.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius diei est, in quo Dominus dæmonium expulit mutum & surdum. LVCAE II.

Dicebat Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos. IOAN. VIII.

HAEC verba ex Euangelio secundùm Ioannem desumpta sunt, post quæ statim Saluatoris quædam dicta subijciuntur, non absona ab Euangelio hodierno: vnde ea iam hic edisserere libet. Sic itaque habes illic: *Dicebat Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Scio*

quia

quia filij Abrahae estis, sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego, quod vidi apud Patrem, loquor: & vos, quae vidistis apud patrem vestrum facitis. Et post pauca: *Vos,* inquit, *ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* Hactenus Euangelium, in quo duo nobis fundi proponuntur, vnus falsus, alter verus & diuinus. Falsus fundus non Deum, sed seipsum quaerit & intendit: non Dei gloriam, sed sua commoda, & lucra sectatur, & quicquid pro se facit, vt sunt oblectationes creaturarum, seculi vanitates, & plura alia, quorum Deus vera causa non est. Huius fundi institutor & parens, est diabolus: qui, cùm praefinitum à Deo moriendi tempus accedit, quotquot hoc fundo praediti sunt, discipulos vtique suos, secum ad inferni profunda, mox vt è corpore decesserint, abducit, sine fine cruciandos. Tales enim serui sunt, non filij, qui non manent *in domo in aeternum,* sed foras mittuntur ac reprobantur. Verus fundus ex Deo natus est, & totus in Deum, absque omni medio, purè atque nobiliter tendit, quemadmodum Dominus ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Siquidem cum omnibus illis, cum quibus exijt à Patre, totus reuertitur in ipsum. Iam quod ait: *Si vos manseritis in sermone meo,* videamus quid sit. Is ergo manet propriè in sermone illius, qui nec pilum quidem eorum omnium sibi vsurpat, quae vnquam suscepit à Deo: quiqúe sic totus redit in Deum, vt exijt ab ipso: & is verè discipulus eius est, qui cuncta quae habet, cum amore & gratitudine refert in Patrem, nec quicquam intus retinet cum delectatione vel complacentia vana, nihilque penitus amat vel intendit, praeterquàm Dei honorem duntaxat, idque non in superficie, sed in veritate. Atqui fit nonnunquam, vt hunc fundum aliquid subeat, ipsi contrarium absonumque, vt verbi gratia, dum aliquid aliud amatur, intenditur, desideratur extra Deum. Hoc quale quale est, per Sacramentum confessionis, veram contritionem, & dignam poenitentiam, expirari debet. Operaepretium autem fuerit, vt quisque ex fundo, ex ipsa intentione, ex ipsa mente & cordis intimis sacerdoti confiteri discat, non tantùm superficialiter ex arida quadam consuetudine aut incuria. Et qui confessiones audiunt, diligenter vnumquemque instruere deberent, vbinam falsus sit fundus illius. Quod hodie bona pars eorum minimè facit, vel quia ipsi non intelligunt, neque norunt, qua id ratione faciendum sit: vel quia tempus non suppetit, aut certè (quae fortassis potior causa est) quia parum fraternae dilectionis habent. Eam ob rem in suum quisque fundum semel ad minus in die introuersus, alta consideratione seipsum perlustrabit, inspicietque, diligenter obseruans, quid sit hoc quod agit, quod intra se versetur, vtrum in fundo suo aliquid appareat, vel illi se admiscuerit, & sit ne aliquid in intentione sua vel affectu, quod ipsi fundo minimè conueniat, congruatque. Et si tale quid senserit atque deprehenderit, hoc ipsum magna contritione, totis viribus diu satis Domino Deo suo in intimis suis confiteri discet, tempore nihilo minus opportuno etiam sacerdoti confessurus. Hinc porrò sui cognitionem acquiret, cordis obtinebit puritatem, atque solicitus & studiosus efficietur ad cautius agendum, arctiusque sese custodiendum. Et licet antequam ad confessionem accedat, horum defectuum obliuiscatur, iam tamen reconciliatus est Deo. Caeterùm confessio, quae Deo fit, ea ratione facienda est, vt cum humili metu ac timore in diuinum iudicium ac beneplacitum te resignes, ad pedes Domini prouolutus, nec inde surgas, donec defectus omnes in igne diuini amoris ac

Duplex fundus Falsus.

Verus.

Ioan. 16.

In Christi sermone manere, quid.

Cõfessionis intimae commoda.

Cõfessionariorum bonorum raritas

Quotidiana sui examinatio quàm sit vtilis.

ris ac ineffabilis misericordiæ Dei, penitus consumantur. Quod si contigisse tibi senseris, bene actum est: tantùm cura vt gratus sis Deo. Si verò in pœnam defectuum eorum, adhuc quidam in conscientia remorsus perseuerauerit, hoc quoque de manu Domini suscipiens, cum humili timore patienter ac benignè tolera. Sed iam innumeros videre est, qui hunc fundum deserentes, ad corruptum & vitiosum fundum deuoluuntur, voluptatem, animi recreationem, atque solatium, immoderatiùs quærentes in vanis atque labilibus creaturis, plus satis suæ sensualitatis affectibus indulgentes. Sed quanam, obsecro, ratione fieri queat, vt in eodem corde æternis cum temporalibus bene conueniat, quando nec temporalia facilè se inuicem in vno corde patiuntur? Proinde vbi temporalis voluptas & gaudium dominatur, diuinæ consolationi nullus superest locus. Atqui vt olim Iudæi filios Abrahæ se iactabant, ita & isti. Religiosi, inquiunt, sumus: nocte ac die psallimus, legimus, oramus: quid obstat ergo, quò minus cum creaturis iungere amicitias, & in creaturis delectari nobis liceat? Sanè quando aliquandiu animum recreauimus, ac nostræ sensualitatis desiderijs morem gessimus, tunc deinde bono sumus animo, & maiori deuotione gaudemus. Omnia quoque nostra, Deo annuente, satis nobis ex sententia succedunt. O si saperent isti, ô si ritè suæ prospicerent saluti, attenderentque quàm terribiliter Apostolus ait: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quæ verò charitas, quæ dilectio ibi esse queat erga Deum, vbi tam iniustè animus cum delectatione & voluptate, quæ in solo Deo capienda foret, super creaturas effunditur? Quid ergo hinc sentiendum est, nisi quotquot eiusmodi sunt, fundum habere falsum atque corruptum? Nam quorum syncerus est fundus, Deo se ex integro dedunt, traduntque captiuos. Et hæc captiuitas duplex est, Interna scilicet & externa. Interna in viribus supremis est, ad quam pertinet, vt mens tota in Deum tendat ac dirigatur, adeoque illi fœderata sit, vt pro nulla re, quæ sibi accidere possit, à Deo vel tenuiter recedat, seseque auertat. Externa est, quando homo exterior magnis quibusdam aduersitatibus ac tentationibus pulsatur, vt dum rerum omnium, honoris ac famæ iacturam facimus, amicorum & cognatorum solatio præsentiaque destituimur, quæ nonnunquam sic ipsam sensualitatem & naturam cruciant, vt tremore correpta, in lachrymas immodicè soluatur, & contra Deum, creaturas omnes, cælum quoque & terram, querulis vocibus insurgat. Sed his omnibus facile remedium est, quandiu interior homo in Deo & voluntate illius fixus atque stabilis perseuerat. Oportet enim, vt cuncti Dei amici animam quidem Deo, corpus verò doloribus & cruciatibus plenum habeant. Verùm accidit sæpenumerò, vt & interior homo duris ac molestis tentationibus pulsetur, vt vel superbia, vel luxuria, vel ira, vel ferocitate, vel quarumlibet passionum vehementia, vel id genus alijs, quæ Augustinus copiosissimè enumerat: quæ dum acrius insurgunt, natura infirmior mirum in modum torpida, somniculosa, pigra, & ad quælibet virtutum exercitia, prorsus inepta redditur. Sed hæc vigilanter nos obseruare conuenit, atque diuino nos beneplacito subijcere, totos quoque nos in his ipsis impugnationibus Deo dedere ac resignare, vt quemadmodum ipsi in æterno placuit, ita in nobis fieri velimus. Id enim certo certius tenendum est, nihil tam minutum accidere nobis, nec aliquam aduersitatem

[Margin notes: Ioan 8. — 1. Cor. 13. — Captiuitas duplex. — Amicorũ Dei status quis. — Nil fieri cuiquã sine causa.]

vel minimam occurrere, quin Deus ab æterno præordinârit, ita fieri debere, haud aliter. Vnde in quolibet euentu semper à nobis Deo optimo maximo gratiarum actiones referendæ sunt. Adeò nanque verum est, quod ipse Dominus in Apocalypsi ait: *Ego*, inquiens, *quos amo, arguo & castigo*, vt illis grauissimas atque molestissimas euenire sinat afflictiones, qui sibi charissimi sunt, idque potissimum illis, qui alijs præfecti sunt, vt sunt diuini verbi præcones, Doctores, atque confessionum auditores, qui sic tentationum molestias in seipsis experti, plerunque misericordiæ visceribus affluunt, sicut econtra inexperti, plus satis rigidi sunt. Iam quicunque captiuitatem hanc, tam interiorem quàm exteriorem, quomodo oportet, ad vltimum vsque punctum sustinent, hi veri efficiuntur Christi discipuli, & cognoscunt veritatem, & veritas liberabit eos ab omni captiuitate. Siquidem per hanc sui resignationem, tantam alacritatem & promptitudinem consequuntur, vt carnis, alioqui infirmæ, eadem sit ex gratia Dei ad omne bonum promptitudo, quæ & spiritus, ipsaque veram recuperat libertatem. Præstet nobis clementia Saluatoris nostri Dei, vt eiusmodi sui discipuli efficiamur omnes, & veritas nos liberet ab omni captiuitate. Amen.

Apoc. 3.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMAE, Lætare, dicta.

Quæ nos impediant, quò minus præclarissimam atque diuinam lucem consequamur: vt in nostram debeamus reuerti originem: & de veris ac falsis Dei amicis.

SERMO I.

Euangelium huius Dominicæ est, in quo Dominus quinque millia hominum quinque panibus hordeaceis refecit. IOAN. VI.

Ego sum lux mundi. IOAN. VIII.



HAEC verba cùm ad Iudæos Dominus dixisset, pluraque alia, eos contradictores passus est, dicentibus illis Samaritanum ipsum esse, & *dæmonium* habere. In præsentis verò diei Euangelio, cùm eos quinque panibus & duobus piscibus mirabiliter pauisset, illi viso hoc tanto, tamque manifesto signo, dicebant: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Libet hîc de ea luce, quam se Dominus esse testatus est, breuiter aliquid dicere. Ipsa nanque creata omnia lumina illustrauit, puta Solem, lunam, stellas, sensus hominis corporeos, lumenque spiritale rationalium creaturarum, quod est ratio siue intellectus, per eamque creaturæ omnes in suam reuertuntur ac refluunt originem. Si enim non reuertuntur, in seipsis profectò non nisi densissimæ tenebræ sunt, si huic veræ ac essentiali luci comparentur. Itaque vnicuique fideli sic Christus ait: Renuntia propter me lumini tuo, quod meæ collatum luci, verissima caligo est, & lumini meo contrarium: & ego cùm sim lux vera, pro tenebris tuis æternam tibi lucem meam, gaudium, beatitudinem, essentiam & vitam restituam, vereque tua faciam, sicut & mea sunt. Ita enim positus in terris orauit Patrem suum, dicens: *Pater sancte, serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me.* Non dixit, vt sint vniti, sed vt *sint vnum* in nobis, *sicut & nos vnum sumus*, non quidem per naturam, sed per gratiam, idque modo pror-

Lux qualis quantaque Christus.

Ioan. 17. Vnum qui imus cū Christo.

ĉo prorſus incomprehenſibili. Itaq; cùm elementa omnia ad ſuum tendant locum, ſimiliterque creaturę omnes, vt lapis, ignis, &c. quid eſt quòd homo ſolus, cunctis propè excellẽtior creaturis, qui eſt præ cunctis mirabilibus mirabilior, cuius gratia Deus omnipotens, cælũ, terram, & quicquid horũ ambitu continetur, miſericorditer cõdidit, nõ voluptates illius foueant, ſed temperent neceſſitates, quo ipſe ſoli Creatori ſuo tãto poſſit expeditius famulari: quid eſt, inquã, quòd hîc neglecto eodẽ Conditore ſuo Deo Opt. Max. vanis & lubricis citoq; perituris rebus creatis inhęret, nec ad ſuam ęternam redire feſtinat originem, non ad ſuum tendit finem, non veram Dei lucem inquirit? Quod vt manifeſtius fiat, duo nobis hîc conſideranda veniunt. Primum eſt, quidnam impedimento ſit, quo minus nobiliſſimum finem noſtrum conſequamur, & ad noſtram pertingamus originem Deum. Secundum, qualiter ad eandem nobis redeundum ſit, & qua via, quove modo. Ergo, vt de primo dicere inchoemus, oportet grande aliquid ſit, per quod homo à tanto bono præpediatur. Duplex autem hominum genus eſt, qui ſic impediuntur. Primi ſunt, homines penitus mundani ac mundo dediti, qui voluptates & oblectationes ſuas in creaturis & ſenſibus externis capiunt & amant: atque in his non modò omne pretioſiſſimum & irreparabile tempus ſuum, verùm etiam ſenſus & vires ſuas omnes miſerabiliter abſumunt. Hi vaſtiſſimis ſunt tenebris obuoluti, ac diuino lumini è diametro repugnant. Alij ſunt homines ſpiritales, quorum eſt fama celebris, & extrinſecus magnam promittunt ſanctitatẽ. Iſti (vt eorum fert opinio) tenebras illas exteriores longè tranſcenderunt, ſed in occulto interiori fundo ſuo parum ſynceri ſunt, homines priuato amore propriaque voluntate pleniſſimi, ſeipſos in omnibus pro ſcopo & obiecto habẽtes. Hos à veris Dei amicis forinſecus diſcernere, perquàm difficile eſt: cùm ſæpenumerò in externis exercitijs abundantiores ſint, quàm ipſi Dei amici, puta, in orando, ieiunando, vigilando, vitæ ſectando aſperitatem, atque id genus alijs, vt ex his nulla poſſint ratione dinoſci, ſed qui verum Dei ſpiritum ſunt conſecuti, eos facilè cognoſcunt. Habent tamen & extrinſecus aliquid, quod eos ab electis Dei amicis palam diſcernit, & hoc eſt quòd cæteros quoſque, & ipſos Dei amicos ſemper iudicant, ſeipſos verò nunquam. Contra, Dei amici ita ſunt ab omni aliorum iudicatione alieni, vt neminem iudicent, niſi ſeipſos. Adeò quoque Phariſaicus ille modus, quo ſeipſos tam in Deo quàm in creaturis ac rebus omnibus quęrunt, intendunt, amant, in corruptis illis hominibus inualuit, atque in ipſorum verſipelli natura radices altè iecit, vt nullus ſit in eis angulus, qui non hoc vitio infectus ſit, citiuſque montes ferrei penetrari poſſe videantur, quàm hanc propriam quæſitionem ſola natura ſuperari. Quod tamen quantumuis ſecundùm naturam difficile ſit, vna tamen ratio ſupereſt, qua id nullo ferè negotio fieri queat, ſi videlicet omnipotens Deus in illis præualeat, & omnem ſolus per ſeipſum occupet locum. Sed hoc paucis admodum contingit, non culpa Dei, ſed hominum, quòd vitijs intra ſe locum prębeant, quæ Dei ab ipſis gratiam & præſentiam excludunt. Cæterùm id ipſa quoque ratio dictat, nullam hominem rationalem in creaturis mortalibus requiem capere debere, ſed ſemper per has infimas creaturas omnes niti ac penetrare in Deum. Sed heu iam totus vbique mundus hoc falſo fundo abundat, & neglecto Deo, creaturis inhæret: & per hoc qui longè, & qui propè ſunt homines, tam ineffabile damnum ſibi irrogant, vt amicorum Dei corda hinc præ dolo-

Duo quędam notanda.

Duplex hominũ genus.

Alios iudicare, non ſe, quid præ ſe ferat.

dolore tabescere queant, videntium dilecto Deo suo à bona hominum parte, cum ipsorum grauissima iactura tantam iniuriam fieri. Iam, quod vnum superest, quandiu in hoc mortali corpore positi sumus, id vnicuique summoperè curandum est, vt hunc corruptum falsumqúe fundum diligenter obseruet, extinguat, elimínetqúe: & tamen quantumcunque extirpârit, nunquam sibi securitatem promittat: quia donec spiritus hos regit artus, nunquam ille perfectè vincitur, nunquam ad plenum mortificatur, quin adhuc aliqua restent mortificanda. Quod cùm ita sit, puto nemini non manifestum esse, quantum hic fundus reprobus, à diuino lumine & principio seu origine nostra Deo, nos remoretur, præpediatqúe. Verùm quos ille occupat, (fundum corruptum dico) ad suum naturale lumen deuoluuntur, eiqúe inhærent: nec mirum, cùm tanta in ipsius intellectus lumine naturali delectatio consistat, vt quælibet præsentis vitæ delectatio, & seculi voluptas, ei non possit aliqua ratione comparari. Hanc lucem gentiles Philosophi & intelligebant, & amabant: sed quia in ea potius eligebant subsistere, quàm per eam vlterius niti ac tendere in lucem increatam, quæ Deus est, sicut Apostolus ait, obscuratum est insipiens cor eorum, & ad tenebras, nullo vnquam fine terminandas, deuoluti sunt. Hactenus de ijs, quæ nos à luce increata & ab origine nostra Deo præpediunt, dixisse sufficiat: nunc deinceps aperiendum est, quæ compendiosior, verior, faciliorqúe via sit atque modus ad lucem hanc & originem nostram perueniendi. Itaque verissimus iste modus est & ratio, vt seipsum quisque veraciter abneget, & tam puro, nudo, ac syncero Deum amore & intentione prosequatur, vt in nullo penitus seipsum aut aliquid suum, sed in omnibus Dei honorem, Dei gloriam quærat: cuncta siue prospera, siue aduersa, dulcia vel amara, sine medio de illius manu, non aliunde, suscipiat: eademqúe, vndecunque sibi occurrant, absque ambagibus & sine vllo medio, in eundem suum Conditorem referat & offerat, ita vt sit ibi immediatus effluxus & refluxus in Deum. Hæc est vera rectaqúe via, in qua veri Dei amici à falsis & corruptis hominibus separantur. Hi enim semper omnia Dei charismata & dona ad sese retorquent, & in illis seipsos cum proprietate quadam intendunt: nec ea, quomodo oportebat continuè, in Deum purè refundunt, referuntqúe cum amore & gratitudine, expeditaqúe suijpsorum abnegatione, & integro puroqúe introitu in Deum. Quisquis autem ista perfectiùs consecutus est, ille verior quoque est Dei amicus. Nam qui hæc eadem nec habet, nec amat, sed suiipsius inordinato ac improbo amore captus est, talisqúe perseuerat vsque in finem, nunquam radiantissimam sempiternę diuinitatis lucem contueri valebit. Hîc quoque notandum est, quòd sæpenumerò falsus hic fundus occultè, & ideo periculosè perniciosèqúe diuino sese lumini admiscet, ita vt dinosci vix queat. Vnde non raròaccidit, vt vbi Deus quæri & intendi putabatur, fallacissima natura quæsita sit, & pro scopo habita. Sed istud hoc casu facilè intelligitur. Dum enim dura & aspera quædam homini aduersa eueniunt, qui veri Dei amici sunt, cum eiusdem aduersis intrò ad Deum confugiunt, eademque de manu illius, non ab aliquo, suscipientes, cum ipso, in ipso, & propter ipsum æquanimiter ferunt, aut statim in illo omnia amittunt, adeoque Deo replentur, vt aduersa non sint illis aduersa, sed iuxta Apostoli Iacobi admonitionem, *omne gaudium* ducant, & vehementer exultent, quando pro Deo multa eis dura & aspera veniunt toleranda. Falsi verò Dei amici, ac in suis propriæ voluntatis modis tumidi, sesque

Quid summe cuiq; curandũ.

Rom. 1.

Fundi falsi periculum.

Verorum Dei amicorum à falsis distinctio.

Iacob. 1.

seque quærentes in omnibus & amantes, cùm aliqua eis molesta accidunt, quò se vertant, nesciunt: huc illucque pro remedio, consilio, & solatio discurrunt: quumque ea non inueniunt, parum abest, quin in seipsis desperent, intereantque. Metuendum profectò est, quòd hi in magnis erunt periculis, circa vitæ extrema constituti. Cùm enim Deum in omni vita sua nunquam purè quærant, intendant & ament, dum mortis accedit hora, mortalibus omnibus metuenda, eundem in fundo suo haudquaquam purè inueniunt. Quid mirum ergo, si ad inferni profunda collabantur, quando vitam suam supra solidam petram Christum minimè fundant construuntque? De his ergo constanter asseuerare non dubitauerim, centuplo cum eis periculosiùs agi, quàm cum communibus seculi hominibus. Tales enim peccatores se confitentur, & Deum humiliter metuunt: sicut & olim populus ille Iudaicus Dominum Saluatorem libens sequebatur, quando Pontifices, Pharisæi, & Scribæ, quorum exterior via magnam promittebat sanctitatem, eidem Saluatori in omnibus fortiter contradicebant, repugnabantque, & tandem morte illum afficiebant turpissima. Nec his facilè aliquid dici potest. Si enim de defectibus suis reprehendantur, aut ad corrigendum illos moneantur, resistunt in faciem, & hoc non absque stomacho, aut fugiunt instar Pharisæorum & Scribarum, qui olim, cùm Dominus digito scripsisset in terram vitia ipsorum, quæ agnoscere nolebant, superbia tumidi, fugerunt, incipientes à senioribus, donec omnes à templo abscessissent. Quamobrem simplicioribus longè melius, quàm his, consilio & auxilio succurri potest, eò quòd peccata sua agnoscunt, quemadmodum illis semper facilè remedium est, qui sese peccatores fatentur, & in timore ac humilitate ambulant, atque à peccatis suis moniti libenter sese auertunt, & ad virtutum bonorumque operum studia conuertunt. Cæterùm aduersus ea, quæ iam diximus, impedimenta, multa nobis benignissimus Conditor noster remedia, solatia & auxilia contulit, mittendo ex purissimo amore vnigenitum Filium suum, Verbum cordis sui, Dominum nostrum Iesum Christum, quo sanctissima vita, perfectissimæ virtutes, exempla, doctrinaque purissima, diuersæ multiplicesque passiones ipsius (quæ omnia ille in charitate perpetua pro nostra salute assumpsit, exhibuit, pertulit) nos extra nosipsos ducerent, allicerentque, vt naturale obscurum lumen nostrum in illius vero essentiali lumine sopiri permitteremus. Insuper sanctissima nobis contulit Sacramenta. Et primò quidem ipsam fidem, sacrum Baptisma, Confirmationemque. Dehinc, si nos fortè extra gratiam suam prolabi contingat, vt cum ipso in gratiam redire valeamus, Sacramentum Pœnitentiæ, cuius partes sunt, Contritio, Confessio & Satisfactio: Eucharistiam quoque, & extremam Vnctionem. Hæc nobis impendiò suffragantur, ad reuertendum in originem nostram, primumque principium Deum, quemadmodum Augustinus ait: Sol ille magnus atque præclarissimus, alium sub se minorem solem condidit, suis nubibus maiorem solem obumbrantem, non ad tegendum ipsum, sed ad temperandum, quo solem maiorem nobis liceat contueri. Etenim Sol iste magnus Deus Pater est, qui minorem sub se Solem, id est, Verbum, & Filium suum condidit iuxta humanitatem illius. Qui licèt per diuinitatem æqualis sit Deo Patri, seipsum tamen humiliter demisit & exinaniuit secundùm humanitatem, non quò se nobis occultaret, sed temperaret, quò ipsum veraciter contemplari valeamus. Ipse namque est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc*

Qui religiosi periculosiùs, quàm seculares, vitam agant.

Ioan. 8.

Sacramenta Ecclesiæ ad quid data. Pœnitentiæ partes quæ.

Ioan. 1.


in hunc mundum. Ipse in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt. Huius namque diuinæ lucis nemo capax est, nisi verè *pauperes spiritu*, & qui ab omni priuato amore propriaque voluntate denudati, exuti, expeditique sint. Vnde sequitur esse quàm plures, qui vel quadraginta annis in exteriori vixerint inopia, & tamen hunc præclarissimum fundum nec leuiter attigerint, senserintque. Qui tametsi multum inde habeant in intellectu, in ipso nihilominus fundo, quod ad gustum attinet, prorsus incognitus & alienus est eis. Nunc igitur ea sit omnibus cura, hucque singuli vires omnes, totumque conatum suum, & quicquid habere possunt tam in spiritu quàm in natura, conuertant & expendant, vt veram lucem sentire ac sapere possint: atque ita ad eam poterunt veraciter originem pertingere, vbi lux eadem assiduè lucet. Hæc per naturam, & supra naturam petant, hæc æstuantissimè desiderent omnes: in hoc, quicquid habere licet virium, expendant: verosque Dei amicos, vt sese adiuuent, precentur: eisdemque adhæreant, quo se vnà secum in Deum Opt. Max. trahant. Quod nobis omnibus præstet idem ipse benignus Conditor noster. Amen.

DOMINICA EADEM Lætare.

Vt vltra nosipsos & creata omnia ascendere debeamus, quò suam intra nos celebritatem Deus peragere queat: & vt huc omnes impendiò conferant religiosorum Ordinum canones atque statuta, vtque Deus occultè intra nos sit, dum ipsum minimè sentimus: & quod sit tempus illius, & tempus nostrum.

SERMO II.

Tempus meum nondum aduenit. IOAN. VII.



IN eodem capitulo, vnde thema sermonis huius desumptum est, ita quoque Dominus fratribus suis dixisse legitur: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum:* Et paulò antè hæc verba dixerat: *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Nunc igitur videndum nobis est, quæ sit illa solennitas seu dies festus, ad quem suos Dominus ascendere discipulos iussit, cuius item *tempus semper est paratum.* Est quædam vitæ æternæ perennis solennitas, quæ vita rectissimè beata dicitur, quæ & verissima, & suprema, & vltima solennitas est, in qua Deus non iam in ænigmate, sed palàm facie ad faciem cernitur: sed ea non est præsentis temporis, quandiù hac mortali sumus carne circundati. Est alia quædam solennitas, ad quam & in hoc seculo ascendere licet, & ipsa est illius præcedentis æternæ solennitatis quædam prælibatio & experimentum in æterna fruitione ac sensu præsentiæ diuinæ in spiritu. Hoc ergo tempus est, quod semper est nostrum, vt scilicet Deum quæramus, illiusque præsentiam suspiremus ac intendamus in cunctis actibus nostris, in omni vita, dilectione & voluntate nostra: vtque nosipsos & omnia quæ sunt extra Deum transcendentes, non aliud aliquid nisi purè Deum velimus, Deum tota virtute diligamus. Hoc *tempus semper est paratum.* Omnes enim veram illam vitæ perennis beatitudinem naturaliter appetunt, & nemo est qui non velit esse

Solennitas duplex.

Tempus nostrum quod sit beatitudinem omnes capetere.

lit esse

lit esse beatus ex ipsa quoque natura. Sed desiderâsse, non satis est ad beatitudinem consequendam. Oportet enim, vt & Deum propter Deum purè quæramus & intendamus. Multi quoque ad hanc vitæ æternæ prælibationem summoperè adspirant, & queruntur grauiter eam sibi denegari. Quumqúe in suis orationibus aut alijs exercitijs positi, nullam in fundo suo solennitatem, nec Dei præsentiam experiuntur, indignè ferunt, affectiqúe tædio, minus illis insistunt, aut certè minus libenter, dicentes se Deum non sentire, & ideò molesta sibi esse exercitia sua ac orandi studium. Sed id minimè oportet, nec ob hoc pijs exercitijs, bonisqúe actibus minus incumbere debemus. Nam tametsi Deum non sentiamus, ipse nihilo minus præsentissimus adest. Sic olim ascendebat post discipulos suos ad diem festum, *non manifestè, sed quasi in occulto*. Cæterùm vbi Deus est, ibi reuera solennitas est: nec potest ipse sese negare, neque abesse, vbi purè creditur & intenditur, siue manifestum se exhibeat, siue teneat occultum. Vt vt se habeat, præsens tamen adest. Sanè vt ipse purè quæratur & intendatur à nobis in cunctis actibus nostris, vtque crebrò nos introuertamus, & transcendamus nosipsos, hoc est, tempus, de quo ipse ait: *Tempus vestrum semper est paratum*. Semper enim ascendere nobis licet. Sed vt ipse se manifestum exhibeat, vt consolationes infundat, hoc *tempus* non *semper est paratum*. Hoc suum est, illiusque arbitrio relinquendum. Attamen si hunc purè quærimus, si ipse scopus est intentionis nostræ, certo certius præsens adest, licet interdum occultè: & ideò non minus libenter & alacriter bonis actibus & exercitijs debemus insistere. Quod si fecerimus, haud dubiè tandem aliquando ipsum reperturi sumus. Adest namque, sed differt præsentiæ suæ manifestam exhibitionem. Huc faciunt & huc spectant ritus omnes, cunctaque opera & exercitia tam nostri Ordinis, quàm omnium aliarum religionum, & quęque alia pia instituta ac ordinationes, qualescunque demum sint illę, vtpotè quę ob hoc fiunt & obseruantur à nobis, vt solum Deum purè discamus intendere, vt ipse intra nos festum agat diem, nosque fundum habeamus expeditum ab omnibus ipsius operationem præpedientibus, nihilque continentem, nisi solum Deum. Quò quanto magis exercitia modique omnes siue ritus conferunt, tanto sunt & laudabiliores, sanctiores, vtilioresque. Sin autem ad hunc finem non referantur; sed illis contenti simus, profectò nihil aliud sumus quàm synagoga Iudęorum. Habebat quippe populus ille, seu Lex veteris Testamenti statuta plurima, ritus atque cæremonias multas, & opera magna: & præter hæc, etiam exercitia diuersa pœnalia: sed per hæc omnia cælestis patriæ consequi gaudia non poterant, quotquot sub lege erant, vtpote quæ non nisi parasceue quædam siue præparatio erat ad nouum Testamentum, cui cælestis regni ianua patefacta est, tot annorum millibus clausa. Sic sic & de externis omnibus exercitijs sentiendum est, quæ non nisi via quædam sunt & præparatio ad ipsam internam mentis solennitatem, quæ in his minimè inuenitur, nisi vetus coaptetur atque terminetur in nouum, hoc est, nisi ipsa externa exercitia ad fundum interiorem, veramque cordis puritatem referantur, alioqui parum aut nihil profutura. Sanè dilectissimi, omnes Deo omnipotenti vouimus, quòd ipsum amore ac intentione prosequeremur, eidemque ad mortem vsque perseuerantem exhiberemus famulatum, quando primùm seculo abrenuntiauimus, & monasticen professi sumus. Et ab hoc voto nec Pontifices omnes, nec sacerdotes nos absoluere possent. Etsi quæ fides

Solennitas vera vbi.

Exercitia Monastica quò faciant.

Externa exercitia qui habenda.

Vota monastica.

sanctis

quam iusti-
tiæ obser-
uanda

sanctis est habenda Doctoribus, plus hoc votum obligat, quàm quoduis iuramentum in iudicio præstitum. Vnde hoc manifestè sequitur, multò magis nos periurij crimen incurrere, quando spontè animoqúe deliberato cor & intentionem nostram, quæ Deo semel consecrauimus, alicui tradimus creaturæ extra Deum, quàm si iuramentum violaremus. Et ob hoc noster Ordo institutus est, & hic finis est omnium religiosarum constitutionum. Quamobrem sanctissimum patrem nostrum Dominicum, cùm is morti propinquaret, fratres quidam sui precabantur, vt eos verum subiectum & essentiam, ipsumqúe fundum sacri Ordinis ab ipso instituti edoceret: & in quem finem omnia Ordinis statuta condidisset, explicaret. (Accidentia nouerant isti, sed & substantiam nosse volebant. Sic enim & nos statuta & leges omnes nouimus) tum ille fundum ipsum & essentiam eis aperiens, ait: hanc esse verum Dei amorem, humilitatem profundam, & tam spiritûs, quàm rerum temporalium paupertatem. Itaque is sacræ religionis fundus est, vt Deum ex toto corde diligamus, nec aliquid præter ipsum, quod illius amorem impediat: vtqúe ex fraterna charitate sic quosque diligamus confratres nostros, vt nosipsos: idqúe cum humili subditaqúe mente sub Deo, & charitatis exhibitione in inuicem. Et vt demum omnem tam nostrijpsorum, quàm quarumlibet rerum creatarum, ipsiusqúe voluntatis proprietatem abdicemus, atque à creaturis omnibus, & quicquid hoc est, quòd à nobis Deum excludere aut præpedire queat, nudi simus & expediti, quo Deus omnipotens præclarissimum fundum nostrum, cui suam ipse impressit imaginem, liberè atque potenter possidere valeat, quæ sunt deliciæ ipsius atque voluptas, sicut ipse ait: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Hic planè, dilectissimi, scopus est Ordinis nostri, hic finis, hæc intentio. In hunc finem omnes sacri Ordines, religiosæ congregationes, monasteria omnia, inclusoria, statuta, ritus & cæremoniæ, cunctaque honestè viuendi genera, vtut demum vocentur, instituta sunt, approbata, recepta. Huic omnes militant nostri Ordinis constitutiones: quæ quo magis huc faciunt, tanto & vtiliores sunt, & maiori amore prosequendæ, studiosiusque colendæ. Hac ex causa, hoc fine, hac intentione nos Deo omnipliùs deuouimus, magisque eidem voluimus esse obligati. Qui si Ordinem hunc non colimus, nec obseruamus, periuri sumus, & fidem præstitam Deo violamus: Sin verò ista Deo seruamus, nimirum ipsam Ordinis nostri substantiam fundumque tenemus, quem & Patriarcha noster S. Dominicus, & alij sancti ac venerabiles aliorum Ordinum Patres tenuêre, vt verbi gratia: Sanctus Benedictus, Sanctus Augustinus, Sanctus Bernardus, Sanctus Franciscus: qui omnes hunc vitæ religiosæ seu regularis essentialem ordinem spectabant atque colebant, cui omnes externi ritus, constitutiones ac cæremoniæ famulantur, & propter quem instituta sunt. Hunc essentialem (vt ita dixerim) Ordinem, seu ipsam Ordinis nostri substantiam, quæso vt sectemini: hoc est, vt Deum ex ipso cordis fundo, amore ac intentione prosequamini, & alia omnia, cuiuscunque demum generis sint illa, quatenus ad hoc veraciter vobis adminiculantur conferuntque. Hoc si facitis, certo certius grandem perfectamque in animabus vestris Deus omnipotens exhibebit peragetque solennitatem. Sunt planè, sicut ipsi nostis, multę nobis obseruandę Constitutiones, Patrumque sanctiones. Visitandus est chorus, legendum atque psallendum est nobis, velimus nolimus. Quidni igitur potius solenniter atque iucundo id faciamus animo, quàm mente arida, in-

Cuius fuerit Ordinis author hic noster.

Ordinis Prædicatoris substantia.

Prou. 8.

Quis religionum omnium scopus.

Patriarchæ aliquot religionum.

Exhortatio ad religiosos.

aque-

aquosa, grauata, plumbea, ne ab æterna solennitate excludamur? Quamuis enim verissimum sit, eum qui nullius sibi mortalis criminis conscius est, si ea sit voluntate prædìtus, vt nulla velit ratione aliquid perpetrare, quod Deum offendat, in fide sancta & catholica beatitudinem consequi & fieri saluum: quisquis tamen iucundam illam solennitatem, in qua Dei felicissimè sentitur atque degustatur præsentia, intra se experiri appetit, oportet sanè vt omnipotenti Deo purum, liberum & expeditum exhibeat fundum: & ita poterit eundem sentire per fruitionem, quæ sola est vera deuotio, vt scilicet nihil iam illum afficiat, nihil placeat, nihil delectet nisi Deus. Denique vt hoc pacto illi soli per amorem ac intentionem inhæreamus, eam ob causam sua nos inæstimabili pietate ad hunc sacrum vocauit, traxit, perduxit ordinem: cuius nos vocationi morem gerere oportet. A fallaci namque corruptissimoqúe seculo abstractos, ad hanc sanctam veræ pœnitentię vitam perduxit, qui natura sumus iræ filij, ac æternæ damnationi obnoxij propter iniquitates & scelera nostra: quemadmodum Augustinus ait: Homo, inquiens, ex vili, sordida, atque corrupta materia nascitur, humus putrida, cuius finis mors æterna. Sed hanc per vitam pœnitentialem præuenimus, ad quam sine vllis meritis nostris, sua nos gratuita bonitate ac amore purissimo vocauit Dominus Deus noster. At quærat fortasse aliquis, quæ sit vitæ pœnitentialis essentia & veritas: Nihil sanè aliud, quam vera auersio ab omnibus extra Deum, & integra perfectaqúe conuersio ad purissimum certissimumqúe bonum illud, quod est idem ipse Deus. Quod qui studiosius & abundantius facit, ille plus quoque agit pœnitentiæ. Vnde ex ipsis animi visceribus meritò semper deuotissimas Conditori nostro gratiarum actiones referre debemus, quotquot religiosi sumus, quòd nos ad eiusmodi vitam vocare & inuitare dignatus est, magnamqúe & certam id nobis fiduciam pręstare debet, vt fortiter speremus nos perpetuò regnaturos cum ipso, quos à turbulento ac fallaci seculo abstraxit & coëgit in vnum: atque animas nostras speciali dilectione in sponsas & amicas suas, & demum ad tam raram ac singularem elegit familiaritatem suam. Et quod euidentius signum esse queat diuinæ apud nos præsentiæ & electionis, quàm quòd plerique inter nos in ipso iuuentutis flore constituti, quæ ætas admodum solet esse indomita, & omnis regiminis impatiens, atque seculo dedita & affecta, alterius se voluntati subijciunt, præceptis & exhortationibus morem gerunt, domari regique se patiuntur, atque creaturis omnibus valefacientes, Dominum Deum suum sequuntur? Et licèt magna aliqua de Deo necdum experiantur, patientiam tamen seruant, & sustinent Dominum. Quod eis factu impossibile foret, nisi Dominus occultè eis adesset. Nunc igitur ea nobis omnibus cura sit, dilectissimi, in hoc neruos omnes expendamus atque conatus, vt hanc intra nos iucundissimam experiamur solennitatem, vt Deus se in intimis nostris exhibeat verè manifestum, vt demum, quoties volumus, atque nos intrò recipimus, in orationibus alijsque exercitijs & operibus nostris, quæ nobis ex ordine facienda incumbunt, perfectam intra nos solennitatem, diuinamque præsentiam, verumque gaudium sentiamus, experiamurque. Qua solennitate illi reuera perfruuntur, qui nulli pręterquàm Deo obligati sunt ac verè proprij. Talium enim & ipse proprium se facit, sicut ipsi proprios se illi fecerunt atque dediderunt, nec hos deserit vnquam: nunquam illis suam præsentiam subtrahit. An non hæc felicissima prorsus, iucundissima ac solennissima

Quis beatitudinem consequatur.

Deuotio vera quę.

Pœnitentialis vitæ essentia.

Euidens diuinæ præsentiæ signum quod.

Solennitate perfecta qui perfruuntur.

Vita in-

candissima quæ.


(vt ita dixerim) vita censenda est, vbi & nos sumus in Deo, & Deus in nobis hic in tempore, & postmodum in æternitate & ineffabili beatitudine? Quam nobis præstet misericordia Saluatoris nostri Dei. Amen.

DOMINICA V. QVADRAGESIMAE, Iudica dicta.

Vt Verbum Dei nobis intus inspiretur: & vt quadruplici ratione nostrum pro Deo sanguinem fundere debeamus.

SERMO I.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. IOAN. VIII.



VAESO, dilectissimi, arrectis auribus & attento corde animoque præsenti huius Euangelij verba auscultate, & facilè vobis scire licebit, quinam sitis, quid esse velitis, quidque esse debeatis. Ait enim Dominus Iudæis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.* Et post pauca: *Si quis*, inquit, *sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Tempus nunc est, dilectissimi, quo sacratissima Christi passio recolitur. Eam ob rem non est cur aliquis his diebus meditetur, aut indulgeat otio: quin omnes & singuli hunc Dominicæ passionis codicem reuoluent, hunc ob oculos, hunc in corde, hunc in manibus versabunt, in quo omnis consolatio, omnis veritas, vniuersa scientia, omnisque discretio reperitur: adeò vt ipse affirmare non dubitem, quotquot hunc amabilem librum ritè legere, atque in eo, sicut oportet, studere nôrunt, veram assecutos discretionem, & omnem sacram Scripturam intelligere: qui verò id nesciunt, aut parum aut nihil omninò lucis habere. Debet enim Christianis omnibus vita & Passio Saluatoris, norma quædam & exemplar esse, quod pro virili sectentur, à quo nec latum vnguem discedant. Hinc diuus Petrus ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et in præsentis diei epistola Paulus Apostolus: *Christus*, inquit, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum,* id est, non huius creationis. *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Hunc Pontificem nostrum ritè sequamur omnes cum purissimo amore ac intentione, illius duntaxat supremum honorem, gloriam & laudem quærendo, non aliud aliquid. Cæterùm duobus ille nos præcessit modis, in viribus infimis & viribus supremis. Per vires superiores, quatenus diuinitati vnitus erat, omnes omnium hominum, præteritorum, præsentium & futurorum cogitationes, verba, opera, intentiones, ritus, exercitia & vocabula contuebatur sine cessatione, obiectiuè (vt ita dixerim) ac fruitiuè. Per easdem quoque vires diuinitati vnitas, idem & impræsentiarum me concionantem audit, ac nostras facies, motus, intentiones, fundum distinctè intuetur. Sed hæc omnia cùm tam inæstimabili ac stupenda puritate referebat in Patrem, eidemque ferebat accepta, vt ex eis alijsque opinionibus, quas ab illo vnquam susceperat, nec pilum sibi vsurparet, solam Patris sui gloriam quærens vbique & in omnibus. Itaque in hoc cuncti amici illius fideliter eum sequi debent,

Passio Christi quando potissimum reuoluẽda. Passio Christi quàm sit vtilis liber.

1. Pet. 2.

Heb. 9.

Quot modis præcesserit nos Christus.

Quo pacto ...

bent, vt de omnibus donis eius nihil sibi vsurpent, sed quicquid ab eo suscipiunt, nudè ac velut passiuè referant in ipsum, omni propria quæsitione procul abdicata. Per vires inferiores, in omni nos virtute noster hic Pontifex præcessit, diuersas grauissimasque tolerando aduersitates, quæ illi immeritò inferebantur, eò quòd gloriam Patris sui quæreret, à corruptissimis Pharisæis, qui iustitiam sibi vitæque sanctimoniam arrogabant. Sic, sic nimirum & electos quosque Dei amicos, Christique sectatores, multa atque grauia oportet aduersa perpeti: idque potissimùm ab illis, qui solenni voto se adstrinxerunt, quòd Deum quærerent, eidemque famularentur, & inde prolapsi sunt atque exorbitârunt: qui molestissimè Dei seruos impugnant. Quotquot enim perfectiores amici Dei sunt, nihil quærunt, nihil intentione prosequuntur nisi Deum: & hoc absque omni proprietate diuinum sequentes tractum & instinctum: in omnibus quoque quæ ille eis euenire permittit, siue prospera sint, siue aduersa, in cunctis modis ac rebus omnibus non aliquid suum, sed ipsum purè quærunt. Ea de causa multa sustinent ab ijs, qui propria sunt quæsitione infecti, qui seipsos quærunt in omnibus, qui nihil nouerunt, nisi suos quosdam proprios modos & consuetudines, & ideò illos minimè intelligunt, qui Deum sequuntur, non in vno aliquo certo modo, sed omnibus modis. Verùm vt de ipsis Euangelij verbis aliqua dicamus, considerandum nobis est solicitè, quod Dominus ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quæ verba S. Papa Gregorius exponens: Interroget, inquit, se vnusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit: & intelliget vnde sit. Cælestem patriam desiderare veritas iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo apud se vnusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit: & quia iam ex Deo sit, agnoscit. Nam sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur &c. Duo verba Deus locutus est seu pronuntiauit, quę nobis auscultanda veniunt. Primò namque cælestis Pater consempiternum sibi Verbum suum in diuinitate protulit. Cui quanta propinquitate & affinitate iungatur anima rationalis ea parte, qua locum & tempus excedit, humanus non capit intellectus. Ea namque parte, hoc est, in ipso fundo seu mentis apice, maximè illi coniuncta est & affinis: & ibi in occulto quietoque silentio Verbum suum Pater cælestis centuplo celerius pronuntiat, quàm transeat momentum. Hoc verbum tantò perfectius intelligitur, quanto propius auris illi interior adhibetur, quantoque stabilius in æterna quiete & vnitate spiritus circa ipsum commoramur, & deuotius ac attentius conuertimur ad ipsum. Cæterùm hoc verbum, quamuis secretissimum sit, & in ipso fundo occultum, sese tamen exerit ac diffundit in duas illas animæ vires supra phantasiam positas, voluntatem scilicet & intellectum. Vnde ipse Dominus ait: *Sermonem quem locutus sum vobis, non est meus.* Itaque voluntas sentiens verbum illud, continuò erigitur, nesciens tamen quid factu opus sit, aitque: Volo equidem, sed quid agendum sit, penitus ignoro. Accedit intellectus, qui & ipse verbum sensit inspiratum, & dicit voluntati: Facilè te docere atque dirigere potero, si me sequi voles. Tum verò ad agendum quæ facienda sunt, & dimittendum quæ postponenda sunt, ipsam dirigit voluntatem. Hinc iam verbum istud etiam in vires infimas sese diffundit, concupiscibilem puta & rationalem. Concupiscibilem, nuditatem docet obseruare & temperantiam. Nuditatem, à creaturis omnibus, & cunctis,

In te Christus nobis sequẽdus.

Qui innotescere cuique potũt vnde sit.

Ioan. 14.

Voluntas.

Intellectus.


cundissima quæ. (vt ita dixerim) vita censenda est, vbi & nos sumus in Deo, & Deus in nobis hic in tempore, & postmodum in æternitate & ineffabili beatitudine? Quam nobis præstet misericordia Saluatoris nostri Dei. Amen.

DOMINICA V. QVADRAGESIMAE, Iudica dicta.

Vt Verbum Dei nobis intus inspiretur: & vt quadruplici ratione nostrum pro Deo sanguinem fundere debeamus.

SERMO I.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. IOAN. VIII.



VAESO, dilectissimi, arrectis auribus & attento corde animoque præsenti huius Euangelij verba auscultate, & facilè vobis scire licebit, quinam sitis, quid esse velitis, quidque esse debeatis. Ait enim Dominus Iudæis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.* Et post pauca: *Si quis,* inquit, *sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Tempus nunc est, dilectissimi, quo sacratissima Christi passio recolitur. Eam ob rem non est cur aliquis his diebus meditetur, aut indulgeat otio: quin omnes & singuli hunc Dominicæ passionis codicem reuoluent, hunc ob oculos, hunc in corde, hunc in manibus versabunt, in quo omnis consolatio, omnis veritas, vniuersa scientia, omnisque discretio reperitur: adeò vt ipse affirmare non dubitem, quotquot hunc amabilem librum ritè legere, atque in eo, sicut oportet, studere nôrunt, veram assecutos discretionem, & omnem sacram Scripturam intelligere: qui verò id nesciunt, aut parum aut nihil omninò lucis habere. Debet enim Christianis omnibus vita & Passio Saluatoris, norma quædam & exemplar esse, quod pro virili sectentur, à quo nec latum vnguem discedant. Hinc diuus Petrus ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et in præsentis diei epistola Paulus Apostolus: *Christus,* inquit, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum,* id est, non huius creationis: *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Hunc Pontificem nostrum ritè sequamur omnes cum purissimo amore ac intentione, illius duntaxat supremum honorem, gloriam & laudem quærendo, non aliud aliquid. Cæterùm duobus ille nos præcessit modis, in viribus infimis & viribus supremis. Per vires superiores, quatenus diuinitati vnitus erat, omnes omnium hominum, præteritorum, præsentium & futurorum cogitationes, verba, opera, intentiones, ritus, exercitia & vocabula contuebatur sine cessatione, obiectiuè (vt ita dixerim) ac fruitiuè. Per easdem quoque vires diuinitati vnitas, idem & impræsentiarum me concionantem audit, ac nostras facies, motus, intentiones, fundum distinctè intuetur. Sed hæc omnia cùm tam inæstimabili ac stupenda puritate referebat in Patrem, eidemque ferebat accepta, vt ex eis alijsque opinionibus, quæ ab illo vnquam susceperat, nec pilum sibi vsurparet, solam Patris sui gloriam quærens vbique & in omnibus. Itaque in hoc cuncti amici illius fideliter eum sequi debent,

Passio Christi quando potissimum reuoluenda.
Passio Christi quàm sit vtilis liber.
1. Pet. 2.
Heb. 9.
Quot modis præcesserit nos Christus.
Quę potissimum

bent, vt de omnibus donis eius nihil sibi vsurpent, sed quicquid ab eo suscipiunt, nudè ac velut passiuè referant in ipsum, omni propria quæsitione procul abdicata. Per vires inferiores, in omni nos virtute noster hic Pontifex præcessit, diuersas grauissimasque tolerando aduersitates, quæ illi immeritò inferebantur, eò quòd gloriam Patris sui quæreret, à corruptissimis Pharisæis, qui iustitiam sibi vitæque sanctimoniam arrogabant. Sic, sic nimirum & electos quosque Dei amicos, Christique sectatores, multa atque grauia oportet aduersa perpeti: idque potissimùm ab illis, qui solenni voto se adstrinxerunt, quòd Deum quærerent, eidemque famularentur, & inde prolapsi sunt atque exorbitârunt: qui molestissimè Dei seruos impugnant. Quotquot enim perfectiores amici Dei sunt, nihil quærunt, nihil intentione prosequuntur nisi Deum: & hoc absque omni proprietate diuinum sequentes tractum & instinctum: in omnibus quoque quæ ille eis euenire permittit, siue prospera sint, siue aduersa, in cunctis modis ac rebus omnibus non aliquid suum, sed ipsum purè quærunt. Ea de causa multa sustinent ab ijs, qui propria sunt quæsitione infecti, qui seipsos quærunt in omnibus, qui nihil nouerunt, nisi suos quosdam proprios modos & consuetudines, & ideò illos minimè intelligunt, qui Deum sequuntur, non in vno aliquo certo modo, sed omnibus modis. Verùm vt de ipsis Euangelij verbis aliqua dicamus, considerandum nobis est solicitè, quod Dominus ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quæ verba S. Papa Gregorius exponens: Interroget, inquit, se vnusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit: & intelliget vnde sit. Cælestem patriam desiderare veritas iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo apud se vnusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit: & quia iam ex Deo sit, agnoscit. Nam sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur &c. Duo verba Deus locutus est seu pronuntiauit, quę nobis auscultanda veniunt. Primò namque cælestis Pater consempiternum sibi Verbum suum in diuinitate protulit. Cui quanta propinquitate & affinitate iungatur anima rationalis ea parte, qua locum & tempus excedit, humanus non capit intellectus. Ea namque parte, hoc est, in ipso fundo seu mentis apice, maximè illi coniuncta est & affinis: & ibi in occulto quietoque silentio Verbum suum Pater cælestis centuplo celerius pronuntiat, quàm transeat momentum. Hoc verbum tantò perfectius intelligitur, quanto propius auris illi interior adhibetur, quantoque stabilius in æterna quiete & vnitate spiritus circa ipsum commoramur, & deuotius ac attentius conuertimur ad ipsum. Caeterùm hoc verbum, quamuis secretissimum sit, & in ipso fundo occultum, sese tamen exerit ac diffundit in duas illas animæ vires supra phantasiam positas, voluntatem scilicet & intellectum. Vnde ipse Dominus ait: *Sermonem quem locutus sum vobis, non est meus.* Itaque voluntas sentiens verbum illud, continuò erigitur, nesciens tamen quid factu opus sit, aitque: Volo equidem, sed quid agendum sit, penitus ignoro. Accedit intellectus, qui & ipse verbum sensit inspiratum, & dicit voluntati: Facilè te docere atque dirigere potero, si me sequi voles. Tum verò ad agendum quæ facienda sunt, & dimittendum quæ postponenda sunt, ipsam dirigit voluntatem. Hinc iam verbum istud etiam in vires infimas sese diffundit, concupiscibilem puta & rationalem. Concupiscibilem, nuditatem docet obseruare & temperantiam. Nuditatem, à creaturis omnibus, & cunctis, illis,

In te Christus nobis sequêdus.

Qui innotescere cuique possit vnde sit.

Ioan. 14.

Voluntas.

Intellectus.

illis, quæ Deum ab anima possint excludere seu præpedire. Temperantiam sibi continentiam ab omnibus, in quibus delectatio consistit atque voluptas. Hic tamen naturæ necessaria excluduntur. Quid enim aliud quàm maxima fatuitas fuerit, naturæ subtrahere quo indiget, quodque citra læsionem illi subtrahere nequeas? Temperantia circa superflua versatur. Irascibilem, veram docet humilitatem & mansuetudinem. Quæ nos specialiter præ alijs virtutibus ei reddunt conformes, qui hoc docet verbum & loquitur in nobis. Hic iam diligenter quisque obseruet, vt hanc intra se doctrinam susceperit, si hoc pacto Dei verbum audierit: & primò quidem verbum illud internum atque secretum in ipso fundo, deinde etiam in viribus: & hinc liquidò valebit cognoscere, si ex Deo sit, an non. Ipsa namque Veritas ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* Sed hîc quæri potest, quid agendum sit, vt hoc verbum & audire liceat & intelligere. Sanè & huc duo spectant. Primò nanque verbo illi interno, quod intus profertur in ipso fundo, vbi anima tempus excedit & locum, cùm interno otio vacandum est. Itaque perfecti cuiusque & vndiquaque exercitati hominis, qui vires suas exteriores prius sufficienter exercere curauit, (qui tamen ipse quandiu superest, nunquam se satis credet exercitatum) eo tempore quo hoc illi verbum audiendum est, vires supremæ colligere se habent & subleuare, ipsasque vires inferiores post se attrahere, subuehereque vltra locum & tempus, sicque ipsam supra tempus intueri æternitatem. Hinc Augustinus ait: Quando homo sese vertit animo suo ad æternitatem, nihil illi cum tempore negotij est. Huc quotquot sæpius pertingunt, & in his crebrò versantur, eorum opera & sensus ferè supra tempus fiunt: suntque homines præclari valde ac nobiles. Hoc enim verbum quando profertur, nemo audit, nemo intelligit, nisi qui huc pertingunt, & ipsum modo prædicto in suo percipiunt fundo. Externo autem verbo, quod viribus inspiratur, ipsæ vires passiuè debent famulari, vt videlicet spontè & ex integro se subijciant omnibus Dei iudicijs, permissionibusque. Sanè non est quòd aliquis supra vires naturæ suæ onera velit importabilia indiscretè imponere: tantùm humiliter se submittat atque substernat oneribus illis, quæ à Deo veniunt per media vel absque medijs: eaque, sicut & alia omnia, de manu illius suscipiens, quantum potest, æquanimiter ferat: necnon in ipsum referat omnia cum amore & gratiarum actione, nihil sibi inde vsurpans. Ipse facilè onera nobis imponet, vbi ea nos ferre posse cognouerit. Cæterùm, vt ad præsentis diei reuertamur epistolam, de qua in principio quædam deprompsimus, id nobis non negligenter considerandum venit, quod Apostolus ait, Pontificem nostrum *per proprium sanguinem* introisse *semel in sancta, æterna redemptione inuenta*. Debemus enim & nos vicissim pro illo sanguinem nostrum fundere, quadruplici ratione. Prima sanguinis effusio, in carne simul & spiritu fit per opera pœnitentiæ, seu vitam verè pœnitentialem. Quum enim sæpè à Deo recesserimus, inordinatas sensuum oblectationes & voluptates in creaturis & rebus temporalibus sectando, oportet nos inde auerti, & delectationem in illis malè possessam abdicare & resçindere: nosque totos conuertere ad Deum: quod est veræ pœnitentiæ essentia, integra scilicet auersio, & perfecta conuersio. Quod quidem si ritè facimus, non poterit non dici sanguinis effusio: quæ tanto maior, grauior, amarior esse consueuit, quanto creaturarum fuit delectatio intensior, abundantiorque. Et quo auersio

Quæ nos Christo faciant conformes.

Heb. 9. Quadruplici ratione noster pro Christo sanguis fundendus.

1.

nibil

multiplicior grauiorque fuit, tanto & spiritus mactatio, sanguinisque decoctio seu effusio, quæ ex virili aduersus vitia dimicatione atque renisu contingit, molestior est difficiliorque. Vnde quotquot verè pœnitent, & ipsam pœnitentiæ essentiam ritè prosequuntur, si robusto, vegeto & eleganti sunt corpore, in Dei seruitio illius sanguinem absumunt, ita vt infirmum, debile, pallidum ac deforme reddatur. Secunda sanguinis effusio in exterioribus sensibus II.
agitur, dum illi disciplinæ chamo constringuntur, dum suis voluptatibus, quas vel videndo, vel audiendo, vel in quibuslibet rebus delectabilibus sentiunt atque venantur, penitus mori, continentiam sectari, atque intro in spiritum sese coguntur recipere. Huc & ea sanguinis effusio referenda est, quæ in perfectis Dei amicis agitur, quæ quidem grauissima est, dum illos hac tempestate diuersis ac stupendis modis dirè admodum persequuntur, quotquot Deum minimè intendunt. Hanc tamen vbi commodè fieri potest, licet interdum ad tempus honestè ac prouidè declinare. Sed quid dicemus? Videas enim plerosque magnam promittentes intrinsecus sanctitatem, audaces, animosos, & argutos, qui intellectus acumine atque vafricie instructi, quærunt, verum aduersa subterfugienda sint. Et vt non ambigas de ipsorum sententia, ipsi non fugiunt. Quid enim fugerent cùm nesciant quid oporteat fugere, nihilque intus habeant, nisi imagines intrò receptas atque congestas? Sed perfecti Dei amici, satis ex diuina illuminatione nouerunt, & quando, & quid, & quousque fugiendum sit. Equidem vbi præsentia mea plus officit & sauciat fratrem meum, quàm prosit & curet, malo aliquandiu, si possum, fugere. Et hoc nunquid mea subnixum est authoritate, & non ipsius potiùs Christi exemplo, qui non in hoc tantùm Euangelio, sed alibi etiam fugisse legitur, & abscondisse se à Iudæis, ipsi necem intentantibus? Tertia sanguinis effusio, admodum magna est: quæ & in electis III.
Dei amicis agitur, dum cernunt illi, & mutare nesciunt, dilecto Deo suo (cuius honorem impensius amant, quærunt, & intendunt, quàm proprium esse vitamque suam) tantam à creaturis suis exhiberi irreuerentiam, quas ille tanto cum labore, pariterque dolore & pretio tam incomparabili redemit: idque à mundo vniuerso, ab Ecclesiasticis & secularibus, sacerdotibus & laicis, ita vt vix quisquam hodie pura in Deum intentione feratur. Hoc planè instar gladij ancipitis, non cor modò, sed & animam ipsorum transuerberat, penetratque. Idem patiuntur, dum grauissima proximorum suorum, quos haud secus quàm seipsos diligunt, damna perpendunt, quæ suis sibi iniquitatibus inferunt, nec tamen alicuius pensi habent. Eant qui volent, & vel sexcentis vicibus sacro fonte tingantur, aut mille cucullis sese contegant: nihil illis proderit, quandiu in- 
iustitiæ militant, quandiu voluntatem habent vitijs addictam. Interim id omni venit lachrymarum fonte plangendum, quòd corda hominum, quæ amœnam Deo exhibere debebant mansionem, in multis mundi partibus intra sanctam Ecclesiam adeò dissipata, adeoque contrita sunt. Id tamen nonnihil hunc dolorem lenire potest, quòd non omnes Dei amici confessionibus audiendis præfecti sunt, ne hominum peccata audire cogantur. Si enim ea hoc modo cognoscerent, fortè præ dolore cordis paterentur defectum, aut etiam animam funderent. Quarta sanguinis effusio, multum amabilis est: & ea hac ratione fit. IV.
Cùm nobilissimo purissimoque spiritui præstantissimum bonum illud, quod Deus est, intus exhibetur, ipsumque ille tam se quàm creaturas omnes sua magnitu-

Fugere persecutiones aliquando licere.

Audiendarum confessionum periculum

gnitudine superare conspicit, ita vt nemo illud tam iucundissimum bonum assequi & contingere possit: omnium quoque Angelorum & hominum laudes, illius excellentia, meritis ac dignitate longè inferiores esse, vel etiam in horum comparatione nihil, si quantum ille laudari, quantum amari dignus sit, rectè perspiciatur: hæc, inquam, dum spiritus attendit, Deique superessentialem contuetur magnitudinem, quò id abundantius agit, tanto & in suum & creaturarum omnium nihil exiguitatemque, amplius sese demittit. Ibi verò seipsum intra se continere non valens, totum se in purissimam diuinitatis immergit & effundit abyssum: vbi quodammodo perdit seipsum, & in solo Deo quiescit. Hic iam Deus seipsum laudat & amat, seipsoque fruitur in eiusmodi tam præclaro ac nobili spiritu. Felix planè & votis omnibus optanda effusio, vbi creatura totam se in suum effundit atque profundit Creatorem. Hanc nobis omnibus largiatur suauissimus Dominus Deus noster. Amen.

DOMINICA EADEM.

De efficacia Verbi Dei: de flammigeris desiderijs, & essentiali resignatione.

SERMO II.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. IOAN. VIII.

Verbum Dei quando & quomodo sit nostrum.

NON est, dilectissimi, cur ideò velitis aut non auscultare, aut non loqui verbum Dei, quòd non iuxta illud vestram instituatis vitam, nec illud fideli memoria retineatis. Dum enim illud amatis & desideratis, certo certius vestrum est, & ipso perenniter in Deo estis fruituri, vti hîc ipsum possederitis. Est inuenire multos, qui dum altiora quædam & minùs vsitata audiunt, quæ nec intellectu apprehendunt, nec in seipsis, hoc est, in sua vita deprehendunt, mox ab illis auertuntur cum desperatione quadam, ita vt nec ipsi libenter inde audiant, nec alios ea audire & quærere æquanimiter ferant. Dumque ea fortè audiunt, ita stolidissimè dicunt: Non ita mihi videtur. Aliter se res habet. Nec enim dum hæc sequor, melius ago, nec ista in me permanent, quin potius in eodem semper luto hæreo, semper idem perseuero. Atque ita non se tantùm, sed & alios inde auertunt, quasi nihil ad eos pertineant, suis consuetudinibus & modis abundè contenti, cum tamen in fundo & conscientia sua pro comperto habeant, has easdem consuetudines & modos suos, optima perfectissimaque non esse. Itaque hoc euidens signum est, nunquam eos ad perfectionis apicem euolaturos, nec summum, purissimum atque abstractum bonum apprehensuros aliquando, nisi ardens illius desiderium acquirant. Tunc enim ipsum poterunt adipisci. Vnde mellifluus ille Bernardus ait: Si ô homo vitam excellentem & sanctam appetis, si Deum pro hac continuè deprecaris, certus esto, quia si perseueraueris pulsans, ipsam haud dubiè consequeris, si non in vita, saltem ante mortem per diem aut horulam vnam. Quòd si nec tunc obtigerit, inuenies eam in Deo in ipsa æternitate. Noli itaque cessare, noli fatigari, etsi non statim pro voto comprehendis. Hæc ille. Sic ergo & nos hortamur istos, de quibus agimus, ne statim prima fronte terreantur, nec despondeant animum, si non illicò apprehendunt, si non hærent animo verba salutaria de rebus perfectis, quæ audiunt. Nec enim id labor ipsorum inanis est. Sed dum verbum Dei audiunt, eo animo ac voluntate illud

Bernardus.

Consolatio me-

illud auscultent, quòd ipsum & libenter etiam in æuum retinere velint, & suam iuxta illud vitam instituere: sicque quantum possunt, ipsum alta mente suscipiant, & repositum seruent, nunquam illius oblitionem admissuri. Iam si deinde contigerit, vt penitus è memoria deleatur, nec vnquam illius valeant reminisci, amor tamen ille & desiderium, quo ipsum audiebant, perenni coram Deo viriditate florebit, & ipsi tandem illo in eodem vsque in æuum perfruentur. Sanè parum aut nihil facere possumus: sed velle & desiderare etiam maxima valemus. Si magnus esse non potes, grandem tamen habere voluntatem facilè potes, vt te velis esse magnum. Et reuera quicquid toto corde, tota mente, tota intentione, toto desiderio vis esse, id es certissimè. Itaque, sicut dixi, parum facere valemus, sed multa desiderare & velle possumus: & hoc in infinitum crescere potest in Deum. Nec tamen cogitare debemus, quòd tales aut tales esse velimus, vt qualis est ille Sanctus, vel ille Angelus: sed desiderium ac voluntas nostra in immensum extendere se debent, ita vt plus velimus, quàm aut cogitari, aut mente concipi queat, interim nihilominus totos nos & ex integro Deo resignando atque offerendo, cuius solius esse velle debemus. Et si non tales ei esse valemus, quales optamus: saltem id simus, quod esse possumus. Hoc verò quod sumus, totum illi soli simus: quodque illi esse non possumus, illo cum vera resignatione in ipso & propter ipsum libenter nos frustrari patiamur, magis hac fortassis ratione Deum habituri non habendo, quàm eundem sentiendo. Itaque simus Dei, patiamur Deum, locum præbeamus Deo in nobis & circa nos atque nobiscum operandi: & ita nihil nos vnquam turbare, nihil poterit in errorem inducere vel præpedire. Nec est, quod semper existimemus Deum nos blandè molliterque tractaturum, suis continuè illustrationibus visitaturum, aut diuini amoris sui ardore perpetuò succensurum, quemadmodum recenter conuersis facere solet. Talibus enim allicere consueuit animos adhuc infirmos, quemadmodum auceps falconem carnis specie obiecta. Operatur Deus in principio cum suis, vt quandoque discant & per seipsos operari: sicut & Mosen docuit tabulas formare lapideas ad instar priorum, quas ipse fecerat. Cumque iam paulo robustiores nos effectos conspicit, relinquit nos nobisipsis in manu consilij nostri, rarò aut lucem infundens, aut prouocans, aut excitans nos, volens vt ipsi nos excitemus ac prouocemus, & interim sensibili deuotione, experimento, cognitione atque feruore nos frustrari patitur. Hîc planè nostra opera, nostra diligentia requiritur, hîc nostris sumptibus Domino militare oportet. Facit enim Deus instar honestissimi patrisfamiliâs: qui, dum ætate adhuc infirmiores sunt, & domi de suo cibo aluntur, de omnibus abundè prouidet filijs suis, curam ipsorum gerens: necessaria omnia subministrat, illis interim otio aut puerilibus ludis vacantibus. Quid mirum si tales filij exultent, bono semper ac liberali animo sint, & de rebus paternis largi atque prodigi? Sed dum prouectioris fiunt ætatis, sapiens pater familiâs partem substantiæ suæ illis tradens, iubet vt ipsi negotiari discant, vt pro victu conquirendo soliciti sint, vt nucibus relictis, virilem sumant animum, & opes diuitiasque suo labore, suaque industria sibi parent. Sic & nobiscum agit Dominus Deus noster. In conuersionis nostræ primordijs amoris sui igne suauissimo nos inflammabat, dulcedinem suam crebrò nos sentire faciebat: adeoque muneribus gratiæ suæ nostram trahebat voluntatem, vt suam in ipsa voluntatem senti-

Margin notes: morię minus tenacis. — Quanti sit bona voluntas. — Qui Deũ aliquãdo non habendo, magis habeant. — Exod. 34. — Dei & patrisfamiliâs pulchra collatio.

sentiremus: & quicquid volebat ipse, optatissimum erat voluntati nostræ ac illius beneplacitum nullo negotio cognoscebamus. At nunc aliter se res habet, alia nunc nobis via gradiendum est. Vult nanque Deus, vt propriam voluntatem nostram & nosipsos, licet ipsa voluntas renitatur plurimùm, penitus abnegemus & relinquamus: & ipsum Dominum Deum nostrum in his quæ dura nobis & aduersa sinit occurrere, & in ea, quam nobis exhibet, austeritate atque rigore: in hac etiam, quam patimur, obscuritate ac ignorantia interna, qualiscunque demum sit illa, & in omni denique euentu etiam contra voluntatem sensualitatis nostræ, spontè ac toto affectu suscipiamus. Hoc est quod idem ipse olim suo discipulo & Apostolorum principi ait: *Cùm esses,* inquit, *iunior, cingebas te, & ambulabas quò volebas, cùm autem senueris, alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Ita sanè & nos olim Dominus traxit beneficijs suis: & tunc vbi placebat, ambulabamus. Voluntatem quippe nostram diuina suauitas atque voluptas dulciter præcinxerat. Nunc porrò secus agitur nobiscum. Oportet iam, vt alius nos cingat, & ducat quò non volumus. Vult enim Dominus ipse nos ad se occultis quibusdam modis trahere, perducereque etiam contra sensualitatis nostræ voluntatem, donec hanc penitus absumat, destruat, & suæ diuinæ subijciat voluntati. Vult, inquam, vt velle & nolle cesset in nobis, vt siue det, siue auferat, siue abundemus, siue penuriam sentiamus, perinde sit nobis: vt demum abdicantes omnia & obliuioni tradentes, ipsum solum in gratis & odiosis nudè capiamus: vtque cæteris quibusque neglectis, ipsi vni inhæreamus. Siquidem tunc demum charissimi Dei filij sumus, quando nec prospera, nec aduersa, nec grata, nec inuisa, à spirituali nos profectu impediunt, retrahuntque. Quanta verò sentiant illi & assequantur, qui tales esse potuerunt, sermo non explicat. Id vnum pro comperto est, multo hos meliores esse in hoc statu, quàm cùm diuino amore sensibili crebrius succendebantur, multa sentiebant, & minus perfectè resignati erant. In hoc quippe statu modi rariores sunt, & rarius aliquid sentitur, sed abundantior copiosiorque erga Deum præstatur fidelitas. Donet nobis Christi misericordia, vt ad hunc quandoque statum pertingamus. Amen.

Ioan. 21.


DOMINICA PALMARVM.

Vt omni propriæ voluntati perfectè mori, & in omni aduersitate ac pressura Deo nos offerre ac resignare debeamus.

SERMO I.

Euangelium huius diei est, in quo Dominus vrbem Hierusalem solenniter ingressus legitur. MATTH. XXI.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. IOAN. XI.



HAEC verba ex Euangelio Ioannis desumpta sunt cap. XI. vbi Dominus etiam Lazarum ab inferis reuocasse dicitur. Quod cùm *quidam* Pharisæis retulissent, & illi omni iam penè consilio destituerentur, *vnus ex eis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitetis, quia expedit vobis, vt vnus* moria-

moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed Spiritus sanctus per os illius loquebatur. Et hæc vltima fuit prophetia ante Domini passionem. Itaque dicebant Pharisæi, animi dubij quid agerent: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Ipsa temporis huius ratio nos admonet, dilectissimi, vt incomprehensibilem ac imperscrutabilem nostri Redemptoris charitatem deuotis cordibus ruminemus & attendamus, quam ille nobis in superexcellentissimo illo amoris opere, sua videlicet passione, declarauit exhibuitqúe, non solùm in cunctis externis ac internis sensibus, verùm etiam vniuersis viribus suis, tam superioribus quàm inferioribus, supra quàm dici possit aut intellectu comprehendi, dirissimos cruciatus atque dolores sustinendo. Verùm cùm sint quàm plures, qui proximam ad supremam veritatem cupiant nosse viam, aliquid inde nobis dicendum venit. Itaque tribus modis trahuntur homines à Deo. Quosdam per apertam confusionem & ignominiam trahit, vt illorum fundum sibi seruet, & quandoque in eis excitet. Quod qui humiliter aspicere vellet, mirum in modum in ordinatione diuina cum gratitudine delectaretur. Qui verò solis externis sensibus id intuentur, nec intus diuinam attendunt dispensationem, & eiusmodi homines temerarijs & iniquis insectantur iudicijs: dici non potest, quantum sibiipsis noceant. Alios Deus trahit per pœnitentiam. Sed quærendum est nobis quid sit vera pœnitentia. Non modica pars veræ pœnitentiæ est, vt quando gratissimum foret loqui, si absque peccato taceri potest, digito compescas labellum, & Dei amore silentium imponas ori tuo: & quando oculi cum delectatione aliquid intueri maximè cupiunt, ipsos propter Deum claudas vel auertas, desiderium illud atque delectationem mortificando: &, vt paucis absoluam, ab omnibus, ad quæ sensus cum delectatione procliuiores sunt, quæqúe magis appetunt, te auertas, & ea tibiipsi ex animo interdicas, recludens te ipsum in intimis tuis amore Dei tui. Alios denique trahit Deus seipso. Atqui necessè est, *vt vnus moriatur homo pro populo,* si ad perfectionis apicem pertingere debeamus. Et quonam censendus est nomine homo iste? Non alio sanè, quàm vel proprietatis, vel voluntatis propriæ. Quid est igitur, cui mori debeat homo? Planè respondeo: In omnibus, in quibus aliquid propriæ quæsitionis aduerterit, seipsum relinquet & abnegabit: quod tamen quantumcunque fecerit, nihil sibi inde assumet, neque asscribet. Si enim vel cuncta solus omnium Martyrum tormenta sustinuisset, & bona omnia, quæ Christianitas vniuersa fecit vnquam, aut olim adhuc factura est, perpetrasset, nihil tamen hæc intra ipsum erunt: non quòd omnino nihil sint in seipsis, sed curare debet, vt in omnibus, quibus aliqua ratione afficitur, aut in quibus aliquid delectationis sentire posset, moriatur sibiipsi, seseqúe denudet & abstrahat ab eis. Sed quærat fortasse aliquis, quid agendum sit, vt quisque sibiipsi ex integro moriatur. Itaque sciendum est, quòd etiam si vel millies te occidi patiaris, & rursum restituaris vitæ, & quotidie rotæ tormenta subeas, aut etiam lapidibus spinisqúe vescaris, non tamen per hæc sola ex teipso tui perfectam assequeris mortificationem. Sed si hanc desideras, si ex animo desideras, te ipsum in altissimam diuinæ misericordiæ abyssum immergas, cum humili ac resignata voluntate sub Deo & omnibus creaturis, credens quòd Deus solus hanc tibi dare potest ex immensa bonitate,

Tribus Deum homines modis trahere.

Magna pœnitentiæ veræ pars.

Quomodo quis sibi moriatur.

Lucæ 17. nitate, pietate, ac liberali dilectione sua. Hoc facit quod idem ipse ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Sanè nisi quis ea, quæ prædiximus, ratione mortuus fuerit sibijpsi, omnemque in se propriam extinxerit complacentiam, Romani veniunt & tollunt locum eius, hoc est, superbia illi intus dominatur. Sicut enim Roma totius caput est orbis, ita & spiritalis superbia inter vitia omnia primatum tenet: & hæc in eiusmodi homine immortificato, ac sibijpsi placente, locum illum possidet, quem solus Deus per suam debebat gratiam occupare: ipsamque animæ familiam & gentem, quæ sunt vires superiores ac inferiores, crudeliter occidit. Quæso dilectissimi, vobisipsis vigilanter attendite. Quod enim sine dolore dici non potest, multi sunt in terris, qui cum magnis ac mirabilibus modis suis, & raræ sanctitatis ostensione, ab hac purissima nobilissimaque via procul aberrant exorbitantque, nec vnquam ad sui mortificationem vel tenuem pertingunt. Certè quandiu vnus hic immortificatus homo in nobis non emoritur, radices ille suas per omnes interiores simul & exteriores vires nostras diffundit, donec omnia corrumpat, destruat, inficiat, in quibus æterna sapientia Christus Dominus plantare debuisset. Et quis enarrare sufficiat, quàm multi pessum eant, funditusque destruantur, qui alioqui magnam præ se ferunt sanctitatem, & quibus in suæ conuersionis exordio rara quædam præstitit Deus, eo quòd veritatem non purè coluerunt, nec vitæ integritati dederunt operam, sed seipsos foris & intus, tam in spiritu quàm in natura, possederunt? Hoc videre licet in Salomone rege illo sapientissimo, & Samsone fortissimo, quorum alterum suo dignatus est alloquio, suumque filium Deus appellauit: alterum Angelus parentibus eius denuntiauit nasciturum. Et tamen ambo grauissimè prolapsi sunt. In promptu causa est, quòd hic vnus homo in eis non moriebatur: sed donis Dei cum delectatione inhærentes, eadem cum proprietate possidebant, nec Deo Opt. Max. charismatum omnium atque donorum largitori gratias egerunt. Itaque diuinum incurrente iudicium, vt vsque hodie ab Ecclesia sancta dubitetur, vtrum saluati sint, an damnati. De his autem quid dicemus, qui intellectus acumine præditi, per naturalem rationem seu intellectum suum eousque peruenerunt, vt se iam putent omnia superasse ac transcendisse? Verùm id neminem mouere debet, quum sua opinione fallantur, & in errore sint constituti. Quicquid enim natura subministrat, iterum tollit: sicut & Christus ea quæ dedit, rursus aufert. Atqui fit sæpenumerò, vt hi intellectus acumine præditi, & grandes in oculis suis, multo fortius aduersa quæque extrinsecus sustineant, & ipsos primos motus virilius compescant, quàm verè spiritales ac resignati homines. Vnde hos ipsos quandoque verbis astutis atque compositis, magnam ostentantes sanctitatem, ita alloquuntur: Papæ, quàm irresignatum te video. Hoc, inquam, illis perfectis Dei amicis, in fundo suo verè resignatis dicunt. Isti nanque veri ac perfecti Dei amici, secundùm interiorem hominem aduersa omnia libentissimè suscipiunt, tolerantque: sed tamen secundùm sensualitatem nonnihil abhorrent. Ne terreamini, obsecro, neque paueatis charissimi. Huius enim manifestum exemplum in ipso quoque Saluatore habemus, cuius tenerrima complexio siue natura, cùm in horto oraret, præ angustia & imminentium pœnarum horrore, sanguinem sudabat & aquam. Quamobrem & vos dilectissimi, discite quæso sic pati, discite vos non Deo tantùm, sed & creaturis omnibus subijcere,

Romani mystice quid.

Quàm pauci cum sanctitatis ostentatione clari, ad mortificationem perueniant. [margin partly illegible]

3. Reg. 9.
2. Reg. 7.
Iudic. 13.
3. Reg. 11.
Iudic. 16.

De Salomonis ac Samsonis saluatione dubitari.

Lucæ 22.

ijcere. Nec pigeatis vllo modo. Quamlibet enim mortem vita subsequetur nullo vnquam fine terminanda. Quam nobis largiatur misericordia Dei. Amen.

DOMINICA EADEM.

Vt omnem propriæ quæsitionis negotiationem ex animabus nostris profligare, & Deum purissima intentione prosequi debeamus, supra omne tempus & numerum, ante vel post, quo Verbum Dei intra nos in animabus nostris loqui possit.

SERMO II.

Intrauit Iesus in templum, & eijciebat omnes ementes & vendentes. MATTH. XXI.



N huius diei Euangelio Dominus templum ingressus legitur, & cunctos inde emptores simul ac vendentes expulisse, dicens his qui columbas vendebant: *Auferte ista hinc*: nihil profectò aliud significans, quàm templum se mundum habere velle, quasi apertis indicijs assecueraret: Meum est templum, mihi illud iure vendico: solus ipsum inhabitare, solus in eo dominari volo. Sed quærendum est nobis, quod sit illud templum, in quo pro suo arbitrio potenter ipse solus vult dominari. Id sanè cuiuslibet hominis anima est, quã ad suam ille imaginem & similitudinem fecit, sicut in Geneseos volumine ipsum dixisse legis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Adeò, inquam, hoc fecit, adeò animam rationalem sibi similem condidit, vt neque in cælo sursum, neque in terra deorsum, præter Angelos, aliquid reperire liceat, quod tam sit Deo simile, quàm anima rationalis. Quid mirum ergo, si hoc ipse templum mundum habere velit, si nihil in eo præter se morari patiatur, cùm hoc illi tantoperè placeat ob eam quam habet illius similitudinem, & ipse sibi adeò in eo complaceat, cùm solus illud inhabitat? Iam nunc etiam videndum est, quinam fuerint & sint hodieq́ue emptores ac venditores illi, quos Dominus eiecit de templo. Attentum hîc auditorem requiro. Nunc enim de bonis hominibus duntaxat verba facturus sum, qui tamen vendunt & emunt, quos Dominus vsque hodie eijcit & expellit de templo, nec aliquem eorum morari patitur in ipso: silentio interim præteriens omnes illos, qui scienter in mortalibus vitijs atque peccatis iacent. Itaque omnes illi emptores sunt, qui & maiora peccata deuitant, & meliores fieri appetunt, & opera sua, puta ieiunium, vigilias, orationes, & id genus alia, bona vtique & minimè contemnenda, imò prorsus vtilissima, pro Dei honore faciunt: ea tamen hæc omnia intentione peragentes, vt aliquid à Deo percipere valeant, quod eos delectet, eis vtile sit, ipsorum arrideat voluntati, sicq́ue seipsos quærunt in omnibus. Ergo non iniuria emptores eos appellaueris, cùm vnum dare velint pro alio, & hac ratione negotiari cum Domino, licet in sua negotiatione fallantur. Quum enim omnia quæ habent, omnemque operandi facultatem, nullo dubitante, à Deo sortiti sint, nihil ille reddere vel facere ipsis adstrictus est, nisi quantum sua gratuita bonitate facere decreuit. Quicquid enim vel sunt vel habent, à solo Deo sunt & habent, non autem à seipsis. Non ergo quicquam ille eis, pro ipsorum vel operibus vel donis tanquam ex debito, præstare tenetur: si quid autem præstat, potissimum ex gratuita id agit benignitate sua, non autem principaliter propter

Ioan. 2. Quo in templo Deus velit solus dominari.

Genes. 1.

Quos emptores è templo Iesus eiecerit.

opera vel dona ipsorum, cùm nihil dent suum, nec aliquid agant ex seipsis, quomodo Christus ait: *Sine me,* inquiens, *nihil potestis facere.* Hi planè indurati & fatui sunt homines, qui hoc pacto cum Domino maiestatis negotiari volunt, qui quum veritatis paruam aut nullam cognitionem habeant, è templo eijciuntur à Domino. Non enim potest luci conuenire cum tenebris. Quum ergo Deus ipse lux sit & veritas in seipso, quando ille ad animæ templum venit, omnem prorsus ignorantiam & tenebras expellit, sesequé cum lucis ac veritatis infusione manifestat. Tum verò negotiatores omnes profligati sunt, quando veritas intelligitur. Veritas autem negotiari nescit. Sicut enim Deus in cunctis operibus suis nihil suum quærit, sed omnia illa ex liberali & purissimo amore operatur: ita & eiusmodi homo, cuius animæ templum Deus perfectè subijt, eamqúe sibi vniuit, in cunctis operibus suis liber semper est & expeditus, ex solo illa amore ad Dei gloriam perficiens, absque omni propria quæsitione, aut priuati commodi intuitu, & hoc Deus operatur in ipso. Atque fidenter aio, quandiu hic ipse aliquid suum in quibusuis actibus suis quærit, aut desiderat in omnibus, quæ Deus illi vel dedit, vel adhuc dare poterit, ad horum spectat emptorum numerum. Qui si ab omni velit negotiatione esse immunis, quicquid boni agere potest, pro solius Dei laude & gloria perpetrabit, adeò sibi nihil inde vsurpans & assumens, ac si ipse illud minimè egisset: nec aliquam inde mercedem desiderabit. Hac ratione quicquid operatur, spiritale ac deiforme est: certumqúe indicium est, omnes de templo animæ suæ emptores exturbatos, solumque Deum in illo habitare. Sicqúe ipsum verè liberum & ab omni negotiatione immunem esse, quando in cunctis actibus suis nihil, nisi Deum & Dei gloriam quærit & intendit, omni propria quæsitione penitus abdicata, eliminataque. Dehinc altior adhuc gradus considerandus venit, qui & ex ipsa Euangelij serie colligitur: & est eorum, qui iam pura intentione opera sua perficiunt: & tamen à vera perfectione præpediuntur, eò quòd nummularij sunt, & nonnihil adhuc commercij habent cum creaturis, similes illis nummularijs & columbarum venditoribus, quorum mensas & cathedras Dominus subuertit. Quamuis enim eiusmodi venditiones columbarum & nummulariorum studia, primò quidem tanquam licita & vtilia admittebantur, postmodum tamen ad auaritiæ intolerabiles abusus & quæstus relata fuére magis, quàm ad Dei cultum. Eodem modo & his ipsis, de quibus agimus, vsuenire solet: qui licet recta intentione omnia faciant purè propter Deum, nihil suum quærentes in cunctis actibus suis, eosdem tamen cum proprietate quadam, cum tempore & numero, cum imaginibus & inhæsione, cum ante & post perficiunt: atque per hæc à proxima & suprema veritate impediuntur. Cæterùm oportebat eos ab omnibus quæ illis eueniunt, prosperis vel aduersis, animum semper habere liberum & expeditum: quemadmodum Christus Iesus Dominus noster liber erat & expeditus, eaque de causa cælestis Patris sui influxum nouum semper atque recentem sine cessatione & absque tempore suscipiebat, eodemque momento sine nunc, incessanter in eiusdem Patris sui, cum laude & gratiarum actione, sese referebat, refundebatque celsitudinem ac maiestatem. In quo imitari debet eum, quisquis supremam optat veritatem capere atque sentire: & in hoc omnem nauare operam, vt viuere possit sine ante vel post, liber & expeditus ab vniuersis operibus suis, cunctisque formis & imaginibus vnquam

Ioan. 15.

Nummularij mystice qui.

quam sibi notis, semper in præsenti. Nunc positus, suscipiens diuina chrismata, eademque eu estigio sine impedimento in hac eadem luce referens ac refundens in Deum, cum laude & gratiarum actione, in Christo Iesu Domino nostro. Tum demum columbarum venditio & nummulariorum quæstus profligatur, id est, impedimenta omnia & proprietas operum alioqui bonorum, in quibus seipsum quæsierat, cessant & eliminantur. Huc facit, quod ipse Dominus, sicut alius Euangelista testatur, *non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum*: quo nos instruere voluit, spiritalem quenque hominem prorsus liberum & expeditum esse debere ab omnibus, quæ à celeriori ipsum profectu remorantur. Verùm vbi animæ templum hoc pacto ab omni impedimento, proprietate videlicet & ignorantia, euacuatur: adeò ipsum radiat, tantumque coruscæ lucis in ipso refulget, vt nihil ex creaturis ipsum reuerberare queat, nisi solus increatus Deus. Nec aliquid huius templo simile est, præter ipsum solum Deum: & quicquid minus est Angelis, huius templi nullam prorsus habet similitudinem. Supremi Angeli admodum illi similes sunt: sed tamen non vsquequaque. Nam hæc ipsa, secundùm quæ similitudinem illius habent, cognitionem dico & amorem, certum limitem habent, quem transgredi non valent: animam verò, quandiu superest in hac mortali vita, vlterius proficere posse nemo dubitat. Etenim si hominis alicuius anima adhuc in hoc seculo degentis, ad eum perfectionis gradum pertigisset, in quo supremus est Angelus: eadem ipsa adhuc Angelum ipsum, Dei gratia illi opem ferente per liberum arbitrium, transcendere posset, etiam momentis singulis: & per hunc modum homo Angelos omnes, & omnem potest excedere creatum intellectum. Deus autem omnipotens, cùm solus liber sit & increatus, solus quoque animæ similis est, non per hoc quòd increatus est, sed per hoc quòd liber existit. Anima quippe creata est. Porrò cùm anima ad purissimam simplicissimamque diuinitatis lucem pertingit, adeò se in suum nihil cum creata demergit essentia sua, vt nulla possit ratione per se ad suum esse redire, aut recuperare vires suas, sed Deus per suam increatam essentiam ipsam in suo esse conseruat atque sustentat. Talis anima iam annihilare sese decreuit, & tamen id ex seipsa consequi non valet: adeò procul à seipsa recessit, antequam Deum intelligeret. Ita namque oportet, siquidem, vt præfatus sum, *Iesus* ingressus *in templum* Dei, omnes inde emptores simul & venditores diuina virtute sua eiecit: & tum demùm loqui cœpit in templo. Id enim certo certius tenendum est, quòd quandiu alius aliquis præter Christum in animæ templo loqui permittitur, Christus tacet, tanquam non sit domi, sicut & reuera quodammodò domi non est in anima, quandiu illa alienos admittit hospites, cum quibus colloquia miscere delectatur. Si verò Christus loqui debeat in anima, solam eam esse & silere oportet, vt Christum audire valeat. Quod quum facit, iam Christus ingreditur, & incipit loqui. Sed quid, oro, loquitur? Hoc nimirum, quod ipse est. Et quid ipse est? Verbum vtique Patris æterni, in quo idem ipse Deus Pater & se, & totam diuinam naturam, & quicquid Deus est, pronuntiat, sicut ipse se intelligit & agnoscit. Est autem sicut in potentia, ita & in intellectu suo perfectus. Ideò & perfectè se pronuntiat. Cæterum vbi hoc ille Verbum profert, ibi & seipsum & omnia pronuntiat, aliam ex se gignens personam, cui & eandem, quam habet ipse naturam tribuit. In hoc Verbo cunctos rationales profert spiritus, instar ipsius verbi se-

Quæstus nummulariorum mystice qui profligetur. Marc 11.

Animæ claritas.

Animæ excellentia.

Animæ Deus qua in re similis.

Quando & quid Deus in anima loquatur.

bi ſecundùm ideas, quas in ſua mente intus habet: ijdemqúe ex Deo foras elucent, ſecundùm quod quælibet idea in ſeipſa conſiſtit in Deo, non tamen per omnia ſimiles huic verbo, ſed poteſtatem accipiunt, vt ex gratia huius verbi poſſint ſimilitudinem ſuſcipere, imò & ipſum verbum, quale hoc eſt in ſeipſo.
Ioan 1. Ita enim habes apud Ioannem: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Hęc omnia Pater ipſe cum Verbo, & quicquid eſt in Verbo, pronuntiauit. Quum ergo, vt dictum eſt, Pater iſta omnia in anima loquitur: quęri poteſt, quid ergo Ieſus proferat in
Quid animæ a Christo inspiretur. anima. Attendite dilectiſſimi Sicut præfatus ſum, modus, quo Chriſtus loquitur, hic eſt, vt & ſeipſum, & quicquid Pater in ipſo locutus eſt, pro ſpiritus capacitate manifeſtet. Primò ergo paternam maieſtatem & dominationem in ſpiritu manifeſtat in quadam æquali ac immenſa potentia: quam potentiam dum ſpiritus hominis in Filio ſentit, potens & ipſe efficitur in omni virtute, profectu ac perfecta puritate, ita vt nec proſpera, nec aduerſa, nec quælibet Dei creaturę ipſum turbare queant, quin in eis immobilis ac potenter perſiſtat tanquam in Dei virtute, aduerſus quam fragilia ſunt omnia, puſillaque, & nullius mo-
Quid ſecundò. menti. Secundò manifeſtat ſe cum ineffabili ſapientia, quæ ipſe eſt, in qua ſapientia Pater ſeipſum, omnemque paternam maieſtatem ac potentiam ſuam, Verbumqúe ſuum, hoc eſt, eandem hanc ſapientiam, & quicquid in ea eſt, quæ omnia non niſi vnum ſunt, plenè intelligit atque cognoſcit. Hęc ſapientia quando animę vnitur, omnis ab ea dubitatio, error atque tenebræ auferuntur omninò, & ipſa in puriſſima quadam claritate, quæ Deus eſt, conſtituitur, ſicut Pro-
Pſalm 35. pheta ait: *In lumine tuo videbimus lumen:* hoc eſt, *In lumine tuo* Domine cognoſcemus *lumen* hoc eſt, Deum cognoſcemus per Deum in animabus noſtris. Per hanc quippe ſapientiam ſibi vnitam anima & ſeipſam & omnia cognoſcit, imò & ipſam ſapientiam per ſeipſam, paternam quoque maieſtatem, dominationem atque potentiam cum generandi fœcunditate, & eſſentialem illam ſtabilitatem
Quid tertiò. ſecundum ſimplicem vnitatem abſque diſcretione aliqua. Tertiò manifeſtat ſe cum ineloquibili dilectione, opulentia ac ſuauitate ex ſancti Spiritus virtute ſcaturiente, ſupereffluente, ac influente cum pleniſſima ac ſuperabundanti dulcedine opulentiaqúe in omnia, quæ hanc capere poſſint corda, atque cum hac dulcedine non ſolùm manifeſtat, ſed etiam vnit ſe in anima Chriſtus. Tum verò anima ipſa cum hac eadem dulcedine ſupra ſeipſam & ſupra omnia potenter refluit per gratiam ſine medio in primum principium & originem ſuam Deum. Quod vbi factum eſt, iam deinceps homo exterior interiori ad mortem vſque promptiſſimè obedit, & in Dei ſeruitio perpetuam quandam pacem experitur.

Prętet nobis omnipotens Deus, vt & nos idonei ſimus, in quos ipſe veniens, omnia tam corporis quàm animæ remoueat impedimenta, quo vnum efficiamur cum ipſo & hîc in terris, & poſt hanc breuem & momentaneam vitam perenniter in cælis.
Amen.


IN PA-

IN PARASCEVE.

Vt Christo conformemur crucifixo, & vt crucifixam illius imaginem cordibus nostris imprimere ac sequi debeamus.

SERMO I.

Christo confixus sum cruci. AD GAL. II.



AMABILISSIMA Domini Saluatoris Passio, quam nunc tota vbique terrarum sancta recolit Ecclesia, nullo vnquam tempore à nostra debet memoria recedere, sed hanc semper multo cum affectu, fideli compassione, ac deuota gratiarum actione, nos decet recogitare. Neque enim facilior, securior, aut compendiosior via est ad plenissimam consequendum peccatorum veniam, & charismata omnia, omnemque gratiam, virtutes & beatitudinem, quàm hoc Dominicæ passionis exercitium. Imò hæc vna via est, qua ad Deum liceat peruenire, per quam omnes electi post Dominum suum ambulârunt. De hac passione innumera dici possent: sed quantumcunque multa dicantur, nunquam tamen satis inde dici potest. Non enim humanum duntaxat, sed & omnem Angelicum transcendit intellectum, quòd Deus omnipotens ex ardentissimo amore non tantùm homo fieri, sed etiam vsque ad acerbissimam ignominiosæ crucis mortem, pro nobis vilissimis & indignis peccatoribus se humiliare voluit. Vnde etiam ipse Dominus maiestatis tantam confusionem, tamque innumera pro nobis tormenta, dirosque cruciatus ex amore purissimo sustinuerit: nonne planè æquissimum est, vt quotquot illius amici esse volunt, patientissimè ferant quicquid ille eis euenire permiserit aduersi, siue iure siue iniuria id patiantur? Imò certè etiam gaudere debent, quòd hunc eis honorem ac beatitudinem Deus offerre dignatur, vt illi possint aliqua ratione conformari, sequendo ipsum per viam eius, per quam ille eos præcessit. Ad huius passionis commemorationem Petrus nos excitat, dicens: *Christo passo in carne, vos eadem cogitatione armamini.* Et ne qua huius fortè nobis vnquam obliuio obreperet, sed perpetuò nostris hæreret infixa pectoribus, sancta mater Ecclesia non modò scriptis, & quotidiano sacri altaris officio sacrificioque, verùm etiam sacris imaginibus, quæ nos, vtpotè infirmos ac fragiles, ad ipsam intuendam ac reminiscendam Dominicam passionem manu ducunt, absque cessatione inuitat, excitat & hortatur ad laudandum Deum, illique gratias agendum pro sua dilectione inæstimabili, prorsusque stupenda, quam nobis potissimùm excellentissimo modo in hac eadem declarauit exhibuitque amarissima passione & morte sua. Hac etiam de causa Sanctorum imagines & picturæ religiosæ ab Ecclesia permittuntur, quo per harum contemplationum ad ipsorum Sanctorum sequenda vestigia, vitamque sanctam & laudabilem prouocemur, vt & nos libenter aliquid pro Deo pati, & decertare viriliter, ex harum inspectione discamus admoneamurque, in fide etiam roboremur, mentemque nostram ad bonorum obliuionem pronissimam, excitemus & accendamus ad amandum Deum. Attamen præ cunctis imaginibus, ipsa crucifixi imago crebrò inspecta, ac deuotè inconsiderata, plurimum confert, & abundantiorem præstat vtilitatem. Ea verò sic contemplanda est, vt ex ipsa

Quæ vna ad Deum via peruenitur.

1. Pet. 4.

Cur imagines & picturæ in Ecclesia permittuntur.

Crucis imago q[illegible]

Octo doctrinæ ex ipsa crucis imagine. ipsa octo sequentes hauriamus institutiones, in sacratissimo Dominici corporis volumine exaratas. Prima institutio siue doctrina est, spontanea paupertas, quam euidentissimè nobis tradit atque commendat, dum nudus pendet in cruce. Hoc igitur prouocare nos debet, vt & ipsi pro illius amore libenter pauperes esse velimus, quando ipse propter nos tantam assumpsit rerum omnium

I. Paupertas spontanea. penuriam, vt de omnibus diuitijs ac gloria sua, nec tantillum sibi reseruaret, quo nuditatem suam vtcunque tegere potuisset in cruce suspensus. Hanc paupertatem prius verbo commendârat, cùm ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* (Matth. 5.) Planè beatos esse nemo dubitauerit, quorum est regnum cælorum, thesaurus tam inæstimabilis. Nec hoc solo beati sunt pauperes spiritu, sed illo etiam, quòd plus habent, quàm desiderent. Hoc ipso namque quod habent, abundè contenti sunt: tantumque sua illis paupertas placet, vt se minimè credant esse pauperes: & sicut auari nunquam satiantur, sed ad plura habenda semper adspirant & inardescunt, timentes sibi habita non sufficere: ita verè spontanei pauperes, semper nimium se habere formidant. Ideò rectè meritoque beati dicuntur: quia quicquid petunt, habent. Nihil enim nisi paupertatem & defectum rerum temporalium petunt: & hæc ipsa spontè pro Deo sustinere gestiunt. Hi sanè probè didicerunt è Domino suo, penuriam pati & verè pauperes esse: cuius etiam dirissimæ passionis vitæque sacratissimæ imaginem & exemplar, ritè suos ob oculos versârunt, depinxeruntque, & altissimam denique paupertatem illius, in qua positus fuit, quandiu inter homines vixit in terris, non negligenter cordi impresserunt. Sunt insuper ipsi & hac ratione beati, quia nemo eos spoliare potest. Nam qui spoliatur, facilè ad impatientiam prorumpit. Cùm enim nihil possideant, haud dubium quin nec auferri quicquam eis possit. Denique & hac de causa beati sunt, quia cælestis libertatis iam partem quandam tenent. Hæc est, quòd plus habent quàm appetant, & sua paupertate contenti viuant. Quamobrem vbi præsentis vitæ absoluerint cur-

II. Dilectio perfecta. sum, pro mercede regnum cælorum, æternamque percipient beatitudinem. Secunda institutio siue doctrina, est perfecta dilectio. Hanc nobis exhibuit Christus, cùm inter duos latrones voluit medius suspendi, vt illorum in se peccata debitaque reciperet. Qua enim ratione maiorem perfectioremque charitatem exhibere potuisset, quàm quòd inimicorum suorum debita suis voluit humeris imponere, & pro eisdem in cunctis membris suis singularē perpeti cruciatum? Qui si pro suis duntaxat amicis passus esset, magnæ id profectò dilectionis foret argumentum. Sed quia etiam pro aduersarijs pati voluit, plusquam perfectissimæ charitatis nobis reliquit exemplum: docens nos per hoc, quòd & nos inimicis nostris dilectionis non modò affectum, sed etiam obsequia & officia debeamus impendere, vbi id ipsorum exigit necessitas. Non enim tantùm pro bonis & amicis suis, verùm etiam pro malis & hostibus suis Dominus pati, & omnes illos dirissimos passionis & mortis suæ cruciatus sustinere dignatus est. Qua in re diligentissimè nobis pensandum est, quanta in suos amicos, qui illius inhærent vestigijs, post hanc vitam dilectionem declarabit, qui in hoc seculo tanta suis etiam inimicis amoris voluit indicia demonstrare. Hinc vas

Rom. 5. electionis Apostolus ait: *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et paulò

Ibidem. pòst: *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis*

magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Quanta est hæc, oro, dilectissimi, charitas Dei nostri, quòd quando è sua excideramus gratia per peccata, quibus ipsum offendimus, *non hircorum aut vitulorum, sed proprio suo sanguine* nobis sibi voluit reconciliare, & violatas instaurare amicitias, mortem excipiendo pro nobis, non qualemcunque, sed quantam humana posset inferre crudelitas? Tertia institutio siue doctrina, est immensa ac supereffluentissima misericordia ipsius. Hanc (ni fallor) vel digitis palpare licet, vbi latroni secum pro suis sceleribus crucifixo & inimico suo, qui prius ipsum irriserat atque blasphémauerat, veniam postulanti & misericordiam, præter hoc quòd ipsum recepit in gratiam, plus insuper dedit atque concessit, quàm ille petiêrat. Dixerat enim: *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum,* & statim audiuit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*: quod haud dubiè plus erat, quàm ipse postulârat. Non solùm enim memor eius fuit, sed etiam seipsum totum, vultumque suum & diuinam essentiam suam, quæ est verissimus ac viuens totius paradisus voluptatis, præbuit contemplandum. Cùm enim in cruce mortuus fuisset, sanctissima anima illius diuinitati vnita, ad Limbum descendit, redimens ac liberans inde, quotquot Patris eius fecerant voluntatem. Eadem autem hora, qua ipse mortuus fuit, & latro hic animam fudit: quæ & ipsa descendens ad Dominum in infernum, eundem illic in illius diuinitate contemplabatur, & hic erat paradisus, quem latroni Dominus in cruce pendenti promiserat. Vbi enim Dei gloria & maiestas videri potest, nemo illic ambigit paradisum esse. Hoc planè ineffabilis misericordię eius euidens argumentum fuit, quòd hanc etiam inimico suo tam singulariter voluit exhibere. Vnde colligere licet, quòd multo maiorem suis quandoque amicis præstabit misericordiam. Hinc porrò docemur, non amicis tantùm, sed etiam inimicis misericordiam impendere ac viscera pietatis reserare. Quarta institutio siue doctrina, est perfecta deuotaque obedientia, quæ ipsum cruci affixit, quam etiam in hoc specialiter exhibuit, quòd sacratissimam animam suam inclinato fudit capite. In quo duo notantur, obedientia scilicet & deuotio. Quòd enim in mortem dedit animam suam, perfectæ fuit obedientiæ indicium: quòd autem caput inclinabat, magnę fuit deuotionis argumentum, quam in suo gerebat pectore. Dixit enim: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* ac si manifestiùs diceret: Pater, obediens fui ad mortem vsque, & omnem exequutus sum iussionem tuam. Nunc ergo suscipe spiritum meum. *Consummatum est opus quod dedisti mihi vt facerem.* Et hoc dicto, *inclinato capite, tradidit spiritum.* Hinc nimirum apertissimè docemur, non tantùm obedientiam, sed & deuotam obédientiam exhibendam à nobis, qualem in Christo didicimus: ita videlicet, vt quandocunque aliquid mandatur vel committitur nobis, capite inclinato ipsum suscipiamus, vt vel inde auerti queat, quòd corde mansueto deuotè obediamus. Deuotio quippe animum reddit placidum ac mansuetum. Videamus hîc, qualis erga Deum esse debeat hæc deuotio. Secum ergo quisque cogitabit, qua de causa seipsum, & corpus suum, bona sua, propriamqúe voluntatem suam obedientiæ tradiderit: nimirum propter Dei amorem. Dum ergo aliquid sibi iniungitur, præcipiturve, hoc pacto cogitabit: Domine Deus Creator & Redemptor meus, libens hanc iussionem pro tui amore excipio. Nunc igitur & tu voluntatem & obedientiam meam suscipe in sacrificium laudis tuæ. Hæc obedientia deuota, non vno vel altero die, mense vel anno, sed ad mortem vsque

III. Misericordia.

Lucæ 23.

Quos solos e Limbo Christus liberârit.

Paradisus latroni promissus, quid.

IV. Obedientia.

Lucæ 23.

Ioan. 19.

Philip. 2. præstanda est, ad instar Domini Saluatoris, de quo Apostolus loquens: *Christus*, inquit, *factus est obediens pro nobis vsque ad mortem, mortem autem crucis*: quam illius obedientiam sæpe nos recolere debemus, quo ad obediendum ex illius inspectione confortemur, accendamurque. Quisquis enim in mortis articulo absque sancta obedientia repertus fuerit, in Christi obedientia partem non habebit.

V. Reuerentiæ. Quinta institutio siue doctrina, est honoris & amicitiæ exhibitio. Hanc tradidit nobis, quando in cruce pendens mœstissimam matrem suam sub cruce adstantem, licet immensis obrutus cruciatibus, noluit tamen absque consolatione relinquere: & quanquam vndique magnis angustijs & ineffabili amaritudine premeretur, illius tamen haudquaquam voluit obliuisci. Et quia prę nimio dolore & pœnarum excessu, multum cum ea loqui non poterat, paucis verbis immensitatem multiplicis erga ipsam amoris sui ac reuerentiæ illi declarauit. Iam enim penè totus exhaustus, cunctisque viribus corporis destitutus, ac in ipso mortis articulo positus, vt melius potuit benignè eam alloquens, ait: *Mulier, ecce filius tuus*. (Ioan. 19.) In tantis pœnarum angustijs hanc semper in corde gerebat, ipsamque dilecto discipulo suo Ioanni commendabat, ac si diceret: Vide mater dulcissima vnicum filium tuum. Scio, scio, quanto doloris gladio hęc mea passio tuam transuerberet animam, quòd me vnicum filium tuum, tam miserabiliter cernis ob oculos tuos in cruce pendere, sanguine perfusum, & extremum trahentem spiritum. Hinc itaque docemur honorem deferre parentibus, non carnalibus tantùm, sed etiam spiritalibus, fratribus quoque, sororibusque, idque propter Deum, & in Deo, sicut præceptum habemus ab ipso: *Honora patrem tuum & matrem, quod* iuxta Apostolum, *primum est præceptum in repromissione*. (Exod. 20. Ephes. 6.)

VI. Patientia. Sexta institutio, est perfecta patientia. Hanc exhibuit, quando ad crucem voluit clauis affigi, tanquam diceret hostibus suis: Quicquid placet, in me pœnarum congerite: feram libens omnia. Et reuera licet toto vitæ suæ spatio nil dignum morte perpetrâsset, adeò tamen patienter ferebat illatas sibi pœnas, dirosque cruciatus, vt non modò verbum nullum impatiens proferret, sed nec cogitationem vllam amaram in corde gereret. Quod inde satis constare potest, quòd quando iam morti vicinus erat, pro suis crucifixoribus Patrem exorabat, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. (Lucæ 23.) Hanc ergo Domini patientiam sedula cogitatione versantes in animo, ad hoc summo studio niti debemus, vt & nos, etiam pręter demeritum & absque culpa nostra, aduersa quælibet vndecunque occurrentia, miti & tranquillo corde perferre queamus, parati pro Dei amore tam iniuria quam iure pati, & quicquid ille nobis euenire permittit, libenter hilariterque tolerare.

VII. Perseuerantia. Septima institutio, est immota stabilitas. Quam nobis apertissimè commendauit, dum pedes suos ad crucem voluit affigi, quasi re ipsa dicens: Stabo immobilis, & in obedientia stabilis persistam, nec vllo pacto à cruce discedam, donec in ipsa tradam spiritum. Quare & nos instruere voluit, vt in bono proposito ac vita laudabili & sancta immobiles perseueremus, pœnitentiæ crucem ad mortem vsque continuè circunferamus, similiter ad vitæ spiritalis ac morientis crucem manibus pedibusque simus affixi, nec aliud in animum inducamus, quàm crucifixum velle sequi Dominum nostrum, cunctosque defectus, oblectationes & voluptates nostras, donec spiritus hos regit artus, trucidare crucifigereque. Hoc pacto si in cruce, dum mors institerit, reperti fuerimus, omnium à Deo culparum scelerumque nostrorum veniam consequemur. Quo con-

contrà si quis vel mille annis vixisset sanctissimè, atque ab hac cruce vel vna se horula auerteret, talisque moreretur, omnis anteacta vita nihil ei prodesset, quin æternæ mortis sententia feriretur. Est itaque summè necessarium, vt in cruce stabiles persistamus, ad crucem manibus pedibusque simus affixi. Quales enim in morte fuerimus deprehensi, tales à Domino iudicabimur. Octaua institutio, est oratio continua. Hanc reliquit nobis, quando in cruce pendens, toto ferè spatio illo Patrem cælestem exorauit. Aiunt quidam tot eum versus in cruce decantâsse, quot sunt Psalmi totius psalterij, hoc est, centum quinquaginta: inchoando ab Psalmo illo, *Deus Deus meus, respice in me*, qui est Psalmus vicesimusprimus, & deinceps per ordinem legendo Psalmos subsequentes vsque ad versum illum Psalmi trigesimi: *In manus tuas commendo spiritum meum*: quo dicto, tradidit spiritum. Hîc si ritè perpendamus, vti suam ille orationem ab illis verbis inchoârit, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* mortem nostram non possumus non formidare, quando vnigenitus Dei Filius, qui peccatum non fecit, tantis fuit angustijs circundatus, tantaque cum deuotione, ne se desereret, Patrem suum exorauit. Quid ergo nobis miseris faciendum est? Discamus hinc & nos circa mortem nostram libenter ac studiosè preces fundere ad Dominum. Ipse namque haud secùs orationi instabat, quàm si totam vitam suam in peccatis transegisset. Cùm enim nunquam non summè necessaria sit oratio, maximè tamen tunc illi, quantum fieri poterit, incumbendum est, quando vita tendit ad occasum. Tunc totis viribus cor ad Deum perfectè conuertendum, illiusque immensæ misericordiæ profunda cum humilitate confidendum, quo maligni spiritus, qui tunc grauiter nobis imminent, & periculosissimis tentationibus adoriuntur, nostris fugati ac eneruati precibus, nullam in animas nostras obtineant potestatem. Quod nobis præstet benignus Conditor noster in secula benedictus. Amen.

VIII. Oratio.

Matth. 27.

Lucæ 23.

Marc. 15.

Mors cuique sua quàm formidanda.

Oratio quando potissimum necessaria.

IN EADEM PARASCEVE.

Vt in Deum trahamur, & opera nostra deiformia reddantur. De humilitate quoque & paupertate spiritus.

SERMO II.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. IOAN. XII.

HAEC sunt verba Christi Iesu Saluatoris nostri, quibus in cruce exaltatum, dixit se attracturum sibi *omnia*, per *omnia*, ipsum hominem intelligens, seu omnes homines, qui per fidem & dilectionem illi vniendi erant. Sicut enim diuus Gregorius testatur, ideò homo dicitur *omnia*, siue omnis creatura, quia aliquid habet omnis creaturæ. Habet nanque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Sed iam videas plerosque querulis perstrepentes vocibus, ac dicentes: O veritas æterna, necdum sentio tractum tuum, necdum abs te trahor. Quibus Augustinus conuenientissimè respondens: Nondum, inquit, traheris? ora vt traharis. Hamum suum piscator eijcit, sed frustra piscem capere se sperat, nisi ille mordeat hamum. Vbi verò perfectè momorderit, iam de piscis captione certus atque securus, hamum retrahit, & simul piscem ad se trahit. Sic & Deus omnipotens hamum suum, re-

Omnia ad se Christum trahere, quid

Omnia, siue omnis creatura, quid.

tiaqúe sua per vniuersum mundum super creaturas omnes expandit ob oculos, ob mentem, ante pedes nostros, cupiens nos infallibiliter trahere ad seipsum per omnia, aspera æquè vt iucunda. Per iucunda quidem trahit & allicit nos: per aspera verò, tanquam in vehiculo prouehit nos. Si quis non trahitur, sua culpa non trahitur, putà quia Dei hamum mordere renuit, aut eius retia subire contemnit dissimulatve. Quæ si subiret, haud dubiè non tantùm caperetur, sed etiam attraheretur à Deo. Non ergo imputandum est Deo, si necdum trahimur. Oportebat nos illi cooperari, & trahere volenti manum porrigere. Si cui in altissimum collapso puteum aliquis promptum offerret animum succurrendi, & opportuna præstaret subsidia, sed ille manum apponere recusaret: quis sanæ mentis non ei potiùs, quàm auxilium præstare volenti, submersionem illius imputaret? Certè anima est instar plumæ leuis, quæ si nulli rei permisceatur, citra negotium fertur ad superiora: si verò aliquid pondus habens illi coniunxeris, deorsum tendit. Ita & animus ab omni vitiorum sarcina expeditus, & ab omni sorde purificatus, facilè spiritalium meditationum adminiculo ad alta ac cælestia contemplanda subleuatur, atque in Deum rapitur erigiturqúe. Talis mens ab omnibus corporeis exoneratur, & in quadam interna quiete siue silentio constituitur, ita vt omnis intentio illius inseparabiliter bono incommutabili inhæreat, atque feratur in illud, ac omni tempore Dei laudem perficiat. Per hanc quippe sui puritatem eiusmodi homo adeò in Deum supra terrena omnia iuxta quandam similitudinem Angelicam rapitur demergiturque, sicque Deo intus depingitur, vt quicquid foris suscipit, diuinum in ipso reddatur ob hunc animi raptum: vt siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue vigilet, aut quicquid demum agat, cuncta ad summam Dei laudem & gloriam perficiat. Suprema quippe hominis perfectio in eo consistit, vt animus in quiete siue silentio positus sit, & vires intrò receptæ in ineffabilem quandam puritatem, ac sursum raptæ sint ad Angelicam similitudinem. Ibi omni dissimilitudine homo exuitur, & felicem quandam prælibationem experitur beatitudinis illius, qua perenniter est fruiturus. Hoc igitur curandum est, vt quantum cum Deo fieri potest, ab omni externa simul & interna actione quiescas, & ita Deum suscipias, siue per media, siue absque medio secundùm æternam ordinationem illius, rursumque te illi totum offeras, & in illum refundas, siue mediatè, siue immediatè. Quicquid verò in hoc statu à Deo percipis, quocunque modo id fiat, aut qualecunque sit illud, totum de illius manu purè ac nudè suscipere cures, non tanquam proprium aliquid, sed quasi feudum: idemque in ipsum referas atque refundas: non enim tuum est, sed illius. Hoc faciendo, Deo reddis honorem illius: & ipse in natura, corde & anima verè pauper permanes. Et quia de suprema hominis perfectione iam quædam dicta sunt, adijcere hic libet, quod non prorsus à proposito abhorreat. Is itaque verè ac propriè purus ac perfectus est homo in primo gradu, qui omnem voluntatem suam à cunctis rebus visibilibus atque caducis, ordinatè & cum discretione auertit. In secundo gradu, qui veram pacem & quietem pectoris est assecutus. In tertio gradu, qui eodem animo cuncta suscipit de manu Domini, & illi se resignat. In quarto gradu, qui & suijpsius & creaturarum omnium oblitus, seipsum amittit & perdit in Deo. Et hæc est excellentissima atque perfectissima puritas. Hæc tamen iam dicta nemo præsumere debet quòd intra se fiant: interim nihilominus diuino se beneplacito re-

Non trahi, cur non trahantur.

Animę & plumæ collatio.

Perfectus in primo, secundo, tertio, ac quarto gradu qui

to resignabit, ipsiqúe se otio sancto tradet & quieti, cùm hæc ab ipso exigentur, & hoc ad laudem & honorem nobilium occultorumqúe operum Dei, quæ ille vbi vult operatur. Ita, inquam, ad hæc se resignabit, vt nihil inde sibi assumat, tanquam peccator indignus, & eodem semper animo sit per humilem sui resignationem, siue ea Deus in se operari velit, siue non, quod totum liberrimę Dei relinquet voluntati. Siquidem qui Deum patitur in occultis operationibus illius, Patrem videlicet in opere omnipotentiæ suę, Filium in luce æternæ sapientiæ suæ, & Spiritum sanctum in opere gaudiosi, beneplacentis, floridi, æterni ac immensi amoris sui, huic planè cæli redduntur melliflui per se, in se, & in omnibus creaturis. Horum infimi trahuntur, medij illuminantur & roborantur, supremi subleuantur in Deum, & in vnionem cum eo. Cæterùm fieri non potest, quamdiu in hoc mortali degimus corpore, vt in hac mentis suspensione in Deum continuè persistamus, in quiete hac semper positi simus ac diuinitatis iucundissimum obiectum perpetuò contemplemur ac præsens habeamus, sentiendo illud in natura: quinimò sæpius nos in magna sentimus paupertate constitutos: & tunc id nobis magnoperè curandum est, vt in ea, de qua prædiximus, abstractione & otio sancto perseueremus. Hæc omnia cuidam Dei amico per supernaturalem patefacta sunt reuelationem. Et reuera, qui voluntatem suam in principium & originem suam Deum Opt. Max. refudit, seqúe in illo penitus amisit, hic si non continuè sensibilem deuotionem desiderium & amorem habeat, non ideò minus veræ puritatis & sanctitatis habet. Vt plurimum nanque ita accidere solet, vt quo, Deo permittente, homo in natura pauperior est, tanto in spiritu, eodem prestante, securior fit. Et licet in paupertate sua multo sit timore circundatus, & non minimas naturæ pressuras sustineat, si tamen ipse timor non sit immodicus, tanquam pro muro est homini, conseruans hominem, ne plus æquo insolescat aut de se præsumat, quod illi ineffabile posset inferre damnum, & cunctis vitæ transactæ laboribus spoliare ac meritis. Permittit autem hoc Deus ex immensa fidelitate & amore inæstimabili, quem erga nos habuit ab æterno, *priusquam montes fierent, & formaretur terra & orbis*: Qui est benedictus in secula. Amen. Psalm. 89.

IN SABBATO SANCTO, aut ipso die Paschæ.

Vt humanam & ad vitia procliuem naturam nostram in Christi diuinitate debeamus abscondere, & cum patienti resignatione, illius paupertatem, pœnas atque passionem imitari. Author: D. Ioannes Rusbrochius.

SERMO VNICVS.

Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. AD COLOSS. III.



VERAM sanctitatem & diuina exercitia nemo veraciter habere potest, quamdiu perfectè mortuus non est in Christo ab omnibus vitijs, oblectationibus, & propria quæsitione sua; & necdum resignatum habet animum & voluntatem, aduersa omnia (quæ sibi, Deo permittente, accidere possint, quantumuis illa grauia sint) propter Deum sustinendi potius, quàm diuinæ admonitioni non

acquiesceret, vel opere non adimpleret, quantum humana sinit infirmitas, quęcunque Deum velle perspectum habet. Vnde qui in aduersis impatiens est, non ipsa aduersa eum malum reddunt, sed impatientiæ vitium, quod prius latebat in ipso, manifestant: fitque illi sicut nummo cupreo deargentato, qui extra ignem totus esse videtur argenteus, sed in ignem missus, non ab igne fit cupreus, sed ignis prodit quòd intus cupreus erat. Planè dicere potest Deus animæ amanti: Factus sum hominibus homo. Si ergo vos mihi dij non estis, iniuriam mihi facitis. Itaque sicut ego cum diuinitate mea vestram naturam incolui ac inhabitaui, ita vt nemo diuinam potentiam meam & maiestatem agnosceret: cùm omnes me cernerent miserum, ac diuersis calamitatibus obnoxium ab ipsis incunabulis vsque ad crucis passionem, & inter homines conuersari vt vnum ex illis: ita & vos humanam naturam vestram atque totos vos in mea diuinitate abscondere debetis, adeò vt nemo humanam infirmitatem vestram cognoscat, sed tota vita vestra planè diuina sit: nec quicquam in vobis cerni vel aduerti possit, nisi Deus. Hoc autem non in eo situm est, quòd diserti sumus, & verborum copia ac ornatu festiuitateque dicendi pollemus, quòd extrinsecus magnam sanctitatem præferimus, quòd nominis nostri fama longè lateque diffunditur, quòd à spiritalibus hominibus ac Dei amicis impensè diligimur, quodque demum à Deo tam delicatè ac teneriter educati sumus, vt penè persuasum sit nobis, Deum creaturarum omnium oblitum, & nobis solis intendere: & quæcunque petierimus ab eo, nullo negotio nos adipisci. Hæc omnia non sunt id, quod Deus præcipuè exigit à nobis, nec in his vera sanctitas consistit. Aliud omninò sua nos ille doctrina, vita & passione edocere voluit. Quid ergo, inquis? Hoc nimirum, vt animum immotum, resignatum, atque ab omni perturbatione liberum habeamus, quandocunque alij nobis obijciunt, quòd simulatores & hypocritæ simus, quòd peruersè & flagitiosè viuamus, aut alia quælibet mala publicè de nobis dicuntur in iniuriam ac denigrationem famæ nostræ: ad hæc, quando non verbis tantùm, sed etiam factis lædimur, vt dum subtrahuntur nobis vitæ necessaria, quibus citra corporis iniuriam carere nequimus: imò non tantùm hæc auferuntur, sed etiam corpori læsio aliqua irrogatur, vt vel infirmitas, vel aliud aliquid, vnde molestia accedat corpori: & dum omnia opera nostra diligentissimè ac meliori modo, quantum sinit humana fragilitas, perficimus: eadem tamen homines, quantum possunt, pessimè interpretantur. Insuper vt hæc non modò patiamur ab hominibus, sed etiam à Deo æquanimiter feramus, quando suam nobis ille consolationem subtrahit, haud secus agens nobiscum, quàm si murus inter nos & ipsum densissimus foret interpositus: & quando miserijs ac afflictionibus prægrauati, ad ipsum pro consolatione & auxilio venimus, ita se gerit erga nos, quasi oculos claudat & aures obturet, tanquam audire vel videre nos recusans, solosque nos in miserijs, angustijs & afflictionibus nostris certare sinat, sicut & ipse à Patre suo relictus fuit. In his, inquam, omnibus, & quibuscunque alijs afflictionibus, pressuris & desolationibus, in illius nos diuinitate abscondere debemus, & animum semper immotum, fortem ac imperturbatum retinere, nec in aliqua re vel creatura solatium quærere, nisi in eo duntaxat verbo, quod ipse Saluator ineffabili correptus angustia, dixit: *Pater, fiat voluntas tua.* Certè Deus omnipotens eiusmodi ens est, vt nullo melius quàm per nihil cognosci queat. Qui hoc, inquis? Omne videlicet medium

Impatientis & nummi falsi collatio.

Quid nos sua passione docuerit Iesus.

Matt. 26.

medium auferendo, abijciendoqúe, non tantùm vt mundum contemnas, & virtutibus præditus sis, sed earundem etiam imagines deseras: quod maximoperè necessarium est, si Deum absque medio cernere voles, & in eo abscondi. Nec tamen ita hæc accipi velim, quasi dicam virtutes contemnendas esse, sed hæ intra te transire debent in habitum, vt videlicet absque te, extra te promanent & exerceantur. Sic enim supra virtutes eris. Cæterùm tum demum hominis cogitatio Deum tangit, quando hanc terrena aliqua contingere nesciunt. Gentilis cuiusdam Philosophi sententia est, quòd natura supra naturam nihil possit, ideò Deum à nulla creatura posse cognosci: sed si eum cognoscere debeat, id per lumen supernaturale fieri oportere. Est quæstio apud Theologos, cur Deus animam rapiens supra seipsam & creata omnia, ac intra se recipiens & abducens, vbi propria sedes est animæ, non etiam corpori eam conferat dignitatem nobilitatemqúe, vt nullis terrenis indigeat. Hanc quæstionem Doctor quidam ita soluit: Quando, inquit, anima ad id perfectionis ascendit, vt Deo perfectè vniatur, tum primùm id corpus assequitur, vt omnibus vitæ necessarijs ad Dei gloriam possit vti. Siquidem propter hominem creata sunt omnia, omnesqúe creaturæ ex Deo, vtpote sua origine, ob eundem profluxêre. Itaque quicquid corpori rationabiliter ex creaturis administratur, nihil hoc de animę dignitate minuit, sed aliquid potius adijcit ipsius dignitati. Non enim possent creaturæ nobiliori modo in suam redire originem, quàm in corpore sancto, (cui in cibum sumptum vniuntur) animæ suæ, vt in diuinam tendat vnionem, permittente. Inter eiusmodi nanque animam & Deum, nullum est impedimentum: & quantum hæc Deum sequitur in diuinitatis solitudinem, tantum & corpus eius Christum sequitur in desertum voluntariæ paupertatis: & sicut illa diuinitati, ita hoc Christo vnitum est per verarum exercitationem actusqúe virtutum. De tali homine cælestis Pater rectissimè dicere potest: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Siquidem in anima illius vnigenitum Filium suum generauit. Sed vt ad priorem sermonis partem nostra recurrat oratio, (vt interim verbis D. Bernardi vtar) Quid tibi ô homo dirum vel durum esse poterit, cùm recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, *in splendoribus Sanctorum ante Luciferum* genitus, *splendor & figura substantiæ Dei* venit ad carcerē tuum, ad limum tuum, *infixus* (vt dicitur) vsque ad cubitos *in limo profundi*? Quid non suaue tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis: primùm quidem infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuiciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumqúe similium, quæ in salutem nostri generis, triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm inuicta mansuetudo, regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo, crucifigi. Nusquam tamen ita euidenter suum in me declarauit amorem, quàm vbi vis ardentissimæ charitatis suæ cor illius dirupit. Sanè congruentissimum fuerit, vnumquenque Christi fidelem myrrhæ sibi fasciculum colligare, collectum ex præfatis omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini sui, eundem-

Quæstio Theologica.

Hominis ergò vniuersa condita.

Matth. 3. & 17.

Pia diui Bernardi hortatio. Psal. 109. Heb. 1. Psal. 68.

Fasciculus myrrha.

demque inter vbera sua perpetuò collocare: contemplari etiam virtutes illius, quàm præcipuè ille in cunctis actibus suis nostram perfecit salutem: curare denique, vt qualemcunque pro his illi vicem rependat, aduersa quælibet sponte & æquanimiter perferendo, seipsum per pœnitentiam affligendo, illudqúe constantissimè arripiendo iter, de quo nobis ille præcepit, cùm ait: *Contendite intrare per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*: per quam tamen heu multi hodie gradiuntur, qui etiam boni volunt Christiani videri. Quid enim magis æquum est, quàm vt vbi Dominus maiestatis tanta, tam indigna, tam dira pro nobis perpessus est, etiam nos aduersa omnia patientissimè feramus: & in omnibus, quæ molesta & contraria nobis sunt, nosipsos abnegemus, & quantum possumus, comprimamus illius continuè mortem contemplando, & patientis naturæ eius immanissimos cruciatus: naturæ, inquam, in qua ipse innocens pro nostris voluit pati sceleribus, haud aliter quàm si sua fuissent, quemadmodum & ipse per Prophetam testatur, loquens de doloribus suis: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Et rursus per alium Prophetam, loquens de fructu operum suorum. *Has diuitias pro vestris possidebitis operibus.* Vbi & nostra peccata, sua dixit: & opera sua, nostra. Sic enim pro nostris ipse peccatis satisfecit, ac si à se facta fuissent: & nos operum suorum merita possidemus, quasi nos ea perfecissemus. Denique ex consideratione laborum ac operum illius, ad certandum viriliter accendi debemus, nec vllos pro ipso recusare labores. Non enim miles strenuus sua plangit vulnera, nec labores causatur, quando regem suum propter se vnà secum vndique cernit vulneribus confectum. Rex noster calicem nobis offert, quem prior ipse potauit: nec quicquam exigit à nobis, quod non prior ipse fecerit pertuleritve. Veram nobis patientiam largiatur, qui propter nos in sepulchro condi dignatus est, Iesus Christus Dominus noster in secula benedictus. Amen.

Matth 7.

Psalm. 21.

IN SOLENNITATE PASCHALI.


Author D. Henricus Suso

Vt cum Christo mori, omnem in nobis sensualitatem, cupiditatem, vires naturales ac sensitiuas & imagines mortificare, in Christo resurgere, & in eundem transformari debeamus.

SERMO I.

Euangelium huius diei habes. MARC. XVI.

Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum. IOANNIS XVI.



HAEC sunt, dilectissimi, verba Redemptoris nostri, quibus ille se à Patre exisse testatur, & in hanc totius miseriæ demigrasse vallem: rursumque peractis omnibus, quæ à Patre sibi iniuncta erant, cunctisqúe doloribus ac ærumnis, quibus omnis vita illius maximè abundabat, superatis, morteqúe deuicta, ad Patris remeasse gloriam. Quod & Apostolus manifestius testatur, dicens: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Itaque in prioribus illis Domini verbis purissima verissimaqúe, quæ quidem haberi

Rom. 6.

... possit, continetur institutio, simulq; rectior, compendiosior, securior, simplicior qúe via insinuatur. Quoquò igitur nos vertamus, quascunque concinnemus glossas, & excusationum velamina prætendamus: hac nobis via gradiendum est, quam & ipse Dominus ambulauit, si tamen cum ipso esse, ad ipsum peruenire, & ei denique perfectè vniri volemus. Sicut enim audiuimus, *exiuit* ipse *à Patre*, è sinu & corde paterno, *& venit in hunc mundum*, vbi cunctis diebus vitæ suæ supra modum afflictus fuit, & innumeris eisdemqúe perpetuis miserijs prægrauatus, adeò vt nunquam aliquid commoditatis vel delectationis admitteret: & tandem captus, perditus, occisus atque sepultus fuit. De hinc verò totus impassibilis, fulgidus ac immortalis resurgens, ad cor paternum remeauit, eandem cum ipso beatitudinem & gloriam possidens in omnia secula seculorum. Hanc viam quisquis ambulare statuit, & in seipso mortuus ac sepultus est in Christo, fieri non potest quin & cum illo resurgat. Si enim consepulti sumus, & resurgemus cum illo, sicut Apostolus ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Sanè quicunque talis est, dicere non vereor, quin aliquo modo impassibilis, imperemptibilis, ac immortalis efficiatur, & vnà cum Filio in perfecta vnitione cum illo ascendat in cælum, & in cor paternum, eandem cum Filio assecutus beatitudinem, & possidens hæreditatem. Quicquid enim Filius habet per naturam, ipse habet per gratiam. Sed istud per continua exercitia prosequendum est. Eiusmodi homo tantum cæteros quosque vulgares antecellit homines, quantum homo animal brutum. Verùm qui cum Christo deficere & mori nolunt, quomodo cum illo ad verum esse resurgere poterunt? Itaque hortatur nos Apostolus, dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Atqui est inuenire plurimos, qui dum bona audiunt, cupiunt & ipsi boni esse: iamqúe probè satis inchoent, fixum habentes atque statutum in animo suo, Deo & spiritui viuere. At si non statim omnia pro voto succedant, à proposito resiliunt, & ad naturæ suæ reuertuntur infirmitatem. Hos non absurde comparaueris scholasticis plerisque, qui ad magisterium & dignitates adspirant: sed ipsa prima Latini sermonis aut Grammaticæ rudimenta vix summis degustant labijs. Quidam tamen dum in studio perseuerant, ad ipsum Magisterij gradum quandoque pertingunt. Ita nimirum & bonos quosdam inuenire est, qui non solùm bene inchoent, sed etiam prosperè procedant, ac virtutibus conquirendis omnem nauent operam, & in hoc studio animo constanti ad finem vsque persistant. Alij verò nullum faciunt in virtutibus profectum. Et quia virtus omnis in arduo sita est, quisquis ad magnam perfectionem adspirat, magna illi & ardua multa superanda sunt: specialiter tamen nouem quædam, ex quibus hîc quatuor minora inferioraqúe tractabimus. Primò nanque omnis illi sensualitas, omnesqúe sensus transcendendi sunt, cunctaqúe visibilia supergredienda. Secundò, omnes vires corporales & spirituales. Tertiò, omnia desideria cum proprietate coniuncta. Quartò, imagines vniuersæ. Imagines quid appellem, posteà dicturus sum. Primò itaque omnes dixi sensus transcendendos. Cæterùm hîc ego non loquor de illis, qui pro sensuum voluptate sponte & scienter in mortalibus peccatis viuunt: sed de eis potius, qui cum Christo resurgere, & ad cælos conscendere meditantur atque festinant. Sanè est inuenire plurimos, qui de rebus sublimibus magnificè fari nouerint, nec tamen aliquam earum notitiam habeant, nisi quantum audiendo, dicendo vel legendo

Via sequendi Christi vnica, quæ.

Coloss. 3.

Ibidem.

Quæ nouem cui & cur superanda.

sint assecuti, quæ omnia per sensus inferuntur. Talibus aptari potest vulgare prouerbium illud, esse milites minis strenuos, & homines verbis potentes. Verùm si hi ad perfectionem attingere debeant, oportet eos omnem sensuum curiositatem, subtilitatem, & effusionem ad exteriora, perfectè mortificare, vincereque. Magno quidam desiderio potissimum Dei beneplacitum cognoscendi tenebatur, & hoc sibi à Domino manifestari instantius exorabat. Cui Dominus apparens, ait: Refræna sensus tuos, pone custodiam ori & linguæ tuæ, & cor tuum vincere cura: omnem quoque aduersitatem pro me hilariter tolerato: & hæc faciendo, acceptissimum beneplacitum meum exequeris. Ad hæc teipsum à sensibilium imaginibus auertens, ad interiorem tuam imaginem conuerte, vbi reipsa experieris verum esse quod Propheta ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Iam plurimos inuenire est, qui multum in exterioribus occupentur, etiam cum intentione laudabili, & vix aliquando quietem obtineant. Quid his ergo faciendum erit? Attendite. Quando vel vnius horulæ spatium ab occupationibus liberum illis occurrit, tam profundè, adeoque fortiter, efficaciter & crebrò in Deum se curabunt immergere, vt illo breui spatio, vel quadraginta annorum tempus per sensus miserè perditum, efficaciter reuocent, & deinde vberiorem faciant fructum: hoc tamen non ea ratione faciendum est, qua solent illi, qui non nouerunt loqui cum Deo, nisi per sensibiles imagines, aut lectis, edoctis, atque compositis verbis: sed ex ipso interiori fundo, ex intimo cordis sui, & ex ipso denique spiritu suo Dei Spiritum quærent, spiritu videlicet ad spiritum, & corde ad cor loquendo: quemadmodum Saluator nos admonet, dicens: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Intelligit enim ipse linguam cordis, animæ intentionem, & intimam essentialem, ac ex ipso fundo procedentem allocutionem. Inde est, quòd Mariæ sensus atque præsentia longè sanctiùs & altiùs in Christi auribus precabatur, quàm omnes illæ Marthæ querelæ, quas de sorore sua ad ipsum deferebat. Secundò, omnes vires naturales, tam internæ quàm externæ, transcendendæ sunt. Hoc si quis tam ordinatè posset operando assequi, vt tamen interim vires corporis & naturæ incolumitas ac fortitudo integra sibi permanerent, id haud dubiè non posset non esse mirum. Talem ego adhuc neminem videre potui. Quisquis ille est, si quis tamen est, procedat in medium, & omnibus se videndum præbeat. Non id sanctus Bernardus habuit, qui se corpus suum seruitio Dei & fratrum suorum abstulisse querebatur. Non sanctus Gregorius, totius lumen Christianitatis. Nemo ergo fallat seipsum, putans se id assecutum, quod à se remotissimum est. Multus labor, multa ad hoc industria exigitur. Quod enim nullo constat, nec valere aliquid potest: & qui charum aliquid habere cupit, charum aliquod relinquat oportet. Cùm vice quadam discipulus suo admirans dixisset magistro, & manducare se & bibere, & tamen in nullo fieri corpulentiores: respondit ille, Non hoc ipsum admirari debere, cùm quicquid alimenti suo ministrarent corpori, internæ exercitationes absumerent. Itaque longè alia via huc pertingendum est. Et tamen omnis exterior virtus haudquaquam satis est ad istud consequendum: sed Deus omnipotens, cuius est immensa potestas, nouam quandam virtutem largiri potest. *Nisi granum frumenti,* ait Veritas, *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fructum plurimum adfert:* sed prius moriatur, &

Marginalia: Paradigma. Voluntas Dei quæ. — Psalm. 4. — Fortis ad Deum conuersio. — Ioan. 4. — Lucæ 10. 11. — ☞ Paradigma. — Ioan. 12.

tur, & à seipso deficiat oportet. Est & alia virtus in homine, quæ & ipsa transcendenda est, diciturque sensus communis. Hunc intra se facilè quisque deprehendit hac ratione, quod dum neque cernit, neque audit aliquid forinsecus, diuersas intra se reperit imagines, & est grandis quidam in ipso tumultus, dum modò hac, modò illa ratione singula quæque disponit. Sed omnis hæc multiplicitas ad veram simplicitatem, & ad purissimum bonum illud Deum optimum conuertenda est, referendaqúe. Vidit olim quidam truncum, & ait: Eia, quàm præstantissima in illo latet imago, si tantùm superflua quæque resecentur. Inde & Dominus per Prophetam: *Si, inquit, separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* O si quis à se abraderet, separaret, abstraheret omnia: haud dubiè Deum intra se purissimè nudeqúe reperiret. Est insuper & virtus intellectiua in homine, quæ & ipsa transcendi debet. Videre est, multos tanta intellectus sui subtilitate moliri, adeoqúe mira & alta suo intellectu comprehendere & inuestigare, vt putares eos cælorum intima penetraturos: & tamen adhuc intra naturæ suæ limites subsistunt, adhuc puris nituntur naturalibus. Tales erant Plato & Aristoteles, qui & mira capiebant per intellectum, & satis honestam ac bene moratam gerebant vitam: & tamen totum natura fuit. Eiusmodi hominibus cum primis est necessarium, vt multo studio ac indefesso conatu naturam suam fortiter comprimere ac deprimere discant, & à seipsis diligentissimè sibi cauere. Econtra sunt alij, qui vt ex natura simplices sunt, ita quoque seipsos simpliciter exeunt & resignant, cunctaqúe simpliciter suscipiunt. Hi multa sub celeritate magnum faciunt profectum, omnia eis intus feliciter succedunt, & diuinæ gratiæ admodum sunt capaces, haud secus quàm cera mollis imaginis cuiuscunque sigillo insculptæ. Sed sicut cera eadem facilitate comprimitur, & compressa perdit imaginem, qua hæc illi impressa fuit: ita & isti simplices facilè à suo proposito retrahuntur. Contrà verò, sicut non nisi magno cum labore lapidi imago insculpitur, sed insculpta diutissimè perseuerat, nec facilè deletur: ita & priores illi intellectus acumine præditi, quamuis non nisi multo studio, magnoqúe conatu sese vincant, vbi tamen persistunt viriliter, magnam deinde gratiam sortiuntur, & eam non facilè amittunt. Tertiò, desideria omnia cum proprietate coniuncta, & ipsa quoque vis concupiscibilis transcendenda est. Nihil iam hîc loquor de illis, qui terrena & caduca concupiscunt, qui honores ambiunt. Tales enim nimium ab ea, de qua loquimur, perfectione distant, nec illius quandoque vel per somnium aliquam saltem notitiam percepêre. De illis potius sermo mihi est, qui aliquam præ se ferunt bonitatem, & varijs desiderijs aguntur toto penè vitæ suæ decursu, dicuntque, verbi gratia: O si hoc aut illud præstaret mihi Deus. O si illam mihi gratiam, aut eiusmodi reuelationem exhiberet. O si talis essem, qualis est ille, vel ille. Sed isti multum adhuc à vera perfectione remoti sunt. Sese nanque totos Deo resignare, illum solum fideliter concupiscere, & ei denique cuncta securè & ex integro committere deberent, simulque dicere cum Christo: *Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Fiat voluntas tua,* idque non labijs carnalibus, sed ex ipso cordis fundo, ex intima deuotione, & ex tota intentione animi. Est illud nimirum vel maximæ perfectionis indicium, in omni aduersitate, in omni desolatione, in omni denique euentu funditus se resignare posse, ad instar Redemptoris nostri,

Sensus communis transcendendus.

Hier. 15.

Cera lapidisque respectu signi suscipiendi collatio.

III. Desideria quæ extinguenda.

Matt. 26.

Perfectionis maximæ indicium.

qui in sua passione quantoperè se resignârit in Patris voluntatem, nulli potest esse obscurum, qui sacra Euangelistarum scripta reuoluerit. Plus ille se resignauit, quàm vnquam aliqua resignârit creatura. Et nimium desolatus, exclamauit, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Deniquè resignauit se, donec omnia completa essent, quæ ex Patris imperio susceperat faciendā, patiendaqúe. Tum verò ait: *Consummatum est: & inclinato capite, tradidit spiritum.* Ita nimirum & fidelis quisque Deo se in omni aduersitate ac derelictione funditus resignare debet. Nec est quòd putet aliquis, aduersa nullum sibi dolorem inferre debere. Si enim dolor non sentiretur, quod meritum haberet aduersorum tolerantia? Ipse Dominus noster Iesus Christus si digitum igni imposuisset, sensisset haud dubiè dolorem. Itaque in omni aduersitate, in omni etiam desiderio quisque seipsum Deo resignabit. Cæterùm qui adhuc cupit aliquid quod extra ipsum est, aut ægrè fert aliquid quod in ipso est, necdum veram sui resignationem adeptus est. Olim cuidam per reuelationem fuit significatum, vt se resignare deberet, hoc videlicet modo, vt putaret se in vastissimo pelago constitutum, & suo insidere pallio, nec ad vnius milliarij spatium terram, cui adnataret, superesse. Quid, quæso, talis ageret, quando illi nec vociferare, nec natare, nec vadare liceret? Nil aliud sanè, quàm quòd se totum resignaret Deo. Ita videlicet quisque se Deo continuè resignare debebit, si vnquam perfectè resignatus volet homo fieri. Dixi superius, omne desiderium esse transcendendum, nec desiderandum aliquid: quod ita volo accipi, vt nihil aliud sibi quisque nouerit esse desiderandum, nisi vt benignissimus Deus omnia ab ipso media auferat, & ipsum sibi absque medio totum perfectissimè vniat, copuletqúe. In isto cuncta peccata decidunt, & bona omnia, vniuersaqúe beatitudo, succedunt. Quartò, cunctæ sunt imagines transcendendæ. Hic nulla fit eorum mentio, qui sponte alicuius mortalis creaturæ intra se imaginem recipiunt, carnaliqúe affectu circunferunt: qui quales quales sint, aut quocunque demum appellentur nomine, certo certius cum pecoribus deputati sunt, & instar porcorum in suis volutantur stercoribus, immò & computrescunt. A talibus hæc, de quibus loquimur, remotissima sunt, prorsusqúe aliena. Alij sunt, qui in hoc non consentiunt, & satis bene viuunt: attamen multa eis incidunt, & diuersæ eis sese ingerunt imagines. Sed has penitus amittent, omnes illas in Deum simpliciter referendo, eidemqúe suum defectum & imperfectum confitendo, quærendoqúe. Quòd si nec tunc recedunt, patienter ferant, & Deo se totos resignent. Sunt adhuc alij, qui phantasias & somnia multa habent. Tales sæpenumerò non solum stupenda quædam & speciosa, sed etiam futura cernunt in somnis. Verbi gratia, sæpius Sanctos quosdam adspiciunt, & animas defunctorum. Hoc equidem simpliciter non damno. Ipse nanque nutricius Saluatoris Angelum in somnis repetitis vicibus vidit. Sed nec approbo quidem. Siquidem ex natura talia euenire possunt, quemadmodum Boëthius ait, eos qui munditiam sectantur, etiam de rebus mundis somniare naturaliter: & qui rebus fatuis occupantur, de rebus stultis habere somnia. Inueniuntur adhuc, qui visiones crebras & frequentes habent reuelationes. Et esto quòd hæ vel toto decennio veræ sint, deinde tamen vel semel malignus se spiritus, *transfigurando se in Angelum lucis*, eis poterit admiscere, ac per-

Margin notes: Matth. 27. — Ioan. 19. — Quomodo se quisque resignaret. — Quid cuique desiderandū. — IV. — Ioel 1. — Somnia qui habenda. — Visiones quomo-

per hoc fallere & subuertere incautos. Hoc igitur curandum est illis, vt reuelationes ac visiones suas ad sacram Scripturam & Sanctorum scripta diligenter examinent, simulqúe obseruent, si illis concordent per omnia. Quòd si ita esse perspexerint, licebit eas admittere: sin minus, omni studio eas repellant, nec vllo pacto sequantur aut credant, si Dei gratiam non offendere, & suæ cupiunt saluti consultum. Hæc ita illis transcendenda sunt, vt nulli visioni, nulli reuelationi vel Dei, vel Sanctorum nimium innitantur, aut animum cum delectatione apponant, sed seipsos in diuinum iactent beneplacitum, eidemqúe semper inhæreant in omnibus, in abundantia & paupertate, in consolatione & desolatione, in prosperis & aduersis, iuxta perfectissima Domini Saluatoris exempla. Hunc sibi curent semper habere præsentem & manifestum in cordis sui ac animæ fundo, ipsumque sibi imprimant, ac intra se sine cessatione contemplentur, quantæ perfectionis illius vita, conuersatio & animus: quàm ipse resignatus, simplex, modestus, humilis, patiens, & omni denique virtute plenus fuerit. Huic se ex toto resignent. Ipsum suæ peregrinationis comitem, & in omni vita & actibus suis sibi socium assumant. Si comedunt, ad singulos morsus ipsum amabilem Dominum suum sibi assidere cogitent, simulque morsum vnum sumere. Si bibunt, ipsum se respicere credant. Si eunt, nunquam sine illo gradiantur, ipsum sibi comitem itineris adhibeant. Si dormire volunt, in illum sese reponant: & ita demum in omni loco, in omni modo, & apud quoscunque, illum præsentem meditentur, illius fruantur sodalitio. Noui ego hominem quendam, qui vt perfectè Domini Saluatoris & viarum illius similitudinem in se exprimeret, in loco quodam de vno angulo versus alium procedebat, tanquam pro indulgentijs consequendis obambularet, meditans secum opera Christi & Passionem eius. Monet S. Abbas Bernardus, vt incipientes aliquem sibi virum grauem & honestum in animo proponant, & tanquam illo inspiciente, faciant omnia: & quoties aut facturi, aut dimissuri sunt aliqua, ita secum cogitent: vtrum videlicet ea facere, vel dicere, vel omittere auderent, si hoc vir ille coram aspiceret. Certè multo amplius penitiusque animo Christi Iesu dulcissima imago præfigenda ac imprimenda est, quum alioqui ipse longè nobis interior viciniorqúe sit, quàm nosipsi simus. In ipso nanque verissima consolatio, omne bonum, omneqúe gaudium consistit. Ipse denique *plenus gratiæ* prædicatur & *veritatis*. Hanc Christi imaginem homo spiritalis nec ad momentum sibi patietur excidere: qui & singulas quasque horas diligenter notabit, & studiosè intus aduertet, vt in illis suus erga Deum animus affectus sit & constitutus. Quod illi potissimum vel necessariò facere deberent, quos diuina misericordia à seculo nequam eripuit, quibus nulla rei familiaris cura incumbit, sed ea duntaxat, vt Deo placere, & illi soli queant viuere. Illis verò, qui secularibus sunt curis ac negotijs impliciti, difficile est istud adimplere. Fieri enim non potest, vt *qui tangit picem, non inquinetur ab ea: aut qui ignem in sinu portat*, non exuratur. Nec tamen eo inficias reperisse me, qui in omnibus occupationibus suis tantæ puritatis ac perfectionis essent, vt multi religiosi meritò debeant rubore suffundi. Ipsa porrò dulcissima Christi imago, & imaginario, & viuo modo accipi potest. Quando imaginario modo sumitur, prorsus nobiliter, intellectualiter, ac diuinè debet accipi, non autem vt pura creatura vel sensualiter: quemadmodum faciunt plerique, qui dum de Deo aliquid meditari volunt, tanquam creaturam

[Margin notes: do discernendæ. — Præsentia Domini quomodo semper ob oculos ponenda. — Imaginis Christi vtilitas. — Ioan 1. — Quid religiosis potissimum assidue cogitandum. — Eccl. 13.]

intus sibi proponunt in cogitatione sua, amabilem videlicet hominem, qui & multa eis beneficia contulerit, & demum amarissimam pro eis passionem spontè perpessus sit: atque ex eiusmodi cogitatione, naturali quadam erga ipsum compassione & miseratione mouentur. Sed alia longè ratione agendum est, vt videlicet diuinam quandam & supernaturalem, non puræ cuiusdam creaturæ imaginem, de amabili homine Christo Iesu quisque intus habere discat, tanquam de Filio Dei, & de Deo homine, & homine Deo: sicqúe de Christo nunquam cogitet, nisi quatenus ille Deus & homo est. Hoc pacto cogitando de Christo, eundemque capiendo, nunquam erit sine Deo. Vbi nanque aliquid Dei est, ibi totus est Deus. Et hunc sectando modum, nunquam id quod optimum est negliget. Accipitur etiam Christi imago viuo quodam modo: quod tum fit, quando nunquam quiescit homo, donec eidem imagini pro modulo suo & virium suarum facultate conformetur. Eiusmodi homini parum videbitur diuinis obtemperare mandatis: sed cuncta Dei consilia, mirum in modum gratissima, optatissimaqúe illi erunt, nec his aliquid ducet iucundius. Quod enim Dominus ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* adeò gratum est amori, vt non satis illi sit benignè affari inimicos, sed ipsos etiam ex toto corde diligat, ex intimo cordis affectu omnem illis honorem, cunctaqúe bona impensè faueat, & omnibus ipsorum erratis atque delictis, quantum fieri potest, excusationis aliquod velum obtendat ex animo. Nec tamen ita hæc accipienda sunt, quasi ea quis stupiditate debeat esse præditus, vt manifestum amorem vel odium aliorum non aduertat: sed ea nec curare debet, nec etiam scire velle, iuxta Christi exemplar, vt huic perfectè valeat similari. Diximus paulo ante, omnes esse imagines transcendendas. Nunquid ergo, dicet aliquis, Christi imago abdicanda est, de qua iam dicta sunt plurima? Haudquaquam ea abdicanda est. Id enim periculosum foret. Si enim vel ipsum accedamus, & hanc nobis quęstionem solui postulemus, ilicò respondebit nobis: *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Nunquid ibi suam nobis imaginem interdixit? Interdixit quidem, quatenus ea pura creatura est, & sensibus duntaxat externis apprehensibilis, qualem tum discipuli habuêre, & relinquere compulsi sunt. Cæterùm secundùm diuinum & supernaturalem modum, nullo tempore discipuli reliquerunt. Quando enim ipse corporaliter discessit ab eis, & in cælum ascendit, totum simul animum, sensus omnes, omnemqúe ipsorum dilectionem secum abduxit. Et nos ergo posteaquam idem ipse iam olim cælos ascendit, & in cor paternum ac sinum Patris sui se recepit, simul cum ipso ascendamus, quò ille præcessit, cum omnibus sensibus nostris, omni amore ac intentione nostra, in cor videlicet Patris æterni, in quo ipse mansit, vnà cum Deo Patre existens vita atque essentia, *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, speculum præfulgidum claritatis illius, & imago paterni vultus eius, non per modum imaginis tantùm, sed etiam essentialiter in perfecta persona Dei Patris similitudine, in diuina illa æternæ generationis emanatione, vnum omninò existens cum eodem. Eò & nos, inquam, tota mente, & omni, quo possumus, tendamus amore, quò simul cum illo vniri, & speculum candens effici mereamur. Tum verò in tribus diuinæ substantiæ personis commorabimur & ambulabimus, ita vt cum Apostolo fidenter dicamus: *Nostra autem conuersatio in cælis est*, hoc est, in tribus diuinitatis personis. Hanc perfectionem toto desiderio, cunctis sensibus, ac vniuersis

De Christo qui cogitandũ.

Matth 5.

Ioan. 16.

Imaginatio de Christo qui deserenda, ut non deserenda.

Heb. 1.

Philip. 3.

viribus suis quisque apprehendere conabitur: & si fortasse in vita sua ad minimè pertigerit, bono sit animo, quia dabitur illi à Deo iam extremum nti spiritum, & ad mortem tendenti. Quòd si nec tunc assequatur, & hinc ens, quibusdam maneat culpis obnoxius, ad Purgatorij quidem deduce- ocum, & ibi omnes illæ ad purum excoquentur. Deinde verò ad cæli pala- erductus, ea ibidem perenniter perfruetur, tanto magis aut minus, quan- atori eam vel minori est dilectione prosecutus, dum adhuc viueret, eam- ex toto corde plus aut minus desiderauit. Meritò proinde sui quisque desi- j arcum ad summum vsque extendere deberet, vt nullum tam breue absce- et tempus, quo non perfectius Deum lucraretur. Veris nanque animi desi- ijs Deus perenniter vicem reddet, etiam si quod desiderat, nunquam in hac consequatur, omnemque tepidam & negligentem conuersationem ac vi- illius, iuxta supremum illud iudicabit, ad quod vnquam peruenit in vita . Vnde licet non sentiat se aliquis in alto perfectionis gradu constitutum, n despondeat animum: sed quantum potest, totis viribus eam assequi cone- r. Quòd si nec sic ad optatam valet perfectionem pertingere, hoc tantùm cu- , vt amet eam ex corde, & votis omnibus ad eam suspiret. Præstet nobis omni- otens Deus, vt ad hanc, de qua locuti sumus, perfectionem feliciter omnes euo- mus. Amen.


Imperfectiones nostras in purgatorio expiari.

IN EADEM SOLENNITATE, seu Ferijs Paschalibus.

Vt simul cum Christo caduca omnia, & ipsum quoque scire ac velle nostrum abnegare & mortificare debeamus, & ita demum cum eodem resurgere, eidem beatissima necessitudine copulari, ac vnum cum ipso fieri.

SERMO II.

Rogo Pater vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, vt sint consummati in vnum. IOAN. XVII.



AD hanc beatissimam vnionem vas electionis Paulus Apostolus pertigisse se testatur, cùm ait: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Habes ea verba in 2. cap. epistolæ illius, quam Galatis scripsit. Ad hanc eandem vnionem Christianis omnibus maximoperè conuenit adspirare. Sed dicet fortè aliquis, qua ratione ad eam possit perueniri? Non alia sanè, quàm vt seipsum quisque perdat, sicut Euangelium ait, suiipsius obliuiscatur, & in Deum per spiritum ipsius transformetur. Hæc quandiu in homine necdum completa sunt, non est quòd vnum se putet effectum cum Deo. Quandiu enim seipsum habet, scit & inuenit in Deo, & Deum in se, nondum vnum cum illo factus est. Duo enim scit & habet, Deum videlicet & seipsum. Hoc verò multiplicitas quædam est, & necdum perfecta vnitas. In vnitate quippe omnis perditur multiplicitas. Atqui tum demum vera est vnitas, quando seipsum totum homo inuenit introuersum in vno illo, quod Deus est & appellatur, qui in animabus nostris semper præsens adest, quando nihil iam amat, nihil intendit, nihil operatur, nihil scit extra sese, neque Deum neque creaturas, sed seipsum amisit ac perdidit in Deo.

Galat. 2.

Matth. 10. & 16.

Vnio vera.

in Deo. Hæc quippe in homine Deo perfectè vnito, si sic dicere liceat, vna essentia & vna sunt vita, nec quicquam ille nouit extra Deum de rebus quibuscunque. Ad hanc vnitatem omnes tendunt suo modo creaturæ. Vt perficiatur vnitas, hic omnis multiplicitatis scopus est. Nihil aliud quærit multiplicitas, quam ipsam vnitatem. Ex vno illa sine medio procedit, & ad illud ipsum inseparabile vnum redire festinat quælibet creatura in esse suo pro virium suarum facultate. Ideoqúe verissimum est, omnem actionem, omnem amorem, omne negotium, omnem inquietudinem ob quietem assumi, & omnium illorum finem esse quietem. Hæc porrò quies non nisi in vno solo simplicissimoqúe Deo, propriè ac perfectè habetur. Sic & omnis effluxus propter refluxum fit. Ipsa nostri ex Deo emanatio, non aliud vult, quàm vt in Deum, tanquam in principium & originem nostram refluamus. Cumqúe iam perfectè refluxerimus, tum demum omnimoda quies & tranquillitas erit. Quando enim omnia quę in homine sunt, vnum in Deo fiunt, tunc vndique pax est in ipso homine, & tunc silet omnis tumultus, inquietudo, actio & voluntas. Hanc pacem & quietem omnia naturaliter appetunt: quam vt obtinere possint, ipsum esse, vitamque suam & omnia absumunt: nec tamen eam poterunt vnquam veraciter assequi, nisi in vno, hoc est, in Deo Opt. Max. in quo est totius pacis plenitudo. Quàm igitur periculosè agitur cum illis, qui extra hanc pacem, extra hanc diuinitatis sunt vnionem constituti? Mirum satis est, quòd vel ad momentum extra hanc viuere non metuunt, quòd seipsos extra Deum amare, scire, & quærere non extimescunt. Sed quæstio hîc incidere potest, quis videlicet sit optimus ingrediendi modus, & quo vnum cum Deo fieri possimus. Quantum mihi videtur, ille est, vt seipsum quisque, hoc est, omnem propriam quæsitionem, omnemque multiplicitatem deserat, abneget, mortificetque. Qui enim candidus esse cupit, nigredinem prius abluat oportet. Nam quò minus habuerit nigredinis, eò candidior erit: & quò minus multiplicitatis, eò simplicior. Certè Deus in homine propriè non operatur, quandiu ille multiplex est, & multiplicitati deditus. Oportet eum vnitati studere & vnum esse, si in ipso Deus operari debeat. Ipsæ animæ vires, quò magis sunt vnitæ & à rebus exterioribus abstractæ, eò amplius intus dilatantur ac extenduntur, tantoque diuina operatio efficacior, diuinior, atque perfectior fit. Itaque ad veram Dei vnionem nulla compendiosior via est, quàm suijpsius perfecta mortificatio. Quò enim citius perfectè ac veraciter mortuus fueris, eò celerius hanc intra te diuinam vnionem & vitam perfectè vereque senties, agnosces, obtinebis. Cæterum oportebat Christum prius hoc corporaliter exhibere, vt nos ipsum non solum agnosceremus, sed sequeremur etiam ratione spiritali. Si enim ille immortalis debuit resurgere, mortalitati ipsum prius mori oportuit. Et nos si ad veram cupimus vnitatem pertingere, omnem in hoc multiplicitatem expendere, & omni mortalitati, quod ad distinctionis proprietatem attinet, mori oportet. Vnum siquidem distinctionis expers est: idemque omnem amittit, imò & vnit multiplicitatem. De Christo legimus apud Apostolum, quod & Ecclesia hac sacratissima solennitate commemorat, quòd ille *resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur*. Ergo ex morte procedit ea vita, quæ non moritur: nec est aliqua verior ac incommutabilior vita in nobis, quàm ea quæ ex morte nascitur. Si aqua bullire debeat & incalescere, frigori (vt ita dicam) moriatur oportet. Si lignum ignis fieri,

Actionũ omnium finis quis.

Via ad vnionem Dei optima quæ.

Rom. 6.

omnesque illæ mortes seu mortificationes vni morti seruiunt, seu ad vnam mortem referuntur, eam scilicet, vt homo omni propriæ voluntati, omni proprietati, distinctioni, & creatis omnibus perfectè & ex toto mortuus sit, quantum possibile est creaturæ. Sic & vna tantùm vita est: vita, inquam, diuina, superessentialis, omnem transcendens cognitionem, increata & verè existens vita. Ad hanc vitam omnes aliæ vitæ festinant, tendunt, suspirant: hanc assequi magnoperè exoptant, cui quanto magis appropinquant, & efficiuntur similiores, tanto & verius viuunt. In hac siquidem, & ex hac ipsa vita omnes vitæ viuunt: & extra eam non est aliqua vera vita. Extra hanc vitam quęcunque est vita, dici si potest, quod cuidam in Apocalypsi per increpationem dicitur: *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Proinde quisquis hanc vitam verissimè, certissimè ac proprijssimè sentire cupit & apprehendere in fundo animę suæ, huic profectò, verè, propriè, funditusq́ue prius emoriendum est. Vbi nanque mors deficit, & vita desit oportet. Cùm autem totus emortuus fuerit, totus eodem momento viuus efficietur. Habet ista mors gradus plurimos, habet & vita. Potest aliquis vna die vel millenis vicibus mori: & vnicuique morti euestigio vita iucunda respondet atque succedit. Non potest Deus hanc vitam denegare morti. Porrò quò mors est acerbior, fortior atque perfectior, eò & vita morti respondens, dulcior, fortior, & verior est. Quò verior mors, eò & verior vita. Qualibet autem talis vita, homini vires adducit, robur addit, ipsumq́ue haud mediocriter confortat ad aliam longè fortiorem mortem subeundam. Verbi gratia, audit aliquis verbum contumeliosum & illud suffert propter Deum, aut etiam alicui propensioni moritur, qua ad faciendum aliquid siue dimittendum pro se vel pro alio, qualecunque demum sit illud, intus, vel foris mouetur, suæq́ue renititur voluntati, eamq́ue mortificat, abnegat, exit, in verbo vno, in opere, in stando, in eundo, in aliquo aduerso tolerando, aut prospero despiciendo, in subtractione alicuius delectationis, quam vel in haustu vno potus, vel vno adspectu posset habere, seipsum non excusando, etiam quando præter fas & æquitatem grauia quædam illi imponuntur, aut denique in quouis alio, in quo necdum plenè mortuus est, seipsum mortificando. (Hæc sanè mortificatio necdum assuetis & immortificatis in principio multo solet esse molestior, quàm illis qui iam plenè sunt mortui, imò quàm etiam postea illis ipsis, in hoc studio melius exercitatis.) Ex his ergo prædictis omnibus nulla tam exigua mortificatio est, nulla tam facilis mors, quin si ex animo subeatur, talis ei vita respondeat, quę hominem eiusmodi euestigio confortet, roboretq́ue ad maiorem difficilioremq́ue mortem subeundam: & hoc eousque, si tamen in hoc mortificationis studio perseueret, donec tandem multo illi facilius, multo optatius, multoq́ue iucundius sit mori quàm viuere. Ipsam quippe vitam abundantius inuenit in morte, *& lux in tenebris lucet.* Sic ergo tandiu extrinsecus sibi moritur, donec ex integro mortuus sit, nec aliquid iam supersit rerum exteriorum, cui mori eum oporteat, qualescunque etiam illæ sint. Hoc assecutus, *bonum* profectò *cer-*

Apoc. 3.

Sui mortificatio quibus & quando sit, quàm grauis.

tamen certauit: sed iam intus adhuc plurima restant, quibus similiter moriendum est. Sanè verè mortificatus homo tantum in rebus omnibus iuris habet, vt eis rectè meritoque & hilariter possit vti. Atqui nulli vnquam homini creaturæ intus vel foris verè iucundæ vel gaudio fuerunt, nisi qui prius illis diuinitatis amore perfectè studuit mori, & affectum illarum extinguere: ita vt illæ ei, & ipse illis ex toto mortuus esset. Ad hunc gradum vbi quis peruenerit, ibi demum securè vertere se potest. Nunquam certè aliquis vel patrem, vel matrem, vel fratrem, vel sororem, vel alium quemcunque cognatum vel amicum, puro ac laudabili amore in Deo prosecutus est, nisi qui prius illis Dei amore perfectè, iuxta Euangelij institutionem, renuntiauit, & ad plenum mortuus fuit. Absque his, omnes illi, non amici, sed inimici potius sunt homini. Inde est quod ipse Saluator ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam: & inimici hominis domestici eius.* Hæc profectò mortificatio siue mors hominis exterioris atque mortalis modica & perexigua censenda est. Facile est enim quibuscumque rebus exterioribus mori ei, qui se fideliter & ex animo à rebus secularibus, vanis ac futilibus auertit, & ad nouam quandam internam ac diuinam transfert vitam. Tali enim mortem ipsa abscondit vita, vt iam penè nesciat quid sit amaritudo, cùm illi nihil nisi dulcedo vndique se offerat ac proposita sit. Nihil ipse certare habet, cùm omnes euaserit hostes suos, & per aliam viam egressus sit. Nam quicunque perfectè introuersus est, huic licet plurima forinsecus occurrant, non tamen attingunt mentem ipsius. Hoc in beatissima illa peccatrice videre pronum est: quæ, quia tota erat intro ad Dominum conuersa, non aduertebat, aut certè pro magno non habebat, quicquid de ea apud Dominum soror illius Martha querebatur: non aliquam sui excusationem meditabatur, quippe quæ alijs intenta erat, alia sentiebat, gustabat, experiebatur intus in anima sua. Eodem modo si quis ab omnibus rebus caducis abstractus & perfectè introuersus esset ad illud, quod est omnis imaginis expers, Deum Opt. Max. vellet, nollet, omnium eum obliuisci oporteret, & omnes interim in ipso imagines emorerentur abscederentque. Eo nam que tempore quædam in ipso æqualitas viuit, non autem imago. Sed ab omnibus tunc imaginibus liber est, nudus & expeditus, & ea vice nec locum, nec aliquid dissimilitudinis habet, nec extraneum aliquid ei incidit & in mentem venit, cùm (vt dixi) liber sit & vacuus ab omnibus imaginibus: nec aliqua se extranea illius animo imprimere possunt. De talibus, ni fallor, hominibus Apostolus loquebatur, cùm ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Vbi solerter notandum est, quod ait, cum Christo. Nam si cum Christo, ergo necdum perfectè vnum. Vbi enim hæc præpositio, Cum, ponitur, duo esse intelliguntur. Itaque alia adhuc longè excellentior vnio est, de qua idem ipse Saluator loquens, *Pater,* inquit, *volo vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus:* non eadem omninò ratione, qua nos vnum sumus, quatenus ego Filius & tu Pater, sed quomodo nos ambo quoddam purissimum ac simplicissimum vnum sumus, vna essentia, vna vita, vna operatio, vt sic & ipsi suo modo vnum sint, & consummati in vnum. Huc porrò centuplo vicinior subtiliorque mors exigitur requiriturque, cui videlicet talis essentia, vita & operatio debeat respondere. Si enim Deus, quantum fieri potest, perfectè ingredi debet, oportet naturam ad extremum vsque punctum ex

Quid iuris habeat verè sibi mortificatus.

Matth. 10.

Cuinam mortificatio sui facilis.

Lucæ 10.

Coloss. 3.

Cũ, quid seu quõ significet.

Ioan. 17.

toto

toto cedere & abnegari. Nam ſicut aqua & ignis nunquam in eodem ſubſiſtere queunt, ſaluis qualitatibus vtriuſque, ita ſanè diligentiſſimè exactiſſimeqúe cunctis eum mori neceſſe eſt, cuius vita Deus erit. Facilius autem moritur, cui hæc vita moleſta eſt atque contraria: qui tamen ipſe ſi perfectè mortuus eſſe cupit, etiam ipſi obiecto ac omnibus illis, in quibus cum amore, delectatione & affectu requieſcit, mori debebit. Qui enim cunctis rebus externis mortuus eſt, & ipſe illi, in eo Deus non ſolùm vult, verùm etiam non poteſt non viuere, & illius eſſe ſuſtentatio ſolatiumqúe. Itaque in morte vita, & in deſolatione conſolatio latet. Quando enim exterior homo tacet, & loquacitati ſuæ fræna laxare prohibetur, mox interior homo viuere incipit, & mirum in modum propriè ac iucundiſſimè fari, quemadmodum Propheta teſtatur, dicens: *Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum & defecit ſpiritus meus.* Ipſe nimirum exterior homo in omnibus quæ ſunt ſecundùm illius affectum, & in quibus viuit, ſuperior eſſe vult, & aliquid habere ſemper obiecti, in quo cum delectatione quieſcat: quod ea Prophetæ ſententia innuere videtur, qua ait: *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Sed & huic propriæ quæſitioni ex integro mori oportebit. Nec tamen id ſufficit. Si enim perfectè quis cum Deo veraciterqúe vnum fieri debeat, etiam omnes interioris hominis vires, vt ſic dicam, mori atque ſilere neceſſe eſt, vt verbi gratia, voluntas omnis boni imagine ac omni velle proprio: intellectus, ea, quam habet, veritatis agnitione: & memoria denique, ac aliæ vires omnes, ſingulæ quæque obiectis ſuis deſtituantur, eiſdemqúe moriantur. Inde eſt quod Dominus ait: *qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam:* nam *qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam facit illam.* Eſt hæc profectò mors dura valde, vbi quicquid eſt luminis in homine, extinguitur. Sed & munda anima in viribus ſuis diuerſas ſuſcipit irradiationes atque fulgores, plura quoque mirum in modum delectabilia ac iucundiſſima dona, ac ſenſibilem dulcedinem & ſuauitatem, quibus tamen omnibus mori eam oportet: quippe quæ necdum purè Deus ſunt. Adhuc partes ſunt, non vnum. Cùm autem omnibus illis, quæ in nobis viuunt & lucent, perfectè quis mortuus eſt, tum demum animam ſuam ritè ac propriè inuenit, ſicut ſupra dictum eſt: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam:* Vel, ſicut alius Euangeliſta habet, *inueniet eam.* Quomodo ergo illi animam ſuam perdidère, qui adhuc propria gaudent libertate ac proprietate in animabus ſuis, ita vt liberum ſit illis facere ac dimittere quicquid voluerint: quorum anima ſuis adhuc viribus, voluntate & operatione nititur: qui volunt & nolunt, eligunt & auerſantur. Non ſic ille, de quo ſcriptum eſt: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius,* qui in maxima anguſtia conſtitutus: *Pater,* inquit, *non mea, ſed tua voluntas fiat:* ac ſi apertè diceret: Nullam habeo voluntatem propriam, ſed tibi Pater ſemel omnem obtuli voluntatem meam. Mea ſiquidem voluntate propria nudatus ſum, atque mortuus eidem, & in tua natus, tuæqúe impreſſus ſum voluntati. Denique, quiſquis adhuc adhæſionem quandam & ſuſtentationem, conuerſionem quoque & deuotionem, & vnam voluntatem poſtulat à Deo, necdum vnum effectus eſt cum Deo. Et in quo adhuc ſubſiſtunt ſpes & metus, amor, & odium, electio & repudiatio, nequaquam adhuc ad illam pertigit vnitatem. In hac quippe vnitate non eſt vnum aliquod opus. Nam quatenus vnitas illa vnum eſt, in ea nec amare eſt, nec intelli-

Quis ſibi ſicut è moriatur.

Pſalm. 76.

Pſalm. 72.

Matth. 10. & 16.

Marc 8.

Matth. 16.

1. Pet. 2.

Matth. 26.

telligere cum distinctione. In diuina quippe essentia non est nisi quædam imperturbabilis quies & silentium. Cognoscere verò & amare, gignere, & gigni, & operari denique, in personis est, non in naturæ vnitate. Hæc nanque distinctionem efficiunt. Vnde si personæ in Deo non essent, nec aliqua ibi foret distinctio: & si in ipso natura non esset, nec vnitas foret. In hoc vno cuncta finiuntur ac vniuntur opera, & nos quoque vnum efficimur in Deo per Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in secula. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE, seu Ferijs Paschalibus, Sermonis præcedentis pars altera.

Vt ab omnibus imaginibus denudemur & exuamur, & in diuinam vnitatem transformemur, siue transmutemur: quantaque in hoc vtilitas & fructus consistat.

SERMO III.

Rogo Pater, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. IOAN. XVII.



Genes. 2. D profectò, dilectissimi, perquàm necessarium est, vt vnum simus cum Deo. Ideò *relinquet homo patrem & matrem, & vni adhærebit*, hoc est, posteaquam homo rebus omnibus ac vniuersæ multiplicitati intus & foris, & etiam sibijpsi mortuus fuerit, sensusque suos & vires in Deo reliquerit, perdideritque, tunc etiam patrem & matrem, hoc est, ea quæ hanc in ipso deuotionem effecerunt, pepereruntque, obliuioni tradet, & illorum à se imagines abdicabit. Hæc autem sunt virtutes, quarum necesse est eum repudiare imagines, quatenus illæ distinctionis aliquid habent, vel operis, imaginisve. Prorsus abscedant imagines oportet, & virtutes ipsæ transeant in habitum, eique rursum imprimantur, vnde processêre, effluxêre, atque traxêre originem, vbi omnes finiuntur imagines, & terminantur actiones, hoc est, Deo omnipotenti. Locum enim quem virtutis imago occupat in homine, etiam vitij posset imago tenere. Si enim amor non esset, nec odium foret. Si superbia non esset, non agnosceretur humilitas. Si non essent humilia, altiora sciri non possent. Itaque, vt sæpe dixi, omnibus imaginibus ac omni prorsus distinctioni moriendum est illi, qui supremo modo cupit vnum cum Deo fieri, & in ipsum essentialiter (si dicere fas est) transformari, quatenus possibile est creaturæ rationali. Cunctæ siquidem imagines hoc & illud habent, id est, partes sunt, sicut & viæ omnes similiter partes sunt. Vbi verò finis apprehensus est, superflua est omnis via. Cæterùm nunquam virtus ipsa tam propriè, tam verè, tamque essentialiter possidetur & obtinetur à nobis, quàm cùm illius, in hoc vno, imagine destituimur, penitusque nudamur. Ibi namque nullum est hîc aut illic, nec vlla ibi virtus ipsa propria quæsitione mouetur. Seipsam verò propter seipsam operatur, nec aliquid intendit extra seipsam, hoc est, extra Deum, qui est omnium essentia virtutum. Bonum, inquam, operatur propter bonum, & ipsa est sibi causa ac ratio operandi, nec aliunde mouetur, ideò bona quæque agens, quia bona sunt. Ita & amat propter amorem, verax est propter veritatem, & propter iustitiam iusta.

Vniendis cum Deo quid faciendum.

Ioan 18.

iusta. Quæri solet cur Dominus Pilato non responderit, sciscitanti quid esset *Veritas.* Et respondetur quòd, quia facta ea quæstione statim exijt, indignus fuerit cui Dominus respóderet. Et ita planè se res habet. Sic etiam quisquis extra hanc diuinam euagatur & exit vnitatem, indignus est qui veritatem agnoscat. Quid sit autem veritas si quæratur, non id alia melius ratione exprimitur, quàm si dicatur, veritatem esse veritatem. Nihil enim illi vel auferri potest vel addi, quippe quæ est vna simplicissima veritas, vnum simplicissimum bonum, vnum simplicissimum vnum, hoc est, Deus, cui nec accedit aliquid, nec decedit. Habent quidem & ipsæ creaturæ, vt sunt Angelus, Homo, Cælum, quædam bona, quandam essentiam & veritatem, sed omnia in modo & mensura, & cum certo fine. At si omne bonum, omnem veritatem & essentiam quæris, non inuenies hæc nisi in illo simplicissimo vno, quod est ipsorum origo, fons & principium, & essentia modum nesciens. Ibi ergo capias veritatem, essentiam & bonum sine modo. Relinque hominem, Angelum, cælum, & ipsum essentiale bonum, ipsam essentialem veritatem & essentiam cape nudè in seipsa. Nam quicquid apposueris, hoc ipsum tegit & excludit vnitatem, & insuper finem quendam, clausuram & carcerem demonstrat. Porrò *vnum* non extrospicit, nihil alienum, nihil remotum, nihil propinquum nouit: non longitudinem, non latitudinem habet. Imò vnum hoc, quod Deus ipse est, omnia bona continet in seipso. Extra ipsum nihil est. Ab ipso habent creaturæ essentiam & bonum, non ipse à creaturis. Eodem modo se habet quicquid diuinum est, siue sit homo, siue opus, siue modus. Modus enim quatenus diuinus est, nihil illi extra est, sed omnia bona intus illi sunt absq; latitudine & longitudine, & hoc simpliciter, essentialiter, & verè. Nihil illi alienum, nihil remotum est. Sanè quicunq; talis est homo diuinus, qui hoc pacto ex amore omni propriæ quæsitioni mortuus est, atque vnum in Deo est, & Deus in illo, ita vt nihil hîc accedat neque decedat: quicquid is agit siue dimittit in Deo, & per Deum, id semper optimum est. Facit enim hoc perfectissimo & optimo modo: nec aliquam profectus sui iacturam facit in quocunque etiam opere. Omnia nanque opera sua in Deo facit pro illius gratissima voluntate: & quicquid dimittit, simpliciter in Deo dimittit. Vnde tantundem lucratur in minimo, sicut in maximo opere. Non enim ab extra bonitatem suam opera accipiunt, sed eam intus essentialiter habent: nec meliora fiunt ob latitudinem longitudinemve. Verbi gratia: Vna salutatio Angelica tantundem virtutis & bonitatis habet, quantum integrum Psalterium, si eadem bonitate vtrunque dicatur: & passus vnus, quantum nauigatio transmarina, si eadem bonitate fiant. Interim tamen externus labor quò maior fuerit, eò & præmium accidentale maius habebit. Cæterùm opus externum bonitatem suam accipit ex amoris magnitudine ab intra, non autem, quomodo aliæ res temporales, ab extra: tantoq́ue opus quodlibet melius est, quanto ex abundantiori dilectione procedit. Drachma auri tantum de auri natura habet, quantum mille libræ. Verùm cùm in auro non ipsa tantùm natura siue substantia quæratur, ideò etiam illius desideratur copia & numerositas. Secus est in rebus diuinis ac spiritalibus, quæ bonitatem suam non forinsecus, sed intus accipiunt & sortiuntur. Ideoque minima eiusmodi res tantum valet quantum maxima, vnaque quantum omnes, si æquali animo & eadem bonitate fiant. Exteriora nanque, non nisi signa quædam sunt interiorum. Hedera ex ædibus suspensa, vinum esse in penuario signi-

Cur Pilato de veritate quærenti, Iesus non responderit.

Opus quodque vnde sit melius.

significat. Potest autem & vinum esse, vbi ea suspensa non est, nec hac de causa illud vilius est Domino suo. Ita profectò si bona, si integra, si diuina sum præditus benefaciendi voluntate, & agendi quicquid bonorum operum omnes vnquam homines, etiam Sancti perpetrârunt, & perpetrare potuissent, & etiamnum possent, omnes quoque sufferendi cruciatus atque dolores mortalium omnium, ad hæc vniuersas faciendi eleemosynas, quæ vnquam factæ sunt atque fiendæ, & demùm nihil non pro Deo exequendi atque subeundi, & sola mihi deest facultas, hæc omnia coram Deo verissimè peregi: & plenam inde sum mercedem habiturus, si tamen vera perfectaque fuerit voluntas. Nam quæ ante annos plus mille peracta sunt, ita Deo sunt præsentia, sicut ea quæ modò fiunt: quoties aliquis perfecta ac Deifica voluntate ea facere vellet, si adesset sibi facultas faciendi. Quicquid enim eiusmodi vult voluntate, id coram Deo fecisse iudicatur, & tanquam factum sit, coram illo habetur & existit. Hinc D. Augustinus vnumquenque fidelem hortatur, dicens: Recipe te intra te, nam non nisi illic licet inuenire Deum. Vbi intra teipsum te recipis, in Deum te recipis. Ille siquidem in te est, & tu in illo, vnum effectus cum illo. Denique & sublimis ille Euangelista: *Omnia*, inquit, *in ipso vita erant*, & paulò pòst: *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Itaque sicut Dei Filius vnius est cum Patre substantiæ, & vnum cum illo: ita & homo diuinus vnum est suo modo per gratiam cum Deo, quatenus diuinus est. Nam si aliquid aliud viuit, sapit & existit in eo, secus se res habet. Quatenus verò diuinus est, verissimè Dei filius est, & vnum cum Deo, suo tamen modo, sicut vnigenitus Filius illius, ita vt nihil Deus faciat extra ipsum, nec ipse extra Deum. Imò quàm impossibile est illi, separari à seipso & à filio suo: tam impossibile etiam est illi, ab hoc homine diuino separari, nisi hic se prius ab illo separet. Quòd si Deus ipsum vellet relinquere, cogeretur & relinquere seipsum. Vbi verò seipsum accipit, & hunc pariter capit hominem, vtpote qui vnum est in vno. Quocirca insignis quidam Doctor ait: Non inuideo vnigenito Filio Dei, quicquid illi boni collatum est à Patre. Nam & ego filius illius possum effici, non quidem per naturam, sed per gratiam, *ex quo, per quem, & in quo sunt omnia.* Ibi verò tam homo vnum fit cum Deo, vt (si dicere fas est) nulla ibi pars supersit. Vulgata sententia dici solet, Deum nec accipere, nec operari aliquid extra seipsum: ita & ille diuinus homo rectè meritoque vocatur, quem nihil mouet, nihil afficit extra Deum, ita vt Deus omnium operum illius finis sit & intentio, & illum solum purissimè quærat. Plus aliquid dico: Verè diuinus homo nec accipit Deum, nec cogitat vnquam de Deo extra seipsum. Vbi nanque Deum accipit, ibi capit simul & seipsum. Vnum quippe factus est cum Deo, quem & inuenit intra sese, nec extrospicit extra se, nec quicquam alienum aut remotum nouit extra Deum. Si quæ autem parturit extra Deum, idola sunt. Sed cùm Deus sese accipiat in illo, & moueat perficiatque omnia illius opera per ipsum, eundemque tanquam se accipiat, (vnum quippe sunt in vno) ideò vbicunque sese Deus accipit & mouet, ibi & ipsum accipit & mouet, operaturque per illum, & non principaliter ipse homo operatur: quemadmodum de se quoque Dominus fatetur, dicens: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Eiusmodi homini, quatenus homo est, adeò aliena, extranea, remota sunt omnia opera illius, sicut alicui in partibus transmarinis constituto: & ipse, quatenus ipse est, nihil sibi ex illis

vsur-

Quomodo voluntate bona, aliena omnia facias tua.

Augustinus.

Ioan. 1.

Verè diuinus homo quis.

Ioan. 14.

vſurpat. Non enim eſt ipſe qui ea operatur, ſed Deus ipſe in illo facit opera. Quòd ſi quicquam ſibi vel eſſentiæ vel actionis aſcribat cum aliqua proprietate & diſtinctione, ibi illius vitiantur opera, & ipſe in hoc vno ſiue vnitate minimè perſeuerat permanetqúe. Iam quod Dominus ait: *Non ſum ego ſolus, ſed Pater in me eſt, & ego in illo:* etiam huic aptari poteſt. Nam & ipſe vnum eſt cum Patre, cuius veriſſimè Filius eſt, ſicut Auguſtinus ait: Ideò Deus homo factus eſt, vt ego Deus fierem: ideò filius hominis eſſe voluit, vt ego eſſem filius Dei. & Dauid: *Ego dixi,* inquit, *ex perſona Dei, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Vnde quicquid Deus contulit vnigenito Filio ſuo, etiam huic quodammodò largitur. Quòd ſi hic ea capere nequeat, non eſt quod imputetur Deo, non eſt culpa Dei. Quis enim, niſi ſtultiſſimus quiſque, ſoli putet imputandum, ſi lucis ſuæ radios minimè diffundat in ædes illas, quarum aut feneſtræ, aut oſtia clauſa ſunt, aut illum minimè illuſtret, qui lippos habet oculos? Porrò quod ad naturam humanam attinet, quam Dominus aſſumere dignatus eſt, ea mihi tam cognata & propria eſt, vt ipſi: illiuſqúe tantum ego habeo, quantum ipſe vel alius quicunque, aut ſimul vniuerſi. Natura, inquam, tam mihi iuxta eſt, quàm ipſi, ſed non perſona. Hanc tamen naturam, quæ & mea eſt, aſſumpſit ipſe, & in ea totum me ſibi attraxit in ſe. Quòd ſi ego, quod ad perſonam meam attinet, ſequi nolo, ſed potius foris permanere decerno, quæ illius hac in parte culpa eſt? Ipſe nimirum totam naturam noſtram adeò ſibi aſſumpſit & vniuit, vt ipſe ſecundùm eam tam veraciter Dei Filius dicatur, ſicut eſt Verbum æternum. Vnde rectiſſimè dicimus, Virginis partum eſſe Dei Filium, æquè vt æternam diuinamqúe generationem, ob vnitatem perſonæ. Totum ergo hoc, quod à Patre collatum eſt illi, imò & ſeipſum nobis omnibus impartiuit, vt ea tam noſtra ſint, quàm illius. Sed væ nobis, ſi naturæ participatione ac ſimilitudine contenti, non vlterius nos perſonæ illius per amoroſam vnionem copulemus. Secundùm naturam quidem, quotquot cis & vltra mare viuunt homines, æquè mihi propinqui ſunt, vt ipſe mihi de natura tantundem habent minimus & maximus, is qui proximus eſt, & qui remotiſſimus. Hacqúe ratione Saluatoris humana natura vt mihi vicina eſt, vt illi: & illi, vt mihi. Sed adhuc væ mihi, ſi illi quidem per naturam ſimilis ſum, ſed tamen mihi addictior coniunctiorque ſum per amorem priuatum & propriam quæſitionem, quàm alij cuiuis vltra mille milliaria diſtanti, qui tamen & ipſe homo ſit. Tale nanque cor meum & amorem meum erga omnes eſſe oportet, qualia erga me ſunt, ita vt ipſorum eſſe, bona, commoda & ſolatia, ita mihi grata ſint, ſicut meum eſſe, mea bona, commoda, ſolatiaque: & econtrà, ipſorum incommoda ita me crucient, ſicut mea: nec minus me bona ipſorum afficiant, nec mala minus contriſtent, quàm mea, omni prorſus propria quæſitione & amore priuato abdicatis, vt non ideò mala grauiora iudicem, aut bona magis me exhilarent, magiſque placeant, quòd mea ſint, quàm ſi eſſent aliorum, quos etiam nunquam mihi videre contigerit. Hinc tamen nemo colligere debet, eadem prorſus omnibus opera impendenda. Et Deus diligit omnes nos, nec tamen omnibus amorem ſuum æqualiter exhibet. Ordo quidam eſt in dilectionis exhibitione ſeruandus, vt videlicet à parentibus, cognatis, filijs, & alijs magis propinquis incipiamus, eiſdemque & hominibus vniuerſis, quantum poſſumus, præſtemus ex animo. Nec enim omnibus æquè ſatisfacere valemus. Debet autem quiſque ſibi commiſſis ſatisfacere, ea ratio-

Ioan 8. & 16.

Pſalm. 81.

Quis dilectionis ordo ſeruandus.

ratione, ne pereant, neve negligantur: nō autem, quia pater aut cognati sui sunt. Ita charitatis officia impendenda sunt, vt non minus vni afficiamur, quàm alij. Minus, abscedat oportet. Nam si fortè ita se casus offerat, vt alicui è remotis partibus aduēcanti, fortè peregrino, fortè exuli, quem nunquam ante videris, charitatis obsequia impendenda sint, ita erga hunc affici debebis per omnem modum, vt erga teipsum, erga parentes, erga cognatos tuos. Semper enim eundem amorem atque fauorem, erga omnes in corde gerere debemus, licet exterior exhibitio non possit esse æqualis. Hoc pacto quisquis indifferens est, quod ad animi beneuolentiam attinet, & seipsum ex toto exijt, ita vt nihil suum in vlla re velit, quærat, retineat quouis etiam modo: hic in ea, de qua prædiximus, vnitate totus intrat in omne id, quod Deus est & habet, in eius videlicet essentiam, potentiam, fruitionem, sicut idem ipse, & hæc tam ei fiunt propria, quàm sunt illi, iuxta suum modum. Insuper quicquid boni, quicquid gaudij, quicquid beatitudinis tam Angeli quàm homines & creaturę habent vniuersæ, id æquè suum fit, vt illorum: Si quid verò mali aut pœnarum habent, id illis permanet relinquiturque. Quòd si plus ipse se exijt & abnegauit, & minus aliquid sui vel commodi vel lucri sectatur, querit, intendit, quàm illi: tanto illorum bona plus sua sunt, quàm sint illorum, & ipse eis maiori cum gaudio, proprietate & felicitate perfruetur. Nam qui perfectiùs exit extra omnem priuatum suijpsius amorem & propriam voluntatem, hic plus intrat in diuinam vnitatem. Hoc ipsum tamen bonum & incomparabilem vtilitatem, quam ea præstat vnitas, haudquaquam intendere debet. Nam quo minus suum intendit, eo illud cumulatius inuenit. Vnde si quis totum se exisset, hic quoque totus citra omnem dubitationem ingrederetur: nec tantum efficeretur similis, sed etiam vnum, & omnia quoque verè sua efficerentur. Talis enim semper indifferens, & æqualis est, & æqualiter omnia, tam aduersa quàm prospera, suscipit de manu Dei, nec vnquam in vlla re à mentis suæ stabilitate & æqualitate deijcitur vel deturbatur. Hinc ergo ipse nos Dominus hortatur, dicens: *Tollite iugum meum super vos*: quo scilicet voluit, vt voluntas eius etiam nobisipsis in immensum nobis charior sit. Atque ita etiam omnia nobis interdixit. Nihil enim homini charius est seipso & propria voluntate. Sanè quicunque in hac vnione ritè positus est, ille tam parum scit de seipso, quàm de Soldano trans mare degente. Sese nanque & alia omnia ex toto exijt secundùm omnem modum, & ita totus intrauit, & ad æqualitatem quandam pertigit: non quo æqualis sit Deo, sed ad illius vnionem intrauit, vnumque cum illo effectus, æqualitatis omnis oblitus est. Vnum nanque non æquale est, sed vnum. Ideoque eiusmodi homo vnum est, & intus est tam purè, expeditè atque nudè vnitus, vt in illa vnitate non appareat nisi vnum: non quo esse suum naturale perdat in Deo, sed actiuè, experimentaliter ac fruitiuè non nouit se tanquam se, sed solum ibi scit Deum. Inde est quod Propheta di[illegible]t: *Inflammatum est cor meum, & ren[illegible]s mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Cęterùm huius defectus & annihilationis nullam vnquam imaginem habere potest. Nam & ipse supra omnes tam suijpsius quàm rerum omnium imagines translatus est, atque raptus in illam imaginem increatam, vbi non est nisi purissima quędam essentia, omnis imaginis expers. Nihil etiam scit, nihilq́ operatur. Sed Deus ipse scit & operatur in illo, & per illum absque omni impedimento, pro sua gratissima voluntate, plus quàm vel ipse, vel

Quomodo charitatis officia impendenda.

Matth. 11.

Psalm. 72.


vel vllæ creaturæ sciant. Verùm quia ista abdita sunt, & proh dolor ab hominum experientia nimium remota, satius est, quæcunque de his adhuc dici possent, silentio præterire. Huc Dominus respiciebat, cùm rogaret Patrem suum, vt omnes credentes in se, vnum fierent, quemadmodum ipse & Pater vnum sunt, & essent consummati in vnum. Quod felicissimum vnum ac beatissimam vnitatem præstet nobis ille, qui hodierna die gloriosus resurgens à mortuis, beatæ nobis immortalitatis aditum, deuicta morte, reserauit, qui est benedictus in secula. Amen. Ioan. 17.

IN FERIIS PASCHALIBVS.

De vnione & introitu increati Spiritus Dei in creatum spiritum nostrum. Et vti spiritus separetur ab anima, vt id quod corporale siue animale est, inferius permaneat.

SERMO IV.

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum nomine Emaus. LVCÆ XXIV.



HIC nobis, dilectissimi, considerandum venit, quidnam iuxta sensum spiritalem & mysticum hoc præsens castellum significet, atque designet. Licet enim eiusmodi hinc sensum elicere, qui nos etiam vlterius atque sublimius deducere possit ad agnoscendum, pro humanæ imbecillitatis capacitate & viribus, occultum illum & amabilem ingressum increati Spiritûs Dei in creatum spiritum nostrum: & specialiter ad distinctè contuendum explorandumqúe, quænam ex tribus illis hominis partibus, corpore videlicet, anima & spiritu, verum accessum & ingressum habeat in Deum, & ad Deum omnium authorem. Neque enim hac vice aliud aliquid ex præsenti Euangelio profundè examinare atque tractare statui: sed iam dicti duntaxat castelli explanationi inhærere, quantum possum, ad vestrûm omnium notitiam deducendo, quid per illud iuxta sensum spiritalem significetur. Ad illud nanque Lucas Euangelista, sicut ex themate potestis aduertere, duos *ex discipulis Iesu* post illius Resurrectionem properâsse commemorat, vocabulum autem *Emaus* habuisse. Itaque *Emaus*, desiderium consilij in nostro idiomate sonat. Volenti proinde sacrarum literarum & ipsius Saluatoris consilia sequi, huic in primis & ante omnia necessarium est, Dominicis obtemperare mandatis. Hoc verò illis, qui inter chariores Dei filios cupiunt annumerari, & ad perfectionem adspirant, minimè debebit sufficere: sed insuper & consilia Euangelica sequi, eaqúe tota intentione obseruare curabunt. Etenim ex Instrumento veteri præcepta habemus: ex nouo autem non præcepta tantùm, sed etiam consilia Saluatoris. Et præcepta quidem omnia nobis illicita interdicunt, & pertinent ad infirmos & imperfectos. Consilia verò pro perfectis sunt & charioribus filijs Dei, qui contendunt intrare *per arctam viam, quæ ducit ad vitam*, quam alioqui pauci apprehendunt. Sicut enim corporaliter infirmis multa propter ipsorum ægritudinem admittuntur, ita & illis qui sola præcepta sectantur, multa licita sunt atque concessa, quæ secretioribus atque singularibus Dei amicis haudquaquam licita sunt. Proinde quisquis optima rectissimaqúe cupit ambulare via, in qua minimum fallatur, decipiaturque: ille pergat in *Emaus*, vt videlicet iuxta Dei consilia, vitam suam appetat instituere: verbi gratia, sectando Christi paupertatem, in castitate, in obedientia, hoc est, in vera resignatione

Castellum.

Emaus quid sonet.

Præcepta Consilia.

Ire in Emaus, quid.

viuendo, aliaqúe virtutum arripiendo exercitia, ad quæ Christus ipse suo nos exemplo inuitat, & dirigit verbo. Hoc pacto quisquis viuit, secundum consilia viuit, & in Christo viuit, & Christus in illo. Eidemqúe multo semper vicinior est Christus, quàm sit ipse sibi. Christi verò diuinitas in illius humanitate abscondita est, quę nimirum humanitas via quędam est ad diuinitatem ipsius pertingendi, sicut ipse de se testatur, dicens: *Ego sum via.* Et reuera nisi intus in Christo aliquid esset latentis & abditi boni, ad quod nos ingredi hortatur, nequaquam alio de se loco ipse idem diceret: *Ego sum ostium.* Vbi nanque ostium est, aliquid intus sit oportet. Et *per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur* in diuinitatem, *& egredietur* in humanitatē meam, *& pascua inueniet.* Est igitur ipse ostium sensibus per corporis subiectum sicut Apostolus Ioannes ait: *Manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Et ipse Dominus: *Videte,* inquit, *manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum.* Est etiam ostium intellectui per seipsum: nec quisquam in ipsum peruenire valet, nisi per fidem introducatur, quemadmodum Esaias ait: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Est denique & voluntati ostium penitus reseratum per amorem. Voluntas nanque amorem introducit, nec quicquam medij esse patitur inter illum & dilectum, siue eum quem diligit: cunctaqúe amor penetrat vi sua, donec ad eum, quem amat, feliciter pertingat. Quicunq; ergo per Christum ad secreta Dei contemplanda per fidem & charitatem introierit, aut ad illius humilimæ humanitatis vestigia sectanda exierit, vtrobique *pascua inueniet* æternæ viriditatis, pulchritudinis, felicitatis. Porrò quòd ex pascuis humanitatis illius procedendum sit, ingrediendumqúe ad pascua diuinitatis, Hugo manifesta ratione commonstrat, dicens: Ideò Christus carnem à se assumptam nobis proposuit in cibum, quo nos ad diuinitatis gustum alliciat atque perducat. In his pascuis sponsa amore ebria oblectatam se fuisse insinuare videtur, cùm ait in Canticis: *Comedi fauum meum cum melle meo.* Quæ verba Origenes exponens: Fauus, inquit, ex cera conficitur, diuersas habens domos & cellulas, in quas apes mella comportant. Ita & amans anima dulcem gustat diuinitatem in cera virgineæ puritatis. Et Augustinus: O magna, inquit, stupenda & amabilis familiaritas, ô familiaritas nullum habens tædium vel amaritudinem noxiarum cogitationum tentationumqúe. Hoc est planè gaudium, de quo scriptum legimus: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui,* nimirum singuli pro meritis suis. *In domo nanque Patris mei,* vt ipse Saluator ait, *mansiones multæ sunt.* Quælibet tamen anima tanto gaudio & exultatione perfundetur, vt ex sententia cum Propheta dicere possit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* quasi dicat, nulli tam præsentem esse sponsum, vt sibi. Nunc deinceps aduertendum nobis est, dilectissimi, tribus hominem partibus constare, corpore videlicet, anima & spiritu. Secundùm corpus viuit bestialiter, secundùm animam spiritaliter, secundùm spiritum deiformiter. Anima quidem in medio constituta est: quæ si ad carnem sese conuertit, carnalis efficitur, nec potest ibi spiritus permanere, sicut scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est,* id est, carnalis. Si verò ad spiritum sese transferat, spiritalis efficitur. Ergo si carnalis est anima, nec omnem in hoc expendit operam, vt spiritalis fieri queat, sed in sua bestialitate torpescit, maiora quidem peccata vtcunque deuitans, sed tamen adhuc secundùm desideria sensualitatis suæ absque studio resistendi, proficiendiqúe conatu, in seculi oblectationibus viuens, satis vti-

que

Ioan. 14. Ioan. 10. Ibidem. 1. Ioan. 1. Lucæ 24. Esaiæ 7. Hugo. Cant. 5. Origenes. Augustinus. Matth. 25. Ioan. 14. Esaiæ 24. Tribus hominem constare. Gen. 6.

que periculosam agit vitam, vtpote tepidam & negligentem, de qua in Apocalypsi legitur: *Vtinam calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo* Sanè dilectissimi, sicut ea, quæ per vomitum semel reiecta sunt, ægrè & cum totius horrore naturæ palato offeruntur: ita & Deus non facilè eos in gratiam recipit, qui à prima atque feruenti dilectione sua ad teporem defecerunt. Sed vt manifestius innotescat, quodnam ex his tribus, corpore videlicet, anima & spiritu, verum habeat ingressum ad Deum, vel in Deum: sciendum est, quòd secundùm inferiorem animæ partem, per quam illa vitam corpori administrat, nec se extra corpus extendit, ingredi non valemus, sed spiritus est, per quem nobis ingredi licet, quemadmodum Apostolus ait: *Nostra autem conuersatio in cælis est*, non vtique secundùm corpus, neque secundùm animam, quatenus ea corpori vitam subministrat, sed secundùm spiritum. *Spiritus enim est Deus: & ideo qui adorant eum in spiritu*, hoc est, in intimis suis, in veritate, & in agnitione adorant. Quod cùm propriè ad spiritum pertineat, non patet nobis accessus siue introitus in Deum, nisi per spiritum, secundùm quem, vt Augustinus ait, Deo simillimi sumus, & iuxta hunc ad illius imaginem & similitudinem conditi, & ipsius capaces effecti sumus. Certè quotidiana experientia discimus, quòd ex carnali affectu & sensualitate quidam adeò sibi inuicem amore & animo copulantur, vt non solùm in eadem domo pacificè degant, verum etiam tanto sibi inuicem amoris iungantur fœdere, vniianturque, vt quicquid vni euenerit, siue prosperum sit, siue aduersum, haud secus alter sentiat in corde suo, quàm si ipsi euenisset. Et quamuis distincta sit vtriusque vita, adeò tamen sibi mutuò non solùm animo, sed etiam sensu & intellectu absque omni vera felicitate vniuntur, ac si vnus vterque foret homo, nec quicquam distinctum haberent. Idqúe potissimum inter illos vsuuenire solet, qui cor habent imperturbatum & apertum, qui vnius sunt voti, eiusdemqúe voluntatis, quorum eadem studia, eadem conditio, eadem exercitia sunt. Nam qui propriæ voluntati & suis priuatis commodis dediti sunt, ad hanc intellectualem vnionem minimè pertingunt, dum alijs præcludunt ostium, adeoqúe sua propria voluntate ac proprietate obfirmant obserantque, vt nulli per rationem siue intellectum pateat accessus ad eos: & ideò paucis chari sunt, eò quòd secundùm D. Thomæ sententiam, nullum secum vniri patiantur: eaque causa est, quòd non liceat eos accedere, eisdemque per amorem fœderari. Cæterùm si tanta potest esse vnio carnalis, quanto maior ea vnio erit, qua Deo spiritaliter vnimur, dum spiritus increatus nostrum creatum spiritum subintrat, eidemque copulatur? Est enim ille multo nobis interior, longeque maiorem ad ipsum similitudinem habemus, quàm vllus homo ad alium quemuis, siue secundùm carnem, siue secundùm intellectum habeat aut habere possit. Vnde & sanctum nobis Spiritum suum dedit, quo ille spiritum nostrum secum & post se trahat, beatissimaque vnione coniungat. Hoc autem si fieri debeat, prius mira quædam in anima & corpore fieri habent. Dehinc aliud quiddam mirabile contingat oportet circa spiritum nostrum & Dei Spiritum. Sicut enim Apostolus ait: *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*. Quid, obsecro, tam mirum inuenit in rebus creatis, quàm hoc quod in seipso essentialiter vnum indiuisum, inseparabile est, adhuc certo quodam modo diuiditur ac separatur?

Apoc. 3.
Philip. 3.
Ioan. 4.
Hebr. 4.

Hoc autem animæ contingit, quæ cùm vna quædam in seipsa essentia sit, simplexque natura, à spiritu diuiditur ac separatur. Etenim secundùm vires inferiores, vbi vitam corpori subministrat, hoc ipsum animæ vocabulum habet: sed secundùm vires superiores, per quas Deo adhęret, Deumque contemplatur, spiritus dicitur. In hac diuisione animæ & spiritus, anima ipsa & quicquid corporeum est, inferius manet: spiritus autem, & quicquid spiritale est, sursum tendit, atque abstractum siue diuisum ab anima, Deo copulatur coniungiturque, sicut Apostolus ait: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Mira prorsus diuisio, vbi quicquid corporeum & rude est, inferius manet: quicquid verò subtile est & spiritale, ad diuinæ gloriæ contemplationem subleuatur, atque secundùm Apostoli sententiam, in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Tum verò quando hoc pacto superior pars ad Dei gloriam & gaudia contemplanda rapitur, subuehiturque, magna pace & quiete pars inferior potitur. Hinc ergo aduertere licet, quòd quanto spiritus à rebus caducis ac temporalibus, & ab ipsa quoque anima iuxta hunc modum disiungitur, tanto facilius perfectiusque ingrediatur in Deum. Sic planè ingressus erat summus ille Euangelista Ioannes, die illa Dominica, de qua ipse scribit: *Fui in spiritu in Dominica die.* quod Richardus exponens, ait ipsum cum spiritu suo fuisse in Spiritu Dei. Quod tunc fit, quando eiusmodi homines ita ex toto rerum exteriorum, quæ ad corpus pertinent, & per corpus fiunt, obliuiscuntur, ac si eas penitus ignorarent, eaque duntaxat semper eis præsentia sunt, quæ ad spiritum spectant, ea videlicet, quæ per memoriam & intellectum ex amore exercentur in Deo. Vel certè tunc spiritus dicitur esse in spiritu, quando seipsum homo intus, quantum fieri potest, totum collegit atque coëgit in vnum, omnium, quę forinsecus accidunt, toto studio nitens obliuisci. Itaque spiritus D. Ioannis Apostoli in Spiritu Dei fuit, non quòd corpus ipsum cum omnibus viribus reliquerat, sed mens eius Deo affixa erat, & æternitatis spiritui inhęrebat, qui ipsius spiritui reuelabat, indicabat, ac demonstrabat mira atque stupenda. Ad hunc introitum etiam D. Petrus pertigerat, quando à vinculis fuit absolutus. Ea nanque amoris natura est, quòd spiritu, quem perfectè sibi vendicat, sese relinquere, atque in dilecti præsentia contemnere facit: fitque tunc miro modo, vt per amoris tractum in eum spiritus subleuetur, qui supra ipsum est, & vi atque potentia eiusdem amoris, à seipso & extra seipsum exire, & in Deum ingredi, suiipsius obliuisci, & Dei solius reminisci cogatur impellaturque. Ad hunc denique ingressum & regina Saba pertigerat, quando videns & audiens sapientiam Salomonis, *non habuit vltra spiritum.* Tunc enim spiritus sese non habet, quando incipit à seipso deficere, & ab esse suo supra humanam conditionem abscedere: ac mira quadam transformatione spiritus prope annihilari videtur eo tempore, quando adhærens Deo, vnius cum eo fit spiritus, non iam suus existens, sed Dei. Atqui si fides aliqua D. Dionysio adhibenda est, melius nobis est, vt simus Dei quàm nostri ipsorum. Inde est quod Propheta ait: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Nimirum quisquis hoc pacto cum Spiritu Dei reuera vnitus est, ille nouit quid sentiat, quid intus experiatur: quem tamen plerunque alij, qui necdum ad interiora sua pertigerunt, reprehendere non verentur de modo vitæ suæ, volentes vt aliquid agat: & certè nouit & ipse se nihil externi operis facere, quippe qui simplicissimæ veritatis contemplationi iugiter inhæret, sese-

que

Anima à spiritu qui diuidatur.

1. Cor. 6.

2. Cor. 3.

Apoc 1.
In spiritu esse, quid.

3. Reg. 10.
Quando spiritus sese non habeat.

Psal. 118.

que à multiplicibus sensuum circunstantijs inuenit absolutum expeditumque. Hîc quærere libet, quid de illis sentiendum sit, quibus cùm ingrediendi clauis tradita sit atque commissa, non solùm ipsi non intrant, sed etiam alios prohibent ingredi volentes. Hîc occurrunt Pharisæus, Iudas, & Martha, quorum nullus Magdalenam agnouit. Si enim cognouissent, non reprehendissent vtique, non ad exteriora se transferre compulissent, non demum quantum poterant, ab introitu impedissent. Itaque non Magdalenam tantùm, sed nec studia illius nouerant, quippe qui necdum ad eum perfectionis attigerant gradum, in quo illa iam posita erat. Quantumcunque autem illi accusarent, reprehenderent, calumniarentur, non se Magdalena excusabat, sed partes suas Domino committens, eundem in omnibus meruit habere patronum. Cæterùm pedes spiritus, quibus ille intus per viam æternitatis incedit, sunt intellectus & affectus, secundùm Vercellensem. Semper itaque Deum affectu siue desiderio inquirere, intellectu siue cognitione inuenire, & gustu interno contingere, hoc est ad Deum accessisse, peruenisseque. Hoc autem diligentissimè curandum est, vt ipsi affectus, qui spiritus pedes sunt, ab omni sudore & immunditia pulueris transitoriæ voluptatis ac terrenæ dilectionis loti sint, ac mundi seruentur. Sicut enim pedes, vbi terram tetigerint, sordidantur: ita & affectus inordinati spiritum corrumpunt, contaminantque. Hinc est quòd ipse Dominus ait: *Qui lotus est, non indiget nisi tantùm vt pedes lauet,* hoc est, qui absque peccato mortali viuit, non opus habet lauare caput suum. Caput enim spiritus siue mentis, est intelligentia, quæ in Sanctis perfectisque hominibus Deo est applicata. Nec etiam manus illi lauandæ sunt. Opera nanque illius munda sunt per capitis, id est, mentis munditiam, quæ ritè in Deo ordinata est atque stabilita. Vix autem possibile est, vt pedes, id est, exterior animæ portio, saltem venialibus peccatis, vt verbi gratia, inordinata sensualitate, non maculetur, ob continuam conuersationem in terra, ex qua amor quasi maculas quasdam contrahit, quod tamen perfectis rarius accidere solet. Vnde *qui lotus est* à sorde mortalium peccatorum, *non indiget nisi tantùm vt pedes* temporalium affectuum siue desideriorum *lauet.* Hoc se Sponsa in Canticis fecisse gloriatur, cùm ait: *Laui pedes meos,* id est, cogitationes meas, quibus terram contingere solebam, & per quas modò in cælis habito: *quomodo iterum inquinabo illos,* rebus temporalibus atque caducis, immiscendo eos vmbris imaginum corporalium, quæ in hoc superintellectuali exercitio reputantur maculæ & offendicula? Multa enim sunt & diuersa in itinere vnitatis impedimenta, per quæ pedes spiritus ex contactu inferiorum præpediuntur. Vnde non tantùm eos à maculis emundari, atque lauari, sed etiam sub celeritate cuncta inferiora seriò transcendere ac pertransire oportet. Denique & magnus ille Dionysius ait, pedes in Scripturis vim affectiuam designare, & acutam aciem penetrantis affectionis siue desiderij, semper sursum ad diuina adspirantis. Vnde & Propheta: *Perfecit,* inquit, *pedes meos tanquam ceruorum.* Ceruus enim, vt ait Gregorius, cùm montium iuga conscendit, quæcunque se aspera obijciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque vllo cursus sui obstaculo in superioribus eleuatur. Ita etiam electorum mentes, quæcunque sibi in hoc mundo obsistere atque obuiare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se euehunt. Hinc rursum dicit: *Et in Deo meo transgrediar murum.* Murus quippe est omne quod itineri

Spiritus pedes, qui.

Affectus quàm oporteat esse mundos.

Ioan. 13.

Caput spiritus, quid.

Cant. 5.

Pedes quid.

Psal. 17.

Murus.

neri nostro obijcitur, ne ad eum, qui diligitur, transeatur. Inde & in Canticis Sponsa loquitur: *Similis esto caprea hinnuloque ceruorum.* Solet enim & hinnulus, ad matris vbera festinans, rupes obuias transilire. Haud secus & pedes nostri tota virtute cuncta debent penetrare impedimenta. Sed quæ lingua explicare sufficiat, quàm mira videat is, qui Deum contemplatur? Qui profectò viribus inferioribus restitutus, stupenda posset enarrare, nisi interdum tanta, tamque sublimia forent ea, quæ percipit dona, vt non solùm ea non eloqui, sed nec sibijpsi possit explicare. Quæ tamen si capere non sufficit, sit alter Moses, descendat de monte, certa quædam signa secum adferat, & anima simul ac corpore testetur, se è regno lucis aduenire. Cæterùm, vt Hugo ait, dum ex interioribus arcanis reuertimur, nihil melius nobiscum adducere valemus, quàm lucem è regno lucis, ad depellendas tenebras. Et hinc vtcunque scire licet, si in diuino lumine fuerimus, si inde luminosi redeamus. Tum verò primum habemus Domini timorem, & Filij sapientiam in distinctione veritatis. Qui si etiam Spiritus sancti benignitatem consecuti sumus, ignem amoris habemus: & tunc quantum possumus, torpentes quosque ad Dei timorem excitamus, & per sapientiam lucemus in tenebris, atque per benignitatem & intimum amorem, frigidum mœstumque torporem superamus. Et ita *alter alterius onera portantes, legem Christi implemus.* Præstet nobis omnipotens Dominus Deus noster, vt & grauiora onera ipsi portemus, & proximis in portando auxilio simus, quisque pro gratia sibi collata à Deo, qui est benedictus in secula. Amen.

Cant. 2. & 8.

Exod. 34.


Galat. 6.

IN FERIIS PASCHALIBVS.

De quinque gradibus diuini amoris, amore videlicet semper mobili, perseuerante, acuto, & superferuido.

SERMO V.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu? LVCÆ XXIV.



VDIVISTIS hodie, dilectissimi, vt Dominus ac Redemptor noster, posteaquam omni mortalitate deuicta, gloriosus resurrexit à mortuis, duobus discipulis suis, quorum alter Cleophas, alter, secundùm quosdam, idem hic S. Lucas, huius conscriptor Euangelij fuit, in forma peregrini apparuit in via, seriò loquentibus de ipso ex vehementi amore ac deuotione, quam erga eum habebant, licet interim oculi eorum tenerentur, ne eum agnoscerent. Quod exponens S. Gregorius Hoc ergo, inquit, egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant. Eis autem Dominus & foris præsens aderat, & quis esset, non ostendebat De se loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit. Verba quidem contulit, duritiam intellectus increpauit: Scripturæ sacræ mysteria, quæ de seipso erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longius finxit. Quanquam autem fides eorum dubitatione permixta erat, dum tamen ex amore de ipso loquerentur, corda ipsorum maiori dilectione fuêre succensa. De hac dilectione vt aliquid loquamur, sciendum est, secundùm Dionysium, quinque

S. Gregorius.

Quinque dilectio.

que

que eam habere gradus. Primò itaque est amor semper mobilis siue operans. ois gradus.
Hic minus habet de Deo, quàm cæteri gradus. Per hunc enim primò anima ad 1.
Deum sese conuertit, eundemque varijs adhuc operationibus & occupationibus intenta atque solicita, amare incipit. Hic amor semper studiosè ac seriò quibuscunque potest virtutum exercitijs & bonis operibus incumbit, ne fortasse deficiat & tepescat in via: semperque dilectum suum inquirit sequiturque, dicens cum Sponsa: *In lectulo meo per noctes, quæsiui, quem diligit anima mea.* Verùm quia amor iste, semper mobilis siue operans, breuior angustiorque est, quàm vt eius lectulus (lectulus, inquam, operationis) dilectum capere possit: hinc est, quòd eundem pro voto suo nec habere, nec inuenire potest, quemadmodum & Sponsa secuta queritur: *Quæsiui*, inquiens, *eum, & non inueni.* Nec tamen cessat anima hoc amore succensa, quin semper dilectione solicita, eundem dilectum suum quærere simul ac inuenire vehementer exoptet, instar Zachæi illius Euangelici, qui vt Dominum, quod ardenter cupiebat, videre posset, *in arborem*, conscendit *sycomorum.* Et nisi me fallunt omnia, non absurdè per hunc Zachæum, statura pusillum, quilibet Dei amator accipi potest, dum primò ad veritatem diuini amoris conuertitur. Sicut enim ille Publicanorum princeps fuit, ita & hic Publicanum se & grauissimum peccatorem esse cognoscit: nec erubescit manifestare seipsum in confessione vt peccatorem, sicut in Apostolo videre manifestum est, vt ille publicè confitetur, dum ait: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Tales peccatores, gratia fiunt locupletes, sicut & Zachæus diues fuit: quia *vbi superabundauit peccatum, superabundat & gratia.* Non est ergo cur aliquis desperare debeat ob peccata sua, quamlibet multa & grauia, sed hoc potius curet, vt cum Zachæo in primo dilectionis gradu, hoc est, amore operante siue semper mobili, sese exerceat. Sicut enim Augustinus ait, Deus amatoribus suis non modò, peccata relaxat, sed magna etiam dona largitur. Hoc amore succensi erant duo illi discipuli, de quibus prædiximus, dum euntes ac redeuntes, amorem cordis sui ore testabantur ac inuicem aperiebant. Porrò licet bonus quisque ac Deum amans, quandiu superest, verissimè in Ægypto viuat, in magno videlicet labore, timore, curis ac solicitudine, fit tamen interdum, vt ex hoc primo amoris gradu magna quædam & incomparabilis exultatio oriatur, omnem dolorem atque mœrorem, qui de defectibus natus erat, ab animo repellens per internas de vita beata cogitationes. Et nonnunquam, breui licet tempore, tanta amicis suis Deus præstare solet dona & consolationes, vt eo quidem tempore ex sententia dicere possint cum Sara Abrahæ vxore: *Risum fecit mihi Deus: quicunque audierit, corridebit mihi.* Sed vbi serenior illa hora transierit, cum Propheta dicunt: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Ita affectus erat patientiæ exemplar S. Iob, cùm ait: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me: quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris: quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?* Quid enim aliud hic lucerna designat, quàm gratiam Dei? quæ tunc lucet super caput hominis iusti, quando gratia Dei mentem illius intus illuminat: qui idem quando per gratiam præuenientem gradum amoris operantis transcendit, ad lumen eius in tenebris ambulat. Pedes verò, affectus sunt hominis amantis. Sicut enim pedes quolibet deferunt hominem exteriorem, ita & affectus interiorem hominem.

Marginalia: Cant. 3. — Ibidem. — Luca 19. Zachæus mysticè quid. — 1. Tim. 1. — Rom. 5. — Gen. 21. — Psal. 119. — Iob 29. — Lucerna. — Pedes.

Riui olei. nem portant. Riui autem olei, dulces lachrymæ sunt, quibus immorari iucun-
II. dum est atque suaue. Secundus gradus amoris, est amor perseuerans. Hic in pro-
speris & aduersis ad finem vsque, etiam in interna obscuritate positus, perseue-
Ioan. 20. rat: nec à cœptis desistit, donec mors illius conatus abscindat. Hoc amore Mag-
dalena incaluerat, quando cunctis etiam discipulis abeuntibus, ipsa sola apud
sepulchrum remansit. Ideoqúe illi ante omnes nouæ gratiæ resurrectio inno-
Matth. 10. tuit. *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hoc nobis in veteri Testa-
Leuit. 3. Genes. 37. mento innuitur, vbi simul cum cauda pecora immolari debere præcipiuntur,
quæ scilicet cauda perseuerantiam designat. Et Ioseph tunicam talarem habuis-
se legitur, quæ idem significat, puta vt perseueremus vsque in finem, in obscu-
Cant. 5. ris licet amoris exercitijs. Hoc & Sponsa dicere videtur, cùm ait: *Anima mea li-
quefacta est, vt dilectus locutus est. Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit
mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserunt me, & vulnerauerunt
me. tulerunt pallium meum* (hoc est, perseuerantiam) *custodes murorum.* Inde ta-
Ibidem. men seipsam excitat, dicens: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum,
III. vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Tertius amoris gradus, est amor feruidus siue
Iob 37. calidus. De hoc S. Iob ait: *Nonne vestimenta tua calida sunt,* id est, intellectus si-
mul & affectus siue voluntas accenduntur & excitantur, *cùm perflata fuerit terra
austro,* id est, cor humanum diuina gratia inflammatur. Si enim anima feruidè
ac seriò ad dilectum suum non tetenderit, foris remanet, obscura, tepidaqúe, &
à veris amatoribus remota. De hoc etiam amore Augustinus ait: O amor, qui
semper ardes, & nunquam extingueris, quàm serò te amaui? intus eras, & foris
te quærebam. Mecum eras, & tecum non eram. Hic amor rubus ille est, quem
Exod. 3. Moses vidit amoris ardore succensum, & tamē minimè combustum. Licèt enim
amantem cruciet amor, consolatur tamen eum & placidum facit. Huius deni-
que amoris feruore succensi erant duo iam dicti discipuli, Lucas, (vt quidam
Lucæ 24. volunt) & Cleophas, quando dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de
Iesu, dum loqueretur nobis in via?* Habebant & secundum amoris gradum, quan-
do certa fide ad Hierusalem redibant. Habebant demum & primum gradum,
quando ex compassione Christo operantem amorem exhibebant, non solùm
VI. inuitando, sed etiam cogendo eum ad hospitium. Quartus amoris gradus, est
Gen. 32. acutus amor, quo Iacob Patriarcha incaluerat, cùm ait: *Vidi Dominum facie ad fa-
ciem, & salua facta est anima mea. Vidi,* hoc est, ad amoris agnitionem pertigi, & in
corporali ipsius agnitionis intelligentia hoc ex ipso didici siue intellexi, agni-
tum me esse ab illo. Ad hanc cognitionem suspirans Augustinus: Da, inquit,
mihi Domine Deus meus, vt cognoscam te & me. Sic & isti discipuli post multa
salutaria colloquia & dicta Saluatoris, ipsum tandem in panis fractione co-
gnouerunt. Ipse nanque amor acutus cuncta penetrat, ita vt clarè cognoscatur,
& amans anima à multis difficultatibus ac molestijs releuetur, quemadmodum
Augustinus. in Confessionum libris Augustinus ait: Cùm inhæsero tibi ex omni me, nun-
quam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Et quis det
mihi vt venias in cor meum, & me amore tuo inebries, vt obliuiscar omnium
dolorum meorum? Itaque amoris feruor siue æstus, nihil aliud est quàm im-
pulsus quidam, ex vehementi ac ardentissimo amore nascens. Non enim cessat
amor donec amantem coniungat & vniat cum dilecto: sicut ex Canticis collige-
Cant. 3. re licet, vbi Sponsa ait: *Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum
matris*

matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Quod tunc fit, quando amor acutus inti[illegible]ma contingere & assequi potest. Plus enim amare anima, quàm intelligere, valet: & amor facilè ingreditur, vbi intellectum foris remanere oportet, nec aliquid nouit apprehendere. Quintus amoris gradus, est amor superferuidus. De hoc dicit Hugo: Nescit quoniam id quod superferuet, quadam caloris & incendij sui violentia iactatur extra se, totaliterquè supra se, & facit motionem magnam inuisibili æstuatione. Quod enim prius acutum fuerat in dilectione, obsistentia cuncta penetrans, iam superferuidum fit & ebullit, in semetipso stare non valens, quia etiam sese contemnendo relinquit. Hic enim amor nec se capit, & modum nescit: qui alio nomine etiam violentus appellatur, ea ratione, quòd amoris huius aculeus mentem hominis medullitus penetrat, & affectum flammigeris anhelationibus transuerberat, adeò quòd æstum desiderij cohibere non præualens, impetu vigorosissimo sedulè superferueat, & humanæ naturæ violentiam non modicam inferat, quia sic amantem, in amatum importunitate sua transformare nititur. Ita in libro Iob Heliu dixisse legitur: *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit.* Hoc amore sponsa æstuabat, cùm diceret. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Sicut enim aurum, argentum, aut aliud quoduis metallum liquefactum, si fundatur in formam, illius imaginem induit: ita & anima amore liquefacta, eius sumit speciem, in quem resoluitur siue liquatur, sicut Apostolus ait: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Deus enim noster ignis consumens est.* Porrò cùm anima illius amore liquefit, & in ipso solo quiescit, adeò illi per amorem vnitur ac perlustratur, clarificaturquè, vt vnum cum illo fiat in dilectione, iamque securè dicere possit: Omnia mihi cum illo communia sunt. Nihil enim proprium habemus: sed vna nobis domus, vna hæreditas, eadem mensa, sedes vna, & lectulus vnus. Cumquè illi siue infirmitas accidit, siue defectus aliquis, aut aliud quodcunque medium occurrit inter ipsos, fit languida, & exclamat: *Annuntiate dilecto, quia amore langueo.* Non enim potest ab illo separari. Recedit autem dilectus ob amorem priuatum, à quo illa nonnunquam vincitur, & tunc cruciatur anima, languet & premitur, licet amor in seipso nec langueat, nec patiatur aliquid. Quando verò amor adest, amoris exercitijs anima continuè insudat. Vbi fortis est amor, vehementissimè desiderare facit id quod amatur, quando illud absens est. Hoc amore sanctus ille Propheta Daniel languebat, qui *vir desideriorum* dicitur, & præ amore ac desiderio ægrotabat, siue, vt dixi, languebat. Hoc denique amore & sæpe dicti discipuli adeò flagrabant, vt quiescere non possent, donec exploratam haberent, simulquè alijs annuntiarent Dominicam resurrectionem, imò & ipsi Domino felicissimè vnirentur. Quod & nobis præstare dignetur idem ipse Christus Iesus Dominus noster, in secula benedictus. Amen.

Amorem plus intellectu posse.
V.
Iob 32.
Cant. 5.
Rom. 8.
Hebr. 12.
Cant. 2.
Dan. 9.


De Feria quarta Paschalis hebdomadæ infra sermonem quendam offendes, Dominica quinta post Trinitatis, hoc initio, *Ascendens Iesus in vnam nauim* &c. qui & hic legi potest, nec ab hac solennitate discordat.

IN EISDEM FERIIS PASCHALIBVS.

Vt Deum amare debeamus, vt Christus summi boni, summa veritatis ac supremæ perfectionis magister sit, ideoque à nobis amandus, contemplandus, atque imitandus.

SERMO VI.

Conuersa illa, dixit: Rabboni. IOAN. XX.



VM Dominus noster Iesus Christus surrexisset à mortuis, summo hunc videndi desiderio Maria Magdalena tenebatur. Apparuit igitur illi Dominus sub specie hortulani cuiusdam, sed ipsa eum minimè agnouit. Posteaquam verò suo eam nomine compellâsset, dicens, *Maria* agnitus est ab ea, & *conuersa illa dixit: Rabboni, quod est interpretatum, Magister.* Notandum hîc venit, dilectissimi, quòd Mariæ huic, quandiu sepulchro adstitit, & Angelos respexit, Dominus sese occultauit, stans post tergum illius. Deus enim omnipotens & gloriosus illis sese abscondere solet, qui inordinatius circa creaturas occupantur, & pro rerum temporalium atque creaturarum amissione, dolore immodico afficiuntur. Quotquot verò à creaturis se auertunt, vt Deum Creatorem possint inuenire, his ille semetipsum palam exhibet ac manifestat. Quando igitur Maria ad sepulchrum Domini sese conuertit, audiuit illum dicentem: *Maria* quæ dictio & stellam maris, ac mundi Dominam, & à Spiritu sancto illustratam, significat. Quisquis enim Deum videre desiderat, stella ab infimis eleuata sit oportet, omnia terrena ac temporalia fugiat, & illuminatus sit ad quæque cælestia contemplanda. Maria autem cùm sui nominis vocabulum audisset, statim ex ipsa compellatione Dominum agnoscens: *Rabboni,* inquit, *quod est, magister.* Hoc enim vocabulo sui eum discipuli, & ipsa quoque Magdalena compellare solebant adhuc in terris positum, sicut ipsemet testatur, dicens: *Vos vocatis me magister & Domine: & bene dicitis. Sum etenim.* Reuera namque summi ipse boni magister est, & ideò supra omnia est incomparabiliter diligendus. Summæ quoque veritatis magister est, ideoque contemplandus est. Supremæ denique perfectionis magister est, & ideò sine vllo post tergum respectu deuotissimè nobis omnibus venit imitandus. Dixi primò, summi boni ipsum esse magistrum, & ideò supra omnia diligendum. Sed dicet fortasse aliquis: Deus immensus est, & summum atque infinitum bonum: anima verò, sicut & cæteræ creaturæ omnes, certos terminos habet, quomodo ergo Deum suum nôsse & amare valebit? Attendite quæso. Est planè Deus immensus & infinitus, sed & animæ desiderium quædam abyssus est, quod impleri non potest nisi bono immenso. Vnde quò magis anima Deum desiderat, eò magis hunc desiderare potest: & quò magis eum diligit, eò amplius & diligere valet. Deus enim bonum quoddam est absque vllo defectu, & fons vitæ est absque fundo: anima verò ad illius imaginem & similitudinem facta est, ad hoc tantum condita, vt ipsum amet atque cognoscat. Cùm autem, sicut prædixi, Christus summi boni magister sit, ipsum anima super omnia meritò amare debebit. Ipse namque amor est, & ex ipso manat amor in nos tanquam ex fonte vitæ. Fons autem vitæ, charitas est: & *qui non diligit, in morte est,* vt inquit sanctus Ioannes in epistola quadam sua. Itaque cùm Christus fons sit & magister summi boni, amare ipsum debet anima absque omni contradictione. Est enim hoc

Maria quid.

Ioan. 13.

Anima cur creata.

Fons vitæ quid.

1. Ioan. 3.

animæ

animæ proprium, vt eum diligat, qui Deus est. Amabit ergo anima Deum, hoc est, summum bonum absque modo, absque socio, & absque silentio. Primò absque modo amabit. Hæc Bernardi sententia est, sic dicentis: Causa diligendi Deum, Deus est: Modus sine modo diligere. Est enim Deus immensum bonum, cuius bonitatis non est mensura neque numerus: ideoque sine modo diligendus est ab anima rationali. Hinc Paulus ait: *Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Bernardus: In amando, inquit, Deum, nulla alia nobis ratio neque discretio seruanda est, quàm vt diligamus eum, sicuti ipse dilexit nos. *Ipse nos in finem vsque dilexit*, vt & nos eum diligamus vsque in finem, hoc est, vt quandiu in hac mortali vita positi sumus, semper intus nostrum crescat desiderium. Verùm licet internum amoris nostri erga Deum opus quotidiana debeat accipere incrementa, externa tamen dilectionis opera & exercitia per veram discretionem ita moderanda sunt, vt naturam non destruant, sed spiritui faciant esse subiectam. Secundò, amandus est Deus absque socio, hoc est, vt eum amoris gradum, quo diligit anima Creatorem, nulla teneat creatura: & quicquid ipsa amat, ad Deum & in Deo diligat: & creaturas omnes propter Deum, in Deo, & ad Deum amet. Propter Deum diligit, quando causa, qua re diligat, Deus est. Ad Deum diligit, quando ad illud bonum, quod ipse est, eas amat. In Deo diligit, quando sic eas amat, vt nullam delectationem quærat, nullum in eis finem alium, nisi solum Deum habeat & intendit, atque ita creaturas in Deo, & Deum in creaturis diligit. Hoc est quod Christus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Quæ verba Augustinus exponens: Ideò, inquit, Dominus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. vt nulla sit vis animæ in homine, quæ diuino amore vacua sit: & quicquid sensibus amabile occurrit, vt totum hoc diligat propter Deum, & in Dei dilectione vtatur. *Deus enim charitas est.* Atque hoc modo sine socio diligendus est Deus. Tertiò amandus est absque silentio. Qui enim in dilectione est, tacere non potest, sed clamare & vociferare compellitur. Est autem, secundùm B. Gregorium, duplex clamor, vnus oris, alter operis. De clamore operis dicit idem, quòd efficacior sit clamore oris, de quo Dauid ait: *Laboraui clamans.* Et Chrysostomus: Ea, inquit, amantium consuetudo est, vt amorem suum celare nesciant & abscondere, sed secretioribus amicis suis interiorem dilectionis flammam aperiunt ac manifestant: simul etiam defectus suos & vitia, quibus Deum offenderunt, eisdem patefaciunt & exponunt, nec eos silentio tegere valent: quin sæpius inde loquuntur, vt aliquod gaudium & animi recreationem capiant. De altero clamore, scilicet operis, quo amor internus exteriori opere declaratur, S. Papa Gregorius ait: Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Amor enim operatur magna, si est. Si verò opera renuit, amor non est. Rectè igitur Magdalena Dominum *Rabboni*, id est, *Magistrum* nuncupauit. Est enim ipse totius boni magister, & ideò, sicut dictum est, super omnia diligendus. Est etiam magister amoris triplici de causa. Nihil enim remunerat nisi in amore, ex amore, & cum amore. Primò, inquam, nihil remunerat nisi in amore, scilicet factum. Hic notandum, tria esse, quibus mereri potest homo: quæ sunt, externa opera, interna contemplatio, ac intima desideria, & amor. Externa opera eatenus meritoria sunt, quatenus in charitate fiunt. Illa enim opera in seipsis transitoria sunt atque caduca, & ideò non potest illis homo mereri

Amor triplex. I. Philip. 1. Ioan. 13. II. Propter Deum, Ad Deũ, in Deo diligere. Matth. 22. 1. Ioan. 4. III. Duplex clamor. Psalm 68. I. Tribus homines mereri.

1. Cor. 13. æterna, si sola fuerint absque dilectione, quæ, vt Apostolus ait, *nunquam excidit.* Quæcunque ergo opera extra charitatem peraguntur, vitæ æternæ haudquaquam meritoria sunt. Vnde quisquis Deum puro colit amore, ab omnibus recedit quæ Deus non sunt: qui enim bonum diligit increatum, facile creata omnia

II. bona contemnit. Secundò nihil remunerat Deus nisi ex amore. Ex ea nanque dilectione, qua nos gratuitò amat, semetipsum nobis largitur, & sese nobis ser-

Ierem. 31. uat in præmium: dat planè seipsum totum, non aliquam sui partem: *dilexit* enim *nos*, sicut ipse ait, *in charitate perpetua,* nec aliquid seipso minus homini lar-

Genes. 15. gitur. Inde est quòd Abrahæ ipse dicit: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, &*

III. *merces tua magna nimis.* Tertiò remunerat Deus hominem cum amore. In eo nanque potissimum hominis præmium consistit, vt Deum sine medio clarè videat, & eodem in amore perenniter frui valeat, ipsumqúe possidere. Rectè igitur Magdalena Dominum nostrum *Rabboni,* id est, *magistrum* appellauit. Et tu quæcunque es fidelis anima, deuotè & ex imo cordis tui ipsum alloquens, dicito: O magister summi boni, Domine Deus meus, per amorem, qui tu ipse es, trahe me post te. Fac me experiri benignitatem tuam, vt te super omnia toto valeam mentis affectu diligere, tibiqúe semper inhærere. Dixi in superioribus, Christum summę quoque veritatis magistrum esse, & ideò à nobis contemplandum. Notare igitur vos velim, etiam in creaturis vnumquenque suum posse contemplari Creatorem. Siquidem attendendo, quòd eæ ex nihilo factæ sint, omnipotentiam illius liquidò cernit. Considerando verò, vt illæ optimæ factæ, & conuenientissimo sint ordine constitutæ atque dispositæ, sapientiam illius, quæ Filio asscribitur, velut manibus palpat. Si denique creaturarum bonitatem & vtilitatem, cuius nulla earum ex toto expers est, vigilanter inspiciat, benignitatem sancti Spiritus non potest non luce clarius intueri. Hinc ad Romanos vas

Rom. 1. electionis Apostolus scribens: *Inuisibilia,* inquit, *Dei per ea quæ facta sunt,* id est, per creaturas, *intellecta conspiciuntur.* Cognoscitur autem siue cernitur Deus etiam in

Psalm. 35. lumine gratiæ, quemadmodum Propheta regius ait: *In lumine tuo videbimus lumen,* quod est ipse Deus, in quo tenebræ non sunt vllæ. Denique & contemplaturi sumus Deum omnes in lumine gloriæ, vbi sine medio videbimus eum sicuti est. Est enim supremæ, sicut dixi, magister veritatis, qui nos omnem docet & intelligere facit veritatem. Postremò, vti & superius dixi, summæ idem ipse perfectionis magister est. Quamobrem relictis & abdicatis omnibus, hunc quisque sectari ac sequi curabit. In ipso nanque omnis perfectio vnita inuenitur, quæ diuisa est in creaturis. Quisquis ergo ad perfectionem adspiras, Christum seque-

Lucæ 14. re, à Christi vestigijs nec latum vnguem discede. Ipse nanque ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, adhuc autem & animam suam, nec renuntiat omnibus quæ possidet,* imò & creaturis omnibus terrenis, *non potest meus esse discipulus.* Et Gregorius: Extra patrem, inquit, & extra matrem, extra fratres & sorores homo fieri debet. Sunt enim creaturæ inimici hominis, quatenus eum à Deo & proxima salutis suæ via præpediunt ac remorantur. Sicut ergo dixi, relinquat quisque instabiles creaturas omnes, & summæ perfectionis magistrum tota mentis intentione sequatur Christum Iesum Dominum nostrum in secula benedictum, qui id nobis omnibus per gratiam suam largiri dignetur. Amen.

DOMI-

DOMINICA I. POST PASCHA.

er nostri ipsorum & omnium abnegationem, per tres gradus ad veram pacem & eritatem ascendere debeamus.

SERMO I.

ngelium huius diei est, vt Dominus clausis ianuis introierit ad discipulos suos. N. XX.

t vobis. IOAN. XX.

HIs verbis dilectos discipulos suos post suam à mortuis resurrectionem Dominus salutauit, quemadmodum apud Ioannem cap. 20. cernere licet. Planè hanc pacem & quietem omnes homines naturaliter appetunt, & hanc innumeris ac multiplicibus occupationibus, negotijs, laboribus & exercitijs suis venantur & quærunt, nec tamen ad eam vnquam pertingere valent, nisi illic uærant, vbi certò possit inueniri, quod est in solo Deo. Quæ ergo, dicet se aliquis, vera via est ac ipsissimi modi ad veram pacem, & summam, puim, atque perfectissimam veritatem pertingendi? Hoc vt facilius constet otescat, ea diligenter similitudo notanda est, quam subiecturus sum, de Ioanne Euangelista, vt videlicet illum Dominus tribus modis traxerit, etiamnum omnes illos trahit, qui ad proximam debeant pertingere ven. Primò itaque traxit Dominus Ioannem, quando eum à seculo reuocain suum elegit Apostolum. Secundò, quando in suo eum pectore recumcit. Tertiò, quod perfectissimum fuit, quando in ipso die Pentecostes im sanctum illi copiosè infudit, aperiens illi ostium, in quod receptus oc igitur modo dum quisque primò seculo renuntiat, vocatus siue tractus oportet vt omnes vires suas inferiores secundùm superioris rationis iu moderetur & regat, seipsum agnoscere, secumquè manere discat: & cura ili solicitus, obseruare studeat primò verba sua, ne quid alicui loquaisi quod sibi dici velit. Secundò motus & instinctus siue affectus suos, ex Deo veniant, & tendant in ipsum. Tertiò cogitationes suas, ne sciens ntè vanis & noxijs cogitationibus immoretur. Si quæ verò præter suam tatem illi mala incidant, non sunt nisi præparatio quædam atque purllius ad potiora capessenda. Quartò opera sua, vt nihil in eis omnibus & intendat, nisi Dei gloriam & cunctorum hominum salutem. Hoc igiodo Dominus eum à seculo auocat, & suum Apostolum facit: sicquè de expaulatim internum, & spiritalem docet facere hominem. Et hæc perti incipientes. Secundò, si iam talis aliquis cum sancto Ioanne in dulcissiit Christi pectore recumbere, oportet vt ad eiusdem Saluatoris perfectisexemplar attractus, idem diligentissimè contempletur, adspiciendo viillius sanctissimam humilitatem ac mansuetudinem, ardentissimam aritatem, quam erga amicos simul & inimicos habebat: obedientissimam resignationem, & resignatam obedientiam illius, quam promptissimè it in omnibus vijs, modis ac locis, ad quæ Patris imperio vocabatur. Admensam pietatem ipsius, quam in homines vniuersos copiosè declaraaltissimam sacratissimamquè paupertatem. Cùm enim cælum & terra

Vera ad veram pacem pertingendi via quæ.

Christum tripliciter Ioannem traxisse.

ſua eſſent, non tamen ea cum aliqua proprietate poſſidebat. Omnia verba & actus ſuos ad Dei Patris gloriam & animarum ſalutem referebat. Porrò hæc omnia & his ſimilia, multo vicinius ac profundius contemplabitur in Chriſto, quàm à me poſſit extrinſecus doceri, eademque ardentiſſimè deſiderabit & petet à Deo. Simulque ediuerſo ſeſe contemplans, diligenter attendet, quàm diſſimilis ſit huic imagini Saluatoris, quàm longè ſit à perfectione illius, quàm paruus & nihil in ſeipſo. Hîc facilè permittetur ei à Deo quieſcere ſiue recumbere in pectore illius. Huc porrò nihil in hac vita æquè conducit, quàm Dominici corporis ſuperdigniſſimum Sacramentum: & pro alterius magis illuminati hominis arbitrio ſiue conſilio, cuncta facere dimittereque. In huius planè amabilis exemplaris ſedula contemplatione ſimul & imitatione, tanta gratiarum atque chariſmatum opulentia repletur homo, tantamque ibi conſolationem ac dulcedinem inuenit, vt nullo negotio omni mundanæ conſolationi atque dulcedini renuntiet. Hos iam dictos duos modos plerique tenent, qui magnificè de ſe ſentiunt, & omnia ſua in tuto eſſe arbitrantur. ſed quia cum proprietate & animo impetuoſo eos tenent, procul à proxima veritatis via ſe nouerint eſſe remotos. Quamuis enim in Chriſti pectore Ioannes recubuiſſet, dum tamen illum milites caperent, dimiſſo pallio ſiue ſindone, fugam inijt. Ita ſanè quanlibet in prædictis duobus modis excellat aliquis, ſi qua fortè aduerſitate pulſetur, videat ſibi ne pallium dimittat per proprietatem & impetum ac vehementiam animi ſui. Certè exercere ſe in prædictis modis, & bonum & ſanctum eſt: & magnoperè curandum eſt, ne qua creatura hæc nobis exercitia auferat, niſi fortè ipſe Deus nos ad altiora trahat, ſubuehatque. Quando enim Chriſtus nos trahit, ſine forma & abſque imagine nos ipſum ſequi, ac ei nos relinquere debemus, vt nobiſcum haud ſecus quàm cum ſuo valeat inſtrumento operari. Hoc ſiquidem illi multo laudabilius, nobiſque multo vtilius eſt, in iſto videlicet vel ad breue ſpatium illi nos relinquere, quàm in prioribus duobus modis vel centum annis nos exercere. Sed hîc quærunt aliqui, & dicunt: iſta necdum tranſcendiſti? Quibus ego reſpondeo: Minimè. imaginem quippe ſiue exemplar Ieſu Chriſti nemo tranſcendere valet. Debebant autem illi quærere, vtrum necdum modos illos & opera tranſcenderim, quæ cum proprietate tenere ſolitus fui. Moneo hîc breuiter vnumquenque diligenter ordinationes obſeruare diuinas, & vnum modum poſt alium diſcretè aſſumere & ordinatè. Tertiò tractus fuit Ioannes, quando Spiritus ſanctus illi datus fuit in Pentecoſte, & oſtium ei reſeratum. Hoc quibuſdam fit in raptu, alijs in reſignatione. Hîc Apoſtoli verba complentur, quibus ait: *Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*, quæ hîc reuelantur à Deo. Cæterùm non eſt, quòd aliquis præſumat vnquam ſe ad veram pertingere poſſe perfectionem, quatenus in hac vita poſſibile eſt, niſi homo exterior in interiorem perducatur. Ibi intro recipitur homo: ibi tales, quales prædiximus, diuitiæ tantaque mirabilia reuelantur. Quæ ſi quis immoderatius vellet contueri, cùm natura infirmior id ſuſtinere non poſſit, crebrò eum lecto decumbere oporteret. Porrò ſcire vos velim dilectiſſimi, quòd priuſquam ad hæc, de quibus locuti ſumus, perueniri poſſit, eaque in homine perficiantur, naturam crebras & graues mortes intus & foris ſubire neceſſe ſit. Cuilibet autem tali morti vita æterna reſpondet. Nec eſt, quòd arbitretur aliquis diem vnum vel etiam annum vnum

Ioan. 13.
Marc. 14.
1. Cor. 2.

ad hæc obtinenda sufficere. Quæso vos ne terreamini. Tempus ista re-
:. Maximè verò tres huc virtutes necessariæ sunt, purà simplicitas, puri- Tres quædã Virtutes quò necessariæ.
gnatio. Et hæc est perfectissima via. Itaque per hæc tria exercitia iam
era cordis & corporis puritas obtinetur, quam S. Ioannes singulari &
atissimo modo possedit: de qua ipse Dominus ait: *Beati mundo corde, quo-* Matth 5.
Deum videbunt. Certè cor mundum charius ac pretiosius est Deo, quàm Cordis mundi pretium.
quæ in terris habentur. Cor mundum, nobile, decorum ac perpetuum
taculum Spiritus sancti, templum aureum diuinitatis, sanctuarium vni-
ilij Dei, in quo ille Patrem suum adorat, altare summi ac diuini sacri-
quo Filius Dei quotidie cælesti Patri offertur: thronus æterni iudicis,
thalamus summæ Trinitatis, lucerna æterni luminis, arcanum deli-
ium siue curia diuinarum personarum, conclaue omnium thesauro-
i, mercimonia diuinæ suauitatis, æternæ sapientiæ ludus, conclaue se-
m Dei, totius vitæ & passionis Christi recompensatio, æterni Patris ten-
, sponsa Christi, amicus Spiritus sancti, iucundissima oculorum pascua,
n sanctorum Angelorum soror, desiderata cælestis exercitus expecta-
nium bonorum hominum frater, dæmonum terror, omnium tenta-
victoria, contra tela omnia scutum, omnium diuinorum bonorum
tio, thesaurus virtutum omnium, cunctorum hominum exemplum,
uratio denique ac emendatio omnium quæ vnquam perdita fuere. Sed
aliquis: Quid est ergo cor mundum? Cui, sicut prædiximus, ex toto & Cor mundũ quid.
ficit solus Deus, cui nihil sapit, quod nihil delectat nisi Deus, quod co-
nes & mentem suam continuè ex toto fixit in Deo, cui extraneum est &
num quicquid Deus non est, aut cuius ille causa non est, quod sese dili-
custodit & liberum seruat, quantum fieri potest, ab omnibus tam grato-
àm aduersorum extraneis imaginibus, & omni externa occupatione,
solicitudine, & omnia denique syncerè in melius interpretatur. Mun-
n munda sunt omnia, & mitibus ac mansuetis nihil est asperum, nihil Tit. 1.
n. Amen.

DOMINICA EADEM.

*ra oratione interna atque deuota, qua non est nisi vera vnitio cum Deo, omnia ver-
ioris orationis transcendens.*

SERMO II.

rifica me tu Pater. IOAN. XVII.

IN eo capite, vnde præsens thema desumptum est, Dominus no-
ster Iesus Christus, oculis in cælum subleuatis, dixisse legitur:
Pater, venit hora, clarifica Filium tuum: & plura alia, quæ non sunt
nisi quædam oratio deuotissima ad Patrem suum cælestem. Et
nos ergo dilectissimi, si vera volumus pace cordis potiri, quam
ius noster discipulis suis post gloriosam suam à mortuis resurrectionem
oportet sanè vt discamus nos in continuo exercere orationis studio, &
n nostram, atque adeò totum cor nostrum, omnes sensus, manus & vi-
iras, in altum erigere ac subleuare, & in ipso denique Christo, cum
, & per Christum orare. Hoc enim præstantissimum illius opus fuit,
quod

quod quidem fecit in terris, quòd Patrem suum cælestem adorauit. Hæc oratio omnem humanum excedit intellectum, nec quisquam eam capere, aut ad eius intellectum pertingere valet, nisi præstitum ei fuerit à Spiritu sancto. De hac oratione dicit Augustinus, quòd sit mentis ascensus in Deum. Sed nunc multi diuites veniunt ad vos, ieiunijs & alijs pijs exercitijs maceratos ac debiles: & vix quatuor aut quinque obolos offerentes, nescio quantam orationum & veniarum numerositatem exigunt, ita vt pro sex obolis non vereantur quandoque vel centum Dominicas orationes expetere. Huiusmodi negotiationes & pacta, atque id genus alia, quanti vult, æstimat Deus in æternitate sua. Sed meum, quæso, consilium audite. Auertite vos in veritate à vobisipsis, & ab omnibus mortalibus creaturis, & mentes vestras supra creata omnia ex toto in Deum erigite, & in diuinitatis altissimam abyssum, & in Dei Spiritum totum spiritum vestrum in vera resignatione omnium tam superiorum quàm inferiorum virium, supra omnes sensus & omnem intellectum, in vera in ipso interiori animæ fundo vnitione illius cum Deo, immergitote. Hoc enim modo verba, exercitia & modi omnes obtinentur. Tum verò in illa vnione positi, pro omnibus, pro quibus orare estis adstricti, preces fundite ad Deum, pro negotijs videlicet omnibus, & quicquid hoc est quod vobis homines commiserunt aut expetunt à vobis, & pro quibus ipse vult Deus orari. Idque vos certo certius tenere velim, quòd quàm nihil est obolus vnus in comparatione centum millium talentorum auri, tam nihil est omnis externa oratio in huius intimæ orationis comparatione: quæ & est & dicitur vera vnitio cum Deo, & creati spiritus immersio ac liquefactio in creatum Spiritum Dei. Quòd si ipsa hæc vnio vocales quoque orationes patitur, nec aliquid inde sustinet impedimenti, securi & vocales orationes coniungite. Duo enim meliora sunt quàm vnum: tum etiam præstat id, pro quo rogati estis, eo modo facere extrinsecus, quo vos facere velle promisistis, aut certè iussi estis facere: simulque cum illo & in illo mentes vestras ad superna cogite, cunctaque pecora vestra cum Moyse in interiorem minate solitudinem. Cæterùm si in hoc modus aliquis, oratio vel opus externum vos impedit, securè mea fide illa postponite, eis tamen exceptis, ad quæ certis ac statutis temporibus estis obligati. Omnis enim externa siue vocalis oratio, in mentalis huius orationis comparatione, non est nisi palea siue stramen ad pretiosum triticum. De hac oratione Christus ait: *Veri adoratores Patrem adorant in spiritu & veritate.* Denique exercitia omnia, verba, modos & opera, quæ ab Adæ temporibus vsque in præsens exercitata sunt, & abhinc vsque ad extremum iudicij diem exercebuntur, eiusmodi veri adoratores velut sub vno momento per hanc veram & essentialem sui perficiunt introuersionem. Ob hanc mentis orationem & vnionem, hoc ipsum templum, in quo positi sumus, & omnia hæc quæ ad illud pertinent, puta fundamentum, murus, lapides necessarij & accommodi, pecora quoque quæ ea aduexerunt, facta sunt atque constructa, simulque ea omnia in hac oratione essentialiter ad verum fructum, & in ipsum Deum pertrahuntur ac referuntur, propter quem facta sunt omnia hæc: & cuncta in momento in amabilem adducuntur fundum, ex quo omnia profluxêre, in æternitatem videlicet illam, vbi perenniter fuêre præsentia, & sunt etiamnum, & quæcunque in posterum fient, iam peracta sunt. Hoc sensu loquebatur Dominus illa verba, quibus ait: *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* In quibus

Oratio quid.



Oratio quæ cui quarto præstet.

Exod. 3.

Ioan. 4.

Ioan. 17.

ſi tempus attendiſſet, non vtique poterant vera eſſe. Multa enim nec-
ecerat. Adhuc pati, adhuc reſurgere habebat. Sed ad æternitatem reſpi-
, in qua omnia impræſentiarum, ſiue in præſenti Nunc ſunt, ſicu-
terno fuêre, & perenniter erunt. Vnde quotquot huc ritè veraciterqúe
gunt, omnia opera ſua extra & ſupra tempus in æternitate perficiunt: in
iritu orant, atque in Deo viuunt & operantur, mortui ſibijpſis. Non
oteſt aliquid alterius rei naturam induere, niſi prius deficiat à ſeipſo, &
eſſe id quod eſt. Hi planè & orant & operantur in ſpiritu, vbi Pater
gignit Filium, vbi & ipſi renaſcuntur. In ipſo nanque fundo ſpiritus in
reducitur atque impellitur: & ipſi ſupra omnem formam & imaginem
rmati, & ſuijpſorum forma & imagine deſtituti, modos omnes exce-
, ad ſtatum quendam modi neſcium pertingunt. Hi in eiuſmodi ſua ora-
npetrant omnia, & iam Patrem orant pro Filio, ſicut ille prius orauit
is. Sed quomodo, dicis, orant pro Filio? Ipſe nos orare docuit, vt dica-
anctificetur nomen tuum. Hoc igitur iſti orant, vt Filij nomen ſanctifice- Matth 6.
noretur, agnoſcatur, diligatur, atque tale habeatur, vt ipſe ab æterno
inauit, intendit ac voluit in æternitate ſua, vtqúe paſſio illius amariſ-
pretioſa merita, quantum fieri poteſt, recompenſentur, & copioſum
nt fructum. Orant nihilominus & pro vniuerſa Eccleſia Dei: & ſemper
ibus ſuis exaudiuntur. Cuncta ſi quidem de manu Dei æqualiter acci-
proſpera ſcilicet & aduerſa, penuriam & abundantiam, eandem ſemper
atem habere curantes, licet non æquali ſemper guſtu diuinæ dulcedi-
iantur: & in hoc merita magna ſita ſunt. Iam quod idem ipſe Dominus
o Pater, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus, notandum eſt, quòd vnio
obus modis fieri conſueuit: intus videlicet & foris, cum medio & abſ Duobus hanc modis vnionem fieri.
dio, in ſpiritu & in natura. Plerunque autem malè iſtud intelligitur.
quippe natura accidens non recipit, nec poteſt humanus intellectus hanc
m capere. Nec mirum. Si enim capere neſcit homo, vt anima corpori
t, vtqúe eadem in manibus & pedibus ac cæteris membris operetur &
tur, quo tandem modo diuinam hanc intelliget vnionem? Quotquot
d hanc pertingunt, extra tempus in æternitate, extra id quod factum
o quod factum non eſt, & extra multiplicitatem in ſimplicitate operan-
nique in perturbatione integra pace gaudent, atque cum amoroſo di-ſi-
 fundum ſeſe demergentes, omnia in Deum referunt, atque refundunt,
æterno in illo fuêre, & is ab æterno ea dilexit & intendit. Iſtud longè
s accedit ad Deum, quàm ipſa oratio. Sed ad hanc beatiſſimam vnionem
ere non valent, qui in ſuo naturali intellectu excreuêre, atque in pro-
ione ſua enutriti ſunt, ſuiſqúe vixêre ſenſibus. Olim egregius quidam ac
ilis Doctor hinc vobis loquebatur, ſed cum minimè intellexiſtis. Lo-
ur enim ille ex æternitate, & vos ſecundùm tempus accepiſtis verba il-
us. Si in dicendo modum exceſſi, chariſſimi, quamuis Deo nimius
non fuerim, quæſo ignoſcite mihi: libens enim me cor-
rigam. Præſtet nobis omnipotens, vt omnes
quandoque tales eſſe merea-
mur. Amen.


DOMINICA II. POST PASCHA.

Author D. Henricus Suso.

De pastore bono, & vt ille oues suas fideliter custodire ac pascere debeat pro gloria Dei, & sui ipsius interim curam habere peruigilem.

SERMO I.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. IOAN. X.



AEC verba nulli rectius, quàm ipsi congruunt Saluatori: qui, quod verbis docuit, opere posteà compleuit, tradēdo in mortem animam suam pro ouibus suis. Ipse planè pastor est bonus, qui oues suas & corporaliter pascit & spiritaliter: corporaliter quidē, dando vitæ necessaria: spiritaliter verò, amore & gratia sua, tum etiam septem Ecclesiæ Sacramentis, adhæc sacra Scriptura, ac innumeris alijs beneficijs suis: & demum eadem beatitudine, quam habet & est ipsemet. Illius porrò ouile, sancta est Ecclesia Catholica. A qua quisquis recedit & segregat semetipsum per mortale peccatum, siue per hæresim aut infidelitatem, habebit pascua sua cum dæmonibus in igne inferni inextinguibili. Cæterùm hic bonus pastor in seipso perfectissima nobis exempla reliquit, per quæ eum sequi debeamus: maximè verò illis, qui vel à Deo, vel à superioribus suis ad curam animarum vocati sunt. Non de ijs dico, qui seipsos huic periculosissimo officio ingerunt, vel etiam qui vocati ad illud, aliud sectantur, quærunt & intendunt, quàm purè Dei gloriam & salutem animarum. Tales enim omnes mercenarij sunt, & in mille versantur periculis. Qui si exploratum haberent, quantus tremor, quanta eos inuadet angustia, cùm districto iudici de qualibet anima, & de causis ac negotijs omnibus sibi commissis rationem sunt reddituri, tabescerent fortasse præ dolore corda ipsorum, & plangerent sese noctuque diuque. Illi verò, quibus absque eorum solicitatione ex ordinatione diuina (*omnis enim potestas à Domino Deo est*, sicut Apostolus inquit) tale aliquod officium impositum est, tales se animo benigno ac voluntario exhibere curabunt, vt neque diuino honori aliqua per eos iniuria fiat, neque ipsi notabiliter deordinentur, & à iustitia exorbitent, neque oues demum illis commissæ in aliquo negligantur. Hoc autem, vt dixi, ex animo spontè atque libenter facere debebunt. Qui enim immoderatius subire recusant quod obedientia iniungit, molestissimam & grauem sibi reddunt vitam suam. Paruum nanque opus si animo inuoluntario fiat, plus grauabit, quàm multa & magna spontè alacriterque peracta. Interim tamen laudabile est, nolentes ad officia pertrahi: & impendiò prodest, multa in eis aduersa sustinere. & vbi auxilium simul & consilium quærendum esset, non nisi dolorem & perplexitatem reportare, vel etiam repulsam pati, & vbi obedientia præstanda foret, rebelles atque contrarios subditos experiri. Et reuerà hac tempestate præesse alijs, & certis eiusmodi fungi officijs, modò eisdem dignè velis satisfacere, non ad otium, sed ad negotium immensum vocari est: imò grandis cruciatus est, & crux penè intolerabilis. Attamen hanc ipsam crucem, quicunque ad eam vocatur à Deo, in suos recipiet humeros illius amore ac contemplatione, qui propter homines miserabilem olim crucem sustulit & Patri suo ad mortem vsque obediens fuit: animoque dimisso cum perfecta ac humi-

Ouile Christi.



Rom. 13.

Præesse alijs, quale quid sit.

Nota.

li sui resignatione Deo se dedet subijcietque ad perferendum onus istud, liu alijs placuerit, quibus promptam debet obedientiam: nec aliquod ex eptitudine ac impossibilitate velamen excusationis adducet. Dum enim od faciendum est, quantum ipsi constat, meliori modo exequitur, officio cit satis, licet alioqui rectius fieri posset. Itaque Deum potius in omnibus, aliquod corporale spectabit commodum, hoc diligéter cauens, ne, quan- ipso est, aliqua lædatur ouium suarum in anima sua. Communis quo- it & affabilis inimicis æquè vt amicis. Hoc enim pacem magnam parit. es quosque cura vigilantiori sub fræno continebit. Malè siquidem edu- uentus, totam sæpè congregationem perturbat. Suauiter serius erit, & po amore quàm timore præcipiet. Quod vires suas excedit, ad superiores eferet. Vbi mordere non licet, saltem latratus quosdam dabit. Si vitam & sanctam in subditis suis ex toto perficere non valet, hoc tantùm curet, ciat, & ne malitia sub ipso vires sumat & incrementum. Certè si tritam & orem vestem consuere nolis, fieri non potest quin breui spatio tota lace- Vbi spiritalia pessum eunt, diu corporalia subsistere non valent. *Qui me ligit, paulatim decidit* & corruit in maiora. Ante omnia verò subditis suis è bona in seipso præbebit exempla, & potius opere quàm verbo instituet. est, quod eum patienter ferre oportebit, hoc est, quòd dum omnem suam ntiam alicui rei impenderit, totum alij sinistrè interpretétur, & in calum- ertant: & quibus maximè benefacere studet, ab illis plura grauioraque stineat, quemadmodum & ipsi legimus factum Saluatori. Hæc & similia ter ferenda sunt. Non enim potest aliquis omnibus æquè placere. Si quis omnibus placere voluerit, sæpius Deo & veritati displicebit. Malorum um conuicia, bonorum laus est. Adhæc curandum illi erit, vt intra do- uam, improbam societatem, & foris noxiam familiaritatem tota vir- sipet siue impediat. Qua in re vbi fecerit quod in ipso est, immunis erit eum. Væ autem congregationi illi, vbi duo hæc defecerint. Illa nanque quidem pace destituetur, dehinc etiam ignominiæ notam incurret. Sed rtè aliquis: Hoc si facere voluero, repentè mihi odium conciliabo, & bor pace mea. Ad quod ego: Felix talis perturbatio & molestia, quæ æter- cem adducit. Et væ illis, qui multa idcircò dissimulant, vt cordis sui pa- beant integram. De quibus Ieremias ait: *Sanabant contritionem populi mei miniam, dicentes: Pax pax cùm non esset pax.* Tales suam quietem & commo- sectantur, honores & dignitates ambiunt, & hæc religiosæ honestatis , dum excessus corrigere non audent, ne displiceant, sibi mercantur. Væ nia *receperunt mercedem suam.* Bonus verò Pastor siue Prælatus, purè Dei & gloriam quærit, instar Domini Saluatoris, qui æterni Patris sui, non ærebat gloriam: & ideò crucis ignominiam libenter sustinuit. Ex huius one, quicunque verus est Pastor, quicquid sibi eueniat, non sibi factam que- iuram, donec ex grauiter sauciati capitis vulneribus sanguis copiosè em defluat, & terram humectet, quemadmodum sanctis Martyribus accidisse. Olim non nisi perfectissimi ac resignatissimi homines, ad s & officia trahebantur, non autem qui priuatis inhiarent lucris, & venarentur commoda. Vnde quod in me est, id omnibus in quacunque e vel prælatione constitutis do consilij, vt semper in ima siue fundum

Quis suo faciat satis officio.

Vbi non mordendum, aut latrandum.


Eccli. 19.

Ierem. 6.

Olim qui fierent Prælati.

 humi-

Prælatis bonis quid curandum.

humilitatis sese demittant, paruitatem, nihilqúe suum ob oculos habeant, omnem superbiam deuitent, conditionis suæ attendant fragilitatem, & quam celeriter ex hac vita sint migraturi. Dum ergo aliquem reprehendere volunt, se  prius reprehendant: & quantum fieri potest, malum studeant vincere in bono Non etenim satanas satanam expellit: sicqúe ex corde mansueto mitia & dura proferant verba, prout res ipsa & causæ exigere videbuntur. Ante omnia diuinum augere ac promouere cultum, id eis vel maximè cordi erit. Ita tamen alijs intendent, vt seipsos minimè negligant. Qualibet ergo die sæpius quidem, specialiter autem duabus vicibus sese intrò recipient, manè scilicet & vesperi: & tunc semotis paulisper & à memoria seclusis omnibus rebus & negotijs temporalibus, sese coram se statuent, menteqúe in Deum subleuata, omnia aduersa & grauamina sua de illius suscipient manu, illi offerent, pro eius amore sustinebunt, ac per ipsum denique vincent: & hoc facient amabiliter, dulcia cum Deo colloquia miscendo, & suum in illo recreando spiritum. Hoc modo sub vna hora integrum diem, imò plurimos dies poterunt recuperare. Vera perfectio non in consolationum affluentia sita est, sed in voluntatis integra resignatione in voluntatem Dei ad omnia tam amara, quàm dulcia, & humili subiectione sibi ipsius, sub aliquo homine loco Dei, eidem humiliter obediendo. In hoc statu melior est ariditas mentis, quàm extra hunc profusa suauitas. Quod manifestè æterni Filij Dei obedientia probat, quam ille in arida amaritudine exhibuit atque compleuit. Hæc tamen non idcirco dixerim, quòd aliquis se ad prælationis onera subeunda, quod heu multi faciunt, debeat offerre: sed vt qui ad hæc à Deo vocati sunt, iugum istud æquanimiter ferant, & diligenter faciant quod in ipsis est, hoc secum cogitantes, quòd si ista sibi onera non essent imposita, alia fortasse peiora eis accidissent: certi quòd Dominus Deus, cuius (vt prædiximus) gloriam purè quærunt, quiqúe hæc eis onera imposuit, etiam pro ipsorum maxima salute ad suam gloriam eos dirigere, ac eis prouidere, & velit & possit. Præstet nobis omnipotens Deus, vt omnes summi Pastoris humiles oues efficiamur, & in finem vsque permaneamus. Amen.

Vera perfectio vbi sita.

Ariditas quæ cui deuotioni præstet.

Prælatorum bonorum consolatio.


DOMINICA EADEM.

De interiori animæ templo, in quo Deus omnipotens verus pastor noster inhabitat. De spirituali hyeme. De bonis ac malis Iudæis, & de proprietatibus ouium Christi.

SERMO II.

Oues meæ vocem meam audiunt. IOAN. X.

Ioan. 10.



QVODAM tempore cùm *facta essent Encænia in Hierosolymis, & hyems esset, ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Inter cætera, quæ tunc eis Dominus respondit, hæc quoque dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Hæc in porticu Salomonis contigêre. Hoc enim est quod Dauid ait: *In pace factus est locus eius.* Salomon quippe pacificus dicitur. Et reuerà pacificus est æternus hic Salomon, cuius locus nusquam est nisi

Psalm 75. Salomon quid.

pace, pace vtique interna. Cuius & ista verba sunt: *Ego sum pastor bonus, &* Ioan.10.
o oues meas. Itaque, vt ad priora redeamus, sicut audistis modò, *facta sunt*
a in Hierosolymis, & Iesus ambulabat in templo. Hoc templum, dilectissimi, in Tẽplum.
lcis Iesus ambulabat, siue etiam quod Iesus ingreditur, est nobilis anima
alis, & pura interiora illius, cui plus Dominus operæ ac diligentiæ adhi-
ıàm cæteris creaturis omnibus, plusqúe circa eam laborauit. In hoc tem-
facta sunt, hoc est, renouatio quædam. Quo, inquis, modo ista fit re- Encęnia.
o in hoc templo, quod Dominus Iesus tam libenter inhabitat? Planè re-
o: multo magis propriè, quàm in omnibus templis materialibus, quæ
rdio vsque mundi constructa vel consecrata fuêre. Id enim nouum dici- Nouum quid.
od suo initio siue ortui propinquum est. Itaque cùm homo cum omnibus
s suis, & tota anima sua sese intro recipit, atque templum hoc subintrat,
um reuerà inuenit non habitantem modò, verùm etiam operantem:
nquam, hic eum inuenit, non quidem per sensus siue intellectum, sicut ea Quoties etiã quotidie Encænia in aliquo fiant.
ctione, vel auditu, vel sensibus apprehensa intrò recipiuntur: sed per ex-
entum, siue gustum quendam internum, gustando eum in ipso fundo, &
fonte scaturientem, non autem aliquid introceptum. (Fons enim me-
quàm cisterna. Hæc enim sordescit & exiccatur, ille verò recens scaturit,
, & crescit, purumqúe ac dulcem saporem administrat) cùm hæc, in-
fiunt, tum reuerà Encænia siue Initialia in hoc templo celebrantur. Et
s ista fit introuersio, etiamsi possibile foret, vel millies eam fieri per diem,
quædam hîc agitur innouatio, semperqúe cum hac eadem introuersione
uritas, noua lux, noua gratia, noua virtus in anima generantur. Iucunda
& gaudij plena res est ista introuersio, cui omnia externa opera & exerci-
ulantur, & suam ex ea perfectionem accipiunt: absque ea verò non mul-
ficaciæ habent. Vnde tametsi semper debeamus nos in omnibus laudabi- Perfecta in nobis dedicatio qui celebretur.
tc bonis actibus & institutis seu ritibus exercere, præcipuè tamen & ante
, hæc seruanda est introuersio: atque ita vera & perfecta inter nos dedica-
brabitur. *Erat* autem, vt Euangelium subiungit, quando *facta sunt Encæ-*
mis. Quando, obsecro, est hyems ista? Tunc nimirum, quando cor frigus Hyems mysticè quando sit.
am & ariditas ac duritia occupant, ita vt neque gratia, neque Deus, neque
vlla locum in ipso habeant, niue ac pruina, id est, caducis, aridis, perdi-
creaturis totum possidentibus: quæ dum per amorem ac delectationem
occupant, possidentqúe, ignem amoris sancti Spiritus penitus extin-
gratiam omnem eliminant & suffocant, ac mirabile quoddam frigus,
expers gratiæ, consolationis amabilis familiaritatis Dei adducunt. Est
& alia quædam hyems, quando homo verè spiritalis ac Deo deuotus, Hyems alia.
nqúe amore prosequens & intentione, totisqúe viribus peccata deuitans,
à Deo relinquitur, quod ad sensibilem deuotionem attinet, & in magna
te, obscuritate & frigore constituitur, ita vt nihil iam diuinæ suauitatis,
consolationis sentiat & experiatur. Hanc hyemem ipse Dominus om-
aud dubiè patiebatur, quando in amarissima passione sua adeò à cælesti
& à diuinitate sua, cui tamen naturaliter vnitus erat, quod ad auxilij la-
attinet, derelictus fuit, vt in omnibus angustijs, doloribus & ineffabi- In quanta fuerit derelictione Christus.
uciatibus illius, nec minima quidem guttula diuinæ consolationis, in-
c vndique nimis afflictæ humanitati illius præstaretur & auxilio foret.

Quinimò omnium mortalium afflictissimus & desolatissimus fuit, omni vndiquaque auxilio destitutus. Ex quorum consideratione omnes electi amici illius, cum pleno voluntatis suæ gaudio meritò exultare debebunt, quando pastorem suum, cuius oues esse gestiunt, in huiusmodi desolata ac resignata derelictione tam intrinsecus, quàm forinsecus sequi posse sentient. Et reuera felices illos, & plus quàm felices, si pastorem suum & Dominum Deum suum fideliter sequi potuerint, perferendo hyemem derelictionis eiusmodi, non solùm creaturarum, sed etiam ipsius Dei consolatione destituti. Multo sanè verius velinsque tunc Deum præsentem habebunt, quàm in omnibus vnquam iucundæ fruitionis, vt ita dicam, æstatibus habuêre, nec vllus capere sufficit intellectus, quanta in dura hac & vera derelictione bona contineantur, putà si quis vndique tenebris duritia & hyemali frigore correptus, circundatus & occupatus, patientiam seruet & æquanimitatem. Sequitur in Euangelio: *Circundederunt ergo eum Iudæi.* Duplices olim Iudæi erant, boni scilicet & mali Sic & vsque hodie inter nos est. Iudæus autem idem est quod confessor siue confitens Deum. Quando igitur vires, de quibus supra diximus, veraciter sese introuertunt, & cum natura & supra naturam, in ipsam radicem fundi interioris, ibi tunc Deum confitentur, ita vt dicam, experimentaliter: dumque illic eundem inueniunt, confitentur eum in veritate fruitiuè siue fruendo: & hæc omnia fiunt in vera ac viua fide: & in omnibus illis quæ hinc nascuntur, intùs in intellectu siue ratione & voluntate, & foris in viribus exterioribus, tam in agendo quàm in patiendo, in verbis, in operibus, in gestibus, in conuersatione: in his, inquam, nihil inuenitur neque actiuè, neque contemplatiuè quàm vera confessio Dei. Et inde fortasse Christus dicere voluit, cùm ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Id enim certò tenendum est, quòd in cunctis operibus illis, in quibus alium nobis finem quàm Deum præstituimus, in illis Deum minimè confitemur. Siquidem & ex ipsa natura meritò Deus rerum & intentionum omnium finis esse debet & scopus: & vbi quis alium sibi finem constituit, haud secus agit, quàm si Deum ipsum abnegaret. Creaturæ nanque tribuit, quod soli Creatori tribuendum erat. Et hæc de bonis Iudæis siue confessoribus dicta sint. Erant autem & mali Iudæi, de quorum numero & illos fuisse non dubites, qui Dominum circundederunt, qui pleni rancore & amarulentia, ipsum vix adspicere aut sustinere poterant, haud secus quàm si corda erga eum lapidea habuissent, sicut & reuerà habuerunt. Et heu heu, quot adhuc hodieque Christiani reperiuntur, qui dum amicos Dei bonis actibus & pijs exercitijs ac institutis cernunt deditos & intentos, quandam erga illos displicentiam, auersionem & amaritudinem concipiunt: & quicquid illi faciunt, totam vitam & omnes actus, instituta & exercitia illorum vilipendunt, totque aduersum illos commenta confingunt, vt nulli dubium sit, eos de malorum illorum Iudæorum numero esse. Enimuerò periculosissimum est, & inter omnia signa certissimum, nunquam illos cum Deo & amicis illius partem habituros in seculo futuro, qui non fauorem quendam & dilectionem, aut ad minus animum permittentem inueniunt erga bona omnia atque diuina. Hæc enim ipsius Christi sententia est, dicentis: *Qui non est mecum, contra me est* Sicut ediuersò in bonis Iudæis hoc ipsum quòd promptam voluntatem, fauorem, intentionem erga bona omnia gerunt, certissimum signum est, Deum inhabitare ac possidere fundum

Iudæus quid.

Matth. 10.

Certum perpetuę cuiusdam perditionis signum.

Matth. 12.

Diuinę inhabita-

sorum, eosq́ue bono illo essentiali, quod Deus ipse est, perenniter per- tionis signũ certissimum quod.
os. Illis verò, qui ab his alieni sunt & vacui, Christus terribiliter ait: *Vos*
de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, hanc ipsam vtique vocem. Ioan. 10.
Hic non absurdè quæri, cur Dominus amicos suos toties oues appeller.
tum ipse capio, videtur mihi id ob duo quædam fecisse, quæ vt ouibus Cur Iesus amicos
ita Domino mirum in modum placent in amicis suis. Hæc autem sunt suos oues
tia & mansuetudo. Puritas quidem, innocentia & virginitas, *agnum se-* appellet.
quocunque ierit. Mansuetudo cognata est Deo, qua qui præditi sunt, vocem Apoc. 14.
diunt, quam passionibus dediti & iracundi homines nunquam audi-
tur. Sicut enim quando ventus procellosior fenestras & ostia domus
, difficilè aliquid audiri potest: ita si quis Dei Patris arcanum verbum,
occulto susurrio, & in intimo animæ profertur, intra se audire debeat,
ntra ipsum iræ tempestas & passionum tumultus sopiatur oportet: vt
sit mansueta, modesta & resignata, suosq́ue impetuosos motus cohi-
ita demum cum tranquilla mansuetudine Conditoris sui amabilem
usculter. Hæc porrò latent omnes illos, qui non sunt ex ouibus Christi.
ot autem de harum numero sunt, illis per Prophetam Dominus dicit,
modum ista nocte nobis lectum est: *Tribuam tibi terram desiderabilem, hæ-* Ierem. 3.
præclaram, exercituum gentium. Et dixi: Patrem vocabis me, & post me ingredi
is. Quæ verò est terra desiderabilis, quam dilectis amicis & charis oui-
promittit? Nimirum terra corporis ipsorum, quod ex natura rebelle &
um, secundùm omnem voluntatem ipsorum eis fit desiderabile, obe-
subiectum, paratumq́ ad omnia quæ ipsi exigunt ab eo, in quibus etiam
rpus non parum sentit gaudij & delectationis: quodq́ue prius aridum
rebelle, iam fit instar terræ diligenter excultæ & exaratæ, quæ mollis
ugum seminibus suscipiendis apta: ita prorsus istorum corpus miro
desiderio ad omnia bona fertur. Quæ autem est *hæreditas præclara?* Non Psalm 15.
, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui est hæreditas Patris sui, cu-
hæredes sumus, sicut scriptum est, quòd Filius accepit à Patre quicquid Rom. 8.
t, & potest, & *Pater dedit ei omnia in manus:* quæ tamen omnia idem Fi- Ioan. 13.
modis omnibus in ipsum Patrem refudit, vt inde nec pilum sibi vsur-
que assumeret, sed illius duntaxat gloriam, quantum potuit, fidelis-
reret. In quo profectò, si ipsorum debeat esse idem ipse præclara hæ-
sui eum amici sequi debebunt, ita vt quicquid sunt, habent, & possunt,
referant atque refundant: & ex omnibus donis illius, & quibuslibet
ceptis nec pilum quidem, neque foris, neque intus sibi assumant. Siue
media, siue absque medijs illius percipiant dona, curandum est illis, vt
inquant cuius sunt, nec quicquam inde sibi vsurpantes, non ipsa dona,
rum datorem amore fidelissimo inquirant. Sed quid facimus cùm sen-
ura adeò viscosa sint, adeoq́ue seipsa quærant in omnibus? quod non
ter præclaram hanc obscurat hæreditatem. Vbi enim aliquid diuinum
rpamus & assumimus, ibi quod diuinum est, vt ita dicam, nobis crea-
icimus, ac proinde obfuscamus. Iam verò quod sequitur *exercituum*
manifestum est, quòd gentes nullos modos, nullam sanctitatem, nec
uêre, qualia prius habuit populus Iudæorum, sed gratiam pro gra-
suis meritis acceperunt. Iudæi verò suis operibus plus æquo innite-
bantur,

bantur, & varias cæremonias, ritus, præcepta & legitima habuêre. Gentes autem nihil habebant cui inniterentur, nisi solam gratiam & misericordiam Dei. Ita sanè & amicorum Dei hoc erit exercitium, vt nulli innitantur, nisi gratiæ & immensæ misericordiæ Dei: desiderentque & accipiant gratiam ex sola bonitate diuina, nec suas coaptationes, dispositiones & dignitatem magnificant. Vbi hoc cum primis dolendum venit, quòd multi instar Iudæorum, suis proprijs modis & operibus cum vana sui complacentia immoderatius innituntur: adeò vt nisi illa fecerint, omnia se perdidisse credant, & neque Deo, neque alicui homini fidem adhibere, neque ad Deum accedere audent: atque ita occultè super propriam voluntatem suam omnia sua priuata opera & exercitia ædificant. Absit autem vt dicere velim, bona opera ac pia exercitia intermittenda siue negligenda: quin potius semper nos in bonis actibus exercere debemus: sed hoc tantùm dico, non esse in illis nimium confidendum, neque immodicè præsumendum de eis, quomodo faciunt plerique, qui omninò securos se arbitrantur, posteaquam multis annis cilicijs atque catenis ferreis carnem afflixêre, ieiunijs, vigilijs & orationibus incubuêre, & vel quadraginta annis in magna vixêre paupertate & inopia, atque per hæc liberum habent accessum ad Deum, & grandes sunt in oculis suis. Et reuerà dubium non est, quin hęc omnia bona sint, & Christianis omnibus studiosè sectanda & expetenda: attamen etiamsi omnia quis mortalium omnium opera solus fecisset, ita inde nudus, quod ad sui reputationem & illorum immodicam æstimationem attinet, esse debebit in fundo suo, ac si nihil vnquam boni fecisset, & gratiam tantùm pro gratia, ab immensa Dei misericordia, omni præsumptione de propria præparatione exclusa suscipiet. Et hoc est *exercitium gentium*. Quod autem sequitur, *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis*, id nobis omnibus præstet benignitas Dei, qui est benedictus in secula. Amen.

Contra priuatæ iustitiæ innixores. Contra bonorum operum calumniatores.

Ierem. 3.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Author D. Eccardus senior.

Vt nos à cunctis medijs, hoc est, defectibus, peccatis & imaginibus quantumcunque minimis, si Deum cernere debeamus, liberos, nudos & expeditos esse oporteat.

SERMO VNICVS.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. IOAN. XVI.



AEC verba, dilectissimi, in vno sensu docent nos minimi facere debere, quicquid in hoc seculo magnum esse videtur, siue prospera sint, siue aduersa: siue honor, siue ignominia: siue consolatio, siue afflictio. Reuera siquidem hæc omnia, aut parum aut nihil sunt, si æternitati illi conferantur, in qua Deum visuri sumus. Et nisi eousque profecerimus, vt omnia intra nos parua & tanquam nihil esse sentiamus, Deum nostro intellectu haudquaquam agnoscere & videre valebimus. Oportet planè, vt omnia in nobis annihilentur, & intra nosipsos supra locum & tempus subleuemur, atque ad ea, quæ diximus, cæci simus, si Deum videre debeamus. Exigua & modica sunt mundus & tempus, & omnia quę in eis sunt: sed dum homo in spiritu extra locum & tempus constituitur, ibi

cognoscit. Cæterùm si quid alienum à se anima introrecipiat, quamli-
m exiguum illud sit, vt verbi gratia, vnam cogitationem otiosam, aut
is aliud minimum peccatum, aut ad peccatum aliquid habens affinita-
lia enim omnia, ab anima aliena sunt & extranea) hoc ipsum à summi
uitione eam impedit ac remoratur. Ita & ratio siue intellectus humanus
quædam res est in seipso: sed diuinæ luci comparatus, modicus & perexi-
. & vt Deum videre possit, oportet eum in ipso lumine & gratia crescere
ri. Imò plus dico, nunquam aliquis Deum vidit, quandiu anima illius
cum corpore commercij habuit. Nam si Deum anima videre debeat,
eam supra se in spiritum trahi atque rapi. Quærit magnus ille Ecclesiæ
Augustinus quodam loco, quid sit vita æterna, & sibijpsi respondens, ait:
à me quid sit vita æterna? interroga & ausculta ipsam vitam æternam.
im nemo melius nouit, quid sit æstus, quàm qui calidus est, nec quid sit
ia, quàm qui sapientia præditus est: ita & vita æterna quid sit, nemo
intelligit, quàm qui vitam æternam habet. Ipsa igitur vita æterna Do-
noster Iesus Christus, sic ait: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum*
Deum. Et idem ipse: *Modicum*, inquit, *& iam non videbitis me* Certè si anima
longè per medium aliquod, putà per nubem, vel ad momentum intue-
on se ab illo pro toto mundo auerteret. Quid ergo putamus, dilectissi-
cerit, vbi Deus clarè in seipso, qualis est in nuda ac simplici essentia sua,
ni medio videtur? Omnes ab eo conditæ creaturæ, imò & quæcunque, si
ondere posset, nihil certè aut parum sunt, si cum illo conferantur. Ipsum
cuius tanta magnitudo, tanta latitudo est, vt referenti mihi fidem non
adhibere, si cum Deo componatur, imò si & totum vniuersum cum illo
tur, tam nihil aut modicum est, quàm acies acus vnius ad vastissimam
lem. Rectè igitur Dominus: *Modicum*, inquit, *& iam non videbitis me* Quàm
n aliquid ex creaturis in animo relucet, Deum videre non potest: vnde
ncunque exiguum illud sit, prorsus abscedat oportet ea saltem hora,
bili contemplationi Dei animus vacabit. Hinc Sponsa in Canticis ait:
& circumibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea
lum, & non inueni. Vigiles qui custodiunt ciuitatem inuenit, sed non dilectum
subdit: *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* ac si
Vbi omnes creaturas transiliui, quæ nihil sunt & modicum, inueni di-
neum. Et ipse Deus tam ardenter ac fortiter amat animam rationalem,
nuum suarum, vt si quis amore hoc ipsum priuare vellet, vitam illi &
penitus auferret, &, si ita dicere licet, ipsum enecaret & occideret. In il-
e amore, quo Deus animam diligit, Spiritus sanctus intelligitur: imò
e est ipse Spiritus sanctus. Cùm ergo tantoperè Deus gloriosus & omni-
nimam diligat, magnum aliquid sit anima oportet. Philosophi cuius
entia est, quòd si nullum esset medium, oculus & formicam & culicem
ernere posset. Et verum dixit. Medium autem, aërem dicit & ignem,
ulta, quæ inter cælum & oculum interposita sunt. Alius contradicit,
edium non esset, nihil oculus videret: & hic quoque à veritate non re-
mus itaque ait: Si medium non esset, oculus & formicam & culicem in
erneret. Verum est. Si inter Deum & animam nullum esset medium,
m anima videret. Deus enim sicut medium nullum habet, ita nec

Cui animæ soli Deus videndus.

Vita æterna quid. Ioan. 17. & 16.

Cant. 3.

Ibidem.

Duo Philosophorum duorum apophthegmata vera, etsi cōtraria.

I.

medium aliquod sustinere potest. Vnde si anima penitus ab omni medio nudata, libera, & expedita foret, Deum quoque nudum ac detectum haberet, & ille se nudum ei ex integro praberet. Cæterùm quandiu illa ab omnibus vitiorum, defectuum & imaginum, quantumuis modica illa sint, medijs necdum penitus absoluta est atque nudata, Deum videre non potest. Certè si inter animam & corpus vel tantillum foret medij, quantum est capillus vnus, nunquam ibi vera esse vnitio posset. Quòd si ita est in rebus corporeis, quanto magis in spiritalibus? Hinc D. Boethius hortatur, dicens: Si veritatem liquidò agnoscere cupis, *Gaudia pelle, Pelle timorem, Spemqúe fugato, Nec dolor adsit: Nubila mens est Hæc vbi regnant.* Media quippe sunt, quæ quamdiu animus intuetur, & illa vicissim animum respiciunt, Deum videre non potest. Iam quod alter Philosophus ait, si medium non esset, oculus nihil cerneret: & ipsum verissimum est. Si enim manum oculis imponas, ipsam ob illius grossitiem videre non potes. Si autem ob oculos ponas, non potes eam non videre oculis apertis. Vt igitur manus videri queat, oportet vt in aëre & luce subtilietur, & ita quædam illius imago perferatur ad oculos. Hoc in speculo videre licet: quod si tibi opposueris, in eo relucet imago tua: nec tamen ideò ipse in speculo es. Itaque & oculus & anima talia specula sunt, vt quicquid illis oppositum fuerit, reluceat in eis. Verùm posito ob oculos vel lapide, vel manu, non in ipsis oculis lapidem video siue manum, sed horum imaginem, eandemqúe non in alia imagine siue per medium, sed absque imagine & sine medio cerno. Ipsa quippe imago medium est, quod intra me recipio siue de lapide, siue de manu. Ita prorsus Verbum æternum ipsum medium est & imago, id est, absque medio & imagine, vt animam in ipso sine medio & absque imagine comprehendere possit & intelligere. Cæterùm vim quandam anima habet, & est intelligentia, quæ mox vbi Deum sentit, & quodam interno percipit gustu, atque per gratiam sancti Spiritus illuminatur, quinque proprietates suscipit: quarum prima est, quòd abstrahit siue separat se à loco & tempore. Secunda, quòd nihil illi simile est. Tertia, quòd nulli permixta est. Quarta, quòd in seipsa est agens siue inuestigans. Quinta, quòd imago quædam est. Primò itaque separat se ab Hîc & nunc, quę idem significant, quod locus & tempus. Nunc, enim minimum est de tempore, & vix particula est, vel saltem gustus quidam temporis, nec aliquid ferè cognationis habet cum tempore, nec est temporis finis. Quanlibet autem breuissimum sit temporis punctum, prorsus abscedat oportet: imò quicquid tempus attingit, cedere necesse est. Ita & à loco, siue ab Hic, sese abstrahit. Quamuis enim modicus sit locus, in quo subsisto, & ipsum tamen & loca omnia & vniuersas imagines à memoria prorsus excidere oportet. Secundò nihil illi simile est. Nimirum de Deo cuiusdam Magistri sententia est, beatam illum esse & felicem essentiam, cui nihil possit esse simile. Et D. Ioannes: *Videte,* ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Si ergo filij Dei sumus, etiam similes illi sumus. Quomodo ergo dicit ille Deum talem essentiam esse, cui nihil simile sit? Intelligite quæso. In eo, quòd huic animæ vi nihil simile est, ipsa est Deo similis. Sicut enim nihil Deo, ita nec illi quicquam simile est. Cæterùm ad hunc finem omnes creaturæ naturaliter laborant, vt Deo similes efficiantur. Cælum nunquam moueretur, nisi vel Deum, vel aliquam Dei quæreret similitudinem. Et nisi Deus rebus omnibus inesset, nihil natura vel appeteret, vel operaretur in rebus quibuscun-

Boethius metro. 7. libri 1.

II.

Qualia oculus & anima sint specula.

Quinque animæ proprietates.

I.

II.

Deus quid. 1. Ioan. 3.

Anima quomodo Deo similis.


que. Siue enim velis, siue nolis, siue scias, siue nescias: etiam in minimis,
e tamen, natura Deum quærit & intendit. Hinc est, quòd nemo vnquam
ti affectus fuit, vt potum sumere desiderasset, nisi aliquid Dei potus ha-
Breuiter ergo, natura neque cibum, neque potum, neque vestes, neque
oda, neque aliquid creatum appeteret, nisi Deus illis inesset. Semper oc-
uærit, sectatur & inuenire molitur aliquid Dei in creaturis: nec tamen
m veraciter Deum inuenire poterit, nisi eum per abnegationem suijpsius
m omnium cum puro corde quærat. Tertiò pura & impermixta est. Sicut III.
atura diuina nihil sibi patitur admisceri, ita & hæc vis nihil admixtio-
pit. Nihil in ea alienum existit, nihil in eam alienum incidere potest.
i quis aliter de ea sentiret, derogaret illi & iniuriam faceret, haud secus
i elegantis formæ homini, vel nigredinem, vel pallorem falsò obijce-
cet planè, vt quomodo in Deum nulla cadit permixtio, ita & anima ni-
catiatur admisceri. Si quis tollat vestem meam, simul omnia illi affixa
Dum aliquò pergo, simul omnia me comitantur adhærentia mihi. Ergo
habet spiritus, cui inhæreat, afficiaturqúe: quisquis hoc traxerit, ipsum
ritum trahet. Si verò nulli omnino spiritus afficiatur, neque inhæreat,
i tunc cælum pariter & terra euertantur, concutianturqúe, ipse tamen
immobilis. Quare hoc? Quia scilicet nec alicui ipse, nisi soli Deo, nec
illi inhæret. Quartò, semper intus quærit & operatur. Cùm enim Deus IV.
ntia diuina semper in intimis commoretur, continuè ipsum intelligen-
uirit. Voluntas autem in id fertur quod amat. Vnde si occurrat mihi ali-
icus meus, voluntas per dilectionem sese effundit super eum, & tunc suf-
. Iam Apostolus ait: *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*: & D. Ioannes: *Vi-* 1. Cor. 13.
enim sicuti est. Planè si colorari debeam, ea, quæ ad colorem pertinent, 1. Ioan. 3.
ipere oportet: nec vnquam nisi illis susceptis potero colorari: ita nec
nquam videre poterimus, nisi in eadem luce, in qua ille seipsum con-
Porrò quod idem Apostolus ait, Deum *lucem* habitare *inaccessibilem*, nemo 1. Tim. 6.
spondeat animum. Et in itinere siue accessu habitare licet, & bonum est:
tamen veritate procul abest, quia Deus non est. Quintò, imago quædam V.
endite hic dilectissimi, & totius sermonis huius summam reportabitis.
& imago, imago scilicet Dei, quæ est ipse Filius Dei, & imago animæ, ad-
uicem copulantur & vnum fiunt, vt nulla inter has distinctio notari si-
igi possit, vbi anima cum Deo vnum effecta est. Itaque licet ignem ima-
bsque calore, & calorem sine igne: solem quoque absque lumine, & lu-
sque sole: sed nulla potest distinctio mente notari siue intelligi in vnio-
ginis diuinæ & increatæ cum rationali imagine animæ nostræ. Præstet
mnipotens Deus, vt ita eum mundis ac puris cordibus cernere digni effi-
. Amen.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

ritus sanctus mundana corda nostra arguat de peccato, de iustitia, & de iudi-
roximos nostros corripere, non iudicare, debeamus. Et quid nos doceat Spiritus

SERMO I.

dit vobis vt ego vadam. IOAN. XVI.

N præsentis diei Euangelio, cùm discipulos suos, ne immoderatius de suo recessu dolerent, Dominus consolari vellet, inter alia sic eis locutus est: *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* In quibus verbis, dilectissimi, id nobis primò non negligenter considerandum venit, quod electis discipulis & charissimis amicis Domini nostri Iesu Christi Spiritus sanctus mitti non potuit, nisi eiusdem Saluatoris præsentia corporali destituerentur, & ipse discederet ab eis. Vbi si quæratur quid sit discedere illius à nobis, citò respondeo, nihil id aliud esse, quàm consolationis deuotionisq́ue subtractionem, dum nos in spiritali inopia ac desolatione & ineptitudine interna relinquit: quod dum fit, ad omnia repente bona torpidi ac difficiles, & intus frigidi & obscuri efficimur. Cæterùm quicunque hanc internam derelictionem patiuntur, & ad suam eam vtilitatem norunt inflectere, atque fructum in ea facere: dici non potest, quantum in virtutibus profectum sortiantur, & saluti suæ conferant. Quisquis enim animo verè resignato eam sustinere nouit, ei omnis multiplicitas in vnitatem vertitur, & in aduersis pacem, in contumelia siue contemptu honorem, in perturbatione pacem immobilem, & in omni denique amaritudine, veram dulcedinem habet & experitur. Ait deinde Saluator: *Cùm venerit Paracletus, ille arguet mundum*, hoc est, liquidò faciet hominem intelligere, vtrum adhuc mundus in ipso lateat intus in fundo suo: & quemcunque mundanum repererit, *arguet* & increpabit, eiusq́ue illi defectus ob oculos reducet, & faciet manifestos. Quis est autem mundus intra nos existens? Ipsa planè opera, modi & impressiones seculi, hoc est, consolatio, gaudium, prosperitas, aduersitas, amor, timor, tristitia & solicitudo mundana. Et Bernardus ait: Cum quibus gaudes & tristaris, cum illis & iudicaberis. Et reuerà hæc omnia Spiritus sanctus in aduentu suo in animas nostras luce clarius manifestabit & arguet, vt meritò nunquam simus pacem pectoris habituri, quandiu aliquid horum in nobis tolerauimus, & sponte scienterq́ue creaturas corda nostra possidere permiserimus. Cæterùm quisquis huiusmodi defectibus implicitus est, quisquis à creaturis, quarum Deus vera causa non est, quod totum mundus est, possidetur, nec tamen inde intus reprehenditur: credite mihi, signum verum & euidens est, Spiritum sanctum necdum in illius fundum aduenisse. Ita enim Christus ait: *Cùm venerit, ille arguet mundum.* Iam quod addit, *de peccato*, inquirendum nobis est, quod sit illud peccatum. Certè rerum omnium sapientissimus Conditor Deus & creauit omnia, & suum cuique finem præstituit atque præfixit. Ita ignem fecit, vt sursum tendat: & lapidem, vt ad ima feratur. Ita & oculis dedit vt videant, auribus vt audiant, manibus vt operentur, & pedibus vt ambulent, & vnumquodque membrum voluntati naturali absque contradictione morem gerit, siue facile, siue difficile, siue dulce, siue amarum sit illi quod imperatur, modò tamen voluntas ipsa perfectè velit, membra promptè obediunt, tam ad mortem quàm ad vitam. Hoc luce clarius in huius mundi infelicissimis amatoribus, quorum corda vtinam Spiritus sanctus sua gratia illustret, videre pronum est, qui vt vanissimo satisfaciant amori suo, quo detinentur, vel potius vt re amata pro voto suo potiantur, non solum libenter, sed etiam audacter, imò temerè omni quieti renunciant, & bonorum omnium atque etiam sa[...]uæ

& ho-

Discedere Christi à nobis quid.

De relictione interna bene vtentium profectus.

Arguere mundũ, quid.

Mundus intra nos, quid.

Certum absentiæ Spiritus sancti indicium. Quo de peccato mundus arguendus.

oris discrimen subeunt. Videamus nunc, quæ sint peccata nostra. Quis, hoc tempore ita obediens est Deo, & omnibus illius mandatis optempe- psum in aduersis & prosperis, & creata omnia propter Deum ex intimo animæ suæ, in quo solum Deum veraciter præesse ac præcipere oporte- omodo deberet, deserit, abnegat, relinquit? Hæc igitur peccata mordet & stat in suo aduentu Spiritus sanctus, arguens hominem, quòd voluntati & inspirationibus suis tam crebrò restiterit, & per hoc sæpius peccauerit m. Hoc, inquam, & plures alios occultos defectus, dum venit, Paracletus une reprehendit. Hæc verò reprehensio, vehemens & asperum in homi- cium & pœnam quandam infernalē, ac vę intolerabile excitat, de quibus es mundo dediti, qui secundùm naturæ suæ desideria viuunt, parum aut iunt. At quicunque hæc intus sentiunt, certissimum signum habent, Spi- anctum in ipsorum cordibus præsentem adesse. Et vbicunque iudicium veritate agitur, magna securitas est. Etenim vel mille vitia, quæ verè cis, & quorum te reum confiteris, non tantum nocent, nec tantum habent , quantum vel vnum peccatum, quod agnoscere recusas, nec ab alio tibi indicari, & pro quo nec dolore, nec anxietate concuteris ac permoueris, ius veritatem te habere existimas, ipsumqúe defendis. Vnde quotquot di sunt, vt sua omnia, quæcunque siue faciunt, siue dimittunt, multum eant, rectaqúe videantur, aliorum verò displiceant omnia, & ipsorum mala sint, tales periculosis vitijs impliciti sunt: & cùm propriæ volun- ora laborent, nunquam ad aliquem sanctitatis pertingunt gradum. Sed *litia mundum arguet* Spiritus sanctus. O Deus benignissime, quàm misera c vilis res est omnis iustitia nostra coram oculis tuis? Inde est quod Au- s ait: Væ væ omni iustitiæ nostræ, nisi eam Deus secundùm misericor- iam iudicare velit. Ipse nanque per Prophetam suum Esaiam dicit: *Quasi menstruatæ vniuersa iustitiæ nostra* Et apud Lucam per seipsam Veritas dicit: *eritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus ecimus.* Et *quisquis se existimat aliquid esse, cùm nihil sit,* Apostolus ait, *ipse se* Quod cùm ita sit, quid de illis sentiendum est, quales heu multi inue- , quorum instituta, consuetudines & exercitia ita ipsis complacent, vt , nec hominibus se relinquere velint satisqúe sibi tanquam pupillę ocu- iuent, ne quo modo Deo se resignent atque relinquant? Dum enim siue sum, siue per alios eos admoneet, vt seipsos abnegare & relinquere stu- ua instituta & exercitia huiusmodi admonitionibus præponunt, nec eis iter acquiescere dignantur. Itaque dubium non est, admodum eos irre- s esse, immortificatosqúe. Et si in ipsorum cordibus præsens foret Spiri- tus, haud dubiè de sua eos immortificatione reprehenderet. Vbi enim il- iter pręsens est, hominem apertè facit intelligere defectus suos, eundem- am docet resignationem, humilitatem & cętera omnia, quæ ad æternam pertinent. Habet deinde Euangelium, quòd & *de iudicio mundum arguet us.* Quod est illud iudicium? Heu multi sibi iudicium vsurpant in alios, & s defectus atque peccata, & sui ipsorum iudicium negligunt atque post- , cùm tamen infallibilis Veritas dicat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: demnare, & non condemnabimini. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* us quidam: Quot, inquit, iudicio tuo tibi substernis, sub tot deprimeris.

Quæ Spiritus sanctus arguat peccata.

Certissimũ præsẽtiæ Spiritus sancti signũ.

Quàm sibi placere, sit periculosum.

Iustitiæ mundum argui.

Esaiæ 64.

Lucæ 17.

Galat. 6.

Iudicij mundum argui.

Matth. 7.

 Volunt.

Volunt iam, proh dolor, omnes non modò seculares, verùm etiam Religiosi & Ecclesiastici, proximorum suorum Episcopi, Prælati & iudices esse, & vnus iudicare alium, cùm interim nesciant semetipsos: atque per hoc densissimos inter Deum & animas suas muros fabricant & interponunt. Vnde quantum possum, moneo vos & obsecro dilectissimi, quàm charus vobis est Deus & æterna salus ac beatitudo vestra, fugite iudicia aliorum, & potius vosipsos iudicate: hoc enim expedit vobis, si saluari cupitis, si non à Deo & omnibus Sanctis eius iudicari vultis. Nemo præsumat aliquid iudicare, quod non sit manifestum mortale peccatum. Equidem potius grauiter linguam meam morderem, quàm aliquem iudicarem temerè. Ista nanque aliorum iudicatio, ex superbia & propria complacentia nascitur, quæ semen esse diaboli occultum, quis non videat? Nec possunt præsentem habere Spiritum sanctum, in quorum cordibus semen istud germinat & excrescit. Cæterùm quando Spiritus sanctus per homines, vbi necessarium est, iudicat, locum & tempus ad arguendum opportunum expectatur. Non enim ea vehementia ac furore aliquis reprehendendus est, vt priusquam vulnus vnum curatum sit, tria vel quatuor alia infligantur. Nec etiam duris verbis, vel toruo & aspero vultu ac animo auerso, ne in aliorum cordibus vilis fiat & contemptui habeatur: sed tota reprehensionis series & ex amore procedet & mansuetudine. Ita enim & in seipso qui reprehendit, humilitatem ac paupertatem spiritus conseruat, easdemque in omni loco & opere, tam in frequentia hominum, quàm solitudine secum deferens, omnibus quæ ipsi commissa non sunt, nec ad se attinent, postpositis, seipsum duntaxat in vera obseruat simplicitate. Et vos charissimi, non ad subtilium sublimiumque artium & scientiarum cognitionem adspiretis: sed in ipsum interiorem fundum vestrum simpliciter ingredientes, illic vosipsos cognoscere discite: nihil vobis magnoperè curæ sit, scire secreta Dei, influxus & effluxus illius deesse & non esse, & quid sit animæ scintilla in sua existentia: Non vobis commissum est scire arcana Dei. Nihil planè vtilius est, quàm vt veram, integram & simplicem fidem de vno Deo in personarum Trinitate, non multipliciter, sed simpliciter & purè retineamus. Arrius nanque & Sabellius, qui mira de Trinitate intelligebant, Salomon quoque sapientissimus, & Origenes, qui sanctæ Ecclesiæ præclarissima opera & optimas reliquêre institutiones, vbinam sint, penitus ignoratur. Vobisipsis ergo prospicite, vestri ipsorum curam singuli habetote: certi quòd nemo alius pro vobis rationem reddet, sed onus vestrum ipsi portabitis. Dominum Deum vestrum & illius voluntatem inquirite & obseruate: & vocationem vestram attendite, hoc noctu diuque curantes, vt illi satisfaciatis, & vocantem Dominum quocunque traxerit, promptè alacriterque sequamini. Quòd si diuini beneplaciti notitiam necdum habetis, ad illos confugite, & eorum consilia quærite ac sequi contendite, qui maiori sint, quàm vos, Spiritus sancti gratia illuminati. Quòd si nec tales habere potestis, ad ipsum Deum confugite: & ipse haud dubiè quæcunque vobis necessaria esse perspexerit, dabit, si tantùm ab orationis studio non recedatis. Quòd si nec hoc sufficit vobis, in omnibus dubijs id obseruate seriò ac diligenter, quidnam naturæ vestræ molestius sit, & ad quid minus afficiamini, & hoc potissimum facite. Quoties enim natura mortificatur, toties sine dubiò Deus omnipotens verius viuere & esse incipit in nobis. Dehinc quòd Euangelium testatur, Spiritum sanctum discipulis minimè mitti potuisse, si non Christi præsentia

Temeraria iudicia vitanda.

Quid scire aut nô scire curandum.

Galat. 6.

rporalis eis fuisset subtracta, solicitè nos considerare admonet, quæ studia nostra, item circa quæ versemur, & quibus magis familiares si-ipse vos hortor, dilectissimi, vt omnibus renuntietis propter Deum. Ita Deum recepturi estis & omnia. Credite mihi, si ex animo id facitis, iu-etiam in hac vita à Deo percipietis remunerationem. Post hæc sequitur gelio: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: ventura sunt, annuntiabit vobis.* Non quidem omnia nos docebit, vtrum vi-fruges copiosas terra productura sit, vtrum vili pretio sint ipsæ fruges , vtrum bellorum tumultus sopiendi sint: non, inquam, huiusmodi Spiritus docebit, sed suggeret nobis omnia, scilicet necessaria ad vitam m & occultam cognitionem veritatis, nequitiæ quoque naturæ, falla-li, & calliditatis spirituum immundorum consequendam. Iterum vos charissimi, diligenter, seriò ac prudenter viam Domini rectam ambula-vt quidam, qui vbi à Deo ad interiora vocantur, ad externa sese conuer-vt verò ille ad externa vocat, illi ad interiora nituntur: quorum planè & peruersa conditio est. *Et docebit vos*, ait Dominus, *omnem veritatem.* enim Spiritus ille cordis nostri hospitium ingreditur, *omnem* nos do-*cem*, hoc est, omnia nobis intus & foris necessaria, defectus quoque purè, intimè, profundè, dilucidè nobis dat intelligere, simulque nos reprehendit, & nobisipsis vilescere facit, eo quòd veritatem non sequi-noxiè rebus vilibus inhęremus. Docet etiam nos, vt in profundissimam militatem demittere, & non solùm Deo, verùm etiam creaturis omni-to subijcere debeamus. Et hæc essentialis humilitas, vera ars est atque in qua artes omnes & omnis sapientia, quæ quidem ad veram sanctita-essariæ sunt, continentur. Id tantùm curandum est, vt ipsa hæc humili-n solis verbis, sed intus in ipso fundo verè teneatur. Præstet nobis Do-eus noster, vt ita præparemur omnes, quo per gratiam suam Spiritus nos possideat, & omnem doceat veritatem. Amen.

Qualia nos doceat Spiritus sanctus.

Ars vera & optima quæ.

DOMINICA EADEM.

bus obstaculis, quæ Spiritus sancti susceptionem in triplici hominum genere præpe-cumque obsistunt.

SERMO II.

dit vobis vt ego vadam. IOAN. XVI.

SICVT etiam in præcedenti sermone audistis dilectissimi, Christus morti suæ proximus, discipulis suis ait: *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* hoc est, non eritis capaces Spiritus sancti. Ex quibus verbis ipsi vos, quæso, colligite, ad quantam perfectionem hominem conscendere oporatum supremæ felicitatis ac summæ beatitudinis suæ assequatur: quod eram resignationem & abnegationem fieri non potest, omnium scili-, quæ & ipsi, & naturæ illius maximè grata, iucunda & amabilia sunt. mnibus, qualia qualia sint, quanlibet illi bona, spiritalia, pretiosa & deantur, penitus renuntiare ac perfectè mori eum oportet. Si enim scipulos illius sancta, gratiosa & amabili humanitate, quod ad præsentiam

Quanta ad supremam felicitatem perfectione opus.

ſentiam corporalem attinet, priuari oportebat, vt aptiores fierent ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctum: nullus haud dubiè deinceps præſumere debebit, poſſe ſe diuinæ gratiæ capacem eſſe, quandiu cor illius terrenæ ac inſtabiles creaturæ occupant. Sunt autem tria quædam cæleſtis gratiæ impedimenta, in triplici hominum genere. Ad primum genus omnes illi pertinent, qui ſponte & ſcienter vitijs & peccatis inhęrentes, per creaturas ſe patiuntur à diuinę gratię ſuſceptione præpediri, dum eis pro libitu contra Dei voluntatem abutuntur. Hi extra vias Dei nimium aberrant, exorbitantquè, de quibus Propheta regius ait: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*, ad creaturas ſcilicet. Ad ſecundum genus illi pertinent, qui cùm ſint homines boni, per hoc à diuinæ gratiæ ſuſceptione præpediuntur, quòd nimium pro vitæ neceſſarijs conquirendis ſoliciti ſunt & occupati, & plus ſatis in rebus externis delectationis quærunt. Sed & contra hos illa dicta eſt ſententia Saluatoris: *Qui amat animam ſuam*, id eſt, corporis voluptates & oblectationes, *perdet eam*. Quod autem ſequitur: *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: de illis dicitur, qui inordinatis deſiderijs & voluptatibus ſuis reſiſtunt, nec ea ſequuntur. Ad tertium denique genus illi referendi ſunt, qui cùm boni ſint & verè ſpiritales homines, per hoc diuinæ gratiæ obicem ponunt, quòd ſeptem Sacramentis abutuntur. Quiſquis enim cum delectatione, quod ipſi faciunt, Sacramentorum ſignis inhæret, quandiu id agit, ad ipſam rem ſiue veritatem minimè pertingit. Omnia nanque Sacramenta ad ſimplicem veritatem hominem deducunt. Verbi gratia: Matrimonium naturæ diuinæ cum humana, animæ quoque cum Deo vnitionem ſignificat. Iam ſi quis ipſi duntaxat ſigno pro ſenſuum voluptate inhærere velit, quod procul dubio non eſt verum matrimonium, ſeipſum impedit, quo minus ad æternam poſſit veritatem pertingere. Ita ſunt plerique, qui contritioni & confeſſioni immorantur, ſoli inhærentes ſigno, nec ad ipſam puram veritatem pertingere ſatagentes. Qui vtinam audiant quod contra illos Dominus dicit: *Qui lotus eſt*, inquiens, *non indiget niſi vt tantùm pedes lauet*, hoc eſt, qui ſemel lotus eſt per integram contritionem & puram confeſſionem, non indiget niſi tantùm quotidianos defectus ſuos, non autem vetera peccata ſemel confeſſa, & per contritionem deleta, confiteri: ſufficit illi, ſi pedes ſuos lauet, id eſt, affectus & conſcientiam à culpis quotidianis expurget. Sunt alij, qui per hoc ſe impediunt, quòd nimium ſtudioſi ſint circa exteriorem apparatum erga venerabile Sacramentum, adeoquè illi inhærent, vt animas ſuas intus ornare negligant, imò non curent, per veram ſcilicet vitiorum ſuorum mortificationem. Vnde etiam minus dignè præcelſum illud Sacramentum ſuſcipiunt, nec illud ſpiritaliter ſumere nouerunt. Non enim intus ad ipſam veritatem capiendam ſeſe exercent, quæ eſt vnio mentis cum Deo, ad quam eos præſertim communicare volentes deuotè aſpirare oportebat. Omnia nanque Sacramenta, vt prædixi, ad ſimplicem nos veritatem remittunt. Notare vos hîc velim, dilectiſſimi, Deum nos adorare debere in omni loco & omni tempore. Porrò cùm Deum Patrem adoraturi ſumus, oportet vt nos in quandam ſolitudinem recipiamus cum deſiderio, & ſpe, ſiue fiducia. Hæc autem ſolitudo eſt ſuprema pars animæ, ſiue apex mentis, ſiue fundus animæ, & eſt ſupra tempus, nec aliquid vel de tempore vel de corpore nouit. ad hanc Apoſtolus reſpexiſſe videtur, cùm ait, *ſemper* eſſe *gaudendum*, *gratias* Deo referendas pro *omnibus*, & *ſine intermiſſione* orandum. Et certè

Tria cæleſtis gratiæ impedimenta. — I. — Pſal. 118. — II. — Ioan. 12. — Ibidem. — III. — Sacramēta quò hominem ducant. — Ioan. 13.  — Exteriori deuotione interiore impediri. — 1. Theſſ. 5.

i fine cessatione orationi incumbunt, qui omnia opera sua in charita-
iunt, omni priuato commodo & lucro, quod ex eis habere possent, re-
t, atque Deo se humiliter submittentes ac offerentes, illum solum ope-
int. Quando autem hæc oratio in supremis animæ viribus colligitur,
ima fit spiritalis: & quando spiritus inhæret Deo cum perfecta volunta-
ione, tunc ipse deificatur: & tunc demum homo *Patrem in veritate* ado-
ppe qui tum primùm finem suum attigit, ad quem conditus est. Sed heu
os hodie inuenire est, qui non adorant *Patrem in veritate*. Quoties autem
Deum pro rebus creatis deprecatur, damnum suum postulat. Quatenus
eaturæ idipsum, hoc est, creaturæ sunt, amaritudinem & incommoda,
ioque & damna sua, secum ferunt. Quando igitur illi, qui pro creaturis
int, damna multa & incommoda sentiunt, & multa replentur amaritu-
lè quidem patiuntur: quia hæc sunt, pro quibus ad Dominum preces fu-
Quisquis autem sic Deum quærit, vt simul aliquid cum illo quærat,
uenire non potest. Qui verò solum Deum in veritate quærit, & Deum
& omnia simul cum illo, quę ipse habet & præstare potest. Denique non
& hoc quosdam à vera perfectione remoratur, quòd soli humanitati
nhærent, nimiumqúe confidunt visionibus suis, hoc est, quòd in spiritu
s quasdam vident, siue Angelos, siue homines, siue ipsam humanitatem
nimiumqúe creduli sunt vocibus, quas eo modo audiunt, dum fortè eis
quòd charissimi sint filij Dei, seu aliorum defectus, siue virtutes propo-
aut etiam audiunt, Deum aliquid singulare per eos facturum: & in his
r sæpissimè. Non enim operatur aliquid Deus, per quamlibet etiam
m, nisi ex mera bonitate sua. Et certè ipse discipulis suis ait: *Expedit vo-*
vadam. Vnde quotquot perfectissimi esse volunt discipuli illius, noue
edimento sibi fore humanitatem eius, si illi cum inordinata delecta
æserint. Deum enim sequi debebunt per omnes vias eius: ideoqúe per
atem in diuinitatem ire contendent. Hoc etenim est, quod ipse Domi-
go sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Multum pro-
int, qui mente tumidi aliquid se boni posse ex seipsis arbitrantur, quan-
m ipse Dominus ait: *A meipso non veni, sed est verus qui misit me.* itemqúe:
ea non est mea. Ipsa tamen Christi humanitas adoranda est ob diuinita-
em. Christus nanque verus homo, verus quoque Deus est, & Deus in
s est homo. Dignum est igitur charissimi, vt omni inordinato creatu-
nore, & erga illas affectione, abdicatis, vni Deo ac Domino nostro Iesu
qui est ipsissima via nostra ad Patrem, inhæreamus. Et tamen, vbi in
ritatis viam, quæ Christus est, peruenerimus, necdum perfectè beati
ametsi diuinam contemplemur veritatem. Quandiu enim contempla-
stimus, necdum vnum sumus in illo, quod contemplamur: & quandiu
ntelligimus, siue consideramus, necdum vnum in illo vno sumus. Vbi
on est nisi vnum, non etiam videtur nisi vnum. Et ipse Deus videri
st, nisi per caliginem, nec agnosci nisi per ignorantiam, sicut Augusti-
nimam ad Deum venire non posse, nisi absque creaturis illum accedat,
similitudine illum inquirat. Vnde cùm anima creatura sit, extra se-
i debet, & in hora contemplationis & amorosæ vnionis suæ cum Deo,
am absorpta fuerit, Sanctos & Angelos omnes, & creata omnia post-

Qui sine intermissione orent.

Adorare in veritate.

Quis Deũ verè quærat, aut non quærat.

Humanitas Christi quibus noceat.

Ioan. 14.

Ioan. 8.
Ioan. 7.

 ponet:

ponet: (quod alioqui semper faciendum non est) hæc [illegible] animam in [illegible] vnione præpediunt ea hora, qua cum omnibus viribus in Deum eleuatur [illegible] pitur que. Debet namque anima nuda esse à rebus omnibus, [illegible] non indigens: & ita ad Deum cum aliqua illius similitudine v[illegible] hil autem tam facilè vnit & suscipit colorem suum, vt simili[illegible]. Tum [illegible] Deus in animæ vires se effundens, crescere eam facit in similitudine sua, [illegible], Dei, & quendam ei diuinitatis colorem imprimit. Imago quippe in viribus [illegible], similitudo in virtutibus, & diuinitatis color in vnione: atque ita demum in hac vnione eousque in Deum subleuatur, vt iam opera sua non in forma creaturæ, sed in forma diuinitatis, cuius colore tincta, cuique felicissimè vnita est, hoc est, vt deificata & diuino quodam modo operetur: adeoque diuinitatis colori & similitudini propinquat, vt iam suis illi operibus abiatis, Deus omnia opera illius in sua forma operetur. In hac autem diuinitatis contemplatione posita, si magis ac magis Deo vniatur, fieri potest, vt ad tantam Dei pertingat vnionem, vt se totum illi Deus infundat, adeoque ipsam in suæ rapiat absorbeatque diuinitatis abyssum, vt saltem eo tempore nullam ipsa anima habeat discretionem virtutis ac vitij, nec discernere queat, qualem se sentiat esse. Deus autem creaturam eam habet. Itaque sic viuere curemus, & digni simus quos lumen gratiæ extra lumen naturæ rapiat abstrahatque. Quò enim anima in luce cælestis gratiæ ad altiorem subuehitur cognitionem, eò lumen naturæ illi obscurius videtur. Quæ si tunc ipsam velit agnoscere veritatem, ita poterit, vt aduertat & obseruet, si ab omnibus abstracta sit, si seipsam extra se perdiderit, si Deum amore illius diligat, si à nullo impediatur, si denique solus Deus in ipsa viuat. Quæ si ita inuenerit, haud dubiè ipsam se perdidit, quomodo Virgo gloriosa Christum Filium suum perdiderat, quando ille in schola supremę scientiæ Patris sui fuit, & ideo minus respexit ad matrem suam. Ita nimirum & anima nobilis, cuius schola diuinitas est, dum hanc ingreditur, agnoscere discit, quid sit Deus in ipsa essentiæ vnitate, in personarum Trinitate, & in assumpto homine, grauissimamque Dei voluntatem ac beneplacitum. Quicunque talis est homo, hic vel maximè Dei est, & omnes actus suos ex dilectione operatur, totamque voluntatem suam in cælestis Patris sui voluntatem ac beneplacitum transfundit atque resignat. Præstet nobis omnipotens Deus, vt ab omnibus impedimentis absoluti, & nos quandoque ad hæc pertingere valeamus. Amen.

Lucæ 2.

DOMINICA V. POST PASCHA.


Author D. Henricus Suso.

De triplici irresignatione, & vt nos iterum atque iterum relinquere, & abnegandi studium ac propositum sæpius renouare debeamus, donec in Christum perfectè transformemur, & de vera paupertate spiritus.

SERMO VNICVS.

Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. IOAN. XVI.

Omnis Christi actio, quò tetenderit.



OMNES, dilectissimi, Redemptoris nostri conatus, labores, studia, doctrinæ & exempla, eò tendebant, vt electos amicos & discipulos suos, intro perduceret in purum animæ fundum, & in

ipsam

lucem veritatis. Videns autem vsque adeò illos soli exteriori homini affectos, deditos & intentos, vt illud verum bonum consequi non pos-corporalem præsentiam suam illis subtrahere cogebatur. Quid est hoc? us nunc abscedant glossæ omnes, & omnia excusationis velamina. Si a sapientia vnigenitus Filius Dei Patris discipulis suis impedimento itra ambiguitatem nulla in terris creatura est, quæ non impediat, quæ-e demum sit illa, quocunque vocetur nomine, qualicunque habitu te-. Itaque omnes omnino instabiles ac mortales creaturas relinquere, & imo remouere oportebit, si præstantissimum bonum illud, quod ipse est, suscipere volemus. Triplex autem hominum genus inuenitur. Qui-abscedunt, Alij proficiunt, Postremi ingrediuntur. Priores, sunt inc-s. Alij, proficientes. Tertij, perfecti. Quando igitur correctioris vitæ in-im aliquis primò arripit, & incipit seruire Deo, diligenter ac strenuè s animæ suæ latebras & angulos perscrutabitur, si quid fortè in eis re-valeat, quod cum inordinata delectatione vel possederit, vel etiamnum eat, aut certè aliqua mortalis creatura quendam in se angulum occupet. uid autem tale inuenerit, citius inde expellet eijcietque. Hoc ante om-m primis est necessarium, haud secus quàm pueris rectè instituendis pri-menta, seu ipsum alphabetum. Et licet non statim in ipso exordio om-o voto successerint, non despondeat animum, nec immodicè pertur-tantùm perseueret. Ita enim & pueris in ludo literario iterum atque , imò toties dictio vna prælegitur, donec ipsam perfectè teneant. Sic iterum atque iterum, iterumque se relinquet & abnegabit, dicetque: *relinquo mundum*, hoc est, caduca omnia. Manè euigilans, statim ante oculos suos ad Deum leuans sic ipsum alloquetur: Eia charissimum & um bonum meum Domine Deus meus, en iterum pro amore tuo & me nia relinquere incipiam. Sicque vel millies per diem, si toties sese in-, rursum seipsum exire & relinquere proponet. In hac abnegatione, erfectionis summa consistit: sine qua nemo proficere valebit, quoquò erit. Inde est, quòd heu multi inueniuntur, qui posteaquam Deo vel qua-ita annis seruierunt, & plura bona fecère opera, in extremis æquè à ve-fectione remoti sunt, vt erant in principio: quemadmodum de popu-duræ ceruicis, filijs Israel legitur, qui cùm aliquandiu cum immenso & ærumna multiplici per desertum ambulassent, cùm iam ad solitudi-uenissent extrema, ad interiora deserti, vnde venerant, regressi sunt. dicere sufficiat, quantos labores & sumptus, quantumque temporis ple-niferè absumant, qui non sibi tantùm, verùm etiam alijs, bonæ & sanctæ & ad summam deuenisse videntur perfectionem, cùm tamen in eodem gradu hæreant, à quo inceperunt. Porrò sicut hoc abnegationis studium cipio ante omnia maximè necessarium est, ita & vsque in finem in eo per-ndum est. Nemo enim toties se relinquit, quin semper aliquid supersit, in denuò relinquere debeat & mortificare. Errant proinde, qui se in hac vi-ntam sui abnegationem pertingere posse arbitrantur, vt deinceps nihil , in quo illos oporteat mortificari & exire seipsos. Quò enim homo al-oficit, eò subtilius & strictius sese relinquere habet. Porrò quosdam in-est, qui posteaquam se reliquerunt, iterum nequiter siue callidè ius sibi

Triplex hominũ genus.

I.

Perfectionis summa vbi sita.

 vsur-

Suiipsius quæstio occulta. vſurpant in ſeipſos. Alij idipſum beſtialiter faciunt: alij diabolico modo, instar Luciferi. Quod ad priores attinet, qui nequiter ſeſe reſumunt, ſciendum eſt, quòd natura cùm mirum in modum nequam ſit, valdè occultè ſeipſam quærit in omnibus. Et iſti ergo naturæ ſuæ dediti, dum aliquid perperam agunt, ita dicere ſolent: Bona intentione id feci: & bene ſe excuſare nôrunt, pluraque ſuæ immortificationi excuſationis obtendunt vela, & ipſo Deo ſapientiores eſſe conantur. Cæterùm ſicut auri lamina oculis impoſita, non minus viſum impedit, quàm ferri: ita & mortalibus omnibus vitæ huius creaturis, quantumcunque nobiles ſint, vel qualibet intentione retineantur, prorſus renuntiandum eſt, omni calua excuſatione poſtpoſita. Quid autem de illis dicendum eſt, qui cùm in ſanctis congregationibus viuant, tam nihil veræ reſignationis habent, vt pro vno libro, aut aliqua alia viliſſima re vel denegata, vel ſubſtracta, inſtar canum furentium latrent, murmurentqúe: cùm tamen religioſus quiſque ita deberet meritò eſſe reſignatus, vt in vnam maxillam percuſſus, alteram benigno poſſet animo obijcere: & quicquid illi accideret, eandem ſemper animi tranquillitatem & pacem pectoris retineret. Nonne de ipſo Domino Saluatore publicè dicebatur, quòd *ſeductor, vorax & dæmoniacus* eſſet? Et tamen tacuit, & omnia benignè tolerauit. In Vitis Patrum quidam interrogauit magiſtrum ſuum, quibus modis vera poſſet obtineri perfectio? Et ille iuſſit eum pergere, vbi defunctorum corpora ſepulta iacebant, illoſqúe aliquandiu laudare, deinde maledicta in eos congerere. Quod cùm ille feciſſet, & domum rediens, ſeniori ſuo, mortuos neque laude, neque vituperio motos fuiſſe, retuliſſet, dictum eſt illi à ſene, vt & ipſe talis eſſe conaretur. Nouerat enim ſanctus Pater, Dominum electis ſuis omnibus longè ante prædixiſſe, quòd *in mundo preſſuram* haberent, *in* ipſo verò *pacem*. Alij beſtialiter ſeſe reſumunt. Nemo exiſtimet me hîc de illis dicere, qui inſtar pecudum ſpontè volutantur in ſtercoribus peccatorum ſuorum: ſed de illis potius, qui ſummum & amabile bonum illud, quod eſt & dicitur Deus, modo quodam naturali appetunt. Sanè hominem rationalem opera ſua irrationaliter, ex naturali videlicet propenſione & appetitu, inſtar pecudum, quæ naturæ impulſum ſequuntur, agere non decet, ſed ex voluntate & cum ratione ad Dei laudem & propter Dei amorem: vt ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue dormiat, ſiue loquatur, ſiue taceat, ſiue aliquid aliud agat, qualecunque demum illud fuerit, naturæ affectu & propenſione compreſſis atque calcatis, ex ratione & amore operetur, ſic orando & cogitando: O Deus meus, amator meus, tibi, non mihi, comedo: tibi, non mihi, dormio, viuo, patior: propter te, non propter me, relinquo omnia. Denique religioſus quidam ſublimis vitæ deſiderio tenebatur. Quodam igitur tempore ad ſcholam quandam in viſione ductus fuit, in qua plurimi ſtudioſi erant, qui diligentiſſimè ſtudere videbantur. Hos frater ille alloquens, ſic ait: Grandis quidem, dilectiſſimi, hæc ſchola eſt, de qua etiam mira audiſſe me memini: ſed quæſo, dicite mihi, cui ſcientiæ hîc detis operam. Vnus autem ex eis reſpondit, dicens: Nihil aliud hîc diſcimus, quàm perfectam noſtrijpſorum abnegationem in omnibus. Tum ille frater: Prorſus, inquit, hîc manere ſtatuo, & cellam mihi conſtruere, etiam ſi vel mille mortes ſubire me oporteat. Et ille: Non, ait, ita facies: ſed abi hinc quietus, certus quòd quo minus feceris, & plus te abnegaueris & reliqueris, tanto etiam plus feceris. Nimis proh dolor

Ioan. 7. Matth. 11.
Paradigma.
Ioan. 16.
Paradigma.

hom-

excæcati sunt homines, & multa facere volunt, diuersa quoque inci-
ac si Deum ipsum nutrire vellent: & hæc omnia cum seipsis, ex pro-
oluntate cum vana complacentia, ex proprio sensu, & propria natu-
Sed non hæc perfectiora sunt: nec tam nostris conatibus, quàm nostri
tione, mortificatione, perditione, abnegatione ad perfectionem perue-
. Vnde quandiu vna saltem gutta sanguinis in homine superest, nec- Quanta ad veram perfectionem necessaria.
ortificata & deuicta, adhuc vera illi perfectio deest. Quod enim Pau-
Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus: ita accipiendum est, vt Galat. 2.
edatur, quòd quandiu aliquid in homine viuit, quod Deus non est, si-
se homo, siue aliud quodcunque, tandiu Deus in illo haudquaquam
viuit. Tertij demum diabolico modo instar Luciferi se resumunt.
rat quippe Deus Luciferum, & excellentissima dona ac præclarissima
lerat naturalia. Sed quid fecit ingratus & superbus? Ad seipsum cum
i complacentia reflectebatur, & esse volebat aliquid. Sed eodem mo- Esaiæ 14.
de cælo instar fulguris exturbatus & excussus, nihil effectus est. Simili-
ni parentes nostri (non enim longius quærere necesse habemus) & ipsi
in modum excellenter à Deo ornati erant. Accessit serpens, imò dia-
serpente, obtulit pomum Euæ, &, vt manducaret, versipellis simpli-
itauit. Recusabat illa, ne fortè moreretur, & rediret in nihilum. At il-
us: *Nequaquam*, inquit, *moriemini, sed eritis*. Hoc igitur verbum: *Eritis* Genes. 3.
adeò illi acceptum, adeò naturæ eius gratum fuit, adeò in auribus cor-
resonabat, atque ita denique in ipsa radices iecerat, vt absque mora ni-
m deliberans, pomum decerperet, & decerptum, contra Domini Dei
onem manducaret. Inde nos omnes nihil effecti sumus: hæc causa per-
omnium nostrum ad vltimum vsque hominem, à filijs in filios & fi-
filios. Quamobrem, quisquis esse vult, à seipso prius deficiat oportet.
nim fundamentum est salutis nostræ, mortificare scilicet, abnegare, Fundamentum salutis nostræ quod.
, annihilare nosipsos. Si ergo vis esse quod non es, omninò oportet
abnegare & perdere ac deficere ab eo quod es. Solum illud purissimum
ssimum bonum, quod est & dicitur Deus, in seipso est, intus manens in
i essentia sua, estque essentialis, immota, tranquilla essentia, existens.
Non sic creaturæ, quæ non sibijpsis, sed illi, propter illum erunt. Ipsa
& esse, & operari est omnium rerum creatarum, nos autem nihil nisi
Proinde oportet quemque profundissimè abnegare & relinquere se-
Sed quàm profundè, inquis? Ausculta. Si lapis pelago nullum habenti
immitteretur, haud dubiè semper caderet, quia fundum non habe-
ergo & fidelis quisque altissimè in Deum, qui fundum non habet, se- Quā profundè quisque sibi mortificandus.
rgere, atque in illo fundare curabit, vt quicquid illi siue foris, siue in-
lerit, quamlibet etiam graue illud fuerit, siue afflictio, siue defectus
(In eos nanque sæpe ob vtilitatem nostram à Deo cadere permittimur)
quodcunque, ita sit fixus in Deo, vt non solùm non noceat, verùm
ofundius ipsum demergat in Deum, nec aliquid inde sentiat, mouea-
ontristetur in fundo suo: non seipsum quærat, nec intendat, sed so-
m, in quem immersus est. Nam qui aliquid quærit extra Deum, Deum
rit. Et quid magis æquum, dignum & iustum, quàm vt in omnipo-
summum, & superdulcissimum Deum, omnis hominis fauor, fun-

dus, intentio feratur? Cui soli omnis gloria, cui meritò tota voluntas atque fidelitas omnis exhibenda est, ita vt nunquam nostrum priuatum commodum, nostram delectationem, nostri exaltationem, & nostram denique mercedem quæramus, sed ipsum solum, vt cum dilecto Filio eius ex sententia possimus dicere: *Non quæro gloriam meam, sed Patris mei.* Nam si aliud aliquid quærimus, malè nobiscum agitur, & adhuc multum nobis deest. Sicut & vitrum quanlibet speciosum, si vel tantillum foramen habeat, vt vix aciem vnius acus capere possit, integrum non est: quantulacunque ruptura sit, vitri integritatem tollit. Quæso dilectissimi, non vos ista perturbent: & vobis ad cælestia regna aditus patet, etiam si ad summam perfectionem minimè pertingatis. In superna patria & pusilli & magni reperiuntur: sicut & in terris alij gigantes & proceri, alij ita debiles sunt & infirmi, vt vno digito ad terram deijci possint: & tamen omnes homines sunt. Sic & in hac parte est. Inter mille vix vnus perfectus inuenitur. Quidam tam perfectè se resignârunt, vt in anno semel tantùm aliquam intra se irresignatonem sentiant. Tum verò gementes vociferantur & dicunt: Heu mihi, adhuc meipsum inuenio. Iam sepelisse me credebam omnem animi irresignationem. Ergóne adhuc viuit? Alij in mense semel se inueniunt. Alij semel in hebdomada. Alij semel in die. Alij denique sæpius in die. Hi cum lachrymis cordis sui ad Dominum clamabunt, dicentes: Væ væ dulcissime Domine Deus meus, quàm malè mecum agitur? quàm infinita est miseria mea? Quid tandem de me fiet, qui toties inuenio meipsum? Certè rursum incipiam, iterum atque iterum me relinquam. *Iterum relinquam mundum,* denuò resumptis viribus meipsum, quantum potero, abnegabo. Toties enim nosipsos mortificare, exire, relinquere debemus, donec tandem resignati efficiamur. Sicut enim vna hirundo (vt dici solet) ver non efficit, sed dum cumulatim aduolant, æstas è vicino adesse intelligitur: ita etiam semel, aut bis, aut decies sese abnegâsse, homini ad perfectionem non sufficit: sed si crebrò id agitur, iterum atque iterum, tum demum ad perfectionem quandoque licebit peruenire. Sic & pueris eadem toties & tandiu inculcantur, donec ea perfectè teneant. Et nos ergo si iterum atque iterum, id est, crebrò ac repetitis vicibus, nos abnegauerimus, tandem in hac arte erimus perfecti, & à cunctis defectibus absoluemur expediemurqúe. Sed nihil ita nobis deesse video, sicut diligentiam, & rerum transeuntium neglectum atque contemptum. Cæterùm quosdam inuenire est, qui cùm necdum à minimis inceperint, de suprema hominis perfectione quærant. Vixdum verbum vnum patienter sufferre valent, necdum creaturas & seipsos & mundum reliquerunt, & tamen de summa percontantur perfectione. Hæc autem resignatio, sui sectatorem vacuum non relinquit, sed paupertatem spiritus, imò virtutes omnes secum adducit. Paupertatem autem spiritus integram Deo exhibere & offerre poteris, etiam terrenas opes possidendo, nec quicquam inde patieris impedimenti, quod ad veram Christi imitationem attinet, si tantùm tria hæc, quæ subijcio, seruare curaueris, sine quorum obseruatione istud habere non potes in veritate. Primum est, vt ex illis, quæ possides, non nisi necessaria tibi vsurpes, haud secus quàm si ea ostiatim mendicâsses, & quotidie mendicare deberes. Secundum, vt si scias
I. alium aliquem Dei amicum & hominem bonum illis indigere, liberam ei fa-
II. cultatem præbere possis tam liberè eis pro sua necessitate vtendi, ac si illius verè pro-

Ioan. 8.

Neminē [illegible] perfectionis difficultate terreri debere.

Esse aliquid, aliquo profecisse.

Quid nobis potissimum desit.

Paupertatem spiritus etiam diuites habere posse.

Tria, vt quis pauper spiritu esse queat, seruanda.

tia forent, hocqúe illi non minus faueas, quàm tibi ipsi. Tertium, vt III.
... futuram facere contingat, ita in fundo & voluntate tua tranquil-
... perturbatus perseueres, ac si ea nunquam habuisses. Hæc tria quisquis Verè spiritu pauper quis.
... & perfectè in se habet, verè pauper est spiritu, etiamsi extrinsecus vel
... teneat imperium, & citra dubium ipsius est regnum cælorum, atque in
... iudicij die sedebit cum iusto iudice Deo super thronum iudicialem.
... enim in præclarissimo veræ paupertatis statu decesserint, senten-
... t super omnes illos, qui huius beatissimæ paupertatis fuerint ex-
... Sciendum est autem, quod Dominus ait: *Beati pauperes spiritu*: non re- Matth 5.
... verò pauper est spiritu, quem nulla creata possident, nec vlla terre- Pauper spiritu quis.
... lio, quæ ei possit obtingere, ita eum satiat, quin manum desiderij sui
... xtendat, & coram Deo prostratus, illius gratiam, largam eleemosy-
... ipsummet Deum humiliter petat. Et sanctus Thomas ait, quòd si quis
... sicuti habenda sunt, haberet: multo ea paupertas, quæ naturæ neces-
... ministrat, quàm quæ singulis ea diebus ostiatim mendicare cogit, ex-
... præstantiorqúe foret. Necessaria quippe veræ paupertati nihil dero- Paupertatē veram cum necessariis habitis stare posse.
... qui ea habet, aliunde conquirere non indiget, atque ita fundus in
... terius se in Deum potest recipere, quando videlicet curas & affectus
... rerum temporalium transcendit. Diuus Bernardus sua tempestate &
... Pontifice & hominibus vniuersis honoratior fuit, quod tamen ille
... is fecit, quàm lutum platearum. Denique & sanctus Thomas: Si vis
... probare, vtrum aliquis magnæ & perfectæ vitæ sit, considera primò, Experimentum vitæ perfectæ.
... tilia verba loquatur. Secundò, si honorem quærat, & contemptum
... bria fugiat, nec ista ex animo lætus & gaudens excipiat. Et si ita in-
... quicquid agat, non eum magnifacias: non enim aliquod veræ ha-
... tis fundamentum. Nam qui pati recusat, ruinæ proximus est. Hanc
... tem spiritus, sicut & cæteras virtutes omnes, gloriosa Virgo perfectis-
... edit: & quisquis eam in hac sequi desiderat, quatuor sequentia in se
... rabit. Primum est, vt terrena omnia paruipendat. Secundum, vt Quatuor ad spiritus paupertatem requisita.
... osperitate moueatur. In hoc enim damna omnia profectus spiritalis
... t, quæ vel cogitari, vel homini queant accidere. Tertium, vt tristia
... & omnia tam prospera quàm aduersa contemnat, cunctaqúe de pia
... manu suscipiat cum gratitudine, non autem ab hominibus, qui non
... amentum sunt Dei omnipotentis, per quod ille operatur. Quartum, vt
... nper in animo suo circunferat, illius gratissimam præsentiam ob-
... in his beatissimam Dei Genitricem imitetur, quod & illi gratissimum
... ssimum obsequium est, quod quidem illi possit impendi: quanquam
... a obsequia, & illi grata, & homini salutaria esse, dubium non sit.
... obis omnipotens Deus, vt exemplo gloriosæ Virginis matris, inde-
... tu, semper nosipsos abnegare, mortificare, relinquere & exire studea-
... n.


IN DIEBVS ROGATIONVM.

... quærere & pulsare debeamus. Et quid vobis Dominus daturus sit. Vt aliqui suis ... lapidem, serpentem, & scorpionem recipiant: & vt denique boni omnes patien- ... re debeant.

SERMO

SERMO VNICVS.

Quis vestrum habebit amicum, &c. LVCÆ XI.



DOMINVS noster Iesus Christus, vt discipulos suos ad orationis studium inuitaret, quodam tempore, cùm eos orare docuisset, sic eis locutus est: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille de intus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.* Et reliqua, quæ, cùm prolixum sit Euangelium, in gratiam breuitatis omittimus. Docet autem nos Dominus, quòd orare debeamus, & dicit: *Petite, & dabitur vobis quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Hic mihi primò dicendum venit, quid differentiæ sit inter hæc tria, quæ Dominus commemorat, inter petere scilicet, & quærere, atque pulsare. Videtur itaque mihi, quòd petere, sit cum mente ad Deum conuersa & intimo desiderio & adspiratione aliquid ab eo precari. Quærere verò, sit vnum aliquod certum è pluribus eligere & orare pro illo. Qui enim quærit aliquid, ad hoc singulariter omnem præ cæteris dirigit ac refert intentionem & studium suum. Pulsare demum, sit in oratione persistere, nec ab orationis cessare instantia, donec id quod petitur obtineatur. Hac ratione satis mihi tria hæc distincta videntur, petere scilicet, quærere, & pulsare. Verùm vt præsens Euangelium melius intelligatur, ipsam venerabilis Bedę expositionem subijcio: Is igitur in Homilia sic ait: Amicus, ad quem media nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consolenter labores, efflagitare debemus. Amicus qui venit de via, ipse noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties ad appetenda terrena & temporalia foris vagatur. Redit ergo, cælestiqúe alimonia refici desiderat, cùm in se reuersus: superna cœperit ac spiritualia meditari. De quo pulchrè, qui petierat, adiungit se non habere, *quod* ponat *ante illum*: quoniam animæ post seculi tenebras Deum suspiranti, nil præter eum cogitare, nihilqúe libet intueri: solum quod recognouit summæ Trinitatis gaudia contemplari, atque ad hoc plenius intuendum peruenire satagit. Et ille deintus respondens dicat: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.* Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis: quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi, clausumqúe est tempore famis, cùm intelligentia verbi non datur. Et illi, qui Euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicauerunt, pueri patrisfamiliâs iam sunt in secreta quiete cum Domino: & tamen orando efficitur, vt accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur. *Petite,* inquit, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Quæ Domini nostri verba nobis sunt, fratres charissimi, magnoperè ac toto corde pensanda: quia videlicet regnum cælorum non otiosis & vacantibus, sed petentibus, quærentibus & pulsantibus dandum, inueniendum, & aperiendum esse testatur. Hucusque Beda. Magna præterea & ineffabilis Dei nostri in præfatis verbis liberalitas attendenda est, qua tam profusè dare paratus est,

[Margin notes: Petere. / Quærere. / Pulsare. / Beda. / Amicus ad quem itur. / Amicus qui venit. / Ostium amici. / Coloss. 4.]

si nos orare non pigeat: nec diffidendum quin libenter sit orantes exau-
s, qui tam studiosè nos ad orandum inuitat. Sed deinceps considerandum
id & qua ratione orare debeamus. Quando igitur Deum aliquid oraturus
t, ante omnia mentis colligat dispersiones, animumqúe ab omni euaga-
& creaturis atque negotijs omnibus ad se reuocet: deinde cum vera pro-
que humilitate ad pedes Domini procidens, largas illius poscat eleemo-
cor illius mansuetissimum atque paternum pulset, & petat ab eo panem,
, veram charitatem. Non enim absurdè per panem charitas accipitur. Vt Panis.
uamlibet pretiosa mundi cibaria neque vtilia, neque iucunda, neque co-
olia sunt absque pane: ita etiam quicquid agas, Deo non multum placet,
e charitaté fiat. Ad hæc precetur Deum, vt se orare doceat, & intus faciat
gere, quid magis acceptum sibi sit in sua oratione & exercitijs internis,
e magis sibi expediat. Tum verò quæ illi occurrerint, siue sint de super-
issima Trinitate, siue de essentia diuina, siue de passione & vulneribus
oris, ea sibi assumat meditanda. Iam vt & huius aliqua habeatur instru- Qui orandum sit.
uo videlicet modo orandum sit, in primis sciendum est, non omnes eam
gratiam, vt possint mente siue spiritu orare: sed multis vocali oratione
im est. Et hi ergo in sua oratione vocali, quantum fieri potest, amorosissi-
ssima, deuotissimaqúe verba assument, quæ cor atque amorem ipsorum
m excitent ac inflamment: Deumqúe rogabunt, vt per vnigenitum Fi-
ium seipsum eis, modo sibi gratissimo, pro obiecto dare dignetur. Quo-
verò modo se magis ad deuotionem inflammari, quemqúe sibi magis
odum & opportunum esse senserint, siue sit peccatorum ac defectuum
orum commemoratio, siue aliud quodcunque, hunc assumant, eligant,
ntqúe. Hoc enim est quęrere, quomodo à Domino iubemur, gratissimam Quęrere.
Dei voluntatem, & quid magis expediat saluti nostræ, inquirere ac in-
re: atque in hoc studio iugiter pulsando, in finem vsque persistere. *Non* 2.Tim.2.
ronabitur; vt Apostolus inquit, *nisi qui legitimè certauerit*. Dehinc secutus in
lio Dominus ait: *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem da-
ut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit ill? Aut si petierit ouum, nunquid
illi Scorpionem?* Vbi iuxta typicam intelligentiam, panis dilectionem Panis.
it: in pisce fides non ficta exprimitur: per ouum, spei nostræ certitudo si Piscis. Ouum.
. Et post hæc concludit Dominus, dicens: *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis
a dare filijs vestris: quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum peten-*
Hoc est quòd paulo superiùs dixerat: *Omnis qui petit, accipit: & qui quærit,
& pulsanti aperietur.* Quæ omnia cùm ex ipsius Veritatis ore processerint,
sunt non esse verissima. Quid ergo est, quòd tam multos etiam pro-
care precibus quotidie videmus, nec tamen vnquam vitalis panis re-
m mereri, cùm alioqui Deus omnipotens tam ineffabiliter profusus sit
lis, tamqúe libentissimè tribuat & dimittat, adeoqúe incomparabiliter
um paratior sit, quàm homo ad accipiendum? Quid est, inquam, quòd
issimas preces, ipsam orationem Dominicam, Psalteria multa, sanctas
s, vt vocant, easdemque plurimas, & alias precationes (quæ vtique
x Spiritus sancti inspiratione instituta sunt atque conscripta) absque
fundunt, nec tamen exaudiuntur? Mirum profectò id est: sed minimè
usa. Dicam ergo vobis, dilectissimi, qua de causa id fiat. Non alia sanè, Cur non semper

omnes exaudiuntur. quàm quòd corda & fundum ipsorum alienus amor occupat: voluntas & intentio ipsorum non in Conditorem, sed in vanissimas atque mortales fertur creaturas: atque hic amor illicitus & inordinatus, quo vel seipsos, vel quæuis alia terrena, friuola, transitoria immodicè diligunt, adeò ipsos totos, totum fundum, & cor ipsorum totum occupat & inficit, vt diuino amori, qui verè cælestis ac diuinus est panis, nulla ratione aliquis ad eos pateat accessus, quantumlibet multum & prolixè orationi incumbant. Verum est enim, quod Hugo ait, ita impossibile esse hominem sine omni dilectione viuere, sicut impossibile est corpus absque anima subsistere. Ad seipsum igitur vnusquisque reuersus, diligenter examinet & inquirat, quænam potissimum amet, circa quæ studiosius occupetur. Nam si amor diuinus succedere debeat, omnem priuatum & illicitum amorem prius cedere oportet, sicut Augustinus ait: Effunde, vt implearis. Itaque veniunt istiusmodi homines cum mundanis cordibus & occupatis atque possessis fundis suis, & ita metuendam Dei precantur maiestatem: sed panem non accipiunt. Quis hoc imputet Deo? Magis autem & lapidem reportant pro pane, cor videlicet durum atque lapideum, frigidum aridumqúe, & ab omni deuotione & gratia vacuum. Tales plurimos quidem codices subinde reuoluunt, & legunt multa: sed nihil eis sapiunt, non eos intus inflammant, nec sitiunt ea quæ legunt: tantùm ex cæca quadam & arida id agunt consuetudine, sicqúe ad dormiendum, vbi dies abscessit, se reponunt, rursumqúe lucis orto sidere, iterum more consueto ad solita se conferunt: omnia se bene satis peregisse arbitrantes, si tam frigido corde & arida consuetudine preces suas vtcunque persoluant. Atque inde iusto fit iudicio Dei, vt corda ipsorum instar lapidis molaris indurentur, vt penè nulla possint ratione commoueri, aut ad pietatem & vitæ correctionem induci. Et si aliqua eis molesta vel contraria, siue agendo, siue dimittendo fiant, ita interiora sua, hoc est, fundum suum signis quibusdam externis produnt, vt nulli dubium sit, plus quàm adamantem ipsorum corda induruisse. Hos igitur lapideos homines fugite dilectissimi, nec multa cum eis colloquia habetote, tanquam eos instruere velitis, nisi tantùm verbis paucissimis, iuxta monita Saluatoris, dicendo eis: *Ita ita, non non* & illis absolutis, discedite ab eis, dicentes cum virginibus à Domino commendatis: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis*: ne fortè vitijs & peccatis ipsorum inuoluamini. Videte autem, ne lapides isti frontibus vestris infigantur. Sed dum verborum iacula tanquam lapides in vos congerunt, demisso capite, videte ne quo modo lapides paruos aut grandes in ipsos regeratis. Sed ostio oris firmiter obserato, corda vestra erigite ad Deum. Ita planè charissimi amore Dei, instar agnorum mites estote & humiles erga eos, qui vobis contrarij sunt, & iniurias irrogant. Ponite cum sancto Dauid *custodiam* ori vestro, & omnia patienti animo sufferentes, fundum vestrum diligenter attendite & obseruate. Certè in plerisque, imò in multis, lapides isti siue corda lapidea, diu latent, nec facilè deprehenduntur, donec aliqua vel tenui saltem afficiantur molestia. Equidem si quos tales inuenire mihi contingeret, qui intra se odium & inuidentiam ita occultè circunferrent, nec corrigi se permitterent, nec etiam sanis consilijs obtemperarent, quantum in me esset, ad altaris metuendissimum Sacramentum eos haudquaquam admitterem. Atqui plures inuenire est, qui cùm viginti, triginta, & eò amplius annis sæpè confessi sint, nunquam tamen veram fecerint confes-

Matth. 5.
Matth. 25.
Psalm. 38.
Lapidea corda qui tractanda.

ionem, nec vnquam ritè sint à peccatis suis absoluti, & tamen ad Christi enta accedant intrepidi. Hoc verò quàm periculosum, metuendum & le sit, dici vix potest. Neque enim vel ipse Pontifex summus, cuius est su- otestas, tales absoluere posset: Hi verò quanto sæpius accedunt, quanto- orant, & plura faciunt bona opera, tanto magis lapidescunt in duri- ad peccata discernenda crassiores, cæcioresque efficiuntur. Quare hoc, Quia videlicet sibijpsis plus satis placent, & nimium de suis operibus unt: Multoque prestaret, eos ad viuifica illa Christi Sacramenta non ac quandiu peccandi occasiones & vitia atque defectus suos fugere nolunt. certo certiùs tenendum est, Deum id inultum non relinquere, & non anima, verùm etiam in corpore grauiter in illos animaduertere, qui uerenter celebrationi vel communioni se ingerunt. Tales pro pisce m accipiunt. Sunt enim omnes temerarij iudices. Sicut enim serpens quærens vbi sua venena effundat, ita in istis hominibus quicquid audi- su percipiunt, vertitur in venenum: quod rursum vbi possunt, effun- trahendo, denigrando, & in nihilum redigendo aliorum famam & vi- oque totos eos serpentes illi annosi & longissimi occupant. Vnde fit, vt cire & nôsse nequeant, sed est semper aliquid, quod in alijs velint corri- lve aliter fieri debere existiment. Sunt & alij serpentes, murænularum gui, id est, occulta inuidia, latens odium, clandestina famæ alterius io, quæ omnia ex peruerso & amarulento fundo germinant pullu- Quæ vos dilectissimi cauere moneo, & prætermissis alijs, vosipsos po- care. Denique & Scorpionem isti accipiunt, hoc est, falsam de seipsis em, spem temerariam, & cæcam presumptionem. Dicunt enim: Quidni n bene habeam, vt ille & ille, qui tantùndem oro, lego, psallo, & alia lta, vt ille vel ille? Verùm sicut scorpio ore blanditur & cauda lecha- git, sic & ista spes, temeraria & vana præsumptio, in principio quidem nt grandia: sed vbi ad finem vitæ peruentum fuerit, & fundus malè , detegi cœperit, hominem in dubitationem ac desperationem addu- ue perditionis æternæ inuoluunt miserijs, & ita infelix homo, mortis aculeis configitur. Hoc autem inde potissimum accidit, quòd fundum uum & vitia sua non satis diligenter obseruat: quod vtique valdè pe- n est. Sunt enim peccata quædam, quorum absolutionem ipse sibi reseruauit: alia sunt, quorum absolutionem impertijt pœnitentia- sunt, à quibus non possunt nisi Episcopi absoluere: alia, à quibus sacer- oluunt. Nec hoc propter grauiorem damnationem inferendam insti- : sed vt per absolutionis consequendę difficultatem peccata agnoscan- ponderentur, &, vt dignum est, iudicentur grauia: contritio quoque entior ac vehementior assumatur, & peccata ipsa tanto maiori cum ine caueantur. Planè charissimi, si perspectum haberetis, quàm peri- mines prædicti cum corrupto fundo suo, quem obseruare negligunt, imum Christi corpus & sanguinem, quem ille propter nos effudit, , fortè præ metu & tremore à vobisipsis deficeretis. Inde est, quòd in n monasterijs ita institutum atque sancitum est, vt non nisi post tres das ad sacram Synaxim accedatur: tamq; copiosum præbent tempus, tùm vt dignè se studeant præparare singuli ad tam præcelsum conui-

Quos ne summus quidem Pontifex absoluat.

Quibus mensam Domini vitare, quàm accedere præstaret.

Scorpio.

Peccatorum absoluti qua fit diuersa.

uium, quo deinde ipsum venerabile Sacramentum in vnoquoque possit operari. Sed ita vos velim ad illud Sacramentum adspirare atque sitire, vestrumque erga illud excitare desiderium, & ita vitam instituere, vt crebrò ipsum suscipere digni sitis: Dominumque exoretis, vt ipse vos per seipsum præparet & idoneos reddat. Interim, quod in vobis est, bonam semper gerere voluntatem, & intus viuere curetis: semperque mites, humiles, abstracti estote. Et si quæ fortasse hac de causa vobis aduersa eueniant, & alij aduersum vos insurgant, taceatis obsecro, nec illis respondere velitis. Doctor quidam Theologiæ cùm interrogatus fuisset, vt sibi placeret, quòd quidam tam crebrò præ alijs & præter consuetudinem ad sacram vellent Communionem accedere, ita respondit: Ah pie Deus, nos meritò omnes gaudere deberemus vel quosdam superesse, qui Dei desiderio & amore teneantur. Et si qui tales in Monasterijs inueniuntur, alij eis charitatis affectum impendant, & quantum possunt, ipsorum desiderio curent fieri satis. Atqui eiusmodi crebrò communicantes, haudquaquam eos tanquam peiores iudicare debebunt, qui rarius ad sacram Communionem accedunt: quinimò cogitabunt potius, eos ex magna humilitate & reuerentia minus frequenter accedere, quod etiam non parui meriti est, dum contemplantur ipsius Sacramenti dignitatem & excellentiam. Denique & hoc monendi estis charissimi, vt si quis temerarij & iniqui iudicij lapides in vos iaciat, aut verborum flagellis cædat, non id ab homine, sed sine medio ab ipso Deo suscipiatis. Sunt præterea & alij lapides, dum videlicet is, qui toto corde ad Deum suspirat, Deumque desiderat, relinquitur ab illo in quadam desolatione interna, ita vt valde durum, pigrum & frigidum se sentiat. Huic magnopere curandum est, vt quamdiu in hac duritia & derelictione positus est, ad interiora sua se tanto amplius conuertat, illic permaneat & diligenter sese intus obseruet, custodiatque: cauens sibi, ne ad exteriora se transferat, quò minus molestiæ patiatur, aut aliquid intrò recipiat cum consensu, quod suam illi deuotionem siue interioris hominis inhabitationem auferat, præpediatque: sed intus se contineat, intus perseueret, secumque maneat. Et si animo defectus sui importunè se ingerant, & pro his grauiter intus ac seuerè iudicetur, reprehendaturque, patienter sufferat, non se inde auertat, sed seipsum multo seuerius iudicet, arguat, incuset. Quòd si etiam integra hebdomada hoc perseueret iudicium, id planè vtilissimum sibi fore non dubitet: tantum seipsum pariter intus coram Deo multo rigidius accuset, humiliet, lapidetque. Hoc idem faciendum est, quoties aliquis à rectitudine declinauit, aut defectum siue inordinationem aliquam incurrit. Mox enim vt aduertit, Domino Deo suo hoc intus confitebitur. Cumque deinde ad Sacerdotem idem confessurus aduenerit, & à memoria sua senserit excidisse, piè confidat, id sibi remissum à Domino. Cæterùm rogo vos charissimi, ne in Confessionibus vestris nimium verbosi sitis. Confessio nanque ab Ecclesia sancta propter mortalia peccata, & de quibus dubium est, vtrum mortalia sint necne, instituta est: Non autem propter venialia, quæ breuiter & simpliciter sunt explicanda. Non est autem, quòd putet aliquis actus exteriores, vt sunt visitare chorum, aut alia quælibet seruilia obedientiæ opera, se à vero profectu impedire. Non enim hæc ipsum impediunt, sed hoc potius, quòd in operibus suis tam inordinatus est, quòd Deum non purè quærit, nec ipsum sibi in animo, in voluntate ac intentione sua finem atque scopum præfixit, constituitque, quòd tam distractus mente, tam

Crebra mēsę Dominicæ frequētatio, itēque rara laudabilis.

Confessio qui facienda, & cur instituta.

multis imaginibus depictus est, quodqúe Deum perfectè intra se non ha-
Hæc sunt, inquam, per quæ impeditur, non autem externa obedientiæ ope-
ed ipse potius se impedit. Adijcere hîc pauca quædam libet, sumpta occasio-
verbis illis, quibus in præsentis diei Euangelio Dominus ait, pulsare nos
re, & ita fore vt intromittamur. Certè idem ipse alibi dicit, Ioannis capite
no, quòd ipse sit *ostium* Ad hoc igitur amabile ostium is, qui orat, tribus in Orãti tribus in locis pulsandum.
pulsabit, vt in veritate ipsi aperiatur. Primò, cum ardenti deuotione ad
atens & latus eius lancea perforatum, in quod etiam totum se deuotissimè
et atque immerget, cum vera cognitione infinitæ & immensæ paupertatis I.
hili sui, simulqúe cum Lazaro illo Euangelico ad fores diuitis epulonis Lucæ 16.
licante, micas cælestis gratiæ sibi dari deposcet. Gratia hæc gratum faciens,
ini diuinum quoddam ac supernaturale esse tribuit. Secundò, ad ostium II.
tissimorum vulnerum manuum illius clauis perforatarum, ibiqúe veram
iamqúe sibi cognitionem, per quam intus illuminetur, & in Deum suble-
, sibi dari petet. Tertiò, ad ostium beatissimorum vulnerum pedum eius: III.
mul ardentissimum sibi amorem petet infundi, per quem Deo vniri, & in
n absorberi, immergi atque includi valeat. Præstet nobis immensa mise-
dia Dei nostri, vt sic dignè petamus, studiosè quæramus, ac constanter pul-
s, vt intromitti digni simus. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

quosdam Dominus increpet pro incredulitate & duritia cordis ipsorum: & vnde talis nascatur, sumpta similitudine à veteri ac putrida cisterna: Vt anima alienis fœde-ag nibus: De aqua viua, & quatuor gradibus diuini amoris.

SERMO I.

cumbentibus vndecim discipulis apparuit Iesus, & exprobrauit incre-
atem illorum & duritiam cordis. MARC. VLT.



SICVT olim Dominus noster IESVS Christus ad cælestia mi-
graturus, discipulos suos, quo discedentis verba altius cordi-
bus eorum fixa hærerent, grauiter de ipsorum incredulitate
& duritia cordis increpauit: ita & in hunc vsque diem non ces-
sat increpare omni die & hora incredulitatem & duritiam cor-
nnium & singulorum hominum, in omni genere, conditione, & sta-
tus mundi. Specialiter verò Religiosos increpat, siue illi sint de aliqua
bata religione, siue aliàs in communi vitam ducant religiosam & spi-
n, vt sunt Beguttæ, Sorores, Fratres, & id genus alij. Hos Dominus in-
foris quidem per Ecclesiæ Doctores, intus autem per seipsum, si modò il-
lint correptiones obseruare. Meritò autem reprehenduntur, quòd cùm
psi sint, adhuc tamen tam increduli & tam duro sint corde. Magnum Quantum sit, id religionem vocari, Dei beneficium.
s Dei beneficium est, quòd secundùm æternam prælectionem suam ali-
ad præcelsum Religionis statum vocare dignatur: cumque id nobis be-
contulerit, pro hoc incomparabiliter ipsum præ omnibus amare & gra-
actiones deuotissimas illi exoluere sumus obligati. Itaque Religiosos,
, increpat Dominus pro incredulitate & duritia cordis ipsorum. Qui si
se humiliare possent, vt culpam suam, hoc est, incredulitatem & duri-

tiam cordis sui faterentur & agnoscerent, ac reprehendi se sustinerent, adhuc
Iacob 1. facilè eis succurri posset. Sed cùm Apostolus Iacobus dicat, fidem *sine operibus*
Marc. 16. mortuam esse, ipsi contra Domini sententiam allegant, dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sic proh dolor omnes fidem ore profitemur. Et
Rom. 6. Apostolus ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Audiant isti sententiam Augustini, qua ille ait: Non est vera fides, quæ non cum dilectione & opere ingreditur ad Deum, sed tantùm in ore habetur. Ipsa autem infidelitas notabiliter vel in hoc deprehenditur in eis, quòd ad aliquid aliud afficiuntur, aut in aliqua re alia delectantur extra Deum, vt iam ex
Psalm. 15. sententia cum Propheta dicere non possint: *Dixi Domino, Deus meus es tu,* quia videlicet nusquam mihi bene est, nisi in te. Exciderunt nanque à vera & viua fide, quod periculosum nimis & valde terribile est, in eis præsertim, qui nomen habent, quòd spiritales sint, & olim à Deo siue in somno, siue in vigilia moniti sunt atque commoti, & extra hunc fundum prolapsi sunt, & exciderunt. Deinde increpat etiam eos de duritia cordis ipsorum. Reuera, dilectissimi, terribile est valde, quòd homines religiosi, quos Dominus sibi specialiter elegit, & ad se vocauit, adeò indurantur, vt nulla diuina eis sapiant, siue sint orationes, siue alia exercitia bona ac spiritalia, quodque cùm cætera omnia iucunda simul atque facilima eis sint, erga Deum & diuina, lapidea prorsus corda gerant. De
Ezech 1. talibus dixit Dominus per Prophetam quendam suum: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Quæret hîc fortasse aliquis, qua ex causa iam dicti religiosi adeò indurentur, adeoque frigidi & aridi fiant, vt quicquid boni ex professione vel obedientia eis incumbit facere, absque affectu, absque sapore, solumque ex tepida consuetudine faciant. Cui respondemus, ea ex causa id accidere, quòd aliquid in corde suo gerant, quod ipse Deus non sit: siue sint ipsimet, siue aliud quodcunque, & inde reprehendi nolunt. De huiusmodi Do-
Ierem. 2. minus per Prophetam suum Ieremiam loquitur, dicens: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Cisternæ siquidem aquam viuam non habent, sed vel pluuiatilis, vel alia ad eas aqua confluit, quæ successu temporis computrescit, & tetrum spargit odorem. Conqueritur igitur Dominus Deus cælo & terræ, & omnibus amicis atque creaturis suis, de hoc intolerabili malo populi sui, quòd videlicet *cisternas sibi foderunt, quæ continere non valeant aquas.* Quis est autem populus iste, de quo Dominus tam graues querelas facit? Religiosi vtique, qui adeò fontem reliquerunt aquæ viuæ, vt in fundo suo parum aut nihil luminis & vitæ habeant, sed exterioribus duntaxat dediti sint, atque suis institutis, propositis & consuetudinibus externis, per sensus intro receptis in formis & imaginibus inhæreant, quæ tam facile decidere possunt, sicut assumpta fuêre. In ipso autem fundo, vnde aquæ viuæ scaturire ac ebullire debebant, prorsus vacui sunt & inanes: imò nec aquas diuinæ gratiæ continere possunt. Quicquid verò habent, non nisi consuetudines quædam exercitia siue instituta sunt, quæ ex proprio sensu propriaque voluntate sua assumpserunt. Cæterùm in fundum suum minimè se introuertunt, nec in illo aliquo Dei desiderio vel siti æstuant, sed nec proficere conantur, & in anteriora se extendere. Quando suos sensiles modos & exercitia, quæ per sensus intro receperunt, arido seruaue-

Cur religiosi quidam adeò tepescãt.

uauerunt corde absolueruntque, omnia sua in tuto esse arbitrantur: sicque suis cisternis, quas ipsi sibi foderunt inhærentes, de aquis viuis non bibunt, imò nec sapit eis Deus. Vesperi dormitum abeunt, & manè ad veteres modos suos reuertuntur: & ita abundè sufficit eis: nec aduertunt miseri, quòd ex cæca quadam, frigida, dura & arida consuetudine, vitali fonte neglecto, in suis cisternis, quas ipsi sibi foderunt, perseuerant. De his iterum per memoratum Prophetam suum alio loco Dominus dicit: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, & polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis,* relinquendo scilicet *me fontem aquæ viuæ, & fodiendo cisternas dissipatas.* Ierem. 3. Sicut enim superius iam dixisse me memini, ea quæ in cisternas siue confluunt siue congeruntur, paulatim exiccantur, computrescunt & fœtent. Ita ergo qui solis exterioribus modis & consuetudinibus suis contenti, veris virtutibus acquirendis nullam impendunt operam, intus in fundo suo manent superbi, homines propriæ voluntatis, duri, torui atque austeri in verbis, in iudicando atque reprehendendo alios, non ex dilectione fraterna & leni mansuetudine, sed indiscretè, nulla temporis vel loci ratione habita, siue expectata opportunitate. Atque ita fit sæpenumerò, vt dum alienæ domus incendium restinguere volunt, propriam incendant, imò sæpius plures domos: adeò sunt in verbis, gestibus, vultu feroces & indiscreti. Ad hos si quis fortè simplex & tentationibus grauatus, aut alioqui pusillus & afflictus, pro consilio capiendo accesserit, simplicianum vocant: si accedit alium, beguttam nuncupant. Eant nunc isti verissimæ cisternæ. Si enim fons vitæ intus scaturiret in fundo ipsorum, non esset vtique apud eos tanta discretio personarum, sed erga omnes eadem dilectione, & ex ipso fundo erumpente, flagrarent, & ita nemini detraherent, neminem iudicarent, nullum spernerent, vilipenderentque. Iam verò sordes istæ & immunditiæ in eis tanquam in cisternis nimium abundant, & augentur indies. Deinde etiam illos non absurdè cisternas dicere possumus, qui magno sunt ingenij acumine & intellectu præditi, qui de rebus subtilibus & altis sublimia loqui & intelligere nouerunt. Ex ...ibus alijs satis est, si forinsecus bona quædam opera duro corde perficiant: ...js, si sublimia & alta loqui sciant & intelligere. Sed quid putamus, dilectissi..., de his erit, quando grauissimæ tempestates ac venti procellosi subitò ir...ntes, omnia subruent, prosternent, confundent, & diuersis ipsi horribilibus metuendis plagis correpti fuerint? Dictu incredibile est, quanta tunc eos oc...abit miseria, qui modò in verbis & operibus magnam præ se ferunt sancti...am, & magni nominis & ingenij sunt, sed intus in fundo vacui sunt, & vita...undi prorsus expertes: quicquid autem habere videntur, totum forinsecus ...tum est atque congestum, sicut fieri diximus in cisternis. Dum autem mor...ora institerit, veniet diabolus cum securi, & graui ictu cisternas istas con... & quassabit: & tunc repente quæcunque continere videbantur, euanescent, ...lluc profluent, adeoque dissipabuntur, vt nec vna saltem guttula intus pereat. Modò aliquid & esse volunt & apparere, suntque grandes in oculis ...sed illic palam innotescet omnibus, quàm nihil intus in fundo habuerint, ...utridam aquam. Veniet, veniet tempus, quando hæc omnia manifesta ... & cùm ad aliud seculum transieritis, ad mentem quæso reducite, me istud prædixisse. Vereor autem multum, charissimi, ne bona Religiosorum ...d prædictorum numerum pertineat, sintque tam abundè suis modis & consue-

consuetudinibus externis contenti, vt de vitiorum mortificatione, passionum & totius hominis interioris reformatione, ac virtutum aggregatione, nulla eis cura sit, maneantque in vitijs & passionibus suis. Quotquot autem tales sunt, illis ego homines quosdam seculares in matrimonio degentes, & quasdam viduas longè præferre non dubito. Quòd si etiam in extremis positi, tantum ex diuina miseratione intùs fuerint illuminati, vt seruentur, intolerabiles tamen & ineffabiles in purgatorio pœnas luent, quandiu summus ille arbiter decernet & ordinabit: inde verò exempti, adhuc nimium à vicinitate Dei remoti erunt, & inter infimos collocabuntur. Quamobrem tota vos dilectissimi intentione hortor & moneo, atque etiam obsecro per Deum, inuigilate fundo vestro, illumque obseruate: attendite vobisipsis, & omnes actus, cogitationes & verba vestra discutite, humiles ac mansueti estote, & non Deo tantùm, verùm etiam creaturis omnibus vos subijcite & resignate. Sicut enim superius audistis,

Cælum. conqueritur de vobis Deus cælo, terræque & omnibus creaturis suis. Per cælum autem omnes illi accipiuntur, qui non terrena, sed cælestia corda habent, quorum conuersatio in cælis est. Quilibet nanque bonus homo cælum est omnipotentis Dei: & ipsum quidem cælum intra se etiam mali circunferunt, sed non perueniunt in ipsum. Hoc autem damnatorum vel maxima pœna est, quòd Deum intra se esse nouerunt, nec tamen ad ipsum pertingere valent. Redeamus nunc ad superius memorata Ieremiæ, seu potius Domini verba, & quid subiungat, audiamus. Ait itaque: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Cui hoc dicit? Animæ vtique peccatrici. *Reuertere,* inquit, & dabo tibi veram de peccatis tuis contritionem, & deinde *aquam viuam,* si tamen ex toto corde ad me reuersa fueris. Vbi inprimis immensa, infinita, ac inæstimabilis Dei misericordia & bonitas consideranda venit, quàm nos ille ex animo sit adiuuare paratus, si tantùm ipsi vellemus: nec secus quàm amicus cum amico nobiscum, quantum in ipso est, loqui vellet, imò & desideraret, si saltem vllo modo ad ipsum conuerti dignaremur. Non igitur tantam illius bonitatem contemnamus, ne fortasse & nobis quandoque dicat, quod

Quēlibet hominem bonū, esse cęlū Dei.

Damnatorū pœna maxima quæ.

Ierem. 3.

Ierem 2. apud eundem Prophetam habetur: *Ecce ego iudicio contendam tecum.* Id enim quàm sit mortalibus omnibus maximè metuendum, nemo est sanæ mentis, qui non videat. Nam si nobiscum contendere voluerit, nos inferiores erimus, & ipse nullo negotio nos superabit. Curemus fratres mei ita vitam nostram instituere, ne digni simus, quibus ipse in illo tremendo iudicio dicat: *Non estis ex ouibus meis. Oues* nanque illius, vt ipse testatur, *vocem* illius *audiunt, & alienum non sequuntur,* sed neque nouerunt vocem alienorum. Quæ est autem illa fornicatio, quam obijcit animæ peccatrici, cùm ait: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis?* Secundùm spiritalem quidem sensum, si non peius aliquid hæc est, quòd ad minus imaginibus mortalium creaturaram immorata est. Amatores verò, cum quibus eam fornicatam dicit, omnes sunt alienæ imagines & obiecta, per quæ ad ipsum debuisset, cum quibus tamen ipsa maluit fornicari. Grande quidem hoc peccatum est. Sed ne desperaret, subiecit Dominus, & ait: *tamen reuertere ad me:* & non modò suscipiam te, verùm etiam *dabo tibi aquam viuam.* De hac aqua in duobus ad minus locis Dominus in nouo Testamento dixisse legitur: Primò, Ioannis 7. cap. vbi sic ait: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, & salient in*

Ioan. 10.
Ibidem.

Ierem. 2.

vitam

n æternam. Secundò, Ioannis 4. cap. vbi ad mulierem Samaritidem dixit: *biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Et paulo superius: *Si sci-* Ioan. 4.
inquit, *donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab* *& dedisset tibi aquam viuam*. Deinde post pauca mulier dicit: *Domine, da mi-* *hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum* *s*, hoc est, agnosce prius teipsam, & mihi ex ipso fundo confitere, quòd tam cisterna fuisti, nec de hac aqua viua potasti, & vbi id feceris, satisfiet deside- tuo. Dehinc addit Dominus, & dicit: *Quinque viros habuisti*: hoc est, quinque sibus tuis dedita, atque illis pro voluptate tua vsa fuisti: sicque per sensuum gationem, & circa externa occupationem, in qua nimis diu inordinatè per- rasti, fonte viuo teipsam fecisti indignam. Inde igitur auersa, ad me con- tere, & ego te suscipiam. Denique & per Esaiam Prophetam Dominus con- eritur, dicens: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*. Deinde multam ope- Esaiæ 5.
m & studium suum, quæ huic vineæ impendit, enumerat: *& sepiuit eam, &* *ides elegit ex ea, & plantauit vineam electam. Et ædificauit turrim in medio eius, &* *cular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. Nunc ergo ha-* *tatores Hierusalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod de-* *ui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit la-* *bruscas*? Quæ licet de populo Iudaico ad litteram dicta sint, nihilo minus Do- minus ea generaliter loquutus est de hominibus vniuersis, præteriti, præsen- tis, ac futuri temporis, vsque in finem seculi: sicut & illa verba apud Ieremiam, quibus ait: *Tamen reuertere ad me, & suscipiam te, daboque tibi aquam viuam* & ve- ram dilectionem. De hac aqua viua, seu dilectione, magnus quidam Theolo- gus Richardus de sancto Victore loquens, violentam eam nominat, & quatuor habere gradus dicit. Ait enim: Charitas vulnerat, charitas ligat, charitas lan- guidum facit, charitas defectum adducit. Quid horum non mirum? Quid ho- rum non violentum? Hi sunt gradus ardentis charitatis, gradus quibus interim toti intendimus. Hærete animo fratres, attendite ad illam, quam multum con- cupiscitis: audite de illa, & anhelate in illam, quam vehementer amatis. Vultis audire de charitate vulnerante? *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculo-* *rum tuorum, & in vno crine colli tui*. Vultis autem de charitate ligante? *In funicu-* *lis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Vultis audire de charitate languente? *Filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, annunciate ei, quia amore langueo*. Vultis audire de charitate deficiente, & in defectum adducente? *Defecit*, inquit, *in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui*. Charitas itaque de- fectum facit, languorem adducit, charitas vincula habet, charitas vulnera fa- cit. Hactenus ille: vbi notandum, quòd anima charitate vulneratur, quando Deus sui eam amoris iaculo transfigens, aquam viuam ardentissimæ dilectionis ei infundit. Et sic vulnerata, rursus Deum vulnerat ea, qua ipsum diligit chari tate, sicut in Canticis ipse dicit: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculo-* *rum tuorum, & in vno crine colli tui*. Siquidem vnus ille oculus, est continuus cogni tionis & mentis purè in Deum tendentis adspectus. Vnus verò crinis, est amor purissimus & impermixtus: & per ista Deus ab anima vulneratur. Libet hic bre- uiter aliquid adhuc de amore violento loqui, sumpta similitudine à mercato- re trans mare nauigaturo. Itaque qui amore vulneratus est, facit instar merca- toris, nauem lucri gratia per mare ducere volentis: qui intolerabili desiderio

Quatuor dilectionis gradus.

Cant. 4.
Oseæ 11.
Cant. 5.
Psal. 118.
Anima quando charitate vulneretur.
Cant. 4.
Vnus oculus
Vnus crinis.

multas congregandi merces, quasi intus in corde vulneratur & vritur. Hinc multa & varia hinc inde colligit, discurrit vndique, vt habeat quibus onerare & implere possit nauem suam. Sic & ille, qui charitate vulneratus est, omnes imagines, cogitationes & exercitia, & quicquid demum placere & gratum esse putat dilecto suo, colligit sibi. Deinde sicut vbi satis onusta nauis est, mercator siue nauta soluit oram, & satis adhuc potis est nauem etiam contra maris impetum ducere: ita & amor vulnerans nauem suam in diuinitatis fluuium dirigens, atque satis magnificè nauigans, in eadem pro sua delectatione & voluntate ludit, simulque gubernaculum suum in diuinitatis demittit abyssum. Quo verò plures diuinos effluxus intra se recipit, tanto amplius dilatatur: totam tamen capacitatem illius Deus copiosè adimplet: atque hæc repletio nouam capacitatem, nouam latitudinem, & noua charitatis parit vulnera. Deinde Dominus nauem scisso fune, fluctibus tradit, vt iam neque remi, neque gubernaculum nauim continere possint: & homo iam sui potens non est. Et hic est amor ligans: fitque tunc homini illi haud secus, quàm alicui strenuo militi, qui in bello grauiter vulneratus, adhuc tamen potenter aufugit: si verò capitur, deinceps sui potens non est. Ita & ille, qui amore ligatus est, nec operum, nec cogitationum suarum potens est, sed totum se dilecto suo ad omnem amoris voluntatem relinquere cogitur. De hoc amore plura dici possent, sed in aliud tempus differimus. Præstet nobis ipsa vera charitas, vt sic omnes cisternas repudiemus, vt digni simus, quibus aqua eiusdem veræ charitatis infundatur. Amen.


IN EADEM SOLENNITATE.

De quintuplici animæ captiuitate. Capitur enim anima amore creaturarum, amore priuato suijpsius, intellectu, suauitate siue dulcedine spiritali, & propria voluntate. Deinde subnectit, vt nos ad Spiritus sancti susceptionem præparare debeamus.

SERMO II.

Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem. AD EPHES. IV.

Quintuplex captiuitas.



QVINTVPLICEM, dilectissimi, captiuitatem inuenimus, qua homines in hac mortali vita positi miserabiliter constringuntur, capiunturque, & tamen simul omnes Christus secum abducit captiuos, quando in nobis spiritaliter resurgit. Prima captiuitas est, quòd homo capitur inordinato amore & delectatione creaturarum, idque non principaliter propter Deum: specialiter verò amore hominum, qui maximè est secundùm naturam, ob eam, quam inuicem homines habent, similitudinem. Quanta verò damna pariat hic amor, lingua non explicat. Duobus autem modis amor iste habetur. Quidam sic eo tenentur, vt defectum suum agnoscant, amorem hunc timeant, se illo teneri doleant, multumque propterea crucientur, mordeantur, reprehendantur intus in conscientijs suis: quod vtique signum bonum est, necdum eos à Deo derelictos. Ipse nanque hominem sine cessatione die ac nocte, siue comedat, siue bibat, siue aliud aliquid agat, extra omnia, & ab omnibus ad se intrò vocat, ducit, allicitque: & qui aures habent apertas, vocemque illius sentiunt & sequuntur, salui fiunt. Alij verò in hac miserabili captiuitate prorsus liberi sunt, cæci atque surdi: & cùm satis bona pace gaudeant, iusti sibi videntur, & ab alijs etiam tales haberi volunt. Multa nanque

r de nimis distracto, bona opera perficiunt, cantant, legunt, tacent, obsecur, orant, in hoc tantùm, vt suo more permittantur viuere, sicque tanto is Deo simul & mundo satisfacere queant: & ita iusti sunt atque deuoti: & ymas fundunt, sed coram hominibus, non coram Deo. Credite mihi, in his isti periculis viuunt. Ideò autem, diabolo efficiente, hac pace gaudent, nto eos facilius in hac captiuitate tenere possit: decipiunturque à natura & magnis periculosisque tentationibus expositi sunt: multoque præstaret, nullas in hoc preces effundere, vt in hac valeant peruersitate & mala liberpermanere. Orant nanque contra seipsos, cùm longè eis foret vtilius, mulos grauibus pressuris, angustijs, doloribus ac ariditate corripi. Tunc enim id dubiè citius multo iugum captiuitatis huius diabolicæ ac nimium periculæ à se excuterent, abijcerentque. Iam verò si in hoc statu, in hac mala libertan extremis deprehensi fuerint, timendum est eos in omne æuum sub diaboli captiuitate permansuros.

Alia captiuitas est, quòd dum quidam ex priore captiuitate, amore scilicet ordinato creaturarum & rerum exteriorum liberantur, priuato suipsorum laqueantur amore. Hic verò amor tam sibi iustus & æquus videtur in eis, vt ctu mirum sit: nec est qui eos propter hunc ausit reprehendere, nec ipsi se rehendunt: quin potius varia excusationis vela suis obtendunt vitijs: adeoue, quod ad exteriora attinet, irreprehensibiles esse videntur, vt nemo sit qui llis ausit contradicere: vnde eò tandem deuoluuntur, vt ex hoc pestifero amoe priuato, in omnibus suum commodum, suas oblectationes, suum solatium, uam quietem, & suum denique honorem quærant, adeoque demergantur in ua, siue in id quod ipsorum est, vt in omnibus non nisi sua quærant, & hoc tiam in Deo. Sed, ô pie Deus, quantum huius propriæ quæsitionis inuenietur n istis, vbi fundus ipsorum detectus fuerit, qui iam magnam præ se ferunt sanctitatem, & tamen vacui sunt, & omnis veræ sanctitatis plus satis expertes? Difficile prorsus illis succurri potest, difficile ex hac captiuitate eximuntur, qui cum natura delicata & intellectus subtilitate ad spiritum pertingunt. Quis enim, nisi solus Deus, illis remedium aliquod adferre possit, qui sic à natura sua possidentur? Tales tam multa sibi necessaria fingunt, atque in immensum se extendit ipsorum necessitas, dum nimium sibi infirmi, nimium teneri ac delicati esse videntur. Fitque hinc, vt dum ea, quæ diligunt, ab eis auferuntur, aut leuiter attinguntur, siue sit commodum, siue amici, siue honor, siue aliud quodcunque, vnde solatium aliquod habent, Deum sæpe relinquant, verba iracunda proferendo, aut sese vlciscendo, aut proferendo mendacium, aut secreta reuelando. Tum verò non homines sunt, sed canes rabidi, aut lupi rapaces. Nimis igitur perniciosa captiuitas est, ab amore priuato captiuum teneri. Tertia captiuitas est intellectûs, quam multi grauiter incidunt. Tales quicquid in spiritu nasci debebat, destruunt & corrumpunt, dum de suo intellectu gloriantur, qualecunque demum id sit, quod intelligunt, siue doctrina, siue veritas, vnde sublimiter loqui nouerunt, vt grandes sint in oculis hominum, & ab omnibus extollantur: nihil autem ipsi eorum, quæ nouerunt, vita curant exprimere, & operi mancipare. Ipsa quoque Saluatoris nostri Iesu Christi amabilia exempla & imagines secundùm intellectum siue intellectualiter accipiunt. Verùm si naturale lumen intellectus sui ad diuinitatis supernaturale lumen adducerent, &

[Margin: II. — Amor sui priuatus quàm sit pestilens. — III.]

alterum opponerent alteri, quàm nihil sint, quàm nihil intelligant, quàm nihil sapiant, liquidò cognoscerent. Quàm enim propè nihil est lumen calami siue fili vnius, ad solis splendorem: ita prorsus quasi nihil est lumen naturale, si cum diuino lumine componatur. Sunt autem quædam, vnde discerni possit lumen naturale à diuino lumine. Illud nanque, scilicet naturale lumen, in superbiam & vanam sui complacentiam sursum erigitur, humanas laudes appetit, alios temerarijs iudicijs insectatur: Semper quoque hominem ad exteriora, sensuum & mentis dispersionem euagationemqúe remittit & adducit. Contra verò, diuinum lumen, quatenus re vera tale est, hominem in fundum suum se dimittere, non in sublime erigere: se minimum, vilissimum, infirmissimum, atque præ cunctis cæciorem, ex animo reputare facit. Ita nanque verissimè de se quisque sentire potest. Si enim boni aliquid est in homine, non illius est, sed Dei, à quo bona cuncta procedunt. Deinde semper ad interiora mittit, non ad ea quæ foris sunt: atque sine intermissione fundum interiorem, vnde processit, inquirit, atque ad illum totis viribus redire festinat. Postremò, quicunque hoc lumen assequuti sunt, omnis eorum vita intus ad ipsam radicem tendit, & ad suam originem, vnde profluxit, studiosissimè redire conatur. Est itaque multa & magna differentia inter eos, qui secundùm Scripturas nituntur viuere, & eos, qui sola Scripturarum lectione & scientia contenti sunt. Qui enim tantummodò legunt, ab omnibus videri & haberi in pretio appetunt: eos verò, qui secundùm Scripturas viuunt, tanquam fatuos & subuersos atque peruersos homines, aspernantur, expellunt, maledicunt atque condemnant. Sed quibus faciendi potior quàm sciendi cura est, seipsos peccatores confitentur, & ex animo sentiunt, & alijs miserationis impendunt affectum. Porrò quàm dissimilis horum vita est, tam dispar quoque est exitus, dum alij vitam, alij mortem inueniunt sempiternam. Ita enim Apostolus inquit: *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Quarta captiuitas est dulcedo spiritus, per quam seducuntur plurimi, dum nimis eam sequuntur, nimium in ea confidunt, immoderatè ac inordinatè eam appetunt, quærunt, eidemqúe inhærent. Quamuis enim dulcedo hæc magnum aliquod bonum esse videatur, eidem tamen immodicè inhærere, atque cum voluptate & delectatione eam possidere, vitiosum est, dum natura quod suum est retinet: vnde sæpe fit, vt vbi Deus accipi credebatur, sola capiatur voluptas. Hinc autem scire licebit, vtrum Deus, vel potius natura quæsita fuerit. Si subtracta hac dulcedine, homo inquietus, perturbatus & anxius fit, nec ita fideliter & ex animo Deo seruire potest, vt prius, quando eam dulcedinem sentiebat, euidens signum est, certoqúe tenendum, quòd dulcedinem illam malè, & non cum Deo, habuerit. Atque eiusmodi homo, etiam si vel annis quadraginta tali dulcedine potiretur, ac deinde priuaretur, facilè adhuc in grauissima peccata labi posset. Imò si ad supremum huius dulcedinis pertingat gradum, & ita moriatur, adhuc (vt ita dixerim) secum Deus deliberabit, vtrum eum saluare velit, an perdere, & adhuc perire poterit. Quinta captiuitas est propria voluntas, quòd videlicet hac semper homines gaudere volunt, etiam in omnibus rebus diuinis, imò & in ipso Deo. Planè si in optione alicuius foret & arbitrio positum, vtrum ab omnibus vitijs & defectibus suis absolui & expediri, cunctasqúe virtutes & omnem perfectionem obtinere vellet, necne: delirare nimium & insanire videretur, si non prius eligeret. Atqui mecum ipse maturius deliberaui, si in mea id optione & ar-

Luminis naturalis ac diuini discrimē.

Cuiq; de se quomodo sentiendum.

Quanta inter facere & scire differentia

2. Cor 3.

IV.

Dulcedine spiritali abuti posse.

Dulcedinis spiritalis abusus signū.

V.

& arbitrio foret constitutum, quòd ita potius dicerem Deo meo: Obsecro Domine, non meum donum, non meam gratiam, non denique meam voluntatem fieri deposco, sed quomodo tu vis, ita libens accipio, & si aliter tibi visum est, pro tua voluntate illis potius carere volo. Certè dum hoc pacto in vera resignatione carere magis & frustrare eligimus, plus accipimus & plus habemus, quàm si ex propria voluntate siue caperemus, siue haberemus Deum, aut quamlibet creaturam. Multo siquidem, quàm istud, vtilius nobis est, spontè humiliterqúe carere velle omnibus Dei donis in vera resignatione & abnegatione propriæ voluntatis. Vnde, meo quidem iudicio, homo verè resignatus, licet alioqui minus extrinsecus agat, minoremqúe præ se ferat sanctitatem, longè melior est alio quouis ambulante in mirabilibus super se, & magnam quandam præ se ferente sanctitatem, atque circa multas imagines occupato, minus tamen veræ resignationis & abnegationis adepto. Denique ipse humani generis Saluator, cùm in terris adhuc positus discipulis suis familiariter conuiueret, adeò illius humanitati afficiebantur, vt præ eius amore, ad diuinitatem haudquaquam possent pertingere. Quod cùm Dominum minimè lateret, dixit eis: *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Iamqúe defuncto Domino, adhuc per dies quadraginta expectare cogebantur, donec ascenderet, & animos ipsorum secum abducens, prorsus cælestes faceret. Deinde verò adhuc decem diebus sancti Spiritus veri Paracleti aduentum præstolari eos oportebat. Itaque quot illis dies, tot nobis anni computantur. Illis nanque, cùm Ecclesiæ fundamentum esse deberent, annus in diem mutatus fuit. Certè faciat homo quicquid potest, omnem impendat operam: non tamen ad veram pacem pertinget, nec verè essentialiter cælestis homo efficietur, donec annum ætatis quadragesimum impleat. Ante hoc nanque tempus multum instabilis est homo, & sæpè in diuersa mutatur, impellitqúe eum natura modò huc, modò illuc: suntqúe multa, in quibus cùm Deus purè quæri credatur, natura dominium habet: & hac de causa ante illum annum nec ad veram deificam pacem pertingere, nec verè cælestis homo fieri potest, nisi quem abundantior diuina gratia præueniat, quod in multis factum esse, dubium non est. Deinde vbi iam quadragesimum compleuerit annum, adhuc decem annis expectare debebit, antequam Spiritus sanctus, Spiritus (inquam) *omnem* docens *veritatem*, illi desuper infundatur. Sic enim & discipulos Domini post eius ascensionem decem adhuc diebus præstolari oportebat, posteaquam se multo iam tempore præparauerant, viuendo cum Christo, & pro illo patiendo, cunctaqúe relinquendo: atque adeò supremo & excellentissimo modo sese præparârant, relinquendo eum, quem super omnia diligebant, & pro cuius amore abdicârant omnia: ipseqúe præterea Dominus totum spiritum, animam, cor & amorem ipsorum, iam secum ex toto in cælum abduxerat, ita vt omnis intentio, omnis amor, totum cor, & tota denique anima ipsorum, cum eo, & in eo in cælestibus versarentur. Post omnem, inquam, hanc sui præparationem & excellentes modos, decem adhuc diebus expectare cogebantur, antequam Spiritum sanctum, eis à Christo promissum, susciperent. Scriptum est autem, quòd erant inclusi, congregati, vniti & expectantes. Ita nimirum & cuique homini faciendum est: Verbi gratia: Posteaquam annum quadragesimum ingressus, firmior esse cœperit, cælestisqúe & diuinus effectus fuerit, atque naturam quodammodo iam edomitam habuerit & stabilitam, adhuc

Quantæ sit, abnegatio sui, virtutis.

Ioan. 16.

Quadragesimi in homine anni felicitas.

Act. 1. & 2.

huc decem anni supersunt, quibus eum expectare oportebit, antequam Spiritum sanctum, Spiritum, inquam, qui *omnem docet veritatem*, modo excellentissimo queat suscipere. In illis verò decem annis, in quibus iam natura vtcunque edomita, diuinus ac spiritalis esse cœperit, sese intrò recipiet, immerget, atque liquescet in purissimum ac summum bonum Deum optimum maximum: itaque per interiorem animæ suæ scintillam, quæ omnia refert, & ipsa simul refluit in principium & originem suam Deum, vnde profluxit. Hic verò refluxus vbi ritè peragitur, omnia debita soluuntur omninò, etiam si vel tanta essent, quanta omnium illorum extiterunt, qui à mundi fuêre exordio: omnisquè ibi gratia & beatitudo infunditur, atque ipse denique homo prorsus diuinus efficitur. Et tales homines, totius mundi & Ecclesiæ sanctæ columnæ sunt. Præstet nobis omnipotens Deus, vt & nos quandoque tales efficiamur. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt necesse sit, eos, qui cum Christo resurgere volunt, prius eum in vita illius sequi. Vt agnoscendum sit, vtrum aliquis verè tactus siue motus sit à Deo, an non. De monte Oliueti. De valle lachrymarum, & vera deuotione interna.

SERMO III.

Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. MARC. VLT.



Marc. 16. SICVT ex themate audistis, dilectissimi, posteaquam Dominus noster IESVS Christus in monte Oliueti dilectos discipulos suos durè increpauerat, quòd tanto iam tempore cum illo vixissent, & adeò tamen adhuc duri & tardi corde essent ad credendum, videntibus illis, *eleuatus est in cælum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Quomodo verò putamus affecta tunc erant corda illorum, quando à se Dominum Deum suum totam spem & gaudium suum discedere videbant, quem tam incomparabili prosequebantur amore? Nec enim immeritò omnes magno illius desiderio tenebantur, & ipsum corde sequebantur in cælum.
Matth 6. *Vbi enim est thesaurus tuus*, Scriptura dicit, *illic & cor tuum erit*. Denique per hanc amabilem Ascensionem suam, idem ipse Christus IESVS Dominus noster, omnium electorum amicorum suorum corda, sensus & vires, tam exteriores quàm interiores post se trahere, secumquè abducere desiderat, imò & vult, ne posthac vnquam cum delectatione & voluptate in hoc seculo commorentur: sed vt omnis eorum conuersatio & habitatio, omnis amor, intentio, solatium & delectatio, in cælis sit. Decet enim, & rationi consentaneum est, vt membra caput suum subsequantur. Cùm igitur caput nostrum Dominus IESVS Christus ad cælos ascenderit, nobis locum præparaturus, nosquè humiliter præcedendo, viam nobis patefecerit simul ac indicârit, per quam eum sequi debeamus, tota deuotione vnà cum sponsa nobis rogandus est, vt trahat nos *post se*. Quis autem impedire nos poterit, vt non sequamur absque intermissione amabile caput nostrum Dominum IESVM Christum, præsertim
Cant. 1. Ioan. 20. cùm ipse dixerit: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum?* Siquidem & fundus, & finis, & beatitudo illius & nostra beatitudo,

tudo, non nisi vna beatitudo est in illo: quippe qui ex eodem fundo, cum omnibus quæ sumus, promanauimus: & ideò ad eundem finem, eundemque fundum tendere iure debemus. Itaque considerandum nobis est, quòd Dominus noster IESVS Christus præcessit nos ad gloriam & beatitudinem Dei Patris. Si ergo & nos ritè eum sequi volumus, non solùm attendenda, sed etiam calcanda ea nobis via est, quam ille triginta tribus & eo amplius annis ambulauit, simulque nobis ostendit, omne illud tempus supra modum in miserijs, in paupertate, in contemptu, in amaritudine transiens vsque ad mortem crucis. Quæ omnia & nobis, inquam, amplectenda sunt, & in eis forti atque inuicto animo persistendum, si cum ipso in cælestibus cupimus triumphare. Sanè etiamsi omnes Doctores interissent, librique & codices omnes igne forent absumpti, in illius tamen, hoc est, Saluatoris nostri, sacratissima vita & passione abundè nobis suppeterent, vnde instrui possemus. Idem ipse nanque via est, nec per aliam omninò viam post ipsum ad amabilem finem veraciter peruenire poterimus, quàm per eam, quam ipse in hoc mundo positus monstrauit. Sicut enim magnes, occulta quadam vi naturæ suæ, ferrum sibi attrahit, ita & Christus IESVS corda omnia quæ tetigerit, post se trahit. Et sicut ferrum occulta vi magnetis contactum, ad montem quendam, vbi hic lapis nascitur, contra naturam suam tendit, nec quiescit donec supra se feratur: sic & fundi omnes, quicunque ab hoc lapide angulari Domino IESV Christo, æterni Dei Filio mouentur, illos nec prospera, nec aduersa vlla retinent, sed continuè supra se in Deum tendunt, suæque naturæ obliti, tractum siue motum Dei sequuntur: idque tanto purius, expeditius, atque facilius, quanto excellentiori siue nobiliori modo præ cæteris ab illo moti sunt. Atqui vt aliqua signa habeantur, vnde aduertere cuique liceat, si à Deo motus sit, an non: sciendum est, quòd omnes illi non verè moti fuerint à Deo, qui multa bene quidem inchoant, & laudabilia quædam instituta & exercitia adsumunt, ita vt omnibus de suo profectu spem magnam faciant, sed citò bene cœpta deserunt, nec aliquem referunt fructum. Tales nimis facile tentationibus & difficultatibus cedunt, nimisque citò prosternuntur: atque ita ad pristinos mores & veteres consuetudines suas redeuntes, naturæ & creaturarum delectationibus inhærent. Faciunt isti instar canum inutilium, qui in venatione positi, cùm ipsi generosas feras explorare nesciant, canes alios huius rei peritos sequuntur, sed non diu in recto persistunt itinere. Vnde nec ad feram ipsam pertingunt. Qui si in cursu perseuerarent, assequerentur vtique & ipsi feram cum alijs. Sed facilè contingit, vt aliquid in itinere inueniant, cui olfaciendo immorentur, & nobiliores canes præcurrere sinant. Sic sic, inquam, & istis accidit, dum suis delectationibus inhærent. In veritate nanque dico vobis dilectissimi, vna breui hora tantum aliquis negligere se potest, alicui rei cum delectatione inordinatè inhærendo, vt præclarissimam feram, hoc est, summum bonum Deum Opt. Max. tam longè se præterire sinat, vt deinde nunquam ad ipsum pertingere, nec ipsum capere possit. Nobiliores verò canes venatici, vbi feram explorârunt, alacriter hilariterque eam insequuntur per ignem & aquam, per hastas & venabula, & per omnia denique illis occurrentia, donec ad ipsam feram pertingant, capiantque eandem. Sic nimirum & perfecti ac præclariores homines, vbi excellentissimum bonum hoc sensêre, nec prosperis, nec aduersis impediri valent, quo minus ipsum insequantur, donec apprehendant.

Ioan. 14.

Magnetis & amoris diuini collatio.

Signa motionis diuinæ.

Similitudo venusta.

dant. Sed priores illi subsistunt, nec in virtutibus conantur proficere. Quisquis autem hic proficere negligit, semper in omne æuum, quandiu Deus ipse erit, negligentiæ suæ damna patietur. Cæterùm non est, quòd aliquis Deo imputare velit, si ab illo motus non est: quod tamen plerique hodie cæca mente faciunt, dum dicunt: Non me trahit, neque mouit Dominus Deus, vt illum vel illum. Hoc autem dicendo, errant, & mentiuntur aduersus Deum, qui omnes homines misericorditer mouet, excitat, hortatur, vtpote qui, sicut Scriptura testis est, *omnes homines vult saluos fieri*, quantum quidem in ipso est. Sed motus, admonitiones & dona illius, non æquè suscipiuntur ab omnibus. Sunt enim multi, ad quos dum ille cum charismatibus & donis suis venit, locum suum, quem ipse occuparet, ab alijs teneri, ac alienos hospites habitaculum suum possidere cernit. Tum verò recedere compellitur. Nec enim potest mentis nostræ subire domicilium, quandiu aliud aliquid extra ipsum amore & intentione quærimus. Interim dona illius cedere oportet, quæ absque intermissione dare paratus est & offert omnibus. Et hæc ipsa perennis dispendij nostri causa est: & nostra culpa est, non Dei, quòd ab ipso minimè mouemur. Tot nobis vanas & inutiles occupationes assumimus, vt interim neque Dei præsentiam, neque nosipsos satis obseruemus: quod quàm ineffabilia ac perennia nobis damna pariat, dici non potest. Hæc verò damna melius recuperare non possumus, quàm viriliter, strenuè ac seriò nos emendando, & sæpius Deum ex animo deuotissimè inuocando atque rogando: spem quoque firmam & amorosam de diuina concipiendo misericordia, quæ finem non habet, & ex qua tota dependet salus nostra & diligenter fideliterq; sine medio superdulcissimo Conditori nostro adhærendo. Per hæc nanque, neglecta prius recuperamus: & ei, quem nos præterire fuimus, Deo propinquamus. Et quia nunc Ascensionis Dominicæ memoriam agimus, scire vos velim, eiusdem Ascensionis locum, vnde Dominus noster Iesus ad cælestia migrauit, in monte fuisse Oliueti. Hic porrò mons triplici olim fuit lumine illustratus. Primò, ab orientis Solis luce. Est enim mons sublimis, positus versus Orientem. Deinde, ascendente Sole, à lumine templi. Tertiò, à luce oliuarum, cuius materia in ipso monte excrescebat. Sic ergo & animam illam, in qua Deus in iubilo ascendere debet, montem sublimem esse oportet, atque supra omnia hæc caduca & terrena subleuatum, vt triplicis possit luminis esse capax, hoc est, vt locum præbeat supersanctissimæ Trinitati in se radiandi, & amabile opus suum iuxta omne beneplacitum suum operandi in se, & vt denique splēdor deicolor æquè in se profluere possit. Fuit præterea mons ille Oliueti, vnde Dominus ascēdit, positus inter Hierusalem & Bethaniam. Planè dilectissimi, quisquis Dominum nostrum Iesum Christum sequi voluerit, hunc montem ascendat oportet, quanlibet hoc ei graue sit atque molestum. Neque enim vel in toto orbe terrarum aliquis tam speciosus ac iucundus mons est, quem non cum labore & fatigatione ascendere oporteat. Sic ergo quicunque verus appetit esse Christi Iesu discipulus & imitator, absque dubio naturæ suæ renuntiare debebit. Inueniuntur certè plurimi, qui libenter sequerentur Dominum, sed absque labore, sine dolore & citra molestiam, nihil videlicet difficultatis sustinere volentes, atque ab ea tantùm parte montem hunc Oliueti cupientes ascendere, qua ille Hierusalem respicit, hoc est, quatenus pacē præstat, nec aliquid aduersitatis siue molestiæ continet. Hi in seipsis solatium, pacem & gaudium quærunt: & ideò

Neminē à Deo non moueri.

1.Tim.2.

Ascensionis Domini locus.

Mōs Oliueti quam fuerit illustris.

☞

Hierusalem.

& ideò nullum in virtutibus faciunt profectum, nisi & ab ea parte libenter ascendant, qua mons iste Bethaniam respicit, hoc est, quatenus obedientiæ laborem siue afflictionem subministrat. Inde est quod Propheta regius ait: *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Et reuera quisquis locum suum non constituit *in hac lachrymarum valle*, sterilis permanet, & nullum in virtutibus accipit incrementum, quantumlibet speciosa pace gaudere sibi videatur. Eam ob rem quisque semper ex animo suspirabit & adspirabit ad dilectum animæ suæ sponsum Dominum Iesum Christum, qui tam altè & longè recessit ab eo, tamqúe ignotus & occultus ei factus est. Porrò quo fundus cuiusque verius ac perfectius à Deo motus est, eo & hæc lachrymarum vallis magis propriè ab vna parte in eo existit. Quæ tametsi nihil alioqui vtilitatis haberet, maximè tamen necessaria est ob defectus illos, sordes, & peccata, quæ in natura abscondita iacent, per quæ homo tam sæpe & multipliciter impeditur à crebra & nobili introuersione in Deum, quæ per gratiam Dei non solùm posset, verùm etiam deberet esse continua in nobis: à multiplici quoqúe amorosa relatione omnium in Deum, per quam homo omnia purè sine cessatione in Deum referre deberet, in quo sæpenumerò grauiter multumqúe sua eum natura impedit, dum frequenter eadem ipsa occultè ibi dominatur, vbi Deus solus purè regnare debebat. Et hic altera montis pars est, qua Bethaniam respicit. Sanè si quis hæc in seipso diligenter obseruaret, non totus deflueret ad Hierusalem, hoc est, ad pacem, vt illa sola potiretur. Cui tamen in hoc pax ista, solatium, gustus Dei, & sensibilis deuotio proderunt, quòd per ea corroborabitur, vt dolores omnes & miserias huius lachrymarum vallis tanto fortiori animo sustinere possit, ne (quod absit) sub ipso passionis & molesti exilij huius onere præ infirmitate deficiat, dum videlicet ipsum diuina consolatio ac dulcedo deserit, & in magna desolatione ac amaritudine relinquit, quemadmodum Sapiens hortatur, dum ait: *Fili, in die malorum non sis immemor bonorum.* Eccl. 11.
Oportet enim simul vtrunque latus istud, & illud quo Hierosolymam, & illud quo Bethaniam mons Oliueti respicit, in vnoquoque homine existere. Proinde sicut in Hierusalem, quæ visio pacis dicitur, hoc est, in ipsa ciuitate & loco pacis Dominus noster Iesus Christus æterni Dei Filius, post varios cruciatus, pœnas & contumelias sibi illatas, tandem etiam mortis sententia damnatus est: ita & vnumquemque Dei seruum, omnibus suis in hac pace perfectè mori, ipsamqúe pacem cum abnegatione illius, quod suum est, Deo offerre oportet. Necesse est etiam, vt inter malos ac impios Iudæos viuat, eorumqúe, velit, nolit, tradatur manibus, qui eum affligant, verberent, flagellent, crucient, atque à sua societate & conuictu tanquam impium & impostorem eijciant atque repellant: omnemque vitam illius, quantum possunt, pessimè interpretentur, damnent, iudicent, & in omnium denique cordibus extinguant. Necesse est, inquam, vt moriatur, si Deus esse debeat sine medio vita & Esse illius. Adhæc, sicut Iudæi, qui Dominum Saluatorem crucifixêre, hoc ipso Deo obsequium se præstare credebant, Ioan. 16. ita & ipsum contemnent quidem, affligent & condemnabunt plurimi, & tamen rectè sibi facere, ac Deo non paruum se obsequium præstare videbuntur. Itaque si his difficultatibus, tentationibus, pressuris circundatus, in Hierusalem commorari, plenamque & integram in hac perturbatione pacem conseruare nouerit, felix erit haud dubiè, & vera *pax Dei, quæ omnem exuperat sensum*, in ipso essen- Phil. 4.

Marginalia: Bethania. Psalm. 83.

Oleum. Deuotio vera.

tialiter nascetur. Denique in hoc ipso monte Oliueti oleum crescit, per quod veram deuotionem accipimus. Est autem vera & essentialis deuotio, mente Deo inhærere, cum prompta animi voluntate ad diligendum & intendendum omnia, quæ ad Deum & eius cultum pertinent, ita vt semper Deo intus simus obligati, ipsumque velimus & intendamus in omnibus. Hæc deuotio oleum est, omnem sensibilem gustum, deuotionem ac dulcedinem excellens, & quasi supernatans, cuius quisquis plus habet, ille magis deuotus est in veritate, & in fundo suo. Verum opus huius deuotionis est, vt fundum istum sæpe igne diuini amoris & studiosè renouemus, inspiciamusque, quæ intentio nostra sit in cunctis modis & operibus nostris, ne quid fortè falsitatis ibi se abscondat, néve in ipsa natura dominium sibi vsurpet ac operetur, vbi Deus operari creditur. Estque hoc vel omni lachrymarum fonte plangendum, quòd hodie complures non seculares modò, verùm etiam Religiosi, Deum non ita purè in omnibus quærunt, sed potius seipsos vel aliquid suum. Dolendum prorsus est, tam paucos hodie reperiri, qui Deo propter Deum seruiant, hoc est, nihil penitus, neque gaudium, neque solatium, neque beatitudinem, neque aliud quodcunque, nec in tempore, nec in æternitate quærant, nisi solum Deum, qui nobis præstare dignetur, vt sic cum vnigenito Filio suo ex hoc exilio, & ab omnibus mortalibus creaturis ascendamus, vt cum eodem vitam possidere æternam mereamur. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt Dei testes esse possimus, quærendo videlicet pacem in perturbatione, gaudium in mærore, & in amaritudine solatium, atque ita Deum sequendo, nosque ipsos abnegando, non in consolatione tantùm, verùm etiam in afflictione, &c.

SERMO IV.

Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria. ACTVVM I.

POSTEAQVAM, dilectissimi, Dominus noster IESVS Christus, qui est caput omnium Electorum, hodierna die ad cælestia transmigrauit, & potenter ascendit: non solùm possibile, verùm etiam dignum prorsus & æquum est, vt & membra, hoc est, Electi omnes suum caput subsequantur: atque post ipsum in cælum ascendentes, nihil iam solatij, nihil delectationis, nihil cui innitantur, in hoc instabili tempore quærant neque appetant, sed ipsum solum sequantur, ipsum solum omni tempore suspirent, ipsum denique solum in omnibus, intentione ac amore prosequantur: Illam quoque viam, qua nos ipse per grauissimos cruciatus, pœnas & afflictiones ex ardentissimo amore, quo nostrarum sitiebat salutem animarum, spontè alacriterque præcessit, diligenter ambulent, & in finem vsque in ea perseuerent. Si enim *Christum oportebat pati, & ita intrare in gloriam suam*: dignum satis esse puto, vt & nos ipsum tam amabilem ducem nostrum, qui vexillum amarissimæ passionis fideliter nobis in exemplum prior sustulit, strenuè subsequamur. Quotquot igitur eiusdem Redemptoris ac Dei & Domini nostri veri cupiunt esse imitatores, crucem passionum & afflictionum suarum, tam interiorum quàm exteriorum, vndecunque illæ veniant, iure vel iniuria, humiliter in suos debent humeros recipere, & post Dominum suum hilariter

Lucæ 24.

lariter portare: atque ita fiet, vt eò quandoque perueniant, quò ille præcessit. Videmus sanè, dilectissimi, vt infelices quidam, imò multi huius seculi amatores, pro vilissimo momentanei honoris ac opinionis præmio, Mundo duram exhibeant seruitutem: atque vt optati vel honoris, vel opum, vel famæ celebris præmia consequantur, libenter, imò hilariter omni solatio & quieti renuntient, corporis & bonorum omnium subeant discrimen, atque in remotis partibus cum vitæ suæ periculo varios & ancipites bellorum casus, miserias, calamitates experiri gestiant. Quanto magis ergo nos, quibus æterna præmia reposita sunt, pro summo bono Deo Opt. Max. animo virili, omni solatio, amori, gaudio, quieti, honori renuntiare, dulcissimumque & amabile caput nostrum Christum Iesum sequi debemus, vt illius spiritu tanquam membra vegetemur? Nullum enim corporis membrum est, quod non citò putrefiat, & resecandum sit, si non capiti cohærens, illius continuos suscipiat influxus. Sed nunc ea nobis tractanda verba sunt, quæ in præsentis diei Epistola Dominus Iesus, in cælum ascensurus, discipulis suis dixisse legitur: *Eritis*, inquiens, *mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Act. 1. Primò itaque de Hierusalem sciendum est, quòd ea & pacis & perturbationis locus fuerit. In ea nanque ciuitate Dominus noster Iesus Christus inhumanas prorsus ac ineffabiles pœnas, & diros pertulit cruciatus, & denique pro salute omnium ignominiosissimæ mortis excepit sententiam. Atque in hac ipsa ciuitate eidem Domino nostro testes esse debemus, non verbis, sed vita & operibus, illius vestigia pro virili sequendo. Certè multos inuenire est, qui Domino testes esse cupiant in pace, vt scilicet omnia pro voto illis succedant: atque libenter velint esse Sancti, sed absque labore, absque molestia, absque difficultate, absque exercitio: cupiantque Deum cognoscere, sapere, & sentire, sed absque omni amaritudine. Cæterùm quando laborandũ est, quando amaritudine, desolatione, tenebris, & fortibus tentationibus pulsantur, & neque sapiunt, neque sentiunt Deum, atque ita foris & intus derelinquuntur: citò à proposito resiliunt, atque ita non sunt veri nec idonei *testes* Saluatoris. Cõmune hoc est omnibus, vt in cunctis locis & operibus suis pacem quærant, pace gaudere desiderent. Sed hanc pacis quæsitionem oportet exire penitus & mortificare, & ad hoc studiosè ac seriò niti, vt omni tempore pacem habeamus in perturbatione, vnde vera, secura & perseuerans pax orietur. Et reuerà quicquid aliud quærimus vel amamus, in eo fallimus nosipsos. Si verò toto studio ad id enitamur, vt omni tempore in mœrore gaudium, in perturbatione pacem, simplicitatem in multiplicitate, & solatium denique in amaritudine conseruemus, veri testes erimus Dei ac Domini nostri Iesu Christi, quales erant electi discipuli eius, quibus ipse & ante mortem, & post resurrectionem suam, pacem quidem semper optauit, sed tamen nunquam in hac vita pacem exteriorem habuêre: semper verò essentialem veramque pacem in omni perturbatione, dolorem in prosperis, & vitam in morte capiebant, gaudentes quando habebantur odio, quando iudicabantur, & ad mortem condemnabantur. Hi ergo veri Dei testes extitêre. Contra inuenire quosdam est, quales ipse noui, quos adeò diuina dulcedo totos in anima & corpore permanauit, vt & medullas ossium & venas penetrauerit: sed cùm eosdem tenebræ & afflictiones inuadunt, & intus quidem à Deo, foris autem à creaturis relinquuntur, nesciunt quò se vertere, siue ad quem confugere debeant. Isti rarò aliquem verum profectum for-

Quales Christo testes esse debeamus.

Quæ pax nobis mortificanda.

tiuntur. Cęterùm qui eiusmodi sunt, vt dum vehementissimę tentationum procellæ, interior videlicet derelictio, & exterior aduersitas, atque graues tentationes mundi, carnis, & dæmonis fortiter irruunt, easdem cum vera patientia penetrent superentque, hi veram essentialemque pacem inueniunt, quam nulla eis hoc tempore creatura eripere siue auferre valebit. Et qui hanc viam non ambulant, nihil proficient, nec vnquam veram sentient pacem. Deinde secutus Dominus ait: *Eritis mihi testes in omni Iudæa.* Iudæa idem est, quod laudatio siue confessio Dei. In hac ergo tum veri sumus testes illius, si in cunctis operibus, institutis, ac intentionibus nostris ipsum confiteamur ac laudemus, idque non modò in prosperis, dum consolatione ac deuotione sensibili abundamus: verùm etiam in aduersis, dum his destituimur, & vndique impugnamur. Sunt enim multi, quibus dum omnia ad vota succedunt, rectè se Deum confiteri, cognoscere & amare putent. Cùm verò tentationes horribiles subitò irruunt, ita animo deijciuntur, vt nesciant, quid prius habuerint, quales fuerint, aut quonam in statu res ipsorum modò sint. Hoc verò manifestum indicium est, quòd confessio ipsorum non ex puro Dei amore, sed ex sensibili duntaxat deuotione processerit, quæ nimirum non nisi debile quoddam & arenosum fundamentum fuit, in qua immoderatius suam fiduciam collocârunt, potius quàm in Deo, cui tamen eos tam in aduersis quàm prosperis inniti oportebat, sicut veri testes Dei faciunt, qui semper immobiles ac stabiles perseuerant, & in aduersis & in prosperis, Deo purè innitentes, ac illius beneplacito sese resignantes, adeò vt siue det, siue auferat, semper tranquillam in ipso & cum ipso pacem habeant: nec suis proprijs institutis & exercitijs nimium confidunt. Contra alij multi sunt, quibus dum sua exercitia prosperè succedunt, & quædam faciunt aut possunt, quæ ipsis grandia videntur, totam in illis spem suam constituunt, & plus æquo, tanquam aliquid sint, illis innituntur. Quibus tamen ex singulari & immensa fidelitate ac bonitate sua Deus summè bonus crebrò hanc ipsorum fiduciam subtrahit, faciens vt nihil pro sua queant agere voluntate. Dum enim vigilare cupiunt, dormire contra omnem suam voluntatem compelluntur: si ieiunare volunt, coguntur edere: si denique silentio & quieti vacare appetunt, ad contraria ire iubentur. Hæc autem ideò, Deo disponente, fiunt, vt ea omnia, quibus immodicè innituntur atque confidunt, subruantur, ad proprij nihili sui adducantur cognitionem, ac Deo omnipotenti totaliter innitantur, & ipsum in simplici ac pura fide per dilectionem operante confiteantur, nec cętera quælibet alicuius momenti ducant. Certum est enim, quòd sicut homines seculares & peccatores per sensuum oblectamenta, per honores vel diuitias, aut prauas corporis sui voluptates, à salute sua remorantur, ita & isti per suas internas oblectationes, siue in agendo, siue in gustando dulcedinem diuinorum effluxuum atque donorum, excidunt à simplici ac intima fiducia, per quam soli Deo inniti debebant, veraqúe spiritus paupertate, per quam ad omnem Dei voluntatem eos sese resignare oportebat. Cæterùm, vt iam quoque supra dictum est, Iudęa etiam Dei laudationem significat. Planè si quis hanc viam inuenire posset, vt in omnibus & pro omnibus, vndecunque illa occurrent, siue intrinsecus, siue extrinsecus, & siue pro illo, siue contra illum forent, Deum laudaret, feliciter sanè ac prosperè ambulâsset: atque si omnia Deo cum gratiarum actione sciret offerre, iam proculdubiò verus Dei testis esset. Quamobrem moneo vos, dilectissimi, vt omnia disca-

Iudæa.

Veri testes Dei quales.

Iudæa quid.

tis referre in diuinam illam originem atque fundum, vnde cuncta pro-
:, nec alicui rei inhæreatis, sed simul cum rebus omnibus in Deum, vn-
:manâstis, refluere curetis. Hinc verò pura Dei laus orietur, quæ deinde præ-
ssimos fructus in ipso producet fundo. Ibi planè flores & fructus vnum
ibi Deus in Deo, & lumen est in lumine. In hoc fundo quicquid vobis si-
tus, siue foris acciderit, vndecunque illud veniat, Deo purè offeratis si-
qúe vosipsos cum illo. Iam deinde subiecit Christus, & ait: *Eritis mihi testes* Actus 1.
maria, hoc est, in vnione diuina. Nullum profectò in hoc seculo verius Samaria.
monium perhiberi potest, quàm sit illud, quod quisque perhibet Deo ve-
:er vnitus. In hac nanque vnione non solùm creaturas omnes, sed etiam
um excedit. Enimuerò in Dei vnitate omnis amittitur multiplicitas, &
tus supra omnem multiplicitatem eleuatur, sustolliturqúe. In hoc testi-
io vires superiores in illud rapiuntur cælum, vbi Sancti omnes in Deo
na sunt vnione copulati atque vniti, & ibi felicitatem ac beatitudinem
n percipiunt, Deoqúe in veritate perfruuntur: simulqúe vires suas inferio-
post se trahunt, quantum in hac vita possibile est. Ad hunc gradum quotquot
ıenerunt, securè iam confiteri possunt, nec vnquam negare opus habent
:ialia Dei dona, ab illo sibi collata, & quicquid Deus omnipotens ex singu-
gratia sua in eis & circa eos operari dignatus est. Omnia nanque illa Deo
fitentur, & ideò nihil sibi inde adscribunt, neque vsurpant. Deinde iam ta-
n alterum cælum, in ipsam videlicet diuinam essentiam, transferuntur ra-
nturqúe, vbi spiritus totum se perdit, totusqúe in Deum immergitur ac ab-
betur. Quæ verò hîc spiritui contingant, quidve illic dulcedinis sentiat &
eriatur, id neque verbis exprimere, nec cogitare, nec intelligere quisquam
ficit. Quis enim ea intelligere valeat, quæ nec ipse spiritus capit? quippe qui
ò in diuinam abyssum immersus est & liquefactus, vt nihil aliud sciat, ni-
sentiat, nihil sapiat, nisi purum, nudum, ac simplicem Deum. Inde verò
orsum ad infimum minimumqúe exercitiorum suorum visum retorquens,
igenter considerat, si aliquid sit ibi imperfectum relictum, vt hoc perficia-
, denuò pascatur ac renouetur. Itaque hoc modo istiusmodi homo medius
ıdet inter cælum & terram. Secundùm vires nanque superiores, & supra se-
ùm, & supra omnia eleuatus est, & in Deo suo felicissimè commoratur. Se-
ndùm vires autem inferiores, infra omnia depressus est atque demersus in
ndum altissimæ humilitatis, & est instar incipientis. In infimo nanque ex-
:itio, à quo primùm exorsus est, seu quod primum habuit, tenere se nouit:
c est omninò aliquid, quantlibet vile sit, quod tanquam paruum facere dedi-
etur. In singulis nanque veram pacem habet. Atque hoc modo essentialis
:i testis est, confitens ipsum esse, qui de cælo descenderit, & iterum in cælum
super omnes cælos ascenderit. Cæterùm quotquot eò venire desiderant,
ıum cum illo fieri, & sic in ipso, & cum ipso, & per ipsum eò pertingere opor-
:. Certè si quis hanc viam ambularet, is recta & secura via incedens, nusquam
uiaret, nec vllos conscientiæ pateretur errores, non capitis debilitatem, nec
rebri contraheret læsionem, nec demum semper huc illucqúe discurrendo, &
is erroneis sensibus modò ab illo, modò ab alio petendo consilium, & de du-
js suis interrogando, sibi & alijs tempus perderet. Quod nobis omnibus præ-
t clementia Domini Saluatoris. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE, vel etiam in festo S. Mathiæ Apostoli.

De Humilitatis vtilitate: & vt ipsa obedientiam atque iustitiam excellat, vtque demum per eam ad suscipiendum Spiritum sanctum, vel maximè ac compendiosissimè præparemur.

SERMO V.

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, &c. ACT. I.

POSTEAQVAM Dominus noster IESVS Christus in cælum ascenderat, sicut Actuum primo legitur, *reuersi sunt Apostoli Hierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem Sabbathi habens iter. Et cùm introissent, in Cœnaculum ascenderunt, perseuerantes vnanimiter in oratione. In diebus* autem *illis exurgens Petrus in medio fratrum,* de Iudæ apostasia, & alio in eius locum substituendo ad eos locutus est. Tum verò *statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam:* Et oratione facta, *dederunt sortes eis: & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Hîc primò notandum est, charissimi, quòd Apostoli Hierosolymam venerunt, quæ (vt in præcedente quoque Sermone dixisse memini) & veræ pacis, & perturbationis ciuitas fuit. Fieri enim non potest, vt aliquis veram obtineat pacem, nisi hunc duplicem teneat modum, vt videlicet pacem in perturbatione, gaudium in aduersitate sentiat, & abundare discat in penuria. Deinde & de *monte Oliueti* ad montem Sion regressi leguntur. Ita planè, dilectissimi, oportet nos cum omnibus viribus ac tota mente ad æternitatis sublimia ascendere, cunctis rebus inferioribus transcensis atque inferius relictis, instar sancti Abraham Patriarchæ, qui Domino Deo filium suum immolaturus, relictis pueris & asino, cum eodem filio suo perrexit in montem. Huius porrò ascensûs dux, est ipsa voluntas. Ea nanque tota authoritate cunctis viribus imperare potest, haud secus quàm princeps in territorio suo, aut paterfamiliâs in domo sua. Ipsa igitur hominem supra cuncta hæc visibilia sursum impellere debet. Adhæc, *à monte* discipuli *reuersi, cœnaculum* quoddam ingressi sunt. Cœnaculum, locus est ad cœnandum idoneus. Cœna quippe vespertinum conuiuium est. Post cœnam verò conuiuium nullum, nec labor aliquis propriè restat, sed tantùm quies. Hîc nobis diligenter satis attendendum est, quid sibi velit, quòd discipuli in cœnaculum ascenderunt. Itaque sicut ipsi in cœnaculo permansêre, ita & mens nostra & vires quiescere, finemque suum tam essentiali quàm actiuo modo in eo, in quo cuncta terminantur, post quod nullum conuiuium, nec vllus superest labor, hoc est, in Deo statuere debent. In ipso nanque æterna requies est. Quisquis autem aliò suam intentionem intus in ipso fundo suo dirigit, purissimum bonum illud, Deum videlicet Opt. Max. non intendit, & neque ritè expectat, neque verè præparat se ad suscipiendum Spiritum sanctum. Post hæc collectis discipulis atque constitutis in Cœnaculo, *Petrus,* qui ob Domini confessionem, confessor siue cognitor dici potest, *exurgens in medio fratrum,* de vero teste in locum Iudæ substituendo, verba facit. Non enim latebat Petrum, qui (vt diximus) cognitor dici potest, Iudam

Qualis Hierusalem fuerit ciuitas.

Genes 22.

Cœnaculum.

Petrus.

furem & proditorem extitisse: & id arguens, in locum, de quo ille præcatus fuerat, alium subrogare voluit. Quid hic dicemus charissimi? Nam nobis est Iudas iste, per quem nihil aliud significatur, quàm temeraria & iua bonorum illorum, quæ Deus ex gratuita bonitate sua in nobis opera-assumptio siue vsurpatio, dum videlicet ea sic nobis asscribimus & arroga-s, tanquam nostra sint, & nos ea fecerimus, aut pro nostris meritis Domis ea in nobis operatus sit, nec veremur humanam ob ea laudem expetere. ɔc dum vera cognitio aduertit, non potest non molestè ferre, aliumque in ris huius locum subrogare molitur. Deinde *statuerunt duos, Ioseph, qui voca-ur Barsabas, qui* non solùm *cognominatus est*, sed etiam reuera *iustus* fuit, *& Ma iam.* Ex his prior, *Barsabas*, diuina consolatio: & *Ioseph*, obediens interpreta r, cum quo posterior, *Mathias*, qui pusillus coram Domino dici potest, statur vnà. Missa igitur sorte, non ea cecidit super Ioseph obedientem & iustum, ec hic ad sublimem *Apostolatus* gradum prouehi meruit, licet iustus, & ex diina consolatione natus esset, quod nobis magnum aliquid videbatur, sed potius *sors* ipsa *cecidit super Mathiam*, id est, pusillum coram Domino. Planè, dilectissimi, ista pusillitas, ista humilitas, omnem obedientiam, iustitiam, diuinam consolationem superat, tametsi præclarissimæ virtutes sint. Solus nanque paruulus & humilis eligitur, & omnibus anteferrur, tametsi hoc mirabile videatur in oculis hominum. Proinde quisquis ad excellentissimum illum honoris & vitę gradum pertingere cupit, vt sublimissimo modo Dei sit Apostolus & testis, omnium se minimum ac nouissimum ex animo coram Deo fateri ac reputare debebit: & ita haud dubiè sors cadet super ipsum, quod aliàs frustra sperat. Summum, inquam, hoc illi studium erit, & ad hoc omnes referet conatus suos, vt vilis & contemptibilis habeatur, atque paruipendatur ab omnibus, tuncque certò certius in proximo, dignissimo, altissimo honoris gradu à Deo constituetur, sicut & Apostoli, qui ei præ cunctis fuêre hominibus chariores. Ad hunc verò gradum temere & frustra adspirat ac peruenire contendit alio modo, quàm seipsum profundissimè humiliando. Reuerà quisquis in hunc fundum pertingere poterit, vt & proprium nihil suum perfectè cognoscat, & inde paruum & nihil coram Deo se reputet ac fateatur, idque ex animo & in veritate, non in sola cogitatione vel specie, qualis est humilitas ficta siue composita, quæ superbiæ soror est atque sodalis, & multum habet de mentis elatione siue tumore, atque plurimum distat à vera humilitate, per quam nos non Deo tantùm, verùm etiam creaturis subijcimus vniuersis: huc, inquam, quisquis pertingere poterit, is verissimè ac proximè sese ad Spiritus sancti præparabit susceptionem, & gratiam copiosam in hac vita consequetur. Quam nobis omnibus præstare dignetur Dominus Deus omnipotens, in secula benedictus. Amen.

Iudas mystice quis.

Barsabas quid. Ioseph. Mathias.

Humilitate iustitiam omnê vinci.

Humilitas ficta, superbiæ soror.

DOMINICA INFRA OCTAVAS Ascensionis.

De vera ad sancti Spiritus susceptionem præparatione, & vt quisque in sensibilis deuotionis atque dulcedinis affluentia prudenter sese habere debeat, ne quo modo nequam natura se admisceat. Deinde vt in oratione vigilandum sit, ac de vera mentalis siue internæ orationis vtilitate.

SERMO

SERMO VNICVS.

Estote prudentes, & vigilate in orationibus, &c. I. PETRI IV.



VICINO, sicut ipsi nôstis charissimi, nobis imminet dulcis & iucunda solennitas Spiritus sancti, ad quam totis quenque viribus sese præparare æquum est, vt tantum hospitem, imò Dominum Deum suum, dignè queat suscipere, cum pura diuinitatis intentione, quam in omnibus habere curabit. Atque ea de causa cum lumine rationis suæ, quicquid agit siue dimittit, omnemque vitam suam, strenuè ac seriò perlustrabit, diligenter considerans, si quid fortè in eis viuat siue commoretur, quod purè Deus non sit. Porrò, sicut & aliàs vobis dixisse me memini, præparatio hæc in quatuor consistit, abstractione videlicet, interna nuditate, interioris hominis inhabitatione ac vnitate. Præter quæ etiam hoc requiritur, vt homo exterior naturalibus, vires inferiores moralibus, atque vires supremæ Theologicis virtutibus, quas eisdem præstat Spiritus sanctus, decentissimè exornentur: vtque simul hæc omnia vera moderetur discretio, diligenter singulorum actus & dimissiones perscrutando explorandoque, vtrum rectè se habeant, cunctaque in Deum tendant ac referantur. Si quid autem inuenire contigerit, in quo Deum purè non quærit, vt hoc ipsum corrigat iudicetque. Et sicut agricola in Martio, vbi solem nostro orbi propinquiorem fieri cernit, arbores putat, zizania euellit, humum studiosè fodit ac diligenter euertit: sic & ipse homo corruptum atque peruersum fundum suum studiosè effodiet, introspiciet, ac penitus euertet, arboresque suas, hoc est, sensus & vires inferiores putabit, corrigetque, omne inde vitiorum lolium, quantum fieri potest, funditus euellendo. Principio quidem seriò ac strenuè semper vitia capitalia, seu mortalia peccata radicitus extirpabit, perfectè se mundans ab omni superbia intus & foris, ab omni auaritia, ira, odio, inuidia, ab omni impura delectatione corporis, cordis, sensuum & spiritus, si quam fortasse quærat intus vel foris, ab omni denique torpore & acedia: quæ omnia, ijsque plura similia, ad viuum resecabit, eradicabitque. Cæterùm adhuc in Martio est iste, adhuc frigus & rigor fundum illius occupant, & licèt Sol appropinquet, nondum tamen tota virtute in ipsum radiat. Appropinquat tamen & indies æstas accedit vicinius: iamque prope est, vt Sol diuinus tota virtute in fundum ritè præparatum coruscę lucis suę radios diffundat. Exteriori nanque homine & viribus tam supremis quàm infimis ritè putatis ac præparatis, suauissimus diuinitatis & iustitiæ Sol accedens, clarè iam ac lucidè in ipsum fundum radiare, & in agrum lucem suam effundere incipit. Tum verò æstas iucundissima, & ver fragrantissimum diuersis floribus amœnum, quale præsens est tempus, exoritur: & Deus omnipotens spiritum virere atque florere, & fructus optimos producere facit, iamque nec lingua explicat, nec cor capere sufficit, quàm inde in spiritu vernans gaudium nascatur, quòd Spiritus sanctus præsens suauissimum iubar, diuinumque splendorem suum absque medio ipsi fundo præstare & infundere potest. Planè hic idem ipse Spiritus sanctus & dicitur, & est verus consolator siue Paracletus, quando melliflui influxus illius locum habere queunt. O quanta ibi sentiuntur gaudia. O quàm suauissima est illa fruitio, vbi anima Deo vnitur, & sancti Spiritus splendoribus illustratur. Magna prorsus ibi solenni-

Quæ quatuor hic notanda.

Paracletus.

itas est, gratissimumque culina spargit odorem ex cibis pretiosissimis ac naticis, qui illic præparantur, proponunturque: qui quàm sint verè dulcis- ac desiderabiles, experti nouerunt. Medium illic florigerumque ver agitur. ique & ex suauissimis morsellis, quos anima capit, etiam in fragilem natu- gratissimus procedit odor, simulque copiosè illi sentire præstatur ineffa- gaudium illud, quod intus in spiritu dignè ac ritè præparato mellifluus ritus sanctus profusè ac liberaliter pro sua benignitate administrat. Credite ni, charissimi, quia vel vnica huius experimenti guttula excellit atque re- nguit saporem omnem atque dulcedinem, quam omnes possent creaturæ ex- bere, etiam modis omnibus, qui vel cogitari, vel desiderari queant. Verùm n homines quidam magnam & insolitam consolationem, ac ineffabile gau- um istud intra se sentiunt & experiuntur, totos se in illa immergere, in eis ob- rmire, requiescere, ac permanere cupiunt, sicut & de S. Petro legimus, quòd i vix guttulam diuinæ consolationis & lucis perceperat, ex ea tria voluit ta- rnacula construere, iamque illic manere cupiebat, sed Dominus petenti non quieuit. Longè adhuc inde aberat, quò eum Dominus erat perducturus, licet iceret: *Bonum est nos hic esse.* Sic & isti, de quibus agimus, vbi vnicum hunc ra- ium sentiunt, totum se Solem comprehendisse arbitrantes, quiescere in eo & bdormire volunt. Et quicunque id agunt, deficiunt omnes, nec vllum in veris irtutibus profectum faciunt. Alij ex huius dulcedinis & consolationis internę ffluentia malam & perniciosam incidunt libertatem, securitatemque: simul- que natura, dum hanc dulcedinem sentit, subtiliter vana complacentia ad se- psam reflectitur, seseque in ea possidet, ad quod alioqui prę omnibus vel maxi- mè propensa est, & nimium illi sentire siue experientiæ confidit, quemadmo- dum (vt à medicis audiui) crebris vti medicinis hominibus valde nociuum est. Vbi enim natura adiuuari se sentit à medicis, nimium illis innitens, omni actio- ne postposita, otio & quieti se tradit: putat enim se iam satis adiuuari, ideoque non tam sedula est ad operandum, vt aliàs esset. Dum verò nullum aliunde au- xilium sperat, laborat & operatur, ipsaque se adiuuat. Videte hîc dilectissimi, quàm subtiliter natura, nimium infecta atque vitiata, in omnibus ad seipsam reflectitur, & seipsam quærit, hoc est, quietem & commoditatem suam. Hoc ve- rò vel centuplo amplius contingit in spiritalibus. Hi nanque dum hanc dulce- dinem, hocque singulare & insolitum bonum experiuntur atque percipiunt, ex toto illi innituntur, in ipsoque confidunt, seseque tanto putant esse securiores. Quo fit, vt iam minus fideliter, minusque studiosè operentur: imò tam plerun- que delicati ac molles fiunt, vt sibi nihil sustinere, nihilque, vt prius, laborare se posse videantur: putentque otio & quieti sibi vacandum esse. Itaque vbi mali- gnus spiritus eos quiescere atque vacare cernit, quandam eis falsam dulcedi- nem administrat & infundit, non alia de causa, quàm vt tales permaneant, & in hac mala quiete semper perseuerent. Sed dicat fortasse aliquis: Quid ergo? Re- pellendáne est ista dulcedo, & quies fugienda? Nullo modo. Quinimò cum in- genti eam (dulcedinem dico) gratitudine suscipere, & profunda cum humilita- te in Deum referre, ipsumque pro illius infusione magnificè laudare, & gratias agere, nosque postremò ea penitus indignos confiteri, debemus. Et sicut robustus iuuenis, pauper tamen & fame ac siti laborans, grandeque habens iter conficere, vix tria vel quatuor milliaria potest absoluere, nisi cibo abundè reficiatur: de-

Matth. 17. Marc 9. Lucæ 9.

Medicinis crebris vti quale.

Natura quàm vbique seipsam quærat.

inde verò satis bene cibo potuq́ue refectus, ita fit lætus & alacer, vt vel decem possit conficere milliaria: ita & is, quem Dominus hac sua dulcedine & consolatione diuina reficit corroboratq́ue, multo deinde plura, quàm solebat, inf[illegible] plus amare, vberiores agere gratias, feruentius laudare, sese denique tanto magis & crebrius per flammigera desideria & ardentissimum amorem in Deum erigere ac subleuare curabit, & acceptas vires & dona ita consumere, vt ipsa dona, abundantiorem consolationem, & plus deuotionis sensibilis sibi perferendum, Deum faciat debitorem. Et reuerà haud secus illi eueniet, quàm si cuipiam summum accedenti Præsulem, & florenum aureum offerre volenti, supremus ipse Pontifex occurrens, centum millia talentorum auri largiatur, idq́ue toties, quoties ille aureum vnum offert. Quoties enim ad Deum sese conuertit, eidemq́ue se cum amore & gratiarum actione offert & exhibet, toties illi Deus cum multo pluribus ac excellentioribus donis & charismatibus, abundantiori[illegible] consolatione, quolibet etiam momento occurrit. Hoc igitur modo dulcedo hæc omnibus bene ea vtentibus impendio suffragatur, eosdemq́ue citius ducit in Deum, & ad plura dona capienda disponit. Enimuerò vtendum ea est, non fruendum. Sicut enim aliquis vehiculo iter facturus, non ad voluptatem, sed ad vtilitatem eo vtitur, & hanc potius, quàm illam spectat: ita & ex omnibus Dei donis non nisi vtilitas capienda est, voluptas autem in solo Deo. Ad hos ipse nos Apostolorum Princeps hortatur, dum ait: *Sobrij estote, & vigilate*: monens nos, ne in ipsa dulcedine obdormiamus siue quiescamus. Qui enim dormit, instar mortui est, nec aliquid operis agit. Itaque vigilare debemus, & esse sobrij. Nam qui sobrius est, vigilanter, amabiliter ac rationabiliter sua facit opera. Vnde & Petrus Apostolus, vt paulo ante dicere cœpi, huiuscemodi nos conuenit verbis: *Fratres, sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide.* Et ego, charissimi, moneo & obsecro vos, ne torpori ac pigritiæ locum detis, nec vllo modo quiescatis in qualibet re, quæ non sit purè Deus: sed diligenter vosipsos cum lumine rationis circunspicite, studioseq́ue obseruate non vos tantùm, sed etiam Deum in vobis, idq́ue cum amorosis desiderijs & adspirationibus ignitis. Certè quod ex Scripturis probamus, & ipsos Apostolos iucunda Saluatoris præsentia destitui oportebat, vt capaces fierent Spiritus sancti. Sic enim eis Dominum dixisse legimus: *Nisi*, inquit, *ego abiero, Paraclet us non veniet ad vos*. Adeò namque sancti Apostoli & cæteri discipuli & intus & foris præsentia corporali Domini nostri IESV Christi occupati, possessi, repleti erant, etiam in angulis omnibus, in corde, anima, sensibus, viribus, vt omninò necessarium esset hac eos possessione nudari, si verum internum Spiritus sancti solatium obtinere deberent. Quod licet molestè & perquàm grauiter ferrent, ita tamen fieri oportebat: alioqui nunquam profecissent, sed semper in infimis & in sensualitate sua permansissent. Post itaquam verò sensus transcenduntur, in supremis viribus diuina hæc consolatio atque dulcedo multo præstantius maioriq́ue percipitur cum gaudio. Ac deinde in fundum interiorem, in occulta spiritûs peruenitur, vbi propriè dulcedinis huius locus est, & ibi ea veraciter essentialiterque suscipitur: atque in hac demum sobrietate homo verè fit vigil. Redeamus nunc ad Petri Apostoli verba. Ait ergo: *Fratres, sobrij estote, & vigilate*: & alio loco: *Vigilate*, inquit, *in orationibus: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circumit*. Vigilare nos monet

Quæ dulcedine vtendum, nō fruendum.

1.Pet.5.

Ioan.16.

1.Pet 5.
Ibidem.

orandum. Sed quibus orationibus? An fortassè ita hoc accipiendum est, quasi semper innumeris vocalibus orationibus insistendum, & (verbi gratia) multa Psalteria perlegenda? Minimè. Non de talibus præcipuè hic loquitur, sed de oratione potius mentali, de ea, inquam, oratione, quam Dominus noster IESVS Christus veram esse dixit orationem, qua *Patrem veri adoratores adorant in spiritu & veritate*. Cui nimirum & ea definitio conuenit, quæ à sanctis Doctoribus posita est: Oratio est mentis ascensus in Deum. Huic mentali orationi vocalis, & ea quæ ore funditur oratio, nonnunquam prodest, & ad eam disponit, atque hactenus ea commendari potest. Cæterùm sicut cucullum hoc & aliæ vestes meæ vtiles quidem mihi sunt, nec tamen hoc ipsum sunt quod ego: sic & omnis vocalis oratio mentali orationi confert & vtilis est, non est tamen ipsa vera oratio, de qua dicitur, quòd sit ascensus mentis in Deum. Hæc est enim veræ orationis essentia, vt mens ipsa cum amore ac intimo desiderio humiliter sese Deo subijciat, & absque medio feratur in Deum. Hæc, inquam, sola est vera oratio. Interim tamen Ecclesiastici omnes, & quotquot in Monasterijs degunt, ad certas quasdam orationes vocales & preces Horarias sunt obligati. Verùm nulla oratio vocalis, tam deuota, tamque amorosa est, vt oratio Dominica, quam ipse nos docuit supremus Magister & Doctor Dominus Iesus Christus, quaque & ipse vsus est. Et hæc præ omnibus maximè confert orationi mentali, quam solam veram & essentialem orationem esse diximus. Denique & omnes cælestis patriæ ciues hac ipsa vera oratione, quæ mentis est in Deum ascensus, vtuntur. Per eam nanque mens ipsa tota directè extra se fertur in Deum, ita vt Deus ipsa vicissim in veritate ac propriè intrare possit in purissimam, intimam ac præclarissimam animę portionem, hoc est, in ipsum fundum interiorem, in quo sola vera vnitas est. De quo Augustinus loquitur, vbi ait, animam quandam in se occultam habere abyssum, cui nihil cum tempore, neque cum toto mundo commercij sit, multumque supra eam animæ partem sit eleuata, quæ vitam corpori motumque subministrat. In hanc igitur præclaram ac gaudiosam abyssum, quæ est occultum animæ regnum, ea, de qua multum locuti sumus, dulcedo infunditur delabiturque, & hic proprius eius peculiarisque locus est. Tum verò homo quietus, essentialis, stabilis, magis abstractus, plus introreceptus siue intractus, subleuatior, parior, expeditior, resignatior efficitur in omnibus. Deus nanque veraciter præsens in illud nobile regnum aduenit, ibique habitat & regnat. Huius verò nulla est cum præcedente comparatio. Hic enim homo prorsus Deiformem diuinamque assequitur vitam: spiritus totus liquescens, seipsum & omnia excedit, atque in feruentissimum illum rapitur amoris ignem, qui est ipse Deus naturaliter essentialiterque. Hinc deinde, qui eiusmodi sunt, ad omnes totius Christianitatis necessitates procedunt, sanctas orationes & ignitas adspirationes emittentes pro omnibus, pro quibus vult Deus ipse rogari, pro omnibus amicis suis, pro omnibus peccatoribus, & pro cunctis in purgatorio detentis: sicque charitatis affectu ad omnes se extendunt, omnibus omnium & singulorum necessitatibus per vniuersam Christianitatem consulere cupientes. Nec tamen circa hunc vel illum, aut circa certas personas occupantur, sed simplici quodam modo orant pro omnibus: & verbi gratia, sicut vno quodam intuitu omnes vos coram adspicio, sic & ipsi omnia secum trahunt in eandem diuinitatis abyssum, & amoris incendium per contemplationem, eandem intuentes abyssum, &

Ioan. 4.

Oratio quid.

Matth. 6. Lucæ 11.

Qua oratione ciues cælestes vtuntur.

eundem ignem diuini amoris, in quo & requiescunt: rursumque æstuantem su amoris ignem stillant super omnes afflictos & in qualibet necessitate vel miseria per vniuersam Christianitatem constitutos, & iterum sese recipiunt ad amabile illud caliginosum & quietum silentium, quod est in diuinitatis abysso. Hoc igitur modo & intrant & exeunt, & tamen semper intus manent in quieto & amabili fundo, in quo tota est vita & essentia, omnis actio & motus ipsorum. Vbicunque autem sint, nihil in eis inuenitur nisi vita prorsus Deiformis. Omne nanque agere, omne dimittere, & omnes denique modi ipsorum penitus diuina sunt. Hi reuera præclari sunt homines, & vniuersæ Ecclesiæ vtilissimi, proficui omnibus, Deo laudabiles, & cunctis hominibus consolatorij. Denique quocunque versentur loco, Deus in ipsis habitat, & ipsi in Deo. Quod & nobis idem ipse præstare dignetur Dominus Deus noster in secula benedictus. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

Vt prudentes esse debeamus in omni actione & dimißione nostra, perspicuè discernendo, circa quid versemur, vtrum videlicet Deus id sit, an natura. Item, quid vera sit abstractio, & vt homines diuersimodè capaces sint Spiritûs sancti.

SERMO I.

Euangelium huius diei est: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. IOAN. XIV.

Estote prudentes, & vigilate in orationibus. I. PETRI IV.



SOLENNEM illam Spiritûs sancti missionem, quando illum Deus effudit singulari & notabili modo in electos Apostolos & discipulos suos, hodie vbique terrarum sancta recolit & celebrat Ecclesia. Necessarium quidem erat, vt iidem præ omnibus alijs, qui tunc supererant, hominibus & copiosissimè illuminarentur, & ardentissimo diuinitatis amore vehementissimè succenderentur, vt ipsi totius essent perfectionis initium, & posteris suis perfectæ vitæ relinquerent exemplum. Dignum quoque erat, vt Spiritûs sancti abundantiori consolarentur gratia, qui omni solatio destituti, & vndique tam intus quàm foris derelicti & desolati erant. Post susceptum verò Spiritum sanctum, quandiu in hoc seculo superuixêre, indies illius Spiritus fiebant capaciores, & ad suscipiendum illum magis ac magis idonei. Sic ergo & quilibet Dei amicus amabilem hanc Spiritûs sancti solennitatem quotidie, imò & horis omnibus ea debet ratione in anima sua peragere, vt qualibet etiam hora ipsum sublimi quodam & excellenti modo suscipere sit idoneus. Secundùm quod enim sese præparauerit, accommodauerit, intròque receperit, illiusque capacitas magis ac magis excreuerit, iuxta hoc etiam sanctus illi Spiritus copiosius mittetur. Non enim ambigendum est, Spiritum sanctum, vt olim in sacra Pentecoste Apostolis missus fuit, ita adhuc quotidie spiritaliter cum nouis ac specialibus donis & charismatibus descendere in omnes illos, qui se ex animo ad hoc accommodent præparentque. Cæterùm ne cui fortasse obscurum sit, qua ratione ad illius Spiritûs susceptionem præparari oporteat, Petrus id nobis Apostolus, imò Apostolorum Princeps apertissimè & proprijssimè indicat, dicens: *Estote prudentes*. Vbi per prudentiam, non sola cognitio seu sapientia, sed etiam experientia

[Margin: Pentecoste quibus & quomodo quotidie peragenda.]

[Margin: 1. Petri 4.]

[Margin: Prudētia.]

tia intelligitur, qua videlicet crebrò aliquid experti, idipsum melius scire valemus. Hortatur itaque nos Apostolus Petrus, vt *prudentes* simus, hoc est experti, prouidi, circunspecti in omni actione & dimissione nostra, solerter per lumen rationis dispiciendo, quid sit circa quod versamur, quod quærimus, quod amore & intentione prosequimur: vtrum ne purè atque syncerè Deus sit, an potius aliud aliquid. Enimuerò proxima atque purissima ad sancti Spiritus excellentem susceptionem præparatio in quatuor consistit, quæ sine medio ad ipsam nos excellentiori modo disponunt, quæ sunt hæc: Vera abstractio, interna nuditas, interioris hominis inhabitatio, & vnitas. Per hæc, inquam, proximè atque verissimè ad Spiritus sancti susceptionem præparamur: & quisquis ista copiosius habet, magisque proficit & crescit in eis, ille Spiritus Paracleti capacissimus est. Quid ergo, dicet aliquis, est vera puraque abstractio? Hoc scilicet, vt sese homo abstrahat & auertat ab omnibus, quæ non sunt purè Deus: & cùm lumine rationis suæ animoque tranquillo cuncta verba, opera, cogitationes suas perspiciat atque perlustret, vigilanter attendens, si quid fortè intus lateat in fundo, quod non sit purè Deus, aut fortasse non purè Deum intendat in omnibus, quæ vel facit, vel dimittit. Et si quid inuenire contigerit, quod extra solum intendat Deum, vt hoc euestigio remoueat & excludat. Hoc verò non tantùm ad internos, hoc est, vitæ spiritali ac internæ deditos, sed ad quoscunque etiam bonos homines pertinet. Siquidem plures inuenire est homines bonos, magnis quidem ac laudabilibus exercitijs intentos, sed vitæ internæ ignaros penitus. Qui tamen omnes obseruare tenentur, quæ sint ea, quæ ab amore Dei veroque profectu eos impediunt, & vbi ea cognouerint, sine mora propter Deum illa relinquere & abnegare, atque ab eis tanquam veris impedimentis, sese penitus abstrahere sunt obligati. Ista abstractio omnino necessaria est omnibus, sanctum Paracletum Spiritum & larga illius charismata suscipere volentibus, vt videlicet Deum purè intendant, & ab omnibus extra illum, siue quæ ille non est, sese abstrahant & auertant. Hæc porrò abstractio & sancti Spiritus præstolatio, non eadem est in omnibus, sed diuersa in diuersis. Quidam nanque eundem Paracletum per formas & imagines in sensibus sensualiter suscipiunt. Quidam longè excellentiori modo in viribus supremis intellectualiter multum supra sensus. Alij demum non solùm iam dictis duobus modis, sed etiam in arcana abysso, in occulto regno, in gaudiosissimo fundo, in quo imago supersanctissimæ Trinitatis, & nobilissima animæ portio existit: vbi proprius ac peculiaris est locus Spiritus sancti, & ibi dona illius diuino quodam modo excellentissimè suscipiuntur. Et quoties hunc fundum aliquis cum lumine rationis suæ inspicit, sesequè à nouo conuertit ad Deum, toties hîc quædam fit renouatio, & noua quædam sancti Spiritus inspiratio, etiam singulis momentis, nouaque illi dona, & noua charismata infunduntur: quoties, inquam, cum supradicta prudentia & abstractione huc sese conuertit, & omnia quæ facit & dimittit, omnes vias, modos, & verba sua seriò perlustrat, discutit, perspicitque, considerans vtrum aliquid in eis lateat quod Deus non sit, & vtrum tota intentio sua in solum Deum feratur. Et si quid vspiam deprehenderit, quod non sit purè Deus, per rationem dijudicet, regat, corrigatque. Debet enim ratio cum lumine suo disponere, dirigere ac moderari, primò quidem naturales siue morales virtutes, vt verbi gratia, humilitatem, mansuetudiné, pietatem, tranquillitaté, misericordiam, &c.

Quę quatuor ad Spiritus sancti susceptioné faciant.

Abstractio pura quid.

Abstractio quæ quibus necessaria.

Abstractio in diuersis quâ diuersa.

easdemqúe virtutes diligenter examinabit, vtrum videlicet ex Deo natæ sint, siue non. Deinde & Cardinales perlustrabit virtutes, prudentiam scilicet, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Has, inquam, virtutes omnes, & quicquid est in homine, lumen rationis perspiciet, perlustrabit, disponet, ornabit, & omnia in vero atque diuino collocabit ordine, vt videlicet cuncta hæc pura quadam diuinitatis intentione in Deo & propter Deum purè fiant. Itaque vbi Spiritus sanctus, cuius natura bonitas est, hominem, quod in ipso erat, fecisse animaduertit: cum lumine suo adueniens, lumen rationale superirradiat, virtutesque supernaturales siue Theologicas animæ infundit, fidem scilicet, spem, charitatem, & gratiam gratum facientem. Et ita demum homo prudens, imò & virtuosus ac Deiformis siue diuinus in hac abstractione efficitur. Hæc autem diligenter satis lumine veritatis perspicienda sunt. Multa nanque se admiscent, in quibus dum Deus purè quæri creditur, cùm ad ipsum fundum peruenitur, secus esse videtur. Vbi tamen sciendum est, fideliterqúe retinendum, quòd in homine Deum purè intendente sæpe grauis quædam pressura & angustia oboriatur: qua oppressus, videtur sibi Deum non purè intendisse, & ita omnium laborum suorum fecisse iacturam, omnemque perdidisse operam. Hinc iam pacem pectoris amittit, animiqúe mœrorem & perturbationem incurrit. Hæc autem pressura nonnunquam ex naturali grauitate seu indispositione, vel complexionis malitia, nonnunquam ex influentia cæli, vel aëris inæqualitate, nonnunquam verò ex maligni spiritus operatione, qui per huiusmodi prauissimas immissiones suas bonum hominem istum perturbare molitur, accidere solet. Sed hæc suauiter declinanda sunt, cum benigna tranquillaqúe mansuetudine. Ita enim facilius vincuntur. Vnde non satis rectè faciunt quidam, qui pressuram hanc violenter & impetuosè à se excutere, eandemqúe perrumpere volunt, destruentes ac debilitantes per hoc capita sua: quiqúe nimis inordinatè Doctores & Dei amicos pro consilio & auxilio accedunt, eripere se inde & euadere cupientes: vnde sæpius magis implicantur, cùm nemo facilè inde eos extrahere & expedire queat. Quamobrem vbi ista pressura & tempestas in homine exurgunt, haud secus faciat, quàm solent homines facere, vbi tempestas oritur, & pluuiæ vel grandines cadunt. Tunc enim fugiunt omnes sub tectum, donec tempestas sopiatur & pluuiæ cessent. Ita & ipse, vbi intra se simpliciter sentit ac deprehendit, quòd nihil velit neque desideret nisi Deum, dum hac pressura corripitur, modestè subtiliterque fugiat, donec integrè sibijpsi restituatur, simulque in vera resignatione ac patienti abstractione humiliter sustinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione Deum præstoletur. Et quis nouit, quali modo quáve ratione benignissimus Deus ad ipsum venire, suaque illi charismata & dona infundere velit? Stet itaque cum benigna mansuetudine sub tecto diuinæ voluntatis ac beneplaciti, certus quòd hoc vel centuplo gratius sit, magisque placeat Deo, quàm si magna sensibili deuotione afflueret, si multas virtutes Deo quotidie offerret, si intus florerent atque virerent omnia, & diuino lumine irradiaretur. In pressura nanque non ita facile seipsum & sua retinere potest, sicut in consolationibus [illegible] sensibilis dulcedinis deuotionisque affluentia. In hac nanque sæpe se natura admiscet, & dum anima in eis immodicè delectatur, maculam contrahit. E[illegible] uerò dona Dei non sunt ipse Deus, in quo solo delectari debemus, non autem in donis, vel quibuscunque effluxibus illius. Sed heu corruptissima natura, a[illegible]

vide-

Quæ Spiritus sanctus homini conferat.

Quã in collationibus Spiritus sancti cautione opus.

Pressuræ pijs hominibus obortæ cauta.

Pressura ista, cur piè ferenda, nõ excutienda.

Pressurã hanc deuotioni aliquãdo præstare.

itiosa, & ad seipsam per amorem priuatum recurua est, vt semper sese illis admiscere, sibique vsurpare conetur quod suum non est, sicque purissima Dei dona corrumpit contaminatque, & præclarissimam eiusdem in anima operationem impedit & excludit. Ex ea namque infectione, quam ex originali peccato contraxit, semper in omnibus ad seipsam natura reflectitur. De qua infectione diuus Thomas loquens, dicit quòd ex ea plus seipsum homo diligat, quàm vel Deum, vel Angelos eius, vel quælibet ab ipso creata. Nec tamen Deus talem condidit naturam, sed ipsa talis effecta est per sui auersionem à Deo, & peccati consensum. Adeò verò corruptio hæc siue infectio naturæ inhæret, tamque altè in ipso fundo radices iecit, vt hæc, quamlibet sapientissimi expertissimique Theologi sensibus ad plenum inuestigare nequeant siue comprehendere, totoque conatu & omni studio vix aliquis corruptionem hanc & infectionem, falsissimumque fundum hunc ex spiritu & natura possit euellere, & radicitus extirpare. Vnde fit sæpenumerò, quod dolendum maximè est, vt vbi Deus purissimè queri creditur, ex hac pestifera infectione homo ad seipsum reflectatur, seipsum & sua quærens & intendens in omnibus. Quod verissimè prædixit Apostolus, vbi Timotheo scribens, ait: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes.* Quod heu nimis iam manifestum est, nimisque euidenter apparet in omni statu, sexu, & gradu, in Ecclesiasticis & Religiosis æquè vt in secularibus, estque videre miseria, quàm periculosè vnus alterius bona auferat, imminuat, diripiat varijs ijsdemque iniquissimis modis & dolis, vtque de sceleribus suis non reprehendantur, quærunt sibi Confessores eiusdem farinæ ac eorundem studiorum, quorum & ipsi sunt: atque tam ex gentilium scriptis, quàm sacris literis varias suis iniquitatibus glossas vel velamina obtendunt. Et hæc quidem de exterioribus à simili dicta sint. Centuplo autem amplius idem agitur in spiritu, quippe vbi verum purissimumque bonum existit. Et reuera parum est, terras & castra, argentum & aurum pro Deo relinquere: multum autem est, seipsum intus, omnemque proprietatem tam spiritus quàm naturæ, & donorum Dei vsurpationem abnegare, mortificare, relinquere, omnique internæ delectationi penitus mori. Sicut enim prædixi, omnibus se natura admiscet, etiam antequam aduerti possit, & seipsam quærit in omnibus, non modò in exercitijs virtutum, sed etiam in ipso Deo. Quod totum inordinatus facit amor naturæ. Sed contra hoc malum, ordinatissimum remedium simul & institutionem nobis contulit Deus per Apostolum suum Petrum, dum ait: *Estote prudentes.* Et ne cui obscurum sit, quo pacto debeamus esse prudentes, per seipsum hoc Dominus aperire dignatus est, vbi ait: *Estote prudentes sicut serpentes.* Quæ vt est satis crassa & simplex similitudo, ita apertè nobis eiusdem Dei ac Domini nostri humilitatem insinuat, quam vt semper & vbique studiosissimè sectatus est, ita & hîc euidenter exhibuit, quando ipse, æterna Patris Sapientia existens, ineffabilem sapientiæ suæ splendorem atque claritatem, simplicem hanc & crassam similitudinem proponendo, occultauit, quod & aliâs sæpissimè fecit. Totus namque humilis erat, & ideò omnis quoque doctrina illius humilima simul ac simplicissima fuit. Sed videamus nunc, quæ sit serpentis prudentia, quam imitari nos Dominus iubet. Serpens, vbi cutem suam senescere, & in rugas contrahi atque fœtere sentit, quærit sicubi fortè duos acutos lapides, parum ab inuicem separatos, inuenire possit: & postquam inuenit, violenter per eos sese

trahen-

Natura quam vbique se quærat.

Qua ex radice homo se plus quàm Deum diligat.

2. Tim. 3.

Quales sibi quidã eligant Confessores.

Maius seipsum quã sua, relinquere.

1. Pet. 4.

Matth. 10.

Serpẽtina prudẽtia.

trahendo, cutem deponit, seq́ue renouat, cute noua subtus interim succrescente. Sic ergo & fidelis quisque vetustam cutem suam, hoc est, quicquid ex natura habet, quamlibet hoc magnum, quamlibet bonum sit, per duos lapides, quorum alter est sempiterna diuinitas, quæ est veritas ipsa, alter humanitas Domini nostri IESV Christi, qui & fuit & est ipsa via, pertrahere ac renouare curabit: alioqui certo certius veterascit & scatet vitijs. Dicam apertius: Omnem vitam, cuncta instituta, vniuersa opera, cunctasq́ tam naturales quàm morales virtutes suas, per hos ipsos duos lapides pertrahet ac deducet: alioqui veterascunt & aliquid imperfectionis habent, sicut in Sequentia quadam (vt vocant) canitur: *Sine tuo numine nihil est in lumine, nihil est innoxium.* Ita prorsus quamlibet subtiles & excellentes sint virtutes naturales, pustulas quasdam generant, easq́ue tanto subtiliores, quanto & ipsæ virtutes magis subtiles sunt. Itidemq́ virtutes morales spiritales quasdam maculas & vetustatem adducunt, nisi vtræque, hoc est, tam naturales, quàm morales virtutes, per petram siue lapidem Christum pertrahantur & deducantur: sicq́ue ibidem renouentur per intima desideria, & cum ardentissimis precibus in eundem referantur, inserantur, ac demum renascantur in illo, sine quibus Deo placere non poterunt. Ipse namque lapis est, *in quo* (vt Apostolus ait) *omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino:* Lapis angularis, de quo ipsemet ait: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et reuerà, quisquis non veraciter cum humilitate profunda per hunc sese lapidem pertraxerit, licet alioqui vel Salomone sapiêtior, vel Samsone fortior sit, nihil illi contulerit. Studeat ergo vnusquisque humiliter sese in illius purissimam paupertatem, castitatem, obedientiam & charitatem immergere. Per has omnes virtutum suarum defectus pertrahat. Ita facienti & in Christo commoranti, septem dona Spiritus sancti, & tres virtutes Theologicæ, puta fides, spes & charitas, ad hæc omnis perfectio, veritas, pax interna, & gaudium in Spiritu sancto conferuntur. Hîc quoque vera acquiritur siue nascitur resignatio, mansueta longanimitas & patientia, ita vt homo omnia tam aduersa quàm prospera cum gratiarum actione de manu Domini æquanimiter suscipere possit: vnde fit consequenter, vt quicquid ei siue foris, siue intus, Deo permittente, accidit, magnum inde reportet lucrum, & omnia ad æternam salutem & grande bonum illi cedant, proficiant, cooperentur. Nouit enim quicquid homini occurrit, qualicunque modo occurrat, ab æterno à Deo prædinatum simul ac præuisum esse, quod illa, & non alia ratione accideret & eueniret. Quod profectò quisquis ritè pensat, simulq́ue omnia sibi occurrentia, ea ratione, hoc est, tanquam à Deo sibi transmissa, suscipit: mirum est, si non in omnibus vera pace gaudeat, & permaneat immotus. In sola namque abstractione & interioris hominis inhabitatione, pax ista & omnia prędicta discuntur, nec alia facilè poterunt ratione obtineri. Oportet, inquam, pacem hanc cum introuersa in ipsum veritatis fundum mente inquirere, vbi demum pax ista radicabitur, & fiet essentialis. Denique, quæcunque hactenus in præsenti sermone diximus, perfectus quisque & excellentior homo præsentia semper etiam quolibet momento habere curabit tam in verbis, quàm modis & actibus suis. Nec est hoc impossibile. Imò facile illi erit, si Deum purè in omnibus intenderit, si in his radicari atque fundari, mentemq́ue in Deo stabilire, & virtutum omnium notitiam & irradiationem assequi studuerit, & quicquid demum in ipso natum fuerit,

Quomodo se quisque instar serpentis renouet.

Virtutes etiam pustulas generare.

Ephes. 2.

Matth. 21.

Absque humilitate nil cuiquà quicquà prodesse.

fuerit, per Christum verum lapidem traxerit. In quibus omnibus quanto amplius proficiet, tanto excellentiori modo Spiritus sanctus illi dabitur, & sublimius, solenniusque eum suscipiet. De altera parte, quæ adhuc tractanda restat, in Sermone præcedente, cui idem est cum hoc Sermone Thema, *Estote* videlicet *pendentes*, plura dicta sunt. Interim sicut hodie crebrò vos monui, curate dilectissimi Deum in vera abstractione purè & intimè intendere, largiente Domino nostro Iesu Christo, cui est cum Patre & Spiritu sancto eadem gloria, parque potestas in omnia seculorum secula. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE.

De duplici operatione Spiritus sancti, quarum altera est, euacuare: implere altera. Item de signis, quæ Spiritus sanctus in vnoquoque fideli operatur. Et demum, vtrum exteriora opera bona Spiritus sancti operationem præpediant.

SERMO II.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui magnalia Dei. ACTVVM II.

ADEST hodie, dilectissimi, dies sacratissima, in qua thesaurus pretiosissimus simul & præclarissimus abundè restitutus est, qui olim in Paradiso tam perniciosè perditus fuit per peccata, maximè verò per inobedientiam: vnde totum humanum genus æternę morti factum fuit obnoxium, cunctique mortales *natura filij iræ* fuêre effecti, mortisq; perpetuæ constricti vinculis, & Spiritus demum Paracletus, hoc est, consolator, cum omnibus donis vniuersaque consolatione sua, ex toto amissus fuit. Hæc autem mortis æternæ vincula Dominus noster Iesus Christus in sacro Parasceues die perfectè dirupit, quando pro nobis capi & ligari voluit, mortemque in cruce subiuit, vbi plenam inter Deum Patrem & genus humanum pacem fecit. Quæ pax hodierna die confirmata est, reddito nobis præclarissimo thesauro, iam olim (vt dixi) per inobedientiam perdito, hoc est, Spiritu sancto: cuius diuitias, amorem, plenitudinem, nulli sensus, nulla corda, nullus denique capit intellectus. Hic idem Spiritus sanctus hodierna die in Apostolos & in omnes, qui illius capaces erant, abundè, opulenter ac superabundanter descendit, ipsosque tam foris quàm intus gratia sua copiosè perfudit. Sicut enim imber copiosus, magno impetu è cælo descendens, si nulla forent media vel impedimenta, omnes facilè valles & foueas ei expositas repleret: (tanto namque cum murmure ac fragore delabitur, ac si omnia subuersurus demersurusque sit) ita & Spiritus sanctus non Apostolis modò, verùm etiam omnibus, qui illius capaces erant, hodierna die fecit: imò & in hanc vsque diem horis omnibus facit, implens & perfundens absque intermissione fundos omnes, corda omnia, cunctasque animas, vbi locum habere potest, opulentis charismatibus, amore & donis suis, de quibus dicere non sufficimus: replens, inquam, valles & profunda omnia sibi proposita. *Repleti enim*, ait Scriptura, *sunt omnes*. Iam si præsenti tempore tanta sterilitas esset, quanta Heliæ temporibus fuit, quando clausum est cælum, annis tribus, & sex mensibus, ita vt nec seri posset, nec arari: si, inquam, & nunc eadem sterilitas tanto apud nos durasset tempore,

Genes. 3.
Ephes. 2.
3 Reg. 17.

& superueniens copiosa ac frequens pluuia terram omnem abundè irrigaret, vnius tantùm hominis agro neglecto, & in sua siccitate & ariditate relicto, hoc profectò & hominem illum & cunctos amicos illius graui mœrore afficeret. Cùm ergo ex Actibus Apostolorum ea, quæ paulò ante diximus, verba recitantur, quibus dicitur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*: quid, obsecro, animi habere potestis, cuius anima, cor & fundus penitus sicca, arida, aspera, & ineffabilis amoris atque consolationis sancti Spiritus expertia sunt, nec quicquam cælestis gratiæ percepêre? Considerandum itaque nobis est, quidnam factu opus sit, vt superdignissimum Spiritum sanctum suscipere possimus. Certè vt proximo & excellentissimo modo ipsum queamus recipere, non nisi suæ operationis est. Ipse hoc præstare habet, ipse, inquam, locum in nobis sibijpsi coaptare & præparare debet, & etiam suscipere seipsum intra nos. Sed quod est, obsecro, opus illud suum, per quod nos idoneos facit & præparat ad se suscipiendum? Attendite. Duo quædam ipsius in homine opera sunt. Alterum est, quòd euacuat: alterum, quòd implet quæcunque vacua inuenit. Itaque euacuatio ista, prima est atque præcipua præparatio ad suscipiendum Spiritum sanctum. Quo enim euacuatior homo fuerit, eo & capacior erit. Si vas aliquod alia, quàm nunc ipsum continet, materia implere cupis, omnis prius alia materia euacuanda est. Verbi gratia: Si vis impleri vino, aqua prius effundenda est. Duæ nanque res materiales siue corporeæ in eodem loco, salua vtriusque substantia, perfectè subsistere non possunt. Aqua cedat oportet, vbi ignis succedere debet. Hæc enim inuicem sibi contraria sunt. Ita ergo si Deus subintrare debet, instabiles atque mortales creaturas, & quicquid aliqua cum proprietate intra te detines, prius cedere omnino necessarium est. Ita etiam bestialis siue sensualis anima omnimodis cedat oportet, si rationalis siue intellectualis anima in homine, à Spiritu sancto illuminari debeat. Denique hoc modo sese quisque à sancto Spiritu capi, euacuari, ac præparari sinet: ita tamen, vt nihil sibi tribuat, nihil sibi fecisse videatur, nec aliquid propterea de se sentiat, sed in suum sese merum nihilum demergat. Alioqui, nisi ita fecerit, certo certius impedimento erit Spiritui sancto, quo minus in ipso modo excellentissimo possit operari. Verùm nemo est, proh dolor, qui hanc viam aggredi velit. Vbi autem hæc per euacuationem præparatio in homine agitur, statim Spiritus sanctus alterum opus suum in eodem iam præparato, hoc est, euacuato operatur, totam illius replens capacitatem. Si multum studuit euacuare, tantundem recipit: si parum, similiter parum illi infunditur. Quo enim minus vacuus est, eo & minus est capax. Enimuerò ab omni voluntate propria, ab omni priuato amore, & ab omni denique priuata intentione prorsus vacuum & nudum esse oportet: adeò vt si ipsum quoque regnum cælorum ei pateret, adhuc tamen non deberet velle ingredi in illud, nisi prius diligenter obseruaret & haberet exploratum, vtrum Deo placitum foret. Quicunque talis est, tam nudus, tamquè vacuus, huic soli totum se infundit, eundemquè perfectè implet Spiritus sanctus. Quando ergo aliquis ex parte corporis sui sese indispositum, torpentem atque grauatum sentit contra voluntatem suam, nec tamen inde se excutere potest, ita se euacuabit, vt Deo se totum in ea carnis molestia resignet, eandemquè tentationem, & quicquid illi accidere possit, sufferat patienter. Ita enim verè pauper erit spiritu, illorum numero inferendus, de quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu*: quos nimirum implet Spiritus san-

Act. 2.

Duo Spiritus sancti in homine opera, quæ.

Quibus euacuari oporteat Spiritu sancto implendos.

Quomodo sibi quisque euacuandus.

Matth. 5.

tus sanctus, & cum quodam impetu ac spiritu vehementi delabitur in eum, tam interiorem quàm exteriorem hominem illius, & vires superiores pariter ac inferiores, cunctis diuitijs opulentissimisque thesauris suis perfundens. Iam si quærat aliquis, quidnam agendum sit ei, qui huius cupit esse Spiritus particeps: planè respondeo, curandum illi esse, vt locum & spatium det Spiritui sancto suum in illo opus perficiendi, & ab illo se sinat ad hoc præparari. Hoc autem quàm pauci faciant, etiam ex illis, qui habitum gerunt religiosum, quique ad hoc ipsum à Deo singulariter vocati & electi sunt, puto nulli esse ambiguum. Omnes penè suis affectibus seruiunt, & nunc hæc, nunc illa inordinato prosequuntur amore, seseque multipliciter impediunt, dum suis quique conceptibus, suo sensui, suis propositis, suis modis, & suis denique institutis nimium inhærent, & omnes ferè ad exteriora sese côuertunt: nec est iam qui se Spiritui sancto relinquere velit, sed omnes quæ sua sunt, quærunt, & suæ obediunt voluntati. Hæc, proh dolor, hoc periculoso tempore communia sunt omnibus, & ab his vix paucissimi saltem excipiuntur. Cæterùm, vt dixi, hoc est quod homini faciendum incumbit, vt Spiritui sancto locum in se operandi præbeat, nec aliquod illi præstet impedimentum, sed in exteriori homine suo, in verbis & operibus, & in omni conuersatione sua, tam sanctè ac Deiformiter, tam ordinatè, abstractè, & quietè se habeat, vt congruit Spiritui Dei. Tum verò in eiusmodi abstracto & introuerso homine mira Spiritus sanctus operatur, etiam eodem ipso hoc ignorante. Sicut enim anima occultè vitam corpori, eodem nesciente neque sentiente, subministrat, ita & Spiritus Paracletus latenter admodum & secreta quadam ratione in fundo hominis operatur. Quòd si hanc sancti Spiritus operationem homo sentire velit, vires ipsas in animæ fundum, in quo operatur, quemque inhabitat idem Spiritus Dei, reflectere oportebit. Sed heu plures inuenire est, qui dum hanc Dei operationem intra se sentiunt, mox cum inordinato amore eam amplectantur, sibique arrogent, quasi aliquid ipsi cooperati sint, aut certè quasi ipsorum sit. sicque opus Dei destruunt & corrumpunt haud secus, quàm si peritus aliquis artifex insigne quoddam moliatur opus, idemq; illo præ manibus habente, fatuus & ineptus quispiam superueniens, artis illius ignarus, totum opus destruat, ita vt nullis deinde vsibus aptum sit. Ita, inquam, & isti faciunt, dum aliquid sibi ex donis vel operibus Dei arrogant, vel illis se admiscent: quod plerunque fit ob ineffabilem delectationem & gaudium, quæ in hac Dei operatione sentiuntur, longè vtique omnem seculi voluptatem, cunctaque præsentis vitæ gaudia, transcendentia. Verùm, vt dixi, hoc ipso, quo sibi diuinam operationem arrogant & asscribunt, opus Spiritus sancti destruunt & corrumpunt. Attamen quandiu certo mortali peccato non consentiunt, manet ille in eis nec penitus fugatur ab eis. Multum tamen à suprema perfectione distant, vtpote necdum à seipsis euacuati, sed sese adhuc cum quadam proprietate possidentes. Vnde fit sæpenumerò, vt vbi Deum intra se operari arbitrantur, ipsimet totum agant: & quod Dei esse credebant, ipsorum potius opus sit, ipsorum institutum & proprij sensus adinuentio. Quamobrem etiamsi fortasse arcana quædam cælestia illis per reuelationem innotescant, aut alioqui reuelationes contingant, vel etiam magna quædam charismata & dona tribuantur à Deo, adhuc tamen valde ambiguum est, quem sint finem habituri: adeoque perfacile poterit fieri, vt ob temerariam donorum Dei vsurpationem,

Quid agendum Spiritus sancti participationē volenti.

Arrogantia quid pariat mali.

Quo solo fugatur Spiritus sanctus.

tionem, pereant in æternum. Credite mihi dilectissimi, non ita obtinetur gratia Spiritus sancti, vt vobis persuasum habetis. Quinimò valde purus sit & à seipso prorsus exierit oportet, in quo Spiritus sanctus propriè secundùm dignitatem & immensitatem suam debeat operari: cauendumque est, ne homo temerarius illius operationi, sua donorum eiusdem improba arrogatione aliquod præstet impedimentum. Si tamen in hoc se culpabilem senserit, non illicò ad Confessorem pro confessione facienda properabit, sed potius sese intus ad Deum conuertens, illi ex animo se reum fatebitur. Et ille sine mora suas ei manus imponet, pristinæque restituet sanitati, si tamen cum omni humilitate illi se subiecerit, culpamque suam tempore oportuno suo explicuerit Confessori. De hoc signo loquebatur Dominus, cùm ait: *Super agros manus imponent, & bene habebunt.* Addiditque aliud signum, dicens: *Dæmonia eÿcient.* Multæ sunt insidiæ & innumerabiles technæ & laquei diaboli, quos tendit hominibus incautis, multa eis plurimaque suggerens atque proponens, quibus miserè eos seducit Quos tamen laqueos omnes facilè per veram sui resignationem euadere possent, modò vellent. Sequitur aliud signum: *Serpentes tollent.* Per serpentes, homines serpentini accipiuntur, qui Dei seruos terribili adspectu & verbis asperis adoriuntur, magisterium & authoritatem, sibi minimè collatam, in eos vendicantes. Tales quandoque pungere possunt, imò & pungunt & sauciant Dei seruos in viribus inferioribus: sed quandiu vires superiores per consensum non læduntur, facile eis remedium est: tantùm ponant custodiam ori suo, sesequè demittant humilientque. Aliud adhuc signum additur: *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Et qui, obsecro, pestilentiores homines esse queant, quàm sunt illi, in quibus quicquid intro recipiunt, statim vertitur in venenum? Qui audita & visa omnia in peius interpretantur, & ex omnibus instar aranearum, cum quibus eandem naturam habere videntur, non mel, sed venena sibi colligunt extrahuntque. Verùm si aliquis toto studio, omnique diligentia ad hoc se præpararet, vt totus à sancto Spiritu posset impleri, superueniret autem frater aliquis aut monialis, suisque eum duris & asperis verbis inuaderet, & ille nihilo minus malè tractatus, in Dei se resignaret beneplacitum, cum patientia illud tanquam opus Spiritus sancti suscipiens, tacens & sustinens, non mediocriter inde ad eiusdem Spiritus sancti susceptionem præpararetur. Et licet fortassis exterior homo moueretur nonnihil, non tamen ei noceret. Itaque dilectissimi, si vnquam saluari vultis, & ad supremam perfectionem pertingere, hæc duo, quæ subijcio, diligenter obseruate. Primò, ab omnibus creaturis, etiam à vobisipsis, vacuos vos & nudos intus reddite, tamque exteriorem quàm interiorem hominem vestrum in debito conseruate ordine, ne (quod absit) aliquod sancti Spiritus operationi intra vos præstetis impedimentum. Secundò, omnia quæcunque vobis eueniunt, qualiacunque sint illa, & vndecunque occurrant, siue intus, siue foris, absque medio à Deo, non aliunde suscipiatis, certi, quòd ille per ea vos præparare velit ad suscipiendum seipsum & supernaturalia, magna & mira dona sua, ad quæ nunquam possetis pertingere, nisi per tentationes & aduersitates, siue internas, siue externas, à dæmonibus vel turbulentis hominibus illatas. Post hæc aliud signum ponitur: *Linguis loquentur nouis,* ita scilicet, vt vetus naturæ lingua compescatur ac refrænetur. Hîc monendi mihi estis dilectissimi, vt præ cunctis scientijs linguam

[Margin notes: Qui Spiritus sancti gratia è donatur. — Marc. 16. — Ibidem. Serpētes. — Marc 16. Pestilentissimi homines qui. — Quæ duo quibus obseruanda. I. II. — Marc 16.]

linguam vestram moderari ac restringere, & cautè prudenterque loqui discatis: alioqui nullum vnquam in virtutibus profectum sortiemini. Locuturi, prius vobiscum expendite, vtrum verba vestra ad Dei gloriam, proximi ædificationem, & vestram pacem cedant. Porrò cum Deo perpetua vobis erit confabulatio. Hinc est quod D. Bernardus ait: Sicut, inquit, detestor & condemno omne extrinsecus multiloquium, sic laudo & approbo multam internam cum Deo collocutionem, quæ nimia esse non poterit: Itaque *linguis nouis* loqui, est Deum magnificè laudare, eique gratias agere. Nam si nihil aliud nobis præstitisset, quàm hoc solum, quòd cùm nulla ratione suum intra nos opus exequendi locum in nobis habere possit, nihilominus benignè nos tolerat, patienter expectat, misericorditer parcit, cunctasque inordinationes nostras tam piè dissimulat: adhuc tamen dignè eum laudare, eique gratias agere non sufficeremus. Itaque dilectissimi, conuenientibus vobis in vnum, linguis loquamini nouis, id est, sermo vester vel de Deo, vel de virtutibus, vitaque virtuosa sit. cessent disputationes de diuinitate, aut alijs subtilibus & sublimibus rebus: non sit vobis curæ, magnopere acuere intellectum. Quid enim ad vos attinet, multa subtiliter intelligere? Verba denique vestra sanctam præ se ferant simplicitatem, non curiosam subtilitatem, & ex ipso virtutum fundo procedant. Credite mihi, poteritis ita vacare intellectui exercendo, vt vestris subtilibus & acutis disputationibus, verbosisque contentionibus non vos tantùm, sed cunctos etiam audientes, in æternæ damnationis trahatis pericula. Vnde & monitos nos velim, charissimi, vt homines subtiles & acutos deuitetis. Tales enim sunt serpentes illi, de quibus prædiximus: qui cùm ad exteriora diffusi atque prolapsi sint, cauendum est, ne sub specie boni eos sequi velitis. Multum enim hostis malignus vobis insidiatur, vt per subtilitates, ad quas vos propensiores sentit, vos decipiat atque subuertat. Sic & Spiritus sanctus pro naturæ dispositione in homine operatur. Nam & vsuras exigit ex donis suis, nec spiritum modò, verùm etiam corpus ad se cupit trahere. Vbi ergo naturam bonam ac flexibilem inuenit, iuxta hoc etiam opus suum moderatur. Sicut enim (vt per Prophetam suum Dominus ait) *descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit*. sic & Spiritus sanctus dona sua non vult redire vacua, id est, absque fructu & sine effectu, sed vt naturam simul & spiritum reforment, restituantque, & vtrumque pro virium suarum facultate discretè & ordinatè faciant operari. Ita, inquam, operatur in omnibus illis, quos verè *pauperes spiritu* reperit. Cæterùm quicquid illius locum quocunque modo seu qualibet possidendi ratione occupat, quicquid etiam intro susceperit aut suscipere posset, omnem quoque duritiam, suspiciones omnes, cuncta iudicia temeraria, & quæcunque demum Spiritus sanctus in homine non est operatus, ea omnia prorsus cedere, & ab his eum penitus euacuari, expediri, atque nudari oportet. Vbi tamen diligenter notandum est, omnia quæ contra voluntatem nostram nobis incidunt, nihil nobis posse officere. Verùm non est, quòd aliquis putet ad suscipiendum Spiritum sanctum, necessarium sibi esse, vt cuncta exteriora, præsertim obedientiæ & charitatis bona opera, vt sunt verbi gratia, cantare, psallere, legere, ministrare fratribus, & id genus alia, tanquam Spiritum sanctum impedientia, postponat. Non sunt, inquam, hæc omittenda. Sed verus Dei amator & cultor, quicquid ei ex diuina ordinatione fa-

Moderatio linguæ quàm sit necessaria.

Linguis nouis loqui.

Serpentibus qui cur assimilentur.

Esaiæ 55.

Incidentias inuoluntarias nil officere.

Quæ opera exte-

riora Spiritu sancto non impediat.


ciendum occurrerit, ad Dei gloriam ordinatè, ex amore cum mansueta benignitate & tranquilla sui resignatione, pro sua & proximorum suorum faciet pace. Sicut enim aliàs dictum est, opera nos non impediunt, sed inordinatio nostra. Itaque hęc auferatur, & solus Deus purè quęratur & intendatur in cunctis operibus nostris, & multum per omnem modum proderunt nobis. Deinde seipsum Dei seruus diligenter obseruabit, crebrò discutiet, animi sui curam habebit, ne passim euagetur, ne vel prosperitatis vel aduersitatis vento huc illuc impellatur: in loquendo cautus, & in exteriori conuersatione sua vbique circunspectus erit, pacem proinde in cunctis operibus suis, Deo annuente, habiturus. Veniensque ad ipsum Spiritus sanctus, totum eum replebit, in ipso habitabit, & mira operabitur. Quod nobis omnibus idem ipse præstare dignetur. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt quisque Spiritum sanctum recipere volens, inclusus, in seipso collectus & quietus, instar discipulorum Christi, sedere debeat. Item de septem donis Spiritus sancti per quæ mira operatur in nobis.

SERMO III.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis magnalia Dei. ACTVVM II.



HAEC est dies illa, dilectissimi, in qua Spiritus sanctus, dudum promissus, sanctis Apostolis & omnibus illis in Dei dilectione coniunctis de cælo missus est: simulque thesaurus præclarissimus ac pretiosissimus, olim in paradiso per diabolicam suasionem & humanam infirmitatem perditus, per diuinam est misericordiam ac benignitatem restitutus. Et quamuis forinsecus mirabili quodam modo in discipulos Spiritus sanctus descendit, quod tamen intus in eodem latebat modo, nulla ratio, nullus intellectus, nullus sensus, nec vlla denique capit creatura. Enimuerò tam incomprehensibile, magnum, deliciosum ac immensum bonum est Spiritus sanctus, vt omnis immensitas, & quælibet magnitudo, quam omnis possit intellectus apprehendere siue excogitare, in eius comparatione penitus nihil sit. Imò quàm nihil est minimus punctus ad totum vniuersum, tam nihil, imò multo minus est cælum & terrã, & quicquid in eis cogitari potest, ac omnes denique creaturæ, ad minimum illud quod de Spiritu sancto concipi queat. Vnde etiam ipse præparare habet locum, vbi suscipiendus est: ipsius est, inquam, sui capacitatem operari, & suscipere seipsum in nobis. Ineffabilis nanque diuinitatis abyssus, suipsius in creatura & locus & capacitas esse debet. Itaque in hodierna epistola, *totum domum* fuisse repletam legimus, vbi Apostoli cum cæteris sedebant. Ea nanque Dei liberalitas est, vt quocunque venerit, omnem capacitatem, cunctosque animæ sui capacis angulos adimpleat. *Repleti sunt*, inquit, *omnes Spiritu sancto.* Vbi sciendum nobis est, qualiter dispositi fuerint Apostoli cæterique fideles, quando Spiritu sancto fuêre repleti: & vt quisque dispositus esse debeat, eundem Spiritum sanctum suscipere volens. Ergo, sicut scriptum est, *Erant omnes pariter in eodem loco sedentes*, inclusi & quieti, quando Spiritum sanctum suscepêre. Sic vsque hodie idem hic superdulcis-

Quantum boni sit Spiritus sanctus.

Liberalitas Dei quanta. Actor. 2.

Ibidem.

dulcissimus Spiritus sanctus se vnicuiq; fideli infundit, quoties se totis viribus à creaturis omnibus auertens, ad Deum Creatorem suum conuertit. Eodem planè momento, quo id agit, Spiritus sanctus cum omni supellectili sua adueniens, cuncta desideria, vniuersam essentiam, & totum animæ illius fundum adimplet. Sicut econtra eodem puncto, quo se animo deliberato à Deo auertens, ad creaturas instabiles, quæcunque demum sint illæ, siue ipsemet, siue quæuis aliæ extra Deum & sine Deo, seipsum in illis & alijs omnibus quærens, & intendens conuertit, euestigiò Spiritus sanctus fugit & abscedit cum vniuersis donis atque diuitijs suis. Sed reuertamur ad ea, quæ paulo ante memorauimus, ex Actis Apostolorum desumpta verba, quibus dicitur, *totam* fuisse *domum* repletam *vbi erant* Apostoli cum cæteris *sedentes*: primoqúe videamus, quid mysticè per hanc domum significetur. Et vno quidem sensu Ecclesia sancta Catholica, quæ domus Dei est, per eam non incongruè potest accipi. Sed alio sensu quilibet per eam homo fidelis significatur, qui est templum & habitaculum Spiritus sancti, in quo eundem habitare delectat, in cuius corde mansionem facere vehementer exoptat. Porrò sicut in qualibet domo mansiones multæ & plura cubicula sunt, ita & in homine sensus, vires & operationes multæ inueniuntur. Et in omnia hæc singulari quodam modo cum donis & charismatibus suis descendit Spiritus sanctus, & in ipso aduentu suo hominem ad virtutes hortatur & excitat, animamqúe illius gratiæ suæ splendore intus illustrat. Cæterùm quamuis in bonis omnibus sit Spiritus sanctus, hunc tamen eius aduentum & operationem non omnes æqualiter sentiunt. Quisquis autem operationem illius singulari quodam modo sentire, ipsumqúe per dulcis saporis perceptionem præsentem experiri desiderat: huic imprimis necessarium est, vt sese ad se recipiat intrò, recolligatqúe, à cunctis exterioribus se abstrahat & includat, totumqúe se Spiritui sancto in quieto silentio & silenti offerat exhibeatque quiete, vt in ipso operari possit: ita demum paulatim illius operationem sentire incipiet, tantoque se illi manifestiorem reddet Spiritus sanctus, quanto ad hoc se studiosius conuerterit, ita vt eum de hora in horam sentiat apertius, quamuis etiam prius, cùm non sentiret, reuera illi datus fuerit. Opportunè satis occurrit hic, quod apud Ioannem legitur, discipulos inclusos fuisse & congregatos ob *metum Iudæorum*. Quid enim aliud per hoc instruimur, nisi vt his periculosissimis temporibus, quibus huiusmodi perfidis Iudæis domus omnes & loca omnia abundant, multo magis seipsum quisque abstrahere & includere, eosdemque Iudæos fugere debeat? Imò certè dilectissimi, moneo vos & hortor in Christi visceribus, cauete vobis à perniciosis Iudæis, omnibus illis, inquam, qui non modò diuinam familiaritatem, & dulcissimam sancti Spiritus degustationem ac experimentum, sed & ipsum Deum vobis moliuntur eripere. Hoc enim multo magis nunc vobis, quàm olim Christi discipulis, necessarium est, quibus Iudæi si multum nocere voluissent, non poterant tamen nisi corpus extinguere ac trucidare. Vobis autem, charissimi, hoc genus hominum, & Deum & animam & vitam æternam certissimè eripit atque furatur. Ergo fugite quæso Iudæos eiusmodi, fugite mundum & mundanos omnes: vestris vos cubiculis includite: noxios excursus atque discursus, & peccandi occasiones omnes deuitate: societatem denique omnem & recreationes externas, verba quoque & opera, quæ ad Dei honorem, laudem & gloriam non cedunt, quantum potestis,

Quò seu vnde Spiritus sanctus facilè se recipiat.

Domus, vbi Apostoli sedebãt, quid. Vbi Spiritus sãctus libenter sit.

Spiritum sanctum recepturis quid necessariũ.

Ioan. 20.

Qui hodie Iudæorũ instar fugiendi.

testis, diligenter fugitote. Alioqui, credite mihi, citò Spiritum sanctum cum omnibus donis & charismatibus illius perdituri estis. Sed heu quosdam inuenire est, quibus dum ista dicuntur, satis fidenter respondeant, à suis se Confessoribus habere, nihil hæc sibi obesse, cùm nulla peruersa intentione ita agant: imò recreationes sibi esse necessarias. Sed, obsecro, quânam ratione fieri potest, cùm non sapiat eis, neque delectet eos summum, purissimum, iucundissimum, suauissimum, æternum, diuinum, amabilissimum bonum Deus Opt. Max. vt in vanissimis, obscuris, perniciosis, mortiferis, caducis, insipientibus creaturis delectationem, animi recreationem, pacem & gaudium habere queant: cùm tamen reuera omnem illæ potius pacem & gaudium perturbent, eliminentque, earumque amor inordinatus præclarissimum purissimumque bonum, Dominum Deum Creatorem ipsorum, hoc est, superdulcissimum Spiritum sanctum, qui & dicitur & est verè Paracletus, id est, consolator, è cordibus eorum profliget, expellat, eijciat? Hoc autem nihil obesse, quis sanæ mentis queat credere? Dolenda prorsus eiusmodi cæcitas. Veruntamen perfecti atque sapientiores quique, qui nihil nisi Deum desiderant, nihilque in fundo cordis sui nisi Deum intendunt, quocunque illi pergant extrinsecus, semper tamen secum intus manent per continuam sui introuersionem: & quoquo se vertant, semper pacem & pacis amatorem Spiritum sanctum in corde suo circunferunt retinentque. Iam quòd in Apostolorum Actis discipuli *omnes pariter in eodem loco* fuisse scribuntur, satis nos admonet, vires nos omnes, tam externas quàm internas, debere colligere, vt in nobis operandi locum habeat Spiritus sanctus. Magna siquidem ille & mira operatur, vbi locum inuenit. Deinde sicut Apostoli sedisse leguntur, quando Spiritum sanctum suscepêre, ita & etiamnum quisquis eundem recipere exoptat, veraciter sedere debet, ita scilicet, vt seipsum & creata omnia in Dei beneplacitum transfundat, tam in aduersis quàm prosperis. Hoc autem Religiosis omnibus præcipuè necessarium est. Inde nanque Religiosi dicuntur, quòd semper cum Deo vnam debeant habere voluntatem, eidemque simpliciter esse conformes & vniti. Sed & omnes Christi fideles, modò saluari velint, diuinæ voluntati suam conformare tenentur, ita vt nihil illi velint contrarium. Quæri hic potest, vtrum Religiosi omnes perfecti esse teneantur. Breuiter respondeo, obligari eos ad tendendum iugiter ad perfectionem. Qua de re si quis plura scire volet, sanctum Thomam legat. Cæterùm vt ad suauissimum pariterque liberalissimum Spiritum sanctum, cuius hodie solennitas agitur, redeamus, sciendum est, septem eum dona largiri, & eiusdem numeri (hoc est, septem) opera, vbi in hominem venerit, per hæc dona in eodem operari. Et tria quidem ex his, hominem ad sublimem & veram disponunt ac præparant perfectionem: Alia verò quatuor eundem perfectè consummant intus & foris ad altissimum, purissimum, clarissimum veræ perfectionis finem. Itaque primum sancti Spiritus donum est *Timor Domini*, qui est securum atque probatum initium & iter ad supremam perfectionem pertingendi. Est quippe murus solidus ac firmus, protegens hominem à vitijs & impedimentis omnibus, perniciosos laqueos, & profundos casus eundem fugere faciens. Sicut enim Creator omnipotens Deus Pater feris atque volucribus indomitis hoc ex natura indidit, vt celeri cursu rapidoque volatu se capere volentes fugiant: ita & benignissimus Spiritus sanctus omnibus suis hoc timoris donum conte-

Contra Religiosos externa solatia requirentes.

Act. 2.

Desiderantium Spiritum sanctum, quis debeat esse status.

An Religiosi ad perfectionem teneantur.

Septē dona & opera Spiritus sancti.

1. Timor Domini.

contulit, quo ab omnibus illis protegantur, quæ gratiam illius ab eis queant excludere, & operationem impedire. Habet enim hoc timor iste ex sua nobilitate, vt hominem à mundo, à diabolo, à seipso, à vijs denique, modis & operibus omnibus, per quæ pacem spiritus & intimam animæ quietem (in quibus, vt Psalmista ait, *factus est Dei locus*) perdere posset, custodiat, conseruet, ac protegat. Psal 75.
Enimuerò ea nunc temporis naturæ infirmitas est, vt diu circa media hærere non possit, quomodo olim poterat. Vnde summoperè necessarium est saluari cupientibus, vt ob humanam infirmitatem fugiant & abstractè viuant. Ea nanque nunc naturæ fragilitas est, vt aut totus debeas adhærere Deo, aut timeas, ve lis nolis, in multa grauia mortalia te ruiturum peccata. Quæ omnia, vtpote opera tenebrarum, *Timor Domini* hominem euitare facit. Est enim, vt Propheta ait, *initium sapientiæ*. Quid saluari volentibus necessarium. Psal 110.
Dehinc largitur Spiritus sanctus secundum donum, quod est mansueta *Pietas*, quæ ad multo altiorem gradum subuehit hominem. II. Pietas.
Hoc omnem inordinatum animi mœrorem atque angustiam ex timore conceptam, per quam homo ad ima posset deprimi, penitus aufert, erigens quicquid timor deiecerat, & in cunctis aduersitatibus diuinam quandam intus & foris animo tolerantiam ac sufferentiam subministrans. Adhæc tædium omne, duritiam & obstinationem cordis, omnemqúe amaritudinem tollit: hominemqúe erga proximos quosque in omnibus, in verbis & operibus benignum ac mansuetum, & in exteriori conuersatione sua, dulcem, pium, pacificum reddit. Furor nanque & impetus passionum prorsus eliminant Spiritum sanctum.
Hinc iam accedit tertium donum, quod est *Scientia*, quæ itidem adhuc altius euehit hominem. III. Scientia.
Atque hoc modo Spiritus sanctus ex vno prouehit ad aliud: aliud tamen alio vicinius ad summam perfectionem accedit. Hoc porrò scientiæ donum instruit hominem, vt intus sancti Spiritus monitiones & adhortamenta debeat obseruare, sicut ipse Dominus ait: *Cùm venerit Paracletus, ille vos docebit omnem veritatem*, hoc est, quicquid ad salutem vobis erit necessarium. Ioan 16.
Sic ergo intus quenque commonere solet Spiritus sanctus: Caueas tibi illo in loco: Hæc & hæc poterunt tibi occurrere: Caue ne illud dicas, ne illud facias, ne eas illuc. Sic autem idem ipse adhortatur: Talem te geras: illic operare, hîc abnega & relinque teipsum: hoc aut illud patienter sustine. Quæ omnia pijssimæ sunt sancti Spiritus exhortationes. Internæ Spiritus sácti monitiones quales.
Vult nanque spiritum & supra corpus suum, & supra omnia hæc visibilia, in præcelsam generositatem & originem suam subleuari: corpus verò hîc infra in sua operatione manere, & in sui depressione, abiectione, contemptûs sufferentia & labore exercitari: vt sic vtrunque, & corpus & spiritus, iniunctis sibi fungatur officijs. Dehinc autem, vbi mundi finis aduenerit, centuplo abundantiori dignitate affecta, rursum sibi inuicem copulabit vtrunqúe, omni corruptionis metu, cunctaqúe formidine depulsa.
Quotquot autem huic sancti Spiritus dono morem gerunt, prompteque sequuntur, ad quartum, hoc est, *Fortitudinis* pertingunt donum: quod quàm præclarissimum & excellentissimum munus sit, dici vix potest. IV. Fortitudo.
Per ipsum Spiritus sanctus hominem supra humanam infirmitatem & modum transfert. Hoc dono vberius præditi Martyres sancti, mortem alacriter hilariterque subiêre. Per hoc donum tanta homini accedit magnanimitas, quòd cunctorum hominum opera libenter solus perficeret, aduersaque omnia solus tolleraret, sicut Apostolus ait: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Fitque ex huius doni præsentia, vt neque gaudium, Phil 4.

neque aquam, neque mortem denique formidet vllam, dicens ex sententia
Rom. 8. cum Apostolo: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei.* Adhæc, tantum illi roboris & constantiæ præstat, vt non solùm peccatum nullum mortale velit admittere, sed & potius, quàm Deum ex proposito animoqúe deliberato per
Quāta vitandi peccati necessitas. venialem culpam ostenderet, mortem subiret. Ita enim & Doctores sancti asserunt, potius mortem excipiendam, quàm peccatum etiam veniale committendum. De mortalibus autem dubium non est, quin multò libentius mori debeamus, quàm aliquod ex eis sponte scienterqúe admittere. Denique per hoc
Quæ Spiritus sanctus secū ferat. fortitudinis donum homo mira potest. Sciendum hîc est, dilectissimi, Spiritum sanctum, quando animæ illabitur, vt plurimum copiosum secum lumen, gaudium, pacem, consolationem adducere. Ipse nanque & est, & dicitur Paracletus, hoc est, consolator. Hæc autem mox vbi sentiunt imperfecti ac stolidi homines, cum amore & delectatione ad ea feruntur ac deuoluuntur: potiusque dona ipsa, & quam illa habent voluptatem & delectationem, quàm donorum
Qui donis Spiritûs sancti abutantur. omnium largitorem Deum, diligunt: atque ita miserè à vero fundo aberrant. Secus faciunt perfecti & sapientes, qui semper potius ad originem, vnde dona profluxêre, dona omnia atque charismata purissimè penetrando, sese conuertunt, properantqúe: & neque ad hæc, neque ad illa, nec ad vllos omnino diuinos effluxus, sed purè ad solum Deum mentis oculos dirigunt. Posthæc quin-
V. Consilium. tum sancti Spiritus donum accedit, quod est *Consilium*: quod homini in hoc gradu summè necessarium est. Ei nanque consolationem omnem & gaudium, & quicquid prius illi charismatum atque donorum contulit, iam nunc ablaturus est Spiritus sanctus, ipsumqúe ad suijpsius intimam perducturus cognitionem, vt videlicet liquidò cernat intelligatqúe, quid habeat & quid possit ex seipso. Hîc iam totus vndique relinquitur homo, ità vt nihil vel de Deo, vel de diuinis charismatibus, vel de consolatione spiritali, vel de omnibus prius habitis Dei donis sciat. Omnia nanque hæc adeò illi subtrahuntur, occultantur, eripiuntur, vt quò se vertere, quid agere, quorsum ire debeat, prorsus ignoret. In hac ergo derelictione posito, hoc consilij donum perquàm necessarium est, vt se iuxta Dei beneplacitum sciat gerere. Per istud nanque donum discit homo seipsum resignare, mortificare, atque ad terribilia occultaqúe Dei iudicia perferenda, grauemqúe hunc dolorem, quem ex præclarissimi boni illius, in quo tota salus, gaudium atque solatium suum consistit, subtractione ac despoliatione incurrit, sustinendum hilariter sese offerre. Hic porrò per veram perfectamqúe suijpsius resignationem etiam seipso priuatur, atque in abyssum diuini beneplaciti ac voluntatis sese demergit, adeò vt in hac derelictione, paupertate, ac nuditate non solùm hebdomada vna aut mense vno, sed (si sic Deo visum fuerit) etiam mille annis, imò æternaliter persistere paratus sit. Plus dico, si voluerit Deus, vt infernum subeat, semperque in eo permaneat, ad hoc ipsum quoque funditus perfecteque se diuino resignet beneplacito & iudicijs
Resignatio maxima omnium quæ. Dei. Quæ nimirum resignatio omnem longè lateque vincit resignationem. Vel mille mundos pro DEO relinquere, in huius comparatione nihil est. Hoc ipsum quod sancti Martyres pro DEO animas fuderunt, huic resignationi collatum,
Qui qua intus ipses parum est. Illi siquidem intus diuina consolatione affluentes, pœnas omnes pro ludo habebant, hilariterque mortem excipiebant. Intus autem DEO ca-

rent

rere atque priuatum esse, pœnas omnes excedit incomparabiliter. Præter hoc autem miseriæ omnes, tentationes & vitia, quæ iampridem expugnârat deuiceratque, vires in homine sic derelicto resumunt, & fortiter atque grauissimè denuò ipsum impugnant, idque multo amplius, quàm olim vitijs subactum. Hic ergo summopere necessarium est, vt humiliter sustineat, atque in diuinum sese resignet beneplacitum, promptum DEO animum offerens ad sufferendum ista, quandiu ipse voluerit. Nam & hoc istiusmodi deserto homini vsuuenire solet, vt quandiu hæc derelictio perseuerat, ne vna quidem hora in eodem queat statu permanere, sed modò sic, modò aliter affectus sit: modò hoc, modò illud eum torqueat: quod & ipsum ad extremum vsque, animo resignato perferendum est. Qua enim alia de causa Dominum Petro dixisse putamus, vt peccanti in se fratri vel *septuagies septies* dimitteret, nisi quia ipse nouit infirmitatem eiusmodi hominis sibijpsi derelicti, vt videlicet ille non *septuagies* tantùm, sed etiam multo sæpius cadere facilè possit, & etiam sæpius cadat? Toties autem venia peccanti datur, quoties peccatum suum agnoscit, seseque ad DEVM conuertit. Et reuerà magnum Dei beneficium est, & grande bonum, agnoscere delictum suum & recessum à Deo, iterumque ad eundem se conuertere. Verùm, vt dixi, in his atque alijs omnibus animus resignandus est, consilium Dei sequendum, deserenda atque transcendenda omnia, & in ipsam denique originem, in ipsum animæ fundum, & in Dei voluntatem redeundum. Itaque priora tria dona hominem bonum & sanctum efficiunt, cęter a verò prorsus diuinum atque cælestem. Per eam nanque, de qua modò locuti sumus, profundam sui resignationem, pedem alterum homo in cælis figit. Atque post hunc quem in sui derelictione sustinet cruciatum, nullam aliam in futuro seculo pœnam sustinebit, nec vnquam inferni profunda subibit. Quàm enim impossibile est vt seipsum Deus relinquat, tam etiam impossibile est vt eiusmodi resignatum deserat hominem. Totum nanque se illi obtulit ac resignauit: totusque vnico vni, suoque principio seu origini inhęret. Vnde etiamsi pœnę omnes, cunctaque seculi huius tormenta & passiones in vnum aliquem talem congererentur, ea omnia ille pro nihilo duceret, nec quicquam ei possent officere. Gloriatur siquidem in afflictionibus, & aduersa quælibet non solùm non contristant, sed etiam copioso eum gaudio perfundunt. In omnibus nanque cælorum regno perfruitur, in quo & conuersatio ipsius & habitatio est. Nec quicquam ei superest, nisi vt alterum pedem, quem in hoc seculo habet, ad se recipiat in vitam æternam, ad quam sine medio post hanc vitam perducitur. Illam quippe hic inchoat, feliciterque prægustat, & in futuro seculo perenniter eadem VI. perfruitur. Dehinc iam vltimo loco sextum & septimum dona infunduntur, VII. quæ sunt *Intellectus & Sapientia*. Hæc duo dona hominem rectà in ipsum fundum supra omnem humanum modum vsque in diuinitatis perducunt abyssum, vbi Deus seipsum cognoscit & intelligit, suamque sapientiam & essentiam perfectissimè comprehendit. In hanc abyssum tam profundè abyssali quodam modo spiritus immergitur & absorbetur, adeoque se perdit in ea, vt de seipso nihil sciat, neque de modis suis, neque verbis, neque opere, neque gustu, neque cognitione, neque amore. Horum, inquam, omnium nihil illo saltem tempore in se distinctè intelligit: sed totus à Deo absorptus est, nec aliud aliquid ibi est, nisi vna pura & simplex diuinitas, ineffabilis abyssus & essentialis vnitas:

[Margin: etiã Marty. ea vincant. — Matth. 18. — Intellectus. Sapientia.]

datqúe hic DEVS spiritui per gratiam, quod est ipse per naturam, suam videlicet innominabilem, modi nesciam, & omnis formæ expertem essentiam: ita tamen, vt spiritus maneat creatura. Vnde & DEVS omnipotens in eodem spiritu cuncta illius opera perficere & operari habet, laudare videlicet, cognoscere, amare atque frui: estqúe hic spiritus ab omni quidem opere otiosus, & DEVM patiens. Cæterùm, vt nihil vel parum de diuina essentia dici potest & intelligi, ita & de illis, quæ hîc aguntur, vix aliquid dicere sufficimus. Et nedum humanum, sed & Angelicum omnem intellectum, tam secundùm naturam, quàm gratiam, prorsus excedit. Denique hoc pacto visitat, deducit ac prouehit Spiritus sanctus, quotquot illi locum exhibent præparantqúe, quem seipso implere possit, quiqúe illum domicilij cordis sui patremfamiliâs esse sinunt, & ipsum ex animo sequuntur. Quàm ergo libenter toto affectu nosipsos & omnia relinquere & abnegare, atque hunc superdulcissimum & liberalissimum Spiritum sequi debemus, qui eo, quo diximus, modo sanctis Apostolis, alijsqúe pluribus hodierna die verissimè datus est, & omni adhuc die, imò & qualibet hora datur omnibus, qui illius sunt capaces? Præstet & nobis omnipotens DEVS, vt excellentissimo modo ipsum suscipere digni simus, qui est benedictus in secula. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE, seu Ferijs Pentecostes.

De ouili, de pastore, de ouibus, de furibus, & de latronibus. Atque vt Deum in omnibus sine vlla arrogatione seu assumptione, & proximorum temeraria iudicatione seu condemnatione, purè quærere debeamus.

SERMO IV.

Amen amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. IOAN. X.



IN Euangelio Ioannis, vnde thematis huius verba desumpta sunt, post hæc ipsa & alia quædam verba, per seipsum Dominus explicare dignatus est, quod esset ostium, de quo loquebatur, dicens: *Ego sum ostium.* Sed quodnam, obsecro, ouile est, cuius ipse est ostium? Cor vtique paternum. Huius, inquam, dulcissimi cordis gratissimum ipse ostium est, illudqúe prius omnibus clausum, nobis totum aperuit ac reserauit. In hoc ouili omnium est collectio Sanctorum. Pastor est Verbum æternum. Ostium est CHRISTI humanitas. Oues sunt cuncti cælestes Spiritus & animæ beatorum, qui omnes ad hoc felicissimum ouile pertinent. Porrò viam, qua ad hoc ipsum ouile peruenire liceat, Verbum æternum, quod (vt diximus) verus & bonus est pastor ouilis huius, cunctis rationalibus creaturis patefecit ac demonstrauit. Denique Ostiarius est Spiritus sanctus, à quo, secundùm Ambrosium & Hieronymum, omne verum tam dictum quàm intellectum procedit, & ipse diuinas reuelat veritates. Quidem qua ratione cor humanum incessanter afficiat, inclinet, alliciat, excitet, impel-

[Margin: Ouile. / Pastor. / Ostium. / Oues. / Via. / Ostiarius.]

impellat, vrgeat, superius diximus: idque satis illi super que in seipsis experiuntur, qui ad cordis sui fundum intimum conuertuntur. His verò quàm benignè ac amorosè æternus sempiterni Dei Filius ostium paterni reseret cordis, & sine cessatione occultos secretorum suorum thesauros, atque diuitias domus huius pandat, quamque promptum, iucundum ac patentem, idque cum inæstimabili sui ac desiderio, vnicuique se exhibeat, quàm item horis ac momentis omnibus totus homini festiuus occurrat, nemo non solùm non dicere, sed nec cogitare perfectè potest. Quæ sanè omnipotentis Dei mira ac stupenda dignatio atque dilectio, qua horis & momentis omnibus tam affabiliter amabiliterque nos suscipere paratus est, non attendens quales fuerimus, quot scilicet vitijs & sceleribus sub bacti. sed potius quales modò ex imo cordis esse desideremus, hæc, inquam, stupenda bonitas & benignitas illius, meritò corda omnium ad amoris illi vicem qualemcunque rependendum, totisque eum sequendum viribus, illique inhærendum prouocare, accendere, inflammare deberet & posset. Verùm quàm grauiter ac impudenter huic tantæ illius dilectioni, illius dulcissimæ inuitationi, fidelissimæ adhortationi, ac æstuantissimo salutis humanæ desiderio ab omnibus ferè resistatur, nimiaque exhibeatur ingratitudo, quàm item frequenter, dum suauissimam præsentiam suam animæ exhibere cupit, apud multos repulsam patiatur, dum se ingrati ac stolidi homines ab ipso Deo Creatore suo auertunt, & cum delectatione & amore ad creaturas instabiles conuertunt, satis dici ac dignè defleri non potest. Certè legimus, Regem Assuerum, cùm quadam vice post nimiam potationem incaluisset mero, iussisse septem eunuchis, vt reginam Vasthi ad ipsum in conuiuium introducerent. Illa vocata, venire recusauit. Qua de causa rex Assuerus nimio furore succensus, habito cum Primatibus suis consilio, reginam Vasthi repudiauit, & aliam pro illa duxit vxorem. Quid ergo nobis quandoque futurum est, dilectissimi, qui tam crebras inspirationes, admonitiones, inuitationes Spiritus sancti repellimus, negligamus, auersamur, dum ille non modò per creaturas omnes, sed etiam per seipsum nos inuitat & adhortatur? Nos verò vocanti non acquiescimus, imò & sæpe resistimus, adeò vt quicquid ille exigit à nobis, nos semper aliud velimus. Itaque, sicut Euangelium habet, *Ostiarius*, quem Spiritum sanctum esse prædiximus, proprias *oues vocat nominatim*. Idem facit & Pastor, qui est Verbum æternum Dei Patris, qui easdem *oues suas* etiam *educit, & ante eas vadit, & oues eum sequuntur. Vocat*, inquam, *& educit oues suas*. Sed quò? Scilicet, vbi ipse habitat: *& ante eas vadit*, vt ipsum sequantur in ouile, hoc est, in cor paternum, vbi est habitatio & quies illius. Ad hoc autem ouile nulli patet accessus, nisi per ostium, quod (vt itidem præfati sumus) est idem Christus Verbum æternum secundùm humanitatem suam siue hominem assumptum. Per hoc autem quicunque ingrediuntur, illi propriæ sunt oues Christi, qui nec quærunt, nec intendunt aliud aliquid, quàm purè ac nudè solum Deum in seipso, Deique honorem & voluntatem. *Ante* hos ipse *vadit*, & illi eum *sequuntur: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo*: Christum autem sequuntur, quia *vocem* illius *nouerunt*. Cæterùm quum ipse dicat se verum esse *ostium, quotquot* autem *aliundè* ascenderent, illos esse *fures, & latrones*: quæstio hîc incidere potest, quinam ergo sint isti fures. Nimirum omnes illi, qui in naturali intellectus sui subtilitate persistentes, cum eadem simul intrare conantur, nec purè, nudè atque syncerè Dominum Deum suum quærunt. & in-

Quantam Spiritus sanctus repulsam à nobis patiatur.

Hest. 1.

Ostiarius.

Ostium.

& intendunt: sed neque per humilem sui resignationem abnegationemque amabile Christi Iesu imitantur exemplar: ac mentis denique elatione tumidi, seipsos paruos, viles, ac vitiosos reputare nesciunt. Quotquot eiusmodi sunt, omnes ascendunt *aliunde*. Sed vnde isti fures sunt? Attendite. Hamum quendam perniciosissimum, licèt occultum, & quendam nequam oculum latenter in se habent: & hic est arrogatio siue assumptio, & corruptus amor suijpsorum, per quem omnia sibi attrahere nituntur, quæcunque vel in Deo, vel in creaturis apprehendere possunt, eisdemqúe cum proprietate quadam sese ingerunt & admiscent, & aliquid in sese esse appetunt, aliquid etiam sibi esse & fecisse videntur: sicqúe solatium, gaudium, voluptatem, delectationem suam quærunt: appetuntqúe sancti, beati, felices & magni esse, scire quoque & cognoscere multa, & sese denique nullo pacto abnegare volunt. Iste autem falsus amor suijpsorum, fur ille est, qui semper furtiuè sese donis Dei admiscet, Deumqúe gloria, & hominem omni spoliat veritate & perfectione. Nec tantum quandoque nocuére fures omnes, quotquot vnquam in crucem acti sunt, quantum iste fur occultus homini incommodat. Itaque pro salute vestra moneo vos dilectissimi, vt diligenter vobis caueatis, prospiciatisqúe, & furem istum in natura latentem solerter obseruetis, ne (quod absit) fructum vobis salutis æternæ furetur. Sed videamus nunc, qui sint noxij latrones, quos Dominus commemorat. Hi sunt iudicia temeraria ac infelicia de alijs lata, quibus plerique adeò abundant, vt cùm seipsos iudicare ac dinoscere nequeant, alios omnes iudicare velint. His alij verbosiores, alij plus æquo taciturni videntur. Alij plus, alij minus faciunt. Ille talis est, & alius eiusmodi. Alius hoc, & alius illud admisit. His, inquam, & innumeris alijs pestiferis iudicijs homines vt plurimum nimis abundant, ex quibus deinde sequuntur contemptus & vilipensio aliorum in corde & fundo, quæ postmodùm sæpenumerò foras erumpunt in gestus, ac dura plenaqúe temerarij iudicij verba, quibus tum etiam alij ipsum audienti, qui huiusmodi est, idem quo ipse in corde suo sauciatus est, vulnus infligit, perimitque miserum, instillans ac imprimens animo illius iniquum iudicium suum: & ita demum & illum, de quo peruersum fert iudicium, in corde illius occidens. Quod cùm ita sit, cur miseri, cæci, ac omni lachrymarum fonte plangendi, non potius iudicamus nosipsos? Quid enim scire possumus, quales alij sint intus in corde suo? aut per quam viam Dominus eos ad se vocârit & inuitârit? Quæ omnia cùm secretis Dei oculis tantummodò perspecta sint & cognita, non veretur tamen homo vermis & putredo ea pro suo capite iudicare, atque ita, quantum in ipso est, diuinam quoque iudicare ac perimere voluntatem. Credite mihi, charissimi: quanta isti latrones etiam inter Religiosos plerosque damna præstent, nemo verbis explicare sufficit. Heu non secum expendunt homines, quod Dominus terribiliter ait: *Nolite*, inquiens, *iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Qua enim mensura mensi fueritis, eadem & remetietur vobis.* Nihil omninò iudicandum est, quod non sit manifestum mortale peccatum. Si cui verò ex officio aut aliundè necessariò iudicare ac reprehendere incumbet, id potius Spiritus sanctus per eum aget: diligenterque is locum & tempus iudicandi ac reprehendendi obseruabit: quæ assecutus, non furiosè, sed humiliter ac mansuetè reprehendet, ne per impetum ac furorem suum decem prius vulnera infligat, quàm vni medeatur. Hoc enim summoperè curandum est, vt

Fur.

Fur quam maximè cauendus quis.

Latrones.

Matth. 7.

Iudicari quid tantum liceat.

est, vt omnis reprehensio, ex diuina & fraterna charitate & cum patientia fiat. Quæ quisquis non habet, in tenebris est, & veri luminis expers. Itaque moneo vos dilectissimi, vosipsos obseruate, vobisipsis intendite: vosipsos, & non alios, iudicate. Quandiu enim in hac vita estis, naturam peccatis plenam circunfertis, vt non immeritò semper debeatis vosipsos potius iudicare, proximos quosque vestros Deo relinquentes, si tamen ad hoc vitæ perennis ouile pertingere vultis. Hoc enim in veritate ipse vobis dico, quòd quantis vos iudicando ac aspernando prætuleritis, tot iudicijs iudicabimini, ac sub tantos deprimemini. Verùm cum sese quisque cum latrone, hoc est, iudicio ad seipsum conuertit, seipsum cum profunda interna diligenti suijpsius obseruatione iudicare volens, statim latro iste intus in animæ fundo latere cernit eum, de quo supra diximus, furem, donorum videlicet Dei arrogationem, qua natura fallax & versuta ipsi spiritui Deum Optim. Maxim. diuina charismata, & gratiam Spiritus sancti, ac thesaurum spiritus, in quo diuitiæ Dei latent, sæpe furata est, & adhuc assiduè furatur surripitque. Tum verò furem hunc latro iste prodit, accusans eum de his incomparabilibus damnis, quæ animæ per ipsum inferuntur: atque ita capitur occiditurque ab eodem. Imò fit interdum, vt mutuis se vulneribus configant, & ambo pariter extinguantur, & fur iste & latro. Quod certè in quocunque agitur, vt ambo funditus perimantur, & fur videlicet, hoc est, naturæ arrogatio: & latro, hoc est, iudicium, quod de proximis fertur: dubium non est, quin valde iucundum sit. Vbi iudicium omne temerarium moritur, & homo se totum in Deum, in iudicium, voluntatem, & fundum Dei proijcit, vt secum faciat, qualiter, quando & quicquid voluerit, ibi nimirum veram & essentialem inuenire est pacem, latrone scilicet & fure pariter extinctis. Hoc cuicunque contingit, ille planè felix est, & per verum ostium in amabile hoc ouile ingreditur. Et ipsi *Ostiarius* aperiet, atque plenissimam diuinitatis abyssum subintrandi dabit facultatem: sicque deinceps assiduè *& ingredietur, & egredietur*, & vberrima semper *pascua inueniet. Ingredietur* namque, hoc est, cum ineffabili gaudio in diuinitatem sese immerget: *& egredietur*, ad Deificatæ videlicet humanitatis contemplationem, cum pleno itidem gaudio, vtrobique pinguia pascua reperturus: iamque in ipso complebitur, quod Dominus per Ezechielem ait: *In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.* Ibi nanque pascere, quod aliquid operis habet, & cubare siue quiescere, vnum erunt. Denique huiusmodi dilectas oues suas Verbum æternum, quod (vt diximus) pastor earum est, præcedit, & ipsæ eum *sequuntur: alienum autem non sequuntur.* Vnde & plena mensura præclarissima, charissima, excellentissima eis pabula proponuntur, dum eisdem perfruuntur æternaliter, quibus Deus, atque inde beati sunt, vnde & ille. Quod & nobis omnibus idem ipse præstare dignetur, in secula benedictus.

Amen.

Reprehensio aliquis qui futura

Se cuique non alium obseruandum.

Qui quot iudicijs iudicandi.

Ingredi. Egredi.


Ezech. 34.

IN EADEM SOLENNITATE, aut Ferijs Pentecostes.

Vt nos iuxta exemplum discipulorum Christi, ad Spiritus sancti susceptionem preparare debeamus.

SERMO V.

Reuersi sunt Apostoli Hierosolymam. ACTVVM I.



ONSVMMATIS omnibus, quæ illi Pater dederat vt faceret, cunctisque peractis, pro quibus explendis in hunc mundum vnigenitus Dei Filius Dominus noster Iesus Christus venerat, cùm in sacro Ascensionis die gratissimam præsentiam suam corporalem discipulis suis subtraxisset, ad cælestia transmigrando, illi de mõte Oliueti regressi, Hierosolymam perrexerunt: vbi sex modis sese habuêre. Primò, cùm se cernerent à toto mundo derelictos, cunctosq; amicos & vniuersa sibi solatia subtracta, perfectè se ab omnibus exterioribus rebus auertentes, ad sua se interiora receperunt. Iam enim totum sibi mundum, & quæcunque eis aliquam poterant præstare delectationem, crucifixerant, eademque omnia eis mortua erant. Secundò, totos se Deo offerebant, parati & viuere & mori pro amore illius, hoc solùm curantes, vt illius gratissima voluntas per eos, & circa ipsos pro summo honore illius fieret, nihili facientes, quicquid etiam ipsi propterea sustinere ac perpeti deberent. Vnde, sicut iussi fuerant, ad ciuitatem Hierusalem in medium hostium suorum regressi sunt, expectantes ibi beneplacitum Dei. Hoc tamen non absque magno timore fecerunt. Tertiò, ad mentem dulcissimas Christi reuocantes institutiones, simul aduertebant, vt ea minus reuerenter excepissent, eiusdemque clarissima exempla, ignitosque sermones, quę & videre & audire, vt ipsis videbatur, nimis indigni fuerant, nullo feruore nec vllo studio sectari, & viuendo curâssent exprimere. Hæc, inquam, iam tunc agnoscere cœperunt, ob eaq; intimè se reprehendebant, amarissimis eisdemque perpetuis sese propterea lamentis cordis excruciantes. Quartò, diligẽter ad memoriam reducebant perfectissimam in omnibus suauissimi Magistri sui abnegationem, ita vt nec semel quidem in omni vita sua seipsum quęsijsset: quodque ipse dixerat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: atque cum his simul ad sese introuersi, liquidò cognoscebant, nimium se adhuc ab huiusmodi vera abnegatione resignationeque distare, quodque exempla Christi naturali seu carnali quodam modo suscepissent. Aduertebant etiam se necdum à vano ac naturali timore liberos & expeditos. De quibus omnibus, cum dolorosa imperfectionis suæ agnitione, perfectè sibijpsis displicentes, grauiter se accusabant, reosque fatebantur. Quintò, ex hac vitiorum & defectuum suorum agnitione, cum pleno mentis affectu intus se ad dilectissimum magistrum suum conuertentes, ex imo cordis sui ipsum precabantur, vt cunctis inordinatis affectibus & desiderijs, nimiæ ruditati & multę magnæque imperfectioni eorum veniam daret, omnemque in se vanum timorem, propriam quæsitionem, & quoscunque sensuales affectus erga humanitatis suæ imagines, penitus in eis extingueret, cunctaque demum eos à vero profectu à vita perfecta impedientia, ab eis auferret omnia.

[Margin notes: Quibus sex modis discipuli se habuerint. — I. — II. — III. — IV. — Matth 16. — V.]

Hæc

Hæc, inquam, toto corde petebant desiderabantqúe. Alioqui, meo quidem iudicio, nunquam Spiritum sanctum fuissent suscepturi. Sextò, quicquid eis solatij & auxilij Dominus Iesus promiserat, certissimè confidebant sibi eundem præstiturum. Vnde tametsi de necessarijs rebus minus sibi prouisum, totumqúe mundum cernerent restiturum, hæc vna tamen (quam erga pium Dominum & dulcem magistrum suum gerebant) fiducia eos consolabatur, qua videlicet certò confidebant, nunquam se ab illo derelinquendos esse, quanquam interim culparum suarum agnitio metum quendam illis incuteret, quòd fortasse ob sui irresignationem nonnihil passuri essent. Quæstio hic non absurda moueri potest, cur, posteaquam totus illis mundus iam mortuus erat, omnemqúe à se carnalem affectum, & quicquid naturæ siue sensualitatis erat, à se per diuinum lumen auferri petierant, adhuc dilata fuerit missio Spiritus sancti, & non statim post Domini ascensum illis missus fuerit. Cui respondetur, non esse verisimile, Spiritum sanctum vsque ad sacram Pentecosten eis fuisse denegatum. Nam & antequam Dominus ad cælos ascenderet, illum suscepêre, & etiam deinceps magis atque magis. Quanto enim seipsos penitius agnoscebant, ac profundius humiliabant, vilipendebantqúe, tanto & Spiritus Dei copiosius illos penetrabat, visitabatqúe. Quòd verò non ita perfectè & exuberanter illis se donaque sua præstabat, vt in sacra Pentecoste, ea potissimum de causa accidit, quòd necdum penitus à seipsis euacuati, nudi, liberi & expediti erant. In Pentecoste autem à seipsis nudabantur & euacuabantur omnino. Nec tamen ante Spiritus sancti susceptionem penitus relicti erant: sed diuina virtus tunc in eis sine vlla reluctatione augebatur, atque perfectè eos penetrando, ab ipsorum eos natura expediebat, euacuabatque, & cum seipsa plenam eis præstabat pacem, vti in sequenti Sermone plenius videre licet. De his Domini discipulis atque eorum similibus sanctus Gregorius loquens, ita ait: Quantum diuina virtus in nobis crescit, tantum Spiritus noster in seipso deficit: & tunc perfectè in Deo proficimus, quando ex toto nosipsos abnegamus. Quod nobis omnibus præstare dignetur in secula benedictus Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus. Amen.

VI.

Cur Spiritus sanctus non statim post Domini Ascensionem missus.

IN EADEM SOLENNITATE, aut in Ferijs Pentecostes.

Vt Dominus discipulos suos sextuplici tractu extra sex impedimenta, & extra seipsos ad diuinam vnionem extraxerit eduxeritqúe, & vt eodem modo hodieqúe suos trahat amicos.

SERMO VI.

Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. IOAN. VI.

POST gloriosam Domini Saluatoris ascensionem sancti Apostoli, cæterique eiusdem Domini discipuli, cùm proprijs vinculis, quasi catenis ferreis constricti tenerentur, atque pro ipsorum [illegible] in densissimis vitiorum suorum spinis ac sentibus iacerent, simulque nihil se ex seipsis, hoc est, proprijs viribus posse cernerent, deuotissimis ac intimis precibus cælestem Patrem suum inuocantes atque pulsantes, (ita enim in Actis legimus, perseuerasse eos *vnanimiter in oratione*) à duris Act. 1.

simis vinculis suis absolui, atque è profundissimis vepribus suis per ipsum erui extrahiqúe poscebant. Itaque pijssimus ipsorum Pater, cui à Filio iampridem fideliter commendati fuerant, deuotis ac humilibus ipsorum precibus facilem præbens assensum, ab omnibus vinculis expeditos, in magna libertate constituit: atque è densissimis vepribus erutos, sex tractibus ad sublimem sancti Spiritus scholam, in qua omni replebantur veritate, eos attraxit.

I. tractus. Et primò quidem misericordes oculos suos ad ipsos reflectens, non communi quodam aut vulgari modo, quo cæteros quosque homines trahere solet, sed singulari prorsus ac inusitato eos præ cæteris hominibus ad se trahere statuebat. Tres quidam modi. Sunt enim alij tres modi, quibus Deus vt plurimum homines ad se trahit, quorum primus est per creaturas, in quibus perspicuè se videndum præbet, agnoscendumqúe à certo animæ lumine, quomodo S. Thomas ait, gentiles quosdam
I. Philosophos, Deum creaturis omnibus per præsentiam inesse, ipsum mundi Creatorem esse & Dominum, eidemqúe in qualibet mundi parte honorem ac reuerentiam exhibendam, sensisse. Estqúe hic tractus per creaturas, non nisi nutus quidam & expectatio Dei.
II. Secundus modus est per internam inspirationem in anima, cui occultè veritas æterna sese obijcit atque proponit, sicut Augustinus ait, quicquid gentiles Philosophi verum dixerunt, ex æternis Dei regulis, non ex sua natura, id eos deprompsisse. Quod itidem de omnibus sentiendum est, quando verum loquuntur. Ita enim & Ambrosius dicit, omne verum, à quocunque dicatur, esse à Spiritu sancto. Animæ igitur intus vel tenuiter recollectæ, sæpenumerò ipsam se Veritas æterna admodum manifestè ac sensibiliter obijcit exhibetqúe: quod etiam interdum in somno matutino circa diei exortum contingere solet. Et hic tractus per inspirationem, consolatio vel reprehensio
III. (vtroque enim modo fit) dici potest. Tertius modus est, posteaquam homo voluntatem suam penitus resignauit, & in quadam continua diuini beneplaciti ac gratissimæ circa se Dei voluntatis expectatione manet suspensus, atque à seipso & à creaturis omnibus penitus liber, nudus & expeditus, tunc Deus omnipotens eiusmodi hominis creatam voluntatem sine vllo renisu aut resistentia ad se trahit, faciens eam cum singulari complacentia ad se adspirare. Et iste tractus, vnio, vel amplexus appellatur. Trahitur autem hoc tractu homo à summo illo & incommutabili bono, quod cælum, terram & creaturas omnes propter hominem gratuita creauit bonitate, ac eiusdem amore ad mortem vsque se humiliauit & abiecit. Cumqúe illum præ omni ornatu cæli & terræ homo amplius
Prou. 8. delectet, ita vt ipse testatus sit, delicias suas esse cum filijs hominum, eundem hominem quærit & admonet in omnibus creaturis. Denique, vt electissimi Apostoli ac discipuli eius idonei fierent, quos hoc modo posset trahere, gratiosos oculos suos ad eos direxit, ipsorumque per prospera & aduersa immutauit atque conuertit voluntatem. Cumque ipsi pro illius beneplacito eum operari sinerent, tandem perfectissimè hoc modo tracti sunt, sicut in subditis tractibus liquidò videre licebit. Sed dicat fortasse insipientior aliquis: Cur, inquiens, Apostolos hoc tractu dignatus est Dominus, eosdemque idoneos fecit, qui hoc pacto traherentur, & non eandem gratiam præstitit & mihi, multisque alijs partim
Duæ tractus istius causæ. defunctis, partim adhuc viuis hominibus? Cui planè respondetur, huius singularis tractus duas esse causas. Vna est liberrima volũtas Dei, qua ille singulariter
1. quosdam præ alijs elegit, vt ipsius familiaritate & dulcedine perfruantur. Sicut

etiam

etiam in exterioribus videre licet, vt reges ac principes mundi huius quosdam sibi libera voluntate eligant, qui eis à consilijs sint, & alios, qui ipsorum tegantur purpura ac vestibus. Altera est, quòd vnus alio diuinas inspirationes studiosius obseruat, & quid ab ipso Deus exigat, eiusdemque beneplacitum diligentius inquirit & explorat, cunctaque media & defectus omnes perfectius vitare, viriliusque abijcere studet: quo fit, vt etiam alius alio copiosius trahatur. Vnde & charissimi Saluatoris discipuli, cùm & multa cordis contritione de omni præterita, crassa, rudi & cæca vita sua veniam peterent, amantissimique præceptoris sui suauissimas institutiones, vitam sanctissimam, mortem acerbissimam, charitatem ardentissimam, & perfectissimam denique resignationem abnegationemque mente reuoluendo, sese totos in illius resignarent manus ac beneplacitum, illius etiam voluntatem dignissimè obseruarent ac præstolarentur, cunctaque media, quantum poterant, remouerent perquàm studiosè, vbi verò non poterant, diuinæ gratiæ auxilium poscerent: inde & factum est, vt hoc singulari tractu à Domino traherentur: quo & in hanc vsq; diem, quotquot se instar eorũ exercent, haud dubiè trahuntur. Sed contra hæc rursum obijcere aliquis potest, in hunc modum Certè Apostoli, & quotquot illis coniuncti erant, gratiam, qua hæc facerent, ex seipsis habere non poterant, cùm ipsa Veritas dicat: *Sine me nihil potestis facere:* vnde & Deus eos & voluntatem ipsorum ad hæc facienda trahere debuit: & ita eadem, quæ prius, manet quæstio. Et huic secundùm Scripturarum veritatem respondetur, verum quidem esse, nihil nos sine communi Dei influxu boni posse, hoc est, nisi nos Spiritus sancti singulari gratiæ suæ influxu præueniat: interim tamen & hoc requiritur, vt homo faciat quod in ipso est. Nam & sancti Spiritus gratiæ ipsum præuenienti per liberum arbitrium resistere posset. Inde est quod Augustinus ait: Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te, hoc est, nisi adhibueris liberi arbitrij consensum: sicut nec oculus videre potest, nisi à splendore Solis vel alio lumine præueniatur ac illustretur: sed nec cùm prope lumen positi sumus, ipsum videre possumus, nisi oculos aperiamus, deponentes prius, si quo fortè rudi panno aut assere obuelati sint. Alioqui quantumlibet Solis rutilet splendor, nobis tamen ipsum videre non licebit. Sic ergo cùm Pater omnipotens & æternus Christi discipulos diuino suo præueniret lumine, repente illi oculos aperientes, quantum poterant, asseres omnes, hoc est, vniuersa media viriliter abijciebant. Tum verò & cælestis Pater, quod suum erat, faciens, hoc singulari tractu eos sibi attraxit. Faciebat hoc, inquam, fulgentissimus Sol diuinus, qui vsque modo corda omnium exhortatur, cunctaque inde impedimenta & asseres tenebrarum, quibus interiores animæ oculi obuelati sunt, quantum in ipso est, expellere paratus est. Secundò, traxit eosdem discipulos Pater æternus ex omnibus corporalium vinculis creaturarum, vt ad prædictum tractum cum vera sui resignatione venirent, atque ab his vinculis semel expediti absolutique, nunquam deinde eisdem se constringi ac irretiri paterentur. In hunc finem quatuor illis per dilectum Filium suum tradidit institutiones, quibus totam vitam suam superstruerent, quas nobis Euangelista Matthæus describit in hæc verba: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Quæ quisquis vigilanter attendit, satis aduertet, quàm illis tractus iste extra cuncta visibilia & corporalia fuerit necessarius, vt quandoque ad scholam

[Margin notes: II. (beside "tur purpura ac vestibus. Altera est"); Ioan. 15. (beside "Sine me nihil"); II. Tractus. (beside "Secundò, traxit"); Matth. 10. (beside "Nolite possidere")]

æterni pertingerent luminis, ad quam nisi hoc tractu adiuti, minimè peruenissent. Habet nanque schola illa proprietates quatuor, quarum prima est, quòd non modò vltra tertium cælum corporeum, sed etiam supra omne cælum mobile, & vltra omnia tempori coniuncta, longè posita est. Secunda, quòd quicquid in se proprietatis suæ reperit, sustinere non valet, nec vel tantillum illi tribuit spatij, quo locum obtinere, aut in ea sibi parare queat. Tertia, quòd in se quieta est. Non enim ibi vel pluuiæ vel venti sunt vitiorum, nec aliquid, quod alterationem queat adducere. Quarta, quòd est clara, lucida, pura: quippe quæ non Solis aut Lunæ splendoribus, qui sepius interrumpuntur, & suo decessu terræ noctis adferunt caliginem, sed æterni Solis claritate perpetua irradiatur. Cùm igitur corporea creata omnia, humilia, angusta, inquieta, impura sint: prorsus necessarium erat, vt electissimi Dei discipuli extra omnium corporalium rerum vincula extraherentur. Nam, vt D. inquit Hieronymus, quàm impossibile est, lapidem Angelica præditum esse sapientia, tam etiam impossibile est, Deum se tempori aut rebus temporalibus largiri. Queri hîc potest, cùm Deus omnipotens quosdam prosperis, quosdam aduersis à visibilibus abstrahat, vtrum discipulos suos potius prosperis, quàm aduersis traxerit. Ad quod responderi potest, quòd quisquis vitam eorum diligentius perlegerit, apertè intelliget, plus eos per durissima aduersa quàm blanda prospera, tractos fuisse. Enimuerò cùm adhuc Domino in terris degenti commorarentur, semper habebantur contemptui, & graues pressuras sustinebant. Illo verò defuncto, cùm necdum hoc modo tracti fuissent, satis superquè diuersis exercebantur aduersitatibus, priusquam à prædictis rerum visibilium vinculis expedirentur. Hoc autem non sine speciali dilectione Pater æternus eis euenire sinebat. Ille namque tractus, qui fit per aduersa, multò securior est illo, qui fit per prospera, sicut D. Gregorius ait in illa Psalmistæ verba: *Cadent à latere tuo* (tempore scilicet aduersitatis) *mille, & decem millia à dextris tuis*, hoc est, tempore prosperitatis. Multoquè tractus ille, qui per aduersa fit, Domini Saluatoris tam vitæ quam morti similior est, quam ille qui per prospera. Sed & amabilior est, cùm ipse Dominus dicat: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Vnde tametsi singularem quandam amicitiam & familiaritatem discipulis suis Dominus exhibuerit, satis tamen superquè prius illi aduersa multa pertulêre, adeoquè pro quolibet Dei dono specialem mortem subire cogebantur, & mori in seipsis. Et si ab vna aliqua aduersitate liberabantur & cruce, euestigio succedebat alia, non minus molesta & grauis, quàm illa quæ auferebatur. Sic nimirum & in hanc vsque diem charioribus amicis illius euenire solet. Quæ omnia cùm Apostoli cæteriquè discipuli non ignorarent, ad extremum vsque patientissimè sustinebant, quæcunque illis, Deo permittente, aduersa molestaquè occurrebant: quo factum est, vt ad id perfectionis pertingerent, vt aduersa quælibet eis delectationi forent, & sicut in Actis legimus, irent *gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tertiò, trahebat eos Pater cælestis ex cunctis corporeis de Christi humanitate conceptis imaginibus, adeoque ab his & alijs quibuscunque imaginibus animas eorum denudabat expediebatque, vt tam ab illis liberæ essent ac penitùs nudæ, sicut erant, quando primùm creatæ fuerunt: quod & cum primis necessarium illis erat, & sine quo non erant vnquam idonei futuri, qui in præclarissimam sancti Spiritus scholam admitterentur, & ab eodem illic docerentur

Spiri-

Proprietates quatuor.
I.
II.
III.
IV.
Vtrû prosperis, an aduersis Christus suos traxerit.
Psalm. 90.
Apocal. 3.
Act. 6.
III. Tractus.

Spiritu. Hoc verò ex quatuor rationibus colligere licebit. Primò nanque veritas & amor (ad quę duo omnes scholę illius institutiones referuntur & tendunt) nullas habent imagines, nec extra animam sunt. Inde est, quòd nullus, quanlibet ingeniosissimus, pictor veritatem & amorem propriè potest effigiare, quòd nullas habeant imagines neque intus, neque foris. Si quam verò amor sui imaginem præbet, non est profectò verus amor. Atque hoc ipsum de veritate quoque sentiendum est. Secundò, nihil in hac sancti Spiritus schola per librorum imagines docetur, neque discitur, quod totum extrinsecus agitur, sed intus ipsa veritas (quæ ex sua ratione verbis exprimi non potest) sine vlla imagine inspiratur. Hinc est, quòd humilis ac Seraphicus Franciscus suis in Regula sua fratribus præcepit, ne multum se in exterioribus libris ac literis occuparent, & qui literas nescirent, pro his addiscendis non magnoperè nauarent operam: sed super omnia Dei Spiritum assequi concupiscerent, &, vt sua is operatione dignos eos faceret, cum puro corde flagitarent. Tertiò, discitur hîc sapientia per humilitatem, loqui per silentium, viuere per sui mortificationem, scire per obliuisci. Sic præ cæteris charior discipulis sanctus Ioannes dormiebat, quando æternæ Sapientiæ fontem intuebatur. Et Paulus Apostolus, cùm in illo, quem ipse commemorat, raptu suo æternam contemplaretur veritatem, nesciebat vtrum anima in corpore, an extra corpus esset. Quamobrem, vt in hac sancti Spiritus schola docere ac discere idonei fierent, necessarium erat, vt à cunctis prius imaginibus absoluerentur denudarenturque. Quartò, vbi imagines occurrunt, etiam tempus accedit, quo phantasia illas concipit, & circa easdem occupatur. In hac autem supremi Spiritus schola non tempus, non imagines aliquid conferunt. Vnicus tantùm motus siue tactus requiritur, qui & absque tempore, momento citius fieri potest. De quo beatus Gregorius, loquens de sancti Spiritus multiplici operatione, sic ait: Libet oculos fidei in virtutem opificis huius attollere, atque sparsim Patres Testamenti noui ac veteris considerare. Ecce apertis eisdem oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor: & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet nanque citharœdum puerum, & Psalmistam facit: implet pastorem armentarium sycomors vellicantem, & Prophetam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet piscatorem, & prædicatorem facit: implet persecutorem, & doctorem gentium facit: implet Publicanum, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus: nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim vt tetigerit mentem, docet: solumque tetigisse, docuisse est. His igitur quatuor diligenter inspectis, videre promptum erit, quàm necessarium fuerit discipulis, vti extra omnes animæ inhærentes imagines extraherentur. Cæterùm in hoc ipso tractu, in quo cunctis nudabantur imaginibus, non per omnia contigit illis, quomodo Paulo Apostolo in illius ad tertium cælum raptu. Hic nanque, sicut & Moses in monte Sinai, vt Augustinus asserit, diuinam essentiam absque medio contemplabatur. Quod in hoc tractu discipulis haudquaquam contigisse vel inde liquet, quòd satis certi erant, in corpore se esse. Veruntamen corda ipsorum subleuabantur, adeoque sublimiter diuinæ veritatis illustrabantur radijs, vt omnes, alij plus, alij minus, hoc ipsum perciperent, quod deinde multò post S. Paulus in suo admirabili raptu percipiebat. Quartò trahebat eos Pater æternus extra

Rationes quatuor. I. II. S. Fräcisci documentum. III. 2. Cor. 12. IV. D. Greg. 1. Reg. 6. Amos 7. Dan. 13. Matth. 4. Actor. 9. Matth. 9. 2. Cor. 12. Exod. 19. IV. Tractus.

extra seipsos, & ab omni eos naturali siue propria quæsitione absoluens, fecit vt deinde vera pace gauderent, & à seipsis penitus expediti, nudi, liberi, & ad omne diuinum beneplacitum plenissimè resignati essent. Tum verò cessabant querelæ omnes, anxietas & dolor, quæ prius pertulerant. In hoc nanque tractu totos se Deo offerebant, adeò vt prior ille tractus, de quo superius diximus, excellentissimo pariter ac nobilissimo modo in eis perageretur. Dehinc iam Pater cælestis omne beneplacitum suum sine vllo voluntatis aut naturalis propensionis ipsorum renisu, perficere potuit in eis. Hoc verò tractu ideò eos idem ipse Pater æternus, qui tam est nobilis, liber, indiuisus, amabilis ad se traxit, vt in eis instar magistri sedere posset, à quo ipsi discerent, cuiqúe se per omnia, quantum humana fineret infirmitas, conformarent. Et quia prædictam illius nobilitatem, libertatem, inseparabilitatem & amorem, quandiu miserabili suiipsorum captiuitate detinebantur, habere non poterant, necessarium illis erat, vt extra seipsos traherentur. Sed quærat fortasse aliquis, vtrum quando discipuli extra seipsos tracti fuêre, cunctæqúe in eis imagines abolitæ & extinctæ, natura ipsorum penitus mortua fuerit. Cui respondemus, naturam ipsorum non fuisse mortuam: sed in ipsa hac sui resignatione, multo (vt ita dicam) naturaliores erant, quàm vnquam ante. Quicquid enim ex Dei omnipotentis ordinatione creaturis euenit, secundùm naturam esse censendum est: eiqúe si creaturæ resisterent, agerent contra naturam. Vnde Augustinus ait: Quòd virga Mosis vertebatur in colubrum, non contra naturam erat, quando voluntas Dei fuit. Sic ergo & ipse dico, quandoquidem discipuli ex toto se diuino resignârant beneplacito, supremo modo secundùm naturam afficiebantur: nec moriebatur in eis natura, sed attollebatur potius, & in debito collocabatur ordine. Nec tunc minus imaginum habebant, quàm prius. Sed imagines non eos ad sese, neque ad aliquid extra Deum inordinatè faciebant affici. Hoc verò quòd à cunctis eos imaginibus nudatos fuisse dico, secundùm ea, quæ subijcio, accipiendum est. Verbi gratia: Si candela ardens circa meridiem in ipso Solis splendore ponatur, dubium non est quin idem sit lumen candelæ, nec minus tunc luceat, quàm si in tenebris foret posita. Atqui splendor eius lumini Solis permiscetur, ipsumqúe solare lumen, cùm sit multò maius candelæ lumine, hoc idem candelæ lumen multis modis vincit, & in se rapit, vt iam non ex seipso, sed in maiori Solis spargatur ac diffundatur lumine. Sic ergo & ipse de imaginibus & natura discipulorum loquens, aio discipulos eosdem quicquid post tractum supra memoratum faciebant, exercebantqúe, ex diuino eos lumine fuisse operatos, & nihilominus multo magis secundùm naturam, & æquè multis, vt prius, imaginibus plenos fuisse. Quintò traxit cælestis Pater resignatos expeditosqúe discipulos suos in seipsum, in amorosam videlicet & excellentem cum sua diuinitate vnionem, tam perfectè veraciterqúe se totum illis offerens, resignans, tribuens, vt illi se prius ipsi veraciter reliquerant obtulerantqúe. Hic iam omne diuini beneplaciti, discipulorumqúe desiderium impletum fuit, ita vt Deus deinde absque eis nihil vellet. Nec solus Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius, cùm sint vnus inseparabilis Deus, illis se dabat. Cæterùm cùm sancto Spiritui amor approprietur, sicut sapientia Filio, secundùm amoris proprietatem idem Spiritus sanctus in personali distinctione accipi potest, & non secus. Iam si quærat aliquis, num posteaquam discipuli extra sese tracti erant,

Vtrû natura Apostolorum in raptu mortua fuerit.

Exod. 4.

V. tractus.

Deo-

Deoquе totos se resignârant obtulerantque, omnes illos æqualiter in se Deus traxerit, & deinde æqualiter se infuderit omnibus: citò respondetur, quòd quamuis discipuli omnes sese ex toto resignârant, alius tamen alio amorosius, & ardentiori que cum desiderio se conuertebat ad Deum: sicut & Angeli sancti omnes quidem se Deo relinquebant, attamen quia alius alio maiori cum dilectione ad Deum se conuertebat, & Deus rursum alijs atque alijs perfectius & copiosius se largiebatur. Et eodem modo quia dispar erat discipulorum ad Deum conuersio, ideo & Deus non æqualiter se, neque dona sua omnibus largitus fuit. D. Ioannes plus cæteris dilectus, & ardentissimè diligens, quia præ cæteris maiori ac sublimiori cum dilectione ferebatur in Deum, sublimioribus quoque donis & charismatibus ditatus videtur. Verum tamen est, hac in parte multum liberrimam Dei voluntatem operatam esse: Dei, inquam, diuidentis dona sua *singulis prout vult.* Nec est quod putet aliquis, Spiritum sanctum ipso duntaxat sacro Pentecostes die discipulis personaliter datum fuisse. Sicut enim Richardus & quidam alij vetustiores asserunt, quoties creata gratia gratum faciens homini datur, toties & sanctus Spiritus eidem personaliter infunditur. Sæpius ergo iam ante discipuli Spiritum sanctum receperant. Sed tamen quia non totos se prius Spiritui sancto & donis illius reliquerant, quod in Pentecoste abundè fecerunt, hac ratione dici potest, eos in Pentecoste prius sanctum accepisse Spiritum. Sextò traxit atque perduxit eos Pater æternus in sublimem sancti Spiritus scholam, in qua repente omnia Scripturarum mysteria, ipsamque nudam veritatem, cunctis hujus mundi Sapientibus & Theologis prorsus incognitam, plenissimè sunt edocti. Et primò quidem in hac schola Dei ipsis maiestas & magnitudo proposita fuit: ex cuius consideratione donum Timoris Domini conceperunt, qui in eis ad finem vsque perseuerauit. Secundò, omnia posse, & continuè mentis oculos in Deum defigere edocti sunt: simulque donum eis Fortitudinis collatum est. Tertiò docuit eos Spiritus sanctus non modò præcepta Dei, sed & Euangelica Christi consilia seruare, & ad hoc donum Consilij perceperunt. Quartò docuit eos dulcissimam Dei experiri familiaritatem: simulque donum Pietatis eis contulit. Quintò, docti sunt ab eo, vt se inter homines & creaturas omnes diligenter custodirent, & vt discernere possent lumen & instinctum Dei, à naturæ lumine & instinctu: atque in hoc Scientiæ donum eis impertijt. Sextò, docuit eos plenè cognoscere eum, in quo tunc erant, & ante fuerant, statum suum: simulque donum Intellectus eis præstitit. Septimò, instituti sunt ab eo, vt se in Deum per amorosam cum illo vnionem transformarent: atque in hoc dono eos Sapientiæ ditauit. Denique hæc ipsa septem docet Spiritus sanctus discipulos suos in schola sua, in quibus septem eiusdem dona comprehenduntur. Sicut enim in schola naturali septem artes liberales, & in schola fidei septem Sacramenta: ita in schola Spiritus sancti hæ septem institutiones cum totidem donis illius traduntur atque docentur. Sed quæri hic potest, an discipuli in hac schola summi Spiritus omnium earum artium percepêre notitiam, quæ in schola corporali traduntur. Et respondetur, quòd omnium illarum artium, cursusque siderum, & quoruncunque aliorum, quæ ad animarum salutem requirebantur, notitia abundè eis collata fuerit, quatenus ad honorem Dei & hominum salutem promouenda faciebant. Quæcunque verò artes siue scientiæ animarum saluti nihil conferebant, harum quoque notitiam

Marginalia: An Apostolos omnes æqualiter ad se traxerit Deus. — 1. Cor. 12. — VI tractus. — Quid Apostoli primò didicerint. — II. — III. — IV. — V. — VI. — VII. — An discipuli omnes artes à Spiritu sancto didicerint.

tiam minimè perceperunt: nec tamen idcirco minus beati, minusve perfecti fuisse existimandi sunt. Teste siquidem D. Augustino, infelix est & miser, qui omnia nouit, & Deum ignorat: felix autem & beatus est, qui Deum scit, tametsi cætera omnia nesciat. Qui verò & Deum & cætera quæque nouit, non ex istis beatior est, sed ex solo Deo: qui nobis per immensam bonitatem suam præstare dignetur, vt & nos supra dictis modis trahi, & eadem in nostris interioribus veritate illuminari digni & idonei efficiamur. Amen.

Scientia felix aut infelix, quæ.

IN FESTO SANCTISSIMAE Trinitatis.

Vt ad sublimem Diuinitatis cognitionem nemo pertingat, nisi in prosperis constitutus, ad aduersa quælibet toleranda paratus sit: hoc est, aduersa deputet prospera, in dolore gaudeat, contemptum honorem ducat, & desolationem solatium arbitretur: idquè per multiplicem sui mortificationem, & mortes innumeras, quas prius subire oportet, antequam huc essentialiter possit perueniri.

SERMO I.

Quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur. IOAN. III.



GRATA nobis, dilectissimi, hodie dies illuxit, qua supersanctissimæ Trinitatis præclarissima solennitas agitur: in cuius collatione quotquot per totius anni circulum solennitates præcesserunt, haud secus æstimandæ sunt, quàm flores fructuum in comparatione fructuum. Ista nanque sanctissima solennitas omnium laborum merces est & consummatio, & ipsi omnes aliæ solennitates seruiunt. Vnde prorsus nescio, dilectissimi, quid dicere debeam, quibusve verbis eam, cuius festum agimus, beatissimam Trinitatem exprimere possim: cùm non tantùm verba, sed & modos & cogitationes humanas omnes longè lateque superet & excedat. Quantum enim supremi Seraph (vt ita loquar) intellectus asini captum excellit, tantum (imò centies millies amplius) hæc ipsa veneranda ac beata Trinitas omnem non humanum modò, verùm etiam Angelicum vincit & transcendit intellectum. Hinc sacer Dionysius Areopagita: Quicquid, inquit, de illa dici potest, per negationem aptius atque profundius, quàm per affirmationem, dicitur. Qualiter enim sit, vel quid sit beata Trinitas, nemo perfectè capere sufficit. Et quia intellectus id apprehendere nescit, lingua profectò non explicat. Nec tamen desunt homines inscij, qui tanquam omnia sanctissimæ Trinitatis mysteria, quæ nec omnes simul creaturæ explicare sufficiunt, plenè perspexerint, ita inde gloriosè loquuntur, differunt, affirmant. Quod vt caueatis, dilectissimi, hortor vos & obsecro per Deum: nemo vestrum de hac altissima & inenarrabili Sapientia curiosius loqui, neque *altum* præsumat *sapere*, sicut & Apostolus monet. Sacræ Theologiæ Doctoribus, pro Ecclesiæ vtilitate inde disputare & studere permissum esto, vt si Ecclesiam sanctam ab hæreticis impugnari contingat, habeant quo fidem suam adstruere, & perfidorum ora obstruere possint. Illi, inquam, circa Trinitatis mysteria edisserenda balbutire sinuntur. Iam verò quod ipse Dominus in hodierno Euangelio ait: *Quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur*: ita accipiendum est, vt inde-

Deum alicubi negãdo magis, quàm affirmando ignoscere.

Rom. 11.

indubitatò credamus, neminem supergloriosissimam Trinitatem perfectè scire vel vidisse, nisi Christum Iesum secundùm diuinitatem suam. Vnde huc pertingere non valemus, nisi per testimonium Iesu Christi. Ipse nanque Dominus noster Iesus Christus in duabus vijs,& prosperitatis scilicet & aduersitatis,& inferioribus & superioribus viribus suis, testimonium perhibuit. Et reuera cui alterum horum deficit testimonium, ad æternam sanctæ Trinitatis cognitionem pertingere non valet. Hæc autem testimonia duo, quasi geminæ quædam sorores sunt, & ambo continuè in eodem homine simul concurrent: non quo vnum in eadem via præcedat,alterum sequatur,sed simul & inuicem sibi iuncta erunt, hac videlicet ratione, vt se homo in prosperis constitutus, ad aduersa subeunda paratum inueniat, & aduersa æquanimiter sufferre sciat: quod ita demum rectissimè fiet, si aduersa deputet prospera, si in dolore gaudeat, contemptum honorem ducat, desolationem solatium arbitretur, & solatium suscipiat cum dolore. Hæc autem æqualitas seu indifferentia,in exteriori homine & fragili natura haberi vix potest: quanquam ex gratia possit homo eò peruenire, vt in aduersis & prosperis semper idem velit, quanquam non idem sentiat: veruntamen multas acerbas natura in aduersis posita mortes subire habet, per quas multo cum dolore sibijpsi intus & foris moriatur, antequam eò possit pertingere. Sed quis dicere sufficiat, quàm innumeras Deo mortes spiritales debeamus, quando cuilibet eiusmodi morti redditur iucunda, prorsusque diuina vita, modò ipsi id intra nos obseruare velimus? Credite mihi, dilectissimi, & vitam hanc, & mortem, & quicquid nobis de vera perfectione deest, facilè à Deo vera deuotaque oratione spiritus,crebrò,efficaciter,feruideque effusa,impetrare poterimus. Quisquis autem iam eò pertigit,vt spiritum habeat illuminatum à Deo, is prospera & aduersa eodem animo suscipit, ac æquè diligit & intendit: semperque & in prosperis & in aduersis idem perseuerat, nec quicquam omnino vel odio vel amore quorumlibet aliorum permouetur, æquè odio haberi, vt diligi, paratus. Cæterùm inuenire multos est, qui Christi sectatores esse percuperent, si eis semper omnia succederent ex sententia, nec quicquam haberent aduersi tolerare. Cumque eis aduersum aliquid accidit, à proposito recedunt. Nesciunt enim multo eis vtilius esse aduersitatibus exerceri, quàm gaudere prosperis. Aduersa nanque ipsam veritatem seu veram perfectionem adducunt: & prospera quidem floribus, aduersa autem veris fructibus non absurdè comparantur. Enimuerò prospera aduersis seruiunt, eaque præcedunt, hominemque ad sufferendum aduersitatis confortant onus, neque fructum adferunt, nisi quatenus famulantur aduersis. In his autem, id est, aduersis, secreta quadam ratione homo reuera nascitur in Deo. Sed heu paucissimos hodie inuenire est, qui aduersis correpti, Dominum sequi & amore prosequi velint: quin potius innumeri, dum aduersa eis occurrunt, ea quasi odire videntur. Isti nimirum haudquaquam veri & idonei sunt testes Domini nostri Iesu Christi, qui est verus serpens, in illo serpente præfiguratus, quem Moses seruus Dei in deserto erexit, vt eum percussi inspicerent, ac sanarentur. Itaque & nos ipsum verum serpentem indesinenter intueri, illius testimonium assumere, ipsum in vera spiritus paupertate, cum infinita quadam resignatione ac feruenti amore veraciter sequi,tentationes quaslibet & aduersa intus & foris, pressuras spiritus & naturæ,& vexationes denique hominum,carnis propriæ,& maligni spiritus,

Quo modo Christus dupliciter testimonium perhibuerit.

Cur aduersa libenter ferenda.

Aduersa prosperis prastare.

Aduersa eis diligi debere.

Num. 21.

Serpens æneus quid præfigurârit.

Tentationes quæ quibus expetendæ.

sustinere debemus. Reuera nanque tanta est tentationum vtilitas, in eis qui illis bene vti nouerunt, vt eis penitus ablatis atque deuictis, meritò deberent reuocari, imò & rogari vt redire vellent, quo scilicet rubiginem, quam prius in diebus malis adduxerunt, cõsumerent, & vitiorum stercora, quæ adduxerunt superiori tempore, absportarent. Fieri siquidem potest, vt homini illuminato atque perfecto peccata quælibet sæpius, cum quadam etiam carnis & sanguinis commotione, per imagines occurrant, quàm peccatori in medijs peccatis agenti: vt tamen cum his peccatis, modo prædicto illi occurrentibus, perfectus quisque in magna consistat puritate, & cum ea, quam inde sustinet, vexatione afflictioneque cælorum regna felix ingrediatur, vbi peccator cum eiusmodi peccatis in mortem æternam demergitur. Quum enim tentationibus facilè consentiat, illarum molestiam non sentit. Quòd si quærat aliquis, vnde tanta sit differentia inter iustos & peccatores, vtrosque tamẽ peccatorum imaginibus depictos: planè respondetur, quòd ea de causa, quia diuersa ratione id agatur in vtrisque. Boni nanque sustinent has peccatorum species siue imagines patienter propter Deum, qui ipsorum fundus est & intentio: simulque ab eo & prospera & aduersa suscipiunt, atq; in illis se totos in Dei beneplacitum resignant. Mali verò Deum nec amore nec intentione prosequuntur: & ideo citò in ipsa peccata, etiam non tentati, corruunt, consentiuntque. His nunquam Deus omnipotens satisfacere potest: quicquid illis præstet, semper illi alia sibi præstari volunt: adeoq; si virtutes multas & magnam sanctitatem absque labore & sumptu habere possent, hoc esset quod optarent. Sed vos dilectissimi, id certum habetote, quia quandiu Deum purè intenditis & amatis, nihil omnino vobis nocere, nihil vos impedire poterit, etiamsi dæmones vniuersi cum omni malitia sua, totusque præterea mundus cum omni spurcitia sua animam, corpus, carnem & sanguinẽ vestrum permanent, perfluantque, si tamen hæc omnia vestræ sint contraria voluntati, & si displiceant. Nihil, inquam, tunc vobis omnia hæc nocere poterunt, imò & multum conferent, atque ad diuina charismata, magnaque & excellentia bona capienda disponent, si modò Deum purè ac nudè intenditis, non aliud aliquid: nec quicquam vestrũm vllo modo, eiusq; voluntatem in aduersis æquè vt in prosperis fieri optatis. Hinc ipse Dominus in hodierno Euangelio sic ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Vbi per Spiritum, æqualitas siue prosperitas: per aquam, inæqualitas siue aduersitas accipi potest. Enimuerò præter exteriorem hanc rudem & crassam inæqualitatem, altera quædam præclara & pura interior inæqualitas est, & ipsa ex priori illa inæqualitate nascitur, dum se in ea quisque vt oportet gerit, constanter diuino beneplacito inhærendo. Tunc enim intus ei ineffabilis huius inæqualitatis cognitio reuelatur, detegiturque, ad quam nulla vnquam creatura quibuslibet modis pertingere valet: pertingit autem ad eam per gratiam (quantum tamen creaturę possibile est) spiritus purgatus, idque in exteriori inæqualitate seu aduersitate, quam eiusmodi spiritus magis intendit & amat, quæque illi melius sapit, & in qua denique plus sentit ac percipit veritatis, quàm in prosperis omnibus, quæ quidem in hac vita homini queant contingere. Quo verò hæc inæqualitas limpidius apertiusq; cognoscitur, tanto & prædicta æqualitas vicinius ac perfectius obtinetur. Hanc inęqualitatẽ superbus Lucifer attendere nolebat, cùm ad æqualitatem per rapinam adspiraret, per quod miser ille ad ineffabilem quandam dissi-

Peccantium & iustorum differentia quæ.

Malorum natura.

Ioan 3.

Inæqualitas duplex.

Inæqualitate qui æqualitas obtineatur.

Esaiæ 14.

dissimilitudinẽ corruit, omnemque adeò perdidit æqualitatẽ, vt nunquam eam possit recuperare. Boni verò ac fideles Angeli magnã suam cõtuebantur inæqualitatẽ, ac per hoc ad ineloquibilẽ quandam Dei æqualitatẽ (secundùm modum tamen creaturæ) pertigêre. Sic & ineffabilis ex isto fundo fructus oritur, dum se in illũ spiritus illuminatus, cum diuino amore in vera suæ inæqualitatis agnitione immergit ac liquescit in eundem, supraq; seipsum & suam virtutẽ in diuinam abyssum rapitur. Qui tamen prius bene exercitatus est, pro viribus tam in spiritu quàm natura se purgare ac nudare curauit, ille amabilem & felicem nimis experitur immersionẽ absorptionemq;. Cùm enim natura, quod in ipsa est, facit, nec iam vltra procedere valet, hoc est, quando eò peruenit, vt iam vltra ascẽdere nequeat: tunc diuinitatis abyssus micantes scintillas suas in ipsum purum spiritũ diffundit, atque ex hac supernaturalis gratiæ & auxilij Dei virtute, spiritus hominis purgatus & illuminatus, ex sese in singularem quandam ac ineloquibilem diuinitatis puram intentionem rapitur, abduciturq;. Ex hęc intentio multo amplius priorem illam intẽtionem excedit, quàm cælum terram superet, quippe quæ ex prædicta Dei virtute præstatur. Atque hæc conuersio omnẽ intellectum cunctosq; sensus longè lateq; transcendit, estq; prorsus ineffabilis ac incomprehensibilis. Quanuis autem hæc ipsa cõuersio omnes alias multum excedat, illæ tamen huic, quantum poterant, multum contulerunt: & ad hanc lucidissimæ veritatis cognitionem præparârunt hominem, promoueruntque. Alias autem conuersiones dico, quanlibet bonam voluntatem, bonam intentionem, bonum desiderium, bonum verbum, & opus bonum, & passionem quanlibet & molestiam, quam homo Dei amore æquanimiter tolerauit: quæ omnia huic singulari conuersioni coaptârunt eundem. Tanta autem ista conuersio est, vt eam non Angeli, non Sancti, non omnia denique, quæ in cælis & in terris sunt, homini donare possint. Sola perennis diuinitatis abyssus cum omni immensitate sua hanc in homine operari & perficere habet, quandoquidem omnem hæc creaturarum modum excedit, & in diuinam virtutem supra omnem modum in diuinam quandam tendit immensitatem. In hac nanque conuersione spiritus purgatus, in diuinam caliginem & quietum silentium, ac ineffabilem diuinitatis vnionem immergitur & absorbetur. Hîc verò, in ista scilicet immersione, omnis æqualitas & inæqualitas perditur. Enimuerò in hac diuinitatis abysso spiritus purgatus seipsum amittit, nihil iam vel de Deo, vel de seipso, vel de æqualitate vel inæqualitate, nec de vlla alia re sciens. In diuinitatis quippe vnitatem absorptus & immersus est, ibique omnem quodammodo perdidit distinctionem. Hęc autem, dilectissimi, quisquis in seipso feliciter optat experiri atque sentire, huic omnino necessarium est, vt & sibijpsi & creaturis omnibus perfectè moriatur, solique Deo, non autem sensibus suis, purè ac nudè viuat, nec pro habendo solatio huc illucque discurrat, ad externas multiplicitates sese effundendo. Quanuis enim sæpe bona opera videantur, non parum tamen hanc vnionem impediunt. Soli ergo, vt dixi, omnipotenti Deo purè in omnibus viuat, eundemq; in omnibus, & omnia in illo capiat: ita demum ad sanctissimam & superdignissimam pertinget Trinitatem, de qua vt aliquid dicam, prorsus indignum me confiteor præ vilitate & infirmitate mea. Præstet nobis eadem hæc colenda semperque veneranda Trinitas, Pater, Filius, Spiritus sanctus, vt omnes ad hanc felicissimam vnionem pertingere digni inueniamur. Amen.

Absorptioni seu raptui diuino proximus quis.

Cõuersio intellectũ omnem superans, quæ.

Cõuersio ista cui tantùm possibilis.

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt de sanctissima Trinitate sobriè disputandum sit, potiusqúe considerandum, vt illius imagine simus insigniti. Et vbi hæc ipsa imago inuenienda sit, ac demum vt spiritalem intus natiuitatem consequamur. Omnia vt breuiter, ita excellenter tradita.

SERMO II.

Quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. IOAN. III.



HAEC verba, dilectissimi, ex eo sumpta sunt Euangelio, quod hodierna die, quæ supersanctissimæ Trinitatis venerationi dicata est, in sancta Ecclesia legitur: quibus & alia Domini Saluatoris verba continuò subnectuntur, ista videlicet: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* Congruunt autem præsenti excellentissimæ ineffabilis Trinitatis solennitati, quæ omnium aliarum totius anni solennitatum scopus est, sicut creaturarum omnium, maximè verò ratione vtentium, finis & scopus, ipsa est beata semperqúe veneranda Trinitas, vnus Deus. De ea nanque legimus, quòd sit *Alpha & Omega, principium & finis.* Cæterùm de hac superdignissima & supersanctissima Trinitate, quibus eam explicemus, verba propria habere non possumus: & tamen aliquid de ea dicendum est. Dicendo autem, quid sit ipsa superessentialis & superincognita Trinitas, consequi tam impossibile est, quàm in terra stando, cælum vertice contingere. Quicquid enim de ea vel dici potest, vel cogitari, in infinitum minus est ad ipsam, quàm acus vnius acumen ad totum cælum, terramqúe & Angelos vniuersos. Vnde etiam nullus omninò creatus capit intellectus, vt illa superessentialis vnitas, tam simplex in essentia, & trina sit in personis: vt personæ ab inuicem distinguantur, vt Pater Filium generet, vtqúe Filius procedat à Patre, & tamen intus maneat in perfecta cognitione suijpsius. Ad hæc, vt Pater Verbum suum æternum proferat, vtqúe ex ea, qua se mutuò intelligunt, cognitione, ineffabilis amor, qui est Spiritus sanctus, promanet; & vt idem emanans, cum ineffabili suijpsius complacentia ac fruitione ad intra refluat. Enimuerò in essentiali vnitate idem est Pater quod Filius in potentia, in sapientia, & amore. Adeoque Filius & Spiritus sanctus, quod ad essentiam attinet, vnum cum Patre sunt: sed magna in personis distinctio est, & hoc in naturæ vnitate, emanando scilicet, ac ad intra refluendo, absque omni tamen imagine. De quibus omnibus multa quidem ac innumera dici possunt: & tamen quicquid dicatur, nunquam verbis explicabitur, nec intellectu capietur, vt illa superessentialis ac superexcellentissima vnitas diuinitatis, in personarum Trinitate & distinctione subsistat: satiusque est hinc aliquid experiri, quàm dicere. Non enim delectat multum hac de re loqui vel audire, præsertim quando verba extrinsecus petuntur, & etiam propter indignitatem nostram, cùm nihil dignum, nihil perfectum hinc dici queat. Supra enim quàm explicari possit, à nostra id cognitione remotum est, prorsusque absconditum à nobis. Et quid dico, à nobis, quando & Angelicum omnem transcendit intellectum? Itaque hinc loqui vel disputare nolumus, sed hoc ipsum sacræ Theologiæ

Apoc. 1. & 22.

Trinitatē ineffabilem esse.

giæ professoribus atq; Doctoribus relinquimus, quibus ob fidei defensionē hinc saltem aliquid loqui permittitur, quiq; ingentia hac de re volumina tenēt. Nobis verò simpliciter credere incumbit. Siquidem D. Thomæ sententia est, neminem aliquid hinc temerè asserere debere, præter ea quæ ab illis tradita sunt Doctoribus, quorum tam probata vita fuit, vt à Spiritu sancto digni fuerint illuminari, atque de his plenius edoceri. Sicut enim nihil maiori cum delectatione sentitur, ita nusquam erratur periculosius. Quamobrem moneo vos charissimi, vt omni disputatione seposita, Doctoribus ista relinquatis, quorum nunc tanta subtilitas ingenij est, quanta vix vnquam antea fuit. Vos autem simpliciter credatis, Deoque vos resignantes omninò, hoc tota intentione curetis, vt digni efficiamini, in quorum fundo ipse nascatur, non secundùm intellectum, sed essentialiter, non in ore, sed in veritate. Id enim diligenter nobis inspiciendum est, vt ad supersanctissimæ Trinitatis imaginem facti simus. Hæc autem diuina imago veraciter, propriè ac nudè in anima, cui naturaliter indita est, inuenitur, non tamen tam excellenter & nobiliter, vt est in seipsa. Itaque in hoc spiritalis noster profectus consistit, vt hanc ante omnia imaginem, tam amabiliter & propriè in nobis existentem, diligēter obseruemus. Cæterū de imaginis huius nobilitate nemo dignum aliquid propriè dicere potest, sicut nec de Deo: quippe cùm in ipsa hac imagine Deus, absque tamen imagine, existat. Diuersi hinc diuersa loquuntur & plurima, ac varijs modis, vbinam naturaliter & essentialiter consistat, inuestigare conantur. Omnium verò ista sententia est, propriè eam in viribus supremis, hoc est, memoria, intellectu, & voluntate, consistere. Per has enim vires capaces sumus supersanctissimæ Trinitatis, & fruimur eadem. Et hæc sententia vera est in infimo gradu. Non enim naturæ limites transcendit. Sanctus Thomas propius ad rem ipsam accessit, dicens, quòd imaginis huius perfectio in eius actualitate & virium exercitio sita sit, puta in actuali memoria, actuali intellectu, & actuali amore. Et hoc ille sensu contentus est. Alij adhuc Doctores quidam multo sublimius hac de re loquentes, dicunt eam in animę intimo, hoc est, profundissimo & occultissimo animæ fundo, consistere, vbi Deum anima habet, essentialiter actualiterque, & in quo Deus operatur, existit, fruiturque seipso, tam illi vnitus, vt quomodo à seipso non potest auelli, ita nec hinc possit separari. Ita enim ipse ab æterno constituit ac præordinauit, quòd nec velit, nec possit ab hoc fundo recedere. Et in hoc fundo totum spiritus habet per gratiam, quod Deus habet per naturam, quatenus homo se in hunc fundum recipit. Tunc enim ibi, nec vsquam alibi, propriè & excellentissimo modo gratia nascitur. De hoc fundo gentilis quidam Philosophus, vocabulo Proclus, loquens: Quandiu, inquit, homo imaginibus, quæ infra nos sunt, occupatur, credibile non est, eum in hunc fundum vnquam se recipere posse. Et vix nobis persuaderi potest, hunc intra nos esse fundum: nec enim credere volumus ipsum vel esse, nedum in nobis existere. Sed idem ipse: Si, inquit, ipsum esse re ipsa experiri cupis, omni multiplicitate relicta, oculo hunc intellectuali intuere. Quòd si adhuc propius ad ipsum accedere voles, oculo intellectuali ab illius adspectu prohibito, (Intellectus enim subtus te est) vnum efficere cum vno. Hoc autem vnum, vocat ipse quietam, silentem, dormientem, diuinam ac amentem caliginem. Magnum istud pudorem ac ruborem nobis, dilectissimi, adducit, potuisse videlicet hominem gentilem & paganum, hæc non

De Trinitate nil temerè asseri vel negari debere.

Proclus.

modò intellectu assequi, sed etiam eò pertingere, & nos tam illi hac in parte longè impares esse. Concordat autem cum illo sententia Saluatoris, dicentis:
Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*, in ipso videlicet intimo fundo, supra omnem virium operationem, seu actualitatem. Illic enim duntaxat oritur. Huc faciunt & illa Domini Saluatoris verba, quæ in hodierno continentur Euangelio, quibus ait: *Quod scimus loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis.* Et qua ratione fieri possit, obsecro, vt homo animalis sensualitati deditus, ad exteriora diffusus, & sensibus ac sensibilibus duntaxat rebus intentus, testimonium Dei capiat? Quisquis talis est, non modò non capere, sed neque credere
Esaiæ 55. re ista potest. Ipse namque Dominus per Prophetam suum dicit: *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et Dominus Iesus in Euangelio diei huius: *Si terrena*, inquit, *dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* Et ego cum aliâs dixissem vobis de charitate vulnerante, quæ rectè terrena dici posset, erant inter vos qui dicerent, se verba mea capere non potuisse. Quomodo ergo poteritis interna hæc prorsusqúe diuina assequi? Quòd autem verba mea non capitis, inde magna ex parte accidit, quòd nimium externis occupationibus & operibus, modò his, modò illis, dediti estis, solisquè inhęretis sensibus. Sed in illis testimonium hoc, de quo Dominus ait: *Quod vidimus, testamur*, minimè inuenitur. Vultis autem scire vbi inueniatur? Prorsus non nisi in ipso animæ fundo. In hoc absque imagine & certò inuenitur. In ipso nanque Pater æternus vnigenitum Filium suum centies millies quàm nos intelligere possumus, momento celerius parit, idqúe cum continua innouatione sub æternitatis videlicet puncto, in omnimoda claritate ac ineffabili nobilitate sua. Hæc quisquis sentire ac experiri desiderat intro se, longè tamen supra omnem tam interiorum quàm exteriorum virium suarum actualitatem & phantasias, cunctaqúe forinsecus illata, conuertat: ibiq; in ipsum fundum sese immergat, & liquefiat. Et tunc virtus atque potentia Patris, ipsum in se per vnigenitum Filium suum ineffabili quodam clamore suo paterno vocabit, accersietqúe. Tum verò sicut Filius ex Patre nascitur, & refluit in Patrem, sic & ipse ab eodem Patre in Filio generabitur, simulqúe cum Filio refluet in Patrem, vnumq; cum illo efficietur. Eiusmodi homini Dominus per
Ierem. 3. Prophetam suum dicit: *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. Hodie genui te* per Filium, & in Filio meo. Deinde Spiritus sanctus cum amore excellenti ac delectatione ineffabili sese effundet, istiusque hominis fundum septem donis suis felicissimè perfundet ac permanabit. Horum autem donorum duo actiua sunt, puta Pietas & Scientia: quibus perceptis, homo mirum in modum pius ac benignus efficietur, & per scientię donum, quę illius promoueant profectum,
Dona virtutibus præstare. edocebitur. Oportet autem, vt quæcunque his similes sunt virtutes, iam ante adeptus sit. Dona siquidem vlterius, quàm virtutes, hominem introducunt. Dehinc passiua accedunt dona, quæ mutuò sibi cohærent, Consilium scilicet & Fortitudo. Inde succedunt tria alia dona, videlicet Timor sanctus, qui conseruat atque confirmat quicquid in homine Spiritus sanctus operari dignatus est. Intellectus quoque & Sapientia, quæ sunt duo suprema dona. Quicunque tales sunt, his maligni spiritus præ cunctis hominibus obsistunt grauissimè: & maximè qui inter eos subtiliores sunt, subtiliter admodum illis insidiantur. Contra hos autem dono scientiæ se munire curabunt. Certè in his iam dictis vel

momen-

momento vno persistere melius est, quàm quæuis propriæ voluntatis efficere opera. Atque in hoc fundo pro suis quisque amicis viuis & defunctis precabitur, talisque oratio multarum precum vocalium decantatione efficacior est. Denique hic verum *Spiritus Dei testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei simus.* Atque ita in nobipsis testimonium illud sentire possumus, de quo in sancti Ioannis epistola, quæ in plerisque hodie Ecclesijs recitatur, legimus: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo,* hoc est, in intimo animæ fundo siue cælo, *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus:* Hi verum cuique iusto perhibent testimonium, quòd sit Filius Dei: intusque illi lucent in hoc ipso animæ fundo, qui & ipse idem fert testimonium: sicut econtra & beata Trinitas & fundus iste, etiam aduersus hominem, cunctasque inordinationes illius, testimonium ferunt, rationemque (velit nolit ipse) illuminant. Imò si attendere volet, de omni vita illius testimonium perhibent. Ergo quisquis huic interno auscultat testimonio, ipsique foris & intus inhæret, à tremendis extremi iudicij testimonijs securus erit. Qui verò ipsum de omnibus verbis & operibus, totaq; vita sua testimonium reddens non suscipit, in extremo iudicio ipsum de eo feret sententiam, negligentemque condemnabit, non culpa Dei, sed vitio illius. Non enim solus Deus hominem, sed etiam ipse se homo condemnabit. Quæ cùm ita sint, obsecro dilectissimi, vobiscum manete, & hoc intra vos testimonium obseruate perquàm diligenter. Credite mihi, erit, quando vos fecisse gaudebitis. Exteriori homine mortificato atque composito, intra vos recipite, atque animæ inquirite fundum, & in ipso hoc testimonium sentietis. In rebus autem externis, & in proprijs modis, institutis atque conceptibus, vix ipsum inuenitur. Legimus in Vitis Patrum de quodam vxorato, quòd vt ab omnibus esset impedimentis absolutus, eremum ingressus, ibique quinque millium Monachorum pater effectus fuerit, qui omnes quidem hunc interiorem animæ inquirebant fundum, alius tamen alio propius accedebat. Idem autem & vxorem habuit, quæ & ipsa multis fuit præposita fœminis. Est enim reuera fundus iste simplex quædam superessentialis, occulta, vasta, ac libera caligo, quam sensualibus modis inuenire non licet. Sed dicitis me iuuenibus hominibus opem ferre. Certè quotquot ab hoc fundo vnquam tacti sunt, & quibus ipsum vnquam illuxit, libenter pro viribus adiuuarem. Væ autem illis, qui eiusmodi homines per suos externos crassosque modos impediunt, huncque fundum negligere cogunt. Graue prorsus durumque sibi iudicium parant. Dum enim istos suos volunt crassos modos & consuetudines externas imitari & assumere, plus eis nocent, quàm olim Iudæi atque Pagani illis, quos à veri Dei cultu prohibebant. Sed vos duri & temerarij iudices, qui seruos Dei verbis asperis & iracundis gestibus vestris impetitis, videte quid hominibus istis agatis, & vestræ saluti prospicite. Cæterùm Deum in suo fundo, atque etiam ipsum fundum inuenire cupienti, hæc tria studiosè obseruanda sunt. Primò, vt in omnibus & præ omnibus Deum, Deique honorem, non seipsum, Dei voluntatem, & non suam, nec aliquid suum purè ac nudè quærat, & intendat. Secundò, vt in cunctis verbis & extrouersionibus suis, suijpsius diligentem habeat curam, immensum nihil suum perseueranter inspiciat, & quid agat, circa quid occupetur, quid intra se versetur, obseruet vigilanter. Tertiò, vt quæ extra ipsum sunt, quæque sibi commissa non sunt, non attendat: sed omnia vt sunt, ita esse sinat: sint bona, bona: mala verò non iudicet, nec ea cognoscere velit.

Testimonium Dei intra nos qui sentiamus. 1. Ioan. 5.

Testimonium diuinũ temnentis pœna.

Paradigma.

Quæ tria Deum in se inuenire cupiẽti seruanda.
I.
II.
III.

velit: sed potius in fundum suum sese introrecipiens, in illo perseueret, vocemque in se paternam, ipsum ad se intrò vocantem, auscultet & obseruet: vbi tantus homo intro receptus charismatum atque donorum diuitijs repletur, adeoque clarè illuminatur, vt si necesse foret, cunctis etiam sacerdotibus satis posse discretionis impertiri. Sed quia diffusius locuti sumus, si cui tam labilis memoria est, vt omnia iam dicta retinere non possit, hæc saltem duo, quę subijcio, memoriæ commendet, ac operi studeat mancipare, & ita excellenter prædictam obtinebit perfectionem. Primò purè intus & foris non apparenter, neque in ore, sed in ipso fundo & veritate in oculis suis omniqúe intellectu suo absque glossis, paruus & vilis sit. Secundò verò præditus sit diuinitatis amore, non illo dulci ac sensibili affectu, quem nos amorem dicimus: sed essentiali dilectione, qua Deum intus purè in omnibus intendimus, non simplici, externa, sensualiqúe intentione, quam communiter intentionem dicimus: sed intentione mentali, quam videlicet mente adspicimus: vt verbi gratia, ad metam cursurus, ipsam metam respicit: & iaculator scopum, ad quem tela dirigit. Denique vt omnes in hunc fundum pertingamus, quo nosipsos intra nos annihilemus ac vilipendamus, ipsamqúe supergloriosissimæ Trinitatis reperiamus imaginem, præstet nobis eadem fulgida semperqúe tranquilla Trinitas, cui est omnis honor & potestas in secula seculorum. Amen.

Quæ duo perfectioni obtinendæ necessaria.

IN FESTO VENERABILIS AC SVPERdignissimi Sacramenti.

De tribus gradibus diuinæ laudis: de diuersis vtilissimis effectibus & operationibus venerabilis Sacramenti: & quoties, qualiqúe cum præparatione, ipsum homo suscipere debeat.

SERMO I.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. IOAN. VI.



EIA dilectissimi, nunquam satis laudata solennis nobis dies illuxit, quo superdignissimi Sacramenti præclarissima solennitas agitur, pretiosissimi, inquam, Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Quod tametsi per totum annum quotidie generaliter, specialiter autem in sacro Cœnæ Dominicæ die veneramur, & colimus, sancta nihilominus Ecclesia mater nostra, instar aliarum solennitatum hanc specialiter diem in illius honorem instituit atque dicauit, quo videlicet ad nouam quandam speciali cum deuotione tanto Sacramento reuerentiam exhibendam prouocemur & accendamur. Atque per hoc sancta nobis Ecclesia satisfecit. Hac de causa multa homines extrinsecus faciunt, templa studiosissimè exornant, campanas alacriter pulsant, ipsum venerabile Sacramentum de vno templo ad aliud solenniter defertur, aurum & argentum offerunt, organa resonant, cantus eleuatior altiorqúe concrepat, atque id genus plura alia hilariter fideles peragunt, vt scilicet suam erga hoc præstantissimum Sacramentum deuotionem ac reuerentiam indicent atque declarent, ipsumq; simul modis, quibus possunt, venerentur & colant. Et hæc omnia, licèt externa, imò quælibet etiam minima ex his, internæ laudi, quam intus Deo exhibe-

Ceremoniæ & externa opera bona quo pertineant.

hibere debemus, conferunt non minimum: interim tamen omnia hæc externa opera, & externi ritus siue modi, ad infimum diuinæ laudis gradum pertinent. Faciendũ nihilo minus iure est ex reuerentia, quicquid excogitari potest, quod ad illius honorem queat cedere. Non enim aliquis tam abiectus vermiculus est, nec vlla tam extrema creatura, quin si ratione prædita foret, meritò ad illius honorem caput erigere, ac reuerenter illi inclinare deberet. Cæterùm est alius quidam altior Deum laudandi gradus, hic videlicet, vt homo ex imo cordis sui cum amore & intentione, cum omni intellectu totisq́ue viribus suis, Deum magnificè laudet & extollat. Et ista laus, omnem exteriorem laudem, & quicquid extrinsecus fieri potest, longè excedit. Deinde est adhuc alius, duobus præmissis multo altior, Deum laudandi gradus, iste scilicet, vt homo ex diuina illuminatione intus in fundo suo Deum tam excelsum & magnum, se verò tam pusillum & modicum intelligat, quòd Deum laudare non sit idoneus, neque ad hoc possit sufficere. Ista Dei laudandi ratio, laudem omnem quæ vel verbis, vel cogitatione, vel intellectu Deo possit exhiberi, multis modis vincit, præcellit, superat. Vnde quidam sic ait: Ille optimè loquitur de Deo, qui ex internarum diuitiarum agnitione & intellectu de ipso tacere nouit. Quadam vice contigit, vt Doctor quidam Deum verbis extolleret ac prędicaret. Audiens hoc alius, & ipse Doctor, silere eum iussit, dicens, quòd Deum blasphemaret. Vterque tamen verum dixit. Mirum quiddam profectò est, tantam tamq́ue ineffabilem Dei esse bonitatem, vt cùm omnem intellectum, tam Angelicum quàm humanum superet, nihilo minus verbis à nobis laudari dignetur. Itaque iste laudandi gradus alios duos longè excellit, vbi immensitas incomprehensibilis dignitatis & excellentiæ Dei sic pura mente intus intelligitur, vt nulla suppetant verba vel modi, quibus dignè laudari posse videatur: ipseque animus à se deficiens totus immergitur ac liquescit in Deum, vbi iam ipse se Deus laudare, ipse sibi gratias agere habet. Quisquis autem huc ritè immergitur & perfectè absorbetur, credi vix potest, eum quandoque extra diuinam gratiam prolapsurum. Sed videamus, obsecro, quid Dominus noster in suo nobis Euangelio de hoc dignissimo Sacramento loquatur: Ecce dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo.* Vbi inprimis ineffabilis ac profundissima Domini Saluatoris humilitas diligenter notanda venit, quòd videlicet ille altiora silentio premens, de humilioribus loquitur. Nullam quippe diuinitatis mentionem faciens, quæ est potior ac dignior pars illius, de carne & sanguine verba facit: quanquam dubium non sit, & diuinitatem ipsius & animam, æquè vt carnem & sanguinem, in hoc dulcissimo Sacramento contineri. Deinde stupenda, superessentialis, & excellentissima charitas illius in hoc mirabiliter relucet, quòd non satis illi erat, vilem ac fragilem induisse naturam nostram, fratremque nostrum effectum esse, (homo siquidem fieri dignatus est, vt homo Deus fieret) sed præterea etiam cibus noster esse voluit. Hinc Augustinus ait: *Non est alia natio tam grandis, quæ Deos habeat appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis.* Manducamus eum, & fruimur ipso. Quàm stupenda, quamq́ue prorsus ineffabilis est erga nos charitas illius, qua hunc modum inuenit? Omnem illa prosus intellectum excedit, meritoq́ue corda omnium accendere, fortiterq́ vulnerare deberet. Nulla siquidem res materialis siue corporea, tam intimè homini vnitur, vt cibus &

Diuersos esse laudandi Dei gradus.

Altissimus Dei laudandi gradus quis.

Quis optimè de Deo loquatur.

Bonitas Dei quanta.

Ioan. 6.

Humilitas Christi summa quæ.

D ut. 4.

Charitas Dei erga nos quanta.

potus, quæ per os sumuntur. Vt ergo quàm proximè & intimè nobis vniretur, mirabilem hunc reperit modum. Sed vt ea, quæ dicimus, rectius intelligantur, loquendum nobis interim est de cibo corporeo. Et licet ea, quæ dicturi sumus, parum fortasse ciuiliter, sed vtiliter tamen dicentur. Itaque sanctus Bernardus: Et manducat, inquit, nos Deus, & manducatur à nobis. Certè corporeus cibus, quem per os accipimus, primò dentibus teritur, deinde leniter per gulam delabitur ad stomachum, vbi postea per calorem hepatis consumitur: deinde stomachus cibum coquens, & malum à bono discernens, superflua reijcit & expellit. Si quis autem tantum cibi capiat, quanta est libra vna, non tantum inde naturæ incorporatur, quantum est minimum aliquod pondus: cætera omnia stomachus per diuersa loca expellit. Vbi verò iam cibus pertigit ad stomachū, adhuc tres supersunt gradus, antequam naturæ possit incorporari. Cibum autem à stomacho decoctum atque digestum, vis quædam animæ ad hoc à Deo constituta, per omne corpus distribuit vnicuique membro, capiti quoque & cordi aliquid inde subministrans: transitq; cibus in carnem & sanguinem, atque per venas omnes diffunditur. Ita nimirum & in hoc dignissimo fit Dominici corporis Sacramento. Sicut enim cibus corporalis in comedentis transit substantiam, sic quisquis dignè hoc percipit Sacramentum, transmutatur in illud, quemadmodum Dominus Augustino dixit. Non tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me, cunctasque venas intimi fundi illius penetrat. Dicit enim S. Bernardus, quòd sicut cibum corporalem manducamus, ita nos à Domino manducamur. Tunc autem manducat nos Deus, cùm defectus & vitia nostra arguit, oculosque nostros interiores aperiens, peccata defectusque nostros agnoscere nos facit. Dum enim manducat, conscientiam reprehendit. Iam sicut dum cibus materialis dentibus teritur, huc illucque in ore agitatur & voluitur, sic & in hac Dei reprehensione homo in quandam anxietatē, timorem & mœstitiam huc atque illuc impulsus iactatur, nesciens quid sibi futurum sit. Hanc autem sui manducationem ac reprehensionem patienter homo ferre debet, satisq; se mandi & conteri patietur, sed & ipse se conteret, arguetque: nec leuiter hinc sese extrouertet, nec protinus ad Confessorem properabit, vt hanc excutiat reprehensionem, neque etiam ad consueta externa exercitia sese conuertet, quandiu ista durauerit reprehensio: sed imo ex pectore ductis suspirijs, dicet: Eia Domine Deus meus, *propitius esto mihi* miserrimo *peccatori*: & quatenus poterit, secum manebit. Hoc enim multo illi vtilius est, quàm si mira interim legat, aut oret, aut quiduis aliud agat, per quæ hinc auertatur, istamq; sui euadat reprehensionem. Hîc tamen solicitè cauendum est, ne hostis tartareus per inordinatam sese tristitiam admisceat. Solet enim versipellis ille amarum & acidum sinapium in huiusmodi hominem ingerere. Porrò Domini sinapium bonum atque suaue est. Post illius namque reprehensionem, dulcis animī tranquillitas, bona fiducia, & diuina quædam confidentia cum spe sancta succedit. Et tunc deglutit hominem Deus. Sicut enim cibus bene coctus ac diligenter tritus, leniter in stomachum delabitur: sic & homo posteaquam bene in conscientia reprehensus est & comestus, & multam nihilo minus erga Deum habet fiduciam, totusque Deo innititur, suauiter ab illo deglutitur. Quando enim nosipsos ritè probamus, sicut Apostolus ait: *Probet*, inquit, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: ac deinde dignè & reuerenter hanc diuinam escam sumimus, tum, inquam, Deus

Cibi corporei sūptio qualis.

Digestio.

Quando nos Deus mâducet.



Lucæ 18.

Sinapij Dominici & diabolici discrimen.

1. Cor. 11.

nos vicissim manducat, & ab ipso deglutimur, decoquimurque. Hoc autem fit, quando à nobisipsis deficimus, & rebus omnibus perfectè morimur. Sicut cibus corporalis quo decoquitur amplius, eo magis à se deficit, & sibijpsi fit dissimilior. Verum autem à Deo comestus & deglutitus sit, necne, si quis scire voluerit, attendat si se in Deo, & Deum in se sentit, & si se nusquam nisi in Deo, nec aliquid in se præter Deum inuenit. Ipse namque dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo* Porrò si etiam digeri siue concoqui voluerit ab eo, à seipso prius deficiat, ac veteri homini penitus moriatur oportet. Sicut & corporeum alimentum, si in hominis naturam transire debeat, prius à se deficere habet: & quælibet res si alterius rei formam siue naturam debeat induere, suam prius exuat oportet. Verbi gratia: Vt lignum mutetur in ignem, formam ligni perire necesse est. Sic ergo vt homo in Deum transformari possit, à seipso prius deficere habet. Deinde subiungit Dominus, & ait: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Hoc obtinere volenti, nihil æquè vtile est, vt ad sacram Communionem accedere. Sicut enim natura paulatim operatur, decoquit, & per omnes venas cibi virtutem diffundit attrahitque, donec cibus in hominis substantiam & vitam transeat: sic & hoc dulcissimum Sacramentum cum tempore magis ac magis hominem à peccatis & ab omnibus extra Deum auertit abstrahitque, donec tandem vetus homo & foris & intus penitus moriatur. Itaque si nôsse cupis, vtrum dignè hoc Sacramentum perceperis, vide si cor tuum magis abstractum sit ab omnibus extra Deum: & si vita, quam ipsum in te operatum est, foris appareat & operetur in exteriori homine tuo, in sensibus, in moribus, in conuersatione, in verbis, in actibus tuis. Ea nanque huius dignissimi Sacramenti natura est, vt quicquid malum, superfluum, inutile est, consumat, reijciat, expellat: quo facto, Deus & gratia subintrant. Tum verò Deus in hoc Sacramento attractus, seipsum foras exerit, & operatur in omni hominis vita, in amore siue voluntate, in intentione, in cogitationibus cuncta hæc magis noua, puriora, diuinioraque efficiens. Preterea Sacramentum istud omnem cordis cæcitatem eliminat, homini suijpsius confert notitiam, eumque tam à seipso quàm creaturis omnibus abstrahere, abscindere, auertere se docet, sicut scriptum est: *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Ad hæc, cibus iste hominem in se transmutat, ita vt tota illius vita à Deo, in quem per hunc cibum attractus & transformatus est, dirigatur ac informetur. Quod quisquis in se nõ sentit, sed potius cor suum vanitati & otio deditum ac vacuum, & extrinsecus se dissolutum ac leuem in risu, in verbis, in cultu corporis, stoliditati quoque vacantem, ac pretiosissimum per immoderatas sui recreationes perdentem tempus, & cor denique suum miserè negligentem inuenit, atque sciens & sponte talis perseuerat, ac nihilo minus ad hoc reuerendissimum accedit Sacramentum, magno se periculo exponit Credite mihi, vt stomachus cibum inconuenientem reijcit, sic Dominus Deus euomit eiusmodi hominem ex ore suo, multoque præstaret illi, non accedere. Talis confitetur, & tamen peccandi occasiones vitare renuit. Verum nec summus Pontifex, cuius suprema in terris potestas est, impœnitentem, & peccata fugere nolentem, absoluere potest, quanquam cum alijs viuifica Christi percipientem Sacramenta. Expediret certè, imò & necessarium foret, vnicuique bonum & expertum habere Confessorem, ex cuius iudicio vel accederet, vel abstineret. Quidam ita viuunt, vt sæpius: quidam, vt qualibet hebdomada semel

Quando & nos Deum, & Deus nos edat.

Ioan. 6.

Vitam cupienti quid maximè conducat.

Sacramenti venerabilis natura.

Eccl 15.

Quibus præstaret non accedere Dominicam mensam.

Quomodo se gerere debeat sumpturi Sacramentum.

possint accedere: alijs, singulis quibusque mensibus accessisse satis est. Et hi ante & post accessum per vnam hebdomadam, tam arctam sui habebunt custodiam, vt vix Ita vel Non proferre ausint: & in prandio quidem, quantum naturæ poscit necessitas, cibum potumqúe accipient: vesperi autem vix quatuor morsellos. Alij verò in præcipuis solennitatibus, alij in Paschæ festo accedere debent. Hi verò ad minus per totum ieiunium Quadragesimale sese præparabunt. Alij denique sunt, quibus Dominicum corpus semper est denegandum, ij videlicet, quos peccatorum suorum non pœnitet, nec firmum habent propositum à mortalibus peccatis abstinendi, & rectius instituendi vitam suam. Quicunque enim tales sunt, & nihilo minus absque sui probatione hæc viuifica percipiunt Sacramenta, in veritate *rei sunt corporis & sanguinis Christi: Ideò* (vt Apostolus ait) *multi sunt infirmi, & dormiunt multi.* Credite mihi, charissimi, non, vt vos arbitramini, ludus est, sed periculosum valde, indignè tantis Sacramentis se ingerere. Prorsus agitur hîc de anima & corpore. Et reuera quisquis non studiosè per omnia, sicut diuini verbi Concionatores Catholici è suggestu satis appositè & ordinatè docere solent, ad hunc dignissimum se cibum præparat, ita periculosè cadit, vt in hoc tempore periculosiorem haud possit ruinam facere. Quod vtinam attenderent multi, qui hebdomadibus singulis crebrò accedere volunt, non ex deuotione vel impulsu diuino, sed ex arida quadam consuetudine, vel quia alios id facere conspiciunt. Quod quidem commendari non potest. Enimuerò qui talis est, vt cupiat esse bonus, & peccatorum occasiones deuitet, si is singulis hebdomadibus hunc cibum salutiferum accipiat, non de sua iustitia præsumendo, sed cum reuerentia & timore, eò videlicet ne tepescat, vel in peccata ruat, & vt suæ succurrat infirmitati, non potest non commendari, si tamen cum sui Confessoris consilio id fiat. Equidem si flagitiosissimum aliquem conspicerem peccatorem, qui perfectè ab omni peccato se auerteret, & conuerteret ad Dominum Deum suum, per semestre libentius illi quotidie Christi Sacramentum porrigerem, quàm pigris ac tepidis hominibus istis. Credo enim me per hoc mundum in illo sensim extincturum. Cur autem hoc dignissimum Sacramentum in his tepidis ac pigris hominibus, tametsi aliquid de Deo gustauerint, tam parum operetur, & quamuis ipsi sæpè accedant, semper tamen pigri ac frigidi permaneant, duas causas esse deprehendi. Vna est, quòd occulta quædam vitia habent, per quæ impediuntur, siue illa interna sint, siue externa: verbi gratia, quia fortè in loquendo improuidi sunt ac minus circunspecti, quod quantum noceat, satis dici non potest. Quæso dilectissimi, curam vestri habetote: alioqui certò certius nunquam proficietis. Altera est, quòd hoc Sacramentum non ex actuali amore, sed ex arida tantùm consuetudine percipiunt. Certè quædam consuetudines valde bonæ sunt, vt quòd aliquis consuetus est secum manere. Multum namque nocet vobis dilectissimi, quòd vobiscum non manetis, neque fructum, effectum, & operationem cibi huius obseruatis. Operatur enim tertio vel quarto die, si modò ipsius operationem ritè obseruetis, & vobiscum maneatis: quod heu non facitis. Frustra autem fructum huius cibi consequi speratis, si non mente estis ad Deum conuersi, illi amarosè adhærendo, libenterqúe vobiscum manetis. Hæc autem mentis ad Deum conuersio perpetua erit, atque in locis omnibus, in modis & operibus omnibus, & apud homines quoscunque, quibus necessitas vel vtilitas adesse cogit, quod tamen fiat rarissimè breuissimeqúe, conseruanda

[Margin notes:]
1. Cor. 11.

Crebræ mensæ Dominicæ frequentatio, qualis.
Duæ teporis quorundam causæ.
I.
II.
Qui seu quando Sacramenti virtus operetur.

O si libenter vobiscum maneretis, operaretur certè in vobis & per vos hoc dignissimum Sacramentum, atque excellenter in ipsum transformaremini: dareturque vobis illud à sacerdotibus omnibus vltra citraqúe mare constitutis, & fortè multo vberiori cum fructu, quàm sacerdotibus ipsis. Hoc enim & fidelis quisque quotidie per omnia sacerdotum exercitia desiderare debet: quod certè mirum in modum prodest, si cum actuali ad Deum conuersione & intentione fiat. Præstet nobis Dominus Deus, vt hoc salutiferum Sacramentum dignè semper & puris mentibus accipiamus. Amen. Secû manere, quid habeat energiæ.



IN EADEM CELEBRITATE.

De tribus gradibus dignæ Communionis: quorum Primus est animo resignato internam Dei reprehensionem sustinere: Secundus, perfecta omnis proprietatis abdicatio & extinctio: Tertius est, internam, quæ ex hac mortificatione nascitur, pressuram sponte atque animo benigno tolerare.

SERMO II.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo. IOAN. VI.



VANTA sit, dilectissimi, huius præstantissimi Sacramenti, cuius festa nunc agimus, dignitas & excellentia, nec omnia valent corda capere, nec linguæ omnes explicare: sed neque ipsum Sacramentum dignè perfecteqúe laudare sufficiunt, ad quod quidem omnia nostra exercitia referenda sunt, vtpote in quo tota consistit salus nostra. Libet hic iterum sacra diui Bernardi verba assumere, quibus ille, de hoc excellentissimo Sacramento loquens, vtitur, similitudinem trahens à corporali comestione, vbi primò teritur cibus, deinde deglutitur, postea decoquitur, ad extremum digeritur, consumiturqúe. Et licet, vt etiam aliâs dixisse me memini, parum ista ciuiliter dicantur, quia tamen rem ipsam melius aperiunt, non sunt aspernanda: cauendumqúe est vnicuique subtilioris intellectus homini, ne à superbiæ spiritu seducatur. Qui enim verè pauperes & humiles spiritu sunt, illis semper humilia & exigua sapiunt: de quibus Dominus loquens, ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, id est, humilibus. Itaque præcellentissimum hoc Dei opus, hancqúe ineffabilem eiusdem & profundissimam humilitatem, quòd tam sponte, tamqúe hilariter sub humili & crassa specie panis & vini, seipsum nobis instar cibi corporalis per os sumendum tribuit, oculis interioribus, rationali adspectu, & magna cum dilectione & laude intueri debemus. Quare enim tali modo se nobis sumendum præbuerit, ea potissima ratio est, quòd sese nobis tam intimè cum omni bonitate sua imprimere, atque effundere in nos, simulque nobis vnire desideraret, vltra quàm sensibus capi possit. Poterat ille quidem, si voluisset, sublimiori ac subtiliori modo se nobis relinquere, cum ingenti videlicet splendore & claritate, quemadmodum S. Hildegardis dicit quotidie inuisibiliter fieri. Sicut & breui contigit, sororem quandam siue Monialem Ordinis nostri, ineffabili claritate sacerdotem quendam Missæ Sacrum peragentem & altare circundari, Angelos quoque & alia multa visu iucunda atque pulcherrima, oculis corporalibus solam intueri. Quare

Subtilibus quid potissimè cauendū.

Matth. 11.

Cur ita Sacramẽtaliter nobis se Christus dederit.

Digna Corporis Dominici sumptione nil melius.

autem humiliorem potius modum elegerit, iam dixi. Vnde in hoc gratiæ tempore nullum vtilius, nullum melius, nullum fructuosius potest haberi exercitium, quàm sit dignè humiliterqúe ad sacram Communionem accedere: sicut econtra nihil periculosius, nihil est terribilius, quàm hoc dulcissimum Sacramentum indignè & animo accipere impræparato. Hinc sacer ait Dionysius Areopagita, quòd ad hoc Sacramentum accedere volens, quatuor in se habere debeat. Primò, vt sit purus & innocẽs ab omni peccato. Secundò, vt sacris Christi virtutibus sit exornatus atque vestitus. Tertiò, vt à seipso deficiens, in Deum transformetur. Quartò, vt templum Dei fiat. Quæ nobis paulo apertius sunt explicanda: & primò, vt homo debeat esse immunis à peccato. Quando aliquis peccata sua intus agnoscit, eademqúe confitetur & pœnitentiam suscipit, aliaque secundùm Ecclesiæ institutionem facienda facit, atque ex imo pectore & intima peccatorum suorum agnitione ingemiscit, quod vtique multo amplius eum purgat purificatqúe, quàm vel legere, vel orare: sicqúe præterea integram deinceps, quantum humana sinit fragilitas, non peccandi, & peccatorum occasiones diligenter fugiendi habet voluntatem: hæc omnia ipsum ab omnibus præteritis peccatis absoluunt, expediuntqúe. Iam quòd secundò Christi virtutibus debeat esse vestitus, intelligendum est de humilitate, mansuetudine, obedientia, castitate, puritate, patientia, misericordia, taciturnitate, communi dilectatione, & his similibus. Hinc tertiò vbi his virtutibus homo vestitus est, iam penitus deficit à seipso, & in quadam interna, vera, diuina pace constituitur, ac in seipso felicissimè experitur, quàm verissimè Dominus dixerit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo.* Hanc verò pacem diligenter ac seriò seruare curabit, ne quomodo quibuslibet verbis aut operibus perturbetur: ita vt si etiam totam ciuitatem hanc Coloniam flamma vorax deuoret, aut quælibet ei occurrat aduersitas, in hac semper pace immobilis perseueret. Cæterùm pax ista non est exterior sensualis naturæ pax, sed interna quædam pax spiritus in solo Deo. Quanto enim homo perfectius Deo vnitus est, tanto & abundantiori pace gaudet: quantoqúe extra Deum est, tanto & minus pacis habet. Quicquid illius in Deo est, hoc pacem habet: quicquid extra Deum, hoc perturbationi subiacet. Itaque vt ad quartum veniamus, vbi hanc quis pacem adeptus est, propriè ac reuera fit templum summi Dei. *In pace* nanque (vt Psalmista ait) *factus est locus eius.* Fit, inquam, templum Spiritus sancti: qui tunc omnia illius opera in ipso & per ipsum operatur, nihilque iam homo agit ex seipso, sed Spiritus sancti duntaxat organum est, per quod suum ille perficit opus pro sua gratissima voluntate. Videamus nunc dilectissimi, quid ea sibi D. Bernardi verba velint, quibus ille ait: Et manducat nos Deus, & manducatur à nobis. Manducare Dei, nihil aliud est, quàm reprehensio & remorsio conscientiæ nostræ. Neque tamen solus ipse nos arguit, sed etiam ab omnibus nos vult creaturis argui & reprehendi. Haud secus enim deuotum quenque maligni spiritus venantur, fatigant, persequuntur, quàm feram Imperatori pro munere donandam canes venatici: qui mirũ in modum ipsam feram insequuntur, venantur, dilaniant, & captam mordicus tenent. Atque ita laboriosè capta & fatigata, multo Imperatori gratior est, quàm si nullo negotio capta fuisset. Ita nimirum & cælestis Imperator, Deus æternus & adorandus, huiusmodi cibo in venatione tam studiosè fatigato exercitatoque libenter vescens, fidelem quenque seruum suum

Quæ quatuor communicaturo habenda.

Ioan. 6.

Psalm. 75.

Bernardus.

varijs

varijs modis exerceri ac fatigari permittit. Ad hoc autem speciales habet canes suos, puta spiritus immundos, qui eiusmodi hominem à diuersis, sordidis ac spurcis molestant & venantur tentationibus. Vndique tendunt insidias, ab omni parte fraudē moliuntur, & modò per superbiam, modò per auaritiam, modò per luxuriam, quandoque per desperationem, sæpius per inordinatam tristitiam, & modò hac, modò illa ratione diuersis hominem vitijs & tentationibus impugnant, vexant, persequuntur. Quisquis autem ille es, qui ista pateris, tantum viriliter age, & immobilis perseuera in Deo tuo. Si enim vnquam ad aliquem perfectionis gradum pertingere debeas, omnino te sic exerceri, exagitarique oportet. Deinde accedit & mundus, accedunt homines, & duris atque crepantibus verbis, falsisque iudicijs suis te adoriuntur, venantur, fatigant. Insuper accedunt etiam proprij defectus tui, & naturalis procliuitas siue propensio ad malum. Itaque dum hoc pacto ab omnibus, quæ tibi appropinquant, vexaris & exerceris: per humilitatem, mansuetudinem, patientiam hominibus illis excæcatis, qui te venātur & persequuntur, & tibi tanquam omnino malo detrahunt, miserationis affectum impende, dicens ex pio & amoroso corde: O æterne ac benignissime Conditor meus & omnium creaturarum, miserere illis & mihi. Caue autem diligenter, si consultum cupis animæ tuæ, ne per arbusta, vel sentes, vel dumeta fugias, sed feram potius imitare, recto planoque gradientem itinere, nec vllos dantem latratus, neque morsus intentantem. Vide obsecro, ne instar canum diros latratus edas, atque ad remordendum linguam exeras. Habet enim cælestis Imperator Deus ac Dominus noster canes suos venaticos vbique & in omni loco, in inclusorijs, in monasterijs, in domibus, in syluis, in oppidis. Oportet enim vt creaturæ omnes electos quosque Dei in Deum ire compellant. Cæterùm vt cerui ex venatione oppidò fatigati, acerrima siti corripiuntur, ita & tu, quicunque hęc pateris, recta perge via in Deum tuum, ad ipsum nouo cum feruore adspira. Cur enim ita impellaris, ista nimirum ratio est, vt ipsum sitias, ad ipsumque vehementer adspires. Permittit enim Deus vnumquenque exerceri ac fatigari, quantum ei vtile esse perspexerit ac necessarium. Fortiter ergo per humilitatem, mansuetudinem, patientiam curre, atque ita mirum in modum emollieris, & *super mel & fauum* dulce de te ipso Domino præbebis edulium. Si enim probè te in his gesseris, atque patientiam constanter tenueris, per hæc ad summam perfectionem facile pertinges, quippe quę vltro tibi allabetur, per eas videlicet, de quibus prędiximus, pręclarissimas virtutes, humilitatem dico, misericordiam, & dilectionem Dei & proximi, è quibus hæc posterior, vtpote generalis siue communis dilectio, adeò in toto orbe terrarum & locis omnibus refriguit, vt nemo satis dolere queat. Vnde si quis talis haberi potest, qui eo, quem diximus, modo studet viuere, & fundum istum veraciter excolit prosequiturque, cuiuscunque demum status aut conditionis ille sit, huic fideliter prouidendum est. Denique qui matrimonij vinculis sint obstricti, ab ipsis filijs suis, imò alter ab altero, hoc est, vel maritus ab vxore, vel vxor à marito: similiter qui in Monasterijs viuunt, à se inuicem exerceri habent & fatigari. Et hoc ipsum in vera sui resignatione & cum silentio sufferre debent. Hæc autem sui in quarumlibet creaturarum persecutione patiens resignatio, coram Deo & omnibus electis eius quæcunque bona exercitia, quæ Dei amore & possunt & debent fieri, multis modis superat & excellit. Et reuera quisquis ita se resignare nouit,

Insidiæ diabolicæ.

Exerceri quos qualiter oporteat.

Morso non remordere liceat.

Charitas quàm vbique frigeat.

nouit, ad præclarissimum hoc Dominici corporis Sacramentum dignè accedit: ad quod indignè, & præsertim cum seculari corde, & fundo sponte scienterque quarumlibet rerũ creatarũ inordinato amore possesso accedere, nimis periculosum est. Quotquot autẽ paratos se inueniunt ad sufferẽdum & relinquendum omnia, quæ ex Dei voluntate sufferre, atque relinquere se debere perspexerint, ipsamq; Dei correptionem & reprehensionem sustinent patienter, necnõ à Deo & creaturis omnibus exercitati, exagitati, tentati, nihilominus in virtutum studio perseuerant, & seruant patientiam: hi tales quoties accedere debeant, ex subditis colligere licebit: Si Dei reprehensio magis ac magis in eis inualescit, & eam ipsi miti ac humili cum resignatione sustinent, si amor Dei in ipsis augmentum capit, si rerum labentium sitis in eis extinguitur, si denique ex crebro accessu timor filialis ac reuerentia erga hoc dignissimum Sacramentum in anima ipsorum non solum non minuuntur, sed augentur etiam: hæc, inquam, si in se veraciter deprehendunt, sub sole nullum melius habere poterunt exercitium, quàm vt pretiosissimum corpus Domini nostri Iesu Christi percipiant. Quoties autem percipere debeant, B. Ambrosius super verbis illis orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* satis indicat. Sed vbinam hodie tam pium ac liberalem aliquem licebit sacerdotem inuenire, qui nobis quotidie Dominicum corpus præbeat? Verùm si cui id à sacerdote contingat denegari, nihil moueatur, nec animo perturbetur, sed in vera sui resignatione ac integra perseueret pace, atque in suum se nihilum demittat, sitqúe securus & certus, quòd indubitatò spiritaliter illi idipsum corpus Dominicum præstabitur, & fortasse multo vberiori cum fructu, quàm si Sacramentaliter percepisset: manducabit enim illud, ipsoqúe fruetur in spiritu, sicut ipse Dominus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo*: quod vtique certo certius ipsi continget. Et hic est vnus dignæ communionis gradus, præter quem adhuc alij duo sunt, multo hoc ipso digniores, sublimiores, excellentioresqúe: ex quibus alter cognitionem habet & sensum seu experimentum, alter verò experimentum absque cognitione: alter est, penitus ac purè deficere ac mori omni proprietati & sensualitati: alter verò est, internam illam pressuram, quæ ex hac sui mortificatione nascitur, patienter sustinere. Quanto autem quisque plus proprietatis habuit, & in suis conceptibus ac proprietate amplius quieuit, tanto & pressura grauior & acerbior sit oportet. Cæterùm vt hæc apertius intelligantur, ea nobis D. Bernardi verba consideranda sunt, quibus ait: Coquor, dum destituor. Planè sicut cibus in stomachum delapsus, quò magis decoquitur, eò amplius à seipso deficit: ita & homo, si veraciter ac purè Deo vniri, & in ipsum transformari debeat, omni prius amori sensuali, omni proprietati, omni operationi, omnibus propriæ voluntatis institutis siue conceptibus, & denique vniuersis illis, in quibus seipsum malè quæsiuit & possedit, mori eum funditus oportet. Duæ nanque substantiæ & duæ formæ simul in eodem subsistere nequeunt. Si calor succedere debeat, frigus omne prius abscedere habet: hoc est, si vis vt Deus purè veraciterqúe mentis tuæ subeat domicilium, quicquid in te creatum est, & proprietatem omnem seu possessa abs te omnia, prorsus abscedere oportet: & si ipse propriè in te operari debeat, te patientis vicem agere, cunctasque vires tuas omni actione & proprietate, imò & seipsis penitus destitutas esse, & in mera quadam suiipsarum abnegatione, ac in ipso suo

nudo

Quibus quoties & qua cautione mẽsa Domini accedenda.

Matth. 6.



Spiritalẽ Communionem nemini negari.

Ioan. 6.

Tres dignæ Cõmunionis gradus.

Contrarijs contraria pelli.

nudo nihilo consistere necesse est. Huic autem nihilo quo se immerserint altius, tanto ipse perfectius, essentialius, verius, profundius Deo vnieris. Et reuera si quis intus in anima tam perfectè, sicuti est, suum agnosceret nihilum, (modò id possibile foret) vt purissima sanctissimaqúe Domini Saluatoris anima ipsum intellexit, habuitqúe perspectum, tam is excellenter Deo vniretur, vt ipse Dominus IESVS Christus. Quantum enim à seipso quisque deficit, tantum in Deum proficit. Ad hæc, si vis vt Deus verè loquatur in animam tuam, omnes illius vires penitus sileant oportet, vt videlicet iam non ipsæ agant, sed à suo actu deficiant, & diuinam patiantur operationem. Si enim ita in natura agitur, vt cibus corporeus in eam transire ac mutari non possit, nisi prius forma sua penitus destituatur, adeoqúe sibi fiat dissimilis, ac si nunquam ante cibus fuisset, multo sanè amplius in anima & spiritu ita fieri necesse est. Aduertendum est autem, nihil hîc æquè obesse homini, quàm quòd intellectus siue ratio nimium se hîc admiscet, vultqúe simul cooperari, scire cupiens quidnam sit quod in anima agitur, nec, vt oportebat quidem, à seipso studet deficere. Quod vos, dilectissimi, summopere cauere moneo, si tamen Deum amatis, & salutis vestræ iacturam facere non vultis. Huc verò si nonnihil Communio sacra vobis confert, id est, si ex Sacramenti perceptione, ad mortificandum penitus abnegandumqúe vosipsos, & proprietatem ac sensualitatem omnem magis inardescitis, & vires vobis augentur: licet vobis in hebdomada bis, terve, vel etiam quotidie ipsum suscipere, ita tamen, vt cum sitibundo desiderio id fiat. Cæterùm in his, qui in hoc omnimodæ suijpsorum mortificationis gradu rectè sunt positi, intolerabilis quædam pressura oriri solet, ita vt mundus vniuersus nimis eis angustus videatur, vnde frequenter mirum in modum, prægrauatur premiturqúe natura, vt iam nec ipse homo scire possit quid patiatur. Sed ego facile dixero. Mortificatio sui hanc ipsi parit angustiam, quod videlicet ægrè velit mori, cùm tamen ipsum in seipso mori necesse sit. In hac morte spiritali vera probatur illa Apostoli sententia, qua ait: *Mortem eius annuntiabitis, donec veniat: annuntiabitis,* inquit, non quidem verbis aut cogitationibus, quod vtique parum est, sed vosipsos per virtutem mortis illius abnegando & mortificando, & à vobisipsis deficiendo. In hac autem angustia & pressura constitutis, tria ad tempus deserenda sunt, vtpote quæ à profectu saltem in hoc statu ipsos remorantur: sunt autem corpus Dominicum, Verbum Dei, & propria exercitia. Quicquid enim releuare eos potest, impedimentum eis præstat. Vnde si hanc pressuram animo benigno & spontaneo possent sustinere, ita vt foras pro solatio vel consilio habendo non egrederentur, sed nec foras erumperent: multo id eis esset vtilius, quàm quæuis etiam opera, quæ facere possent. Sed heu multi se domi continere nolunt, & pro consilio & auxilio vbicunque possunt quærendo, ad Doctores properant, de vno ad alium discurrentes, nec tamen aliquid solatij reportant vel remedij. Qui si modo prædicto se gererent, atque ad suum sese reciperent fundum, vbi Deus semper præsentissimus adest, in ipsoqúe perseuerarent, ipse Deus, qui est vera essentia, in eis reuera nasceretur. Verùm quàm multi hîc miserabiliter multipliciterque deficiant, dum naturæ, seipsam in omnibus subtiliter & occultè quærenti, & ideò pressuram & afflictionem hanc semper euadere & excutere, quantum potest, cupienti atque nitenti, plus satis consentiunt, dici non potest. Accedit enim intellectus, & aliquod

Quid homini hac in re maximè obsit.

Quoties pro homini cõmunicandũ.

1. Cor. 11.

Quàm variè spiritalis homo impugnetur.

quod obiectum habere cupit: accedit ipsa hominis ratio, & intus ei loquitur: Quid, inquiens, miser agis? cur non certo alicui incumbis exercitio? Cur adeò teipsum in omnibus prorsus negligis? Accedit præterea spiritus malignus, & fallaciter eum alloquitur, dicens: Quid hîc sedes tempus perdens? Exi hinc, & aliquid fac operis boni, aliquod exercitium assume. Post hæc etiam homines externi, & omnis spiritalis vitæ rudes & ignari, qui in suis propriæ voluntatis exercitijs & modis seipsos possident, accedunt & dicunt: Quid hîc resides? cur non potius audis verbum Dei? Planè omnes isti canes venatici sunt, & sæpius miser homo cum eis pariter canis venaticus efficitur, contra seipsum latratus quosdam edens, ac intra se dicens sibijpsi: Quid est quod agis? Aliquod reuelamen atque remedium contra hanc pressuram ex sacra Communione quærendum est: & ita pro habendo auxilio, accedit ad corpus Christi. Atqui in hac pressura nec in ipso Sacramento ex intentione releuamen quærendum est. Certè si quis hac pressura & afflictione correptus, ad me veniret, mihiqúe pro certo constaret, eum pro habendo releuamine à me Dominicum poscere Corpus, exercendi eum gratia quærerem ex eo, quis ipsum ad me misisset, vtrum videlicet Deus, an natura pro habendo releuamine, an certè consuetudo. Et si ex duobus posterioribus eum ad me venire intelligerem, haudquaquam illi Christi administrarem Sacramentum, nisi fortè hac sola de causa, quòd natura ipsius tam foret infirma ac debilis, vt pressuram hanc & crucem ad finem vsque tolerare non satis sufficeret. In hoc casu semel aut bis eiusmodi homini in hebdomada sacram licebit Communionem accipere, non pro habendo releuamine & liberatione, (quam si sentiret, præstaret abstinere) sed vt pressuram hanc tanto melius ad vltimum vsque punctum sufferre possit. Certum est enim, quòd nisi hæc pressura & afflictio præcedat, nunquam in homine diuina natiuitas peragenda sit. Quicquid autem ab hac eum pressura absoluit, hoc ipsum sese in eo generat, & diuina eum spoliat natiuitate, quæ reipsa in eo perageretur, si ad finem vsque pressuram hanc sustinuisset. Sed ea naturæ infectio est, vt potius Romam ire parata sit, quàm angustiam hanc ad vltimum vsque punctum perpeti, quod tamen reuera multo homini vtilius esset, quàm quælibet etiam exercitia vel opera, quæ interim peragere posset. Multo enim melius est pati quàm agere. Fit autem sæpenumerò, vt hac afflictione correptis in mentem veniat dulcedo, quam in venerabilis Sacramenti perceptione, & diuini verbi auditu interdum sensêre, iamqúe natura fragilis & afflicta eadem percipere appetit. Sed hæc omnia illi subtrahuntur, cogiturqúe seipsam funditus ad exilium quoddam & mortem resignare: & hinc adeò grauatur, vt nulla ei mors acerbior queat accidere. Nolim autem, dilectissimi, ita vos hæc mea dicta suscipere, quasi sacram Communionem, & verbi Dei auditionem, vobis penitus interdicam. Absit enim hoc à me. In prioribus enim duobus gradibus constitutis, nil potest esse vtilius ad verum viuumque profectum obtinendum, quàm pretiosissimum Domini Saluatoris Corpus percipere, & Dei verbum audire, quippe quæ omnibus sunt potiora excellentioraque: sed in hoc tertio gradu positis releuamen ac solatium omne non parum præstat impedimenti. Haud secus enim agunt eiusmodi, dum releuamen cupiunt, quàm si Deo omnipotenti dorsum objiciant, & apertis vocibus dicant: Nolo te, sed aliò me conferam. Quod quidem non minori Dominum afficit iniuria, quàm si denuò crucifigeretur, dum videlicet pre-

Canes venatici mystice qui.

An Sacramentum solatii gratia petendum.

clarissimum opus suum in eis peragere non sinitur, imò prohibetur etiam. Sed quàm infinitum ac excellentissimum bonum negligant isti, dum pressuram hanc absque omni solatio & releuamine sufferre nolunt, nemo verbis consequi possit. Transeamus nunc ad ea quoque D. Bernardi verba consideranda, quibus ait. Digeror, dum transformor; vnior, dum conformor. Sed quando tandem, ait aliquis, sæpe memorata finietur afflictio? quis eius terminus? quó ve tandem hominem à seipso deficientem perducet? Ad iucundissimum quendam finem, nimirum ad felicissimam vnionem Dei, qua in Deum transformatur, Deoque vnitur & conformatur. Quod nobis Paulus Apostolus, sicut ipse hoc veraciter in tertij cæli schola, in diuinæ claritatis speculo didicerat & fuerat contemplatus, liquidò satis probat, dum ait: *Nos vero omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Qui quomodo spiritum hominis in se trahat, rapiat, transformet: (quemadmodum diuo Augustino Dominus ait: Tu mutaberis in me) vt, inquam, ista mutatio fiat, illi feliciter experiuntur, qui viam memoratam ritè ambulârunt. Contingunt autem eis prædicta omnia, non in multiplicitate, sed in pura quadam simplicitate, de quo paucis aliquid dici non potest. Est inuenire quosdam in prędictis exercitijs positos, quibus hæc pura transformatio velut in supernaturali quadam coruscatione repente contingat, nonnunquam semel aut bis in hebdomada, interdum semel, bis, térve, aut sæpius in die, quoties videlicet diuina id eis præstat miseratio, & ipsi ad intimum animæ suæ fundum sese recipiunt. Contingit autem quandoque cum discretione quadam, quandoque sine omni discretione in quadam caligine. In hoc autem statu homines isti amore vulnerante tanguntur. Alij verò iam confirmati & absorpti & intro recepti sunt in amorem ligantem. Porrò quid in hoc raptu seu absorptione agatur, satius foret experiendo assequi, quàm balbutiendo aliud inde fari. Illi verò sic intro recepti siue rapti homines, longè resignatiores ordinatioresqúe efficiuntur prę cæteris quibusuis hominibus, qui ad hunc deiformem fundum minimè pertigerunt. Præstet nobis, dilectissimi, benignus Conditor noster, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt omnes ita nos præparemus, tamqúe purum & expeditum semper ipsi exhibeamus fundum, vt sine impedimento sublimia intra nos opera sua perficere queat ad laudem & gloriam suam. Amen.

Bernardus.

2. Cor. 12.

2. Cor. 3.

IN EADEM SOLENNITATE.

De mirabili operatione & vnione, quas hoc excellentissimum Sacramentum in vnoquolibet deuoto ac resignato homine operatur: Et quanto cum fructu & vtilitate Christus Iesus seipsum nobis in hoc eodem Sacramento sumendum præbeat.

SERMO III.

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, &c. IOAN. VI.

NVLLI dubium est, dilectissimi, quin tanto homines ad agendas gratias, ad laudandum, honorandum, colendumque Deum, & eidem seruiendum sint adstrictiores obligatioresqúe, quanto plura illius dona & beneficia perceperunt. Porrò cùm cætera quidem exercitia omnia, cunctaqúe charismata, viæ quædam &

quod obiectum habere cupit: accedit ipsa hominis ratio, & intus ei loquitur: Quid, inquiens, miser agis? cur non certo alicui incumbis exercitio? Cur adeò teipsum in omnibus prorsus negligis? Accedit prætcrea spiritus malignus, & fallaciter eum alloquitur, dicens: Quid hîc sedes tempus perdens? Exi hinc, & aliquid fac operis boni, aliquod exercitium assume. Post hæc etiam homines externi, & omnis spiritalis vitæ rudes & ignari, qui in suis propriæ voluntatis exercitijs & modis seipsos possident, accedunt & dicunt: Quid hîc resides? cur non potius audis verbum Dei? Planè omnes isti canes venatici sunt, & sæpius miser homo cum eis pariter canis venaticus efficitur, contra seipsum latratus quosdam edens, ac intra se dicens sibijpsi: Quid est quod agis? Aliquod reuelamen atque remedium contra hanc pressuram ex sacra Communione quærendum est: & ita pro habendo auxilio, accedit ad corpus Christi. Atqui in hac pressura nec in ipso Sacramento ex intentione releuamen quærendum est. Certè si quis hac pressura & afflictione correptus, ad me veniret, mihiqúe pro certo constaret, eum pro habendo releuamine à me Dominicum poscere Corpus, exercendi eum gratia quærerem ex eo, quis ipsum ad me misisset, vtrum videlicet Deus, an natura pro habendo releuamine, an certè consuetudo. Et si ex duobus posterioribus eum ad me venisse intelligerem, haudquaquam illi Christi administrarem Sacramentum, nisi fortè hac sola de causa, quòd natura ipsius tam foret infirma ac debilis, vt pressuram hanc & crucem ad finem vsque tolerare non satis sufficeret. In hoc casu semel aut bis eiusmodi homini in hebdomada sacram licebit Communionem accipere, non pro habendo releuamine & liberatione, (quam si sentiret, præstaret abstinere) sed vt pressuram hanc tanto melius ad vltimum vsque punctum sufferre possit. Certum est enim, quòd nisi hæc pressura & afflictio præcedat, nunquam in homine diuina natiuitas peragenda sit. Quicquid autem ab hac eum pressura absoluit, hoc ipsum sese in eo generat, & diuina eum spoliat natiuitate, quæ reipsa in eo perageretur, si ad finem vsque pressuram hanc sustinuisset. Sed ea naturæ infectio est, vt potius Romam ire parata sit, quàm angustiam hanc ad vltimum vsque punctum perpeti, quod tamen reuera multo homini vtilius esset, quàm quælibet etiam exercitia vel opera, quæ interim peragere posset. Multo enim melius est pati quàm agere. Fit autem sæpenumerò, vt hac afflictione correptis in mentem veniat dulcedo, quam in venerabilis Sacramenti perceptione, & diuini verbi auditu interdum sensêre, iamqúe natura fragilis & afflicta eadem percipere appetit. Sed hæc omnia illi subtrahuntur, cogiturqúe seipsam funditus ad exilium quoddam & mortem resignare: & hinc adeò grauatur, vt nulla ei mors acerbior queat accidere. Nolim autem, dilectissimi, ita vos hæc mea dicta suscipere, quasi sacram Communionem, & verbi Dei auditionem, vobis penitus interdicam. Absit enim hoc à me. In prioribus enim duobus gradibus constitutis, nil potest esse vtilius ad verum viuumque profectum obtinendum, quàm preciosissimum Domini Saluatoris Corpus percipere, & Dei verbum audire, quippe quæ omnibus sunt potiora excellentioraque: sed in hoc tertio gradu positis releuamen ac solatium omne non parum præstat impedimenti. Haud secus enim agunt eiusmodi, dum releuamen cupiunt, quàm si Deo omnipotenti dorsum obijciant, & apertis vocibus dicant: Nolo te, sed aliò me conferam. Quod quidem non minori Dominum afficit iniuria, quàm si denuò crucifigeretur, dum videlicet præ-

Canes venatici mystice qui.

An Sacramentum solatij gratia petendum.

clarissimum opus suum in eis peragere non sinitur, imò prohibetur etiam. Sed quàm infinitum ac excellentissimum bonum negligant isti, dum pressuram hanc absque omni solatio & releuamine sufferre nolunt, nemo verbis consequi possit. Transeamus nunc ad ea quoque D. Bernardi verba consideranda, quibus ait. Digeror, dum transformor; vnior, dum conformor. Sed quando tandem, ait aliquis, sæpe memorata finietur afflictio? quis eius terminus? quóve tandem hominem à seipso deficientem perducet? Ad iucundissimum quendam finem, nimirum ad felicissimam vnionem Dei, qua in Deum transformatur, Deoque vnitur & conformatur. Quod nobis Paulus Apostolus, sicut ipse hoc veraciter in tertij cæli schola, in diuinæ claritatis speculo didicerat & fuerat contemplatus, liquidò satis probat, dum ait: *Nos verò omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Qui quomodo spiritum hominis in se trahat, rapiat, transformet: (quemadmodum diuo Augustino Dominus ait: Tu mutaberis in me) vt, inquam, ista mutatio fiat, illi feliciter experiuntur, qui viam memoratam ritè ambulârunt. Contingunt autem eis prædicta omnia, non in multiplicitate, sed in pura quadam simplicitate, de quo paucis aliquid dici non potest. Est inuenire quosdam in prędictis exercitijs positos, quibus hæc pura transformatio velut in supernaturali quadam coruscatione repente contingat, nonnunquam semel aut bis in hebdomada, interdum semel, bis, térve, aut sæpius in die, quoties videlicet diuina id eis præstat miseratio, & ipsi ad intimum animæ suæ fundum sese recipiunt. Contingit autem quandoque cum discretione quadam, quandoque sine omni discretione in quadam caligine. In hoc autem statu homines isti amore vulnerante tanguntur. Alij verò iam confirmati & absorpti & intro recepti sunt in amorem ligantem. Porrò quid in hoc raptu seu absorptione agatur, satius foret experiendo assequi, quàm balbutiendo aliud inde fari. Illi verò sic intro recepti siue rapti homines, longè resignatiores ordinatioresqúe efficiuntur prę cæteris quibusuis hominibus, qui ad hunc deiformem fundum minimè pertigerunt. Præstet nobis, dilectissimi, benignus Conditor noster, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt omnes ita nos præparemus, tamqúe purum & expeditum semper ipsi exhibeamus fundum, vt sine impedimento sublimia intra nos opera sua perficere queat ad laudem & gloriam suam. Amen.

Bernardus.
2. Cor. 12.
2. Cor. 3.

IN EADEM SOLENNITATE.

De mirabili operatione & vnione, quas hoc excellentissimum Sacramentum in vnoquolibet deuoto ac resignato homine operatur: Et quanto cum fructu & vtilitate Christus Iesus seipsum nobis in hoc eodem Sacramento sumendum præbeat.

SERMO III.

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, &c. IOAN. VI.

NVLLI dubium est, dilectissimi, quin tanto homines ad agendas gratias, ad laudandum, honorandum, colendumque Deum, & eidem seruiendum sint adstrictiores obligatioresqúe, quanto plura illius dona & beneficia perceperunt. Porrò cùm cætera quidem exercitia omnia, cunctaqúe charismata, viæ quædam &

præparationes sint, per quas ad Deum & in Deum homo perducatur: hoc donum, Corpus dico & Sanguinem Christi Diuinitati vnita, finis est & præmium, imò Deus ipse, qui hîc seipsum per seipsum homini largitur, sesequé sine medio, sine omni distinctione, & absque aliqua similitudine, prorsus simpliciter & purè vnit eidem: ideoqúe superessentiale & superamabile hoc donum est, omnia longè superans & excellens. Huius autem Sacramenti licet specialis in Cœnæ Dominicæ die memoria habeatur, non potest tamen tunc dignè recoli, quandoquidem è vicino tunc Paschalis immineat solennitas, vt tam ob nostram infirmitatem, quàm illius dignitatem & excellentiam, haudquaquam illud, vt oportet, venerari possimus. Quam ob causam sancta Ecclesia hanc diem instituit, in qua illius celebrior memoria habeatur, simulqúe fideles omnes tota virtute, cunctisqúe sensibus suis stupendum hoc & admirabile diuinæ largitatis opus, ingenti cum gratitudine, laude & amore, etiam supra quàm humana sinat infirmitas, attendant, animoqúe reuoluant. Itaque & nos videamus, quid de hoc tanto Sacramento ipse Dominus dicat: *Caro mea*, inquit, *verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*. Sanè quicunque hoc Sacramentum extrinsecus tantùm vt panem adspiciunt & vinum, haudquaquam sciunt, neque gustu interno percipiunt fructus præclarissimos & ineffabilem dulcedinem, in hoc eodem Sacramento latentia. Enimuerò cibus quicunque corporeus, quo pro naturæ sustentatione homines vtuntur, vilis est in seipso & (vt ita dicam) mortuus: in hominis autem mutatus substantiam, vitam percipit, simulqúe nobilitatur in ipso. Hic verò cibus non modò viuit, sed est ipsa vitæ essentia: & quicunque ipsum dignè percipiunt, perenniter viuunt, sicut ipse Dominus apertè testatur, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Quod tamen cùm dixisset, multi ex discipulis eius audientes, dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? sicqúe retro abiêrunt, & iam non cum illo ambulabant*. Et quare durus eis erat hic sermo, nisi quia carnaliter & secundùm sensum carnis eum accipiebant? Hoc autem donum, hicqúe cibus, longè est supra omnes sensus. Hic planè cibus & is qui cibat, vnum sunt. De hoc ergo tàm excellentissimo cibo tria nobis dicenda sunt. Primò, de præclarissima illius dignitate. Secundò, de incomprehensibili fructu & vtilitate, quam per operationem suam adducit ipsum dignè sumentibus. Tertiò, qua nos ad ipsum ratione præparare debeamus. De his, quatenus diuina me gratia adiuuerit, dicturus sum: tametsi tam alta, stupenda, occulta & pretiosa sint hæc, vt cogitare non sufficiam, quibus hæc possim verbis exprimere, cùm prorsus ineffabilia sint, omnemqúe omninò intellectum & cogitationem tam Angelorum, quàm hominum, & omnium denique creaturarum cælestium atque terrestrium, longè excedant. Veruntamen si quis posset verè spiritalis, purus, internus & deuotus haberi, talis nonnihil hinc fortassis sciret per experientiam & gustum internum, sed verbis exprimere non sufficeret, nec alteri indicare, imò nec sensibus vllis aut intellectu apprehendere. Cæterùm multi nunc, proh dolor, etiam in habitu religioso inueniuntur, qui toto vitæ suæ spatio, à pueritia vsque ad senectam semper in propria voluntate sua ac proprijs conceptibus suis persistunt, exteriores quosdam modos & varia ac multiplicia priuatim opera assumunt, idque multum leuiter instabiliterque, modò hæc, modò illa, nec in eodem diu proposito perseue-

Cur venerabili Sacramento singulare Festum statutum.

Ioan. 6.

Ibidem.

Cur sermo Christi quibusdā durus.

De quibus tribus hic dicendum.

seuerant, & de loco & exercitio vno feruntur ad alia. Isti diuitias incomparabiles & præclarissimum thesaurum, in hoc Sacramento latentia, neque gustare, neque sentire valent, quippe quorum omnis deuotio, & quicquid percipiunt, in sensibus est, nec aliud aliquid nouerunt. Enimuerò hanc ineffabilem & incomprehensibilem præstantissimi Sacramenti huius dignitatem, nobilitatem, ac diuitias veraciter sentire & assequi cupientibus, cum primis necessarium est, vt abstractè viuant, cum Magdalena otio sancto vacent, solitariè degant, & in interioribus suis commorentur: hoc est, necessaria illis est abstractio, otium sanctum, solitudo, & interioris hominis sedula inhabitatio. Verùm non ita hæc accipienda sunt, quasi ad eam diuinitatis vnionem, quę in hoc Sacramento pręstatur, pertingi non possit, nec memoratæ diuitiæ incomparabiles in ipso latentes sentiri, nisi exercitia omnia & instituta, cunctaque exteriora opera prorsus abijciantur, otio vacetur, & singularis quidam arripiatur modus, quod tamen quidam putant, qui ijdem, si hac ratione non proficiunt, statim se hinc auertunt, seque pertingere posse desperant. Sed quæso, dilectissimi, nemo facilè se summum hoc atq; purissimum bonum assequi posse desperet, tanquam nulla hoc ratione obtinere queant. Si enim studium & diligentia adhibeatur, facilè Deum præclarissimumque hoc bonum in modis & exercitijs omnibus, & in quolibet vitæ genere obtinere licebit. Sed oportet vt seipsum quisque fideliter ac diligenter obseruet, & in omni multiplicitate, in institutis & operibus quibuscunque, apud homines quoscunque, in agendo quælibet & dimittendo, & in quibusuis demum exercitijs externis præsentem Dominum Deum suum adspiciat, & oculos cordis in ipsum defigat, ita vt maior illius pars introuersa sit, atque intro ad Deum suspiret, adspiciat, ipsique magis ac magis propinquare conetur. Vbi verò ab externis exercitijs præstatur otium, tunc totum se cum omni sui parte, cum viribus & sensibus omnibus intro recipiat, recolligat, vniat, & in animæ suæ fundum immergatur, absorbeaturque. Sanè quanta hic animæ conferatur dignitas, cùm ea prorsus ineffabilis sit, nec verbis explicare, nec intellectu capere valemus. Si enim tanta est claritas & puritas hominis in ea naturali dignitate & puritate, qualis erat Adæ Protoplasti ante præcepti transgressionem, in sola dico natura illa absque gratia constituti, vt nullius hominis intellectus satis eam queat comprehendere: quo tandem modo fieri possit, vt aliquis intellectus hanc superessentialem capiat abyssum, vbi cibus hîc vitalis cum homine miro quodam modo vnitur, adeoque eundem totum in se trahit, & in se transformat, vt nulla possit vnio coniunctior, nec transformatio verior perfectiorque cogitari, cùm longè verius anima hîc vniatur Deo, in ipsumque perfectius transformetur, quàm guttula vna aquæ ingenti dolio infusa, mutetur in vinum, aut sol cum splendore suo in eodem vitro vniatur, aut anima denique suo copuletur corpori, quę vnum hominem, vnamque substantiam constituunt? In hac autem vnione spiritus Deo vnitus, supra omnem infirmitatem, naturalitatem (vt ita dicam) & dissimilitudinem suam, supra omnes quoque vires suas, & supra seipsum rapitur, ibique purificatur & illustratur, omniaque opera, & totam vitam, cuncta exercitia & instituta illius Deus pertransit atque permanat, cunctaque hæc in diuinum quendam modum transferuntur, diuinaque redduntur. Hîc iam Verbum increatum in anima re ipsa nascitur, & (vt dixi) spiritus omnem perdit dissimilitudinem, atque in diuinam profluit vnitatem. Sicut

Quiddigne communicaturis necessariū.

Animæ cum Deo coniunctio quanta.

enim ignis in lignum agens, humorem, viriditatem, crassitiem illius absumit, ipsumque calidius, feruentius, sibique similius reddit, & quo lignum igni fit conformius, eo amplius omnis ab eo perit dissimilitudo: deinde breui interuallo temporis ignis omnem ligni materiam adeò absumit, vt iam lignum quoque ignis sit, omnisque intereat tam similitudo quàm dissimilitudo: vnum quippe cum igne lignum effectum est, nec iam illi simile dicitur, sed & ipsum quoque ignis appellatur: vnitas namque multiplicitatem nescit: Sic, inquam & spiritalis hic cibus spiritum hominis Deo vniti, extra omnem dissimilitudinem ad veram similitudinem, & extra hanc ad diuinam pertrahit vnitatem, vbi iam spiritus illuminatus ac purificatus, dissimilitudinem & similitudinem perdit, quippe in quo feruor diuinitatis igni amoris omnem absumpsit humorem, crassitiem, dissimilitudinem, idemque hic per cibi huius operationem in diuinitate se amittit: sicut & ea Domini verba testantur, quibus ad Augustinum ait: Cibus sum grandium. Cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Verùm antequam huc perueniatur, natura innumeras prius mortes subire habet: diuersæque, incognitæ, desertæ & mirabiles viæ calcandæ sunt, per quas Dominus hominem trahit, sibique mori docet. Sed quis dicere sufficiat, quàm præclarissima, fructuosissima, deliciosissima vita ex ipsis nascatur mortibus? Planè sibijpsi mori posse, ineffabile prorsus atque purissimum quoddam bonum est. Certè quotidiana experientia edocti scitis, dilectissimi, quòd cibus corporeus, panis & vinum, & quocunque alio vescimur, prius in seipso penitus corrumpi ac deficere habet, antequam in naturę nostrę substantiam transeat, eidemque vniatur. Multipliciter namque prius, vt ita dixerim, mori, funditusque in seipso corrumpi & perire ipsum necesse est, antequam perfectè delabatur ad stomachum: hic verò denuò à se deficere habet, priusquam ad hepar, ad caput, ad cor, & ad sensus perueniat, atque his ipsis vniatur, ac demum spiritalis fiat. Hic verò tam sibijpsi dissimilis effectus est cibus, vt nulla oculorum acies, nec sensus vllus discernere possit, certòque pronuntiare, cibum fuisse. Imò tam subtilis modò est, vt nulla possit ratio consequi vel intellectus, vbi, vel quomodo nunc operetur, vbi ve consistat: credi tamen potest, sed sensibus haudquaquam apprehendi. Sic ergo multo minus sciri vel intelligi potest, vt spiritus hominis in diuinam transeat, semper tamen creatura manens, vnitatem, cùm adeò hic ipse se perdat, vt nulli exploratum sit intellectui, an vnquam creatura fuerit. Verùm non desunt, proh dolor, homines stupidi ac stolidi, qui ista carnaliter accipientes, dicant se in diuinam naturam transformandos, quod quidem non solùm falsissimum, verùm etiam hæreticum est. Siquidem excellentissimam, intimam, coniunctissimamque creaturæ cum Deo vnionem, in immensum diuina excedit natura & essentia, quippe quæ prorsus infinita quædam abyssus est, quam certè nulla vnquam creatura comprehendere valebit. Enimuerò cùm nulla sit tam perspicax & subtilis creatura, quæ admirabiles cibi corporei meatus & vias, aut naturæ humanæ dignitatem, aut quo pacto anima in capite, manibus, pedibusque vitam operetur, ad plenum capere sufficiat: qua ratione fieri possit, vt aliquis abditissimam hanc abyssum penetret, sciatque quid præclarissimus hic cibus in spiritu puro ac illuminato operetur, tametsi miser exterior homo interim piger, somnolentus, & ad omnia indispositus sit: quandoquidem istud in ipso fundo in Deo abscondito agatur, sit-

Quibus ex mortibus qualis nascatur vita.

Spiritus in vnitatē diuinam transitus, qualis.



tur, sit-

tur, sitque abyssus quædam imperscrutabilis, vt inde garrire, disputare, disserere non omnibus fas sit? Est inuenire quosdam, qui vbi ter quatérve per diem sese recollegerint, bonis ac spiritalibus affluxerint cogitationibus, solitas preces suas absoluerint, cuncta ei in hoc studio successerint ex animi sententia, solatiumque & dulcedinem quandam perceperint, omnia se iam abundè peregisse, satisque bene secum agi arbitrentur. Verùm nimium adhuc à veritate aberrant, atque falluntur. Sumus enim omnes à Deo Optimo Maximo ad immensa atque sublimia bona capessenda conditi, vocati, inuitati: vnde satis molestè fert fidelissimus Deus noster, nos modicis his contentos esse. Nihil enim tam paratus est dare, quàm seipsum: & hoc supremo & excellentissimo modo. Quoties igitur aliquod illius donum percipimus, sensus, cor, desiderium, omnesque tam animæ quàm corporis vires ad Deum extendere, simulque cum his in Deum, abyssumque diuinitatis niti, ac æstuanti desiderio properare deberemus, quasi nihil ipso minus nobis sufficiat: idque non per sensus & imagines, sed modo quodam supernaturali. Tanta est enim, tam alta, tam profunda diuinitatis abyssus, vt nunquam aliquis illius vel sublimitatem, vel profundum, tam è vicino queat attingere, quin semper propinquius & sublimius accedere possit. Magnum itaque & incomparabile damnum multi sibijpsis arrogant, dum in solis sensibus & viribus inferioribus tota ipsorum versatur atque persistit deuotio, & in sola sensibili deuotione Deum accipiunt, adeò hac ipsa contenti, vt vltra in Deum ipsum tendere non curent: ideoque deficiunt omnes, nec vllum in virtutibus faciunt profectum. Sicut enim si alimentum corporeum in solo stomacho hæreat, nec ad cæteras corporis partes, ad caput videlicet, ad cor, & ad singula quæque membra dirigatur, naturam corrumpi ac deficere necesse est: ita etiam quicunque Deum in viribus inferioribus, in sensibus & cogitationibus duntaxat accipiunt, nec ad perfectiora aspirant, nunquam ad præclarissimum illud pertingunt bonum, quò nos Deus omnipotens per hunc excellentissimum cibum vocare & inuitare dignatus est, donec mentem cum omnibus tam supremis quàm infimis viribus suis Deo accommodent, applicentque, ac tota virtute exhibeant, etiam longè supra omnem virium suarum facultatem, cum pura ac simplici fide, viua tamen per opera bona & exercitia virtutum, non ficta, neque cogitata, extrinsecus in moribus & vita non relucente fide. Cùm autem Deus pius & benignus hominem vltra non posse cernit, occultè in ipso, nesciente natura, operatur, eumque supra naturam & naturæ modum euehit, idque potissimum in sacratissimi cibi huius digna perceptione. In isto namque Sacramento seipsum totum Deus essentialiter, personaliter, propriè ac veraciter præbet, nec vsquam alibi tam certò, facilè, propriè, sensibiliter memoratum Dei supernaturale præstatur auxilium. Quod cùm ita sit, meritò, quicunque ad supremam perfectionem cum amore adspirant & desiderio, ita vitam suam instituere curabunt, vt ad hunc vitalem cibum crebrò & opportunè accedere digni sint: & quotquot ex huius frequenti perceptione in amore Dei proficere se sentiunt, nec aliquem contemptum, incuriam, vilipensionem tanti Sacramenti suboriri, hi quanto frequentius accedunt, eo melius vtiliusque: sicut Augustinus apertè testatur, loquens de illis, qui inde proficere se sentiunt, & amore ac desiderio illius tenentur. Quòd si tales certis temporibus digni sunt cibum hunc percipere, quare

Quid Deus potissimum dare velit.

Comparatio efficax.

Quando & vbi Deus præcipuè operetur.

Quibus frequentissima mensæ Dominicæ accessio prosit.

quare non etiam quotidie digni & idonei esse possint, præsertim cùm dignitas hæc præcipuè non ex humanis operibus & meritis, sed ex gratia & meritis Domini nostri Iesu Christi proueniat, atque ex Deo in nos deriuetur, profluatque? Si ergo, inquam, semel in anno, aut mense, aut hebdomada homo spiritualis dignus est accedere, cur non etiam quotidie eandem gratiam capere queat, si modò desideret, & quod in se est, faciat, quantum quidem & facere potest & se facere debere intelligit? Equidem hominibus internis, ad supremam adspirantibus perfectionem, nullam certiorem, securiorem, compendiosiorem ad eam pertingendi viam noui: adeoque confidenter omnibus amicis meis id do consilij, vt si diuinum inde filialemq; timorem non deficere, amoremque & deuotionem erga tantum Sacramentum intra se crescere & augeri sentiant, frequenter ad ipsum accedant. Sicut enim si materia quælibet in ignem conuerti debeat, nulla id alia ratione facilius efficitur, quàm vt quàm proximè igni coniuncta, vim caloris illius magis ac magis in se recipiat: quod vbi fit, quamlibet humida, quamlibet lapidea vel etiam ferrea sit, si tamen ita perseuerat, ignis in eam operatur, sibique reddit consimilem, aut certè penitus in sui mutat naturam, maximè si talis sit materia, vt in ignem transire possit: ita sanè nemo adeò peruersus & durus est, nemo tot peccatorum humoribus abundat, nullus denique tam ad vitia propensus, & mundo creaturisque deditus est, si cum pia deuotione puraque intentione huic igni diuino crebrò se coniungat, quod in se est faciat, & apud ignem hunc stabilis perseueret, permaneatque: fieri non potest, quin aridum, lapideum, ferreum cor illius, prorsus igneum, molle, diuinum efficiatur. Nec enim alia compendiosior perfectiorque præparatio est ad Deum, quàm ipsius Dei. Quamobrem si crastina die ingens solennitas, vel insigne aliquod Festum agendum esset, in quo sacram Communionem percipere, atque ad hanc interim me præparare deberem: vicinior, compendiosior, sublimior me præparandi foret ratio, hodierna die misericordem Deum in venerabili Sacramento deuotè percipere. Quis enim melius, sanctius, diuinius me ad illius præparare posset susceptionem, quàm ipsemet, qui in hoc Sacramento seipsum accipit ad seipsum? Aut quo alio modo nimia imperfectio, carnalisque & vetus homo meus, natura quoque, mores & modi vetusti, amplius renouari, baptizari denuò & renasci poterunt, quàm verum & vnicum Dei Filium, verum, viuum, ac Deificum corpus, sacratissimum, mundantem, & abluentem sanguinem, sanctissimam animam & spiritum, amorosissimum cor, sempiternam diuinitatem, tenerrimam humanitatem, ac ipsam supersanctissimam Trinitatem & quicquid demum ipse est, habet & potest, in hoc Sacramento dignè deuoteque percipiendo? Quomodo enim minora negabit, qui donat maxima? aut quod illi donum præ excellentia illius largiri erit difficile, qui seipsum totum ex toto & dedit & daturus est? Credite mihi, non illius gaudium vel deliciæ sunt, extrinsecus tantùm in Sacramento apud nos commorari, sed esse cum filijs hominum, sicut ipse ait: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* hoc est, in mundis & amorosis cordibus & animabus habitare. Quod quisquis eum facere non sinit, aut quouis modo facere prohibet, gaudium illius & delicias se nouerit impedire. Ista omnia, dilectissimi, ex diuino munere, vt potui, dixi, quibus aliqua S. Thomæ dicta subiungam, notatu certè dignissima. Ait enim, quòd omnem gratiam, quam Christus, in mundum sensibiliter veniens, contulit mundo,

eandem

Quotidianus mensæ Domini accessus omnibus possibilis, licitus, consultus.

Hodiernum crastino præstare.

Prou. 8.

[illegible]

eandem, in hominem sacramentaliter veniens, adducat in eundem: & effectum omnem passionis Christi in mundo, Sacramentum hoc operetur in homine, ac fructum denique omnem, quem ex illius passione, morte, resurrectione, ascensione percepimus, gloriam quoque & claritatem ac beatitudinem sacratissimi Corporis, sanctissimæ animæ, & excellentissimæ diuinitatis suæ, cuilibet homini dignè accedenti in hoc Sacramento largiatur. Vbi simul B. Thomas cuncta vult intelligi, quæ cogitari possint. Sumamus hic pro rudium & carnalium hominum, qui nihil nisi secundùm sensus nôrunt accipere, instructione crassam quandam similitudinem: Si quis potentissimus Imperator, cuius simul essent omnium hominum, imò & creaturarum omnium diuitiæ, thesaurus, dominium, pulchritudo, famulatus, scientiæ, deliciæ pro votis & modis omnibus, vltra quàm humanum cor cogitare sufficeret, homini cuidam spurcissimè leproso, pustulis vndique scatenti, cæco, claudo & olenti grauiter, adeò se totum vniret, vt caput, cor, manus, pedes, cunctaque interiora & exteriora sua in corpus leprosi huius effunderet ac transformaret, ita vt omnia membra Imperatoris leprosi membra fierent, miranda certè & ingens hæc foret dilectio. Multis tamen modis, imò prorsus in immensum, supra omnem humanæ infirmitatis captum, maior est amor & vnio Dei cum anima rationali in hoc dignissimo Sacramento. Decreueram quidem etiam de ratione præparandi nos ad hoc Sacramentum, dicere: sed temporis breuitate aliud postulante, aliàs inde dicturi sumus. Quæcunque verò hactenus dicta sunt, longè infra rei sunt dignitatem. Ipse Dominus Deus omnipotens, quod ego minus præstiti, per graciam suam in nobis omnibus perficere dignetur. Amen.

In Sacramento gratiam confertat.

Similitudo lucu-lenta.


Quanta Dei cum anima rationali vnio.

IN EADEM SOLENNITATE.

De multiplici Communicantium differentia, deque varijs defectibus & culpis, puta peccatis venialibus, inhærentibus & non inhærentibus, siue fluxu, alijsque hominem impedientibus, quo minus dignè ad Christi accedat venerabile Sacramentum.

SERMO IV.

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. IOAN. VI.



HESTERNA die, sicut meminisse potestis, dilectissimi, tria dicere constitueram, de dignitate videlicet excellentissimi Sacramenti huius, cuius solennia nunc agimus, de qua tamen nemo satis dicere potest: de fructu quoque & vtilitate dignè communicantium, & postremò de modo præparandi nos ad sacram Communionem, quod vltimum, cùm de alijs aliquid dixissem, intactum reliqui. Quamuis autem, sicut etiam tunc testatus sum, vix aliquid dignum de his dici queat, nihilo minus D. Thomæ sententiam de vtilitate & fructu Sacramenti huius commemoraui, eam videlicet, qua ille ait, quòd omnem gratiam, claritatem, & beatitudinem, quam Dominus noster Iesus Christus, sensibiliter veniens in hunc mundum per hominem à se assumptum, viuens & moriens, patiens & resurgens, atque ad cælestia commigrans, contulit mundo, vnicuique dignè communicanti in hoc præclarissimo largiatur Sacramento, & in ipso operetur. Quod cùm ita sit, nullum donum, nulla gratia cogitari vel desiderari potest, quæ

In Sacramento omne donum &

gratiam contineri. Suis te viribus neminem dignè præparate.

Cui Deus quàm facilè etiam grauissima peccata dimittat.

Mos Coloniensiũ laudabilis quis. Diuersè à diuersis accipi venerabile Sacramentum.

quę non in hoc eodem Sacramento abundè contineatur. Vnde quantumcunque profundæ, deuotæ, attentæ meditationi insistas, aut quoduis aliud agas exercitium, quicquid tamen viribus tuis feceris, nihil in huius exercitij, sacræ dico communionis, comparatione existimandum est. Possunt quidem exercitia alia diuina esse, sed hîc Deus ipse est. Atque ex huius perceptione Sacramenti, homo perfectus & illuminatus, in Deum transformatur, sicut ipse Augustino ait: Non tu me in te mutabis, sed tu mutaberis in me. Denique quicquid optari vel desiderari potest, si vitia & defectus vincere, gratiam & virtutes obtinere, consolatione quoque & compunctione perfundi cupis, hîc inuenire promptum est, si, vt oportet, quærere non pigeat. Itaque si quispiam annos ætatis centum implêsset, & diebus singulis centum aut mille perpetrâsset peccata mortifera, hic si ex diuinæ gratiæ largitate compunctus, perfectè se ab omni peccato auerteret, atque ad Deum suum conuerteret, simulqúe cum hac sui ad Deum perfecta conuersione ad venerabile accederet Sacramentum, fidenter dico, multo facilius ac pronius esse Deo, in hoc excellentissimo dono omnia illi peccata sub momento remittere, quàm stipula possit ex manibus vi spiritus expelli. Imò tam fortis, vehemens, efficax hæc posset esse conuersio, vt etiam pœna ac pœnitentia omnis relaxaretur omninò, & ipse de grauissimo peccatore in virum sanctum abiret. Quamobrem bona satis & laudanda consuetudo est, quæ Coloniæ inoleuit, vt frequenter libenterqúe homines ad sacram accedant Synaxim, tametsi diuersi diuersa ratione, multumqúe dissimiliter id agant. Alij namque Sacramentaliter tantùm, non etiam spiritaliter, ideoq; nec salubriter, Christi corpus accipiunt, quales sunt omnes, qui cum mortalis peccati certa conscientia accedunt, qui sunt socij Iudæ proditoris. Alij & sacramentaliter & spiritaliter in animas suas ipsum recipiunt, sed modicum tamen inde reportant fructum, gratiam, consolationem: quales sunt, qui cum multis venialibus peccatis imparati ac indeuoti accedunt. Alij cum ingenti fructu, vtilitate immensa, & non modico sanctitatis augmento ipsum accipiunt. Alij denique spiritaliter tantùm, non sacramentaliter sumunt, homines videlicet pij ac mundicordes, qui vellent quidem & desiderant etiam sacramentaliter accipere, sed pro illo tempore, quo id optant, assequi non valent: qui tamen pro desiderio & intentione sua, gratiam Sacramenti multo fortasse consequuntur vberiorem, quàm alij sacramentaliter ipsum percipientes. Hoc autem modo vel centies in die bonus quisque vbicunque etiam locorum sit, tam ægrotus quàm sanus, ipsum sumere potest, quando sacramentaliter nulla ratione sæpius quàm semel ad ipsum licet accedere. Nec tamen sine immenso fructu copiosaqúe gratia, modò sancta desideria piaqúe deuotio non desint, ipsum tam crebrò spiritaliter sumimus. Multi præterea Sacramentum hoc recipiunt quidem in animas suas, eodemque fortassis in vita beata perenniter fruituri sunt, & singularem ex frequenti Communione mercedem seu præmium consecuturi, si tamen in gratia absque mortifero peccato decesserint: sed amorosos effluxus diuinos & innumera sancti Spiritus charismata, quæ in hoc Sacramento conferuntur, percipient nunquam. Soli namque exteriori significationi seu signo inhęrentes, ad ipsum fundum minimè pertingunt: cum multis etiam venialibus culpis tepidè accedunt, & ideò nihil reportant gratiæ, quippe qui ob multa magnaq; ipsorum impedimenta, nullus patet ad eos accessus, sicque vani, dissoluti, inanes, frigidi perseuerant, nec aliquem referunt fructum, imò

def-

dificiunt potius. Sed quærat fortasse aliquis, quęnam sint illa impedimenta propriè, quæ tanta eis damna irrogant, pretiosissimosque diuinæ gratiæ thesauros, cælum & terram locupletantes, ac diuitijs implentes, ab eis excludunt, ita vt quamlibet sæpe communicent, vacui tamen semper & inanes permaneant, sicut in multis quotidie videre pronum est. Cui planè respondetur, impedimenta hęc venialia esse peccata, quæ nimirum charitatis actualem feruorem diminuunt infrigidantque, cor distrahunt, deuotionem expellunt, sanctam labefactant vel etiam extinguunt strenuitatem, Dei familiaritatem auferunt: & quamuis gratiam, charitatemque non enecent penitus, hęc ipsa tamen damna inferunt, multumque disponunt ad mortalia peccata & gratiæ amissionem. Porrò venialia peccata siue impedimenta quotidiana, duplicia sunt, & vtraque effluxum diuinæ gratiæ in hoc Sacramento præpediunt. Alia namque perseuerantia sunt & inhærentia, alia fluxa. Inhærentia sunt ea, vt quando, verbi gratia, aliquis volens & sciens à creaturarum affectibus & amore captiuus detinetur, atque in illis delectationem & voluptatem quærit, qualescunque demum sint illæ in hoc mundo positæ creaturæ, quarum vera causa & finis Deus non est. Quoties enim aliquis in creaturis sensuale gaudium & delectationem principaliter quærit, toties ad minus peccat venialiter: & sicut Doctores asserunt, quæcunque fiunt absque rationis deliberatione, venialia sunt peccata. Ex his verò quædam tam magna sunt, vt si quis absque contritione & satisfactione cum illis decesserit, fortè decem aut pluribus annis pro illis in purgatorio tartareis sit flammis exurendus. Exempli gratia, amat nescio quis creaturas & delectationes memoratas, & eis propter Deum mori renuit: quod quandiu facit, creaturæ locum Dei in ipso occupant, ita vt Deus in eo nec habitare, nec operari possit. Hoc autem in seipso quisque non negligenter obseruare debet, studiosè perscrutando, vbinam creaturæ in se lateant. Et fortassis ipsemet est, aut aliqua propria inordinatio, vel quia de amicis suis, aut diuitijs nonnihil extollitur, aut forsitan vanè in proprijs institutis & exercitijs suis complacet sibi. Est etiam vitium quoddam heu nimis hodie vulgare & vsitatum, puta quòd omnes & singuli, tam Religiosi & Ecclesiastici, quàm seculares, priuatis lucris inhiant, diuitias cumulare ac recondere satagunt, adeoque tenaces sunt & auari, vt satis dici nequeat. Nemo sorte sua rebusque contentus est: omnium hoc vnum studium, vna cura est, vt diuitias sibi, quantas possunt, congerant. Hinc multa & sumptuosa construunt ædificia, eademque ineptissimis atque leuissimis picturis exornant, nihil in eis nisi sensuum suorum oblectamenta quærentes. Ad hæc, argentea & aurea sibi pocula cumulant, ornatus varios exquirunt, vestes pretiosas multiplicant, cibo & potu lautissimo & pretioso ventrem farciunt & onerant, atque in omnibus voluptatem quærunt & delectationem, sciri haberique in pretio appetunt: hisque & alijs modis & sensuum delectationibus peccata huiusmodi venialia inhærentia, coram se & intra se instar muri consolidant corroborantque. Interdum dolent etiam se istis non magis abundare. Vnde hominum amicitias, superfluas ac vanas animi recreationes & leuitates expetunt, cùm tamen in eis nec intendant, nec quærant, & multo minus inueniant Dominum Deum Creatorem suum. Isti nimirum in mortalium peccatorum velut præcipitio sunt constituti, iamque prope est, vt vel intus vel foris incomparabile eorundem peccatorum damnum incurrant. Imò frequenter, antequam aduertant

Venialibus etiam peccatis Sacramenti huius fructum impediri.

Venialium peccatorum discrimen quod.

Venialia peccata quæ.

In quibus creaturæ locum Dei occupent.

Lucri sorditas, imò fœditas, hodie quanta.

ipsi, in multa grauia peccata collabuntur. Hæc ergo sunt impedimenta perseuerantia & culpæ inhærentes, cum quibus tamen multi, proh dolor, ad reuerendissima Christi Sacramenta accedere non metuunt, suas nihilo minus consuetudines & modos retinentes, nec aliquid ex prædictis repudiare volentes. Quumqúe hac de causa nec Deum, nec sancti Spiritus intus sentiant consolationem, non magnopere id curant, sed suis studijs & consuetudinibus inhærent, atque ad creaturas cum delectatione & amore se conuertunt, sicqúe nonnunquam quadraginta vel quinquaginta & eo amplius annos sub habitu sancto & opinione bona transigunt. Verùm vtrum isti feliciter hinc decessuri, atque ad extremum saluandi sint, vehementer incertum est, eo quòd fundus ipsorum sponte scienterqúe diuturno quodam & inolito creaturarum amore & delectatione irretitus est atque constrictus. Vbi verò necessitas extrema ingruerit, omniaqúe coram diuino detegentur iudicio, nescient prorsus quo in statu res suæ sint, nec facilè Deum inuenire poterunt. Interim dum sani sunt, per varia commenta & glossas mirum in modum vitia sua excusare nouerunt. Eia, aiunt, oportet me hæc & illa habere, nec habita nocent. Et si quis eos reprehendere aut secus instruere velit, eum errare affirmant. Fitqúe tandem, vt dum in istis perseuerant, impedimenta, id est, peccata hæc inhærentia, adeò in eis consenescant, & in habitum quendam conuertantur, vt nullam inde conscientiæ patiantur accusationem siue remorsum. Ista, dilectissimi, peccata, magna, & fortia sunt diuini effluxus ac operationis impedimenta, & quasi densa quædam antemuralia, nec poterunt his subsistentibus sancti Spiritus in anima sua operationem sentire, quicquid etiam agant. Quantum enim creaturæ implent, à tanto Deum cum sua gratia abscedere oportet. Fluxa verò & non inhærentia peccata sunt, verbi gratia, si quis nullius creaturæ inordinato amore captus detineatur, semperqúe se paratum inueniat ad relinquendum omnia, quæ certò sciret Deum ab ipso velle relinqui, qualiacunque etiam illa forent, vel homines, vel amici, vel bona temporalia: interim tamen non tam studiosè seipsum custodit, vt meritò deberet: facileqúe à natura & vitijs naturalibus, qualiacunque demum sint illa, vincitur, vt ab ira, à superbia, à torpore & ignauia, à verborum leuitate, quorum omnium, necnon & aliorum vitiorum, dum se illi offert occasio, in his ipsis excedit, estqúe vel loquax nimium, vel potus cibiqúe intemperantior, aut plus satis hilaris, aut demum immodicè solicitus & occupatus. Quamuis autem ex his vitijs interdum aliqua peccatis prioribus inhærentibus queant esse grauiora, dum tamen ex infirmitate vel subreptione fiunt, multo quàm illa minus impediunt: quandoquidem fundus ipse purus est, & tantùm accidens malum. Si quis tamen in crastinum aut hodie accessurus, minus se ab his vitijs custodisset, quod ad diuinam vnionem attinet, multum certè hanc ipsam impediunt, fiduciam minuunt, mentem distrahunt & dilacerant, hominemqúe diuini amorosi influxus & corusci luminis efficiunt incapacem. Nihilo minus si peccata vel impedimenta hæc contra voluntatem heri contigissent, atque cum vera cordis contritione defleantur, non perinde nocebunt neque impedient, vt facerent si hodie accidissent. Ipsa namque pœnitentiæ amaritudo & pressura ac dolor cordis, quibus hæc deflentur, magna ex parte rubiginem horum vitiorum abstergunt. Iam si quis heri in ista cecidisset, hodieqúe denuò suijpsius cura posthabita, hæc ipsa incideret, simulque ex his mentis quandam contrahere

Querũ de salute ob venialia dubitetur.

Fluxa peccata quæ.

Quid venialia pariant impedimẽti. Quo in casu minus noceant hesterna, quàm hodierna.

heret distractionem, puta vel ex garrulitate nimia, vel immodica occupatione, tum certè non parum ista impedirent, dum vnum impedimentum iungeretur alij: nec tamen propterea semper à Communione sacra abstinere, nec penitus eam intermittere necesse est. Si enim accedit, nihil peccat, modò pœniteat eum peccata illa incidisse. Poterit enim sequenti die suum recuperare damnum. Sæpenumerò etiam natura indisposita impedit, puta quando aliquis vel somni vel cibi fuit intemperantior, plus aut minus inde capiendo. Certè ita quenque sui custodem deceret esse solicitum, vt ad singulos penè morsus, si natura citra sui grauamen eos ferre posset, examinaret. Satis enim mundum purumque fit oportet, cui Deus ineffabile mysterium suum infundere debeat. Hęc itaque sunt, quæ diuinum impediunt influxum, & pretiosissimos diuinæ gratiæ thesauros, in hoc dignissimo Sacramento latentes, ab anima excludunt. Cæterùm etiam bonos & sanctos quosdam homines inuenire est, qui interdum torpore quodam & somnolentia contra suam voluntatem prægrauentur, fortè quia natura ipsorum ad somnum propensior est, aut plus fortasse somni exigit, quàm ipsi velint: & hi propterea nequaquam hoc salutifero debent cibo abstinere. Sunt præterea etiam spiritalia quædam diuini influxus impedimenta, vt quòd homines seipsos duntaxat in huius dignissimi cibi sumptione quærunt, sui videlicet consolationem, deuotionem sensibilem, & bonam pacem, quibus si frustrarentur, haudquaquam accederent. Hi ergo seipsos potius, licet occultè, quàm Deum quærunt. Sed quid facit eis Deus? Sępenumerò, quò ad sese redeant, grauia illis extrinsecus aduersa, & intus pressuras intolerabiles, vt quasi infernum sibi sentire videantur, euenire permittit. Qui verò nihil horum patiuntur, certi sint horribile se purgatorium experturos. Isti semper in eodem luto hærent, nec aliquem in veris virtutibus faciunt profectum. Sic etiam aliqui boni homines adeò cæco quodam timore tenentur, vt si non sensibilem amoris ardorem, aut grandia opera intra se sentiant, quanuis notabile aliquod nesciant impedimentum, accedere non ausint: qui & ipsi ad altiora non proficiunt. Illi verò præclarissimos Sacramenti huius fructus & effectus vberius assequuntur, qui fundum & intentionem puram habentes, super Dei misericordia accedunt, illius relinquentes arbitrio, vtrum dare vel auferre velit: nec ideò abstinent, si nullam deuotionem sensibilem percipiant, sed Deo suo tam in inopia quàm abundantia spiritali, plena cum fiducia se totos credunt, & inhærent eidem. Isti in Deo nascuntur, & Deus in eis. Et si aliquod eis impedimentum, vt huic exilio proprium est, intus vel foris occurrat, celeriter inde se auertunt, nec illi immorantur diutius, multum se circa illud occupando, seque scrupulosius reprehendendo: sed Deum amant & intendunt, nec Dei dona, sed ipsum potius respiciunt Deum: cunctaque de illius manu suscipientes, eadem in ipsum refundunt. In his ergo venerabile hoc Sacramentum mirabiles & præclarissimas operatur illuminationes, nec aliquid æquè ipsorum profectum promouet, vt huius perceptio Sacramenti. Enimuerò possent isti cum tanto feruore & strenuitate ad hoc Sacramentum accedere, vt si impræsentiarum eum charitatis obtinerent gradum, quòd post mortem suam in primum Angelorum Ordinem euolarent, vnico hoc accessu consequerentur, vt in secundo, vel tertio, vel quarto Angelorum Ordine collocarentur. Imò tam crebrò hac possent ratione accedere, vt per hunc modum ad supremum Angelorum chorum subleuarentur. Verùm hos

Quàm solicitus sui custos quisque esse deberet.

Quid tandem, nihil hic patientes passuri.

Timore qui nimio laborent.

Qui potissi nū fructus & effectus Sacramenti huius participes fiant.

Quantum quibusdã profectus conferat feruida Sacramenti sumptio.

hoc ipsi nec desiderare, nec ex intentione quærere debent, sed solum duntaxat gratissimum Dei beneplacitum & honorem. Sanè mira illa, quæ præclarissimum hoc Sacramentum in hominibus istis, mundo corde seu puro fundo præditis operatur, omnem etiam Angelicum superant intellectum. Quis enim capere sufficiat, vt ipsi ex toto supra seipsos & humanum modum subleuentur, in Deum rapiantur, eidemque in intimo animæ fundo vniantur? Porrò quando isti Sacramentaliter donum hoc Corporis Christi percipere nequeunt, studeant illud vel spiritaliter sumere, quod etiam diebus singulis semel ad minus facere debent, siue Missæ sacrum audiant, siue non audiant, siue aduersa laborent valetudine, seu quiduis aliud agant. O quanta possemus cum Deo, id est, ex virtute Dei, si tantùm ad nosipsos nos reciperemus, intus perseueraremus, & diuinam intra nos obseruaremus gratiam. Possemus planè omnia in ipso nos confortante, regnumque Dei præsens intra nos inueniremus. Sed heu negligimus ista, heu absque modo & mensura modò huc, modò illuc foras euagamur, ac rebus & occupationibus externis plus satis sumus impliciti. Discurrimus hac atque illac pro audiendo verbo Dei: concioneque finita, vix aliquid ex auditis memoria retinemus. Tum verò aliò pergimus, iterum concionantem audituri, & nec illius dicta memoriæ commendamus. Murmurationibus peruersis heu nimium sumus dediti, adeoque instar mulierum instabiles ac mutabiles sumus, vt quæ heri placebant, hodie displiceant. Equidem fui in regione quadam, vbi admodum viriles sunt homines, & veraciter fortiterque ad Deum sese conuertunt, secumque intus stabiliter manent: & iucundum est, affluentem in eis Dei gratiam cernere. Quo fit, vt verbum Dei vno anno maiorem ibi fructum operetur, quàm hîc Coloniæ vel decennio toto. Contra in quibusdam terris homines muliebri prorsus videntur esse animo, dum quoquo modo cum illis agatur, nullum omnino in vita spiritali profectum faciunt. Scio, dilectissimi, quia grauiter audiretis, si de vobis ista proferrem: & nisi ea de causa parcerem vobis, incertum est, quidnam fortasse dicerem. Veruntamen animum nos masculinum assumere, atque sponte viriliterque ab omni nos creatura mortali auertere, & ad Deum Creatorem ex toto conuertere oportet. Alioqui nulla nostri profectus spes superest. Sed heu quanta miseria est, adeò ferè omnes hodie magnam Dei negligere gratiam, & quasi floccifacere. Credite mihi, diligenter hoc attendenti, cor & corpus præ dolore tabescere possent. Quàm hodie in multis Religiosis congregationibus vulgare communeque est, libenter rumores seculi referre & audire, vt quid ille vel ille agat, hisque similia alia multa, quæ tamen omnia non nisi vanissimas ac stultas in animam adducunt imagines? Si qui verò sunt, qui libenter de Deo colloquia miscent & audiunt, nunquam vanis istis hominibus queunt satisfacere: sed eos isti persequuntur, suntque eis graues etiam ad videndum. Tales quæso, dilectissimi, & loca ad quæ conueniunt, summopere fugite, & ad vestra ocyus properate cubicula, ibique Dominum Deum Creatorem vestrum, illiusque voluntatem introuersi sustinete, ac sequimini. Quòd si perspectum non habueritis, quæ sit voluntas Dei, consilium hac in parte, ni fallor, bonum satis præbeo vobis, hoc videlicet, vt cùm duo quædam proposita vobis fuerint, puta vel agere, vel dimittere quippiam: & incertum habueritis, vtrum melius sit, primò vosipsos attendite, & quod natura magis abhorruerit, id tanquam

Operationes huius Sacramēti ineffabiles.

Cur quidam verbi diuini minus tenaces.

Coloniēsiū ignauia.

Cur nostri profectus spes nulla.

Contra quosdam audiendę nouitatis auidos.

Ex duobus pro-

quam securius eligite. Ad quod enim illa minus afficitur, in eo securiores estis. Enimuerò quanto naturæ eiusque oblectationibus minus viuitis, tanto magis vos Deo & voluntati illius viuere, clarum est. Quanto enim spiritui plus viuitis, eo amplius naturæ mori cogimini. Diximus iam multa de hoc præclarissimo Sacramento, sed longè infra rei dignitatem, imò & vtilitatem. Quis enim dicere sufficiat, quanta vtilitas, quantus Dei honor, quantum gaudium omnibus beatis, quanta cunctis hominibus correctio, quàm ingens facinorosis multis peccatoribus conuersio, & quanta demum in purgatorio fidelibus animabus redemptio ex ipso proueniat? Denique scriptum legimus, spiritum quendam cuidam Dei amico in flamma quadam immensi ardoris apparuisse, simulque dixisse, ea sola de causa tam diris ac incredibilibus se cruciatibus torqueri, quòd circa Dominici corporis perceptionem fuisset negligentior: addiditque, si vel semel venerabile Sacramentum deuotè pro ipso accipere dignaretur, se liberatum iri. Quòd cùm ille Dei amicus fecisset, sequenti die spiritus eidem Sole fulgentior atque micantior apparuit, vnica illa dignissimi Sacramenti huius perceptione ab intolerabilibus pœnis suis liberatus, atque ita felix ad cælestia migrauit. Præstet omnibus nobis benignissimus Deus, vti semper ipsum dignè sumamus, ac vitam tanto Sacramento agamus dignam, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

positis vitam eligendum. Qui potissimù Deo viuamus.

Paradigma seu visio.

De ho. venerabili Sacramento, infra septima Dominica post Trinitatis, duos notatu dignos Sermones offendes, quorum alter ita incipit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, *&c. & alter sic:* Probet autem seipsum homo, *&c. Et multa etiam in Tractatu de virtutibus.*

Author B. Henricus Suso.

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

Vt omne fallacis mundi gaudium, amorem & delectationem abdicare, ad Deum nos toto corde conuertere, & in illius seruitio perseuerare debeamus.

SERMO VNICVS.

Lazarus mendicus portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, diues autem sepultus est in inferno. LVCÆ XVI.



SALVATOR ac Redemptor noster Dominus IESVS CHRISTVS in Euangelio hodierno satis nos fideliter admonet, dilectissimi, vt omnes mundi diuitias & seculi voluptates contemnere, reijcere, abdicare, & cum Lazaro, cunctisque Dei amicis, in paupertate & quibuslibet aduersis & doloribus vitæ huius præstare patientiam studeamus. Si enim dissimulare nolumus, ex vtriusque fine, Lazari dico & diuitis epulonis, qui in Euangelio proponuntur, apertè satis colligere licet, quòd quicquid mundus iste magnum ducit ac delectabile, non nisi vanissimum somnium & mera diaboli deceptio sit, præmium habens, vt dignum est, ignem perpetuis temporibus arsurum. Sicut enim dici solet, breue gaudium, & protensus dolor, gratum est seculi indumentum. Heu quàm nimis fascinata habent pectora amici seculi huius, dum amorem & delectationem suam in rebus caducis & nihili constituunt. Heu quàm densis inuoluuntur tenebris, quantopere vitæ huius gaudia quærunt, si tamen illa gaudia dicenda sunt,

Quale quid sit, quod mundus magnum putat.

qua

Gaudia mundi quàm sint vana.

quæ nihil veræ lætitiæ habent. Fitqúe sæpenumerò, vt prius quàm aliquid obtineant gratum siue iucundum, decem molesta & aduersa experiantur: quantoqúe maioribus vruntur desiderijs, tanto inquietiores fiunt. Miseri isti, & à Deo vacui, ne dicam impij, perpetuis timoribus & terroribus cruciantur etiam in hac vita. Et hoc ipsum breue gaudium, quo potiuntur, cum labore quærunt, cum metu & solicitudine tenent, & amittunt cum dolore. Enimuerò mundus iste fallax vndiquaque & infidelissimus est. Mox enim vt priuatum cessat commodum, omnis quoque amicitia finitur. Et quicquid agant homines, nunquam tamen synceram dilectionem, plenum gaudium, veram pacem in rebus creatis inuenire poterunt. Dolendum planè & omni lachrymarum fonte plangendum, tam innumeras diuinitatis imagine insignitas animas, tot aptissimos & electissimos homines, quando cum Deo potentissimi Reges & Imperatores cæli & terræ esse possent, adeò se stolidè abijcere, tamqúe sponte æternis inuoluere miserijs, cùm tamen reuera vel mille mortes eis subire præstaret, quàm tale aliquid committere, quod inter Deum & animas ipsorum diuortium efficere queat. Dolendum, inquam, tam nullam ferè omnes pretiosissimi temporis rationem habere, imò tam malè & inutiliter consumere, quod tamen vix vnquam poterunt recuperare. Et quanquam ista satis perspecta habeant, quippe quæ in seipsis experiuntur, non tamen suis vanitatibus, voluptatibus & inanissimis delectationibus renuntiant, nec vitæ correctioris arripiunt iter, donec tandem post mortem dignas pro factis suis pœnas recipiant, & licet serò, saltem in pœnis suas negligentias & culpas agnoscant defleantqúe. Heu graue est illis chara relinquere, à rebus dilectis animum abstrahere, & quasi impossibile insolitas repudiare consuetudines. Sed multo grauius ac impossibilius erit, futuras infernalis incendij seu ignis purgatorij pœnas perpeti. Ergo dum molesta omnia, laborem omnem & dolorem euadere quærunt, his ipsis profundius se immergunt. Fugiunt miseri ac horrent summum bonum & leuem sarcinam illius, & interim diuersis immanissimis diaboli oneribus prægrauantur, fitque illis quod dicitur in Iob: *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Iam quòd putant, nihil vana solatia & sensuum oblectationes ac superfluas recreationes afferre detrimenti, quàm bene sentiant, ipsi viderint. Quomodo enim ista non noceant, cùm animum reddant indispositum, ab interioribus euocent, cordis pacem auferant, gratiam & dilectionem Dei dissipent, & interiori quidem homini teporem ac cæcitatem, exteriori verò torporem & ignauiam adducant? Ea enim est fragilitas nostra, ea hominum corruptio, vt priusquam humana societas semel nos ad interiora mittat, millies exire faciat & nos extrouertere: & antequam salutarem aliquam hauriamus ab hominibus institutionem, diuersis noxijs imaginibus & exemplis depingamur ac perturbemur. Denique sicut gelida pruina verno tempore speciosos arborum flores corrumpit, ita amor terrenus diuinum extinguit feruorem, & æternam impedit felicitatem. Quamobrem væ horæ illi, quando de omni deperdito tempore, & cunctis bonis neglectis reddenda erit ratio, cùm omnes friuolæ ac peruersæ cogitationes, verba & opera coram Deo & mundo vniuerso palam recitabuntur, & qua quæque intentione cogitata, dicta, facta sint, liquidò patebit omnibus. Reuera plus quàm saxea corda sunt, quæ his non deterrentur nec emolliuntur. Planè moneo vos dilectissimi: mundum deserite, quia fallax est. Voluptas eius,

Quàm sit neglectū tēpus dolendum.

Dolorem breuē vitæ sēpiternū incurrere. Iob 6.

Ad quid societas humana magis prona.

Pruinę & amoris terreni collatio.

ꝫ, ſpurcitia eſt: conſilium eius, ſuperbia & auaritia. Seruitus illius delectat, ſed merces debilis eſt: floret delectabiliter, ſed fructus eius non niſi teterrimus fœtor. Securitas eius, perditio eſt: auxilium, venenum: promiſſio, mendacium: promiſſi exhibitio, fraus & dolus. Pro gaudio mœrorem, pro honore ignominiam, pro fide rependit fallaciam: pro diuitijs extremam inopiam, & pro vita perpetua mortem ſempiternam. Vnde quiſquis in hac vita delectationem quamlibet aut voluptatem, qua Deum perdat, potius quàm Deum eligit, cùm moriendum fuerit, vtroque fruſtrabitur. O ſi cogitarent quicunque huiuſmodi ſunt, quàm iucunda feſtiuaq́ue ſint illic omnia, vbi mille anni vix vnius diei ſpatium habere videntur: & econtra, quàm miſerum ſit illic eſſe, vbi nox vna mille annis videtur prolixior, & vbi nunquam Lucifer ſoluit polum caligine: quæ nobis teterrima nox vehementer eſt omnibus formidanda. Iuſtiſſimo planè Dei iudicio diues ille epulo indutus purpura & byſſo, & ſplendidè ſemper epulatus, carnem ſuam molliter fouens, & pauperum immemor, in inferno ſepultus eſt. De talibus ſeruus Dei ſanctus Iob loquitur, vbi ait: *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et Sapiens quidam: *Spes*, inquit, *impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Quæ cùm ita ſint, meritò cuncti Dei amici fallaciſſimo ſeculo huic hilariter renuntiare debent. Eſto enim quòd ſuperſit aliquis, qui mille annis vixerit, & iam mori cogatur, nonne puncto ſimilis tota illius vita videbitur? Hoc proprium mundus habet, hæc illius natura eſt, tranſire atque deſerere. Vos ergo, dilectiſſimi, qui mundum & omnia quæ in eo ſunt, propter Dei amorem reliquiſtis, gaudete & exultate, ingenteſq́ue Deo Creatori veſtro pro ineffabili gratia ſua, qua vos à mundo abſtraxit, gratiarum exoluite actiones, non iam reſpicientes retrò, ne rebus friuolis immodicè vos occupando, maximorum bonorum faciatis iacturam. Væ etenim illis, qui ſuauiſſimæ Chriſti Ieſu familiaritati & dilectioni amorem caducum & amicitiam mundi huius, quæ non niſi temporis perditio, cordis priuatio, & totius vitæ ſpiritalis diſſipatio eſt, inſipientiſſimè præferunt. Tales crebros nuntios mittunt huc atque illuc, ſcribunt literas, & ſalutant, nullum fabulandi finem faciunt, diuerſis friuolis ſeſe immiſcent occupationibus, varias ſibi cogitationes & imagines rerum mundialium fabricant, haud ſecus inde cogitantes, quàm aliquis vehementer ſitiens, de potu: cui interdum contingere ſolet, vt de aqua frigida etiam dormiens ſomniet. Vbi verò ſatis ſuperq́ue omnia peregerunt, inſtar fumi euaneſcunt omnia: & nihil miſeri niſi manum vacuam, triſtemque retinent conſcientiam. An non, dilectiſſimi, quoddam vobis inferni præludium eſſe videtur, pro modicis rebus aut oblectamentis temporalibus atque caducis, libenter ſummo ac ſempiterno bono priuare ſeipſum? O quàm confuſi ſtabunt infelices iſti in futuro ſeculo, non modò coram omnibus amicis ſuis, verùm etiam creaturis vniuerſis. O quantum erubeſcent tunc atque dolebunt, ſe per minima & friuola quædam huius inſtabilis vitæ gaudia & occupationes, tam immenſa atque perennia bona neglexiſſe. Quanto igitur ſatius eſt, hoc exiguo, quo viuere licet, tempore Deo puro corde & cum gaudio ſeruire, qui ſi nihil etiam mercedis ſibi ſeruientibus repoſuiſſet, bona tamen conſcientia

Iob 21.

Sap. 5.

Proprietas ac natura mundi.

Amicitia mundi quid.

Quanta [illegible]

ipsa sibi pro mercede posset sufficere? Sed dicunt quidam, multa seruis suis Dominum aduersa imponere. Esto, neque enim id negari potest. Verùm quæcunque ille amicis suis molesta euenire permittit, nullo negotio portantur ab eis, quando quidem ipse Dominus simul cum ipsis ea portat. Ad hæc, per aduersa Deo chari efficimur, & felicissima vnione copulamur. Interim consolatio ipsius interna omnem facilè dolorem mitigat. Quis verò, obsecro, in hac vita sine molestijs & contrarijs multis degit? Puto equidem, quia nemo. Quamlibet aliqui sublimia castra & amplissimas habitent vrbes, quantumcunque pretiosissimis vestibus operiantur homines, non sunt tamen absque afflictione, sine cruce, absque dolore. Foris quidem panno delectabili ac pretioso plerique se contegunt, sed dolor intus cor grauiter vrit, multasqúe miserias dirosqúe labores pro rebus transeuntibus, & vt infernum lucrari possint, supra quàm dici possit, experiuntur tolerantqúe. Vnde etiam serui & amici Dei altissimi libenter aduersa pati debent, quo eundem Dominum Deum suum & immarcessibile obtineant bonum. Graue quidem est in principio, à rebus delectabilibus sese abstrahere: deinde verò, tolerabile: ad extremum, etiam supra omnia mundi huius oblectamenta iucundum efficitur. Proinde moneo & hortor vos, charissimi, qui Deo fauente, mundo abdicato, ad eundem Dominum Deum vestrum vos conuertistis: moneo, inquam, vos & obsecro ex animo, quo in vita bona ac spiritali stabiliri queatis ac progredi.

Aduersorũ à Deo immissorum commoditas.

Cur aduersa æquo animo ferenda.

Monita aliquot pia.

I. Primò, vt non negligenter, sed studiosè bonos quosque, & communes Ordinis ritus & institutiones seruetis, & maximè, vt maturè ad cultum diuinum & preces Horarias festinetis persoluendas, & ad finem vsque in choro multa cum modestia, strenuitate, deuotione perlistatis, ☞ nec exeatis leuiter, sed loco orationis vestræ vosipsos affigite, ita vt fixi immobilesqúe in eo permaneatis, idqúe potissimum sub diuinissimo Missæ sacrificio, in vnione amoris illius, ex quo Christus IESVS in cruce perstitit, nec aliquid omninò aliud faciatis, quàm quòd cæteri faciunt omnes, hoc est, vt vel Deum laudetis, vel preces fundatis ad Dominum.

II. Secundò, vt quantum potestis iræ impetum cohibeatis, ne erga aliquem moueamini, nec animi motum foras sinatis erumpere. Quoties enim voluntatem vestram, ne in iram prorumpat, frangitis, toties specialis vobis à Deo æquissimo iudice corona reponitur: & si à vindictæ exhibitione vobis temperatis, quando vlciscendi facultas adest, multo id omnipotenti Deo gratius est, quàm si mille ei auri libras offerretis. Itaque dum ira animum pulsat, frænum ori vestro imponite, linguam compescite, & iniuriam vobis illatam cum Lazaro mendico obliuioni tradite: ita nanque fiet, vt iniurias tolerare nullo possitis negotio.

III. Tertiò, vt quieti sitis: hoc enim bonum quenque hominem haud secus, quàm carbunculus ornamenta aurea exornat. Quidam adeò sunt inquieti, vt nusquam subsistere, nusquam quiescere possint: sed hac illacqúe discurrunt, qui tandem nihil omnino proficiunt in virtutibus, & quandoque grauia pericula incidunt. Lenes gestus & submissus sermo, Deo ac hominibus placent.

Cõtra sursum ac deorsũ cursitantes.

IV. Quartò, vt patenti ori vestro claustrum appendatis, & linguæ adhibeatis temperamentum: adeoqúe in bonam quandam trahatis consuetudinem, ipsum nullis otiosis verbis patefacere, nec facilè loqui, nisi quando vel necessitas id poscit, vel vtilitas: idqúe cum fauore & permissu alicuius boni viri, quem cordis vestri custodem constitueritis: quem, si quando loquendum fuerit, præsentem cogitabitis, nec ad loquendum laxabitis linguam,

guam, nisi ille vobis loquendi facultatem tribuere videatur: & tunc modestè loquamini, breuibus ac simplicibus verbis quod dicendum fuerit expedientes, tanquam si vir ille bonus coram assistat. Quintò, vt neminem facilè pro capienda ex iocis, aut lusibus, aut alijs id genus vanitatibus recreatione accedatis: nec cum aliquo singularis vobis sit consuetudo vel familiaritas: illis duntaxat amici familiares eritis, ex quorum conuictu & societate meliores efficiamini, & qui ipsi perfectioni vitæque spiritali nauent operam. Porrò duo tempora præcipuè chara & pretiosa habebitis, illud videlicet, quod post Matutinas, & quod post Completorium superest. Et nocte quidem post Matutinas aliquandiu cum Deo vos occupabitis, deuotis insistendo precibus: tuncque simul ordinabitis, quomodo in spiritali profectu per totum diem, iuxta gratissimam Dei voluntatem, vos habere voletis. Post Completorium verò diligenter vosipsos examinabitis, vt diem elapsum expenderitis: & si qua bona vos fecisse videritis, gratias agetis Deo: si quæ verò negligentiæ & culpæ vobis occurrerint, displiceant ex animo, firmumque deinceps correctius viuendi propositum renouabitis. Quòd si fortasse non satis ista vobis semper pro voto successerint, haudquaquam abijcietis animum, nec ideò hæc missa facere vel omittere debebitis. Tantum persistatis, & si non ad supremum montis pertigeritis verticem, in ipso tamen æternæ salutis vestræ itinere deprehendemini. Adhuc duo quædam habeo, dilectissimi, quæ si, vt ex animo consulo vobis, facere voletis, magnum haud dubiè fructum & emolumentum inde reportabitis. Primum est, vt semper vos in Dominica exerceatis & occupetis passione, & vbicunque sitis, vel quodcunque faciatis opus, his verbis Dominum alloquamini: Eia dulcissime Deus, amator suauissime, vbinam es? veni, obsecro, ad me, sede mecum, ambula mecum, adiuua me, nec vnquam in æternum deseras me. Secundum est, vt Virgini beatæ ac gloriosæ Dei Genitrici singulari cum deuotione ex corde seruiatis, ipsamque cæli Reginam post Deum præcipua dilectione prosequamini, precesque illius Horarias deuotissimè persoluatis. Enimuerò si in specialem eam patronam & amicam elegeritis, magna à Deo dona & charismata consequemini: & in periculis, angustijs, afflictionibus vestris, maximè autem in mortis angoribus, haudquaquam ipsa à dilecto Filio suo vos derelinqui patietur. Præstet nobis Dominus Deus omnipotens, vt mundum perfectè deseramus, & in diuino amore feliciter perficiamur. Amen.

V. Quorum familiaritas aut vitanda, aut quærenda. Quæ duo tempora Monasticis præcipuè obseruanda.


Duo quædam notabilia. I. Domini passio vbique ac semper recogitanda. II. Dei Genitrix singulari & dilectione & deuotione prosequenda.

DOMINICA II. POST TRINITATIS.

De triplici cœna, quam Deus omnipotens amicis suis præparauit: & specialiter de conuiuio venerabilis Sacramenti, de vtilitate Sacrificij Missæ, & vti eius se quisque participem facere queas.

SERMO VNICVS.

Hic Sermo non incongruè etiam in Festo Corporis Christi legi potest.



HOMO quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te

habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus, nuntiauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti: & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. LVCAE XIV.

Quæ modò audistis, dilectissimi, verba sunt sancti Euangelij diei huius, in quibus hoc etiam notandum venit, quòd cùm omnes se cuperent haberi excusatos, tertius tamen ille, qui vxorem duxerat, id minimè petijt. Cuius rei rationem apud diuum Gregorium in Homilia legere potestis. Cœna autem hæc, ad quam vocati omnes pariter & inuitati sumus, in vno sensu, vt idem diuus Gregorius ait, est satietas dulcedinis internæ, & intima, purissima, nudissima, maximeque sensibilis agnitio & sensio fundi interioris, in quo est regnum Dei: simulque degustare, vt in ipso Deus inhabitet ac operetur, quod nimirum per cognitionem & amorem experiendum est. Iuxta alium verò sensum, cœna hæc siue conuiuium, ipsum est venerabile Sacramentum. Tertiò per hoc conuiuium æterna vita significatur, quæ verum planè conuiuium est, in cuius comparatione quæcunque alia conuiuia, quæ omnes etiam creaturæ in hac vita celebrârunt, eisdémve interfuerunt, aut vnquam assecuturæ sunt in spiritu vel natura, multo minus esse censenda sunt, quàm vna minutissima mica ad omnia ea, quæ mundus hic totus producere posset. Ad hoc præclarissimum conuiuium si quis peruenire volet, omnino necessarium est illi, vt priora duo conuiuia studiosè obseruet & colat. Aiunt nanque Doctores sancti, quòd quicunque postremum hoc conuiuium, saltem aliqua ex parte, in hoc mortali non degustant corpore, ipso in beata æternitate haudquaquam sint fruituri. Et quia multum dissimilis est illius degustatio, admodum quoque inæqualis erit fruitio eiusdem. Quanquam autem vno modo verum sit istud, sæpenumerò tamen Deus omnipotens multis bonis ac puris hominibus hanc ipsam sensibilem degustationem denegat ac differt, adeò vt toto vitæ ipsorum spatio nec intinctum morcellum vnum eiusdem conuiuij eos percipere sinat, nisi in ipso mortis articulo, vel etiam donec ad illud feliciter perueniant. Fieri autem potest, vt isti centum gradibus superent eos, qui hîc multa inde perceperunt degustaruntque. Imò possibile est, vt aliqui ex eis, quibus ista degustatio, seu manifestatio futuri illius conuiuij interim præstatur, ita ipso vtantur, vel potius abutantur, vt qui nunquam inde aliquid senserunt, centum gradibus Deo in hoc ipso conuiuio sint viciniores. In isto nanque conuiuio Deus omnipotens amoris emetitur mensura, dans vnicuique quod illi maximè expediat. Cæterùm huius conuiuij aliquam degustationem etiam in hac vita percipere cupienti, cum primis necessarium est, vt cor & amorem ab omnibus quæ non sunt purè Deus, seu quorum Deus non est vera causa, penitus auertat. Deinde, vt diximus, aliud conuiuium est ipsum venerabile Christi Corporis Sacramentum, in quo quanta charismata, quantaque felicitas homini dignè accedenti præstetur, non solùm lingua non explicat, sed nec sensus vllus capere sufficit. Tantoque huic ineffabili Dei dono gratiores nos esse conuenit, quo illud quotidie licet consequi. Quæri autem potest, quid necesse sit quotidie mortem

Cœna hæc primo quid.

II.

III.

Domi-

Domini denuò annuntiare seu celebrare, quando ipse Dominus sacro Parasceues die abundantissimè pro mundo satisfecit vniuerso, adeò vt vel mille mundorum peccata satis superquè expiare illa potuisset satisfactio. Cui respondendum est, Dominum nostrum Iesum Christum, ex amore ineffabili, hunc suauissimum mortis suæ recensendæ, suiquè ipsius in Sacramento Deo Patri offerendi, modum instituisse. Cùm enim ex humana infirmitate quotidianos contrahamus defectus ac labeculas quasdam, conuenientissimè simul ac vtilissimè dignissima hæc Hostia pro peccatis & fragilitate nostra quotidie recens offertur. Enimuerò D. Thomæ sententia est, omnem fructum & vtilitatem, quam Christus per dignissimam mortem suam ipsa die obitus sui operatus est, in singulis quibusque Sacris quotidie inueniri: eandemque gratiam, quam tunc mundo contulit, vnumquemque fidelem, sacratissimum Christi corpus dignè sumentem, percipere. Hoc namque dulcissimum Sacramentum fugat & extinguit peccata, nouam semper eandemque ingentem confert gratiam, hominem in vita spirituali ac virtuosa proficere facit, & à futuris lapsibus & diaboli laqueis præseruat. Non enim cessat malignus ille spiritus semper & vbique homini laqueos tendere, adeò vt grauiter tam corporaliter quàm spiritualiter ipsum ruere necesse foret, nisi hoc efficacissimum illi adesset tutamen & auxilium. Denique & magnam in purgatorio detentis animabus gratiam confert. Innumeræ siquidem animę in æstuantissima illa fornace ad extremi vsque iudicij diem exurendæ essent, nisi sanctissimum Missæ seu Sacri illis suffragaretur exercitium, per quod celeriter ex tantis pœnis eripiuntur. Et licet semper eis prosit hoc Missę sacrificium, illud tamen vel maximè, quod à sanctis perfectisque Sacerdotibus offertur, qui mira & in purgatorio, & in præsenti seculo per huius sacrificij oblationem operantur. Cum hoc autem sacrificio quisque se cum intimo affectu & desiderio in qualibet Missa siue Sacro ad cuncta sacerdotum, quos orbis habet, præsertim sanctorum atque iustorum exercitia extendet: simulque per hęc à sacerdotibus vniuersis, maximè verò ab Dei amicis & sanctis, à quibus tam libenter hoc sacrificium Deus suscipit, Christi dignissimum Corpus dari sibi deposcet: atque huc refert omnes tam defunctos quàm superstites, pro quibus orare decreuit. Sanè quisquis hoc agit, non illius modò Sacri, quod audit, sed etiam Sacrorum omnium, quæ per latissima mundi spatia celebrantur, particeps efficitur. Vnde si quis mihi occurreret homo internus, qui se intro recipere sciret, non illi dubitarem consulere, vt vno Sacro quotidie audito, sese ad se reciperet, secumque domi maneret. Quo enim interius atque deuotius se conuerteret ad Deum, eo abundantiori cum fructu omnia totius orbis Sacra audiret. Quærat hîc fortasse aliquis, quid causæ sit, quòd cùm tanta charismata hoc Sacramentum contineat & præstet, in multis tamen, etiam in gratia viuentibus, crebroque illud percipientibus, nulli aut perexigui illius fructus appareant: Breuiter respondeo, huius primam causam esse, quòd veniales quotidianasque culpas suas non vigilanter obseruent; nec eas nisi velut in sopore quodam conspiciant: & ipsæ tamen quoddam inter gratiam & influxum Spiritus sancti medium prę stant & impedimentum. Certè oportebat quenque vitam & conuersationem suam tam diligenter inspicere ac obseruare, vt nullum omninò inhærens seu perseuerans in se morari pateretur vitium. Et maximè ante omnia verba otiosa & friuola cauenda sunt. Otiosa autem omnia illa verba sunt, quæ nihil vtilitatis

Cur assiduè Domini mors annuntianda.

Quanta Sacrificij Missæ commoditas.

An vna Missarum alteri præstet.

Quomodo quis omnium totius orbis Missarum particeps fiat.

Quæstio de rara fructuum sacramenti apparitione.

1. Causa.

Quid pio homini imprimis cauendum.

Otiosa verba quæ.

tatis habent, aut sine vtilitatis intentione proferuntur. Quæso, dilectissimi, totis viribus inuigilate verbis vestris, & linguæ vestræ temperamentum adhibetote.

II. Secunda causa est, quòd actualem deuotionem non habeant, nec maneant introuersi, sed nimis ad exteriora ferantur & excurrant, nec Dei præstolentur gratiam, nec illi denique in se operandi per mentis introuersionem locum præbeant. Nam post biduum triduumve sæpius hoc Sacramentum operatur, si tantùm non pigeat ipsius operationem obseruare. Quisquis autem fructus & effectus huius dignissimi Sacramenti in se feliciter cupit experiri, ex AEgypto, id est, seculo tenebroso, & mundana conuersatione exiêrit oportet, vt pane cælesti siue manna, quod pro cuiusque sapit desiderio, refici sit dignus. Verùm sicut manna populo illi electo cælitus non præstabatur, quandiu aliquid supererat farinæ illius, quam secum ex AEgypto absportauerant: qua consumpta, dedit illis Dominus manna de cælo, omne delectamentum in se habens: ita & fidelis quisque, posteaquam AEgyptum, id est, mundum & secularem vitam deseruit, iamque se euanisse omnia, & spiritalem effectum arbitratur, quandiu farinam propriæ naturę vel creaturarum, propensionem quoque ad vitia & rerum creatarum imagines in se habet, præclarissimus ac diuinissimus cibus iste nunquam illi pro sua dignitate & vera interiorum ipsius delectatione sapit. Attamen quicunque cibi huius cælestis saporem aliquem intus vnquam perceperunt, affectus creaturarum & ad malum procliuitatem intra se obseruare debent, atque ita ad dignissimum cibum hunc accedere, non de sua præsumendo perfectione, sed potius ob nimiam infirmitatem suam. Quemadmodum, verbi gratia, si quis talem incideret morbum, vt vita ipsius desperaretur, si tamen facultates illius permitterent, & saluti eius profuturum speraretur, pretiosissimum illi ex auro & margaritis conficeretur electuarium, quo vita eius qualecunque inde remedium acciperet. Neque enim pro voluptate, sed pro conseruanda tuendaque salute, id ei porrigeretur. Ita sanè & fidelis quisque cibum hunc non nisi ob fragilitatem suam accipere debet, ne (quod absit) in mortem, id est, rerum creatarum amorem noxium prolabatur. Cæterùm quomodo si memoratus infirmus post pretiosi electuarij illius sumptionem, aquam potaret, eiusdem aquæ frigiditas actualem electuarij huius calorem destrueret, & præpediret operationem: ita nimirum, si post excellentissimi Sacramenti huius perceptionem extraneas aliquis formas seu imagines intro recipiat, alienisque se occapationibus & rerum externarum tradat multiplicitati, ineptus planè efficitur ad capiendos Sacramenti huius excellentissimos effectus: eiusdemque in ipso Sacramenti sublimis operatio præpeditur, dilectionis ardor extinguitur ac infrigidatur, & spiritus denique simul & natura inepta redduntur ad expectandum intus sacratissimam cibi huius operationem. Fit autem sæpenumerò, vt dum aliquis creaturis omnibus renuntiare, ab eisdemque se abstrahere statuit, malignus spiritus grauiter eundem insectetur, intusque ei loquatur, dicens. Stultè agis: non poteris in hoc viuendi genere perseuerare. Hac autem susurratione intus percepta, quidam pusillo spiritu & cæci admodum, haud secus perturbantur & murmurant, quàm populus ille Israeliticus ex AEgypto, ductore Mose, liberatus, cùm AEgyptios cum sexcentis curribus grauiter sibi imminere ac subsequi cernerent, dicentes: *Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex AEgypto? Multo melius erat seruire AEgyptijs, quàm mori in solitudine*. Sic, inquam, pauidi quidam, ne dicam, ignaui ac pusi-

[Margin notes: "Quid fructus Sacramenti sentire volenti faciendum." beside "non pigeat..."; "Exod. 16." beside "illis Dominus manna"; "Cur Sacramentum potissime sumendum." beside "lute, id ei porrigeretur"; "Quibus Sacramenti sumptio parum prosit." beside "nimirum, si post"; "Exod. 14." beside "dicentes".]

pusillæ fidei, dum spiritus nequam cum diuersis tentationum perstrepentibus curribus eos aggreditur, insipientissimè secum cogitant, dicentes: Stultitia est mihi sic viuere: melius mihi est in AEgypto, id est, in seculo & creaturarum amoribus & occupationibus, quæ reuera animæ angustiæ sunt, permanere, quàm ea abdicare, eisdemque fraudari. Atque ita multi, proh dolor, dum Deo non satis confidunt, miserè deficiunt, retroque reuertuntur. Porrò quibus ista occurrit tentatio, non illicò hastam, quod aiunt, abijcere, sed Dominum Iesum Christum deuotissimis precibus pulsare debent, orantes, vt ipse cælestem Patrem suum pro se exoret: sicque eidem plena cum fiducia innitantur. De tertio conuiuio tum demum plenius edocebimur, vbi ad illud peruenerimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

DOMINICA III. POST TRINITATIS.

Exponit vtiliter admodum Epistolam diei huius. De tribus virtutibus, humilitate, diuino amore, veraque discretione. Adhæc, de fiducia magna habenda in Deum in omni tentatione, & de virtute obedientiæ.

SERMO I.

Charissimi, humiliamini sub potenti manu Dei. I. PETRI V.



VERBA hæc, dilectissimi, ex Epistola cælici illius Principis D. Petri desumpta sunt, hodieque in Ecclesia Epistolæ loco recitantur, in hunc modum: *Charissimi, humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite, fortes in fide: scientes, eandem passionem, ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen.* Hæc sunt, dilectissimi, verba Epistolæ diei huius, quæ pro nostra informatione ac institutione Apostolorum agminis Princeps Petrus Apostolus scripsit, in quibus plenissimè continetur, quicquid ad bene beateque viuendum homini necessarium est: ijsque obseruatis, quæcunque per totius anni circulum sancta agit Ecclesia, implentur & obtinentur: quippe cùm omnia hæc istis diui Petri verbis aptissimè concordent, in ijsdemque contineantur. Ait ergo: *Charissimi, humiliamini sub potenti manu Dei.* Vbi in primis tres nobis virtutes, omnibus hominibus necessariæ, notandæ sunt, ad quas etiam cuncta nostra exercitia & vita dirigenda sunt ac referenda, quarum si aliqua nobis defuerit, quæcunque sit illa, totum esse & viuere, cunctaque exercitia, & omnes labores nostri, nullius omnino momenti erunt vel pretij. Primum ex his, quod D. Petrus facere nos iubet, hoc est, vt nosipsos humiliemus: quod quidem solidissimum est fundamentum, cui cuncta nostra ædificatio, operaque vniuersa sunt superstruenda, si modò ante conspectum iusti iudicis Dei fructuosa esse debeant: & sine hoc fundamento quicquid extruxeris, certo certius ruinam faciet, totumque collabetur. Secundum est, verus purissimusque Dei & proxi-

Tres maxime necessariæ virtutes.

I.

II.

III. proximi amor. Tertium est vera discretio in omnibus. In his tribus vniuersa spiritalis diuinæquе vitæ perfectio continetur. Certè Deus omnipotens pius & benignus, quod ad humilitatem attinet, hanc ipsam præclarissimam virtutem

I. Virtus. nostræ naturæ indidit. Nouerat enim quantopere hæc nobis virtus esset necessaria: ideoq́ue magna nobis affinitate, occultè licet, eam coniunxit, quo simul nobilem ac diuino tinctam colore animo scintillam cognoscamus, quę cùm nobis multo, quàm putemus ipsi, interior viciniorq́ue sit, ob immodicam tamen superbiam nostram, qua & in spiritu & natura plus satis abundamus, admodum nobis incognita est & aliena. Quòd si natura in suo consisteret ordine, sine cessatione virtutis huius materiam intra nosipsos inueniremus, nec facilè possemus dissimulare. Si enim perpetuò nobiscum maneremus, materiam & causam

Humiliãdi causæ duæ. humilitatis in exteriori simul ac interiori homine nostro haudquaquam difficile reperiremus, & potissimum duabus ex causis. Primò quidem ob defectus

I. naturales, quos in seipso cuique videre pronum est, consideranti vt natura sua tam indigna sit, totq́ue pro sui sustentatione opus habeat: vtq́ue nihilominus hæc ipsa in ea omnia corrumpantur, deficiantq́ue: quæ vtique satis perspecta notaq́ue sunt omnibus, istaq́ue omnia ad nihilum tendunt. Sicut enim ex nihilo facti sumus, ita rursum redigimur in nihilum. Quod quisquis vigilanter attendit, puto equidem magnam illi suppetere materiam humilitatis, seseq́ue humi-

II. liandi. Secundò, ob vitia & peccata nostra. Reuera si quis seipsum ex animo semper funditus obseruaret, secumque maneret, ac sibijpsi secretus & intimè perspectus esset, haud dubiè procliuem semper ad vitia se cerneret, satisq́ue quàm natura sua semper sine modo vitijs dedita sit, inueniret, ita vt si Deus ex ineffabili misericordia sua ipsum continuè non conseruaret, semper fragilis & pronus foret ad peccata etiam mortifera perpetranda. Hæc verò quanta mala sint, nemo capere sufficit. Et quis est finis eorum? quóve perducunt? Ad mortem videlicet æternam, & ad profunda inferni, vbi cum omnibus tartareis spiritibus sine vlla gratia sui sectatores faciunt perenniter commorari. An non, obsecro, hæc ingens est homini sese humiliandi materia? Itaque ad hanc præclarissimam humilitatis virtutem ipsa nos natura nostra perducit. Si enim nosipsos foris & intus ritè perspiciamus, inuenimus certè, nihil nos boni habere, nec posse ex no-

II. Virtus quæ. bisipsis. Secunda, vt dixi, virtus, Dei dilectio est & proximi, quam Deus omnipotens naturæ inseuit, atque in ipsa plantauit radicitus, quandoquidem ex ipsa natura homo diligit & amat. Sic autem humilitas homini inserta non est, sed ea potius extrinsecus venit: amor autem homini naturaliter inditus est: quo-

Beda. modo Venerabilis Beda ait, ita impossibile esse, hominem sine dilectione, vt corpus sine anima, subsistere. Ordo autem naturæ hoc exigit, vt quisque Deum maiori, quàm seipsum & creata omnia, dilectione prosequatur. Et hoc faceremus omnes, si natura violata non esset, si in suo subsisteret ordine. Estque dolendum satis, homines ingenitam sibi conditionis dignitatem adeò peruertere, vt spontè procaciterque se à Deo optimo maximo, naturæ conditore, auertentes,

III. Virtus quæ. Discretionem esse veluti salem virtutũ omniũ. amorem & affectum suum ad fluxas & instabiles transferant creaturas. Tertia virtus, discretio est, quæ ex ratione procedit. Homo namque rationale est animal. Sciendum est hic, quòd quæcunque aliquis opera sine discretionis moderamine ac magistro facit, ad nihil ea valeant, nihilque habeant vtilitatis, sed neque diuinæ sint grata ac placita Maiestati. Vnde prouidè satis in Epistola memora-

morata Princeps Apostolorum vnumquemque hortatur, dicens: *Sobrij estote, & vigilate*, vt videlicet discretio cuncta opera vestra, totam vitam, omnia verba & actus vestros, comedere, dormire, vigilare, stare & ambulare vestrum, in locis omnibus, apud homines quoscunque, & in cunctis denique modis vestris, tam externis, quàm internis, iuxta rationem sobriè regat ac moderetur. Sed reuertamur nunc ad primam virtutem, quæ nobis his verbis commendatur. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Sanè quoties omnipotens Deus visitare nos dignatur, si nos vera profundaque humilitate cernit destitutos, malè profectò nobiscum agitur. Dicit namque Scriptura: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, tanto vtique abundantiorem, quanto maiori sunt humilitate præditi: & tanto minorem, quanto minus humiles sunt. Itaque si tempore visitationis suæ superbia nos elatos reperit, certi sumus, quòd deprimat nos: Si autem profunda humilitate demissos, haud dubium quin exaltet nos. Sui namque humiliatio parit exaltationem. Dicit ergo Apostolus: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Potens ista Dei manus, dilectissimi, sapiens est, bona est, amabilis est: nosque contra fragiles, cæci, ac mali sumus, nec quicquam omninò sine illa possumus. Vnde sequutus idem Apostolus ita nos admonet, dicens: *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum*, haud dubium, quin in Deum, *quoniam ipsi cura est de vobis.* Reuera si etiam nulla alia ante beneficia nobis Deus contulisset, nec postea collaturus esset, nisi quòd fidelissimè sensibiliterque quotidie nostri absque solicitudine solicitus est, nobisque prouidet in omnibus, tam naturæ quàm spiritui necessarijs, sicut indies paternam illius curam & prouidentiam experimur, nosque quotidie à multis grauibus animæ & corporis periculis atque doloribus misericorditer præseruat, & indies nos consolatur & liberat, quæ omnia, si modò nobiscum maneremus, absque intermissione sentiremus, meritoque affectum & amorem nostrum erga ipsum solum vehementer accendere & inflammare deberent, quomodo adhuc vel sic dignas illi gratias referre possemus? Quamuis enim absque solicitudine & multiplicitate nostri curam gerat, nihil tamen quamlibet minimum nobis contingit, quod non singulariter ipse præuiderit ac preordinârit, non nisi hac ratione nobis euenire debere. Deinde subiungit Apostolus Petrus, & ait: *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite, fortes in fide.* Sicut enim leone rugiente, cætera animalia terrore corripiuntur, & præ pauore ad terram corruunt, quæ tunc ille crudeliter discerpit deuoratque: sic & pusilli ac infirmiores quique, necdum satis fundati, mox vt rugitum clamoremque diaboli contra se sentiunt, collabuntur, seseque à diabolo laniari deuorarique permittunt. Iubet ergo hîc Apostolus Petrus, vt *sobrij* simus & vigilemus, malignique susurrijs, immissionibus, tentationibus, *fortes* resistamus *in fide.* Debet enim fidelis quisque haud secus agere quàm fieri solet in obsessa ab hostibus ciuitate, cuius incolæ vbi certò comperiunt exercitum oppugnantium instructiorem fortioremque vrbi imminere, locaque ciuitatis infirmiora in munitioraque esse, ibi firmiora pro vrbis defensione & conseruatione præsidia locant: quod nisi fieret, non vrbis tantùm, sed & corporum rerumque suarum iacturam facerent. Ita, inquam, & fidelis quisque diligentissimè explorare & aduertere debet, quonam in loco, seu quibus in rebus diabolus eum grauius impugnet, & qua ex parte natura infirmior, & ad quæ deniq; vitia propen-

1. Pet. 5.

Ibidem.

Iacob. 4.
1. Pet. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Leonis ac diaboli comparatio.

sior ipsemet sit: atque ibi fortius viriliusque sese opponet, armabit, custodiet. Verbi gratia: Tentat libenter hominem malignus spiritus tristitia inordinata, & graui mœroris pondere animum premit. Dum enim fidelis quisque tam naturales quàm vitiosos defectus suos attendit, ex horum consideratione animi quendam mœrorem contrahit. Quod vbi diabolus aduertit, vt *leo* terribilis & *rugiens* accedit, eidemque susurrat, dicens: Quid est quod agis? cur pœnitentia te maceras? cur dolore cruciaris? Stultè agis. Friuola sunt hæc. Agè viue potius in lætitia, sectare voluptates carnis tuæ ad instar aliorum. Misericors Deus vel in ipso mortis articulo facile tibi pro peccatis tuis dolorem & contritionem infundet. Viue interim pro voluntate tua, & vtere *creatura tanquam in iuuentute celeriter*: vbi senueris, tum demum correctius viues, & totum Dei seruitio mancipabis. Quæso, dilectissimi, fallax istud maligni consilium cauete, vobisque, dum adhuc dies est, tota virtute prospicite, ne vos sempiternæ tenebræ comprehendant. Abijcite prorsus fallacem ac deceptione plenam huiusmodi confidentiam, & curate ne vos tales hinc exire contingat. Post mortem namque non licebit huc vltra reuerti. Et ipse Saluator ait: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Ergo, vt dixi, ad insidias immissionesque diaboli mentis oculos apertos habete. Multas siquidem & innumeras malignus ille homini nefarias cogitationes suggerit, quas dum sentiunt minùs experti, secum cogitant & dicunt: Hæc & illa animo meo inciderunt: O si Confessorem ad manum haberē. Heu me miserum, quomodo nunc agitur inter Deum & animam meam? Obsecro, quicunque talis es, bono animo esto. Noui equidem immissiones huiusmodi. Audi tantum consilium meum. Si aliqua praua tibi incidunt, cura vt rursum excidant. Nec animo turberis, sed corde ad Deum conuertere: noli ea respicere, noli cum eis disputare, noli vel verbum respondere: tantum excidant, & animum inde auerte. Multas quoque pressuras animi & cordis angustias diabolus in hominem adducere solet, quæ omnes ex inordinata tristitia oriuntur. Tandem etiam in desperationis barathrum hominem mergere studet, loquens intus in ipso: Incassum agis quicquid agis: displicent Deo omnia opera tua: & ipse filius es perditionis æternæ. Hic verò quid agendum est illi, cui talia suggeruntur? *Omnem* omninò curam & *solicitudinem* suam, iuxta D. Petri consilium, in Deum proijciet, & ancoram suam in eundem cum firma erga immensam illius misericordiam spe & fiducia figet, & sicut illi, qui in mari periclitantur, cùm se iam iamque maris fluctibus obruendos metuunt, relictis funibus & remis, omnes ancoram arripiunt, & in fundum mittunt, cuius beneficio mortis euadunt periculum: sic & ipse dum graues nefariasque dæmonum tentationes patitur, aut in quibuslibet animæ vel corporis periculis versatur, relictis omnibus, viriliter ancoram arripiat, totamque in diuinitatis demittat abyssum, hoc est, perfectam atque firmissimam erga Deum spem fiduciamq; assumat. Credite mihi, charissimi, si quis in mortis articulo hanc posset ancoram veraciter arripere, ita vt cum diuina spe & fiducia moreretur, admodum ille feliciter hinc emigraret. Vnde consultum foret omnibus, vt sicut in cæteris diuinis virtutibus, ita & in spe fiduciaque erga Deum sese sano adhuc corpore exercerent, & assuefacerent, quod non mediocriter illis in mortis articulo ad bene feliciterquè hinc exeundum prodesset. Hæc autem fiducia falsa non erit, vt simul in peccatis sponte perseueremus, & nihilo minus diuinæ confidamus misericordiæ. Su-

[Margin notes: Diaboli tentantis suggestio. — Sap. 2. — Matth. 15. — Salutare tentatis cōsilium. — Satanæ suggestio. — 1. Pet. 5. — Quò tentatis confugiendū. — Quomodo insistēdum spei fiduciaq; in Deum.]

diæ. Super Dei namque misericordia sponte scienterqúe malè agere, est peccare in Spiritum sanctum. Absit autem, vt de tali hîc fiducia, quæ hominum impiorum est, & mente corruptorum, loquar. Eam potius fiduciam commendo, qua quis ex veræ dilectionis & humilitatis fundo impotentiam suam agnoscit, simulqúe ab omni peccato se auertens, & veraciter, perfectè, hilariter conuertens ad Deum, cum vera discretione promptissimo illius auxilio innititur. *Hilarem* quippe *datorem diligit Deus*. Et reuera meritò quisque Deo suo multum confidere debet, nec vlla ratione de illius bonitate diffidere, à quo nimirum tanta est beneficia consecutus. Cùm enim necdum esset, omnem illius imbecillem fragilitatem, quodqúe peccaturus esset, Deus perfectè præsciuit: simulqúe in diuina sapientia sua modum, quo omne hominum genus à peccato redimeret, inuenit, suam videlicet innocentissimam & acerbissimam mortem, præter alia innumera bona, quæ non solùm quotidie, sed etiam horis & momentis omnibus homini impendit. Fortiter ergo viriliterqúe vos, dilectissimi, ab omni peccato auertite. In veritate enim dico vobis, quacunque aliquis tentatione pulsetur, si non viriliter inde se auertit, si titubat, si vacillat, nec plenam habet voluntatem peccata propter Deum deserendi, noctu diuque grauiter ei diabolus insidiari non cessat: & iam in ea tentatione penè victus est. Vnde quisquis malignos spiritus perfectè optat vincere, ex toto alacriterqúe se ab omni peccato auertere curet, dicatqúe intus in animo suo: O omnipotens æterne Deus, adiuua me, & præsta mihi auxilium gratiæ tuæ, iam enim fixum atque decretum est mihi, nullum deinceps contra tuam voluntatem peccatum admittere. Hac ratione facilè diabolum vincet, ita vt confusus abscedere cogatur. Quæ est autem miseria, quòd homo rationalis à maligno spiritu se vnquam vinci patitur? Haud secus enim facit, quàm si miles bene armatus, ex spontanea quadam socordia vel malitia muscæ se prosternat, ab eaqúe se permittat occidi. Multa siquidem fortissima arma habemus, quibus muniti, facilè diabolo resistere possumus, puta fidem sanctam, venerabile Sacramentum, & verbum Dei. Adhæc, exempla omnium bonorum, orationes S. Ecclesiæ & omnium beatorum, pluraqúe alia fortissima aduersus dæmonis potentiam præsidia ac munimenta: cuius reuera potentia minor est contra hominem quàm muscæ vnius contra vrsum: ita vt si hominem maligno illi fortiter, alacriterqúe resistere non pigeat, idemqúe ancoram, id est, spem suam in Deum Optim. Maxim. à quo tot est beneficia consecutus, viriliter iactare non dubitet: nihil omnino poterit iniquus ille ab inuito obtinere, nec vllum à nolente referre triumphum siue palmam. Quæ cùm ita se habeant, quæso dilectissimi, gaudete & exultate, ab omni peccato ex animo vos auertite, & vobisipsis studiosè prospicitote. Certum est enim, quòd si hic malè diabolo restiteritis, nec id vera contritione expiaueritis, talesqúe ad aliud fueritis seculum deducti, ludibrio cuncti vos nequam habebunt spiritus, tantoqúe dirioribus immanioribusque vos tormentis afficient, quanto hîc prauis eorum suggestionibus fueritis obtemperantiores. Vnde moneo vos & hortor, charissimi, vt interiorem fundum animæ vestræ diligenter obseruetis. Hoc ipso namque, quòd minus syncerè, ne dicam, falsè viuitis, fallentes vosmetipsos, tempusque pretiosissimum & gratiam Dei perditis: Deum non modò offenditis, sed meremini etiam de eo, vt malignis spiritibus ab omni bono opere vos impediendi tribuat facultatem. *Dum* ergo dies est, & *lucem habetis*, vobis-

Qui peccetur in misericordiam Dei.

2. Cor 9.

Qua ratione Satan potissimum vincatur.

Quantum dedecus sit, à diabolo vinci.

Quantillum in nos diabolus possit.

Qui diaboli ludibrio futuri.

Ioan. 12.

vobisipsis prospicite, ne *vos tenebræ comprehendant*, ne Dei incidatis iram & indignationem: fundumqúe vestrum interiorem vigilanter perspicite, curantes, vt nihil nisi purè Deus in ipso inueniatur. Hoc non faciunt, quicunque Deum in veritate non sequuntur, quorum omnis operatio externa est. Tales si quando intus à Spiritu sancto mouentur, absque mora aliò se conferunt, ad terras alias seu aliam se recipiunt ciuitatem, & ibi nouos viuendi modos assumunt fitqúe sępenumerò, vt multi hac ratione ad æternę damnationis deuoluantur miserias. Interdum namque voluntariæ paupertatis propositum habent, deinde Monasterium placet ingredi, postea eremiticum libet arripere institutum. Ex his nōnunquam aliqui ad approbatas religiones & clausa cœnobia perueniunt, & isti securissimum statum assequuntur. Et licet aliqui ex eis, non ex motu seu tractu Spiritus sancti, talem suscipiant vitam, manent tamen in ea, & postea magnas quandoque Deo gratias agunt, dicuntqúe: Gratias immortales ago tibi Domine Deus meus, quòd ad hunc viuendi statum deueni, semperque tibi grates referam, ac deinceps tibi ex animo viuam, fidelemque exhibebo famulatum, quacunque licet ratione huc venerim. Hi nimirum felices sunt, si in obedientia perseuerârint. Quodlibet namque etiam vilissimum & minimum opus ex vera peractum obedientia, ratione ipsius obedientiæ multo nobilius, Deoque longè acceptius est, ipsique homini vitæ æternæ magis meritorium, quàm alia omnia, quamlibet etiam magna opera, ex propria voluntate peracta, nec aliquod in hac vita humili ac obedienti corde, charius digniusque Deo omnipotenti sacrificium offerri potest. Vnde fieri posset, vt aliquis sub momento vno tam humiliter purè propter Deum obediret, propriamque exiret & abnegaret voluntatem, quòd per hoc amplius veriusque in Deum sine medio duceretur, quàm si toto decennio in proprijs conceptibus ac institutis magna cum deuotione vixisset. Libet hîc similitudinem quandam proponere: Si quis ad eum sanctitatis gradum ex Dei munere peruenisset, modò id possibile foret, quòd Deum semper re ipsa visibiliter præsentem, sibique commorantem haberet, hîc si ad aliquod obedientiæ euocaretur opus, humiliter dicere deberet: Eia suauissime Domine Deus meus, permitte me, obsecro, tui amore hanc obedientiam perficere. Credite mihi, humilis ista propriæ voluntatis abnegatio multo in eiusmodi homine Deo gratior delectabiliorqne foret, quàm si idem ille momento eodem cum omnibus beatis spiritibus cælos penetraret. Huius exemplum quoddam subijcio: Virgo quædam in Monasterio degebat, diuino amore impendio flagrans. Hæc cùm quodam tempore, immenso dilectissimi sponsi sui Iesu Christi desiderio teneretur, ex toto corde suo eundem alloquebatur, dicens: O vnice & amantissime Fili Dei, Redemptor animæ meæ, vtinam vel ad momentum te in hac vita cernere mihi liceret. Quo dicto, repentè adstitit illi Dominus noster Iesus Christus in forma pueruli cuiusdam. Contigit autem, vt Sanctimonialis quædam ad cellam huius sanctæ ac deuotæ pulsaret virginis, eamque cum festinatione ad opus quoddam communitatis ex obedientia peragendum accerseret. Audiens hæc obedientiæ iussionem, puerulo illi in hæc verba loquebatur: En dulcissime Domine mi Iesu Christe, pro explenda obedientia abeo, obsecro te, si placet tibi, me hîc interim expecta, donec ad te redire liceat. His dictis, sancta hæc virgo è cella exijt, & quod facere iussa erat, animo libenti ac hilari vultu peregit. Quo facto, magna cum cele-

Humile ac obediens cor, quā Deo sit gratū.

Paradigma. Forsitan Catharina Senensis.

Præclarū obedientiæ specimen.

celeritate properabat ad cellam: cumqúe hanc aperiret, mira quædam & radiantissima lux eius se ingerebat oculis, ita vt vix eam ferre posset, viditqúe amantissimum Dominum Deum suum perfectę ętatis tanquam speciosissimum iuuenem annorum quatuor supra viginti, sibi assistere. Tum verò hilari corde in risum soluta, ita eundem alloquebatur: O dilectissime Domine Iesu Christe, quomodo tam speciosus & grandis tam breui tempore effectus es, qui tam pusillus apparebas, quando à te recessi? dic, obsecro, dic vnica spes animæ meæ, quā id factum est: Respondit ei pius ac dulcis Dominus Iesus Christus, & ait: O filia charissima, profunda velocis ac impigræ obedientiæ tuæ humilitas hoc breui spatio tam grandem me effecit. Semper ergo mei amore libenter obedito, si mihi continuè sine medio optas vniri. His dictis, visio illa disparuit. Sancta autem hæc virgo postea hęc omnia eiusdem Monasterij Sanctimonialibus enarrauit. Ista nimirum institutio & visio, sacræ quoque virginis prompta obedientia, manifestè arguit Religiosos omnes, qui seipsos non abnegant, qui propriam seruant voluntatem, nec, vti promiserunt, promptè alacriterqúe suis superioribus obediunt. Enimuerò quosdam etiam religiosos homines in Monasterijs, in inclusorijs, in congregationibus inuenire est, qui certas orationes legere, aut alia quædam opera bona facere proponant, diuersosqúe sibi priuatos assumant modos & exercitia, à quibus si ad obedientiam euocentur, statim innotescit, quantam in his sentiant pacem. Quare autem tam inuiti illis obedientiam præponunt, nisi quia cum proprietate illis inhærent, eaqúe veluti pro Deo sibi statuunt? qui quidem fallunt semetipsos. Nam quicunque sub obedientia viuunt, semper alacriter & sponte obedire, cunctaque alia, siue Venias, (vt vocant) siue meditationes, siue orationes, seu alia quæcunque, quodlibet nomine censeantur, interim postponere missaque facere debent: quo fiet, vt ad humilem suijpsorum, tam in spiritu, quàm natura, abnegationem resignationemque breui pertingant, & purè Deus in ipsis viuat atque nascatur, in eundemque ipsi sine medio ducantur: quibus omnibus frustrantur miserè, quotquot suæ proprietati inhærent, nec promptè obedire discunt. Reuera tam præclara virtus obedientia est, vt præ cunctis alijs virtutibus, singulariter semper Deo placeat & grata sit, quanlibet etiam minima sint opera, quæ ex ipsa peraguntur. Vnde & ipse Dominus Iesus Christus, æternus sempiterni Dei Filius, cælesti Patri suo propter hominem obediens fuit, primò quidem descendens à summo cælo, & humanam naturam in Virginis vtero assumens, inde ascendens in crucem, & in ea demum mortem subiens amarissimam acerbissimamque. Quem nimirum fideles omnes ex animo sequi debent, vt videlicet intus & foris in cunctis licitis rebus, sine omni murmure vel contradictione humiliter obediant. Ita enim idonei & apti erunt, in quibus Deus omnipotens sublimia dilectionis opera sine cessatione & absque impedimento operetur. Hæc autem institutio è diametro militat contra religiosos omnes, qui inuiti obediunt, qui glossas quantas possunt comminiscuntur & fingunt, vt ab hac præclarissima virtute sese excutiant, propriosque modos, conceptus & instituta sua, pro suo capite & voluntate prosequi sinantur. Quod quidem ingens, inter Deum gratiamque illius & ipsos, medium facit: nec possunt aliquid intus de Deo diuinaque experiri dulcedine, quandiu tam irresignato ac proprietario fundo præditi sunt, nec propriam student exire voluntatem. Quando ergo nouum aliquod opus bonum quispiam

Contra proprietatios fiue priuatim sibi quicquā, communi neglecto, arripientes.

Obedientia quàm placeat Deo.

Quid priuatū aliquod exercitiū instituenti, præmeditandum.

aggredi statuit, totum sese in Deum proijciat, ipsum orans, vt ad suam gloriam cuncta dirigat: videatque diligenter, vtrum gratia sua sufficiat, an bene moueatur, an natura sua sufferre possit, vtrum sumptus habeat necessarios ad perficiendum: simulque in suum nil posse, & in fundum suum se recipiat, & ibi omni excursu vitato, Dei beneplacitum expectet & obseruet, attendens si his virtutibus veraciter præditus sit, profunda videlicet humilitate, amore, discretione: quas si habuerit, mira haud dubiè & grandia Deus in ipso operabitur. Redeamus nunc, vnde paulisper aberrauimus, ad sequentia diui Petri verba, quibus ait: *Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.* Sic est, dilectissimi, oportet planè nos aliquid pati. Quicquid agas, quoquò te vertas, ô homo, non effugies crucem, non eris immunis ab afflictionibus & aduersis. Quòd si multi fortissimi iuuenes corpus & vitam suam mille periculis in mundi huius exposuêre seruitio, nullam inde aliam mercedem consecuti, quàm quòd caro eorum vermibus, anima dæmonibus cessit in partem: (non enim aliam mercedem seruis suis mundus restituit) multo magis nos Deo fidelissimo Creatori nostro libenter seruire, & aspera quæque pro illius amore pati debemus, vtpote qui seipsum, & regna cælorum, vitamque perpetuam sibi famulantibus pollicetur. Imò cùm ipse Deus ac Dominus noster, & omnium hominum caput Christus Iesus, verus Dei Filius, tam grauia pro nobis perpessus sit, suique contemptum, paupertatem, exilium sustinuerit, meritò membra illius erubescere debent, quòd pro eius amore aliquid pati recusant. Et quis in hac vita tot opprobria, tantam contumeliam, dedecus & ignominiam pertulit, vt caput nostrum Dominus Iesus Christus, qui etiam indies adhuc eadem sufferre paratus esset, si eum talia pati foret possibile, ac saluti nostræ necessarium? Quamuis vsque in hanc diem sæpius adhuc ab hominibus spiritaliter crucifigitur, quando illi varijs modis impiè iurant, passionemque eius & mortem illi improperant, imò toties passio, vulnera & sacratissimi sanguinis eius effusio renouantur, quoties aliquod mortale peccatum committitur. Taceo iniuriam & contemptum, quæ illi à multis indies irrogantur, sacratissimum Corpus eius in immundum, putidum ac diabolicum vas, id est, cor suum, mundo semper & creaturis sponte repletum & addictum, proh nefas, quotidie suscipientibus. Quæ iniuria si ab eo cum dolore sentiri posset, grauius ipsum cruciaret, quàm quòd Iudas polluto eum suscepit ore. Isti nanque per fidem nouerunt ipsum Deum Creatorem suum esse, quod Iudæ vix vnquam satis perspectum fuit. Et quotquot sunt veri amici Dei, si hanc iniuriam Domini sui sensibili cum dolore & cruciatu sentire possent, vti eam intus in corde & animo, charitatisque dolore sentiunt, haud dubiè cor & animam eorum, ossiumque medullas transuulneraret: & si eandem iniuriam morte sua corporali possent impedire, ipsa vita sua multo id eis gratius ac dulcius foret, quo hanc dilectissimi & amantissimi Domini Dei sui iniuriam & opprobrium, quæ à multis ei quotidie irrogantur, possent auertere. Denique, vt ad diui Petri verba reuertar, tutissima rectissimaque ad Deum via est, vt nosipsos semper *sub potenti manu Dei* humiliemus. Humilitas nanque fundamentum nostrum esse debet, & charitas ædificatio seu constructio nostra, & rationalis discretio fundamento nostro semper superstruenda est: & ita exaltabit nos Deus in tempore visitationis. Cæterùm id pro comperto habeatis, dilectissimi, complures plus satis intellectui inhærentes, ac rebus intellectua-

Omnino patiendū aliquid esse.

Cur pati nolētibus erubescēdum.

Per quos & hodie Iesus crucifigatur.

Qui proditore Iuda peiores.

Quomodo tribus superius dictis virtutibus vtendum.

tellectualibus immodicè occupatos, sese extrouertisse, de suo subtili & alto gloriantes intellectu, qui tamen per hanc viam minimè incesserint. Et quotquot eiusmodi sunt homines curiosi & vani, in ima ruunt exciduntqúe. Quo enim mons altior, eo vallis profundior. Præstet nobis Dominus Deus, vt in hoc vero fundo semper inueniamur, quo ipse nos sursum trahat, dicatqúe: *Amice, ascende superius*, ad laudem & gloriam ipsius, qui est benedictus in secula. Amen. Lucæ 14.

DOMINICA EADEM.

De quadruplici genere peccatorum Domino appropinquantium, diuersa tamen multumqúe dissimili ratione. Et vt Dominus pios peccatores diuersis modis quærat, & inueniat, quæque sunt pascua eorum tam in præsenti quàm futuro seculo.

SERMO II.

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores. LVCÆ XV.

QVAE vobis recitata sunt verba, charissimi, in præsentis Dominicæ diei sacro Euangelio habentur, vbi etiam Dominus parabolam dixisse legitur, in hæc verba: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* De his verbis præsens concio erit. Omnes quidem dilectissimi, peccatores sumus, &, vt diuus Ioannes ait, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Dicam tamen de quadruplici genere peccatorum. Primi sunt homines seculares, vitam superbam, rebellem, nefariam, impiam, Dei prorsus immemorem ducentes, diuini timoris expertes, negligentes diuina omnia, peccandi alij occasiones præbentes, Deum nec quærentes, nec amantes, nec meminentes, & immanibus denique apertisqúe mortalibus peccatis omne vitæ suæ transigentes spatium, & neque scire aliquid, nec audire volentes de Deo. Si Missæ sacrum auscultare debeant, haud secus agitantur, quàm si nudis plantis vepres calcarent, tempusqúe illud nimis eis prolixum videtur. Isti Deum diuinaqúe omnia, quatenus ea ad Dei gloriam, ipsumque Deum pertinent, & quicquid virtutis est, negligunt atque contemnunt. Appropinquant tamen & isti ad Dominum. Vis scire quomodo? In festis Paschalibus ad sacratissimum Christi Corpus accedunt, nullum habentes firmum propositum, nec integram voluntatem prauas consuetudines suas deserendi: quin potius more suo viuere statuunt. Quibus profectò longè præstaret, mille dæmonum myriades in corpus suum recipere: vtpote qui haudsecus Dominum Deum suum accipiunt, quàm Iudas proditor, & rei efficiuntur corporis & sanguinis Iesu Christi, sicut apertè Paulus testatur, loquens de illis, qui mortalis peccati sibi conscij, Christi pretioso corpori communicant. Et vos, charissimi, si sciretis, quàm periculosè & terribiliter viuant, qui eiusmodi sunt, fortassis corda vestra præ dolore tabescerent. Nam & ipsimet, si immanissimos cruciatus & miserias inexplicabiles, horrendumque iudicium, & incomprehensibiles angustias calamitatesque, quas pro tanto scelere perenniter sustinebunt, præuide-

1. Ioan. 1. Peccatores quadruplices esse. I. 1. Corin. 11.

Desperatio vnde. uidere possent, sensibus ac ratione destituerentur. Infelices isti, quando ad extrema deducti, quonam in statu, quantisque in periculis res ipsorum sint, semperque fuerint, videre incipiunt, tantis quandoque angustijs & calamitatibus corripiuntur, vt frequenter & valde frequenter in desperationis voraginem mergantur, & pereant vsque in finem. Quidam etiam ex eis, quod breui adhuc contigit, miserias, quas patiuntur, verbis conantur exprimere, sed qui eos audiunt, furere ac insanire eos dicunt. Cæterùm fit hoc ob acerbissimas, quas sentiunt, angustias, calamitates, miserias: necnon ex ineffabili misericordia Dei, quo cæteri timorem habeant, & similia incidere, dum licet, caueant diligenter. Certè huiusmodi duris ac lapideis hominibus, si vnquam ante, vel nunc maximè hisce nostris temporibus admodum foret necessarium, Doctores strenuos ac fideles habere Confessores, qui eis Dominici corporis perceptione interdicerent, & quantis in periculis viuant, edicerent: qui vitia eorum pungere potius, non palpare: arguere, non dissimulare scirent.

Cur quidā furere putentur.

II. Alij similiter magni sunt peccatores, sed tamen specimen quoddam sanctitatis de se præbent, dum magna exercitia, multaque bona opera faciunt, cæterisque hominibus optima bene viuendi præferunt exempla. Tales sunt hypocritæ, sectatores Pharisæorum, qui Pharisaicum habent viuendi modum, qui propria voluntate abundant, qui superbi & irresignati sunt, & seipsos atque sua in omnibus quærunt diliguntque. Hi frequenter grauibus peccatis mortalibus iacent oppressi, nec tamen se peccatores sentiunt: & cùm nimium priuato abundēt amore, Dominum Deum suum nec amore nec intentione prosequuntur. Vnde & ipsi periculosè satis viuunt, & itinera ipsorum, præter id quod periculis innumeris exposita sunt, etiam Deo valde displicent & aduersantur. Illis ipsis autem institutis suis & operibus, quibus ad Deum tendere deberent, nimium ab illo recedunt, fugiunt, abalienantur. Quomodo, inquis? Ausculta. Magna quidem sunt opera quæ faciunt, & speciem quandam virtutum ipsi præ se ferunt: verbi gratia, in verbis & operibus humilitatem promittunt, sed simul cum his ad sese cum superbia & vana sui reflectuntur complacentia, fallentes miseri seipsos, & graue æternumque sibi damnum inferentes. Et quia sibijpsis impendiò placent, vix aliquis eis potest satisfacere. Alios omnes iudicant & condemnant: & sicut ipse Deus ac Dominus noster Iesus Christus nunquam Pharisæis satisfacere potuit, ita & isti quotquot eorum consuetudines, instituta, exercitia non sectantur, vilipendunt, ac temerarijs insectantur iudicijs. Sunt enim spiritaliter superbi, imò spiritali superbia pleni, quod crimen supremum Angelum in profundissimam inferni demersit abyssum. Vnde moneo vos, charissimi, hanc spiritualem superbiam haud secus quàm mortem ipsam æternam fugere ac detestari. Ad vosipsos conuertimini, vosipsos iudicate, alios iudicare non præsumite. Etiamsi aliquod reuerà malum videatis fieri, adhuc tamen, quantum potestis, & apud vosipsos & apud proximos illud excusate, ne lapsus cuiusquam ad plurium notitiam deducatur. Isti temerarij iudices & hypocritæ, de quibus agimus, ex illis sunt *nonaginta nouem* ouibus, quas Dominus in deserto relinquens, ad vnam ouem quærendam perrexit. Credite mihi, nullius pretij sunt apud Deum peruersi homines isti, nec cogitat de illis imò nec nouit eos, vti ipse in Euangelio ait: *Nescio vos.*

Superbiæ spiritalis detestatio.

Temeraria iudicia quàm vitanda.

Matth. 7. & 25.

III. Tertij sunt homines tepidi & pigri: qui sacrum quidem baptisma nobiscum perceperunt, sed à diuina præueniti gratia, nunquam in grauia mortalia peccata in

ta in his, quæ sancta Ecclesia vel præcepit, vel prohibuit, collapsi sunt: vnde plus æquo præsumentes, nullo erga Deum & diuina studio, diligentia, strenuitate feruent: & licet codices multos legendo atque psallendo percurrant, & folia terant, ea tamen quæ legunt, non eis sapiunt, nec aliquam inde referunt gratiam. Satis autem creaturæ eos afficiunt, satisque eis placent & sapiunt: his videlicet delectantur, has amore prosequuntur, ad harum accedunt amicitiam & consuetudinem: in his sponte ac liberè delectationem, quantum possunt, quærunt, & ad huiusmodi seipsos & alios prouocant modis omnibus, quibus possunt, verbis scilicet, operibus, vestimentis, habitu, moribusque, diuersis quoque exercitijs & multimoda conuersandi ratione, varijsque gestibus in eundo & stando, per nuntios quoque, munuscula & literas, & ita modis innumeris seipsos foras effundunt, moribus incompositi, sensibus incustoditi, in loquendo garruli stolidique: interim tamen, si superis placet, aiunt se ægrè mortale aliquod peccatum velle admittere, maximè quod graue atque notabile foret. Verùm quonam in statu res ipsorum sint, nouit Deus: & ipsi meritò & debent & possunt sibi timere. Sicut enim qui vitiosum & corruptis humoribus infectum habent stomachum, fœtidas patiuntur eructationes, nec libet eis bono cibo vesci, & si eo vescantur, non eorum afficit palatum: nec enim habent vllum melioris escæ appetitum, & dulcia eis videntur amara ob stomachi infectionem & humorum malitiam: sicut etiam fœminæ prægnantes interdum terram & res sordidas concupiscunt: ita & isti stolidi homines, quorum stomachus, id est, dilectio & cor, creaturarum fimo abundat, nullum propterea cælestium diuinarumque rerum habent appetitum seu desiderium: quin potius diuina omnia eis amara & insipida videntur. In interiori nanque fundo suo creaturis mortalibus admodum grauidati sunt: ideoque terram & terrena atque immunda concupiscunt, his delectantur, hęc cibus & potus ipsorum, his mirè se vanitatis iungunt studio. Aiunt Physici, materiam primam summopere propriam formam suam appetere. Verbi gratia: mulier vbi grauidata est, primò quidem nudam materiam concipit. Deinde hæc ipsa materia bestialem quandam accipit formam, quæ humanam formam desiderat. Vbi verò materia illa hominis formam induit, ea rursus æternam quandam ac rationalem, Dei imagine insignitam appetit formam: & hæc forma, id est, anima rationalis, nulla vnquam requie potitur, nisi in eam formam transformetur, quæ omnes in se formas continet, perficitque, quæ est increatum ac sempiternum cælestis Patris Verbum. Habet enim anima rationalis scintillam quandam & fundum intra se, cuius desiderium & sitim vt aliquid aliud perfectè satiet præter Deum, nec ipse, licet omnia possit, Deus efficere potest: vnde etiam si omnia quæ in cælis & in terris condidit, illi daret, non sufficit ei, neque satiat eum. hæc enim est natura illius. Hunc autem fundum & desiderium extinguunt & suffocant miseri isti, adeoque creaturis inhiant, quasi à vento satiari possint. Et hac de causa diuina omnia prorsus illis insipida sunt. Gustus nanque & appetitus æternorum extinctus est, stomachus prauis abundat humoribus, & iam infelices isti æternæ morti valde propinquant. Quid putamus, dilectissimi, facient isti, quando ad extrema deducti, ipsi iam videbunt, vt naturalem & ingenitam dignitatem suam peruerterint ac dehonestârint, stultissimæ fatuitatis ac vanitatis gratia tam immensa neglexerint bona, ac fundum denique suum corruperint atque vastârint? Cre-

Quorum stomachus mysticè infectus.

Quid Deus, aliequi omnipotens, nō possit.

Æternæ morti qui maxime propinqui.

dite mihi, charissimi: calamitas, angustia & miseria, quas tunc experientur, omnem vitæ huius calamitatem excedunt. Certè quicquid habet homo tam intus quàm foris, bona omnia, tam naturæ, quàm gratiæ & fortunæ, à Deo accepit, hac vtique ratione, vt eadem in ipsum cum amore, gratiarum actione & laude refundat, referatque. Cæterùm qui tales sunt, quales hi stupidi, de quibus agimus, vix quotidianas exoluunt preces. Et vbi sunt debita innumera, quibus Deo obligantur? Quid fore putamus, dilectissimi, vbi hæc ad nouissimum vsque quadrantem exigentur ab eis? Itaque moneo vos, charissimi, dum licet, cauete vobis, ne fortè, quod fatuis virginibus euenit, etiam vobis accidat. Non illæ grandia peccata fecisse leguntur, sed tantùm non præparasse. Quod autem parare se maturabant, ex bona voluntate profectum videtur, & tamen à regni introitu exclusæ sunt, dictumque est illis: *Amen dico vobis, nescio vos.* Non enim, vt vos persuasum habetis, negligentibus cælorum regna proueniunt. Minimè sanè. Enimuerò obcæcati isti, de quibus agimus, pretiosum Christi sanguinem, acerbissimamque passionem illius otiosè ac sine fructu abire debere putant. Sed errant miseri atque falluntur. Dicunt autem: En in sacra Religione positi sumus, in sancta congregatione & societate viuimus, & oramus multum, legimusque. Et ego: Hæc, inquam, omnia sine amore & attentione, cum distracto corde, tam cæcè & frigidè agitis, vt sine admiratione nec cogitari quidem possit. Sed confitentur, verbis scilicet, absque integra sese ex animo corrigendi voluntate: & Corpus Dominicum accipiunt. Faciunt nimirum haud secus, quàm si quis regem ad domum suam inuitet, & venientem in sordidissimam ac putentissimam haram inter porcos sessum ducat. Multo quidem præstaret eis nunquam tremendum illud Sacramentum percipere. Iam si fortè accedat aliquis, & quantis in periculis degant, quamque horrendam periculosamque sint habituri mortem, eos præmoneat, irrident hominem, dicuntque, Beggardorum ista sunt verba: En isti noui sunt spiritus. Nec tantum Iudæi vel Pagani Christianos irrident, quantum isti pseudochristiani eiusmodi hominem. En, aiunt, nouum hic habemus spiritum. Hic est vnus ex sublimibus spiritibus. Et hoc illis faciunt, quos eorum grauissima damna cruciant, quique eos inde ad viam veritatis & iustitiæ reuocare nituntur. Cæterùm, si in hac impœnitentia, & vitiorum suorum periculosa nescientia permanserint, nunquam Dei faciem sunt conspecturi. Dicunt quidem, ægrè se mali quippiam facere. An verò benefacere credendi sunt, dum foris quidem per sensus bestiales frigida quædam vocalium orationum & lectionis murmura, tanquam paleas Deo offerunt, amorem verò, cor, intentionem atque fauorem, pro quibus ille solis mortuus est, cætera verò nec dupondio supputat, per liberam voluntatem creaturis tribuunt? Oportebat quidem illa facere, sed ista multo magis offerre. Itaque & isti ex illis *nonaginta nouem* ouibus sunt, quas Dominus in deserto reliquit, quarum exiguus aut nullus fructus est. Quòd si etiam ex diuina misericordia quibusdam ex his ea gratia in extremis collata fuerit, quod tamen maximè incertum est, vt tanta cordis contritione compungantur, quanta ad beatam vitam obtinendam sufficit: horrendum tamen ac ineffabile sustinebunt purgatorium, immaniterque nimis torrebuntur, excoquentur, assabuntur, & hoc fortasse ad extremum vsque iudicij diem. Deinde verò his omnibus toleratis, nimium à singularibus Dei amicis remoti erunt, longè infra illos in angulo aliquo collocan-

Omnia bona, Dei esse.

Matth. 25.

Comparatio venusta.

Matth. 18. Luca 15.

locandi. Denique reuerà isti peccatores sunt, & tamen se peccatores minimè sentiunt. Appropinquant autem & ipsi Domino nostro Iesu Christo exteriori sua innocentia & vita: sed cor, fundus, & amor ipsorum, longè est ab illo. Quarti denique generis peccatores, felices & amabiles sunt peccatores. Et hi fortitan longè præ supra memoratis grauius peccârunt, atque in diuersa immania lapsi sunt crimina: sed quanlibet illa magna sint & numerosa, parum refert. Illi nanque ex ipso fundo Deo suo appropinquant, & vel auerterunt se, vel etiamnum auertunt perfectè, & ex animo ab omnibus extra Deum, quæ non sunt purè Deus, aut in quibus ille non relucet, & cor suum atque fauorem ad eundem applicuerunt conuerteruntque, hac videlicet ratione, quòd eum præ omnibus amare velint & intendere: simulque totos se intus & foris eidem resignant, ita vt quæcunque ipse voluerit, & ipsi velint. De talium peccatorum sceleribus & culpis nullam vnquam Deus rationem exiget, imò nec scire ea vult. Quum enim ipsi totos inde se auerterint, & ille faciem suam inde auertit, adeò vt si ipsi ea amplius scire nolint, velit & ipse ea nescire. Sed quærat fortasse aliquis, vnde scire possit, si tam perfectè ab omni peccato auersus, & ad Deum conuersus sit. Hinc videlicet: si intra se in veritate absque omni glossa vel excusatione solum Deum, nec aliud quicquam extra illum, ex imo cordis sui, diligendi inuenit voluntatem: si hunc solum præ omnibus & super omnia purè diligere, & in cunctis operibus suis intendere proponit, desideratque: si promptam & resignatam in se reperit voluntatem, cuncta quæ Deum à se exigere sciret, quæcunque etiam illa essent, libenter faciendi: nec quicquam in terris tam charum habet, quod non pro illius amore ac beneplacito vellet deserere, si hoc illi placere haberet exploratum: si denique eundem Dominum Deum suum sequi statuit & intendit, quacunque se via trahere vel ducere velit, siue per media, siue immediatè per seipsum: si, inquam, in his libenter eum expeditè & abstractè, quocunque modo ipse voluerit, sequi paratus est. Hactenus de quadruplici peccantium genere dictum sit. Habet deinde Euangelium, vt Dominus ouem perditam quæsierit, vbi interrogari potest, qualis sit illa Domini quæsitio. Quærit Dominus, & habere vult mitem, humilem, pauperem, purum, resignatum hominem, qui ad omnia sit æquè paratus ac resignatus. Quod non ita accipiendum est, quasi alicubi residere debeat, & pallio caput obuoluere: sed ita potius, vt se Deum quærere sinat, quo tantisper deprimatur ac vilipendatur, donec humilitatem in omnibus vndecunque occurrentibus seruare sit edoctus. Porrò sicut hi, qui rem perditam quærunt, non in vno, sed in omnibus hinc inde locis inquirunt, donec inueniant, sic & Deus vnumquenque fidelem diuersis modis, non vna tantùm ratione, quærere habet. Tantum curet quisque, vt in omnibus modis & quibuscunque, vndecunque vel à quocunque accidentibus siue occurrentibus, inueniatur ab illo, quanlibet ille ignominiam ac humiliationem ei euenire permittat: & hæc eadem non aliunde, quàm ab ipso accipiat Deo, qui per hæc eum quærit. Vult planè Deus ipsum mitem habere: tanta ergo, tamque multiplicia sibi aduersa patiatur inferri, tamque diu se in passionis torculari comprimi & conculcari, donec mansuetudinem in huiusmodi perdidicerit. Vult etiam Deus pauperem eum habere. Itaque si bona sibi auferuntur, amici tolluntur, aut certè thesaurus aliquis, cui per amorem inhæret, diripitur, inueniri se patiatur, curetque vt fundum

IV. Peccatores felices qui.

Quid sibi ouis quæsitio velit.

Cur aduersa quibusdam immittantur.

suum Deo nudum valeat & pauperem exhibere. Siquidem & in his quærit eum Deus, tantùm inueniri se sinat. Vult denique & purum eum Deus habere, & huius rei gratia, innumera & multiplicia ei aduersa permittit occurrere, donec ad plenum purgetur & perpoliatur. In omnibus ergo, quæ illi accidere possint, vel etiam accidunt, vndecunque vel à quocunque siue ab amico, siue inimico, seu à propria matre, siue sorore inferantur, quærit eum Deus, à quo etiam, non ab hominibus, purè ac nudè ea suscipere debet, permittens se ab illo in his quæri. Sanè dilectissimi, si quis vulnus haberet putrescens, vri, secari, & immaniter se etiam multis in locis tractari permitteret, ne si noxius serperet humor, multo grauiores deinde incideret cruciatus: hac, inquam, de causa non parceret sibijpsi, sed putredinem omnem secari sineret, vt ea sublata, beneficium sanitatis consequeretur. Ita & vos, quæcunque vobis aduersa eueniunt, attento eo, quòd in his Dominus vos quærat, libenter hilariterqúe sufferre debetis, vt fundus vester non momentaneam, sed æternam recipiat sanitatem atque salutem. Dum ergo quælibet vobis vel intus vel foris ex improuiso aduersitas occurrit, ita in animo dicatis: Optatò aduenisti amice fidelissime, certè non hîc te expectabam: simulqúe humiliter illi vos inclinate. Hoc igitur modo in omnibus nos quærit Deus, cupiens nos verè resignatos efficere. Non quærit ipse equos grandes, nec boues fortes, hoc est, homines arrogantes, magnis quibusdam propriæ voluntatis incumbentes exercitijs: nec etiam eos quærit, qui grandia extrinsecus opera cum sui complacentia faciunt: sed humiles duntaxat, & mites ouiculas, id est, paruulos ac resignatos homines, qui se permittunt à Deo quæri, & vbicunque quæruntur, semper oues inueniri satagunt. Talis ouicula quisquis esse desideras, in omnibus quæ tibi quolibet modo queant accidere, veram eandemqúe pacem habeto. Et vbi quod in te est feceris, securus esto: qualibet quæque ratione eueniant, semper pacem pectoris serua, nihilqúe mouearis, omnia committens Deo, eidemqúe te resignans in omnibus, etiam in defectibus tuis secundùm sensus, non secundùm rationem, ita videlicet, vt auertaris ab eis, displiceantqúe tibi: in quibus nimius esse non poteris. Velisqúe libenter molestiam, quæ ex vitiorum impugnatione sentitur, sustinere, non autem in ipsa vitia secundùm rationem consentire: quod quidem maximum præstaret impedimentum. Atque hoc modo in omnibus pacem serua, etiam in donis Dei: siue ea largiatur, siue subtrahat Deus, semper idem perseuera: ita demum homo resignatus efficieris, omnia & aduersa & prospera, dulcia & amara, in vera perspectaqúe pace æqualiter de manu Domini suscepturus. Qui talis est, charissimi, hic est prorsus amabilis ouicula, quam Dominus quæsiuit & inuenit. Non autem quærit ille oues superbas, homines creaturarum amori & delectationi iugiter inhærentes. Enimuerò Deus omnipotens nonaginta nouem, imò centies nonaginta nouem tepidos, fastidiosos, superbos ac propriæ voluntatis homines, in deserto, vbi nullus penè fructus est, relinquit. Nam & isti viscosi homines, exiguos aut prope nullos referunt fructus. Cæterùm vbi Dominus *ouem* quæsitam inuenit, *imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam.* Amici isti & vicini, omnes sunt cælestes exercitus, Angeli videlicet & Sancti, cunctiqúe insuper dilecti amici eius, tam in terris quàm in cælis positi: qui omnes immenso ac ineffabili gaudio de huiusmodi exultant oue, adeò vt gaudium illud nullus capere intellectus, nulla

Amici & vicini, quid.

queat ratio consequi: quippe quod in abyssum quandam tendit. *Imponit* autem Dominus *ouem in humeros gaudens*, secumqúe deportat. Humeri inter caput & corpus siti sunt, & vtrunque contingunt. Imponit ergo Dominus ouem hanc amabilem in humeros, hoc est, inter sacratissimam humanitatem, & æternam ac superdignissimam diuinitatem suam constituit. Et humanitas quidem illius, eiusmodi ouium fit fulcimentum siue sustentaculum, in diuinitatem transferens easdem: ipsaqúe huiusmodi sese immiscet ouium actibus, portans eas in cunctis operibus earum. Hactenus quidem opera sua ex seipsis & cum seipsis fecerunt: iam verò imponit eas Deus in humeros suos, portatqúe eas, & omnia ipsarum opera in eis & per eas efficit. Siue enim comedant, siue bibant, siue eant, siue subsistant, siue loquantur, siue quælibet demum agant, cuncta hæc in eis Deus operatur, ipsiqúe viuunt & feruntur in Deo. Ex humanitate transeunt in diuinitatem, rursumqúe ex diuinitate exeunt ad humanitatem: sicqúe ingrediuntur, & egrediuntur, & vberrima semper pascua inueniunt. Reuerà gaudium & delectatio, quæ hîc spiritui etiam in hac vita præstantur, vsque adeò ineffabiliter cuncta mundi huius exuperant gaudia & oblectamenta, vt si vniuersa hæc in vnum conflentur, multo tamen minora sint ad minimum etiam, quod hîc donatur spiritui, gaudium, quàm guttula vna aquæ ad vniuersum mare. Denique isti sunt peccatores, de quibus Dominus in Euangelio loquitur, vbi ait: *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem*, imò millies mille, iustis, tepidis & fastidiosis. Ex his enim Deo honor & gloria refertur. Ipsi sunt peccatores Deo reuerà propinquantes. Præstet nobis Dominus Deus noster, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt ita nos quæri sinamus, quo veræ semper oues inueniamur, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Ouem in humeros poni, quid.

Gaudium spiritus quanto præstet mũdano.

Qui peccatores Deo, quã iusti, chariores.

DOMINICA EADEM.

De Parabola drachmæ perditæ: & vt is, qui per eam signatur, pondus, materiam & imaginem iustam habere debeat: vtqúe Deum homo quærat, & quæratur à Deo: & quomodo necesse sit eiusmodi hominem per multiplices desolationes, derelictiones atque pressuras euenti, ac demum quid sit vera dilectio Dei.

SERMO III.

Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit vnam, &c. LVCÆ XV.



IN Euangelio hodierno, vnde thema hoc extractum est, primam de oue perdita Dominus Parabolam proposuit, de qua licet alias multa dixisse me memini, etiam nunc tamen quædam dici non absurdè possunt. Itaque quoquo te vertas, qualescunque excusationes & glossas adferas, ô homo, si saluari cupis, ouis sis oportet. Quomodo, inquis? In vera scilicet mansuetudine, modestia, tranquillitate, & quorumlibet aduersorum resignata sufferentia, ita vt animum habeas Deo & creaturis omnibus propter Deum, passiuè semper modum patiendi, subiectum: vt qualibet ratione, vel per quemcunque, siue per seipsum, siue per homines, seu per dæmones, siue per creaturas omnes, cælo terráve contentas, per dura etiam, sæua & horribilia verba, trucesque hominum gestus Deus te quærat, seu quærere velit, semper teipsum humiliter resignes, exeas, abneges: & qualibet te ferocitate ac impetu alij aggrediantur, non te defendas, non illis

Oues quomodo nos oporteat esse.

respondeas, sed tantum sileas patienter, sequens hac in parte amabile exemplar Domini nostri Iesu Christi, qui vt ouis mansuetissima, *non aperuit os suum, & coram tondentibus se* iudicibus *obmutuit*. Ita prorsus vnumquemque vestrum moneo & hortor charissimi, vt siue criminentur vos homines, siue grauibus iudicijs & asperis impetant verbis, siue quolibet modo vos tondeant, aut quacunque demum ratione Deus vos quærere velit, conticete, & tonderi vos permittite: atque ita similes ei efficiemini, eritisque ouis illa, quam ipse in Deificatæ humanitatis suæ humeris, cuius vos, cum vera expeditaque resignatione patiendo & tacendo, imitatores facti estis, vsque ad superessentialem diuinitatem, vbi plenissima perfectissimaque sunt pascua, portabit. Nimirum dilectissimi, hæc omnino ante omnia cum primis necessaria sunt. Cæterùm vbi hoc modo ouis aliquis effectus est, & amabile Domini Saluatoris exemplar modo iam dicto imitatus, (quod, vt dixi, necessarium est) tum primùm bonus & sanctus homo dici potest. Verùm si de perfectorum hominum numero esse velit, nouerit multa sibi adhuc superesse, quæ transcendere necessariò debeat. Habet deinde præsens Euangelium, vt mulier drachmam perdiderit, lucernamque accendens, & domum euertens, diligenter eam quæsierit. Hæc mulier, ipsa est diuinitas: laterna, deificata humanitas: drachma, anima. Drachma igitur tria necessariò habere debet, quorum si aliquod ei defuerit, iusta drachma non erit. Habebit ergo pondus, materiam iustam, debitamque imaginem siue monetam. Materia autem illius, aurum erit siue argentum. Et talis quidem esse debebit drachma materialis. Anima verò, quæ per hanc drachmam signatur, diuinitatis imaginem habens impressam, ineffabile quiddam & incomprehensibile est, & meritò drachma aurea dici potest. Hæc autem pondus suum habere debet, quod est sine pondere, cùm sit cælo terraque, & omnibus in eis contentis, ponderosior. Deus nanque in ea est, & ideo tantum ponderis habet, quantum Deus. Materia verò illius immersa diuinitas erit, quæ per superessentialitatem ineffabilis charitatis suæ, in hunc spiritum seu animam sese immersit, rursumque eundem totum omnino in se absorbuit atque demersit. Hoc quisquis in seipso feliciter experiri appetit, Deum ipsius duntaxat causa, non ob aliud quippiam amet, necesse est: & per hoc drachma sua fit aurea. At cùm omnia creata in Deum refert, & illis omnibus amor eius ad Deum præponderat, iam drachma suum iustum habet pondus. Cùm verò crucem Christi portat, omnes eius virtutes imitando, iam veram habet monetam in latere crucis. Sed cùm sese fide, spe, & charitate introuertit in diuinam essentiam in se præsentem, manetque in Deo, & Deus in eo, tum imaginem sanctissimæ Trinitatis supernaturaliter recipit in alio latere. Oret ergo Spiritum sanctum, vt drachmam suam ab omni plumbo, ignibus exurendo, repurgare dignetur, & in purum aurum vertere: Sicque multo viciniorem subtilioremque habebit viam ingredi, cuncta ea quæ exterior homo quærere possit, vniuersaque hominis exterioris exercitia, siue actiua, siue passiua, & quæ circa formas & imagines versantur, aut quocunque demum vocentur nomine, longè transcendentem. Sed quænam est hæc via, inquis? Euangelium nos docebit. Mulier enim *accendit lucernam, & euertit domum*. Quæ verò est ista mulier, nisi æterna sapientia, quæ lucernam accendit diuino scilicet amore, qui in hac lucerna, anima videlicet illius, accensus esse debet & ardere? Quid autem sit amor Dei, necdum satis exploratum habere mihi videmini charissimi. Putatis enim amorem

Margin notes: Esaie 53. — Mulier. Laterna. Drachma. — Drachmæ quæ tria necessaria. — Quid seu qualis sit amor Dei.

rem esse, si sensibili deuotione, dulcedine, ac voluptate affluaris. Sed non est iste amor, non est hęc essentia amoris. Quid ergo, inquis, est amor? In inopia videlicet & paupertate interna, in diuinæ consolationis subtractione & omnimoda derelictione continuè ac immobiliter intus languere & suspirare: simulque in his ex toto se resignare, ardendo liquefieri, & ex ardore internæ paupertatis torrescere, in eadem semper animi resignatione persistēdo. Hoc, inquam, est amor, & in ipso lucerna hæc accenditur. Accensa deinde lucerna, *euertit domum, & quærit drachmam* diligenter. Duplex in homine quęsitio agitur. Altera actiua est, passiua altera. Actiua est, quando ipse homo quærit: passiua, quando quæritur. Actiua rursum duplex est, Externa videlicet & interna: quarum hæc posterior tantum priorem excedit, quantum cælum terram, multumque dissimiles sunt. Externa nanque, per exteriora bonorum operum exercitia, varijs diuersisque modis pro diuina admonitione & impulsu, ac amicorum Dei informatione directioneque, Deum quærit: potissimum autem per exercitia virtutum, vtpote humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, tranquillitatis, resignationis, omniumque aliarum virtutum, in quibus sese exercent homines, aut exercere possent. Interna verò, quæ hanc longè superat, quęsitio est, qua homo in proprium fundum suum, in intimum animæ suæ sese recipit, & illic Dominum Deum suum quærit, sicut ipse probauit, dum ait: *Regnum Dei intra vos est.* Hoc regnum (quod non est aliud, quàm Deus ipse cum omnibus diuitijs suis, in propria essentia & natura sua) quisquis inuenire exoptat, vbi ipsum est, illic quærere debet, hoc est, in intimo animæ fundo, vbi Deus multo ipsi animæ vicinior coniunctiorque est, quàm sit ipsa sibi: illic, inquam, regnum istud quærendum est, inueniendumque. Hanc prorsus animæ suæ domum homo subeat oportet, cunctisque sensibus & sensibilibus rebus, omnibus quæ per sensus & phantasiam intro recipiuntur & congeruntur, formis & imaginibus, cuiuscunque demum generis illæ sint: imò & intellectualibus formis seu imaginibus, ipsique intellectus operationi intellectuali prorsus excidere, elabi, ac superior fieri debet. Cumque ad hanc ipsam domum Deum quæsiturus ingreditur, iam ipsa domus euertitur. Et tunc Deus ipse hominem quærit, domumque hanc penitus euertit: quomodo nos solemus, aliquid requirentes, cuncta euertere, & loco suo mouere, donec inuenire contingat quod quærimus. Ita prorsus & eiusmodi homini vsuuenire solet, vt posteaquam ad hanc domum peruenerit, Deumq́ in hoc intimo fundo suo quæsierit, vicissim eum Deus quærat, totamque euertat domum. De hoc introitu, quæsitione & euersione, dicam hîc aliquid, verbis quidem satis vulgaribus & tritis, quod tamen non passim omnes intelligent. Capient autem ipsum illi duntaxat, qui hinc aliquid feliciter perceperunt, quibusque illud intus resplenduit & illuxit. Ingredi istud in animæ fundum, non eiusmodi est, vt quandoque ingrediaris, rursumque egrediaris ad commercia creaturarum. Et euersio ista, quæsitioque, qua Deus hîc hominem quærit, nihil aliud est, quàm quòd idem ipse Deus obiecta omnia, per quæ homini in hunc interiorem fundū peruenienti sese exhibet obijcitque, rursus eidem penitus aufert, adeoq́ totum hominem subruit & euertit, ac si nihil vnquam lucratus esset: & iterum iterumque modos omnes, lumina seu illuminationes omnes, & quicquid vnquā homini collatum ac reuelatum fuit, seu illi sese intus obiecit, in hac quæsitione funditus subuertit. Iam si ea naturæ fortitudo esset, vt huiusmodi euersionē infra diem & noctem

Quæsitio duplex.

Quæsitio externa.

Interna.

Lucæ 17.

Ingredi in fundū animæ.

Euersio.

Quęsitio.

respondeas, sed tantum sileas patienter, sequens hac in parte amabile exemplar
Esaie 53. Domini nostri Iesu Christi, qui vt ouis mansuetissima, *non aperuit os suum, & coram tondentibus se* iudicibus *obmutuit.* Ita prorsus vnumquemque vestrum moneo & hortor charissimi, vt siue criminentur vos homines, siue grauibus iudicijs & asperis impetant verbis, siue quolibet modo vos tondeant, aut quacunque demum ratione Deus vos quęrere velit, conticete, & tonderi vos permittite: atque ita similes ei efficiemini, eritisque ouis illa, quam ipse in Deificatæ humanitatis suæ humeris, cuius vos, cum vera expeditaque resignatione patiendo & tacendo, imitatores facti estis, vsque ad superessentialem diuinitatem, vbi plenissima perfectissimaque sunt pascua, portabit. Nimirum dilectissimi, hæc omnino ante omnia cum primis necessaria sunt. Cæterùm vbi hoc modo ouis aliquis effectus est, & amabile Domini Saluatoris exemplar modo iam dicto imitatus, (quod, vt dixi, necessarium est) tum primùm bonus & sanctus homo dici potest. Verùm si de perfectorum hominum numero esse velit, nouerit multa sibi adhuc superesse, quæ transcendere necessariò debeat. Habet deinde præsens Euangelium, vt mulier drachmam perdiderit, lucernamque accendens, & domum euertens, diligenter eam quæsierit. Hæc mulier, ipsa est diuinitas: laterna, deificata humanitas: drachma, anima. Drachma igitur tria necessariò habere debet, quorum si aliquod ei defuerit, iusta drachma non erit. Habebit ergo pondus, materiam iustam, debitamque imaginem siue monetam. Materia autem illius, aurum erit siue argentum. Et talis quidem esse debebit drachma materialis. Anima verò, quæ per hanc drachmam signatur, diuinitatis imaginem habens impressam, ineffabile quiddam & incomprehensibile est, & meritò drachma aurea dici potest. Hæc autem pondus suum habere debet, quod est sine pondere, cùm sit cælo terraque, & omnibus in eis contentis, ponderosior. Deus nanque in ea est, & ideo tantum ponderis habet, quantum Deus. Materia verò illius immersa diuinitas erit, quæ per superessentialitatem ineffabilis charitatis suæ, in hunc spiritum seu animam sese immersit, rursumque eundem totum omnino in se absorbuit atque demersit. Hoc quisquis in seipso feliciter experiri appetit, Deum ipsius duntaxat causa, non ob aliud quippiam amet. necesse est: & per hoc drachma sua fit aurea. At cùm omnia creata in Deum refert, & illis omnibus amor eius ad Deum præponderat, iam drachma suum iustum habet pondus. Cùm verò crucem Christi portat, omnes eius virtutes imitando, iam veram habet monetam in latere crucis. Sed cùm sese fide, spe, & charitate introuertit in diuinam essentiam in se præsentem, manetque in Deo, & Deus in eo, tum imaginem sanctissimæ Trinitatis supernaturaliter recipit in alio latere. Oret ergo Spiritum sanctum, vt drachmam suam ab omni plumbo, ignibus exurendo, repurgare dignetur, & in purum aurum vertere: Sicque multo viciniorem subtilioremque habebit viam ingredi, cuncta ea quæ exterior homo quærere possit, vniuersaque hominis exterioris exercitia, siue actiua, siue passiua, & quæ circa formas & imagines versantur, aut quocunque demum vocentur nomine, longè transcendentem. Sed quænam est hæc via, inquis? Euangelium nos docebit. Mulier enim *accendit lucernam, & euertit domum.* Quæ verò est ista mulier, nisi æterna sapientia, quæ lucernam accendit diuino scilicet amore, qui in hac lucerna, anima videlicet illius, accensus esse debet & ardere? Quid autem sit amor Dei, needum satis exploratum habere mihi videmini charissimi. Putatis enim amorem

Mulier. Laterna. Drachma. Drachmæ quæ tria necessaria.

Quid seu qualis sit amor Dei.

rem

rem esse, si sensibili deuotione, dulcedine, ac voluptate affluaris. Sed non est iste amor, non est hęc essentia amoris. Quid ergo, inquis, est amor? In inopia videlicet & paupertate interna, in diuinæ consolationis subtractione & omnimoda derelictione continuè ac immobiliter intus languere & suspirare: simulqúe in his ex toto se resignare, ardendo liquefieri, & ex ardore internæ paupertatis torrescere, in eadem semper animi resignatione persistēdo. Hoc, inquam, est amor, & in ipso lucerna hæc accenditur. Accensa deinde lucerna, *euertit domum, & quærit drachmam* diligenter. Duplex in homine quęsitio agitur. Altera actiua est, passiua altera. Actiua est, quando ipse homo quærit: passiua, quando quæritur. Actiua rursum duplex est, Externa videlicet & interna: quarum hæc posterior tantum priorem excedit, quantum cælum terram, multumque dissimiles sunt. Externa nanque, per exteriora bonorum operum exercitia, varijs diuersisque modis pro diuina admonitione & impulsu, ac amicorum Dei informatione directioneque, Deum quærit: potissimum autem per exercitia virtutum, vtpote humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, tranquillitatis, resignationis, omniumque aliarum virtutum, in quibus sese exercent homines, aut exercere possent. Interna verò, quæ hanc longè superat, quęsitio est, qua homo in proprium fundum suum, in intimum animæ suæ sese recipit, & illic Dominum Deum suum quærit, sicut ipse probauit, dum ait: *Regnum Dei intra vos est*. Hoc regnum (quod non est aliud, quàm Deus ipse cum omnibus diuitijs suis, in propria essentia & natura sua) quisquis inuenire exoptat, vbi ipsum est, illic quærere debet, hoc est, in intimo animæ fundo, vbi Deus multo ipsi animæ vicinior coniunctiorque est, quàm sit ipsa sibi: illic, inquam, regnum istud quærendum est, inueniendumque. Hanc prorsus animæ suæ domum homo subeat oportet, cunctisque sensibus & sensibilibus rebus, omnibus quæ per sensus & phantasiam intro recipiuntur & congeruntur, formis & imaginibus, cuiuscunque demum generis illæ sint: imò & intellectualibus formis seu imaginibus, ipsique intellectus operationi intellectuali prorsus excidere, elabi, ac superior fieri debet. Cumque ad hanc ipsam domum Deum quæsiturus ingreditur, iam ipsa domus euertitur. Et tunc Deus ipse hominem quærit, domumque hanc penitus euertit: quomodo nos solemus, aliquid requirentes, cuncta euertere, & loco suo mouere, donec inuenire contingat quod quærimus. Ita prorsus & eiusmodi homini vsuuenire solet, vt posteaquam ad hanc domum peruenerit, Deumq́ in hoc intimo fundo suo quæsierit, vicissim eum Deus quærat, totamque euertat domum. De hoc introitu, quæsitione & euersione, dicam hîc aliquid, verbis quidem satis vulgaribus & tritis, quod tamen non passim omnes intelligent. Capient autem ipsum illi duntaxat, qui hinc aliquid feliciter perceperunt, quibusque illud intus resplenduit & illuxit. Ingredi istud in animæ fundum, non eiusmodi est, vt quandoque ingrediaris, rursumque egrediaris ad commercia creaturarum. Et euersio ista, quæsitioque, qua Deus hîc hominem quærit, nihil aliud est, quàm quòd idem ipse Deus obiecta omnia, per quæ homini in hunc interiorem fundū peruenienti sese exhibet obijcitque, rursus eidem penitus aufert, adeóq́ totum hominem subruit & euertit, ac si nihil vnquam lucratus esset: & iterum iterumque modos omnes, lumina seu illuminationes omnes, & quicquid vnquā homini collatum ac reuelatum fuit, seu illi sese intus obiecit, in hac quæsitione funditus subuertit. Iam si ea naturæ fortitudo esset, vt huiusmodi euersionē infra diem & noctem

Quæsitio duplex.

Quæsitio externa.

Interna.

Lucæ 17.

Ingredi in fundū animæ.
Euersio.
Quęsitio.

noctem vel septuagies septies homo ferre, seseque in ea resignare sciret, multo id ei foret vtilius, quàm omnia quæ vnquam intellectu apprehendit, aut à Deo percepit. In hac siquidem euersione, modò se in ea resignare sciat, longè sublimius in Deum ducitur, quàm in operibus, modis, institutis omnibus, quæ vnquam excogitata fuêre, duci posset. Vnde quotquot hac bene vti nôrunt, gratissimi homines efficiuntur: & facilimũ eis est, quando voluerint, momentis omnibus sese intro recipere, & transcendere omnia. Sed heu multorum tam viscosa & irresignata natura est, vt semper aliquid habere velit cui inhæreat, cuique innitatur. Tales sunt instar recentis & inæqualis areæ, quam pedibus calcare, & duris ac rigidis scopis tam diu fortiter scopare oportet, donec plana & leuis efficiatur. Contra verò planæ areæ non nisi auium alis leuiter absterguntur. Ita nimirum quosdam inuenire est plus satis elatos, inæquales, asperos, irresignatos, quos ea de causa Dominus duris ac rigidis multiplicium tentationum, passionumq́ scopis atteri finit, donec sese resignare addidicerint. Bonis verò, pijs, ac resignatis hominibus omnia sua sponte proueniunt. Et ex his multi in amabiles sanctosque abeunt homines, dum omnia illa, quibus natura inhæret, aut inhærere vellet, abdicant, eisdemque moriuntur & excidunt, rectaque in ipsum nituntur fundum suum, absque vlla inhæsione seu viscosa affectione, & in mera paupertate ac nuditate cum vera resignatione persistunt, parati semper tales permanere, nudi videlicet, cæci ac desolati, quantumcunque & qualitercunque Dominus voluerit. O si quis hac ratione quæri se, domumque suam euerti sineret: ibi haud dubiè drachma inueniretur, longè quidem sublimius, quàm aliquis vel cogitare queat vel intelligere. Prorsus, inquam, huiusmodi euersionem sustinere, cuncta quæ mundus omnis foris per sensus perficere valeat, opera, instituta, siue conceptus & modos, longè lateq́ue præcellit. Hoc ipse Deus asserere dignatus est, vbi ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* Necessarium est enim, vt omnem inhæsionem & quæcunque à vero ipsum profectu impediunt, quisque diligenter abneget, abdicetq́ue. Porrò dum irresignati homines magnis quibusdam pulsantur tentationibus, ac duris teruntur scopis: omnium se iacturam fecisse, omniaq́ue perdidisse arbitrantur, grauemq́ & vehementem tristitiam, desperationem & metum horribilem incurrunt, dicuntq́ue: Iam actum est de me. Perij. Lumẽ omne & vniuersa gratia ablata est à me. Qui si bene leuigati ac resignati essent homines, nunquam melius aut rectius habuissent: sed qualibet eos ratione Deus quærere vellet, ea contenti essent, ea ipsis placeret, & in ea, pace vera potirentur. Si ille eos cæcos, tenebrosos, frigidos, pauperes, aut qualescunque alios habere vellet, quolibet ille modo eos quæreret, per inopiam vel abundantiam, hoc tantùm agerent, vt in omnibus, in quibus ipse eos quæreret, ab ipso inuenirentur. Credite mihi, dilectissimi: si hanc viam strenuè teneremus, vt nos modo prædicto intus & foris resignaremus & abnegaremus, mira quidem nobiscum Deus ageret, adeoq́ue amabiliter satis vltra omnia nos eueheret atque transferret. Veruntamen si qui hic estis seculares, ne quæso terreamini, nec animo concidatis. Viuunt multi sola aqua & pane hordeaceo, viuunt tamen & saluantur. Et vos ergo si ad altiora perfectioraque ascendere non vultis, at nec sic abijciatis animum. Deinde etiam ponderosa debet esse hæc drachma, & imagine sua insignita. Ponderosa videlicet, vt in fundum Dei relabatur & demergatur, qualis inde

Quanta, qua ratione in nobis drachma inuenienda.

Lucæ 9.

Desperantium vox.

Secularium qualiscunque consolatio.

inde exijt, tota videlicet pura, immaculata, tamque nuda & expedita ab omnibus, vti inde profluxit. Et imagine sua insignita: nuda, inquam, nuda imagine sua. Hæc autem imago non ea tantùm Dei imago est, quam anima sibi habet impressam, sed eadem ipsa imago, quæ Deus est in propria, pura, diuina essentia sua, in qua imagine seipsum Deus amat & cognoscit, fruiturque seipso: in qua viuit, existit, operatur: & per hoc anima, tota deicolor, deiformis atque diuina efficitur: imò quicquid Deus est per naturam, ipsa fit per gratiam, in hac videlicet vnione & immersione in Deum, rapiturque supra se in Deum: atque ibi, vt dixi, tam fit deicolor, vt si ipsa se cerneret, Deum se arbitraretur: & quisquis eam videret, in habitu, in colore, modo & essentia Dei non naturali, sed gratuita, eam adspiceret, & ex ipsa visione beatus foret: quandoquidem Deus & ipsa in hac vnione vnum sunt, non ex natura, sed gratia. Quo contra, si quis animæ, cuius amor & fundus creaturarum coloribus sponte tincta sunt, fundum cerneret, eam haud dubio non minus deformem, quàm ipsum conspicaretur dæmonem: cuius tamen tam intolerabilis atque horribilis deformitas est, vt si quis eum in ipsa sua specie seu forma videret, præ illius horrore caro & ossa illius emarcescerent ac emorerentur. Et in hac abominabili deformitate quęcunque anima in fundo suo creaturis dedita & addicta inuenietur, seipsam sine fine & absque vlla intermissione non minus execrabilem, fœdam ac turpem, quàm ipsum etiam perenniter conspiciet dæmonem. Anima verò pura, deifica, & ab omni creaturarum amore libera instar Dei, & videbitur ab alijs, & ipsa se æternaliter videbit: (Deus namque & ipsa in memorata vnione vnum sunt) beatitudinemque suam intra se, & ex seipsa in hac eadem vnione accipiet. Quàm igitur felices sunt, dilectissimi mei, qui ita se quæri sinunt & inueniri, vt à Domino introducantur, eidemque modo ineffabili vniantur? quod profectò sensus omnes, & omnem intellectum, & quicquid dici vel cogitari potest, longè superat & excedit. Hoc quisquis obtinere appetit, eo, quo diximus, ordine & discretione, memorata studeat ingredi via: & ita non facile vlli patebit deuio vel errori. Quod nisi fecerit, sed in sensibus, rebusque creatis hæserit perstiteritque, certo certius & modò & æternaliter in eodem semper hærebit luto, & animæ suæ faciet iacturam irreparabilem. Præstet nobis omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt omnes hoc modo à Domino quæsiti, ab eodem inueniamur. Amen.

Anima & Deus qui vnū fiant.

DOMINICA IV. POST TRINITATIS.

Vt misericordes esse, neminem iudicare, & intra nos mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem, id est, mentem abstractam & resignatam, in quam seipsum Deus effundit, habere debeamus.

SERMO I.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. LVCÆ VI.



HAEC verba, dilectissimi, ex Euangelio Lucæ desumpta sunt, vbi etiam subdita Dominus dixisse legitur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura,*

sura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. In quibus verbis duo quædam docemur: alterum, quod præcipiente Domino facere: alterum, quod cauere debeamus. Est ergo hic faciendum aliquid, & aliquid cauendum seu dimittendum. Faciendum est, vt simus misericordes: cauendum seu dimittendum, ne iudicemus. De quo posteriori etiam aliâs vobis dixisse me memini, quàm scilicet periculosum & multis angustijs obnoxium sit, alium iudicare, quamqúe impendio necessarium sit omnibus, ab hoc diligentissimè sibi cauere vitio, & custodire animas suas. Iam de misericordia ipsum veritatis os, quod nunquam mendacium protulit, ita protestatur: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis,* haud dubium quin in omnibus, ita vt si multum misericordes fuerimus, multam quoque misericordiam sentiamus: si parum, tantundem etiam recipiamus: si nihil omnino, nihil etiam penitus misericordiæ consequamur. Hanc autem misericordiam quisque intra se in animo suo habere simul & exercere debet, ita videlicet, vt sentiat intus in mente sua fidelem & intimam erga proximũ suum compassionẽ, quando illum qualibet vel interna vel externa nouit afflictione grauatum: Deumq́; cum interna compassione, vt illum consolari dignetur, exoret. Et si extrinsecus etiam illi siue consilio, siue munere, verbis vel operibus succurrere poterit atque prodesse, quatenus ad eum pertinuerit, faciet id perquàm libenter: & si multum præstare non quibit, saltem aliquid faciet, saltem aliquam externam vel internam impendet misericordiam, aut saltem verbum aliquod consolatorium & pium loquetur. Atque hac ratione suo faciet officio satis, & misericordem quandoque Deum habebit. Et hoc de faciendo dictum sit. De cauendo autem, ne scilicet iudicemus, quomodo ipse Dominus ait: *Nolite iudicare, & non iudicabimini:* id in primis sciendum est, iudicandi temeritatem supra quàm dici possit, hac tempestate magna grauissimaqúe hominibus penè vniuersis damna inferre. Et reuera faciat quisque bona opera extrinsecus, quantalibet & quantumcunque multa: omnia tamen illa spiritus immundi subsannant & habent ludibrio, si huic sponte vitio subiaceat. Obsecro dilectissimi, nemo sibi in alium iudicandi vsurpet authoritatem, nisi qui prius suipsius iudex fuerit. Enimuerò dolenda admodum cęcitas est, velle aliquem vt alij pro sua se voluntate gerant, quando nec seipsum omni conatu suo vnquam satis custodire potuit, nec efficere aliquando, vt is esset, qui esse deberet, qualemqúe se ipse efficere cuperet. Nec debet quisquam aliorum defectus plus æquo ponderare, si Deum sua vitia misericorditer dissimulare voluerit. Et si etiam certo illi constaret, reuera mala esse facta aliorum, pro salute tamen sua in ea iudicium ferre cauebit. Quisquis enim recto voluerit ordine procedere, prius *trabem ex oculo* suo, quàm *festucam* è proximi oculo, eijcere debebit. Ad vosmetipsos igitur conuertimini, vestra ipsorũ obseruate vitia, alienis vos haudquaquam ingerite. Quòd si talis es, vt ratione status, seu gradus, vel officij tui iudicare & reprehendere sis adstrictus, locum & tempus expectato: & tunc ex amore cum mansuetudine & benigno atque suaui reprehende vultu, sicut D. Gregorius docet. Est enim sacerdotibus districtè prohibitum, ne durius reprehendant, qui tamen sanctæ Ecclesiæ iudices sunt. Qua ergo ratione id alius aliquis coram Deo & hominibus facere præsumit? In veritate dico vobis, charissimi, ea vel semel tantùm temeritate proximos vestros iudicare poteritis, vt & vosipsos & cuncta opera vestra, omnemqúe vitam vestram diuino reddatis iudicio obnoxia, nec vnquam apud

Quid faciendum. Quid cauendum.

Matth. 7. Lucæ 6. Iudicandi temeritas quæ pariat damna.

Matth. 7. Lucæ 6.

Iudici quomodo & quando iudicandum

Deum gratiam inuenire possitis, & ab ipso quandoque seuero & horribili iudicio feriamini. Quæso, verbis vestris Dei amore inuigilate & attendite. Heu inanissimæ fabulationes adeò excreuerant, vt satis doleri non possit. Et tamen hę vobis Deum Deiqúe gratiam,& æternam quoque susurrantur beatitudinem. Oportebat quidem ita vos in loquendo circunspectos esse, vt prinsquam ad loquendum os aperiretis, hæc tria ante vobiscum examinaretis: Vtrum videlicet locutio vestra ad Dei gloriam, proximi ædificationem, & vestram ipsorum internam siue externam cessura sit pacem. Verùm cùm tam incomparabilia ex locutione damna proueniant, sancti Patres in suis Canonibus siue Statutis tam studiosè omnem loquendi Religiosis interdixère facultatem, idq; in locis omnibus, certo tamen colloquij loco excepto, vbi nihilominus sine speciali facultate nequaquam loqui voluerunt esse liberum. Enimuerò damna, quæ ex verbis nascantur, nec totus sufficeret mundus capere. Habet deinde Euangelium de mensura bona, quę est mens hominis, in quam tantum sui Deus emetitur, quantum ipsa eius habitura est. Cæterùm hæc præclara mensura, charissimi, in qua Deus delectabiliter habitare debebat, adeò immunda, terrenisq; fragilium creaturarum sordibus referta est, vt Deus ipsam ingredi nesciat, cuius tamen illa peculiaris deberet esse locus. Inde est, quòd quando nos in oratione ad Deum conuertere volumus, mētis nostræ, vtpote pignoratitiæ, satis compotes non sumus, nec Deus ad ipsam pertingere valet, quia creaturas instabiles atque caducas ad fores animæ constituimus ostiarios, quæ Deum, ne vsquam ingredi possit, impediunt & excludunt. Dumq; sic absque mente oramus, ipsa nobis oratio non sapit: & quia Deum in ea non sentimus, citò nobis vertitur in nauseam & tędium, sicque foras euagamur. Sed agite, dilectissimi, redimamus pignoratitias mentes nostras, vbicunque eas oppignorauimus: eximamus, inquam, & redimamus eas ab omni dilectione, fauore, intentione labentium creaturarum. Si enim Deus ingredi debeat, creaturas prius abscedere necesse est. Euacuemus, obsecro, vasa nostra, eademq; ab omni vana & inutili occupatione vacua liberaq; seruemus. Nō enim tam naturale est igni sursum tendere, nec aui tam facilè volare, quam bene expeditę & euacuatę menti in Deum ferri, sursumque ascendere. Quamobrē si vnquam in Dei fundum & in intimum illius pertingere debeamus, ad minus certè primùm nos in proprium fundum atq; intimum nostrum cum pura humilitate peruenire oportet. Ibi verò anima sese cum omnibus defectibus & peccatis suis Deo offerre, atque ad portam immensę diuinæ maiestatis, vbi Deus per modum misericordię emanat, sese debet prosternere: cum bonis autem omnibus & virtutibus, quas ex Dei gratia se consecutam sentit, subtus portam diuinæ pietatis, vbi Deus per modum bonitatis & ineffabilis dilectionis largè profluit, sese collocabit. Itaque posteaquam se aliquis hac ratione totis viribus ab omni labentium & inanium creaturarum amore & occupatione abstraxit, seseque erexit & refudit in Deum, iam adhuc per imagines sedulò impeditur: quas si satis excludere non potest, earum importunitatem sustineat pro exercitatione sui: simulque in hac parte Deo se resignet, secum maneat, non foras egrediatur, neque discurrat, sed ad finem vsque sufferat patienter, atque cum ingenti humilitate clamet ad Dominum, dicens: *Deus in adiutorium meum intende: Miserere mei Deus, miserere mei:* fortiterqúe ad interiora sua nitatur, nec tunc aliud aliquod assumat opus, haud dubiè sponte sua molestia omnis abscedet & dissoluetur.

Quid, si hodierna in templis murmura audisset.

Quæ tria locuturo præcogitanda.

Mensura bona quę.

Oratio insipida quæ.

Quid quo animo ferendum. Psal. 69. Psal. 50.

Sicut in quadam argenti fodina vidisse me memini, multa cum subtilitate fieri, vt aqua, quæ in eiusmodi locis excrescens, non sinit argentum obtineri, ipsa se excutiat seu effundat: quo facto, inuenitur thesaurus, qui non modò impensas facilè soluit omnes, sed etiam non mediocre præstat emolumentum. Sic, inquam, & hanc quisque molestiam sustinebit, hasque imagines, pressuram hanc & contrarios defectus, quos (velit nolit) etiam inuitus sentire cogitur, se affligere & excruciare patietur. Certè omnia hæc ipsa se excutient atque dissoluent: id verò laborem omnem anteactum facilè compensabit, & ingens adferet lucrum: tumque à Domino audire merebitur: Fili mi dilectissime, gratias ago tibi, quòd ad finem vsque defectuum tuorum molestam impugnationem patienter sufferendo, ponderosissimam crucem meam me portare iuuisti. Deinceps meipsum hac de causa perpetuam mercedem habebis. Præterea quicunque verè optat internus effici, etiam mensuram confertam seu coaquatam habeat oportet. Quomodo, inquis? ita videlicet, vt externa omnia, quæcunque internis seu (vt ita dicam) internitati contraria sunt & aduersa, abradat amputetque. Dicam apertius: Diligenter seipsum dispiciet, & quicquid in omni conuersatione sua, amore, intentione, verbis, operibus, indumentis, ornamentis, amicis, bonis, honore, commoditatibus, oblectationibus, habitu, moribus, & vniuersa denique vita sua inuenerit, quod ipsum impediat, quo minus in eo & viuat Deus & operetur, cuiusque ille vera causa non sit, totum abradet atque deponet, si tamen vnquam verè internus & perfectus fieri voluerit. Et illa quoque priuata sua externa exercitia, quæ magnam præ se ferunt sanctitatem, diligenter examinabit: & si impedimento sibi esse non fallaciter probauerit, ipsa quoque amputabit & moderabitur. Miretur fortasse aliquis, cur non inuitem vos ad districta ieiunia & vigilias multas. Dico vobis, charissimi: vigiliæ & ieiunia, quatenus ea sufferre quis potest, non mediocriter, imò plurimum certè, vitæ conferunt diuinæ ac spiritali. Si quis autem capitis debilitate premitur, (sicut in his partibus homines vt plurimum infirma habent capita) & re ipsa sentit naturam suam ex eis immodicè debilitari, lædi ac destrui, postponat ea: & si etiam talis dies sit, quo ieiunare ex præcepto sit adstrictus, petita prius à suo Confessore comedendi facultate, aliquid manducet. Quòd si Confessorem suum habere nequeat, vnde edendi petat copiam, veraque subsit necessitas, petat interim licentiam à Deo, & aliquid cibi accipiat, vsque in crastinum, quo Confessorem accedens, dicat: Infirmus eram, & comedi aliquid: petatque deinde adhuc facultatem. Nunquam enim ea mente vel intentione S. Ecclesia ieiunare præcipit, vt aliquis sese destruat. Itaque satis planum & facile est, dilectissimi, quod dico, vt videlicet quæcunque vos à compendiosissima seu proxima veritatis via impediunt retrahuntque, ad quæ obligati non estis, abradatis: (semper tamen cum consilio superiorum vestrorum in grauibus causis) siue ea intus sint, siue foris, corporalia vel spiritualia quocunque etiam nomine censeantur, aut quamcunque speciem præ se ferant: ita nimirum ad magnam facilè perfectionem euolabitis, si hanc institutionem, quomodo oportet, obseruaueritis ordinatè. Ad hæc, etiam coagitatam mensuram quisquis internus fieri appetit, habere debebit. Aduertite quid dicam: Posteaquam aliquis ea qua prædiximus ratione, ordinatè seu discretè impedimenta omnia resecuit & abstersit, plurima illi obiecta occurrere solent, tantamque intus sensibilem dulcedinem experitur & voluptatem, vt hæc ipsa naturam simul & spiritum

Molestiæ quæ qui ferendæ.

Ieiunij moderatio qui habenda.



Ieiunium Ecclesiasticum quale.

Mensura coagitata.

ritum penetret. Hæc autem iucunda delicioſaque ſatietas & conſolatio interna, omne mundi gaudium longè ſuperat & excedit. Deinde verò magna quædam preſſura illi repente accidit, ita vt omnis hæc dulcedo atque voluptas adeò tota illi auferatur, ac ſi nihil vnquam inde percepiſſet: ſitque tunc inſtar menſuræ coagitatæ, & ablata dulcedine, totus in ſe comprimitur & coagitatur. Qui ſi vera volueritpace gaudere, ita eum in hac ſubtractione preſſura & paupertate ſpiritus reſignatum eſſe, adeoque ab omni illa dulcedine & delicijs internis animum liberum & expeditum habere oportet, vt prorſus nihil inde retineat, ſed cùm vera ſui reſignatione in ſimplicem gratiſſimæ voluntatis Dei ſeſe deprimat fundum, paratum ſe Deo offerens ad ſuſcipiendum de manu illius hanc paupertatem, eandemque patienter ſufferendum, ſi ita illi viſum fuerit, ad extremi vſque iudicij diem. Tum verò preſſura hæc adeò nonnunquam fit intolerabilis, tantiſque anguſtijs & doloribus natura torquetur, vt ipſe etiam mundus nimium ei anguſtus videatur. Omnis autem hic dolor in ſola natura verſatur, iamque tabeſcit præ miſeria, dum videlicet gratiſſima lumina, ingentemque dulcedinem ſibi penitus ablata animaduertit. Eſtque hîc inuenire quoſdam adeò viſcoſos & impatientes, vt nulla ratione iſta ſufferre queant. Hæc autem intolerantia ſeu impatientia duplici ex cauſa naſcitur: Vna eſt, quòd necdum in ſeipſis funditus mortui ſunt: Altera, quod Deo omnipotenti non ſatis confidunt. Hiſce de cauſis nimium irreſignati ſunt, & quia hanc preſſuram ſufferre nequeunt, facilè erumpunt. Quod quidem grauiſſima eis damna irrogat. Obſecro proinde vos amici mei in hac preſſura perſeuerate, & ſpem atque fiduciam veſtram in Deo conſtituite: certo certius ipſe vos liberabit: tantum in humilitate & reuerentiali timore perſiſtite, veſtraque deſideria ad nudam illam atque puriſſimam eſſentiam, quę ſolus Deus eſſentialiter eſt, ſubleuate, nihil ſentientes de donis omnibus, quæ illo ipſo minora ſunt. Nolite, obſecro, ſectari eos, qui vbi donum aliquod percipiunt à Deo, ſuper illud ſeſe effundunt: illo abundè contenti, cum illo ludunt, ita vt eius, à quo ipſum recepêre, penitus obliuiſcantur. Quin potius velut dormientes vos exhibete ad omnia, quæ * lucere vobis queant, vel quæ guſtare poſſitis, præter ipſummet ſolum Dominum Deum veſtrum: ſiue ea intellectualia ſint, ſiue non: quæcunque demum intellectu veſtro, volare, mori, vel aliter apparêre poſſunt, nihil omninò curetis: ſed in profundam vos humilitatem, proprium nihil, gratiſſimam Dei omnipotentis voluntatem, cum intima reſignatione totos demittite, deprimiteque. Sanè ipſos Domini Saluatoris diſcipulos eundem Dominum Deum, quod ad corporalem præſentiam (certè diuinam, iucundiſſimam, conſolatoriam, amabiliſſimam) attinet, relinquere oportebat: imò vt in ſublimiorem quandam eſſentiam transformarentur, etiam ſeipſos exire & deſerere cogebantur. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis*: vt videlicet intelligamus, & nos ad priora ſupernæ vocationis extendi oportere, ea vtique ratione, vt deſeramus & abdicemus omnia, quæ Deo minora ſunt, & ipſam etiam nobis tam iucundam dulcedinem ac voluptatem ſpiritalem. Hinc autem haud ſecus angi, premi, affligi ſolet homo, quàm ſi inter duos parietes ſuſpenſus, in neutro aliquam poſſet requiem capere, tantiſque corripitur angoribus, vt ſibi quaſi in torculari poſitus, prælo com-

Verè pacis audo quid oportunum.

Impatientię duplex causa.

* liberè.

Philip. 3.

Quanta sit quorundam afflictio spiritalis.

lò comprimi videatur. Quisquis ille es, qui hæc experiris, obsecro, probè te geras, noli foras erumpere, crede mihi, citius melius habebis. Imò nunquam tam propinqua fuit salus tua. Restituta autem tranquillitate & pace, nihil inde tibi assumas, sed animum habeas illa rursus carere paratum: nec ad aliud aliquid, quàm ad Dei respicias voluntatem, pro cuius beneplacito miserias & pressuram memoratam, quandiu ille voluerit, libenter sufferas, quicquid etiam inde tibi eueniat. Quod si feceris, vbi ille desolatam afflictionem tuam, quam pateris, quodqúe probè te gesseris, eamqúe patienter sustinueris, (ex quo omnis fructus dependet) viderit, perspexeritqúe: iam tunc cum mensura supereffluente accedens, seipsum in mensuram, id est, mentem tuam effundet. Nihil enim hanc, nisi solus Deus, implere vel satiare potest: adeoqúe hanc superessentiali bono illo, quod ipsemet est, copiosissimè adimplet, vt vndiquaque supereffluat: iamqúe spiritus in diuinam rapitur & transcendit abyssum. Effundit autem se Deus in spiritum, & tamen plenus manet: haud secus quàm amphora in vastissimum depressa mare, & citò impletur, & supereffluit, & tamen plena manet. Hîc planè seipsum Deus supereffluenter spiritui largitur, quod longè lateqúe excedit, quicquid ipse vnquam desiderauit. Enimuerò vbi Deus animam hac cernit desolata calamitate & pressura obrutam, facit instar

Esther 15. Assueri regis, de quo legitur, quòd quando beatam Esther Reginam penè exanimatam, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam caput reclinâsse vidit, prætendit illi sceptrum, festinusqúe ac metuens exiliuit de solio, &

Esther 5. Assuerus quid. sustentabat eam vlnis suis, osculatusqúe est eam, pollicens ei, quòd quicquid peteret, licet dimidiam partem regni sui, impetraret. Hic videlicet Assuerus Patrem refert cælestem, qui vbi dilectam animam coram se vultu pallido, omni quarumlibet creaturarum solatio destitutam cernit assistere, spirituqúe deficere & inclinari, illicò extendit contra eam virgam auream siue sceptrum: surgensqúe de solio suo, (vt ita loquamur, non secundùm essentiam) in diuinos eam suscipit amplexus suos, & supra omnem subleuat infirmitatem. Hîc verò quæ mira spiritui contingant quis explicet? Sanè in ipsa sceptri sui extensione vnicum illi præbet Filium suum, & in osculo suauissimo supremam ac superessentialem ei infundit dulcedinem Spiritus sancti: regnumqúe suum cum ea partitur, hoc est, plenissimam ei super omne regnum suum, cælum videlicet terramqúe, imò & supra seipsum tribuit potestatem, vt omnium illo-

Mensura supereffluens. rum ipsa domina sit, quorum ipse est Dominus: sitqúe in ea Deus per gratiam quod ipse est & habet per naturam. Hoc itaque modo mensura hæc fit superef-

Quibus sine hominibus nec mundus ad horam staret. fluens, vt etiam totus inde mundus gaudeat, ditetur, participetqúe. Et reuerà nisi eiusmodi homines Christianitas haberet, mundus iste nec ad horam subsisteret. Ipsorum opera omnibus totius Christianitatis operibus meliora potioraque sunt. Deus enim ea operatur, & hac de causa quælibet alia præcellunt opera: quantoque Deus benedictus creaturis omnibus melior est, tanto & opera illius cunctis creaturarum actibus sunt præstantiora. Denique adeò hæc mensura supereffluit, vt neque Angelicus, neque humanus vllus id capere sufficiat intellectus vel sensus: & hîc vera pax est & gaudium verum. Et hæc for-

Philip. 4. tassis est pax illa, de qua Apostolus loquitur, *quæ omnem exuperat sensum*. Certè non est tam metuendum atque horribile, seruire & viuere Deo, vt vobis persuasum habetis. Quisquis hanc viam, quomodo dictum est, studiosè ingredi-

tur,

tur, quandoque pertingit ad finem. Qui verò hanc viam negligit, nunquam ad viuam pertingit veritatem. Aliquam fortassis intellectualem poterit cognitionem assequi: sed sicut aurichalcum quandoque auri mentitur speciem, quod tamen ab auri veritate siue essentia plurimum distat, ita & multa se offerunt intellectui specie quidem pulchra, sed fallacia. Ipsa autem viua veritas, ea, qua diximus, via & ratione certissimè quærenda est. Quis, obsecro, eum fatuum dubitaret asserere, qui vineam constructurus, eam ad Aquilonem retrò montem collocaret, quò nullus pateret vnquam solaribus radijs accessus? eumque similiter, qui solem videre appetens, tergum ei verteret, & vultum inde auerteret? Credite mihi, charissimi: inter centum homines, qui tamen boni haberi volunt, vix vnum inuenire est, qui sese ex toto & purè ad viuam conuertat veritatem. Præstet nobis misericors Dominus Deus noster, vt sic omnes totos nos ad ipsam veritatem conuertamus, vt plenitudinem mensuræ supereffluentis consequi digni simus & idonei, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Verè conuersorum raritas quanta.

DOMINICA EADEM.

In quo quædam Euangelij hodierni partes exponuntur, putà de misericordia, de quadruplici mensura amicorum Dei in hoc tempore, in æquè quadruplici gradu verè Christianæ vitæ, ad fastigium perfectæ dilectionis Dei & proximi.

SERMO II.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. LVCÆ VI.



APVD sanctum Lucam, ex cuius Euangelio hæc verba extracta sunt, etiam ea, quæ subijcio, Dominus dixisse memoratur: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Dicam hîc paucis de eo, quod Dominus ait: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Hæc nimirum præclarissima virtus, misericordiam dico, adeò nunc rara est, & à cordibus hominum extranea, exul & peregrina, vt satis superque dolendum sit. Singuli in proximos suos, vbicunque opera ipsorum indigent, immisericordes sunt, idque non modò quo ad rerum temporalium & munerum communicationem, sed etiam defectuum aliorum cum misericordia sufferentiam. Heu suis sese iudicijs inuicem insectantur, & alius alium facilè iudicat. Si enim aduersi aliquid cuiquam iure vel iniuria occurrat, repente sine aliqua præmeditatione alius accedens, etiam suum aliquid apponit, aggrauare studens & peruertere, & quantum potest, pessimè interpretari, & in publicum producere lapsum vel casum aduersum proximi sui. Et lingua pessima, quæ innumerabilium afflictionum & dolorum seminarium est, citò in illius condemnationem & iudicationem, antequam homo bene secum deliberet, & rationis suæ efficiatur compos, prorumpit atque laxatur. Sed moneo vos, dilectissimi, pro salute vestra, tantisper saltem iudicium suspendite, donec rationis plenè compotes effecti, quid cogitetis, quidve dicatis, nôsse & aduertere possi-

Misericordia quàm sit rara.

Iudicium quousque suspendendum.

possitis. Correptionem autem, quam Dominus fortè pro salute illius alteri euenire permisit, ne obsecro in peius interpretemini. Quis enim vos alterius iudicem constituit? quis vobis iudicare commisit? Interim tamen hac de causa non estis adstricti, nec à Deo præceptum habetis, peccata publica & manifestam nequitiam non arguere & iudicare. Non enim Christi voluntas est, vt bonum malum dicamus. Sed quando quemlibet proximum vestrum peccare adspicitis, fraternè eum hortari & obsecrare debetis, vt à peccato sese auertat, corrigatque: & etiam peccantem eum corripere. Tale nanque iudicium non prohibet Deus. Vis scire quid ille prohibeat? Prohibet vtique, ne quæcunque de proximis nostris visu contingit vel auditu percipere, in peiorem partem interpretemur. Et si quid etiam peccati speciem habeat, non ilicò pro mortali illud condemnare vel iudicare debemus, præsertim cùm alterius cor & animum nequeamus inspicere. Neminem ergo facilè vt damnatum peccatorem, iudicare & condemnare fas habemus: quia etiamsi aliquis lapsus sit, ex diuina tamen gratia citò poterit resurgere, etiam iustior, quàm nos simus. Multum igitur vitiosum & execrabile est, aliquem proximum suum, necdum omnibus cognitis, duris & asperis verbis damnare & iudicare non vereri, quando hoc ipso eundem proximum suum in multorum cordibus spiritualiter occidit. Inde terribiliter Christus ait: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & eadem* iudicij *mensura, qua alij mensi fueritis, remetietur vobis*, vtique à Deo. Age loquamur hîc nonnihil de eo, quod Dominus ait: *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem* quippe *mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Hanc quadruplicem mensuram ita Doctores sancti exponunt, vt dicant *mensuram bonam* esse, quòd aliquis in hoc tempore per Dei gratiam talem agit vitam, per quam ad æternam poterit beatitudinem pertingere: *Mensuram confertam*, quòd corpus hominis iusti post extremum iudicium simul cum anima gloriosum erit: *Mensuram coagitatam*, quòd homo omnium Sanctorum & Angelorum gloriæ particeps erit: *Mensuram supereffluentem*, quòd idem Deo Opt. Max. absque omni medio perfectè perfruetur. Nos, dilectissimi, adhuc alia ratione hanc quadruplicem mensuram exponemus. Et primò quidem videndum, quæ sit hæc mensura, qua fit mensio. Secundò autem, quis sit ille qui metitur. Mensura igitur est vis animæ amatiua, id est, voluntas. Hæc, inquam, propriè ea mensura est, secundùm quam vniuersa hominis opera, verba, vitaque & æterna beatitudo mensurantur. Nec accedit huic aliquid, nec decedit. Quanta enim & quàm lata fuit amoris nostri mensura, qua mensi sumus, tantundem nobis in æterna refunditur seu mensuratur beatitudine. Mensor autem qui hanc mensuram emetitur, est ratio hominis illuminata. Sed dicamus per ordinem. Primò de *mensura bona*. Hæc est dilectissimi, vt suam quisque voluntatem ad Deum conuertat, & in Dei sanctæque Ecclesiæ præceptis & constitutionibus humiliter viuat, eius Sacramentis deuotè vtatur, & in vera atque Catholica persistat fide: de præteritis atque præsentibus culpis suis intimè doleat, confiteaturque, ac tota voluntate nunquam deinceps peccatis consentire proponat, pœnitentiam agat, quam tamen heu paucissimi hodie agere volunt: in Dei timore se contineat, & denique Dominum Deum suum & proximum amore prosequatur. Quisquis ita viuit, hic planè verè Christianam agit vitam, & est verus Christianus. Et hæc est mensura bona, & hæc vita haud dubiè ad vitam pertinet æternam. Hæc autem

Lucæ 6.

Mensura bona.

Conferta.

Coagitata.

Supereffluens.

Mensura.

Mensor.

Mensura bona.

Pœnitentes esse raros.

Quis sit verè Christianus.

autem necessaria viuendi norma est omnium non fallaciter Christianorum. Ad hanc mensuram bonam quosdam Dominus inuitauit atque vocauit, à quibus etiam nihil præter hanc mensuram exigit. Fieriquépotest, vt hi in hac viuendi ratione tam puram agant vitam, vt post animæ decessum, sine vllo purgatorio euestigio ad æternam euolent beatitudinem. Et tamen hic infimus est ad Deum pertingendi gradus. Alij deinde sunt, quos Dominus ad multò sublimiorem vocauit & inuitauit gradum, quos item ad excellentiorem finem pertingere oportet. Et licet aliqui ex his ad purgatorium deducantur, eo quòd diuina vocatione non satis dignè, nec quàm debuissent, purè vixerint: (Tales enim in purgatorij locis pro ratione culparum coqui & torreri, & supra quàm dici vel cogitari potest, immensos atque grauissimos cruciatus tolerare oportet) deinde tamen pœnis omnibus perpessis, priores, vel mille, vel etiam bis mille gradibus superant in cælis. Tales enim vbi primùm vitam deuotam ac spiritualem aggrediuntur, multa bona externa habent exercitia, quibus sedulò insistunt, vt sunt orationes, ieiunia, genuflexiones, seu veniæ, & id genus alia. Deinde verò à Deo omnipotente *mensuram confertam* accipiunt, id est, exercitia interna, per quæ sese toto studio recipiunt ad interiora, ad quærendum illic in intimo animæ fundo Dominum Deum suum. Ibi nanque in illo fundo regnum Dei existit. Hæc autem vita tam prioribus dissimilis est, quàm cursus sessioni. Iam si quis id perfectionis assequi posset, vt exercitia externa interna minimè præpedirent: tunc vtique duobus, quàm vni, præstaret incumbere. Cæterùm si quem exteriora opera ab interna animæ actione impediunt, dimissis illis, ad hanc totis se viribus conuertat, faciatqúe, quod nos sacerdotes in Monasterijs facere consueuimus. Quid enim, inquis, est illud? Tempore quidem Quadragesimali Psalmos plurimos decantamus, & plures ritus habemus ac cæremonias. In Paschate verò & Pentecoste, ob dierum illorum præcipuam celebritatem, orationes breuiamus, tribus Psalmis, vna Antiphona, & vna Collecta multo contenti tempore. Sic & ipse, & quoscunque Dominus ad hoc internum opus & exercitium vocare dignatus est, quando ab eodem ad interioris introuersionis solennitatem inuitantur, exteriora quæuis opera saltem eo tempore postponant, & quantum possunt, soli, expediti, seu exoccupati & abstracti esse conentur, quo Deus maiestatis suum in eis opus sine vllo impedimento queat perficere. Abijciant, inquam, externa opera omnia, quatenus eos impediunt: solumqúe ea persoluere & exequi curent, ad quæ ratione Ordinis sui tenentur & obligantur. Reuera nanque dilectissimi, vita illa interna, vita prorsùs diuina est & iucundissima. Proponant autem sibi, de quibus iam diximus, in hac sui introuersione, ea quæ maximè eos ad ardentem & superefluentem Dei amorem prouocent, siue purissimam Domini Saluatoris vitam, siue amarissimam illius passionem, aut pretiosa quinque vulnera illius, vel etiam diuinam eius essentiam, vel sanctissimam Trinitatem, aut diuinam potentiam, vel sapientiam, aut bonitatem, aut bona multiplicia sibi à Deo collata. Hæc, inquam, & id genus alia, quæcunque eos ad abundantiorem deuotionem, feruentemqúe introuersionem amplius accendunt incitantqúe, sibi assument: simulqúe cum eisdem, aut aliquo horum, sese humiliter in fundum suum cum ingenti demittent gratitudine, Dominum Deum suum ibidem cum eiusmodi obiecto præstolantes. Tale exercitium si diligenter teneatur, & cùm diuino sit amore coniunctum, mirum

Qualia sint purgatorij tormenta.

Mensura conferta.

Quid hominē Dei capacem faciat.

Interna externis præstare.

in modum hominem Dei capacem efficit, multò amplius quàm exercitia externa. Præclarum siquidem opus internum haud dubiè semper optimum est. Externi nanque virtutum actus omne robur suum ab hoc excellenti interno accipiunt opere. Et quomodo si quis tam pretiosum haberet vinum, cuius tanta vis esset, vt vnica illius gutta in integrum missa vas aquæ, omnem illam aquam sua virtute in vinum commutaret, magnum id vtique, & satis mirum foret: ita & interiora animæ opera tantæ virtutis sunt, vt vnica illorum guttula quoslibet externos deauret, exornetqúe actus. Est autem inuenire nonnullos, qui capacia admodum & grandia vasa habeant, id est, multa de Deo cogitare ac meditari sciant, & ad hæc vehementer adspirent, multaqúe cum deuotione ferantur: sed vix tantum contineant profunditatis, quàntum est latitudo duorum digitorum, hoc est, veræ humilitatis, communisqúe charitatis expertes sint. Cæterùm diui Augustini sententia est, non longitudinem temporis, nec operum numerositatem, sed amoris requiri magnitudinem. Hoc videre licet in illis, qui magno cum labore & sudore agriculturæ seruiunt, aut vineas colunt, quibus tamen non optima quæque in vsum vitæ cedunt, sed etiam siligine & aqua vitam sustentare coguntur. Accedit hinc *mensura coagitata*, quæ nihil aliud est, quàm amor effluens, qui omnia ad se trahit. Quænam, inquis, omnia? vniuersa videlicet opera bona & passiones siue afflictiones omnes, & quicquid in toto terrarum orbe tam mali quàm boni homines bene agunt: hæc, inquam, omnia amor hic effluens ad se rapit, attrahitqúe in vas suum. Hoc amore quisquis amplius ardet, ei alterius cuiusuis opera bona per amorem magis proficiunt & in partem maiorem cedunt, quàm ipsi facienti, & minus huius amoris adepto. Multa igitur Psalteria decantantur, multæ Vigiliæ (vt vocant) mortuorū leguntur, multa Sacra seu Missæ celebrantur, perplures denique grandes oblationes fiunt: quæ omnia cumulatius abundantiusqúe homines hoc amore succensi in sua congerunt vasa, sibiqúe proficere faciunt, (neque enim aliquid eos effugere potest) quàm illi qui re ipsa hæc faciunt, & huius feruidi seu effluentis amoris expertes sunt. Id enim certò tenendum est, Deum mercedem non restituere pro operibus, quorum ipse finis non est. Nam & Apostolus ait: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, & distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, ad vitam scilicet æternam. Vnde hæc amoris virtus omnium est excellentior virtutum. Cuncta siquidem bona opera, instituta, ritus, merita, quæcunque in cælo & in terra in gratia fiunt, ad sese in suum vas trahit. Quæ verò mala alijs insunt, ipsis relinquit, bona duntaxat sibi vsurpat attrahitqúe: haud secus quàm vbi frumentum in vas effunditur, ita grana omnia in vnum concurrunt, quasi in vnum redigenda essent. Hæc sancta dilectio, quicquid in cælis est, tam in beatis hominibus, quàm Angelicis spiritibus, totum absorbet. Omnium Martyrum tormenta, & quæcunque creaturæ omnes, tam cælestes quàm terrestres, bona habent, qualia innumera negliguntur & pereunt illis, ad quos videntur pertinere, hæc eadem dilectio sibi adsciscit, nec ea perire sustinet vllo modo. Hinc sacræ Theologiæ Doctores aiunt, in vita beata Dei electos tanto se inuicem semper amore complecti, vt vbi aliquis eorum quemlibet alium perfectius Deum contemplari, & eodem abundantius frui conspicit, non minus illi congratuletur, quàm si ipse eadem contemplatione & fruitione gauderet, eamqúe in hac vita fuisset me-

Vnde pretium operis æstimandum.

Mensura coagitata.

Quinam aliena opera bona magis prosint.

1. Cor. 13.

Dilectionis vis.

Omnium Beatorum inter se amor.

tati. Quanto igitur nos in hac vita per hunc amorem effluentem Sanctis conformauerimus: tanto eodem perenniter fruituri sumus. Quisquis enim hîc per amoris huius mensuram plura bona collegerit, plura etiam in æterna beatitudine possidebit atque fruetur. Hoc autem malignus spiritus molestè ferens & inuidens, hominem eiusmodi eò adducere molitur, vt & sibiipsi iustitiam fallaciter arroget, sesequè iustum arbitretur, & erga proximum concipiat displicentiam, ita vt quicquid ille agat, vniuersa instituta & opera illius non tam ei bona esse videantur, vt meritò esse deberent: sicquè extra dilectionem excidens, sententiam ferat, iudicetque ea talia vel huiusmodi potius esse debere. Ex hoc autem iudicio intus concepto, lingua virulenta instar arcus ex ipso fundo suo sagittam iaculatur, quæ animæ æternæ mortis infligit vulnus, ipsamque inficit: hæc, inquam, sagitta iudicij peruersi, omnia illa subuertit dissipatque, quæ homo in mensuram suam coaceruauerat, quod vtique terribile & periculosum est. Vnde fideliter & ex animo consulo tibi, quisquis eiusmodi es, vt si Dei amicus esse voles, perpetuam linguæ tuæ curam habeas custodiamque. Adducit etiam in eundem hostis antiquus displicentiam & auersionem erga homines deuotos. Tum verò e vestigiò, si illis consentiat, diuinorum influxuum, donorum & actuum virtutum, secundùm intimam optimamque dilectionis rationem, participio priuatur. De quo Propheta Regius canit: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Barba quidem quàm plures pilos habet, & vna tantùm barba est: & vnguentum in ipsam effusum, fluit in pilos omnes. Quomodo autem si pilus excidat è barba, non est particeps vnguenti illius: ita & quandiu aliquis integro ac indiuiso amore & beneuolentia quoscunque homines prosequitur, per eandem dilectionem omnium bonorum in ipsum participium deriuatur: si verò aliquem à communis dilectionis fauore excludat, minimè iam nobilissimum illud vnguentum in ipsum descendit. Quantum igitur potestis, circa hanc communem dilectionem vobisipsis diligenter attendite charissimi mei, & hoc curate, vt erga omnes plenum semper & integrum geratis fauorem, cum nullo aliquid dissensionis habeatis, nec templum à summo Pontifice Deo consecratum perturbetis, ne (quod absit) sempiternam illius excommunicationem & execrationem incurrere vos contingat. Sunt, proh dolor, hodie multi natura admodum peruersæ, & erga fraternam dilectionem & mutuam fidelitatem nimis iniquæ. Si enim proximum in aliquod mortale peccatum ruere, vel etiam extrinsecus corporaliter non sine læsione cadere cernant: nullo dolore, nulla compassione tanguntur, sed paruipendunt, & quod peius est, etiam cadentem irrident. Quod profectò admodum fraternæ dilectioni repugnat. Quisque ergo defectus proprios in seipso diligẽter obseruet, & fructum animæ suæ, internamque suam erga Deum & proximos charitatem studiosè examinet, scrutetur, exploret, semperque diuinum studeat intra se gestare timorem, certus quòd quicquid in hac vita neglexerit, semper & in omne æuum neglectum erit. Post præsens nanque seculum nihil cuiquam vel accedet vel decedet, nisi ea duntaxat quæ hîc meritus est, siue bona sint, siue mala. Equidem constanter vobis assevero, charissimi, etiam si dignissima Regina, Domini nostri Iesu Christi Genitrix, semperque virgo Maria, omnesque Sancti & Angeli Dei, sanguineas lachrymas pro quocunque post huius vitæ decessum effundant, non poterunt tamen vel tenuiter meritam illius essentialem beatitudinem, si saluandus sit, au-

Cui linguæ cura præcipuè habenda.

Psal. 132.

Barba & pilorum eius ad vnguentū habitudo.

Amorem omnibus sibi communem facere.

Quàm peruersa quorundam hodie natura.

Metendi prout ... non ... tendum.

sit, augere; vel ipsum, si damnandus sit, ab inferno liberare. Vnde iterum vos moneo, dilectissimi, vt vobisipsis diligenter prospiciatis. Quandiu enim hîc viuimus, semper nos diuina misericordia expectat: multoq́ue ad dandum homini noua dona sine intermissione paratior est Deus, quàm sit homo ad desiderandum. Verus amor nihil negligit, nunquam otiosus est, sed omnia operatur, omnia sustinet. Et hoc ad eum pertinet amorem, de quo iam dictum est. Sequitur hinc *mensura supereffluens*: quæ tam locuples & tam larga est, vt vndiquaque supereffluat & redundet. Hanc vbi quis assequutus est, accedit Deus, & digito suo eiusmodi vas supereffluens commouet: tum verò quicquid in illud vnquam congestum est, & ipse pariter homo supereffluit, omniaq́ue illa in diuinam originem, vnde reuerà profluxêre, refundit. In hanc enim sine medio omnia illa refluunt, ibiq́ue penitus sese amittunt, & velle, & scire, & amare, & nosse: quæ omnia supereffluunt, in Deo amittuntur, & vnum efficiuntur cum illo. Ipse verò Deus sese in eiusmodi hominibus amat, cunctaq́ue ipsorum opera in eis operatur. Nec possunt ipsi donorum Dei effluentiam & infusionem intra se continere, sed omnium salutem vehementissimè sitiunt, & ita Dominum precantur: O dulcissime Domine Iesu Christe, per infinitam misericordiam tuam miserere omnium, & ipsorum eis peccata remitte. Specialiter tamen eis miserere, qui bona quandoque egerunt opera, sed rursum ea perdidêre. Da illis Domine micas, de locuplete largissimæ bonitatis tuæ mensa cadentes, eosq́ue per gratiam tuam à peccatis ipsorum conuerte. Miserere etiam Domine animabus in purgatorio detentis, eisque similiter superabundantes gratiæ tuæ micas impartire, quo per tua merita consolentur. Hac ratione electi homines isti, & seipsos, & creaturas omnes, & omnia in verum diuinitatis referunt fundum: eorumque mensura in vniuersam redundat Ecclesiam sanctam, tam in malos quàm bonos, cunctaque ex humili ac resignato corde cælesti Patri accepta referunt offeruntque. Nihil omninò ex omnibus, quæ vnquam facta sunt, à minimo vsque ad maximum, perire sinunt: nec tam breuis oratiuncula, nec parua imago, nec modica campanæ pulsatio fit, quam non cum actuali dilectione sua in Deum referant: & vniuersa denique, quæcunque Angeli & Sancti omnes in cælis habent, omnem videlicet amorem & beatitudinem ipsorum, eidem offerunt: nec est aliquid omninò, quod excessum mensuræ ipsorum queat effugere, nullum enim amor eorum excludit, semperque omnibus hominibus per dilectionem iuncti & vniti sunt. Reuerà, dilectissimi, si eiusmodi hominibus destituti essemus, malè profectò nobiscum ageretur. Quamobrem Deum misericordem deprecemur, vt nobis omnibus mensuram hanc supereffluentem tribuere dignetur. Amen.

Mensura supereffluens.

Pro animabus in purgatorio detentis oratio.

Qualibus sine hominibus, male nobiscum ageretur.

DOMINICA V. POST TRINITATIS.

De vera orationis vnanimitate: & de similitudine hominis ad Deum, quando simul & agere potest & frui, & postremò de tribus gradibus, per quos vnum homo efficitur cum Deo in profundissimo veræ humilitatis fundo.

SERMO I.

Estote vnanimes in oratione. I. PETRI II.



IN his verbis, dilectissimi, Princeps Apostolici agminis vtilissimum, iucundissimum, præclarissimum, amabilissimum, fructuosissimum opus insinuat, quod est ipsa oratio. Vbi aduertere debetis, & quid sit oratio, quæ orationis essentia, qui modus, qua ratione orandum sit, & quis denique orationis debeat esse locus. Orationis itaque essentia, seu ipsa oratio, quomodo à Doctoribus sanctis definitur, est mentis ascensus in Deum. Locus orationis, vbi orandum est, in spiritu est, sicut ipse Dominus ait. Qua autem ratione orandum sit, & quomodo se quisque præparare, & in ea se gerere debeat, iam paucis explicabo. Fidelis quisque Deum exoraturus, sensus suos exteriores colligere, & vt mens ad Deum ritè conuersa sit, curare debet. Hunc orandi modum tenere quisque potest & in supremo, & medio, & infimo gradu siue modo. Huc autem impendiò contulerit, vt vigilanter singuli explorent & aduertant, quid magis ipsis conueniat, quidque eos ad veram deuotionem vehementius accendat, pronocetque: & hunc modum siue opus huiusmodi exercebunt. Quisquis autem ad veram orationem sese conuertere exoptat, vt in veritate exaudiri mereatur, ab omnibus rebus externis & temporalibus, & quæcunque diuina non sunt, siue sint amici, siue extranei, & ab omni quoque vanitate vestium & ornamentorum, & quorumcunque demum omnipotens Deus vera causa non est, nec ad ipsum pertinent, auersus esse debebit: verba quoque sua, conuersationem, gestus & mores, ab omni inordinatione foris & intus circumcidet. Atque hac ratione, his studijs ad veram se orationem disponet præparabitque, ad quam nos Petrus Apostolus hortatur, dicens: *Vnanimes estote in oratione*, quod nihil aliud est, quàm quòd mens ipsa soli Deo ex integro inhærere & adglutinari, homoque fundi sui & mentis faciem Deo, quantum potest, præsentem exhibere, eidemque cum pio affectu & beneuolentia debeat adhærere. Cùm enim omnia, quæ habemus, à Deo receperimus: quî fieri potest, vt saltem ad minus eadem omnia, ab illo nobis donata, non iterum in ipsum, cum introuersa facie & mente, refundere velimus, vt sic animus siue mens indiuisa semper & vnanimis perseueret? Tum verò omnes vires suas, externas pariter & internas extendere, & in Deum ex toto refundere curabit. Et hic est ipsissimus veræ orationis modus. Non enim arbitrari aliquis debet, veram orationem esse, multa forinsecus orare vocaliter, & plura Psalteria raptim cursimque legere, & interim digitorum contorquere anulos, corde huc illucque vagante. Quin potius id pro certo habetote, orationes omnes & opera quæcunque, per quæ interior mentis vera deuotaque oratio præpeditur, quocunque illa censeantur nomine, quamlibet etiam magna videantur & bona, securè postponi, precibus tamen Horarijs exceptis, & ad quę ex sanctæ Ecclesiæ aut Ordinis sui constitutione aliquis obligatur. Contingit autem interdum, vt alicui Communitati seu Congregationi pro certis causis prolixæ admodum preces externæ imponantur: vbi quæri potest, quo pacto homo internus, quem ab oratione mentali vocalis oratio impedit, in hac parte gerere sese debeat. Et respondetur, quòd & dimittere debeat & facere, id est, vtrunque agere. Quomodo, inquis? Ita videlicet: sese ad seipsum intro recipiet recolligetque, atque ad fundum suum interiorem cum eleuata mente, viribus extensis, interno diuinæ præsentiæ contuitu, & intimo gratissimæ voluntatis Dei præ omnibus desiderio conuertet, tam à seipso quàm rebus creatis omnibus defi-

Oratio quid.

Ioan. 4.

Exorare volenti quæ facienda.

Orationis vera modus.

Orationes quorundam hodie quales.

Mentaliter quibus orandum.

ciens, ibique altius atque altius in clarificatam Dei voluntatem sese immergens. Hac verò causas omnes sibi commissas fideliter adducet, pertrahetque, rogans Deum, vt ipse laudem & honorem suum ad vtilitatem & consolationem sibi commissorum faciat proficere. Et ita multo se vtilius meliusque oràsse non dubitet, quàm si mille interim vocales orationes fudisset. Hæc enim mentalis, quæ in spiritu funditur, oratio, sine modo omnem externam excellit orationem. Nam & Pater tales quærit, qui sic eum adorent. Et huic mentali orationi omnis externa seruit oratio. Quòd si aliqua ei non seruit, deserenda est. Omnia namque illi seruire debent. Quemadmodum, verbi gratia, in summi templi extructione diuersa sunt opera, & varij modi: & fortasse plus quàm centum homines in illo opere laborant, aut aliquod ministerium impendunt, diuersis licet modis, dum alij comportant lapides, alij calcem afferunt, alij alia agunt: quæ tamen diuersa officia siue ministeria ad eum solum finem referuntur, vt templum illud splendidè construatur: hoc autem ideò, vt domus orationis fiat, sicque omnia illa propter orationem aguntur, cui nimirum multiplicia hæc opera & varij modi deseruiunt. Quando autem hæc interna veraque spiritus oratio funditur, omnia vtiliter expensa sunt, & officio suo probè functa, quæcunque huic inseruire potuerunt. Cæterùm, vt dixi, multum hæc spiritus oratio externam orationem excedit: nisi quis tam exercitatus esset, vt externa simul cum interna oratione sine vllo impedimento posset intendere, agens pariter & fruens, vt tamen alterum ab altero minimè impediretur: quod propriè ad illuminatos & introreceptos siue absorptos homines pertinet, in quibus actio & fruitio vnum effecta sunt, & altera ab altera nihil patitur impedimenti, sicuti est in Deo, in quo suprema operatio & purissima fruitio non nisi vnicum vnum sine vllo sunt impedimento, nec altera impeditur ab altera. Actio quidem siue operatio personis, fruitio autem simplici essentiæ tribuitur. Pater cælestis, secundùm paternitatis suæ proprietatem, pura est operatio, dum in cognitione suijpsius dilectum Filium suum gignit, & ipsi ambo ex sese Spiritum sanctum in ineffabili quodam spirant amplexu, qui amborum amor est. Et hæc æterna & essentialis est operatio personarum. Secundùm verò existentiam & essentiæ simplicitatem, quieta in Deo & simplex diuinæ essentiæ eius fruitio est. Et ita actio & frutio in ipso vnum sunt. Porrò creaturas omnes, actiuas fecit ad sui similitudinem, cælum videlicet, Solem, stellas, & longè supra hæc omnia Angelos & homines, quæque iuxta rationem suam. Nec est vsquam aliquod tam minutum folium, aut flosculus, aut graminis herbula, in quæ non cælum ingens, Sol, stellæ & luna agant, & ante omnia Deus ipse per seipsum. Quanto magis ergo præclariorem creaturam, Dei imagine insignitam, puta hominem, ad instar Dei, actiuum esse conuenit, qui secundùm vires, eiusdem est insignitus imagine: secundùm essentiam autem, similitudinem eius habere probatur? Planè nobilem creaturam rationalem, multo præclarius actiuam esse oportet, quàm creaturas irrationales, vt est, verbi gratia, cælum. Debet itaque homo Conditoris sui hac in parte æmulari similitudinem, vt vtroque modo, cum omnibus videlicet tam supremis quàm infimis viribus suis, & actioni simul & contemplationi insistat: quod dum facit, actiuus est: facileque in quælibet sibi occurrentia obiecta, siue diuina, siue creata, iuxta eorum qualitatem, & secundùm quod ea sibi exhibentur, agere poterit. Cuius ergo omnia obiecta, diuina & cælestia sunt, quique temporalibus

omni-

Quanto mentalis oratio vocali præstet. Ioan. 4.

Templa cur facta.

Interna oratio exteriori melior.

Actio & fruitio in quibus sunt vnum.

Nil esse in quo non ipse Deus agat.

Cuius opera omnia diuina manant.

omnibus dorsum vertit, eius etiam omnia opera diuina efficiuntur. Ipsa certè Domini Saluatoris anima nobilis & præclara, ab instanti creationis suæ, cum supremis viribus suis, sine intermissione in diuinitatem obiectiuè sese conuertit, ipsamque pro obiecto habuit: nec minus tunc erat beata ac fruens, quàm est impræsentiarum in cælis. Secundùm vires autem inferiores & afficiebatur, & agebat, & erat passibilis: simulque & fruebatur, & patiebatur, & agebat. Quando enim in cruce Dominus diros tolerabat cruciatus, & animam fundebat, vires illius superiores eadem, qua nunc, fruitione gaudebant. Et quotquot hac in parte eum perfectius conformiusque sequuntur, vt videlicet diuinitatem pro obiecto habentes, agant simul & fruantur, illi etiam in æterna beatitudine, in fruitione diuinæ essentiæ consistente, perenniter ei similiores erunt. Iam quicunque hoc excellentissimum negligunt opus, præclarasque vires suas otio marcescere sinunt, præter hoc, quòd immensa, grauissima, metuenda sibi inferunt damna, etiam periculosè admodum viuunt, tempus pretiosissimum miserè perdunt, immanissimum prorsusque intolerabile sibi ipsis conficiunt & merentur purgatorium, & exigua sunt in cælestibus præmia habituri. Sicut enim agrestes rustici pro sua ineptitudine nunquam ad regis vocantur consilia, nec illius secreta eis panduntur, nec cubiculo ipsius proximi adhibentur: ita & homines istiusmodi vani & externi, semper ineptissimi sunt, qui cum præclarioribus Dei amicis eandem in cælestibus seu in ipso Deo accipiant mansionem. Taceo, quòd intùs & foris otiosi & Deo vacui, & externi miseri isti, magnam se tentandi malignis spiritibus occasionem præbent, imò etiam ad hoc prouocant eosdem. Sed prosequamur nunc, vnde parumper nostra aberrauit oratio. Diximus enim hanc cum Deo homini similitudinem esse, quòd simul & agere potest, & frui. Quod tum fit, quando interior homo incommutabiliter Deo intus adhæret per internam, puram atque perfectam illius (id est, Dei) intentionem, qua illum purè intendit. Hæc autem intentio tam illi dissimilis est, qua extrinsecus Deum intendere dicimur, quàm cursus sessioni. Hæc enim intentio, præsens quædam interna & intuens siue adspiciens intentio est. Homo itaque in interioribus suis fruitur, & ex hac fruitione ad Deum aut ad aliquid foris vtiliter vel necessariò agendum, ex ipso in idipsum sese conuertit, celeriterque interiora & externa sua perspicit. Sicut enim, verbi gratia, artifex aliquis, qui pluribus seruis, diuersisque artificijs præpositus est, eisdem seruis suis certam quandam normam siue regulam formamque præscribit, secundùm quam omnia, quæ illis commissa sunt, opera sua facere debeant: ipse verò nihil operatur, & rarò officinam accedit: dicitur tamen magister à seruis suis ratione magisterij, instructionis ac informationis suæ, haud secus quàm si omnia, quæ ipsi fecerunt, solus ipse parâsset: & tamen quia ipse iubet & instruit, qua ratione singula quæque opera facienda sint, magis illius sunt, quàm eorum qui ea fecêre. Sic & internus ac illuminatus homo intus fruitur, & per lumen quidem rationis omnes exteriores vires suas citò perspicit, atque ad opera officiaque sua dirigit: sed intus in fruitiua sui post Deum adhæsione immersus est & liquefactus, & in sua libertate absque vllo suæ actionis perseuerat impedimento. Huic autem interno operi externa quæque deseruiunt, nec aliquod tam exiguum opus est, quod non huic conferat, si modò tale sit, vt bonum opus rectè meritoque dici queat. Sicut enim in sancta Ecclesia, quæ est sacrum quoddam ac mysticũ corpus, cuius caput

Qui Christo simillimi futuri.

Quomodo & agere & fruì simul homo queat.

Collatio perspicua ab artifice sumpta.

Ecclesiæ corpus quale.

caput est Christus, ordo quidam est: sicut etiam in hominis corpore similiter ordo quidam inuenitur: in quo nimirum membra sunt plurima, putà oculus, qui non sibi tantùm, sed toti corpori videt: & os, quod toti corpori bibit & comedit, non sibi duntaxat, manus quoque & pedes, & cætera quæque membra, quorum singula suos habent actus, & omnia ad caput & corpus pertinent: sic & in Christianitate nullum tam vile, neque tam exiguum opus est, nulla tam parua candela vel campanula, quæ non huic interno operi perficiendo deseruiat conferatque.

Quanta in Ecclesiæ corpore esse debeat concordia.

In hoc autem mystico corpore tanta meritò debet esse cõcordia, quantam in membris vestris esse conspicitis, quorum vnum alij non nocet, aliud non opprimit, sed velut sibijpsi, absque deliberatione aliqua, absque mercede & gratiarum actione, deseruit: omnia in vno, & vnum in omnibus. In hoc etiam corpore mystico si quod membrum nobisipsis dignius nobiliusque cognoscamus, meritò quàm nos, maiori in pretio & æstimatione habere debemus: & quomodo brachia vel manus maiorem capitis, vel cordis, vel oculi, quàm suimet, curam habent: ita & vnitam inde liberatamque in Christi membris dilectionem esse conuenit, vt tanto quisque de alterius probitate & virtutibus, cum beneuola dilectione, impensius gaudeat & gratuletur, quanto præclarissimo capiti Deo chariorem pretiosioremque eum esse probârit. Et quicquid illi Deus fecerit, tam sibi gratum sit, ac si suum esset.

Qui aliena bona nostra fiant.

2. Cor. 12.

Quando enim bona quælibet in proximis nostris magis quàm ipsi ea ament, diligimus, verius magisque propriè ea nostra sunt, quàm ipsorum: mala autem si quę habeant, ipsis manent: sed bona quæcunque in illis diligimus, propriè nostra sunt. Quòd Apostolus ad tertium cælum raptus fuit, voluntatis erat diuinæ, quæ hoc illi præstare volebat, non mihi. Si iam satis mihi diuina sapit voluntas, gratius erit mihi, raptum illum Apostolo contigisse, quàm mihi: & si rectè donum illud in eodem Apostolo amo, ita verè meum est (non hoc modò, sed & quæcunque illi vnquam pręstitit Deus) sicut illius, si tamen haud secus ipsum diligo in eo, sicut in meipso. Sic enim & erga omnes trans mare positos, etiam inimicos meos, affectus esse debeo. Et hæc vnanimitas, istaque concordia ad hoc spiritale seu mysticum corpus requiritur. Hac ratione & bonis omnibus, quæ in cælo & terra, in amicis Dei omnibus, & in ipso quoque capite Christo habentur, locupletari possum. Necesse est enim, vt quæcunque idem hoc caput cum omnibus membris suis tam in cælo quàm terra, tam in Angelis, quàm sanctis habet hominibus, omnia in me actualiter essentialiterque promanent profluantque, si tamen, modo iam dicto, in Dei voluntatem per æqualem cum cæteris huius mystici corporis membris dilectionem, sub hoc transformor capite, eique (quantum possibile est) similis efficior, & à propria imagine exutus, illius imaginem induor. Hic autem facilè probari potest, vtrum Deum & illius voluntatem, an nos potiùs aut aliquid nostrum, plus minusve quàm ipsum Deum diligamus. Nec rarò auri speciem mentitur, quod in seipso & in fundo suo vix cupri habet pretium.

Verè spiritu pauperes qui.

Quotquot autem seipsos & omnia sua funditus abnegârunt exieruntque, hi tametsi omnia possideant, verè pauperes spiritu sunt. O quàm rarum est hodie inter homines, æquè in doloribus & afflictionibus, vt in rebus lætis & prosperis, Deum amare.

Tres vitæ internæ gradus.

Dicam hîc ad extremum de tribus internæ ac virtuosæ vitæ gradibus, quorum vel infimum, vel medium, vel supremum homo assequi potest.

I.

Primus, qui & dirigit atque deducit hominem ad supremam vicinitatem Dei, est,

vt sese homo totum ad stupenda miraque Dei opera & ineffabilium donorum ac munerum illius exhibitionem, occultæque bonitatis eius effluxus aduertendos contemplandosque conuertat: vnde exercitium quoddam nasci solet, quod iubilationis habet vocabulum. Secundus est, spiritus quædam paupertas, & singularis Dei subtractio siue occultatio, dum sese Deus omnipotens cunctaque dona sua spiritui subtrahit, & in languenti spiritûs inopia ipsum relinquit. Tertius est, excessus in esse deiforme, per spiritûs creati cum existente spiritu Dei vnionem siue vnitatem: qui gradus essent alijs conuersio dici potest. Hunc quisquis rectè pertingit, vt aliquando excidat à Deo, credi vix potest. Ad primum gradum, quem iubilationem vocari diximus, ita peruenitur: si quis dulcissima seu gaudiosissima amoris signa, à Deo nobis & in cælo & in terra mirabiliter exhibita, & bona innumera nobis & alijs creaturis omnibus ab eodem præstita, studiosè obseruet & attendat, considerans vt omnia floreant, vireant, & plena sint Deo: vtque incomprehensibilis benignitas Dei creaturas omnes maximis donis suis perfundat, vt ipsum diu tolerarit, quæsierit, muneratus sit, inuitârit, commonuerit, expectauerit, propter ipsum homo factus sit, multa perpessus sit: vitam suam, sacratissimamque animam suam, & seipsum pro nobis obtulerit, ad quam ineffabilem ipsum suijpsius vicinitatem coniunctionemque vocârit, & vt denique beatissima Trinitas ipsum, vt se perenniter fruatur, præstolata sit, & expectârit. Hæc vbi homo internus amorosa contemplatione, veraque dilectione percurrit, ingens in eo actuale gaudium suboritur: tantaque intus exultatione repletur atque perfunditur, vt corpus fragile ipsam continere non possit: vnde fit, vt in singulares quosdam gestus erumpat quod [illegible] faceret, vt frequenter accidit, sanguis fortasse ex ore illius ebulliret, aut ipse homo grande periculum seu grauem incurreret læsionem. Sic itaque copiosa intus à Deo dulcedine perfunditur, eidemque per amplexum internum vnitione sensibili vnitur. Hac ratione Deus omnipotens hominem primò quidem extra seipsum, & extra omnem dissimilitudinem ad se trahere, prouocare, allicere solet. Maximeque interdictum sit omnibus, ne se de aliquo eiusmodi homine intromittant, nec eis hac in parte impedimento sint, nec externa crassaque opera modosque eis imponendo, multiplicent, seu multiplicitati se tradere cogant: alioqui nouerint se Deum grauiter offensuros. Sed nec ipse Prior, diuino Officio peracto, quonam frater aliquis abeat ex choro, quærere habet: nisi fortè tam vanus & otiosus esset, quod viam & actus illius obseruare oporteret. Contigit quadam vice, vt Deus singulari cuidam amico suo diuinum suum offerret osculum. Respondit autem in spiritu: Nolo hoc dulcissime Deus. Ex ea nanque exultatione adeò totus à meipso deficiam, quòd deinceps inutilis ero: & quomodo tunc potero pro miseris animabus preces fundere, easque de Purgatorio eripere, & pro peccatoribus deprecari, quando animæ, quæ ex hac luce migrârunt, sibiipsis opem ferre minimè possunt, nisi nos qui in isto seculo degimus, illis succurrere velimus? Nihil enim Deus eis sine nostro suffragio & ope vt plurimum præstare solet, quandoquidem iustitiæ illius satisfieri oportet, quod hauddubiè per amicos eius fieri habet. Quanta hæc, charissimi, dilectio fuit, quòd hic Dei amicus ingenti illa consolatione tali ex causa carere voluit? Secundus gradus est, posteaquam Deus catenus hominem extra omnia abstraxit, & iam ille puer esse desijt, abundeque dulcedinis diuinæ refocillatione roboratus est, deinde pa-

Marginal notes: II. (beside "Secundus est") — III. (beside "Tertius") — Ad primũ gradũ qui pertingatur. — Singulares cur sint quorundam deuotorũ gestus. — Ecstatici à quibus liberi. — Paradisus. — ☞ — II. (beside "Secundus gradus est")

nem ei cibarium porrigit, vtpote qui vir effectus, & virilis ætatis annos assecutus est. Expedit planè, veterem hominem duro ac solido cibo pasci, nec decet eum deinceps lacte & pane foueri. Vastam igitur, tenebrosam, desolatamqúe eiusmodi homini Deus viam proponit, per eamqúe ipsum deducens, aufert ab eo omnia quæcunque illi vnquam largitus est. Hic iam adeò totus sibijpsi relinquitur, vt nullam habeat Dei notitiam: talemqúe pressuram incurrit, vt si vnquam bene habuerit, vel etiamnum Deum habeat, necne, prorsus ignoret: ac tanto denique dolore perfunditur, vt vastissima mundi spatia nimis illi angusta videantur. Nihil sentit Dei, nullam habet notitiam Dei, & cætera omnia nihil eum afficiunt, nihilqúe sapiunt, estqúe ei velut inter duos parietes pendeat, aut (quod in prouerbio dicitur) à fronte præcipitium, à tergo lupi sint, vbi non est quò se vertat, nihil quod agat, nisi hoc tantùm, vt se sessum recipiat, & dicat: Salue amaritudo amarissima, omnis plena gratiæ. Certè si infernus in hac vita haberi posset, plus sibi quàm infernus videretur, impensè scilicet amare Deum, & eodem dilecto penitus frustrari atque carere. Vnde quicquid illi dici potest, non magis eum consolatur, quàm lapidem: nec potest patienter audire, si quid ei de creaturis, quasi pro capiendo inde solatio, dicatur. Quanto autem abundantiori prius gaudio & consolatione perfusus fuit, tanto nunc amaritudo & dolor in hac subtractione vehementior est intolerabiliorqúe. Verùm quisquis hæc experiris, viriliter age, probè te geras: certo certius proximus adest tibi Deus tuus: tantùm veræ ac viuæ fidei stipiti fortiter innitere, citò melius habebis, omnia prosperè cedent. Sed quid dicimus, quando animæ eiusmodi desolatæ ac miseræ, quamdiu in hac gemebunda afflictione posita est, persuaderi non potest, intolerabilem hanc obscuritatem & tenebras internas vnquam in lucem posse mutari? Deinde vbi iam Dominus hominem talem per hanc intolerabilem crucem satis superqúe præparauit, (magis enim hæc ipsum præparat, quàm omnia possent exercitia, quæ homines vniuersi agere queant) accedit pius Dominus, & ipsum ad tertium perducit gradum: vbi iam velut pallium omne aufert ab oculis eius, & veritatem manifestat. Et tunc lucidissimi in ipso solis radij oriuntur, totusqúe ex omnibus angustijs, miserijs, calamitatibus suis liberatur, eripiturqúe: videturqúe sibi à morte ad vitam reuocatus à Deo. Interim Dominus abducit eum extra ipsum in se, omni eum miseria & afflictione absoluens, abundè recreans, & vniuersa illius sanans vulnera. Simulqúe extra humanum modum trahit ac rapit ipsum in diuinum quendam modum, extraqúe omnem calamitatem in diuinam securitatem, vbi adeò homo deificatur, vt quicquid ipse est & agit, Deus in ipso sit & operetur: tamqúe sublimiter supra naturæ suæ effertur modum, vt quod Deus est essentialiter per naturam, ipse fiat per gratiam. Hic iam seipsum perdidisse se sentit, nec vsquam vel agnoscit, vel inuenit, vel sentit seipsum: adeoqúe nihil nisi vnam quandam simplicem essentiam nouit. Hic sanè, dilectissimi, altissimum veræ humilitatis & annihilationis fundum, quod sensibus capi non potest, attingitur. Hic enim omnium verissima homini proprij nihili sui cognitio datur, & hæc est profundissima in humilitatis fundum demersio, descensioque: quæ quanto fuerit profundior, tanto & sublimior erit. Profundum namque & sublimitas hic vnum sunt. Quòd si aliquis ex hucusque prouectis hominibus ab alterutra parte extra hanc sublimitatem cum aliqua donorum Dei arrogatione, vel ad seipsum, vel ad aliquid

Quanta subinde amici Dei pressura afficiantur.

Amanti quid hic inferno durius.

III.

Post tristia Dominum læta suggerere.

Arrogantia quan-

suum

suum reflecteretur, deuolueretur que, non minorem ille, quàm Lucifer, ruinam faceret. Hic denique vera orationis vnanimitas, cuius Epistola mentionem facit, obtinetur, dum homo cum Deo reuera vnum efficitur. Ad quam nos vnanimitatem beatissima Trinitas perducat, prouehatque. Amen. In ruinam obnoxia.

DOMINICA EADEM.

Vt nauicula, id est, mens vestra ab omnibus, quæ Deus non est, in altum ducenda & euehenda sit, primò quidem per sanctas meditationes: deinde per patientem resignationem in omnis solatij ac dulcedinis subtractione. Et demum, vt eadem mens in nihilum increatum demergatur.

SERMO II.

Cùm turbæ irruerent in Iesum, &c. LVCÆ V.

IN hodierno Euangelio, dilectissimi, inter alia legitur, vt Dominus noster Iesus Christus ascenderit *in vnam nauim, quæ erat Simonis,* rogans *eum à terra reducere pusillum. Et sedens, docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Ista nauis, charissimi, quam Dominus *in altum* duci iussit, interna hominis mens est & intentio. Hæc nauis in periculoso, sæuo ac procelloso mundi huius mari, quod motu quodam & feruore continuo agitatur, nunc prosperis, nunc aduersis, modò his, modò illis commouetur concutiturque. Quàm autem periculosè agatur cum illis, quorum corda huius maris vesaniæ & æstui cum amore & intentione addicta sunt, eidemque inhærent, vix aliquis sine cordis defectu & tabefactione posset agnoscere. Quæ citò post futura sunt, minimè vobiscum perpenditis, sed cæcitati ac stultitiæ dediti, hoc tantum cogitatis, vt misera corpora vestra ornare ac vestire possitis, & interim vosipsos negligitis, & metuendi judicij Dei, quod futurum minimè dubitatis, incerti licet quando agendum sit, hodie an cras, obliuiscimini. O si sciretis, dilectissimi mei, quantis in angustijs & periculis erit non solùm mundus iste, sed etiam quicunque in fundo suo Deo omnipotenti, aut ad minus amicis illius non adhærent, (multum enim periculosè agetur cum eiusmodi, sicut breui adhuc veris Dei amicis per reuelationem significatum est) quantum etiam fides ipsa deficiet, & quasi pessum ibit, naturales sensus vestri nulla id ratione sufferre possent. Quos viuere contigerit, vbi ista acciderint, cogitare poterunt, hæc vobis olim prædicta fuisse. Sed vt ad propositum redeamus, quod Dominus Petro ait, *Duc in altum:* hæc prima via est, quam ante omnia præcedere oportet, vt videlicet mens, id est, amor, intentio & fauor mentis ab omnibus, quæ Deus non est, *in altum* ducantur. Necessarium est enim, vt quisquis in hoc horribili mari perire & submergi noluerit, mentem ab omnibus mortalibus creaturis, quocunque demum illæ vocentur nomine, aut qualescunque

Nauis.

Quibus est periculosissimè agatur.

Nauem in altum ducere.

cunque sint, subleuare & attollere studeat. *Respondens* autem *Simon, dixit* Iesu: *Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*. Planè optimè locutus est. Quotquot enim his externis dediti sunt & occupati, & in nocte laborant, & nihil capiunt. Vbi verò Petrus in Saluatoris verbo laxauit *rete*, tantam *piscium* conclusêre *multitudinem*, vt *rete* ipsorum rumperetur. Et hoc ante Domini resurrectionem contigit. Post resurrectionem verò, cùm iterum ad Domini iussionem rete ad dexteram nauigij misissent, & multos pisces ceperunt, & tamen rete minimè rumpebatur. Quaeso, charissimi, quodnam est rete, quod Dominus laxari praecepit, quo tam multi pisces capiuntur? Non aliud sanè, quàm memoria & cogitatio hominis. Hoc rete primò per sanctas meditationes laxandum est, ita videlicet, vt quisque summo studio omnia illa sibi assumat meditanda, quae ipsum ad deuotionem sanctam commouere, accendere & allicere queant: vt verbi gratia, dignissimam vitam & passionem, sacratissimamque & amabilissimam conuersationem, & opera Saluatoris, amoremque illius, ex quo haec omnia suscepit, fecit, pertulit pro nobis, adeò sibi imprimet ac imbibet, vt idem amor omnes vires & sensus suos tanto cum gaudio & dilectione penetret, vt ea occultare & continere non possit, quin erumpant in iubilum. Et hic est infimus gradus ducendi mentem in altum. Verùm altius euehenda ac ducenda est, si quis intus & foris resignatus, purgatus, illuminatus esse velit, qualem Dionysius illustratum ac deiformem hominem appellat. Ducitur ergo nauis longius in altum, quando homo eò pertingit, vt cuncta illi excidant, quae vires infimae apprehendunt. Hic iam sanctae cogitationes omnes, imagines, iubilus, gaudium, & quaecunque illi huiusmodi à Deo vnquam donata sunt, rudia, crassaque ei videntur: & quia nihil illi sapiunt, eis inhaerere non potest, sed inde expellitur: non enim ista eum afficiunt, & quae liberent, non habet: sicque inter duo extrema positus, grauissimos interim dolores & pressuras experitur. Ista nauis in altum ducta est. Iam enim in hac angustia & desolatione homine constituto, pressurae omnes, aduersitates, imagines, tentamenta, miseriae, calamitates, quae iam pridem euicerat & superârat, iterum in eo consurgunt, denuò impugnant, totoque impetu nauem illius magna cum tempestate concutiunt, & fluctibus suis impetunt exagitantque. Sed obsecro, quicunque haec sentis, noli timore deijci, modò nauicula tua probè anchora fixa sit, venti ei & fluctus obesse non poterunt. Ad mentem tibi veniat, quod Iob ait: *Post tenebras spero lucem*. Tantùm ergo tecum maneas, non foras euageris: ad finem vsque tentamenta & pressuram hanc sustine, nec aliud aliquid quaeras, quo hanc euadas molestiam, sicut faciunt plerique, qui dum hanc internam paupertatem & pressuram sentiunt, semper aliquid inquirunt, quo eam effugere possint: quod profectò officit plurimum. Vbique queruntur, & Doctores consulunt, hoc solum reportantes, quòd amplius intricantur, impediunturque. Sicut ergo dixi, qui haec patitur, secum maneat, & hinc se non extrouertat: haud dubiè post tenebras clara quandoque dies, & Solis splendor succedet: caueat tantùm, si diligit salutem suam, ne ad aliud se transferat: quod si fecerit, si consilio sano morem gerens, secum perstiterit, futurum est vt diuina in ipso natiuitas propediem peragatur. Nunquam enim, quod tutò mihi credi poterit, aliqua in homine pressura consurgit, quin Deus omnipotens post eam nouam in eo natiuitatem renouare velit. Vnde quicquid eum à pressura absoluit, aut eam sopit, hoc nascitur in eo, & illius in ipso natiuitas

Marginalia: In nocte qui laborent. — Ioan. 21. — Rete. — Omnia Christi gesta, quanto nobis studio insculpẽda. — Infimus ducendae in altum nauis gradus. — Iob 17. — Pressurae à Deo immissa, an fugienda. — Nil aduersi absque beneficio singulari pijs immitti.

nitas agitur, siue id Deus sit, siue creatura. Quòd si creatura id agit, quodcunque illa vocabulum habeat, Dei in ipso natiuitatem penitus destruit: vnde iam ipse colligat, quantum sibi hoc adferat detrimenti. Planè si nauicula, si mens illius firmam illam petram, de qua præclarus Apostolus ait, *Petra autem erat Christus*, fortiter comprehenderet: *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* posset eum inde auellere vel *separare*. Imò si dæmones & homines omnes aduersus eum coniurâssent, quanto ei essent infensiores, tanto plus in nauiculam eum impellerent, ipsaque tanto sublimius tenderet in altum. Et in hoc amplius ille proficeret, altiusque ascenderet, quàm in cunctis exercitijs externis, quæ totus simul mundus peragere posset, si tantùm patienter sufferat, & ad pressuram tolerandam sese resignet, qualicunque illa modo ipsum premat vel affligat, seu vndecunque occurrat intus vel foris, nec interim aliquod releuamen expetat vel inquirat: si denique vulnus suppurare sinat, omni solatio contempto. Tunc enim certo certius liberabit eum Deus: quod tamen vtrum velit aut nolit, totum illius relinquet arbitrio, animum ad vtrumlibet habens resignatum. Hæc est, charissimi, via proxima & compendiosissima ad veram diuinam natiuitatem, quæ in eiusmodi hominem sine medio lucet radiatque. Fit autem sæpenumerò, vt homini externo aliqua externa occurrat afflictio, vt quòd fortasse, verbi gratia, aliquid ei siue dicitur, siue infertur, quod ipse ducit iniuriam, vnde plerunque adeò coangustatur, vt totus ei mundus nimis arctus appareat. Hoc tamen si quis eiusmodi intra se comprimere posset, & ad honorem vulnerum Christi intra se suppurare fineret, nec alicui inde quereretur, nec ipsam hanc angustiam immutaret, ad alia se inordinatius transferendo, mirabilem certè copiosamque inde pacem acquireret. Quantam ergo putamus homini interno pacem & gaudium prouenire, dum seipsum ex integro Deo resignat? Certè nihil illi Deo minus præstatur. Et vos ergo, dilectissimi, si ex veris quibusdam signis vosipsos, hoc est, quales sitis certo cognoscere vultis: diligenter aduertite, quænam sint illa, quæ vos ad amorem vel odium, ad gaudium vel dolorem commouere potissimum solent & possunt: & qualiacunque sint illa, siue Deus, siue creatura, hæc intus vos possident. Quòd si Deus vestri possessor est, nauiculam, id est, mentem vestram nec omnes poterunt creaturæ impellere, vel perturbare. Quotquot enim eiusmodi sunt, his benignissimus Deus tam pretiosum clenodium, tale videlicet gaudium præstare solet, vt in interioribus suis tam veram sentiant pacem & quietem, vt de ea aliquid intelligere, nisi qui accipit, nemo possit. Et licet istorum nauiculam crebræ interdum tempestates & fluctus forinsecus pulsent, tantoque cum impetu inuadant concutiantque, ac si iam iamque eam essent demersuræ, quamlibet tamen importunè irruant, non poterunt pacem ipsorum internam perturbare. Extrinsecus quidem nonnihil inclinari ac moueri ipsorum potest nauicula, intus tamen veram diuinamque pacem & gaudium immobiliter seruant. Quæso, dilectissimi, si qui sunt inter vos, quibus ista necdum sentire vel gustare contigit, ne perterreantur. Vt enim diuites, sic & pauperes piscatores inuenire est. Interim hoc certum habetote, nullius tam parua esse exercitia, quin si amet & ex ipso fundo velit, intendat & exoptet magnus & sublimis esse Dei amator, atque in hoc studio perseueret, & eos, qui tales sunt, diligat, curans interim simpliciter

1. Cor 10.
Rom. 8.

Quanta ex aduersis sponte toleratis pax oriatur.

absque notabilibus impedimentis viuere, & Deum intendere in cunctis actibus suis: hic profectò pacem hanc quandoque obtinebit, vel in ipso saltem mortis articulo. Veruntamen ipsa verorum amicorum Dei pax, aliquo modo etiam perturbationem, seu inquietudinem habet ininnctam, dum vel Deo, quantum vellent ipsi, satis esse non possunt, vel Deus ipsis non ita satis est, vt eis perfectè sufficiat, ac plenè contenti sint. Et hæc est retis huius extensio. Sic legitur de Eremita quodam, quòd annis quadraginta manibus pedibusque per syluam Dei amore reptârit, nec vnquam diuinam senserit consolationem: de quo tamen dubium non est, mille alijs plus eum supernæ consolationis habuisse: sed minimè contentus erat, nisi excellentissimo, quo quidem sentiri potest, modo ea potiretur. In hoc enim supremo diuinæ consolationis gradu siue modo pax est essentialis, de qua scriptum est: *Inquire pacem, & persequere eam.* Hæc autem pax, pax, inquam, *omnem exuperans sensum*, essentiali hominis ad Deum conuersioni respondet. Enimuerò quando id quod in anima anonymum est, ex toto se in Deum recipit, simul subsequitur, & vnà cum illo in Deum se recipit, quicquid in homine nomen habet: & huic conuersioni semper respondet, & id quod anonymum est, & quæcunque nomen habent in Deo. Et hic Deus veram pacem loquitur in eiusmodi homine, qui iam ex sententia dicere potest: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Huiusmodi beatus Dionysius deiformes homines appellat. Et de his fortasse diuus Paulus loquitur, vbi ait: *In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Quæ enim *sublimitas & profundum* in his sese exerit & manifestat, ea nullus sensus, nulla ratio capit: quandoquidem sensus omnes superant, & in quandam tendunt abyssum. Hæc bona illis duntaxat intus reuelantur ac deteguntur, qui & foris purgati, & intus illuminati sunt, ac interiora sua nôrunt incolere. His & cælum, & terra, & creaturæ omnes, nihilum quoddam & inane reputantur: quando ipsi sunt cælum Dei, quiescentis in eis. *Et sedens,* ait Euangelium, *docebat è nauicula turbas.* Deus omnipotens & quiescit, & sedet, & totum mundum, omnesque creaturas moderatur & iudicat in hominibus istis. Quando autem aliquis ad hoc fundum, & ad hanc essentiam ritè pertingit, necesse est rete dirumpi. Ne, quæso, putetis charissimi, ea me arrogantia præditum, vt credam me huc pertigisse. Quamuis enim nullus Doctor ea alios docere meritò deberet, quæ ipse necdum vita sit assequutus, ad necessitatem tamen satis est, vt ea diligat & intentione prosequatur, nec planè agat contrarium. Necesse est ergo, vt quomodo in illa naui tot piscibus captis rete rumpebatur, sic & quando homo hanc capturam assequitur, atque ad hoc pertingit fundum, natura ipsa, quæ præ sui fragilitate istud non sustinet, dirumpatur, adeò vt deinceps nulla vnquam die plena corporis incolumitate gaudeat. Et hoc æquum satis. Vt enim felicis memoriæ Hildegardis ait, Dei habitatio non est in corpore sano atque robusto. Et Apostolus, *Virtus*, inquit, *in infirmitate perficitur.* Hæc autem infirmitas non ab externa exercitatione, sed ex abundantia diuinæ perfusionis contrahitur, qua supra quàm fragile terrenumque corpus ferre queat, eiusmodi homo perfusus est. Adeò nanque totum hunc hominem Deus in se rapuit, vt omninò deicolor efficiatur: & quicquid in ipso est, modo quodam superessentiali perfunditur atque formatur, ita vt iam

Deus

Amicorũ Dei pax qualis.

Paradigma.

Psalm. 33.

Philip. 4.

Psalm. 84.

Ephes. 3.

Luce 5.

Rete quãdo rumpatur.

Ad quæ doceat quis, ea & expertum oporteat.

Hildegardis oraculum.

2. Cor. 12.

Deus ipse cuncta illius agat opera. Vnde apparet quàm meritò talis, homo deiformis vocitetur. Si cui nanque ritè eum videre liceret, vt Deum, non tamen nisi per gratiam ipsum cerneret. Deus enim in ipso amat, informat, moderatur & agit cuncta opera illius, adeoqúe seipso fruitur in illo. Multus ex huiusmodi hominibus Deo accedit honor, dum & nauem suam satis duxêre in altum, retia longè extenderunt, & cepêre plurima. Vbi verò nauis hac ratione in altum & profundum deducta est, simul cum reti submergitur, & vndique laceratur. Satis enim congruum & iustum est, vt omnis horum destruatur atque rumpatur propietas. Vt enim res quælibet id fieri possit, quod non est: prius ab eo quod est deficere habet. Sic ergo quodam modo anima & corpus in hoc altissimo submerguntur pelago, suaqúe naturali operatione & virium exercitijs naturalibus destituuntur: iamqúe in hac in istud abyssale pelagus immersione nec verba habent, nec modos. Itaque sicut diuus Petrus, viso piscium miraculo, totum ad Domini pedes se abiecit, & verbum irrationabile protulit, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: sic & isti similiter faciunt. Verbis enim & operibus destituti sunt, quæ est prima huius ratio. Secunda autem est, quòd hic adeò in abyssale nihilum suum collabuntur, adeoque pusilli & nihil fiunt, vt omnibus vnquam à Deo perceptis ex toto renuntient, eademque ita purè in Deum, cuius & renera sunt, refundant, quasi nunquam ea fuissent consecuti: simulque cum omnibus his tam nihil & nudi efficiuntur, quasi qui nihil sint, & nihil vnquam perceperint. Atque hoc modo creatum nihil in nihilum increatum demergitur & absorbetur, quod nec intellectus apprehendere, nec verba consequi possunt. Hic verissimè completur, quod in Psalmo Propheta Regius ait: *Abyssus abyssum inuocat*. Creatam enim abyssum increata abyssus intrò vocat, simulque vtraque abyssus vnicum vnum efficitur, vbi iam spiritus seipsum in Dei spiritu perdidit, in abyssali ac profundissimo diuinitatis mari submersus. Quàm bene autem hic habeat, qui eiusmodi est, non capit intellectus. Deinde verò idem hic totus essentialis & communis, virtuosus quoque, pius ac diuinus efficitur, in conuersatione suauis & amabilis, communis ac socialis omnibus, id tamen, vt nullum vnquam vitium, nullus in eo defectus notari queat vel offendi. Omnibus prætereà & facile adhibet fidem, & miserationis affectum impendit, nec est seuerus multum aut rigidus, sed clemens, pius, propitius. Vnde nec verisimile est, posse eum quandoque à Domino separari atque diuelli. Quam nobis perfectionem idem ipse largiatur Dominus Deus noster in secula benedictus. Amen.

Irrationabile Petro verbũ vnde exciderit.

Psalm. 41.


DOMINICA EADEM.

Vt in verè obedientis hominis fundo Christus veraciter sedeat, in eodemqúe eundem gratissimam suam doceat voluntatem. De supremæ quoque deiformium hominum perfectione, qui non sua vel actioni vel dimissioni innituntur, sed proprio nihilo.

SERMO III.

Ascendens Iesus in vnam nauim, quæ erat Simonis, &c. LVCÆ V.

IN



N præsenti Euangelio legimus, dilectissimi, quòd Dominus noster IESVS Christus, quum turbis irruentibus staret *secus stagnum Genezareth*, videretque *duas naues stantes secus stagnum*, ascenderit *in vnam nauim, quæ erat Simonis*, rogans *eum à terra reducere pusillum*. Quod cùm ille fecisset, *sedens* Dominus, *docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Hæc autem ante Domini passionem & mortem contigerunt. Post resurrectionem verò illius ex mortuis, iterum piscationi insistentes, ceperunt pisces centum quinquaginta tres:

Ioan. 21. sed *cùm* tot *essent*, neque *rete scissum est*, neque vllum submersionis periculum patiebantur. Hoc Euangelium, dilectissimi, multos in se admirandos & occultos continet sensus, ita vt cuiuis puro satisque illuminato intellectu prædito perplures hinc sensus optimos elicere, modò veraciter secum sit & animo collectus, omnino pronum esse queat. Enimuerò quòd nauis ipsa Simonis fuisse dicitur, primò per ipsum Simonem homo Deo perfectè obediens significatur. Deinde per nauim ipsam, in qua Deus sedisse dicitur, mens intima, fundumque hominis accipiendum est, in quo Dominus maiestatis veraciter sedet, vbi est quies & gaudium illius, si quis hoc tantum interius fundum studiosè semper intus obseruaret, cunctisque pro Dei amore valefaciens ac deserens omnia, ad ipsum sese introuerteret, quod, proh dolor, nemo facit. Hinc est, quòd Deus omnipotens quosdam interdum sub ipsis externis operibus admonet, vt sese ad interius cordis sui fundum recipiant: sed decies admoniti, vix semel acquiescunt. Cur hoc? Quia non sunt Simon, non sunt vera obedientia imbuti, sed in sua propria voluntate, antiqua consuetudine & proprietate persistunt. Quo fit, vt Deo obedire recusent, cui tamen præcipua debetur obedientia. Si quis ergo fortasse Frater, aut Monialis in choro psallens aut legens, sentiat in interiori fundo suo veraciter se à Deo ad sui introuersionem trahi & admoneri, & cantu seu lectione inde præpediatur: licebit ea saltem vice cantum deserere, sese ad interiora sua recipere, Deo in sui introuersione se totum seu totam tradere, illiusque tractum sequi ex animo. Quòd si vtrunque simul agere posset, vt & intus tractum sequeretur Spiritus sancti, & foris Psalmodiæ seu cantui insisteret, præstaret semper vtrunque simul agere, quàm alterum. Et hic cantus ex profundo cordis procedens, sursum tenderet, vsque ad conspectum Dei. Planè si perspectum haberetis, dilectissimi, quanto cum periculo & damno vestro internis sancti Spiritus admonitionibus non obtemperatis, imò & resistitis: fortasse præ dolore & immanium purgatorij, quos hac de causa quandoque sentietis, cruciatuum horrore corda vestra tremerent, tabescerentque. Eia ergo cæci, miseri, stolidi, quid est quod agitis, quòd Deo benignissimo plena cum fiducia in omnibus inniti & credere trepidatis, * † & cor, animam, totamque spem vestram ipsi in ipso constituere pertimescitis? Dolenda satis conditio, quòd saltem dispicere & examinare non vultis, quid causæ sit, quòd tam parum syncerè Deum intus amatis. Credite mihi,

Simon quid. Nauis Simonis.

Hæc in vetustis quibusdam manuscriptis exemplaribus desunt.

mihi, vbi electiores Dei amici intelligunt & aduertunt, quàm malè & periculosè cum multis agatur, qui tamen interim nihilo minus æternam beatitudinem securi expectant, facilè præ dolore extinguerentur, cùm sacra Scriptura apertissimè dicat, Iustum vix saluandum. Quod cùm ita sit, meritò diuersis sceleribus obnoxij, & homines rebelles ac diuinę gratiæ resistentes trepidare semper & multum anxij esse deberent. † * Sanè quotquot Deus ad sublimem perfectionis gradum præordinauit atque vocauit, & huic vocationi & fundo non satisfaciunt, oppidò quàm necessarium est pœnis eos supplere, quod vita minimè sunt assecuti. Vnde & multo maiores in morte, quàm cæteri, calamitates & angustias patiuntur. Quod quidem non sine immensa Dei omnipotentis benignitate & misericordia agitur. Deinde verò ingens & acerbum nimis, supra quàm mortalium omnium linguæ explicare sufficerent, purgatorium subire coguntur. Hoc iam expleto, in cælestibus longè supra eos, qui infimum virtutis tenuêre gradum, splendidam accipiunt mansionem. Nauis autem ista, in qua Dominus *sedens, docebat turbas*, Simonis obedientis erat. Et hinc ergo certum habete, eundem Dominum nostrum Iesum Christum in interno obedientis hominis fundo veraciter residere, ipsumqúe in eodem gratissimam docere & instituere voluntatem suam. Tantam enim gratiam & instructionem istic Deus eiusmodi diuino homini conferre solet, vt si necessitas id exigeret, solus hic totum mundum docere sufficeret ac moderari. *Rogauit* autem Dominus Simonem, vt nauim *à terra pusillum* reduceret. Necesse est enim vt cor hominis, qui tamen infimus adhuc gradus est, à terra, id est, ab omnium terrenarum ac labentium rerum amore, in quibus aliquod homo solatium, gaudium, oblectationem naturæ inordinatius captare posset, ducatur in altum, ita vt hæc omnia ipse sibi homo Conditoris sui amore libens interdicat, subtrahatqúe. Quisquis enim Deum immortalem & æternum feliciter apprehendere, eodemqúe potiri desiderat, indefesso ac immobili conatu semper in diuini beneplaciti executione proficere debet: non hodie bona opera aggredi, cras eadem abijcere & inde auerti, sed progredi semper, & sine vlla cessatione vel pausa, stabilis bonis exercitijs omni tempore & horis ac diebus omnibus insistere & inhęrere, si tamen ad supremum salutis suæ gradum pertingere volet. Cauendum est illi, & maximoperè curandum, ne hodie quidem Deo, cras verò carni vel creaturis viuat. Cæterùm terrere multos solet, quòd, vti iam diximus, naturæ & creaturis funditus mori oporteat, nec audent confidere Deo, aut illi ex animo sese credere. Videtur enim illis arduum id esse, & supra vires suas. Vnde illo relicto, sese inde auertunt, deinceps ita vitam instituere volentes, vt illi & illi, quos naturæ viuere conspiciunt, æquè saluari sperantes, vt illi. Ad mundum igitur denuò conuertuntur, (Mundus est enim, quicquid Deus non est) & hîc rete laceratur & rumpitur, adeò vt quotquot pisces ceperit, rursum elabantur. Ita prorsus, charissimi, omnia opera, quamlibet illa magna, quamlibet bona sint, quorum Deus causa non est, idem ipse grata habere non dignatur. Nec mirum, quando illa vitij Simoniaci nonnihil admixtum habent. Est enim Simonia, quando aliquid spiritale pro rebus corporeis & temporalibus datur. Et hæc vnum ex grauioribus peccatis est. Quando ergo aliquis opera facit bona ac spiritalia, quæ & diuina meritò esse deberent, & talia quoque esse videntur, ac pro his non nisi temporale quippiam & caducum, cuius tamen Deus vera causa non est, cuiuscunque

1. Pet 4.

In obediente Iesum quiescere.

Perseuerantia opus esse.

Mundus.

Simonia.

Quis spiritali simoniæ obnoxius.

cunque id generis sit, siue intus, siue foris, expetit & quærit, hic aliqua ex parte nouerit se huius vitij spiritaliter reum esse. Verùm sicut alibi legitur, quòd discipuli reficiebant *retia sua*, ita & quando aduertit aliquis rete suum per noxium excessum siue extrouersionem diruptum, mox illud per integram sui ad Deum conuersionem seu reuersionem reficere debet, instar eorum qui lignum recuruum ad rectitudinem reducere volentes, etiam vltra medium ipsum inflectunt, atque hac ratione, quod curuum erat, rectum efficiunt: simulque cum vera cognitione & profunda humilitate cum diuo Petro Domino illud querulus exponit, dicens: *Præceptor, per totam noctem laborans, nihil* cepi. Quicquid enim homo sine Deo laborat, totum nox est, nec aliquid capit. Solet etiam in via Dei positos nonnunquam torpor quidam & somnolentia corripere, naturam ipsam ad bona omnia prorsus ineptam & difficilem reddens. Et tunc similiter nox est. Quod vbi accidit, homo exterior, manus atque pedes exercendi sunt, & hoc ipso id quærendum, vt ad fundum interius redire liceat. Ait deinde Simon Petrus ad Christum: *In verbo tu laxabo rete.* Sic omnes hominis cogitationes, verba & opera in Dei verbo facienda sunt, vt siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue vigilet, siue aliquid aliud agat, cuncta hac ratione, id est, in Dei verbo cum simplici obedientia purè ad Dei gloriam facere nitatur. Iam quod Dominus Simonem nauim suam *in altum* ducere iussit, ita accipiendum est, quòd suam quisque mentem & vires omnes supra seipsum & sensualitatem ac vires infimas, cunctaque inferiora & sensibilia sustollere debeat & subleuare. Infimæ nanque vires angustiores sunt, quàm vt Deum capiant, nec potest ille se in his præ angustia mouere. Subtilis est enim Deus, & vires infimæ rudes & grossæ. Quamobrem *duc* nauim *in altum*, hoc est, cum viribus supremis supra tempus tete recipe. Ibi enim sedet Deus, ibi reuera locus est Dei, ibi præsens est Deus. Ibi Verbum illud superessentiale docet, *in quo & per quod facta sunt omnia*, de quo diuus Iacobus ait: *In mansuetudine suscipite insitum Verbum.* O si quis, dilectissimi, Verbo huic in mansuetudine locum daret, quod cum primis necessarium est, & cum omnibus viribus suis *in altum* supra tempus in æternitatem sese erigeret, & subleuaret: huic profectò idem hoc dulcissimum Verbum intus suauiter inspiraretur, ab eodemque longè supra quàm sensibus capere liceat, illuminaretur. Quæ enim diuitiæ, quæ opulentia hic præstatur oriturque, dum hoc Verbum Deus intus docet, riteque ab ipso suscipitur, tam est excellens & supra vires humanæ fragilitatis, vt & rete scindatur, & nauis submergatur. Iamque natura penitus destruendam se metuit. Verùm in hoc casu pro habendo releuamine quisquis hæc sentit, minimè huc illucque discurrere debet, sed magis diui Petri exemplum imitari. Qui cùm penè mergeretur, non aufugit, non vociferatus est, sed clam socijs alterius nauis annuit, & singulariter Coapostolo suo Ioanni. Ita & ipse rationi illuminatæ annuere, eaque in hac submersione debet vti. Cùm enim lux vera, quæ Deus est, in anima exoritur, creatam lucem occidere necesse est: & luce increata micantes radios suos effundente, ac coruscante, lumen creatum non potest non caligare, obtenebrarique: haud secus quàm ex fulgentissimo corporei Solis splendore candelæ lumen adeò obfuscatur, vt illustrare non sit idoneum. Huius verò superni luminis vel vna scintillatione percepta, tantum in anima gaudium, tanta delectatio, exultatioque sentitur, vt ineffabiliter hæc omnia, quæ mundus exhibere potest, gaudia, delicias, oblectamen-

Quibus quomodo nox mysticè fit.

Omnia in Dei verbo seu nomine facienda.

Iacob. 1.

Petrum Ioanni suum periculum innuere, mysticè quid.

menta superent & excedant. Interim tamen sensibilis hæc voluptas & gaudium in infimis adhuc viribus sentitur percipiturque. Apud Ioannem itaque Dominus posteaquam à mortuis resurrexerat, vt *in dexteram nauigy rete* discipuli mitterent, iussisse legitur. Quod cùm illi fecissent, centum quinquaginta tres, eosdemq; magnos, pisces ceperunt: & tunc neque rete scissum est, nec ipsi mergebantur. Hoc autem, vt dixi, post mortem Domini contigit, quando stans in littore, quæsiuit ex discipulis, si quod pulmentarium haberent: *Pueri*, inquiens, *nunquid pulmentarium habetis?* Pueros vocat, vt intelligas eum, qui in Deum transformari cupit, omninò purum, mundum, pauperem spiritu, & seipso spoliatum esse oportere. *Responderunt* autem discipuli: *Non* Dixit eis: *Mittite in dexteram nauigy rete. & inuenietis.* Ergo *in verbo tuo Domine laxabo rete. In verbo*, inquam, *tuo.* Hîc iam inuenitur hoc, quòd longè excellit id, quod in infimis viribus sentiebatur. Hîc enim transformatur homo, & supra humanæ fragilitatis transfertur modum, ac in diuinam formam transformatur, sicut Apostolus ait: *In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu* Verùm antequam huc pertingit homo, prius in eo Dominus & natus, & mortuus est, & resurrexit. Deinceps autem qui eiusmodi sunt, hoc semper dicunt, quod discipuli memorati Domino de pulmentario interroganti responderunt, dicentes: *Non*: stantquè in verissima purissimaquè paupertate & nihilipensione suipsorum, nihil omninò sese reputantes: neque volunt, neque habent, neque appetunt, neque intendunt aliquid nisi Deum, non autem seipsos. Fit tamen sæpenumerò, vt & isti in noctis laborem incidant, putà in derelictionem, in paupertatem & inopiam, in validas ac densas tenebras & desolationem, ita vt nullum habeant fulcimentum siue sustentaculum, nullam illuminationem, nullum ardorem sentiant vel gustent. In qua obscuritate, inopia & desolatione si tam perfectè se resignare queunt, vt si Deus perenniter hanc eos sentire velit, animum habeant per omnia paratum, velintquè pro amore & beneplacito illius spontè hanc ariditatem & egestatem æternaliter, sine spe alicuius lucri vel commodi sustinere, veri profectò pauperes sunt, licet alioqui totum possideant mundum. Quantuis autem paucissimi tales reperiantur, quicunque tamen eiusmodi sunt, ad nihil respiciunt, nusquam hærent, nihil sperant, nihil intendunt, nisi hoc tantùm; vt gratissima semper Dei voluntas in ipsis perficiatur, & non ipsorum voluntas fiat: Atque ita excellenter faciunt, quod Dominus ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Seruus autem inutilis, inutilia facit opera. Sed heu ea nunc hominum imperfectio est, vt nemo seruus inutilis esse velit. Omnes scire volunt aliquid se fecisse, & sic occultè suæ operationi innituntur atque confidunt. Sed quæso, dilectissimi, non nisi merum nihilum vestrum attendite, atque cum hoc in abyssum diuinæ voluntatis vos immergite, illi ex toto committentes, quales vos facere velit. Facite, inquam, quod Petrus Apostolus fecit. Ille enim viso piscium miraculo, procidens ad genua Christi, *Exi*, inquit, *à me Domine, quia homo peccator sum.* Sic & vos in vestram paruitatem, in vestrum nihil posse, nihilquè valere, corruite: & simul excellentissimæ diuini beneplaciti dignitati ac nobilitati vos resignate, hoc summoperè curantes, ne quid aliud sese admisceat: sed miseri, desolati & inopes, in voluntate ipsius perseuerate. Credite mihi, quicunque tales esse potuerunt, tam scilicet perfecti, tamquè deiformes, hi vbi

Ioan. 21.
Puer.
2. Cor. 3.
Ioan. 21.
In noctis laborem mysticè qui incidant.
Verè pauperes qui.
Lucæ 17.
Neminẽ nunc sibi aliquid videri.

Sacri vel Missæ vnius spatio in fundum suum sese receperunt, omnia sua dispo-suêre, ac deinceps in cunctis operibus suis bona pace gaudent: totaqúe vita ipso-rum, quieta, tranquilla & virtutibus plena, mitis quoque, pia, benigna & re-signatissima est. Et ipsi denique rete suum ad dexteram miserunt, & amorem ce-perunt vulnerantem. Præstet nobis Dominus Deus, vt omnes ita laboremus, vt simul etiam capiamus. Amen.


DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Vt omnem ex interiori templo nostro negotiationem profligare, corruptum fundum si-mul cum ipsis radicibus euellere, conscientiam liberam assequi, eoqúe demum peruenire de-beamus, vt animum habeamus per omnia resignatum & indifferentem, Deumqúe inueniamus in omnibus, & illius quoque iustitiam amemus.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius Dominicæ est: Dico vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, &c. MATTH. V.

Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotia-tionis. IOAN. II.



VANDOQVIDEM, dilectissimi, in præsentis diei Euangelio Dominus noster IESVS Christus grauiter nobis comminatur, quòd minimè simus regni cælestis beatitudinem consequuturi, *nisi iustitia* nostra *plus quàm Scribarum & Pharisæorum abundauerit:* (Horum enim iustitia omnis in exteriori tantùm specie quadam sanctitatis consistebat: intus autem in animæ suæ templo, peccatis & spurcitie multa onusti erant) scire nos oportet adeoqúe necesse est, vt intimum fundum nostrum expurgare, & in Deum dirigere debeamus. Hoc autem inde nobis disce-re licebit, quòd apud Ioannem legimus, Dominum vice quadam Hierosolymis in templo inuenisse *vendentes oues & boues & columbas, & nummularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes* eiecisse *de templo, oues quoque & boues: & nummulariorum* effudisse *æs, & mensas* subuertisse: *& his, qui columbas vendebant,* dixisse: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Quæ-so, charissimi, quanta sit animæ dignitas aduertite, quæ nimirum & domus & habitatio est Dei, quam ille libentius incolit, quàm vel cælum, vel terram: & ipsa plus Dei intra se habet, quàm cæli omnes, cunctaqúe materialia templa, & quicquid vnquam corporeum fecit Deus. Ipsum nanque cor Dei, cum omni amore & fidelitate, cumqúe vniuersa voluptate & delicijs suis, in anima est. Nec quicquam aliud in creaturis omnibus quærit Deus, nisi hoc tantùm, vt animæ honorem conferat & dignitatem, eamqúe faciat beatam. Cùm ergo sic Deus om-nipotens & gloriosus, cum omni amore totaqúe intentione sua animę intendat, magis propriè eidem inest, quàm vel cælis, vel quibuslibet materialibus tem-plis. Nam & cuncta opera sua Deus non solùm in anima, sed etiam ipsi animæ operatur, eademqúe animæ largitur: & Deus Pater vnigenitum Filium suum in ipsa tam veraciter, nec plus nec minus, gignit, quàm in beata æternitate. Sed hîc quæstio incidere potest, quidnam generetur, quando Deus in anima parere di-citur: vtrumne aliqua similitudo Dei, aut imago Dei, aut aliquid Dei generetur. Sed nihil horum est, quod ibi gignitur: Non imago, non similitudo Dei, sed idem

[Margin notes: Ioan. 2. — Quanta animæ dignitas. — Quid Deus tantùm in nobis quærat. — Quid Deus in anima gignat.]

idem ipſe Deus, idem ipſe Dei Filius, quem Pater in æternitate gignit: nec aliud aliquid, quàm amabile diuinumq́ Verbum, quod eſt ſecunda in ſuperſanctiſſima Trinitate perſona, in anima generatur, animæ à Deo Patre donatur: & hinc tantam, tamq́ ſingularem habet anima dignitatē. Ait ergo Dominus illis, quos in templo reperit: *Auferte iſta hinc*. Vbi notandum venit, quòd non dicit, *Auferte hinc* illa vel illa, ſed iſta, id eſt, ſimul omnia remouete, *& nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Aduertite, dilectiſſimi, ſenſum horum. Quandiu aliquid in homine ſeſe parit, cuius præcedens cauſa & formator Deus non eſt, ita vt pro illius duntaxat amore, laude & gloria fiat, cum illo negotiatur homo, & in veritate amabilem hanc Patris æterni generationē diuident. Quandiu, inquam, aliquid ſeſe in homine parit, & imaginem ſuam illi imprimit, cuius tamen Deus cauſa non eſt, & ipſe nihilominus ſecundùm illud operatur, corq́ue ſuum ſponte illo occupat & depingit, libenterq́ue illud cum quadam complacentia & propria recipit volūtate, tandiu nulla ſe ratione Deus in ipſo parit: ſed pro iſto vnigenitum Dei Filium vendit infelix, qualecunque etiam ſit illud, ſiue bona temporalia, ſiue honor, ſiue homines, ſiue amici, aut quodlibet aliud, quod quidem ſciri poſſit, creatum. Hæc enim omnia niſi prius ex toto remoueantur eijcianturq́ue ab anima, Verbum ſuum ſempiternum Pater cæleſtis in ipſa proferre ac parere non poteſt. Quod cùm ita ſit, ſtatui mecum, dilectiſſimi, tria quædam vobis exponere, per quæ corruptum huiuſmodi fundum, vnà cum ipſis radicibus, quæ memorata in homine impedimenta efficiunt, euellitur extrahiturq́ue. Quæ quiſquis obſeruat, certo certius adeò ab his negotiatoribus expeditur, abſoluitur, euacuatur, vt nunquam illi incidant, & templum animæ ſuæ minimè perturbent. Primum eſt conſcientia libera & ſecura. Si quæris, quid hanc efficiat: reſpondeo, quòd irreprehenſa & intacta puritas. Vbi verò puritas hæc remorſum patitur ſiue contriſtatur, & animi libertas per creaturarum affectus & amorem viſcoſum, atque per alicuius vitij ſeu culpæ perpetrationem perturbatur, hæc ipſa vera ſunt contritione diluenda. Quid eſt autem vera contritio? Eáne, vt multum aliquis ploret, multo ſe dolore excruciet? Minimè gentium. Fit namque ſæpenumerò, vt negligentes, viles, & peccatores, vitijſq́ue deditи homines, acerbè lugeant & vbertim lachrymas fundant, nec tamen veram habeant contritionem. Sicut econtra quoſdam inuenire eſt & verè perfecteq́ue contritos, neç aliquas tamen fundentes lachrymas. Quid eſt igitur vera contritio? Aduertite. Creatura quælibet rationalis ex ipſa natura Conditorem ſuum maiori, quàm ſeipſam, dilectione proſequitur: ſolus peccator ſeipſum plus quàm Deum amat. Vnde hoc probamus? Inde nimirum, quòd voluptatem & delectationem ſuam quærit & expetit in creaturis, quantumuis hoc diſpliceat & moleſtū ſit Deo Creatori. Cùm ergo ſeipſum homo peccator prę omnibus amet, hinc eſt quòd ingenti cum deſiderio quærit & appetit nota & commoda ſibi, & quæ moleſta & incommoda ſunt, ſiue dolorem ingerunt, fugit. Porrò quando peccatis ſuis vitam æternam & ſummam beatitudinem perdidiſſe ſe ſentit, ac præter hoc etiam inferno & ſempiternis cruciatibus adſtrictum eſſe, ex horum conſideratione dolet de peccatis ſuis: ſed tam à vera contritione remotus eſt, quàm cælum à terra. Seipſum namque hîc quærit: ſibijpſi, non Deo, ſeruit: ideoq́ue vana eſt contritio eius & inutilis, nec gratiam illi impetrat. Quare? Quia videlicet ibi gratiam quærit, vbi gratia non eſt. Quiſquis autem gratiam inue-

Negotiatio myſtica.

Tribus quibuſdā fundum corruptū euelli.

I.

Vera contritio.

Se plus quā Deū quis tantū amet.

Gratia vbi quærenda.

nire desiderat, illic eam quærat, oportet, vbi est, hoc est, in Deo. In solo namque Deo gratia inuenitur, non in mortalibus creaturis, neque creaturam imaginationibus. Quantumcunque ergo doleat aliquis pro solo priuato damno suo, gratiam hæc illi contritio non promeretur. Adhuc enim totus sibijpsi & creaturarum imaginationibus inhæret. Cæterum quamlibet opus bonum sit quod agit, nisi intentio à creatura reuocetur & abstrahatur, & in solum Deum fideliter referatur, eidemq́ inhæreat, gratiam non reportat neque meretur. Vt enim iam diximus, gratia in Deo est, non in mortalibus creaturis. Omnia igitur opera, in quibus Dei laus & honor tota fidelitate quæruntur & intenduntur, idem ipse grata habet, & sibi deputat facta, quomodo manifestissimè ipse dicit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Vbi quæso pensate, dilectissimi, quam felix & iucunda vita sit, quando Deus omnipotens opus quodcunque charitatis aut virtutis in hoc seculo proximis impensum, haud secus gratum habere dignatur, quàm si in ipsum collatum fuisset. Sed & Propheta Zacharias dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vnde non attendenda est persona pauperis coram adstantis, sed potius Dei, qui omnia illa sibi facta reputat, quæ pauperi fiunt, siue bona sint, siue mala. Itaque dum homo Deum in sua intentione præsentem habet, cor, animus & amor illius in Deum trahuntur, rapiuntur, eidemque vniuntur, & à creaturis omnibus abstrahuntur. Et in isto gratia est, non in mortalibus creaturis. Vnde quandiu cor hominis terrenis creaturis & fallaci creaturarum amore ac imaginatione depictum est, eisdemque inhæret, gratiam non inuenit. Aliud adhuc adijcio, charissimi, quod notâsse vobis proderit. Si scire vultis cui seruiatis, & à quo mercedem recepturi sitis, aduertite diligenter, cur opera vestra operemini. Intentionem vestram discutite, & quæ sit operum vestrorum causa, qui scopus, attendite: & vbi hæc didiceritis, eis vos seruire & subditos esse minimè dubiteris. Hæc autem nec omnes, quos in præsens mundus habet, Doctores iudicare vobis poterunt, nec aliquis omnino, nisi vosipsi. Apparent quidem extrinsecus opera vestra, & inde opinari licet: sed cui facta sint, & cuiusnam sint, frustra ab alio aliquo præterquam à vobis quæritur, quando nulli hoc scire licet, nisi vobis. Quisquis autem alium actionum suarum scopum habet, quàm solum Deum, nec ille quidem gratiam inuenit, cùm, vt sæpius dixi, gratia in Deo sit. Nec tamen in solo Deo positum est, vt gratiam homini infundat, sed etiam in ipso homine situm est, qui nimirum quanta erga Deum fidelitate & amore præditus est, tantum & gratiæ habet. Et iuxta hunc sensum, tantum quisque gratiæ habet & percipit, quantum ipse vult, si tamen Deum amat, si patitur, si deuitat, si operatur in Deo, & propter Deum quantum vult. Et hac ratione gratiam inuenit homo, solusq́ veram habet contritionem & dolorem, qui ex fidelitate & amore, quem erga Deum suum gerit, dolet se eundem pium, suauem ac benignum Dominum Deum suum offendisse & inhonorasse: & si nec infernus, nec cælorum regnum esset, non minus tamen doleret se vnquam peccasse in Deum. Et hæc est vera Contritio, licet nullas homo lachrymas fundere queat. Deinde Contritione concepta, ad Confessionem eundem est. Quid est autem vera Confessio? Vt exponas omnia quorum te reum esse nosti, nec horum aliquid sponte scienterque reticeas & occultes. Post quam quidem Confessionem, Satisfactionisque & absolutionis susceptionem, piè considere potes cuncta tibi peccata remissa,

Matth. 25.

Zacha. 2.

Intentio cui sua cuiq; discutienda.

Cui & quomodo gratiã suã Deus infundat.

Vera Confessio quid.

Peccati remissionẽ punitioni præstare.

missa, quando ad maiorem Dei gloriam cedit peccata remittere, quàm punire. Itaque eorum, qui Confessiones recipiunt, potestati & authoritati fides adhibenda est, sicut & verbis Dominicis, quibus ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* In veritate dico, charissimi, vbi quis peccata sua ritè confessus est, & ex eisdem adhuc in conscientia remorsum patitur, multo melius fecerit, si hac in parte Deo confidendo, & virtuti Confessionis adhibendo fidem, denuò eadem non confiteatur, quàm si iteret Confessionem. Quod hinc facilè constabit. Cernis in templo Corpus Dominicum, & scis & credis Domini Corpus esse, & vel mortem subire paratior esses, quàm inde dubitare. Quæso, quis hoc tibi dixit ita esse? Non superest homo, qui id vnquam viderit, sed solus Deus id locutus est, qui & seipsum verbi sui virtute in Sacramento sub panis specie præsentem exhibet. Et idem ipse Deus, & illud ipsum os, hæc quoque iam paulo ante recitata de peccatorum remissione pronuntiauit. Vnde nec credere modò, sed etiam scire ea debemus, idq́ verius multo, quàm aliquid aliud sciamus. Nihil enim tam verum est, vt verbum & pollicitatio Dei. Hinc ipse Dominus ait: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* In hac autem certitudine & huius purissimę scientia veritatis ad magnam pacem, & quietem conscientiæ peruenitur. Oportet enim diuinæ pollicitationi fidem adhibere. Quod dum facit homo, dum confidit Deo suo, veracem eum habet, credens haud dubiè seruaturum quod ei in absolutione promisit. Secundum est, vt ad hoc studiosius quisque enitatur, vt in omnibus idem & indifferens sit. Tunc enim magna semper & multa pace gaudebit. Sed quærat fortasse aliquis & dicat. Quî hoc intelligam? Cunctáne paria & æqualia æstimabo? Minimè. Grauiter enim erraret, quisquis id agere vellet. Quis enim nesciat, melius opus esse orationi incumbere, quam coquere? de Deo cogitare, quàm nere? in templo, quàm in platea esse? Nam si quis ita non sentiat, hæreticus est. Sed idem eris, nec res vel opera discernes. Quî hoc, inquis? Ausculta. Si in templo vel oratione esse te contingat, totum animum tuum recolliges, eundemq́ in Deum & ad Deum subleuabis. Si verò alijs in locis aut operari aut esse te contingat, vbi tamen cum Deo esse vel operari queas, eundem erga Deũ, quem prius, habebis animum: & qualis tunc eras Deo, talis & modò eris. Enimuerò quosdam inuenire est, qui, vt ipsi putant, satis Deum amare possunt, quando vel in quiete, vel præclaris actibus, aut dignioribus locis positi sunt: quæ dum vel deserere coguntur, vel ab eis impediuntur, ita ea postponunt, ac Deo valefacerent, donec suæ quieti vel modo, quem elegerunt, restituantur. Verùm quandiu hac ratione Deum in locis vel modis certis duntaxat intendunt & quęrunt, nunquam veram pacem, nunquam in veritate Deum obtinebunt. Et licet hoc ipsis videatur, non est tamen nisi modus ipsorum assumptus ab eis, in quo & seipsos quærunt. Isti delectantur manè in templis esse, ad quæ tam incompositè festinant, quasi nusquam nisi in templis Deus inueniri possit. Sed dum plus satis festinant, fit plerunque, vt tali & in ipsis templis festinatione vtantur, vnde & doleant, & damnum reportent, nec tamen Deum inueniant. Verbi gratia: nunc opus aliquod bonum agunt, mox orationem aliquam effundunt, quandoque fortè ad Deum, quandoque ad aliquem Sanctum: dumq́ue sic de vno ad aliud properant, in omnibus festinant, tam in vltimo, quàm primo. Quo fit, vt nusquam requiem, nusquam in veritate Deum inueniant, dum importunè omnia

Ioan. 20. Matt. 18.

An semel confessa, iterum in remorsu confitenda.

Quæ certè ritè confessis sua dimittantur peccata.

Luc. 21. Matth. 24.

II.

Indifferentia non omnia esse

Indifferens quomodo sibi quis fit.

Quorundam in orãdo importunitas.

omnia agunt. Cæterùm quemque in singulis operibus suis animo ad Deum tam integrè erecto & suspenso esse decerer, vt ipsa operum imago animo excideret, solusquе Deus in intellectu seu ratione permaneret. Quicquid enim operis agatur, id semper curandum est, & ad hoc enitendum, vt homo totus sit Dei: vt siue mulier domus suæ aut familiæ suæ curam gerat, aut cuicunque demum aliquis vacet operi, hoc agant singuli, vt in eo quod faciunt, Deo se totos resignent, exhibeant, offerant. Deus enim, qui noctu diuquе toto studio cum omni sapientia sua vnumquemque contemplatur, & qua singulos ratione trahere, quando etiam paratos inuenire possit, vt seipsum eis præbeat, inquirit & expectat, nec locum nec modum principaliter intendit. Quanquam & incertum est homini, vbi illi Deus occurrere velit, aut vbi ipsum inuenturus sit. Sit ergo Deus in omnibus, quæ illi eueniunt, idem semper, & qualia qualia illa sint, in eis Deum expectet: talemquе se in eis Deo exhibeat, tanquam quæ optima sint. Et sic haud dubiè optima erunt. Nec est quod timeat aliquid se in his negligere, aut aliquam facere iacturam, quando cum Deo nihil negligi potest. Itaque qui in rebus, locis & modis omnibus, ea ad minus, qua diximus, intentione semper æqualiter & totus Dei est, nihil negligit. Et hic solus pace integra gaudet: sine hoc autem, nunquam ad veram licebit pacem pertingere. Hac enim duntaxat ratione & Deus & pax rectè veraciterq; inueniuntur, nusquam alibi inuenienda. Nam qui non quærit, nec intendit Deum in omnibus, nunquam eum in vno aliquo rectè inuenit. Sic qui non est Dei modis omnibus in veritate nec vno aliquo modo ipsum obtinebit. Poterit hac in parte quisque probare seipsum. Quamobrem in omnibus intendendus est Deus, nec magnoperè curandum, per quos modos ad Deum perueniatur. Sicut, verbi gratia, aliquis Romam iturus, viæ inæqualitatem non attendere nec curare debet, quòd videlicet modo planà & recta, modò flexuosa, salebrosa, distorta sit: iam ad montium cacumina, deinde ad profunda perducat vallium. Hæc enim si grauiter ferre velit, & animo perturbatus eadem omnia circuire conetur, nunquam fortasse ad destinatum perueniet locum. Ita nimirum in modis omnibus Deum quisque desiderare debet, nec plus satis curare, per quas gradiatur vias, & eædem quàm crebrò varientur,



semper tamen peccato excluso. Nam qui Deum suum domi non quærit, & domi inuenire & accipere nescit, certus sit, nunquã se rectè Deum in templo accepisse. Denique in hac æqualitate verorũ est exuperantia gaudiorũ. Sed quærat aliquis quonam modo hanc liceat æqualitatem obtinere? Dicam hoc paucis: Discat abnegare seipsum, in nullo aliquid suum quærere, sed solum Deum, Deiquе honorem in cunctis operibus suis. Sed & huc quomodo peruenitur? Ita scilicet, vt seipsum vigilanter obseruet, & vbicunque sese inuenit, statim ibi deserat seipsum, discatq; crebrò se in multis vincere. Nam nisi hoc pacto non poterit hanc assequi virtutem. Vtrum autẽ Deum, an se potius quærat & intendat, frustra ab aliquo alio, prçterquam à seipso, vel donari sibi, vel se doceri, vel sciri etiã posse sperat. Cæterùm qui sic indifferens est & æqualis, hic vera pace potitur: ille autem indifferens est & æqualis, qui nihil suum quærit. Tertium denique est, vt æqualiter Dei iustitiam & misericordiã amemus & appetamus. Sanè plures inuenire licet, qui misericordiam Dei vehementer & ament & desiderent, contraquе iustitiam illius admodum formident. Sed age, fili charissime, quisquis talis es, dic mihi, obsecro: quid enim illius tibi iustitia fecit? Certus esto, quia quic-

Quomodo sibi quisque vbiq; gerendus.

Quomodo Deus quçrẽdus.

Indifferens & æqualis quis.

III. Misericordia & iustitia Dei æquè diligẽda.

quicquid Deus ex misericordia facit, simul etiam ex iustitia id agit: & ediuerso quicquid ex iustitia, simul & ex misericordia facit. Nam & iustitia cogit eum misericordem esse. Cùm enim ipse Pater noster sit, nosqúe filij eius, hoc necessariò iustitia illius exigit, vt nostri gerat curam, nobisqúe fidelitatem & amorem exhibeat, sicut & fecit & facit. Ergo & sic eius diligenda & appetenda iustititia est, vt hanc ipsum in nos pro omni dignissima voluntate, laude & honore suo, exercere perquàm optemus. Verùm ad hoc si quis pertingere debeat, omni eum propria voluntate prorsus oportet exutum, absolutum, vacuum esse, adeò vt tam vehementer gratissimam Dei sitiat, quærat, appetat voluntatem, vt gratum illi sit & placeat satis, quicquid vel cum ipso, vel cum creaturis omnibus alijs Deus agat. Enimuerò cui voluntas Dei dulciter & amicè sapit, ei tam gratum est, quicquid Deus & in ipso & in omnibus creaturis secundùm iustitiam, quàm id quod secundùm misericordiam suam facit. Deum, inquam, non fallaciter amanti, omnia quæ vult Deus, tam in seipso quàm cæteris creaturis, abundè placent, siue ea prospera sint, siue aduersa. Quod igitur diuinæ constat esse voluntatis, etiam nostræ debet esse: vt sicut oramus quotidie, *Fiat voluntas tua*, hoc ipsum quoque velimus & nos, vt voluntas eius in omnibus fiat. Imò & gaudere debemus in voluntate, & cunctis, quæ facit in nobis, operibus illius, tam quæ iustitia, quàm quæ misericordia dictante facit. Hoc si nobis, dilectissimi, peculiare quoddam exercitium foret, beati planè essemus. Præstet ipsum nobis misericors iustitia, & iusta misericordia. Amen.

Qui iustitia Dei diligēda.

Quid nostræ debeat esse volūtatis.


DOMINICA VII. POST TRINITATIS.

Vt nos Deus reficiat, & ad finem vsque seculi maneat nobiscum per sacratissimi Corporis sui Sacramentum quantosq; hoc nobis fructus operetur.

SERMO I.

Euangelium Dominicæ huius est, Vt Dominus quatuor hominum millia cibârit. MARCI VIII.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. MATTH. VLT.



QVOD hodierna die quatuor hominum millia septem panibus & pisciculis paucis Dominus noster Iesus Christus pauisse legitur, spiritaliter, dilectissimi, accipere debemus, quòd videlicet, idem ipse sanctam Ecclesiam suam non modò pane materiali, sed etiam sacratissimi Corporis sui pane supersubstantiali, gratia quoque & amore, & ad extremum etiam diuinis verbis suis reficiat incessanter & pascat. Et impræsentiarùm quidem de excellentissimo duntaxat dignissimi Sacramenti cibo, in quo tota consistit salus nostra, dicturi sumus. Sicut ergo paulo ante recitaui, Dominus & Redemptor noster discipulis suis ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Hoc vltimum fuit illius ad discipulos verbum, quod ascensionis suæ die, quando ab eis corporaliter discessurus, nimio eos pro suo abitu dolore torqueri vidit, locutus est, non solùm vt eos, verùm etiam vt omnes electos suos, quos in hoc exilio magno sui desiderio & amore tenendos præsciuit, consolaretur: ad

Quomodo suam Christus pascat ecclesiam.

memoriam eis reducens supereffluentem illam charitatem, quæ ex fundo diuini cordis sui profluxerat, quando in vltima Cœna sacratissimum & amabilissimum pignus, superdulcissimam pretiosissimi Corporis sui præsentiam nobis omnibus dereliquit. Ait ergo iam iamqúe recessurus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, ac si diceret: Agedum charissimi mei, videte vt meipsum vobis reliquerim. Ita enim non immeritò omnis dolor vester in solenne vertetur gaudium, contemplantibus vobis, vt ad finem vsque seculi per præsentiã Corporis mei vobiscum in terris sim permansurus. Quamobrem cum vniuersis animarum vestrarum viribus superabundantem cordis illius, vnde hoc superessentiale vobis donum profluxit, dulcedinem attendite, dignitatem quoque doni pretiosi Corporis mei, quod in terris relicturus sum, aduertite: & ad extremum vtilitatem multiplicem, quam in terris ex me consecuturi estis, quamqúe ex hoc frugifero capietis dono, etiam atque etiam considerate. Porrò fidelis quisq; hæc vltima Domini verba haud secus accipiet, quàm si ad ipsum ab eodem fidelissimo animæ suæ sponso Christo Iesu impræsentiarum dicerentur, audiretq; ab ipso: Vide fili, quanta cum gratitudine hoc ingens à me donum accipias, quòd scilicet per præsentiam Corporis mei, donec ab hoc emigres seculo, tecum perseuero. Vide etiam, quali domicilium cordis tui puritate exornâris, præparaueris, quàm ipsum mundum seruaueris, vt in eo mihi libeat & liceat commorari: vide demum, quo amoris vinculo & me tibi, & te mihi in hoc ipso dono adstrinxerim, quamqúe spontanea fidelitate per iugem commorationem me tibi sociârim. Nimirum dum anima fidelis fideliter secum cogitat, in hoc dignissimo Sacramento pręsentia adesse illius corpus, sanguinem & animã, diuinitati vnita, qui per diuinam pręsentiam suam cælum cum omnibus amicis suis, & cuncta quæ in illo sunt, implet: quodqúe idem omnia, quæ ab ipso petierit, in ipsoqúe quæsierit, saluti suæ vtilia & necessaria, & quicquid vnquam desiderare poterit, sibi velit impendere ac impertiri, meritò consolatoria sæpe fiducia, & interna dulciqúe cordis & animæ pace repleri potest. Quando ergo ipsum ingenti cum desiderio susceperit, quidni dicere queat: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, æterna videlicet Sapientia Christo Iesu, cuius anima & corpus diuinitati vnita sunt? Inter alia tamen bona, quæ mihi ab eo collata sunt, specialiter tria quædam cum ipso mihi venerunt. Primum est, quòd tanto libentius & facilius mea mihi peccata remittit: & ab vniuersis vitiorum maculis expurgare me, mundumqúe efficere potest. Secundum est, quod aduersus quascunque vitiorum omnium tentationes, seipso me roborare, & in virtutum exercitijs fœcundum valet reddere. Tertium est, quòd ego me illi, & ille se mihi vniuit. Planè charissimi, quando fidelis anima sacratissimum Christi corpus percepit & sanguinem, eademqúe in sui cordis altari cælesti Patri obtulit, & conscientia & anima illius à peccatorum maculis abluitur & emundatur, sicut in Apocalypsi sua Ioannes ait: *Lauerunt stolas suas*, & candidas eas fecerunt *in sanguine Agni* vitalis Iesu Christi, cunctis vtique diebus vitæ suæ. Ipse namque amabile pignus est, per quod anima ab vniuersis debitorum suorum vinculis redimitur: & ignis consumens, per præsentiam suam omnes animæ maculas id est, vitia & peccata absumẽs & depellens. Vnde Diuus Ambrosius ait: Quoties homo Dominum suscipit, toties ei peccata remittuntur. Et hac de causa seipsum nobis reliquit, vt ipsum Patri cælesti pro peccatis nostris offeramus. Tam illi

Vltima Christi verba quo studio reuoluẽda.

Sap. 7.

Quæ tria nobis à Christo specialiter obueniant.

Apoc. 7.

hæc

hæc vnigeniti Filij sui hostia accepta est, vt nobis peccata relaxet. Inde in forma cibi se nobis dedit, eamqúe assumere voluit, vt hominem seipso spiritaliter reficeret, & in omnibus infirmitatibus suis confortaret. Singulariter autem in tribus animæ languoribus siue defectibus hic cibus hominem confortat, quibus eum Deus creberrimè videt subiacere. Primus est, quòd ex seipso & proprijs viribus tam parum diabolicis tentationibus & peccatis valet resistere. Alius est, quòd in virtutibus bonisqúe ac sanctis exercitijs tam parum proficit: ad quod ex huius cibi susceptione corroboratur. Tertius est, quod in vitiorum expugnatione, & virtutum profectu tam instabilis est, nec continuè perseuerat. Aduersus hos animi languores, vt opem nobis ferat, ea propter seipsum nobis spiritali quadam ratione in cibo æquè spiritali tribuit, qui nos ad veras virtutes prosequendas obtinendasqúe confortet. Vnde & ait: *Caro mea verè est cibus*. Quę cùm ita se habeant, seipsum quisque intus examinare ac perscrutari deberet, vtrúmne alicui vitio vel imperfectioni obnoxius sit. Et quoties vel impatientia, vel acedia, vel inobedientia, vel superbia, vel inuidia, vel id genus alijs innumeris vitijs, quæ medium aliquod inter Deum & ipsum efficiunt, vinceretur, & in hac se infirmitate positum cerneret, ex imo cordis sui cum ingenti humilitate confortari desideraret, atque æstuantissimo cælestis & præclarissimi cibi huius, qui solus animæ ipsius robur adferre potest, flagraret desiderio, donec diuinæ gratiæ fretus ope, omnes defectus suos & vniuersam euinceret imperfectionem suam. Omnino enim dæmones omnes fugere oportet, nec quicquam sua oppugnatione proficiunt, vbi Dominus arcem tenet. Vnde qui rarius ad hunc cælestem cibum accedunt, infirmiores redduntur, & eorum deficit virtus, siue ad Deum, siue ad deuotionem, siue ad opera virtutum, siue ad exercitia, siue ad actus internos, & ad bona omnia difficiles, torpidi, graues & frigidi efficiuntur, hac vtique de causa, quòd virium animæ incolumitate nonnihil destituuntur, eo quòd rarò hanc spiritalem Dominici corporis escam deuotè percipiunt. Sicut enim corporis vires & sanitas ex diuturna cibi materialis abstinentia & subtractione minuuntur, sic & animæ virtus ex cibi spiritalis defectu languescit. Vnde Propheta Regius ait: *Aruit*, inquit, *cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Aruit cor meum*, & meritò quidem, in omni deuotione, & præ fame, cunctorum operum bonorum spiritali virtute destitutum est: *quia* diu nimis *oblitus sum comedere panem meum*, panem, inquam, à Deo mihi in terris relictum in cibum, quo animæ meæ vires restaurarem. Quando ergo aliquis hac se spiritali sentit ægritudine correptum, ante omnia ad Dominum Deum suum, adqúe sacratissimum corpus illius confugere debet, & eo percepto, iucundus, alacer, fortis, viuus ad bona quæque efficietur. Hinc ipse Dominus ait: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Ego sum panis qui de cælo descendi: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in illo*: Et Dauid: *Misit*, inquit, *Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de omnibus interitionibus eorum*. Quod Verbum est vnicus Filius eius, Dominus noster Iesus Christus, hostia & sacrificium, quem nobis per manus sacerdotum idem ipse cęlestis Pater quotidie mittit, sanantem animas nostras: quiqúe rursum Deo Patri pro nostris delictis, miserijs, indigentijs mittitur ac offertur. Vnde finito Sacro, dicitur: *Ite, Missa est*: ac si dicatur: Ite alacres & læti, & Domino laudes exoluite. Hostia nanque cælestis sacrificij, nobis omnibus à Deo Patre transmissa, eidem pro

Tres animæ languores.
I.
II.
III.
Ioan. 6.
Vnde seu vbi dæmonibus fugiendum.
Psal. 101.
Ioan. 6.
Psal. 106.
Ite, Missa est, qui cur dicatur.

pro peccatis nostris remissa est. Quando igitur coram venerabili Sacramento consistis, finge tibi in animo tuo, quasi Dominum audias loquentem ad cor tuum, dicentemque tibi: En ego Doctor tuus sum, & comes fidelis ac indiuiduus peregrinationis & exilij tui. Hic præsens adsum tibi, vt per præsentiam meam, vitæ, passionis & mortis meæ, quæ omnia pro tui amore in terris pertuli, te commonefaciam. Quamobrem cogita, quæso, quàm patienter, quàm sponte, quàm mansuetè pro te passus sim: reduc ad mentem paupertatem meam, rerum naturalium defectum, vniuersam miseriam, exilium, laborum, fatigationem, contemptum, verba contumeliosa, dura verbera, pœnas graues, quæ ad mortem vsque sustinui: & ad extremum diligenter aduerte, vt in cunctis operibus & passionibus meis non me, sed te, quæsierim ac intentione prosequutus sim: quo simul hæc admonitio cor tuum emolliat, & meo amore vehementer inflammet: idemque amor eò te adducat, vt mea sequaris vestigia, mei causa solatium corporale negligas, & obliuioni tradas, labores omnes & passiones tuas propter me solum benignè toleres, hoc est, me solum intendas, me solum spectes in illis, me denique ponas vt amoris signaculum super cor tuum: quia *fortis est vt mors dilectio.* (Ego enim, dilecte mi, semper tecum sum: & hac de causa illum, quem erga te gero, amorem tibi meum renouo, & ad mentem reduco) ita vt omnis intentio & cogitatio tua meo solo amore signetur, gratissimamque voluntatem meam in cunctis spectes & intendas operibus tuis, quando ego in omni vita mea non me, sed te potius intendi. Ad hæc deuota anima in Canticis ita respondet: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sanè in hac *perpetua* diuina *charitate* sua, qua dilexit nos Deus, adeò nos sibi attraxit *miserans,* vt ipse in nobis, & nos in illo veraciter simus, adeoque se totum cuilibet animæ deuotæ communicat & impendit, vt nihil sibi reseruet, quod non illi impertiatur, sicut & illa seipsam deserens, ad eundem exit amicissimum sponsum suum & amicum charissimum, ita vt nihil sibi præ illo reseruet appropriétve. Hoc est enim, quod Dominus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Manet* ille *in me* absque se, *& ego in illo* absque me. Quotquot autem sic Deo vniuntur, per seipsum in Canticorum volumine docet, alloquens eos in hunc modum: *Comedite amici & bibite, & inebriamini charißimi*: ac si diceret: Eia amici mei, amor & amicitia compulit me, vt desiderem manducari à vobis, carnemque & sanguinem meum, animamque diuinitati vnita in vobis esse, atque interiora animarum vestrarum penetrare, & mansionem suam facere in illis Itaque vescimini carne mea, & potate sanguinem meum: id enim vobis perquàm necessarium est. *Panis* enim, *quem ego dabo pro mundi vita, caro mea est,* quæ animæ vitam subministrat, si ritè ac dignè in Sacramento percipiatur. Hoc autem nemo facere potest, nisi in gratia Dei sit. Sicut enim corpus Christi vita animæ est in gratia constitutæ: ita & animæ mors est, si gratiæ sit expers. Enimuerò gratia & amor animam non sinunt permanere, quod est, sed eam in id quod amat transformant. Vnde Augustinus ait: Anima verius est vbi amat, quàm vbi animat. Dum igitur anima fidelis Christi corpus in charitate suscipit, in animam & corpus Christi transformatur, imò & in totũ Christum, & vltra hoc etiã in diuinitatẽ illius. Sic ergo, vt ante diximus, amor & gratia animã in seipsa viuere nõ sinunt, quando hoc amoris ingeniũ, eaque natura est, vt animam supra naturã in infinitam ac immensam ferat & transformet diuinitatem, ita vt nihil vnquã de seipsa

Marginalia: Qui anima deuota per Christum excitetur. — Cant. 8. — Cant. 2. — Iere. 3. — Ioan. 6. — Cant. 5. — Ioan. 6. — Qui Corpus Christi & vita & mors animæ sit. — Amoris natura.

eipsâ vel sciat, vel sentiat in spiritu, nisi quòd in Christum nudè est transformata. Quæ anima iam ex sententia dicit cum Apostolo: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Planè felix & præclara mors, vbi anima in seipsa moritur, vt in dilecto suo Christo Iesu viuat, qui est vita essentialiter, & in quo creaturæ omnes perenniter viuunt. Hoc igitur, dilectissimi, consilium meum est, vt Domini corpus, qui est vita æterna, in gratia & charitate Dei frequenter suscipiatis. Ipse nanque ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* In eam nanque vitam, quæ Deus est, mutabitur, vbi creaturarum omnium vita formatur, in claritate sua, quæ nunquam terminabitur: quoniam quidem omnes animæ tales lumine diuinitatis perlustrantur. Et hæc prima ratio est, cur ad sacratissimum Christi corpus, secundùm Ecclesiæ sanctæ institutionem, sæpius accedere debeatis. Alia est, quòd gratia semper & charitas ex huius Sacramenti perceptione augentur: ita vt minima gratiæ portio animæ collata, quoties hoc cibo dignè reficitur, supra quàm capere liceat, mirum in modum augescat, adeò vt si nullam aliam à Deo gratiam esset consecuta, hæc illi ad capiendam beatitudinem sufficeret. Quoties enim hoc saluberrimum dignè Sacramentum recipimus, nouum dilectionis gradum consequimur à Deo: & huic gradui nouus noui splendoris gradus in diuinitate respondet: quæ tanta dignitas est, vt omnem exuperet gratiam. Nemo ergo à tanta Sacramenti huius vtilitate & felicitate vos retrahat, nemo consilijs suis auertat, quælibet vos tentatio pulset, vel premat infirmitas. Tertia adhuc ratio est, quòd omnes cùm spiritales, tum carnales siue naturales tentationes, ex huius Sacramenti virtute sopiuntur & temperantur, ita vt quietem, tranquillitatem & pacem foris in corpore sentiat homo, omnesque ad vitia propensiones restringantur. Adhæc, veniales diluuntur maculæ, & ea quoque grauiora peccata, quæ obliuioni tradita sunt, quæque, si memoriæ redderentur, libens homo confiteri vellet, & pro eis agere pœnitentiam. Certum est enim, multa nos quotidie magna venialia peccata committere, quę grauem in nos torporem & pigritiam adducunt, pluresque à nobis suaues excludunt gustus, ita vt intus absque viua fide viuamus: sed hæc omnia sacratissimum Christi corpus temperat & moderatur. Ad ipsum ergo libens quisque frequenter accedere debet. Sed dicet aliquis: Ea quàm sæpe me accedere oportet? Respondeo cum diuo Augustino: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Equidem securus id hortor & consulo vobis. Sed fortè respondebis, & dices: Ah Domine mi, nimis imparatum, nimis torpidum me sentio, omnique desiderio & feruore intus me inuenio destitutum. Magnum quoque timorem incutit mihi, quòd non satis bene dispositus sum. Et ego citò respondeo: Certus esto charissime: nihil hæc obesse tibi in anima poterunt. Quandiu enim affectum peccandi, & malè agendi propositum non habes, sed potius peccata omnia & omnem prauitatem fugere ex bona statuis voluntate, quæque hactenus admissa sunt, & quorum tibi conscius es, in Confessione dixisti, iam ad accedendum te præparatum esse non dubites. Quis autem certum habere possit, se in gratia Dei viuere? Quod ergo consulo vobis, dilectissimi, securi super diuina misericordia id facite, vosque in Dei gratia esse sperantes, virtutum omnium actibus, quantum potestis, insistite, & omni die Dominico Christi Sacramentis communicate. Equidem censeo,

Philip. 1.

Ioan. 6.

I. Corporis Christi sæpius sumendi causa.

II.

III.

Libenter ac frequẽter corpus Christi sumendum.

Præparatio ad mẽsam Domini, qua fiat.

feo, Christi corpus vel semel percepisse, multo vtilius esse animæ, quàm vel centum Missarum Sacra auscultâsse, vel totidem interfuisse Concionibus. Imò aliquanti Doctores in ea sententia esse videntur, vt dicant, eum, qui semel absque mortali peccato hoc acceperit Sacramentum, plus dilectionis & gratiæ consequi, quàm si trina vice Dominici sepulchri visitandi gratia vasta maris terrarumqúe spatia fuisset emensus. Nihil ergo terreamini, sed alacres meo consilio acquiescite, sperantes quòd omnis anxietas, timor & torpor discutietur ac minuetur in vobis, gustusqúe & deuotio intus accipient incrementum. Presbyteros, obsecro, quotidie communicantes attendite, de quibus tamen dubium non est, quòd non specialem semper & magnam erga hoc Sacramentum deuotionem sentiant, nec omnes libenter accedant, quando multi ex eis nullam singularem præ se ferunt sanctitatem. Interim nihilominus nulla dies abscedit, in qua, vbi confessi sunt, & Dominicum corpus acceperunt, non aliquam specialem gratiam, charitatisqúe & gratiæ gradum singularem, quem prius non habuerant, consequantur. Sed & hic fortasse obijciet quis, Sacerdotes eos esse, se autem minimè. Verùm id pro certo habendum est, nihil eis prodesse, nec munire ac tueri eos, quòd sacerdotes sunt. Non enim sacerdotium meliores eos vel sanctiores efficit: sed per officium sacerdotale hoc habent, quòd corpus Domini tractare & consecrare queunt. Hoc autem cæteris quibusuis minimè concessum est. Fieri tamen potest, vt aliorum vita melior sit quàm illorum. Dum ergo qui meliores sunt sacerdotibus, Christum in Sacramento accipiunt, plus quoque gratiæ quàm Sacerdotes in Sacramento à Deo sortiuntur. Iam & diui Thomæ sententia est, eam esse veram ad hoc Sacramentum præparationem, quando homo facit quod in se est. Huc autem tria spectant. Primum est, vt opera vitiosa deserat fugiatqúe. Secundum, vt fixum habeat propositum deinceps in peccatum non consentiendi. Tertium, vt studiosè in bonis operibus, quantum potest, sese exerceat ad honorem Dei. Non est autem ignorandum, in hoc Sacramento quinque nos specialiter accipere, quorum primum est, Corpus sanctissimum, quod Filius Dei ex intemerata Virgine matre suscepit. Secundum, Sanguis Dei, quem Christus in sancta cruce pendens effudit, qui verissimè sub panis quoque specie continetur. Tertium, Anima Christi, quam Deus Pater ex corde paterno misit in corpus illius. Quartum, Vita Christi cum charitate illius. Quintum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tota Trinitas sancta. Primò igitur, quando fidelis Christi Corpus accipit, particeps efficitur omnium bonorum illorum, quæ Christus in sua vita, in pœnis, in morte promeritus est, imò & illorum omnium bonorum, quæ ab Adæ temporibus vnquam facta sunt, & ad vltimum vsque fient electorum. Secundò, quando Sanguinem Christi sumit, ab omnibus peccatis emundatur, etiam mortalibus illis, quæ nescit, quæqúe si sciret, & confiteri, & pœnitentiam pro illis agere paratus esset. Tertiò, quando Christi Corpus recipiens, pretiosum Animæ illius pignus in sinum Dei Patris mittit, & offert in conspectu eius, omnium, quæ vnquam admisit, peccatorum libens ille vult obliuisci. Quartò, quando Sacramentum percipit, hoc est, vitam Christi cum charitate illius, in Deum transformatur, sicut cibus & potus in ipsum mutantur, hincqúe robur accipit & virtutem vitijs omnibus resistendi, & cunctarum virtutum actibus insistendi. Quintò, dum Christi Corpus sumit, in quo tota Trinitas totaque deitas inhabitat, omni eiusdem beatissimæ

[Margin notes: Vna Eucharistiæ sumptio, quot Missarum aut Concionum auditioni præstet. — Sacerdotum bonitas aut sanctitas vnde. — Quæ tria ad mensæ Domini cæ praparationem spectent. Quinque in Sacramento hoc accipi, & quæ. — Cuius primò particeps fiat communicans. — II. — III. — IV. — V.]

mæ Trinitatis impletur gratia. Nihil autem explere animam vel satiare potest, nisi is, qui condidit eam, hoc est, Deus solus. Vnde Bernardus ait: Corpus Christi infirmo medicina, & peregrinanti viaticum est: infirmum roborat, delectat fortem, sanat vulneratum, & corporis ac animæ sanitatem conseruat. Et quisquis ipsum dignè & vtiliter suscipit, fit ad tolerandas irrisiones fortior, ad correptiones patientior, ad laborem studiosior, ad amorem iucundior, in omnibus circunspectior, ad obedientiam promptior, & ad laudandum Deum, gratiasque illi agendas deuotior. Si ergo vtiliter accedere voles, cura vt cum peccati contritione, cum corporis & cordis puritate, cum ardenti ac sitienti deuotione, cum commemoratione amoris, pœnarum, & mortis Christi, cum prompta & alacri ad virtutes omnes voluntate, cum humili voluntatis propriæ in gratissimum Dei beneplacitum resignatione, cum studiosa denique vitiorum omnium mortificatione, secundùm perfectionis regulam, accedas. Hoc est enim dilectissimi, & consilium & institutio mea. Quæ nobis omnibus implere donet, qui cælo terræque dominatur, in secula benedictus Deus. Amen.

Quid cõmunicaturis præcipuè curandum.

DOMINICA EADEM.

Quibus Christi Sacramentum accipere liceat, & quibus non. Vtque ad ipsum nos præparare, & quonam modo veram cordis puritatem consequi debeamus.

SERMO II.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. I. COR. II.

SCribens Corinthijs Apostolus, inter cætera hortatur eos, vt ad Christi Sacramentum accessuri, seipsos discutiant examinentque, dicens ea quæ iam thematis loco verba proposuimus: *Probet* scilicet *seipsum homo, & sic de pane illo edat*, hoc est, diligenter aduertat, quibus exercitijs, qua deuotione cor suum præparet, vt ad hoc dignissimum præclarissimumque dignus queat accedere Sacramentum. Quibusdam enim expedit sæpius accedere, etiamsi non ita magno semper intus desiderio flagrent, quando per hoc quotidianos mores atque modos suos in bona consuetudine, & à peccatis abstinendi proposito conseruant. Imò quotquot eiusmodi sunt, tametsi quandoque minus se dispositos, minusque præparatos & absque desiderio sentiant, non tamen ab hoc salutifero debent edulio abstinere. Illi autem, qui pro suæ viuunt arbitrio voluntatis, nec peccata deserunt, quique pro sola laudis captatione accedunt, & qui in seipsis tumidi & propriæ perseuerant voluntatis, garruli, pleni iudicijs iniquis, impatientes, in suo sensu turbidi, alios corripere & murmurare assueti, voluptatibus carnis dediti, sensibus astuti & vafri, atque his similibus vitijs & culpis obnoxij, accedere non debent. Vtrum autem nunquam accedere debeant, ipsorum iudicio relictum esse. Equidem consuluerim eis, vt non accedant, quando plus inde detrimenti, quàm fructus & vtilitatis reportare mihi videntur. Quò enim sæpius communicant, eò peiores & peruersiores intus efficiuntur, atque à veris virtutibus longius recedunt. Hoc autem inde eis potissimum accidere solet, quod necdum veram vnquam resignationem adepti sunt, nec in ea se virtute dignè exercuerunt, quodque vitam Christi necdum sequi cœperunt, licet id sibi persuasum habeant, eò quòd interdum passionem illius meditari sciunt: quæ dum illis sapit, putant se perfectionem adeptos: dumque interdum sensibili deuotione mouentur,

Qui sacramentũ sæpius accessuri. Qui non accessuri.

tur, putant hoc magnæ cuiusdam sanctitatis esse indicium. Sed errant planè: adhuc infimus hic gradus est, & facilè hęc euanescunt & abscedunt. Nisi enim amabilem Domini Saluatoris vitam & passionem in vera resignatione, & omnium tam spiritualium, quàm corporalium vitiorum mortificatione stabiliter perseueranterqúe sectentur, omnia hæc non nisi sensualia exercitia sunt, proprijque conceptus, & assumptæ consuetudines siue instituta, quæ cuncta facilè rursus decidunt ac deseruntur, quando tentationes insurgunt. Quomodo autem saluberrimum hoc Sacramentum percipiendum sit, nunc paucis aperiam. Itaque manna hoc cælicum, vt de Agno Paschali recipitur, *cum festinatione* sumendum est, hoc est cum ingenti desiderio, ita vt sapiat tibi, & appetas illud secundùm interiorem hominem. Non enim oberit, si fortassis exterior homo totus torpeat, & malè affectus & indispositus sit. Nam si voluntatem habes, peccata omnia, & quicquid diuino noueris honori, verisqúe virtutibus repugnans, pro viribus & quantum ea scire licet, vitare paratam: si, inquam, illius propositi es, talemqúe te intus non fallaciter sentis, si præterea peccandi occasiones omnes extrinsecus fugis, & ad extremum, si virtutum actibus iuxta Ecclesiæ sanctæ & status tui constitutionem foris incumbis, salubriter accedis, nec tamen sine deuotione multa, etiamsi exterior homo admodum frigidus, torpidus, indeuotus sit: quod nihil refert, quum hæc omnia in sola natura agantur. Si verò interior voluntas recta non adfuerit, parum contulerit tibi. Deinde *& cum lactucis agrestibus* manna hoc cælicum sumendum est, quæ amaram significant pro peccatis contritionem, & internam sensibilem in meditatione passionis Christi compassionem, ita vt ad honorem illius ipse quoque vitam rigidam & pœnitentialem assumas. Hæc autem pœnitentia primò quidem in afflicto, pœnis affecto & patiente corpore, in cibi potusque subtractione, in asperioris vestimenti, stratique durioris vsu, in ieiunijs & vigilijs consistit. In quibus si Christum, cuius omnis caro & sanguis nimijs doloribus affecta erant, sequi voles, etiam in hoc eum subsequi debebis, vt animam habeas tristem & compatientem, sicut & ipse habuit, quando ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem:* vt & tu similiter passionem illius intus induas, sensuum voluptates & oblectamenta tibi ipsi interdicendo, vanam repudiando complacentiam, concupiscentias & desideria noxia restringendo, propriam conculcando voluntatem, & omnem denique propriam prudentiam & existimationem funditus deserendo & abnegando. Hæc est, dilectissimi, vera passionis Christi meditatio, deploratioque: sine qua cætera exercitia vix vllius pretij sunt. Est autem inuenire multos, specie quidem deuotos & sanctos, vtpote qui pluribus externis eisdemque celebribus & claris virtutibus ac donis, magnaque forinsecus deuotione præditi sunt, sed omnem sanctitatem in hoc constituunt, si sentiant & experiantur aliquid deuotionis, non autem, vt reuera sancti sint. Hi ad intima sua nunquam reuera penetrare queunt, sed semper in externis hærent virtutibus. Ex his quidam tam copiosa deuotione sensibili perfunduntur, vt ferè quotidie totam Christi passionem, ab initio ad finem vsque, meditari sciant, atque præ multis alijs mirum in modum mouentur, & magnam dulcedinis spiritalis notitiam per experientiam acquirunt. Sed needum suijpsorum mortificationi student. Enimuerò ad humilem resignationem, ad dilectionem communem, ad suijpsorum abnegationem, ad mansuetudinem, ad cordis puritatem, & ad alias huiuscemodi virtu-

Marginal notes: Sacramentum hoc quomodo accipiendum. — II. Lactucæ agrestes. Pœnitentia in quibus consistat. — Matth. 26. — Vera passionis Christi meditatio.

virtutes difficiles sunt, nec admodum his afficiuntur. Vnde si quando occurrit aliquid, in quo se resignare debeant, citò apparet quales sint, licet ipsi sibi persuasum habeant, cordis puritatem & alias virtutes sese adeptos, dum memoratis occupantur cogitationibus, meditationibusve. Sed errant nimium, proprioque falluntur iudicio. Alia exercitia cordis adferunt puritatem, vt quod suas quisque cogitationes restringat, & cunctis otiosis immissionibus seu incidentijs resistat. Deinde iam, vt sensus suos vita, verbis, & operibus Christi, sacra quoque Scriptura occupet, semper in hoc perseuerans studio: quod vt melius possit, modò hæc, modò illa cogitanda assumat. His intentum facilè curæ omnes superfluæ & occupationes inutiles, cordis pacem & quietem perturbantes, deserent ac relinquent. Et hâc ratione puritas cogitationum obtinetur. Hinc pro cordis puritate consequenda laborabit, ita videlicet, vt summoperè curet cor mundum purumque seruare ab omni corrupta intentione, ab omni praua & sensitiua voluptate & oblectatione, ab omni denique vitioso affectu & desiderio, ita vt hæc illi intus dolorem ingerant, & displiceant in veritate, adeò vt nulli se vitio vel peccato, rebusque vitiosis coniungere queat vel accommodare. Hanc puritatem adeptus, non sinistrè interpretabitur, non in peiorem rapiet partem, nec iudicare temere poterit, si quid vel audire de alio, vel videre contingat. Quod inde fit, quia cordis puritatem adeptus est. *Mundis enim omnia munda sunt*. Non etiam facilè ex quibuslibet rebus aut offendetur, aut patietur scandalum, quia pacem intus perpetuam habet cum omnibus illis, quibus conuiuit. Omnes ex illo commodum, nemo damnum accipit. Hanc autem puritatem, qui eiusmodi est, & in infima, & in suprema sui parte possidet. In hac puritate venerabile Sacramentum mira & magna operatur, in eaque vera consistit virtus, non in multiplicibus propriæ voluntatis conceptibus & institutis, non in magna specie vel ostentatione, non in deuotione sensibili, non in gustus alicuius vel experimenti in ipso Sacramento vel virtutibus perceptione: quibus tamen plus satis aliqui confidunt, & quiescunt in eis, crebroque de eis confitentur, & sæpius ad viuificum Christi corpus accedunt, quasi qui bene digni sint, putantque se illo carere non posse, nec se apud Deum repulsam pati, vel illius offensam incurrere, ob deuotionem suam: sed reuera cum natura sui in ipsius Sacramenti dulcedine quiescunt. Interim grauem quandoque indignationem concipiunt aduersus eos, qui vel inde eos reuocare student, ac in proprijs exercitijs & conceptibus ipsorum eis resistunt: imò etiam alios quosque contemnunt, iudicant, vilipendunt, & eorum famam denigrant: Superiores quoque suos, quibus obedientiam debent, vix æquanimiter vel adspicere queunt, vel de eis quippiam patienter audire, dum eis in ipsorum institutis, quæ ipsi sancta arbitrantur, obsistunt & contradicunt. Præstet nobis Deus omnipotens, vt ad hoc dignissimum Sacramentum cum vera, tam interna quàm externa, pœnitentia salubriter accedere, & cogitationum cordisque munditiam & puritatem obtinere quandoque possimus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Puritas cordis qui studeatur.

Tit. 1.

Vbi vera consistat virtus.

* * *


DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

De recta intentione, & actione siue motione sancti Spiritus in operibus nostris: & vt cauere debeamus ne boni fructus nostri, hoc est, quicquid boni agimus, cariosum efficiatur: ad extremum de quatuor quæ huc conferunt.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius Dominicæ est: Attendite à falsis Prophetis. MATT. VII.

Qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. AD ROM. VIII.



Qualia sint opera humanitus facta.

Quanto diuina præstent humanis.

Spiritus sancti suggestio.

VAECVNQVE opera non modò homines vniuersi, sed etiam creaturæ omnes & operari possent, & ad finem vsque seculi acturi sunt, ea omnia non nisi merissimum nihil sunt, quamlibet alioqui magna sint atque præclara, si ad minimum Dei opus conferantur, quod ille in homine perfecto operatur per gratiam suam, siue ad quod homo ille diuino spiritu agitur atque mouetur. Quanto enim Deus omnipotens creaturis omnibus præstat, tanto & opera illius cunctis, quæ hominum vniuersitas excogitare posset, operibus, modis, institutis, proprijsqúe conceptibus potiora sunt præstantioraqúe. Frequenter ergo Spiritus sanctus homini illabens, per seipsum admonet, cohortatur, mouet, impellit ipsum in interiori fundo suo, aut etiam extrinsecus per Ecclesiæ Doctores, & ita se gerit, ac si diceret: Eia dilecte mi, si te mihi relinquere ac resignare, meqúe solum ex animo sequi non pigeret, ad ipsam te veritatis viam perducerem, vbi iam & operari in te, & teipsum quoque agere mihi liceret. Sed heu, dilectissimi, quanta miseria est, tam paucos hodie inueniri, qui sapientissimum & optimum hunc consiliarium, vel sequi velint, vel acquiescere monenti, dum suis quisque proprijs conceptibus, institutis, & assumptis modis, solisqúe sensuum cæcis operationibus, & propriæ prudentiæ ac sensui proprio plus satis inhæret, quæ tamen sancti Spiritus amabilem actionem & operationem impediunt, ita vt quisquis eiusmodi vitijs implicitus est, sancti Spiritus vocem seu loquelam nec audire, nec intelligere, nec operationi illius locum spatiumve præbere possit? Verissimum autem est, sancti Spiritus vocem melius audiri non posse, quàm quiescendo, auscultando, tacendo. Vt enim loquatur Deus, cuncta sileant oportet. Vt propriè & excellenter in homine operetur, locus illi & spatium necessariò præstandum, ipseqúe patiendus est. Duo nanque opera in vno eodemqúe minimè se compatiuntur, nisi alterum patientis, alterum agentis expleat vices. Absit autem vt hæc ita suscipiantur, quasi dicere velim, fortes, robustosqúe, & inexercitatos homines, præsertim iuuenes, in opere actionis se non exercere debere. His enim oppidò quàm necessarium fuerit, vt & strenuè multumqúe se in pluribus probatis institutis, exercitijs, ac bonis operibus, maximè quæ sacris iubebuntur, tam intus quàm foris exerceant. De illis potius loquor, qui iam probè exercitati sunt, & ad perfectionem charissimorum Dei filiorum adspirant, quorum profectò longè alia, quàm incipientium, instituta esse oportet. Iam si totum mundum adspiciamus, maxima illius portio Dei inimicos continere videtur. Ex alijs alij sunt coacti serui Dei, quos ad Dei seruitium vrgere

Quid, vt Deus in nobis operetur, agendum.

gere

gere oportet: & hoc ipsum parum, quod faciunt, non ex amore Dei, neque ex deuotione, sed potius ex timore agunt: qui omnes sunt homines gratiæ & dilectionis expertes, siue seculares sint, siue Religiosi, vtpote quos ad chorum & Dei cultum exequendum quasi cogere oportet. Alij sunt communes quidam mercenarij, vt sunt Sacerdotes & Moniales quædam, & id genus alij, qui Deo pro mercede & præsentijs suis (vt vocant) qualecunque seruitium impendunt, haudquaquam illi seruituri, sed potius ad vomitum & inimicorum Dei reuersuri consortium, si de præsentijs consequendis, & reportando lucro certi non essent. Itaque omnes illos vix obulo supputat Deus, nec poterunt ob suum famulatum in filiorum Dei album referri: & quamuis extrinsecus magna quædam opera faciant, ea tamen Deus accepta non habet, quandoquidem non propter ipsum, sed propter seipsos illa agunt. Alij sunt filij Dei, non tamen charissimi. Ex horum numero sunt, qui suis proprijs internis vel externis institutis, conceptibus, modis inhærent, sua propria agentes opera, nec ad perfectiora nitentes. Isti inferius ad arboris corticem subsistunt, satisque fortiter ad eam sese tenent. Sursum verò in ipsam arborem nolunt conscendere, suis institutis & modis, quos cum proprietate quadam obseruant, abundè contenti, plurimumque ad huiusmodi sensuales modos anhelant, Deumque in suis institutis, modis & exercitijs circa imagines versantibus, non solùm diligunt, sed etiam amant, & vicissim amantur ab ipso. Itaque, vt dixi, filij quidem sunt, sed non charissimi. Quare? Quia suis adhuc proprijs operibus plus satis inhærent, pacem alioqui nullam habentes, nisi ea perficiantur. Qui verò charissimi sunt filij Dei, de quibus Apostolus loquitur, hi à *spiritu Dei aguntur*. Hoc autem qua ratione fiat, diuus Augustinus explicat, dicens: Duobus modis sanctus Spiritus in homine operatur. Vnus est, quòd hominem paulatim componit, ordinat, & mouet, dum longanimiter ipsum exhortatur, impellit, allicit & trahit ad vitam bene ordinatam & virtuosam, idque facit omnibus, qui eum obseruant, quique locum ei præbent, ipsius commonitionibus obtemperando. Alius est, quo & propriè in filijs suis vtitur, quòd hos ipsos velut sub momento supra modos omnes atque vias, supraque ipsorum virtutem siue facultatem, & supra omnia opera eorum, ad gradum longè sublimiorem scopumque celsiorem repente trahit atque perducit: & hi sunt charissimi filij Dei. Sed heu multi diuinæ operationi sese credere & resignare, eidemque inniti non audent: sed suis potius institutis inhærent, atque plus æquo confidunt. Quibus ergo similes censendi sunt eiusmodi, nisi illis, qui pretiosum thesaurum per mare vastum atque profundum ducturi, multo cum labore iter deuium erratici ingrederentur, vbi tenebris & nebula operta essent omnia, & sordidæ maris guttulæ thesauros ipsorum fœdarent, ac rubigine afficerent? Vbi tamen constitutis si grauis aliquis, & vir fide dignus occurreret, diceretque, vt versa naui se sequerentur, promittens quòd ad iucundissimum illos iter reduceret, vbi Solis claritas & splendor illustraret omnia, vbi grata aëris blandimenta arriderent, vbi tranquilla & serena essent omnia, Solisque micantis radij humectum thesaurum ipsorum non modò siccare, sed etiam priorem gratiam & decorem, omni decocta rubigine, illi possent restituere, & vbi denique non idem sint negotium, quod in hoc deuio, habituri: quis dubitet, libenti eos animo ipsi obtemperaturos, rectiorisque viæ ducé alacriter secuturos? Itaque nos sumus, qui thesaurum

Serui &c. charitatis ac veritatis.

D

Filij non charissimi qui.

Filij charissimi. Rom. 8. Quot modis Spiritus sanctus in homine operetur.

Comparatio venusta.

Nauis, qua vehimur, mysticè quæ

rum pretiosissimum per procellosum huius seculi mare ducimus. Nauis autem qua vehimur, nostra sensualitas, seu pars sensitiua est. Cum hac naui longè in exteriora procedimus, ad externa videlicet, quæ ipsi nobis elegimus, assumpsimus, instituimus opera, modos, exercitia, & nunquam non in his nostris institutis & conceptibus laboramus, simul in atras & obscuras nebulas, hoc est, mentis cæcitatem & nostrijpsorum ignorationem tendentes. Totius autem boni inimicus diabolus putentes guttas quasdam nobis adspergit, quibus thesaurum nostrum conspurcat. Guttas autem dico, vanam in nostris operibus & modis, quæ cum proprietate tenemus, complacentiam, superbiam, voluntatem propriam, nostri æstimationem, irresignationem, inuidentiam, malam tristitiam, & id genus alia vitia, guttas quidem sordidissimas, quibus, proh dolor, iniquus ille præclarissimum thesaurum nostrum admodum defœdat commaculatqúe. Has autem maculas dum quidam in seipsis animaduertunt, festinatò per Confessionem eas moliuntur abstergere: sed per euagationes & excursus suos, dum foris duntaxat remedium quærunt, in ipsam nebulam profundius immerguntur. Qui si ad seipsos sese reciperent, si infirmitatem suam agnoscerent, eamqúe Deo quererentur confiterenturqúe, proclamantes coram eo culpam suam, facerent quidem satis, donec opportuno tempore sacerdoti confiterentur secundùm Ecclesiæ sanctæ institutionem. Porrò dum in hac nebula positi sumus, Spiritus sanctus intus nos alloquitur, dicens: Eià charissimi, si mihi credere, si me sequi non pigeret, ad securissimam vos viam reducerem deduceremque. Et quis, obsecro, tam fideli consultori fidem adhibere, eumque sequi nolit? Sed vtinam tam felices, tamque sapientes essemus, vt nobisipsis relictis & abnegatis, Dei sequeremur Spiritum, illiusque admonitionibus, informationibus, motionibus niteremur facere satis: bene tum profectò nobiscum ageretur. Sed heu miseri, id non facimus. Nostris perpetuò institutis, conceptibus, & quos forinsecus propriæ voluntatis iudicio consilioque suscepimus, sensualibus modis inhæremus. Verùm vt, quod dico, melius capiatur, scire vos velim, dilectissimi, debere nos etiam bona quædam instituta, modos & exercitia interna assumere: sed ita, vt nulla hæc cum proprietate teneamus, in eisdemque voluntatem & operationem Dei multa cum resignatione præstolemur: non autem opus illius per præsumptuosam ac immodicam actuum nostrorum existimationem, & proprijs intellectualibus modis ac naturali intelligentiæ inhærendo, destruamus. Nam qui tales sunt, eis haud secus accidit, quàm pomario arboribus speciosis vndique consito, quæ pomis essent refertissimæ, sed cariosis, & priusquam maturescerent, decidentibus. Idem autem pomarium herbas odoriferas pretiosasque contineret, quas vermes, ex pomis illis prodeuntes, corroderent ac deuastarent. Sanè quod omnibus notum est, poma huiusmodi aliquandiu, dum necdum continguntur, neque manibus tractantur, non minorem præ se ferunt pulchritudinem, quàm ea quæ omnis sunt corruptionis expertia. Sed quorsum hoc, inquis? vt scilicet hoc quisque summoperè curet, hoc agat, vt fundum habeat omnino purum, parum alioqui Deo placiturus. Attamen, vt ad poma redeamus, nisi mea me fallit opinio, vix duo inter illa sana & integra inuenire licebit, quæ cariosa nõ sint: & quanquam forinsecus admodum formosa videantur, intus tamen vitium offendes. Sic sit multa sunt mira bonaque exercitia, diuersæ viuendi rationes admodum sublimes,

Proprietas vbique vitanda.

Comparatio lepida.

limes, verbaq; & opera, quæ tamen intus in fundo vitiosa sunt & corrosa à vermibus, aut saltem adhuc corrumpi possunt, siue actiuæ vitæ sint, siue contemplatiuæ, siue iubilus, siue contemplatio, siue etiam raptus vsque ad tertium cælum, (Ita enim de Apostolo legis, datum illi angelum satanæ, qui ipsum colaphizaret, ne magnitudine reuelationum extolleretur) siue adhuc prophetia, siue operatio virtutum atque signorum exhibitio, siue curatio morborum, siue discretio spirituum, siue mysteriorum omnium notitia. Et, vt multa paucis absoluam, modi omnes & vniuersæ viuendi rationes, quæ quidem haberi possunt, corrumpi faciliè & corrodi poterunt, nisi multa se quisque vigilantia obseruet, nisi stet super custodiam suam. Loquamur exempli gratia de his, quæ vsu quotidiano nota sunt omnibus. Multi faciunt eleemosynas, aut magna vel opera, vel officia exhibent charitatis, aut munera copiosa largiuntur. Hæc omnia si nulli omnino præterquàm soli Deo constarent, & ipsi hoc molestè ferrent, nec integra gauderent pace: indicio est, latenter eos laudem expetere: quò fit, vt munera illa & obsequia omnia, cariosa sint & vitio obnoxia. Vis apertius videre, vt suas plerique eleemosynas sibi approprient, & omnibus cupiant esse manifestas? Adspice vt fenestras, altaria, vestes sacras ad templorum vsum conferant, iisdemq; sua apponant insignia, vt scilicet omnibus ipsorum munificentia innotescat. Sed hoc ipso receperunt vtique mercedem suam. At excusant se, dicentes hoc solum se quærere, vt pro eis oretur. Verùm multo eis vtilior foret eleemosyna aliqua parua, soli Deo in sinum illius oblata, & abscondita prorsus ab omnibus, quàm vel celebris templi extructio, scientibus cunctis, precesq; pro eis fundentibus. Facilè enim supplebit Deus, quicquid omnes orare possent, si tantùm bona opera sua illi soli relinquere, eique confidere curent. Sola nanq; eleemosyna, resignata ac pura solius diuinitatis intētione facta, plus orat, quàm omnes, ad quorum notitiam perueniret, orare possent. Vnde cōstat, quàm multi innumera sua perdiderint opera, & vix pauca toto vitæ suæ spatio vtilia bonaque opera fecerint, siue in obsequio & cultu Dei, siue hominum seruitio, siue in vigiliis, siue ieiuniis, siue eleemosynarum largitionibus, dum videlicet occultè semper seipsos quæsiêrunt, & aliquid siue à Deo, siue ab hominibus retributionis expectârunt. Ea enim multorum corruptio est, vt ex his, quæ faciunt, saltem videri & sciri velint, & aliquid suū retinere gestiant. Cæterùm quæcunque hoc affectu opera fiunt, cariosa sunt omnia, etiam si tot sint, vt mundum impleant vniuersum. Neque verò mea hæc sententia est, sed ipsius potius veritatis, quæ hanc pluribus in locis confirmat, eidemq; apud Matthæum euidens fert testimonium, dum sic ait: *Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quod non solum de ieiunio, sed de aliis etiam quibuslibet bonis exercitiis accipiendum est. Nam & paulo superius apud eundem Euangelistam ita loquitur Dominus: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te,* (hoc facitis, signa vestris apponendo eleemosynis) *sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente*

Externæ speciei non statim credendum. 2.Cor.12.

Eleemosyna qui facienda.

Matth.6.

Ibidem.

eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et post pauca: *Tu autem cùm oraueris*, inquit, *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ergo, charissimi, non vt mea, sed vt Veritatis verba hæc accipite: simulq́ue considerate, si quem apud Deum fructum consecuturi sitis ex operibus illis, quæ non ei soli fecistis, & si non, vt dixi, cariosa sint omnia. Iam si placet, me docente, quatuor accipite, quæ si quis habere curauerit, nunquam opera illius caries infestabit. Primum est, vt opera sua in nullo pretio habeat, hocque animi affectu cuncta & externa & interna sua faciat opera, vt nihil ex illis consequi, nihil recipere cupiat nisi Deum, hunc solum amore & intentione prosequatur: ita vt si illi chara sunt & accepta, gaudeat: sin minus, certus sit incassum illa se fecisse, eo quòd Dei laudem & amorem in illis minimè spectârit. Aliud est, vt animum habeat in infinitum humilem & obedientem, idq́ue non sub Deo tantùm, sed etiam sub hominibus vniuersis, minimo æquè vt excellentissimo: Sicut de beato Thoma Aquinate legitur, quòd cùm vice quadam Bononiæ in Conuentu moraretur, & pro sua consuetudine per claustrum contemplaturus incederet, frater quidam alterius Conuentus, qui Doctorem non nouerat, venit ad eum, (petita prius & obtenta licentia à Priore, quòd cum fratre, quem primùm inueniret, ad ciuitatem pro expediendis negotijs suis ire posset) sicq́ue affatus est: Bone frater, Prior mandat vt venias mecum. Qui statim inclinans caput, secutus est eum. Post quem cùm non posset pari celeritate incedere, frequenter ab eo reprehensus, humiliter se excusauit. Postea tamen frater ille, quis esset, ab alijs edoctus, veniam petijt. Ad tanti ergo viri exemplum quisque se omnibus subijcere debet. Huc etiam pertinet, vt omnes credat melius sentire quàm ipse sentiat, nec vlli quouis modo se opponat, sed omnibus potius humiliter cedat. Tertium est, vt profundissima sit humilitate præditus, suum semper nihilum, quod solum proprium habet attendens, in illudq́ue sese demergens. Si quid enim aliud præter istud nihilum habet, prorsus suum nõ est: cunctaq́ue opera & omnes actus suos, quatenus sui sunt, malos deputabit, & seipsum similiter. Sic quidã sanctus nostri Ordinis frater, per quem Dominus, ob vitæ illius meritum, perplura dignatus est mira operari, & signa facere, cùm mihi in choro adstaret, ex imo cordis sui ita ad me dicebat: Certum habe, me maximum vilissimumq́ue totius mundi peccatorum esse. Ita & quisque de se sentire, & ex corde fateri debet: quia si Dominus scelestissimo peccatori tot bona præstitisset, quot mihi contulit, in sanctissimum poterat virum euadere. Quotquot autem hoc humilitatis fundum veraciter tenent, fieri non potest, vt aliquem quouis modo iudicent, vel quæuis opera illius. Nam si quæ prorsus mala adspiciunt, statim ad propriæ infirmitatis considerationem mentis oculos reuocant, & ita ab aliorum iudicio auertuntur. Quartum est, vt humilia semper sectetur exercitia, & occulta Dei iudicia pauidus formidet, non tamen instar eorum qui desperant, sed vt amicus syncerus, cui hæc perpetua solicitudo est, ne amicus offendatur. Ista quatuor Diuus Bernardus tradit, de quibus hoc scire vos velim, dilectissimi, quòd quisquis ea habere non curat, etiamsi tot bona faciat opera, quot facere mundus posset vniuersus, omnia tamen certo certius carie infestabuntur. Iam & in S. Ecclesiæ horto diuersæ præclarissimæ arbores positæ sunt fructibus plenæ, quæ sunt multi humiles homines, qui soli

Quatuor ne opera nostra cariosa fiãt, agenda.

I.

II.

Humilitatis seu obediẽtiæ exemplũ.

III.

IV.

soli veros proferunt fructus. Inter has autem arbores, aliæ sunt constitutæ, quæ non nisi cariosos producunt fructus, qui tamen satis gratum præ se ferunt colorem, imò quandoque gratiorem elegantioremqúe, quàm illi, qui sani & integri sunt, & quandiu cælum tranquillum & serenum est, fixi arboribus hærẽt: mox autem vbi tempestas oritur, & venti sæuiunt, repentè decidunt: palamqúe omnibus innotescit, vermibus eos corrosos intus, nec vlli rei vsui esse: sed & vermes, quibus scatent, bonas quasque huius pomarij herbas depascunt, corrodunt, atque deturpant. Istæ arbores corruptis fructibus plenæ, homines sunt propriæ voluntatis, irresignati, proterui & sui capitis, qui suis exercitijs, suo intellectui, suæ apparenti sanctitati, & suis denique magnis operibus nimium innituntur atque confidunt, quæ & plura faciunt quàm qui verè iusti sunt, suisqúe conceptibus, institutis & modis, quos non ex præcepto Ecclesiæ, sed suo capite sibi assumpserunt, plus satis tribuunt & inhærent. Hi, quandiu tranquilla sunt omnia, & sua pace gaudent, dum Sol ipsorum modis allucet, recteqúe cum eis agitur, ipsorum opera maiorem præ se ferunt sanctitatem & splendorem, quàm aliorum non fallaciter iustorum hominum. Sed vbi venti horribilium tentationum, vt est fidei impugnatio, quæ nostris adhuc temporibus oriri poterit, & aliæ sæuæ tempestates irruunt atque grassantur, citò funditus collabuntur, quia intus fundum habent cariosum atque corruptum, ita vt nulli possint vsui esse. Vermes quoq;, quos habent, ex ipsis prodeunt, & sanas quasque herbas conspurcant, id est, homines pauperes, indoctos, simplices sua falsa libertate & doctrina corrupta inficiunt atque peruertunt. Sed quantæ eos miseriæ in extremis, quantæ calamitates & angustiæ inuoluent, quando in ipsorum fundo Deus essentialiter minimè reperietur, sed potius fictitium aliquid? Tum si quis ex eis seruabitur, felix admodum fuerit. Enimuerò lata spatiosaqúe via, licet occultè, gradiuntur, naturæ suæ propensiones, motus, affectus, desideria prosequentes. Angustam autem veræ & abyssalis resignationis semitam minimè tenent, nec vnquam se funditus abnegare & relinquere, ac naturæ suæ valefacere voluerunt. Et licet interim hoc iter angustum arripiant, citò tamen ad viam latam, ad suamqúe naturam reuoluuntur. Cæterum ne per occasionem istorum corruptorum hominum longius digrediamur, ad institutum redeundum est. Vt ergo dicere cœperam, *qui Spiritu Dei aguntur*, hi charissimi *sunt filij Dei*. Tales sunt, quibus hoc perpetuum studium, summaqúe cura est, vt voluntatem, inspirationes & admonitiones sancti Spiritus non modò obseruent, sed etiam sequantur, eisdemqúe faciant satis. His autem interdum deserta quædam & vasta proponitur via, vbi seipsos periclitari coguntur. Quod si intrepidè ac fiducialiter facerent, & Spiritui sancto credere atque confidere auderent: dici non potest, quem inde fructum habituri essent, si tantùm sese ad se intrò reciperent, & opera illius in seipsis obseruarent, vbi profectò Deum mira intra se agere comperirẽt, & talia facere opera, quæ sensus, naturam, & intellectum omnem excedant. Et si vnius anni spatio nihil aliud agerent, nisi quod hanc Dei intra se obseruarent operationem, etiamsi nullum aliud opus bonum facerent, nullum tamen annum melius expendissent. Quòd si occulti operis huius, quod Deus in fundo operatur, saltem tenuissimum quid perciperent, imò etiam si non detegeretur, adhuc tamen melius annum illum insumpsissent, quàm omnes illi, qui multo cũ labore plurima ex seipsis operati essent. Vt enim aliâs dixi, cũ Deo nihil negligi potest.

Hominũ corruptorum ac pomorum collatio.

Lata aut angusta qui ambulent viam.

Rom. 8.

potest. Hoc autem Dei opus est, non hominis. Nec dubium est, Deum creaturis multo nobiliorem, præstantioremq́; esse. Ergo & opus illius omnem creaturarum actionem longè superat. Huiusmodi homines omnem quasi extrinsecus operationem amittunt, quum satis superque habeant, quod intus semper agant. Hic perfecta pax & securitas inuenitur. Sed quis hæc hominibus persuadere queat? Nec enim capiunt ea, causantes sui capitis debilitatem. Hoc certum habetote, charissimi, *omnem plantationem quam non plantauit Pater cælestis, radicitus euellendam.* Quo autem amore, putatis, Deus omnipotens illum prosequetur, qui hoc pacto illi locum præstiterit, suum in ipso præclarissimum suauissimumque opus perficiendi, atque seipso perfruendi in illo? Tanto nimirum, tamq́; excellenti amore, vt omnem omninò humanum & Angelicum superet intellectum, eodem scilicet, quo vnigenitum prosequitur Filium suum. Denique hic agendi modus, quo à Dei Spiritu homo agitur, in quandam tendit abyssum. Olim cùm beati Dionysij discipuli mirarentur Timotheum condiscipulum suum adeò præ se proficere, quum tamen non minus facerent bonorum operum quàm ille, sanctus ille respondit, Timotheum hominem esse, qui Deum pateretur. Hoc autem totum in viua fide agitur, ac in infinitum omnes totius mundi externas operationes excellit. In hoc gradu siue modo nihil æquè homini necessarium fuerit, quàm vt sese in fundum annihilationis suijpsius profundissimè demergat, ita vt diuinæ operationis nihil prorsus sibi arroget vel assumat, sed Deo relinquens quod illius est, sibi quod suum est, hoc est, vilipensionem sui & annihilationem retineat. Nam si aliquid diuini operis sibi adscribat, arrogétve, tam periculosam ruinam facit, vt periculosiorem facere vix possit. Vt ergo ad opera illius nos, vti oportet, habeamus, ipse nobis præstare dignetur, qui solus id præstare & operari potest Deus omnipotens & gloriosus, cui est omnis laus & honor in secula seculorum. Amen.

Matt 15.


An aliquid, & quid tantum, alicui arrogandum.

DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

Vti quotidianam cum Deo rationem inire, peccata nostra funditus agnoscere, damnare nosipsos, pro vitæ emendatione Deum precari, cunctaque demum opera nostra ex humili resignatione perficere debeamus: super verbis illius Psalmi 36. Reuela Domino viam tuam, &c.

SERMO VNICVS.

Redde rationem villicationis tuæ. LVCÆ XVI.



SALVATOR ac Redemptor noster, instar pij parentis, crebra nos exhortatione, dilectissimi, ad peccatorum nostrorum agnitionem, vitęq́; correctionem emendationemq́; inuitat, antequam in illius districtum atque pauendum iudicium incidamus, quando anima à corpore separabitur, vbi nos exactissimam de vniuersis cogitationibus, verbis, operibus, imò de cunctis, quæ ab ipso nobis collata sunt, rationem reddere oportebit. Hoc autē benignissimus ipse Conditor noster, quę illius clementia est, etiam præuenire nobis concessit, & integra adhuc sanitate causam nostram componere, per quotidianam videlicet nostrijpsorum examinationem, emendationem, iudicationem: quod si absque simulatione facimus, vt

Aposto-

Apostolus ait, à Domino haudquaquam iudicandi sumus. Et diuus Augustinus: Sit, inquit, ante te, quod non vis esse ante Deum. Si autem post te feceris peccatũ tuum, retorquet tibi Deus illud ante oculos: & tunc retorquet, quando iam pœnitétiæ fructus nullus erit: Quisquis ergo in morte sua rationem suam exactam esse voluerit, ea sibi in quotidiano suo exercitio verba proponat, quæ in Psalmo tricesimosexto leguntur: videlicet: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*: in quibus verbis omnium eorum, quæ ad bene beateqúe viuendum, siue vitam spiritalem & diuinam exiguntur, via quædam inuenitur, si non desint, qui eam inquirere sciant. Estqúe hæc compendiosissima simul ac simplicissima via, in qua nemo facilè aberrare poterit: est etiam finis & scopus omnium eorum exercitiorum, quæ hactenus à me audistis: in qua proinde vos exercere curabitis, si vnquam veram, viuam, fructuosam, Christianam fidem assequi, & intus veritatem ipsam feliciter sentire ac experiri voletis. Huc porrò, vt D. Bernardus, Isaac, & plerique alij sancti Patres asserunt, externa exercitia exiguntur, vt sunt, verbi gratia, vigilia, ieiunia, silentium, interna omnium vitiorum, & amoris delectationisq; creaturarum mortificatio, necnon amorosa ac interna omnium animæ virium cum Deo vnitio adhæsioqúe, idq; cum resignatione perquàm humili, ad exemplar vnigeniti Filij Dei. Sicut enim vinum bonum vas integrum poscit in quo conseruetur: ita natura bene composita ac ordinata, bona quoque & ordinata facit exercitia & iacit fundamenta. Sed dicat fortasse quispiam: Qua igitur ratione ieiunandum est? Ad quod ego respondeo: Qui absque naturæ læsione destructionéve ieiunare possunt, hi omnino ieiunabunt, & ad minus ieiunia, quę vocant regularia, & poterunt & debebunt obseruare: Quibus tamen ista viuendi ratio tenenda erit, vt in prandio naturæ suæ necessaria capiant sufficienter, quamlibet etiam bonus ille sit cibus, qui naturæ vtilis erit ac necessarius: quod equidem bonis omnibus permitto, modò nullam ibi sensuum voluptatem ac delectationem quærant. Vespertino autem tempore aut parum, aut nihil sument, virium tamen hac in parte ratione habita, cùm Augustinus dicat, Deum tam rationabilem à nobis exigere seruitutem, vt postea opus non sit medico, aut medicinis vti: tuncqùe ab hominum societate abstracti, aliquandiu ad seipsos sese recipient: quod nimirum tum spiritui, tum naturæ confert non minimum. Enimuerò & Physicorum ea sententia est, quàm plures ex intemperantia cibi, potus & somni, immatura morte obijsse. Deinde mox absoluto Completorio, tempestiuè satis ad quietem sese conferent, quo post noctis medium tanto sint vigilantiores, & virilius maiorique cum strenuitate animo ad Deum sese conuertere queant. Quòd si fortasse serotino tempore ægrè obdormire poterunt, nihil omnino turbentur, sed tunc mente in id sese conuertant, in quod post noctis medium conuersuri erant: sicqùe in omnibus pacem in seipsis discant inuiolabiliter retine. Matutinarum tempore, aut aliâs (si extra Monasterium degunt) circa noctis medium vel auroram exurgant, tumque ad deuotionem sese excitent verbis, quæ quidem cantentur siue legantur, maximè amabilibus: aut ipsa Domini sacratissima passione, vel vulneribus, vel dilectione eiusdem, aut si quæ sunt alia, quæ ipsorum deuotionem vehementius accendant prouocentqúe, vti hoc pacto pars sensitiua seu sensualitas restringatur & captiuetur, & mens atque natura in omni aduersitate tam sub hominibus vniuersis, quàm sub Deo sese comprimere, & patientiam seruare discant. Tota

1 Cor. 11.

Quid rationem suam perfectã volenti faciendum.

Ieiunandum qui sit.

Edendum qui.

Dormitutis non facilè obdormientibus quid agẽdum.

namque vita hominis ad sui mortificationem referenda est, ipsaque hæc morti-
ficatio naturæ, æquè vt spiritus, præcedat oportet, si in Deo renasci debeat. Sin
Post Matutinas quid faciendum. verò in Cænobijs agunt, matutinali expleto officio, vnius Missæ spatio aut [illegible]-
tem quandiu sine capitis sui perturbatione seu destructione poterunt, in ch[oro]
remaneant: & tunc intra semetipsos sese recipientes, ante omnia cor atque [illegible]-
rius fundum suum diligenter obseruent. vitia seu defectus proprios inspici[ant],
quàm dissimiles & remoti sint à perfectione, ad quã tenentur, & in quantis [illegible]
obligati sint, quæ ille ab eis quandoque exacturus est, attendant, [illegible]
excusatione iudicent semetipsos, non tamen cum horribili quodam tumultu, ne
fortè in desperationis profunda mergantur, sed cum pia quadam ac dulci ame-
nitate, quo ex defectuum suorum consideratione humilientur. Funditus atten-
dentes proprium nihil suum, & quid ex seipsis sint, sicque dicant: Eia Domine
Deus meus, en hæc ego sum pauper ex misera creatura tua, qui ex me [illegible]
possim, neque habeo quicquam præter vitia innumera, ideoq; omni gratia [tu]a
indignus sum: sed quæso Domine, dignare me recipere in seruum tuum. Atque
ita profunda cum humilitate in fundo suo Dei sese pedibus prosternant, ac infi-
mè se reos, quiq; ei seruiant, indignos fateantur: hanc denique sui iud[illegible]
ferant patienter. sicq; haud dubiè facilè, etiam ipsis nescientibus, à cunctis vitijs
Quale? eligentis exercitiû quotidie seruandû. & defectibus exuentur. Hoc verò exercitium non ea animi leuitate assumendum
est, vt hodie quidem fruetur, cras autem in obliuionem abeat: sed perpetuum
& quotidianum erit, ita vt cum amore, humilitate, veraqúe patientia ex huius,
quod de seipso tulit, iudicij consideratione, cuncta opera sua cum pura quisque
diuinitatis intentione perficiat: certus quòd omnia illa opera, quæ ex hoc fun-
Quid Diabolus maximè formidet. do minimè procedunt, parum aut nihil vtilitatis adducant. Nec vlla re diabo-
lus citius profligatur, nec quicquam æquè malignus ille formidat, vt humilem
suijpsius iudicationem, & multam erga Deum fiduciam Vnde metuens versi-
pellis, ne fortè è suis manibus elabatur, hoc exercitium agenti ita plerunque in-
tus suggerere solet: Quid hic fessum vadis? vltra vires est id quod aggrederis:
forsitan ad hoc minimè electus es. Viue ergo instar aliorum vulgariter bono-
rum hominum, qui nihilo minus & ipsi cælos penetrant. Verùm hic, dilectissi-
mi, oppidò quàm necessarium est, vt cui talia à maligno spiritu ingeruntur, il-
lius tentationibus resistat, dicatqúe: Recede procul à me scelestissime. Noui quis
sis, ideoque te flocci pendo. Dominum quoque, vt sui misereatur, inuocet, verbis
quàm poterit amabilissimis vtatur. Verbi gratia: Eia mi amantissime Domine
Iesu Christe, omnino tuus esse volo. Caueat etiam, ne ex fraudulenti hostis con-
silio modum excedat, ne nimius sit, vnde naturam suam debilitet, destruátve
Proinde si vel ætas prouectior, vel capitis infirmitas eum in templo manere
non sinunt, cellam repetat, & vbi natura sua quàm minimè præpeditur, vt vel
ante lectum, vel in ipso lecto sese reponat. Si enim ex animo desideretur, non
minus Deus cum gratia sua lecto decumbenti, quàm in templo oranti, præsto
est. Tumq; cor suum ad sese conuertat: quod citra dubiũ, melius in quiete quàm
occupatione fieri potest. Enimuerò quando natura inquieta est, & supra vires
torquetur, fit hebes & classa, & grauiori altioriq; somno deprimitur. Igitur vbi
Psal. 36. sic quisque, vel in suo cubiculo, vel in templo est constitutus, hunc sibi versum
Quid, priusquam proponat. *Reuela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet* Iam ante sæpenu-
merò dixisse me vobis memini, vt antequam sacerdotem confessuri accedatis,
Dom-

Domino prius confiteamini. Ea nimirum & huius versiculi sententia est: Reuelare namque & confiteri, idem sunt. Hinc porrò vera procedit Confessio, quam facimus sacerdoti. Neque vllus omnino sacerdos absoluere vos poterit, nisi quatenus ex hoc fundo confiteamini. Quod cùm ita sit, in confesso est, omnes illos miserè falli, qui sola externa confessione, absque interna agnitione, contritione, dolore, ac deinceps ab omni peccato pro viribus sese continendi proposito, se putant satisfacere. *Reuela Domino viam tuam.* Quid est, charissimi, quòd suam quisque viam Domino reuelare iubetur, cui tamen manifesta sunt omnia, cuiusq; notitiam nihil penitus effugere potest? Sed hæc est Prophetæ sententia, quòd suum quisque impurum, vitiosum, peruersum iter nôsse debeat, & sibijpsi reuelare. Quæ verò est prima hominis ad Deum via, seu primus accessus? Non alia sanè, quàm pura quædam propriarum culparum siue defectuum contemplatio, & vera, profunda, ac humilis eorundem agnitio. Hic est, inquam, dilectissimi, primus omnium electorum Dei amicorum accessus. Cæterùm defectus istos siue vitia, qualiaqualia ea fuerint, Deo gemebundo ac contrito corde intus aperiat, & dona quæcunq; à Deo obtinere desiderat, & quicquid demum illi, quo minus proficere queat, impedimento est, eumq; malè habet, ei tanquam vnico, intimo, & amantissimo suo proponat atque reuelet amico, cunctasque perplexitates suas illi lamentabiliter exponat. Reuelet, inquam, & detegat magno illi, potenti, misericordi Domino, cui nihil impossibile est, vniuersa vulnera sua. Neque enim ægrotus quisqam tantoperè medicinis indiget, quantum ipse medicamine illius. Sic autem reuelet, vt & speret in eo, & ipse haud dubiè sacratissimis vulneribus suis ipsi medebitur. Ita enim Propheta secutus ait: *Et ipse faciet.* Itaque sint duo, qui simul Domino preces fundant. Et alter quidem rem ipsam æstimatione penè impossibilem petat: confidat tamen, à Domino se exauditum iri. Alter verò pro re minima postulet, nec tamen plenam erga Dominum fiduciam gerat. Fidenter aio, is, qui pro re penè impossibili rogauit, ob suæ fiduciæ meritum, citius multo, quàm alter ille propter modicam fiduciam suam, exaudietur. *Omnia* namque, vt ipsa testatur Veritas, *credenti possibilia sunt.* Credat ergo, id est, speret atque confidat quisque veraciter Deo suo, & ipse faciet. Deus enim & Propheta mentiri nesciunt. Adeoque sicut Deum nemo satis diligere potest, ita nec satis illi confidere quisquam valet. Itaque quicquid hoc est, quod vel mihi vel alteri amico fidei questurus erat, id illi soli queratur, non hominibus: (Id enim ipse ferret indignè, cùm per seipsum magnificè & velit, & possit, & desideret consolari) totumque illi hilariter offerat, & ipse faciet. Imò centies millies libentius faciet, quàm ipse desiderare queat, quandoquidem in infinitum ille dare paratior est, quàm homo accipere. Breuiter ergo, si vis multa citò peccata expiare, vberemque à cælesti Patre mereri gratiam, disce illi in vera dilectione fideliter confidere, ita tamen, vt interim non viuas sceleratè & perditè. Tali namque fiducia virtutes comparantur, & diluuntur vitia. Porrò si quis intro sese, hoc est, ad intima sua recipere volens, speciale quoddam de Deo obiectum non habet, agedum assumat ille consueta exercitia sua, ea præsertim, ad quæ maiorem sentit deuotionem & gratiam: siue sit vita Christi, siue passio illius, aut sacratissima eiusdem vulnera, aut pro alijs preces effundere. Ita verò hæc aut alia quælibet assumet, vt nulla eis cum proprietate inhæreat, vt si forsasse Dominus eum ad interiora trahere velit, eum absque

Sacerdoti confiteaaris, agendum.

Quæ prima hominis ad Deũ via.

Fiducia magnæ vis quata.

Marc 9.

Quanto Deus paratior ad dandum, quã homo ad petendum.

renisu e vestigio sequatur. Quod quidem vbi contigerit, puta vt à Domino ad aliquod vicinius, sublimius ac interius trahatur, cauendum illi summopere erit, ne sensibus perscrutari velit, quid vel quale sit, quod ei præstatur, sed totum Deo simpliciter relinquat atque committat, seqúe hac in parte funditus exuat, abneget, resignet: hoc vnum solicitè cauens, ne qua tristitia mala seu animi grauitas ei subrepat, cùm hæc pestis omne bonum certo certius impediat. Cæterùm si cuncta hæc his qui dedit rursus auferat, ipsumqúe in vasta quadam, egena, miserabili, ac desolata relinquat obscuritate, nihil eum res ista perturbet. Quin potius *speret in Domino, & ipse faciet*: sustineat interim æquanimiter, secumqúe maneat. Hîc namque *princeps mundi huius eijcitur foras.* Quòd si Deum senserit ad interiora se trahere, cunctis postpositis, illum simpliciter sequatur: postpositis, inquam, vniuersis imaginibus suis, etiam diuinis irradiationibus, nec quicquam tamen per sensus suos illius, quod sibi donatur, vsurpare præsumat. Denique si omnibus his neque sufficere, neque satisfacere poterit, securus imponat omnia humeris illius, & *ipse faciet* certissimè. Hinc iam circa Solis ortum somnus obrepit, per quem naturæ vires reparantur, vnde ratio componitur, purgatur & ordinatur, confortatur cerebrum, & ipse denique homo per omnem diem tranquillior est pacatiorqúe, ex illa nimirum exercitatione interna, qua se Deo veraciter vniuit, in quo deinde cuncta illius opera ordinantur & efficiuntur ordinata. Enimuerò vbi hac ratione in hoc suo exercitio de suis sese actibus præmunijt, vti videlicet ea die suam velit instituere vitam, atque ita in virtutibus sese stabiliuit, & ad virtutes velut accinxit, dum ad actionem venitur, cuncta illius opera diuina prorsus & virtuosa redduntur. Vnde tametsi fortasse contra voluntatē suam in hac sui introuersione nonnihil dormitet, facilè hoc incommodum reparatur, quando sæpius vtilior est huiusmodi somniculosa introuersio, quàm plura actuosa sensuum exercitia. Agat ergo, denuò incipiat, iterum atque iterum vna aut altera genuflexione sese exciter, dicens: *Sursum corda* Sitque certus, non tam crebrò se redire ad Dominum, quin is maiori sui desiderio teneatur. Quapropter hac fide & spe animatus, interius fundum suum ad ipsum conuertat, cum Propheta Regio psallens, & dicens: *Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Sicqúe faciem suam & fundum ad Dei vultum nudè conuertat dirigatqúe. Dum enim interius ac innominabile fundum illius Deo sese exhibet & offert, post illud aut simul cum illo quicquid in ipso nominari potest, se illi exhibet & offert, atque e diuerso cunctis illis respondet, vicemqúe reddit in Deo, quicquid in illo nec nominari potest, neque cognosci: & simul etiam quicquid in eo aliquo nòmine exprimitur: cuncta hæc, inquam, vicissim in homine in intimo animæ fundo, eidem sese offerunt exhibentque. Hîc verò haud mediocriter confert homini, si exterior homo eius in quiete sit constitutus, si sedeat taceatque, nec foris in corpore inquietus sit. Inde est, quòd Doctor quidam ait: *Sede, inquit, & tace, & leua te supra te.* Et Philosophi sententia est, animam sedendo & tacendo prudentem fieri. Reuera enim non minimum externa corporis quies interno operi suffragatur. Nam quò vnitiores collectioresque sunt sensus, vires, & natura, eò efficacior est operatio interna. Denique pro hac interna quiete & silentio Deus Opti. Maxi. vitam perennem atque adeò seipsum vobis dilectissimi suo tempore restituet. Sequitur nunc alius eiusdem Psalmi versiculus:

Et de-

Nemini de donis Dei quicquam vsurpandū.

Introuersio somniculosa quibus præstet.

Psal. 26.

Ex Threnis sumptum documentū. Externa quies operi interno quid conferat.

Et deducet quasi lumen iustitiam tuam. Et quænam est, oro, iustitia nostra? Nimirum scire & nôsse nosmetipsos, quemadmodum D. Bernardus ait, supremam & optimam cognitionem, post Dei notitiam, eam esse, si nosipsos in veritate noscamus. *Et deducet*, inquit, *quasi lumen iustitiam tuam.* Vestram quidem iustitiam, charissimi, dignè colitis in obseruatione sacri Ordinis vestri, maximè verò silentij. Vnde & ipse, quantum possum, hortor & obsecro vos, vt illud locis & temporibus vobis præscriptis studiosissimè obseruetis, abstracti disiunctique ab omnibus, nec quicquam cum illis commercij habentes, qui non id ipsum quærunt, amant, intendunt, quod vos inquirere desideratis: qualescunque demum sint illi, grandes vel parui, non prolixa cum eis colloquia misceatis, neque tamen eos iudicetis vnquam, sed Deo penitus eos committatis, memores illius Dauidici: *Noli æmulari.* Ita, inquam, charissimi, non moueamini aduersus eos, non æmulemini, si pacem pectoris integram seruare cupitis. Cumque ipsi vos alloquuntur, breuiter, benignè tamen, eis vel ita, vel non respondeatis. Si id alij indignè ferant, nihil vos moueat, sed hilariter atque libenter id Dei amore patiamini. Multo siquidem præstat, sempiterni Dei amicitia perenni perfrui, omnes illos à corde excludendo, qui in ipsum vos minimè perducant, imò & abducant potius ab illo, quàm omnium creaturarum fauore, dilectione, pace gaudere, & per hæc diuina interim pace præsentiaque longè dulcissima frustrari, nisi forsitan vestris ex animo consilijs morem gerere, sese que ad Deum conuertere vellent. Tales nanque sui possessores ego ipse complures reperi, qui licet extrinsecus magnum quoddam sanctitatis de se specimen præberent, adeò tamen multa proprietate detinebantur, vt quoquo modo, qualibet via eos ad se ipsos reducere conarer, sed æquanimiter ferre non possent: itaque quales ad me venerant, tales recedebant. Sed videant qui eiusmodi sunt, qua conscientia ad reuerendissimum Dominici corporis Sacramentum præsumant accedere. Meo quidem iudicio præstaret, eos non accedere, cùm *rei* efficiantur *corporis & sanguinis Domini*, & diuus Bernardus dicat, Christum manducare non debere, qui non manducetur ab ipso. Manduco, inquiens, Christum, & manducor à Christo. Hæc idcirco dicta sint, dilectissimi, quòd & impensius vos rogatos velim, & in fide Dei vobis consulo, ne cui extrinsecus familiares sitis, nec alicui ad vos præbeatis accessum, cuius vobis fundum perspectum non sit, sed quantum potestis, omnium consortia propter Deum fugiatis, si non plurimum impediri, ac in errorem induci vultis: semperque intus & intra vosipsos permaneatis. Enimuerò tanta iam non lectione modò, verùm etiam auditu consecuti estis, vt si fructum in vobis factura sint, ea sola sufficere queant. Nec quicquam moueant vos plerique, qui verbis quidem fucatis ac sublimibus abundant, sed sublimem ducere vitam nolunt: quin potius interioris hominis vestri sedoli habitatores estote, certe nihil Deo sapere, quicquid ex interiori hoc fundo minimè procedit. Adeoque nec vocales ille preces magnoperè curat, si non ex ipso fundo, aut certè ad minus ex pura intentione in Deum, ex spiritu & veritate tendente fundantur. Sequitur: *Et iudicium tuum tanquam meridiem*  Quæri etiam hîc potest, quodnam sit illud cuiusque iudicium, quod Propheta illuminandum dicit. Nimirum illud est, quo se omnino iudicat, sicut Apostolus ait: *Si nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Sanè quisquis rectè considerat, quàm celsus, quàm nobilis, quàm denique purus homo, necdum creatus, fuerit

Cognitio optima quæ.

Psalm. 36.

Proprietatis vitiũ quantos occupet.

Cõsortia hominũ quàm sint cauenda.

1. Cor 11.

fuerit: & econtra, in quantam iam creatus dissimilitudinem prolapsus sit, quamque vilis effectus, habet, ni fallor, vnde suipsius ipsum misereat, & iudicet semetipsum, imò vnde ad tantam, tamque puram suæ paruitatis cognitionem adduci queat, vt si possibile foret, libens etiam rediret in nihilum. Ex ista nanque defectuum seu vitiorum suorum cognitione incomprehensibile quoddam iudicium atque pressura exurgit. Nemo enim est, qui defectus suos, quales in seipsis sunt, sibi proponi seu exhiberi, salua sensuum integritate, ferre posset, nisi is purus admodum & excellens homo foret, qui tamen miseriam cerneret. Itaque in hoc graui iudicio homine constituto, iudicium illius tanquam meridies fit. Vt enim æstiuo tempore sol plena virtute radians, si nullis cæli nubibus calor illius temperaretur, nimio æstu suo herbas, gramina, & quæque terræ nascentia adureret: ita & misericordissimus Deus, nisi bonitate sua, quam in eiusmodi electo homine intus micare sinit, horribile & asperum hoc iudicium suique annihilationem temperaret, ea nulla ratione posset sustinere. Ita semel accidit cuidam, vt in seipso quodam vehementissimo ac immenso ardore succensus, in quandam raperetur claritatem, vt se conflagrandum omninò, imò & in nihilum redigendum, arbitraretur. Sed immodicum hunc æstum diuinam in ipso clementiam temperare oportuit. Sequitur deinde: *Subditus esto Domino, & ora eum.* Oratio hæc, dilectissimi, nihil aliud est, quàm subiectio quædam, quæ cum interno, &, vt ita dixerim, obiectali ac rationali seu intellectuali spiritus adspectu fiet, ita videlicet, vt homo cum vniuersis defectibus & vitijs suis, proprioque nihilo sub immensæ ac excellentissimæ Dei maiestatis portam sese collocet, vbi nimirum Deus ipse cum infinita misericordia sua promanat, & ibi virtutes omnes cunctaque bona opera sua, quæ impræsentiarum habet, eidem humiliter offerat, atque cum his sub illa sese collocet porta, vbi Deus æternus per modum perennis bonitatis ac suauissimi amoris sui, iugiter in omnes illius capaces homines largissimè profluentis, emanat. Hîc iam voluntas prorsus captiua ducitur, adeoque subijcitur Deo, vt ad omnem illam, quam Deus illi euenire volet, miseram, desolatam, egenam sese funditus resignet obscuritatem, parata eam vel ad extremi vsque iudicij diem perpeti, si ita Domino visum fuerit. Nec aliud omninò, nisi hoc à Deo petere ac desiderare debebit. Hîc verò quanta lux, quantum gaudium, quæ exultatio oriatur omnibus illis, qui in hoc exercitio siue modo ad finem vsque vera cum humilitate patientiam seruârunt, animoqúe benigno sustinuêre, cùm hæc omnem humanum excedant intellectum, quis verbis explicare sufficiat? Hîc planè vera charitas ipsam se cum potenti virtute sua manifestat, sicut D. Ioannes inquit: *Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Ista lux & hęc vita, quę ipse homo ab æterno secundùm ideam in Deo fuit, istic in eiuscemodi homine lucent atque coruscant, nec à tantæ gratiæ largitione sese Deus continere valet, quippe cuius hæc æterna ordinatio est. *Et lux in tenebris lucet.* Hæ nimirum tenebræ ea Dei caligo sunt, ad quam sacer ille Dionysius nos manuducit, quamq; subijsse Mosen legimus. Hîc prorsus meridies oritur, id est, ardentissimus amor Dei: atque hîc demum vera discretio & sapientia vera generatur: tantùm curet quisque, vt eas modò diligenter obseruet, & consequatur. Veniet enim tempus, cùm à Doctoribus instrui homines desiderabunt, & obtinere non poterunt. Vnde felices tunc erunt, qui intus vera fuerint discretione præditi. Cæterùm quotquot modò lucem illam

Quis defectus suos æquo animo audiat.

Quid seu quomodo à Deo petendum.

Ioan. 1.

Ibidem.

Exod. 19.

☞

intus

intus adipisci non satagunt, illius tum expertes erunt, & fortè vel æternaliter. Necessarium proinde est, vt quisque rationis oculum ad hunc continuè fundum directum habeat & seruet, vbi Deus in spiritu & veritate adoratur, homo manducatur, conteritur, glutitur, decoquitur, digeritur à Deo, eidemque incorporatur & vnitur, veluti cibus ab ipso sumptus, vnum cum ipso efficitur. Hunc fundum quisquis amat, ipsumque pro viribus sequi desiderat, huic quoties libuerit, ad excellentissimum Christi corporis Sacramentum accedere licebit. Nam qui tales sunt, pergrandem & admirabilem ex sacra Communione in puritate ac veritate diuina profectum & augmentum sortiuntur. Et quoties in hoc exercitio hacque via positum se quis sentit, accedere potest: vbi verò ea postponit, etiam à Communione sacra abstineant, quandoquidem tanta diuini amoris teneritudo est, vt nihil iuxta se diuersum aut dissimile patiatur. Denique hoc modo, charissimi, humilis cuiusque hominis subiectio & oratio ex intimis Spiritus, ipsaque e ratione seu intellectu debent procedere, quibus profectò externæ lectiones orationesque tam similes sunt, quàm cursus sessioni. Totum igitur conatum & vniuersa exercitia sua introrsum in hunc fundum conuertat referatque, nec solis externis sensuum exercitijs immoretur, nisi prius intro sese recipiat. Atque inde tum sua & opera perficiat & exercitia, siue ea de summis ac excellentissimis rebus, siue de dignissima Domini nostri IESV passione fuerint. Maximè verò in sacratissima Christi Iesu vulnera, quæ immensi erga nos amoris illius euidentia signa sunt, singulari cum deuotione vos dilectissimi offerre discitote. Et primò quidem in vulnus sinistri pedis concupiscibilem vim vestram offeretis, imò & sepelietis in eo. Dehinc irascibilem in vulnus pedis dextri. Tertiò voluntatem propriam in vulnus sinistræ manus. Deinde omnem sensituarum virium vestrarum multiplicitatem, in sacratissimum caput illius spinis coronatum atque compunctum, & post hæc rationem siue intellectum vestrum in vulnus dextræ manus immergetis, ea videlicet intentione, vt sempiternus Dei Filius, Deus ac Dominus noster IESVS Christus, vos dirigat ac instruat, interioremque hominem vestrum diuina virtute sua regat ac moderetur. Tum verò cum vi amatiua seu affectiua in diuinum, patulum ac amorosum Domini nostri cor deuotissimè confugietis, eo nimirum desiderio, vt ibi vos perfectè secum vnire, amorem ac intentionem vestram ab omnibus, quæ ipse purè & essentialiter non est, funditus auellere & abstrahere, vosque totos cum vniuersis & externis & internis viribus vestris in se trahere, rapere, absorbere dignetur: idque per sacratissima vulnera & amarissimam passionem suam: quæ quidem omnia interno cum feruore ac studio exercere curabitis. Ab hoc verò exercitio nec ætas nec infirmitas quenquam excusat. Omnes illud, modò velint, Christi opitulante gratia, peragere valent. Quamobrem iterum atque iterum vos oro, charissimi, vt dum dies est, hoc ambulare ac terere discatis iter, antequam occludatur ac subtrahatur notitiæ vestræ. Credite mihi, si id vnquam necessarium fuit hominibus, iam vel maximè est. Præstet nobis omnipotens Deus, vti hanc viam, istaque exercitia ita in hoc fluxo ac incerto tempore prosequamur omnes, quo per ipsa ad verè amabilem & felicissimam Dei vnionem pertingamus. Quæso, dilectissimi, aliquandiu vobiscum manere, vt Verbum Dei, quod modò audistis, intra vos pro salute vestra operetur, ad laudem & gloriam benignissimi & æterni Conditoris nostri, qui est benedictus in secula. Amen.

Cui quoties libeat Christi corpus sumendum.

Quid singulis Christi vulneribus offerendū.

Quo sibi quisque exercitio occupandum.

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

Vt quisque vocationem suam & officium suum, ad quod à Deo vocatus est, attendere, ipsumquê ad Dei gloriam & proximorum salutem ita exequi debeat, vt pax sua sibi integra semper perseueret: & de discretione spirituum.

SERMO I.

Diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. I. COR. XII.



IN Epistola hodierna, dilectissimi, Paulus Apostolus Corinthijs scribens, inter cætera sic ait: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ,* & cætera, quæ ibi enumerat: post quæ subiungit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Multaquê alia deinde ad fidei confirmationem adducit. Olim quidem Spiritus sanctus multa atque stupenda in suis amicis ad teneræ adhuc fidei confirmationem operatus est, vtpote diuersa multiplicis prophetiæ signa, effusionem sanguinis, mortis perpessionem, quæ omnia istis temporibus necessaria non sunt. Quanquam veræ ac viuæ, & per dilectionem operantis fidei non plus hodie plerique Christianæ religionis professores habeant, quam Iudæi siue pagani. Sed Apostoli verba inspiciamus, quæ & tractanda suscipimus. Ait ergo: *Diuisiones gratiarum, ministrationum, operationum sunt. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus. Sicut enim,* quod omnibus notum est, *vnum* idemquê *corpus membra multa,* pluresquê sensus *habet,* vt verbi gratia, oculos, aures, os, nasum, manus, pedes, crura, &c. *vnumquodque* autem membrum suum officium suumque peculiare habet opus: nec aliud alterius sibi nomen vel officium vsurpat, nec aliud esse quærit, quàm ipsum Deus esse voluit: ita & nos omnes vnum corpus, & inuicem membra sumus: huius autem corporis caput est Christus. Et in isto similiter corpore magna est membrorum diuersitas, dum alia oculi, alia aures, alia manus, alia pedes, alia os, & alia denique alia atque alia membra sunt. Et oculi quidem huius corporis Doctores sunt: quod nihil ad vos attinet. Quotquot autem vulgares homines Christiani sumus, diligenter aduertere debemus, quod sit officium nostrum, ad quod à Deo vocati sumus, quæ gratiæ siue donum, cui nos accommodauit applicuitquê. Quælibet enim ars & quodque opus, quamuis humilima, quamuis extrema sint, dona sunt, gratiæ sunt, *quæ omnia operatur vnus atque idem Spiritus* ad hominum vtilitatem. Adferamus, exempli gratia, quædam vltima in medium. Alius nendi peritus est, alius sutoriæ artis gnarus est, alius in exterioribus feliciter versari nouit & lucrum facere. Hæc autem multi non habent. Sunt ergo omnia hæc, dona quædam & gratiæ, quæ Spiritus Dei in hominibus operatur. Et ipse quidem, si sacerdos non essem, & in aliqua congregatione degerem, magnum beneficium arbitrarer & deputarem in lucro, si calceos conficere nossem, eosquê libens omnibus confratribus meis conficerem, sed & victum meum lubens manibus quærerem. Cæterùm manus aut pedes oculi esse velle non debent: sed suum quis-

Cur mirabiliora, quam nũc fiãt, olim facta.

Oculi.

Quamuis artẽ, Dei donum esse.

Suũ cuiq; officium, non alius

quisque officium, ad quod à Deo vocatus est, quanlibet vile & sordidum sit, tenere & exequi debet. Sunt qui egregiè cantare sciant: isti Psalmos suos decantabunt & hoc quoque Dei donum est. Itaque Augustinus ait: Deum, vniformem, diuinam, simplicem essentiam esse, & tamen omnem operari multiplicitatem, esseque ipsum *omnia in omnibus*, vnum in omnibus, & omnia in vno. Nec est aliquod tam paruum opusculum, aut ars tam exigua, tamque vilis & abiecta, quin à Deo donetur, cuius & singulare beneficium & gratia est, eamque alius alij minus illam assecuto impertiri, atque in aliorum vsus conuertere debet, & ex amore gratiam dare pro gratia. Quisquis enim dona sibi collata, in aliorum vsus minimè expendit, certum habeat, multam se Deo rationem redditurum: sicut Euangelium testatur, vbi Dominus à villico *rationem* exegit *villicationis* illius. Enimuerò quæ à Deo recepit quisque, alijs reddere debet, vbi potest, sicut à Domino collatum est illi. Quum ergo officia omnia à Deo sint, quid causæ est, obsecro, quòd omnes hodie conqueruntur à suis se officijs impediri, quando nulli Deus aliquod præstat impedimentum? Vnde, inquam, hæc conscientiæ accusatio, perturbatio, reprehensio, quum à Dei spiritu sint officia? Ergóne opera ipsa vel officia hanc perturbationem in homines adducunt? Minimè. Quid ergo? Ipsa eorum inordinatio, qua opera faciunt. Si enim opera sua, vt deberent, exequerentur, nihilque in eis suum, sed Dei solius gloriam quærerent, nec hominibus placere cuperent, nec displicere formidarent, nec aliquid demum vel metuerent vel amarent in eis nisi Deum, non voluptatem neque commodum proprium, sed solum Dei honorem: fieri non posset, vt aliquam conscientiæ reprehensionem paterentur. Et meritò Religiosus quisque erubescere deberet, opera se sua inordinatius ac impurè fecisse, talemque de ipso rumorem spargi, quòd ex suis operibus reprehenderetur. Facilè enim inde aduertitur, opera illa nec in Deo, nec pura intentione, neque ex vero Dei amore & ad proximi vtilitatem peracta. Iam si cognoscere voles, verum solum Deum scopum operum tuorum habueris, aduerte, si pacem quo ad illa habeas, necne. Denique ipse Dominus noster Iesus Christus Martham non ob opera, quæ bona & sancta erant, sed ob solicitudinem illius immodicam reprehendebat. Quando ergo certa alicui opera facienda veniunt & exercitia bona, curam omnem & solicitudinem proijciat in Deum, & ipsa opera cum timore & ingenti custodia suijpsius in silentio perficiat, secumque manens, Deum in illis præsentem habere conetur, & animo sæpius raptim & deuotè ad Deum introuerso, seipsum obseruet, attendens vnde ad illa opera facienda moueatur impellaturque. Sed & hoc cuique studiosius curandum est, vt intus diligenter auscultet & obseruet, quando à Spiritu sancto vel quiescere vel operari, id est, vel otio contemplationis, vel actionis negotio se tradere monetur: & promptè vtrumlibet sequatur, ac modò agat, modò quiescat ex sancti Spiritus institutione & instinctu: sicque opera sua dulciter & quietè exequatur. Quòd si in monasterio senex aliquis viuit infirmus, debilis, & qui sibijpsi seruire non posiit, huic cæteri certatim occurrere debent, adeoque alius alium præuenire velle in exequendis operibus charitatis, vt sic *alter alterius* portet *onera*. Quod qui possunt, vtpote vires consequuti à Deo, & nolunt: certi sint, quòd Deus omnipotens, ablata sibi hac facultate & occasione, ablata virtute & gratia, quam mereri potuissent, alijs hæc offeret, qui & velint & possint ipsius exequi voluntatem. Porrò in opere ali-

exequendum.

Sua quæque dona alijs communicare debere.

Lucæ 16.

Lucæ 10.

Senibus & infirmis quo studio inseruiendum.

quo constitutus, si intus à Deo moueri te sentias, hanc motionem in ipso operé suauiter obserues, discasque Deum habere in operibus tuis, non autem statim fugias opere relicto. Denique hac ratione sese quisque in virtutibus exercere discat oportet: necessaria est enim exercitatio omnibus saluari cupientibus. Nec est quòd speret aliquis virtutes sibi absque labore à Deo tribuendas. Vnde nec vlla vnquam virtutibus inexercitatis adhibenda fides est, adeò vt si Pater & Filius & Spiritus sanctus in aliquem promanaret, non magnifaciendum esset, nisi externa vel interna exercitatione id assequutus sit. Vir quidam bonus flagellabat pertica frumenta sua, & in ipso labore raptus in spiritu, nisi Angelus flagellum tenuisset, seipsum dirè verberâsset. Quid ad hæc dicitis, qui omnes otio vacare vultis? singuli oculus esse appetitis? omnes contemplationi, non actioni, insistere cupitis? quod vt plurimum ex vestra acedia nascitur. Equidem noui summum quendam Dei amicum, qui omnibus vitæ suæ diebus, annis plus quadraginta, agriculturæ operam dedit, & etiamnum agricola est: qui cùm vice quadam è Domino sciscitaretur, vtrum huic labori renuntiare deberet, & in templo quietus sedere, responsum est illi à Domino, quòd minimè, sed panem & victum sibi sudore suo pararet ad honorem pretiosi sanguinis sui. Cæterùm hoc vnicuique vel maximè profuerit, vt infra diem ac noctem tempus sufficiens & opportunum eligat, quo se in fundum suum recipiat atque demergat quisque pro modulo & consuetudine sua. Perfectiores ac illustriores quique, qui purè, absque formis & imaginibus sese ad Deum conuertere nôrunt, suo modo facient, & alij itidem suo. Singuli tamen ad minus hora vna in hoc sese exercebunt. Non enim omnes oculi esse valemus. Cæteris horis ac temporibus quique bonis exercitijs pro Dei voluntate benigno incumbent animo, qualia eis Deo disponente obuenerint, idque cum ingenti dilectione & pace multa. Qui enim Deo pro illius voluntate famulatur, illi Deus pro ipsius voluntate respondebit. Quisquis autem Deo pro suo seruit arbitrio, illi non pro eius, sed pro sua Deus voluntate rependet. Ex hac propriæ voluntatis abnegatione pax essentialis oritur, quæ ex virtutibus exercitatis generatur. Falsa autem pax est, quæcunque sine virtutum exercitatione sentitur. Vnde necesse est intus & foris quenque exerceri, si veram cupiat pacem assequi. Et hanc pacem, quæ intus nascitur, nemo facilè eripere potest. Sed ecce veniunt nasuti quidam, & omnia pro suo capite disponunt, omnes pro suo iudicio & sensu instituere ac moderari volunt. Hoc, inquiunt, ita esse oportebat, & hoc ita. Et isti interdum quadraginta & amplius annos in religioso habitu & specie transegerunt, & vsque hodie necdum statum mentis suæ nôrunt. Fateor, quia multo me audaciores sunt isti. Cùm enim Doctoris fungar officio, quando tamen alicuius confessionem recipio, quomodo habeat & quonam modo in peccata collapsus sit, inquiro, quibus auditis, adhuc sententiam ferre non ausim: sed ad Deum confugio, qui si mihi consilium non subministrat, ipsi homini dico, vt ipse à Deo consilium petat, & ille sibi dabit. Isti verò superciliosi quenque iuxta suos ritus & pro suo capite iudicare volunt: quo fit, vt vermes bonas quasque herbas, quæ in Dei horto crescere debebant, miserabiliter depascant. Sed aiunt: Non hæc nobis consuetudo est, nouus quidam hic nouorum spirituum modus est: nec recogitant secum, occultas secretioresque Dei vias sibi prorsus ignotas esse. Ah quàm malè agetur olim cum multis, qui iam omnia sua salua arbitrantur. Sed ad Apostoli verba redeo-

Exercitatio quibus & quam necessaria.

Paradigma.

Aliud.

Labori cuiusque sua merces adæquanda.

Pax falsa.

redeamus: Ait enim: *Alij per Spiritum datur discretio spirituum.* Quinam, obsecro, 1. Cor. 12.
sunt illi, quibus discretio spirituum à Deo donatur? Hi planè, qualesquales sunt, modis omnibus per carnem & sanguinem exercitati sunt, tentationesqúe omnes grauissimè ac horrendè ipsos penetrârunt, dæmon quoque ipsos pertransijt, & ipsi dæmonem: ossa denique & ossium medullæ perexercitata sunt. Et isti discretionem spirituum habent. Si enim animum applicare velint, mox vt homines adspiciunt, ipsorum spiritus cognoscunt, vtrum ex Deo sint, necne: quæqúe compendiosiores ad perfectionem viæ sint, & quidnam eos inde retrahat impediatqúe, liquidò cernunt. Heu quàm miserè ac damnabiliter multi per friuola quædam & vilissima, à proxima nos & excellentissima veritate impedimus & innumera bona negligimus, quibus & in omne æuum carituri sumus: quicquid enim modò negligimus, certum est nunqnam nos recuperaturos, quandiu Deus durârit. Præstet nobis Dominus Deus, vt ministeria & operationes, quas à Dei Spiritu edocti & consecuti sumus, pro eiusdem Spiritus intentione exequamur perficiamusqúe, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Quanta temporis rati habenda.

DOMINICA EADEM.

De duplici hominum genere, qui vtrique per propria voluntatis negotiationem cum creaturis commercium habent, & alij noxia pace gaudent, alij econtrà perturbationibus & vexationibus agitantur. Et vnde colligere liceat qui electi, qui reprobi sint. Ad extremum, de verbo Dei, vt ipsum homini fructum adferre queat.

SERMO II.

Cùm appropinquasset Iesus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam. LVCÆ XIX.



IN illo tempore: Cùm appropinquasset Iesus Hierusalem, *videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu: & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum est, Quia domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo* Hæc ciuitas, dilectissimi, super quam Dominus fleuit, primò quidem sancta Ecclesia, seu vniuersa Christianitas est. Secundò corda secularia, seu homines huic mundo deditti, quos Dominus deplorauit, sicut & meritò omni sunt lachrymarum fonte plangendi, imò nunquam satis defleri possunt, eo quòd neque sciunt, neque cognoscere volunt tempus visitationis suæ. Quod vtinam cognoscerent. Sed prorsus recusant, & magna pace perfruuntur. Quando Dominus super Hierusalem fleuit, tranquilla ibi erant omnia, & gaudio ac pace multa illius vrbis incolæ fruebantur. Quos autem alios nobis isti significant, nisi eos omnes, qui iuxta desideria & pro voluptate sensuum externorum infeliciter viuunt? Isti

Ciuitas à Christo defleta quid.

Pace mūdana qui gaudeāt. enim pace magna gaudent, quando bonis omnibus affluunt, vt verbi gratia, dominio, cognatis, amicis, rebus temporalibus, honore, & id genus alijs, quæcunque pro sui cordis voluptate appetere queunt, in quibus adeò securi sunt, tantóq; abundant gaudio, ac si perenniter in hoc seculo victuri essent. Interim confitentur quidem & orant, & omnia sua salua arbitrantur. (Absit autem, vt aliquis verbo vno, malè cum ipsis agi, illis indicare attentet. Tunc enim penitus desperationi se traderent.) De sua nanque iustitia præsumunt, & in hac securissimi esse volunt. Sed quid post hoc gaudium, post hanc pacem & securitatem subsequetur? *Circundabunt* eos *inimici* ipsorum, *& coangustabunt* eos *vndique, & non relinquent in eis lapidem super lapidem.*

Inimici coangustaturi. Cùm enim tempus visitationis aduenerit, quo Deus ipsos visitabit, quando ex hac vita decessuri sunt, tartarei spiritus crudelissimi animarum hostes aduolabunt, & vndique miserrimæ desperationis fouea eos cingent, ita vt quoquò versum fugere velint, in ipsam eant præcipites, nec vnam saltem de Deo cogitationem concipere possint. Et hoc satis dignè: quando nunquam Deum per dilectionem intra se suscepêre, nec illum pro fundamento, cui niterentur, cuique superstruerent, habere voluerunt: nec alia denique eis cura fuit, nisi vt suis vacarent voluptatibus, & affectibus indulgerent. Euerso autem per dæmones fundamento ipsorum, pax itidem omnis, quam illi superstruxerant, non potest non corruere. Cui deinde tam intolerabilis, æterna, ac perpetuis temporibus duratura perturbatio succedit, vt hanc meritò omnes formidare, & non flere modò, sed etiam ex illius consideratione tabescere, mentis defectum incurrere, & sanguineas etiam lachrymas vbertim effundere debeant & possint. Neque enim sine magna causa Dominus fleuit. Nam & plangendum satis erat, & etiamnum est, quòd miseri hæc aduertere nolunt, quomodo Dominus tunc ait: *Quia si cognouisses, & tu,* subaudi fleres vtique. An non co-

1.Ioan.2. piosam lugendi materiam præbet, quod apud Ioannem legimus: *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ?* Quale autem de his quandoque iustus iudex iudicium feret, vtinam intelligere possetis: vtinam metuendi illius iudicij & perturbationis, quam nulla vnquam pax sequetur, cunctis mortalibus pauendum cognosceretis diem. Hæc autem non vt mea, sed vt D. Gregorij (cuius etiam sunt in Homilia) dicta suscipite. Deinde *templum ingressus* Dominus, *cœpit eijcere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum est. Quia domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Spelunca latronum ex tēplo facta qd. Attendite quæso, dilectissimi mei. Quodnam, putamus, est templum illud siue domus Dei, quæ latronum spelunca facta est? Nimirum anima & corpus hominis, quæ magis propriè templum Dei sunt, quàm quæcunque materialia

1.Cor.3. templa vllis vnquam temporibus constructa, sicut Apostolus ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Hoc templum vbi Dominus subire parat, in speluncam latronum & negotiationis domum versum est. Quid est autem emere? quid vendere? Solent homines frumentum quod habent libenter commutare vino

Negotiatores. quo carent, & ita fit cōtractus quidam. Qui sunt autem negotiatores? Qui commutant merces quas habent illis quas non habent. Quum verò nihil æquè proprium sit hominum, quàm libera voluntas, hanc transeuntium rerum, qualescunque demum sint illæ, voluptatibus immutant. Hinc, verbi gratia, in cibo, in potu, in vestibus, in ornamentis, in vana suijpsius complacentia, in hominibus alijs vbicunque possunt, oblectationem quærunt. Et vt magis mireris, tan-

dem

dem etiam amasium vel amasiam expetunt. Eià, inquiunt, Domine mi, nihil obesse poterit: dilectio spiritalis est, qua mutuò nos prosequimur: remittendus interim animus est: planè his neque possumus neq; volumus fraudari. Ergo certi estote quicunque huiusmodi estis, ita vos mercari, quandiu his sponte per liberi arbitrij consensum inhæretis, quòd interim Deus magis ac magis alienus, extraneus & remotus vobis efficietur. Vt enim D. Bernardus ait, tam tenera est diuina consolatio, vt nullo modo subsistat, vbi aliena admittitur. Sed dicunt: Eia Domine, Religiosi sumus, & in religione viuimus. Esto: verùm quantis volent cucullis tegantur, nisi professioni suæ & his, ad quæ tenentur, faciant satis, nihil eis proderit. Olim quidam fraudem fecit, & cucullum induit, fraude retenta: & ecce diabolus accessit, & miserum in mille frusta discerpens, cucullo integro relicto videntibus cunctis, eundem cum anima & corpore abduxit. Quanto igitur mundus hic huiusmodi negotiatoribus, tam apud sacerdotes quàm laicos, religiosos æquè vt seculares, apud Moniales & Monachos, plenior est, tanto vos, charissimi, deinceps solicitius vosmetipsos custodite. O quanta hîc dicendi materia suppeteret, si persequi liberet omnia, quàm videlicet multi hodie propria voluntate abundent: abundent, inquam, imò & superabundent. Vnde paucos hodie viros fortes inuenire est, qui Deo vacare & viuere velint: si qui verò id faciunt, penè omnes fœminei sexus sunt, fragiles mulieres. Omnes enim [illegible] naturæ ac propriæ voluntati suæ dediti sunt, & per hæc in omnibus [illegible] sua quærunt. Quòd si cum Deo negotiari vellent, eiquè suam offerre non [illegible] voluntatem, feliciter admodum negotiarentur. Et quid, obsecro, [illegible] tione lucri reportant? Nimirum aliud nihil, quàm perpetuam [illegible] nem & perturbationem. Attamen melius cum istis agitur, quàm cum [illegible] illis, dum malè torquentur & cruciantur, quod eis salutis causa est: per hoc enim seruabuntur, quod alijs minimè continget. Sunt namque in continua perturbatione & afflictione constituti. Ita enim & Augustinus ait: Iussisti Domine, & sic est, vt omnis animus inordinatus, pœna sit sibijpsius. Ergo & isti multum vexantur, & nesciunt tamen ipsi, quid sibi desit. Nihil autem aliud in causa est, nisi quòd templum ipsorum negotiationibus plenum est, quodquè ipsi se relinquere, abnegare, & exire nolunt. Porrò quamlibet aliquis multa relinquat, quamuis patri, matri, cognatis, amicis, hæreditati, & rebus proprijs renunciet, nisi tamen & seipsum deserat, nihil illa ipsi contulerint. Adeò namque & seipso & propria voluntate absolutus & nudus quilibet esse debet, vt erat quando ex Deo profluxit. Sed dicet fortasse aliquis: Multa sibijpsi homo impendere habet, & indiget multis. Ecce enim cibum potumquè sumere, loqui, audire, videre, & id genus alia multa facere cogitur, quæ tamen omnia imagines adducunt efficiuntquè. Verum est, & inficias ire non possum: sed in his omnibus, & in omni actione & dimissione sua solum Deum quærere, solum Deum intendere curet. Hoc vbi fecit, imagines huiusmodi actuum & rerum ex integro relinquat, adeoquè templum suum ab illis omnibus euacuet, ac vacuum conseruet, quasi nunquam illa inchoasset: sicquè cum sponsa in Canticis ex sententia dicere poterit: *Lectulus noster floridus*, id est, cælestium imaginum & cogitationum plenus. Enimuerò si euacuatum esset, ô homo, templum tuum, si omnis inde exclusa & profligata negotiatio, si omnes phantasiæ, quæ ipsum occupant, eliminatæ forent: iam Dei templum fieri posses, quod alioqui frustra speras, facias licet:

Negotiatorum voluptuosorũ status.

Paradigma.

Virorum fortium raritas quanta.

Sua relinquere, nõ se, in pro fit.

Cant. 1.

quicquid voles: iamq́ vera cordis pace & exultatione potireris, ita vt nihil deinceps te perturbare possit ex his, quæ modò sedulò te perturbant, & multarum tibi pressurarum afflictionumq́ue occasio sunt. Sic in Ezechiele scriptum reperimus, vt Dominus Prophetam illum iusserit fodere templi parietem, & ingredi. Quod cùm ille fecisset, vidit, *Et ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum*, de quibus per alium Prophetam clamat Dominus: *Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel?* Quid enim templum varijs imaginibus depictum, nisi hominem animi inordinati designat, qui proinde multiplici inordinata tristitia vexari habet? Hinc autem electi à reprobis ita discernuntur, quòd electi in rebus inordinatis perfecta gaudere pace & quiete non possunt. Et licet nonnunquam excedant grauiter, diuinis omnibus penè valefaciant, ac in seipsis quadam mentis ariditate tabescant, magno tamen perpetuoq́ue timore continuoq́ dolore & acerbo conscientiæ remorsu cruciantur, quando ad sese redeunt, quod vtique facit Spiritus sanctus, sicut scriptum est: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Itaque tandem aliquando veram de peccatis suis contritionem & dolorem concipiunt, & vanam inordinatamq́ue vitam suam deplorant, sicq́ ad extremum salui fiunt, licet interdum diu ipsorum protrahatur conuersio. Hoc autem immensum quoddam & ineffabile diuinæ pietatis beneficium est, quod cui præstatur, felix admodum est, dum sic vel intus vel foris admonetur. Cæterùm eò, proh dolor, ventum est, vt alia oporteat ratione vti. Ea namque ferè omnium peruersitas est, vt doceri vel præmoneri nolint, nec concionantem æquanimiter ferre queant. Iamq́ multis in locis ista pietatis cessant officia. Vnde vobis dilectissimi prædicens, hortor & obsecro, vt quandiu verbum Dei auscultare vobis licet, ipsum minimè negligatis. Incertum est enim, quamdiu illud habituri sitis: idcirco dum præsto est, in vestros ipsum vsus conuertite. Nec sufficiat aure cordis illud percepisse, sed potius intellectu ipsum suscipite, vt quod forinsecus auditis, intus capere possitis. Nam pauci illud, proh dolor, vt oportet, intelligunt. Cuius hæc potissima causa est, quod in sola sensualitate hæret, non intro suscipitur, non ipsas penetrat medullas interiores. Et hoc vnde accidit, nisi quòd via, per quam ipsum ingredi oportebat, alienis imaginibus occupata, impedita & obsessa est, ita vt ad verum locum suum illi pertingere non liceat. Et reuera nisi imagines istæ remoueantur, nisi extraneæ voluptates & oblectamenta, & formæ seu species creaturarum abscedere cogantur ac eliminentur, veritas ipsa minimè capietur. Et quamuis hodie & cras itidem, & alijs quoque vicibus eadem dicatur veritas, semper tamen cum amore & diligentiâ multa auscultari debet. Semper enim noua quædam veritas latet, quæ semper inueniri potest, & nunquam tamen satis intelligitur. Illi autem maximè omnium capiunt, qui mundis ac denudatis mentibus auscultant. Nam qui necdum nudati sunt, ex his quæ audiunt, multa non capiunt, & multa sine fructu illis abeunt. Ratio est, quia in solis sensibus & phantasia, quæ audiunt, hærent, & ob impedimenta superius dicta, ad suum proprium locum minimè pertingunt. Quòd si hæc impedimenta remouerentur, si negotiatores omnes exterminarentur, si denique templum euacuarentur, illicò domus Dei fieret, quam ille præsentissimus inhabitaret. Superest nobis, vt quid oratio, quid item orare sit, explicemus. Sed hoc alteri Concioni seruamus. Præstet nobis Dominus Deus

Ezec.8. Iere.18. Rom.8.

Peruersitas hodierna quanta.

Cur verbū Dei in paucis fructificet.

Qui maxime capaces verb. Dei.

Deus, vt sic negotiatores omnes profligemus, abdicemus, deseramus, vt domus nostra grata & accepta illi fiat, qui est benedictus in secula. Amen.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

Vt se quisque aptare ac præparare debeat ad crebram Communionem. Et vt in congregatione positi, amabilem vitam gerere, atque in vera humilitate in proprium nihil suum sese demergere debeat.

SERMO VNICVS.

Duo homines ascenderunt in templum vt orarent. LVCÆ XVIII.



SICVT ex Euangelica lectione didicistis, charissimi, *duo homines ascenderunt in templum vt orarent*, quorum *vnus Pharisæus, alter Publicanus erat*. Itaque primò videndum, quodnam sit hoc templum, in quod orationis gratia ascenditur. Hoc autem est superamabile ac intimum animæ fundum, quod beatissima Trinitas amabiliter inhabitat, in quo nobiliter & excellenter operatur, in quod omnes thesauros suos abundantissimè congessit ac reposuit, in quo commorari deliciæ suæ sunt, & in quo denique ludit, præclarissimaqúe perfruitur imagine & similitudine sua. Huius templi nobilitatem & dignitatem nemo satis explicat. Ad ipsum verò orationis gratia pergendum est. Vt autem oratio ritè fiat, duos pariter ascendere oportet, exteriorem scilicet & interiorem hominem. Hos ambos, inquam, oportet ascendere, id est, & supra seipsos, & super omnia ferri, & ita ingredi in hoc templum. Quicquid enim exterior homo sine interiori precatur, aut nihil aut parum vtilitatis adducit. Cæterùm ad huius veræ orationis profectum nihil æquè facit, nec aliquid vtilius & copiosius illam promouet, quàm preciosissimum Domini Saluatoris corpus opportunè sumptum, cum omnimoda sui per illud renouatione & regeneratione. Vnde non immeritò vberes ac singulares Deo gratias, dilectissimi, referre debetis, quòd iam crebrius ipsum vobis percipere licet, quàm olim permittebatur: & curate, obsecro, vt hæc gratia præ omnibus in vsus vestros referatur à vobis, nec sine fructu abeat. Ea namque hisce temporibus naturæ fragilitas est, & in diuersa vitia & lapsus pronitas, vt satis superq; necessarium sit homini præsidium aliquod & auxilium singulare, quo retrahatur à vitijs, & in bono conseruetur, lapsusqúe erigatur: & hoc maximè omnium, hæc diuina & saluberrima est esca. *Vnus* autem ex his, quos Euangelium introducit, *Pharisæus erat & alter Publicanus. Hic à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori*. Et hic felix abscessit. Vtinam & ego ipse in veritate facerem semper, quod iste Publicanus fecit, vt mentis oculis propriũ nihil semper aspicerem, quæ nimirũ præclarissima simul & vtilissima omnium ad perfectionem via est, vtpote quæ Deum in hominem semper sine medio adducit & incorporat. Quocunque enim Deus cum sua misericordia venit, eò simul cum tota essentia sua, & totus ipse venit. Est autem inuenire quosdam, qui instar huius Publicani, ex agnitione peccatorum suorum confusi, à Deo & huius dignissimi Sacramenti Communione fugere moliuntur, dicentes se non audere ipsum percipere. Sed quicunq; talis es, obsecro ne trepides: quin potius tanto libentius ac

cede,

Templũ.

Oratio qui rite fiat.

Ad orationis profectũ quid maximè conducat.

Via ad perfectionem vtilissima quæ.

Humilitatis quæ-

dammodo omniq. erectio. cede, certus quòd peccata per hoc tolluntur, dicasque ad Dominum: *Festina venire, priusquam moriatur* in peccatis anima mea. Cùm enim ex vitijs infirma sit, necesse est vt citò venias, priusquam omnino moriatur. Certè si quem huiusmodi Publicanum scirem, qui se in veritate peccatorem crederet atque sentiret, & cum vera humilitate melior fieri cuperet, reuerentiali quoque foret timore praeditus, & pro gratissima Dei voluntate suam instituere vitam conaretur, atque ad extremum à creaturarum affectibus & amore inordinato pro virili sese auerteret, huic ego cum bona conscientia semper alternis diebus Christi Iesu Saluatoris nostri venerabile corpus securè porrigerem. Et hoc sacrae Scripturae authoritate probari potest. Quando enim sacro Baptismatis fonte immersi, & Deo confœderati sumus, omnes ad hoc sanctissimum Sacramentum ius acquisiuimus, quod nec creaturae omnes eripere nobis possunt, nisi ipsi nobis illud auferamus. Nec perinde necessaria est, dilecti in Christo fratres atque sorores, magna sensibilis deuotio, satis est, nullius sibi mortalis peccati conscium esse, & ad meliora niti, casto quoque, humili & reuerentiali timore sic esse praeditum, vt huius perceptione Sacramenti indignum te fatearis. Hoc vti satis est, ita nihilominus & perquàm vtile ac necessarium est. Planè sic affecto, & absque grauibus peccatis perseueranti, admodum necessarium fuerit, hoc interim praeclarissimo cibo refici. Haec enim esca magis ac magis hominem ad vitae spiritalis iter trahit. Non ergo facile ea de causa abstinere debetis, quòd vitiosos seu defectuosos vos esse conspicitis quinimò tantò amplius ad hanc gratiam properandum est. In hoc enim Sacramento omnis virtus & sanctitas, omne solatium & auxilium, & vniuersa suauitas consistit, & ab illo procedit. Caeterum nec qui accedunt, illos qui abstinent: nec rursum illi qui nō accedunt, illos qui crebrius sumunt, iudicare debent. Nam secundùm Augustini sententiam, nemo alium, quicquid etiam agat, iudicare debet, nisi fortè quem Ecclesia vel spirituali vel seculari damnauit iudicio. Porrò qui & foris & intus superbum, & elatum prae se fert animum, atque creaturarum ipsum impedientium affectibus inordinatis sponte perpetuoque deditus est, vtrum hic dignè accedat, ipsius iudicio relictum esto: vtrum vnquam securus id agat, ipse viderit. Vos, charissimi, ista iudicare fas non habetis, ne, quod absit, Pharisaeo illi hypocritae similes efficiamini, qui mentis superbia tumidus & inflatus, Publicanum longius stantem iudicabat. Quaeso, huiusmodi iudicium vt sempiternam animarum vestrarum perditionem cauete. Non autem terrorem aliquem vobis ingerat, si qui culpas & defectus vestros grauiter vobis obijciant. Hunc potius periculosissimum temerariae iudicationis lapsum, quantum potestis, fugite. Ante annos aliquot, cum quosdam sanctiores fratres conspicerem. Ordinem nostrum destrictius obseruare, libens & ipse similiter fecissem: sed Dominus minimè permisit, quando me nimis infirmum esse sensi. Timebam quoque, me per vanam complacentiam Pharisaicum morbum incidere posse. Vos autem nihil terreri debetis. Adeò namque fidelis est Dominus Deus noster, vt saepenumerò etiam bonae voluntatis hominem in notabili aliquo defectu toto vitae illius spatio permittat, vt inde non modò in seipso, sed etiam in oculis eorum quibuscum viuit, humilietur, & per ipsum ad proprij nihili sui agnitionem deducatur. Nemo ergo propter defectus suos abstinere debet: sed cum gaudio potius & amore accedat, & dicat: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum* cordis mei: sed tamen de sola

Quid deuotionis sufficiat.

Quid aut iudicandum, aut non iudicandum.

Authoris nostri cōfessio.



Matth. 8.

ac sola immensa misericordia tua, & opulentissimo meritorum tuorum thesauro confisus, ecce venio ad te. Video enim Domine deesse mihi contritionem, amorem, gratiam, & hæc plenissimè apud te in hoc Sacramento tuo inuenio, in quo etiam virtutes, desideria & bona cuncta reperiuntur. Enimuero, dilectissimi, vitia, peccata, & pessimi mores, ob quæ cælestis Pater olim temporibus beati Dominici Patris nostri, tam grauiter iratus fuit, vt mundum vellet delere vniuersum, quod tamen eiusdem beati Patris nostri precibus placatus minimè fecit, hæc iam mala repululârunt. Quamobrem nescimus, quid nobis euenturum sit: satis autem necessarium foret, si quem modum excogitare possemus, quo misericordem Dominum ad pietatem inflecteremus. Talis autem vel hic maximè omnium fuerit, vt relictis, postpositis & abdicatis omnibus, intus se quisque deuotissimè vniat cum Deo in hoc suauissimo Dominici corporis Sacramento. Itaque fratres & sorores, imò & filij mei in Christo dilectissimi, hoc ipsum quæso toto studio facite, quoties id vobis licet, semper tamen opportuno tempore, & animo peruigili ac deliberato, modò ita affecti sitis, quòd Deo libenter puro corde seruiretis: vbi verò ab hac puritate excideritis, doleatis, lubenterquè occasiones omnes, quæ puritati mentis officere queant, pro viribus euitare velitis. Sanè si externis siue secularibus hominibus concionarer, nullo modo hæc eis proponerem, nisi singularis vitæ & gratiæ homines esse certo certius mihi constaret. Hic autem sacer Ordo, in quo & vos similiter vt ego positi sumus, ad quem nos Deus ab hoc seculo nequam & periculoso vocauit, magnæ & dignitatis & celsitudinis res est, vt meritò semper gratissimi illi esse, ipsumq́ iugiter expectare, & illi soli omni cum fidelitate viuere debeamus. Et hanc dignissimam vocationem vestram, quæso, frequenter attendite, & ita viuere curate, vt & vobisipsis & cæteris profectus vester, & quantum vocationi huic satisfaciatis, quem itèm ex sacri Ordinis huius susceptione referatis fructum, innotescat: cuius quidem Ordinis statuta, leges & consuetudines omnes diligentissimè obseruare debetis, non quo frater aut soror senio prægrauati, ieiunijs, vigilijs, aut externis operibus supra vires insistere debeant, sed silentium vestrum omnes locis & temporibus quibuscunque, pro sacri Ordinis institutione seruabitis diligenter: quod nimirum quem fructum, quamq́ adferat vtilitatem, nemo capere, nullus intelligere satis potest. Deinde verba vestra suauia, benigna, pacifica erunt: & si quod asperum seu durum verbum exciderit vobis, absque mora culpam vestram humiliter fateamini, & tam Deo quàm hominibus vos subijcitote. Porrò si quis alius duris vos verbis aggreditur, nihil prorsus ediuerso illi respondeatis, nisi fortè vnum aut alterum verbum, idquè placido ac benigno vultu. Ad hæc, fundum vestrum diligenter obseruabitis, ne quamcunque rem, siue libros, siue indumenta, siue ornamenta, siue societatem humanam, cum delectatione possideatis, vel cum aliqua vestriipsorum seu quorumlibet aliorum complacentia habeatis atque vtamini. Quæcunque autem ordinatè atque secundùm rationem necessaria sunt vobis, siue ea vestes sint, siue pellicia, aut quælibet alia, ea quatenus necessaria sunt, & Deus & Ordo libenter vobis admittunt suppeditantquè. Insuper multa vos inuicem dilectione fraterna prosequemini, & alter alteri humilem subiectionem, amorem, pietatem, non graues ac toruos vultus prætendetis, nec pro quacunque occasione aut re qualibet, quæ inter vos euenire, aut pacem mutuam infringere

Quid misericordiæ Dei promerendæ potissimũ conducat.

Silentiũ Religiosis quam sit diligenter seruandum.

 quear,

quæat, alienos vos inuicem exhibebitis. Præterea in virtuosis operibus, maximè charitatis officijs & obsequijs, vos mutuò exercebitis, ita videlicet, vt amicè vos inuicem offeratis ad charitatis obsequia alter alteri impendenda: idq́ue non vestris tantùm, sed cuilibet etiam infirmo ac seniori fratri siue moniali, quibus & onus ac labor omnis hilariter præcipienda, vel etiam è manibus tollenda sunt, & ipsorum loco facienda. Quod si vestris duntaxat facitis, à Christo mercedem habituri non estis, sicut ipse in Euangelio testatur. Quòd si pro aliquo pietatis exercitio ab alijs irrideri, contemni, & malè tractari vos contingat, minimè vosipsos defendetis, nec ad aliquem querelas deferetis. Silentium vestrum singulariter in choro, sicut & locis omnibus, quibus loqui non est permissum, strictè seruabitis. In Choro etiam, quum illic Dominicum corpus in veritate præsens adsit, multa cum reuerentia, oculis in terram demissis, animoq́ue attento & ad Deum conuerso, in Regis æterni præsentia atque conspectu consistetis. Si enim virgo pudica coram Rege adstaret, certumq́ haberet, illum in se oculos præ alijs defigere, si compos animi & prudēs foret, haud dubiè mores præ se ferret honestissimos, & modestissima ac prudētissima staret. Quàm ergo æquum est, hominem coram Deo ac Domino suo, electissimoq́ue sponso suo, absque intermissione ipsum foris & intus contemplante, cum collectis viribus reuerentissimè semper adstare? Ad hæc, preces Horarias cum ingenti deuotione & animi quanta potestis attentione decantabitis atque legetis. Pro conscientiæ tamen securitate nou eritis sufficere, quod ad præceptũ attinet, si verba integrè dicantur, nec opus est aliquid repetere, quandoquidem verborum prolatione præcepto fit satis, modò sponte non cogitentur ea, quæ verbis lectis contraria sunt. Itaque, sicut Euangelium dicit, *ex fructibus eorum cognoscetis eos* hi sunt, dilectissimi, externi fructus vestri, ex quibus & à vobisipsis, & ab alijs estis cognoscendi. Ab his verò studijs neminem vel ætas vel infirmitas impedit, quando omnibus pronum est, si voluerint, amorem & fidelitatem inuicem exhibere, & patientiam sectari ac mansuetudinem. Licet hæc etiam in lecto, si quem in eo aduersa valetudo detineat, obseruare. Sed & internos quoque fructus vestros hac ratione cognoscetis, vt ab omnibus, quorum Deus vera causa non est, abstracti sitis, & temporis quantulamcunque perditionem, vt virus pestiferum fugiatis: libenter quoque solitudini vacetis, in eademq́ue liberè & expeditè vos Deo vniatis, primò quidem floridam dignissimæ passionis Christi arborem & ad gloriosa vulnera illius, deinde verò ad præclarissimæ diuinitatis eius celsitudinem conscendentes, sicq́ue & ingredientes & egredientes, *plena pascua* inuenietis. Porrò dum talem vitam agitis, dum huiusmodi fructus profertis, hoc dignissimum Sacramentum non absque grandi vtilitate & profectûs vestri incremento, percipietis. Verùm si bonis quibusdam Fratribus aut Monialibus, qui ex timore abstinent, quod etiam bonum est, hic modus non placeat, & hac de causa aduersum aliquid eueniat vobis, aut durioribus verbis pulsemini, quomodo vix bonum aliquod opus agitur, quod non vel comitetur, vel subsequatur aliqua afflictio, hoc dilectissimi mei humiliter & mansueto animo perferetis. Nec inficias eo, bonum quidem esse, ad tempus ex profunda humilitate abstinere: sed multo melius fuerit ex amore accedere. Qui enim ægrotat, medico profectò opus habet, & eo præsertim medico, cuius præsentia, eius sanitas est. Itaque timor humilis non omnino vos absterrere debet, neque retrahere.

Matt. 5.

Status in Choro quis esse debeat.

Preces Horariæ quî absoluendæ.



Matth. 7.

Temporis perditio qui cauenda.



Timorem charitas pellit.

trahere. Quòd enim vitia siue defectus vestri ob oculos vobis ponuntur ac reprehenduntur, manifestum indicium est, hoc venerabile Sacramentum in vobis operatum esse. Enimuerò sicut dum medicina morbum ad exteriorem carnis expellit superficiem, sanitatis futuræ in homine indicium est: sic & quando defectus & vitia hominis, oculis rationis ipsius magna apparent, displicentque, verissimum signum est, sanitati ipsum restituendum. Vnde quisquis talis est, ac talem se esse non fallaciter sentit, quòd libenter pro gratissima Dei voluntate suam instituerer vitam, lubensque iustè ac bene ageret, modò posset, quodque non stupida temeritate, nec cæca præsumptione, nec propria reputatione, nec audacia accedat, sed etiam vnquam se peccasse dolet, hæc omnia iam dicta si comperit adesse sibi, securus accedere potest: imò quò crebrius accesserit, eò melius, vtilius, & maiori cum fructu id faciet. Cæterùm si fortè vel Fratribus vel Monialibus tempore matutino post sacram Communionem fructus immensos ac innumera bona, quæ dignissimum hoc Sacramentum in homine operatur, obseruare non licet, dum secum manere non sinuntur, eo fortasse, quòd vel legere, vel cantare, vel in his quæ aut consuetudo aut Ordinis statuta volunt, conuentum siue ad refectorium, siue alio quouis sequi habent, vel post prandium, vel post Vesperas, vel etiam post Completorium ista obseruent. Aequè enim tunc Dominus operari potest, vt tempore matutino, si tantùm solicitè obseruetur: & hoc venerabile Sacramentum, vbicunque ei præbetur locus, operatur. Iam verò, quod ad veniales quotidianasque culpas attinet, à quibus, dum hic viuimus, omnino liberi esse non valemus, hoc monendi estis dilectissimi, ne multum soliciti sitis, neue perturbemini, si non omnes in Confessione dixeritis: sed Deo ipsas humiliter ac seriò confiteamini, & coram ipso vos vt reos contrito ac deuoto corde accusetis. Illis namque, qui Confessionibus recipiendis adhibentur, nimis multum temporis auferendum non est: & has culpas in genere exposuisse satis est. Nihil enim ex præcepto siue necessariò nisi sola mortalia peccata confiteri tenemur. Venialia autem peccata multis modis delentur, puta Contritione, Dominicæ orationis prolatione, genuflexione, aquæ lustralis adspersione, &c. Quòd si alicui dolor siue Contritio deest, saltem doleat se non dolere: & hoc quoque dolor est, dolere propter dolorem, siue dolere, quòd non doleas. Ita si desiderium & amorem non sentit, desideret amore ac desiderio succendi, diligatque amorem propter amorem. Ante omnia verò charissimi, quod & supra quàm dici queat fructus & vtilitatis habet plurimum, in actuali vos dilectione exercere curabitis, ita videlicet, vt gratias immensas referatis Deo omnipotenti pro innumeris ac multiplicibus bonis, & vobis, & hominibus, Angelisque vniuersis ab ipso abundantissimè collatis: & omnes vires vestras ad contemplanda signa maxima amoris sui, quæ generaliter in cunctis modis & operibus suis, specialiter verò singulis per seipsum in omni vita & passione sua exhibere dignatus est, quantum potestis, intendite & adhibete: atque ediuerso propriam vestram paruitatem & indignitatem propriumque nihil adspicite: simulque cælum & terram, & quæcunque cæli terræque ambitu continentur, vt vobiscum Deum laudare & gratias agere velint, inuitate, quandoquidem ipsi hoc dignè facere non potestis. Huc verò simplici quodam intuitu Christianitatem vniuersam, omnesque tam viuos quàm defunctos, maximè pro quibus orare specialius decreuistis siue intenditis, adducite, atque hos omnes

Quis mo-
sam Do-
mini se-
curus ac-
cedat.

Consueta
deuotio-
nis tēpo-
ra di cre-
te transf-
poni pos-
se.

Quotidia-
na pecca-
ta qui cō-
fitenda.

Que tan-
tum pec-
cata ne-
cessariò
cōfiteda.
Non do-
lenti quo-
modo do-
lendum.

nes intimo cum affectu & desiderio in singularem illum vitæ passionisque Christi amorem offeratis, semper tamen simplici cum intuitu, sicut vel mille homines vnica visione conspicimus. Et hæc mentis introuersio atque oblatio sæpius velut sub momento raptim renouanda est, per eamque simul in Deum actualiter vel intellectualiter cum actuali dilectione refluendum. Quicquid autem vnquam à Deo consecuti estis, nulla cum proprietate vobis assumetis neque arrogabitis, sed totum Deo vicissim ex integro offeretis: neque propterea vosipsos reputabitis meliores, imò non nisi merissimum nihil, & pauperes ac mendicos vos esse sentietis: nec magnoperè inquiretis seu disputando inuestigabitis, vtrúmne ex Deo sit, nécne, quod intus vobis occurrit & exhibetur. Tantùm exiguitatem, meramque inopiam & nihilum vestrum, quod & in veritate estis, attendite, & Deo, quod illius est, relinquite, vestramque vos recipite in originem Deum, sicut & Dominus noster Iesus Christus cum omnibus tam supremis quàm infimis viribus suis, semper in Deum conuersus fuit: quem quisquis in hoc perfectius imitatur, hic optimus esse censendus est. Quamuis autem vel leuissimè vel celerrimè inde deorsum tendatis, fieri vix potest, quin aliquam contrahatis dissimilitudinem & maculam, & à puritate nonnihil excidatis. Tum verò cum ingenti & profundissima humilitate denuò inchoabitis, iterumque in vestram vos originem per momenta raptim demergetis, & hoc per vitam passionemque Christi, per quæ quanto sublimius, tanto & essentialius, diuinius atque verius id facietis, necnon cum perpetua vestrijpsorum extenuatione & paruipensione, ac omnimoda annihilatione, cogitando semper siue dicendo cum muliere illa Euangelica: *Si tet gero tantùm fimbriam vestimenti eius, saluus ero.* Enimuerò fimbria vestimenti eius significat minimum aliquid, quod ex Christi humanitate processit vnquam. Vnde quum vestimentum ipsius sacratissimam eius designet humanitatem, per fimbriam vestimenti guttam vnam pretiosi sanguinis eius accipere licet. Iam ea quisque humilitate præditus esse debebit, vt ex animo fateatur, se indignum esse præ vilitate sua, qui vel minimum aliquid prædictorum contingat. Si enim præ ægritudine contingere posset, haud dubiè perfectæ sanitatis à cunctis languoribus suis beneficium consequeretur. Sic ergo ante omnia in suum sese nihilum quisque demerget atque demittet. Imò quum ad summum quis perfectionis euolârit apicem, tum vel maximè necessarium illi fuerit, ad altissimum fundum, ipsamque veræ humilitatis radicem, sese demittere ac inclinare. Sicut enim eminentior arboris ramus à profundiori radice nascitur: sic omnis huius vitæ sublimitas à fundo procedit humilitatis. Quare & Publicanus iste, cùm in infimo cognosceret se indignum, qui vel oculos ad cęlum leuaret, ideò in sublimè erectus fuit. *Descendit enim iustificatus in domum suam.* Præstet & nobis Dominus Deus, vt nos cum hoc Publicano ita in veritate humiliemus, vt nos quoque iustificari mereamur, ad laudem & gloriam ipus. Amen.

Nil cuiquam cũ proprietate arrogandum.

Quid cuique semper attendendum.

Quis optimus censendus.

Matt. 9.
Marc. 5.
Luc. 8.

(·.·)

DOMI-

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

Vt per vetus Testamentum, hoc est, per labores atque passiones multiplices, ad leue iugum noui Testamenti, vbi Deus iam simul nobiscum portat, & passiones omnes admodum tolerabiles, imò & leues facit, per veram introuersionem resignationemque nos praeparare debeamus.

SERMO I.

Litera occidit, spiritus autem viuificat. II. COR. III.

DVAS quasdam rationes siue modos in populo fidelium & amicis Dei inuenimus, quorum alter veteri, alter nouo Testamento significatur. Et vetus quidem Testamentum, seu Legem veterem, cum vniuersis caeremonijs ac ritibus illius obseruare cogebantur Iudaei omnes, quotquot saluari cupiebant, quoadusque Christus veniret, per quem Lex noua institueretur, cuius figura, & ad quam via quaedam fuit Lex antiqua. Vnde etiamnum si veterem Legem ritè consideramus, si vt oportet illam excipimus, per ipsam ad nouum Testamentum praeparamur. Quod enim capere aliquid debet, prius capax fieri oportet. Habuit ergo Lex illa vetus seuera iudicia multa & sententias graues, seueras quoque diuinae iustitiae exhibitiones, seu demonstrationes perplures, ac obscuram nimisque remotam spem redemptionis futurae: omnibusque, qui ante Christi vixêre tempora, adeò porta caelestis patriae prorsus occlusa erat, vt quanlibet multa paterentur, & duris operibus insisterent, minimè tamen ingredi permitterentur. Suspirabant interim, & vehementissimè desiderabant: sed nihilo minus, & diu & molestè expectare cogebantur. Lex autem noua, *pax est & gaudium in Spiritu sancto.* Ad hanc quisquis pertingere exoptat, haud dubiè prius per veterem aptari seu praeparari debebit, hoc est, prius aduersa multa patietur, onera grauia portabit, & ex animo sese *sub potenti manu Dei* humiliabit, atque ad extremum quaelibet molesta siue contraria, intus vel foris, iure vel iniuria occurrant, patientissimè discet perpeti. Hortor & obsecro vos dilectissimi, vt maiorem salutis vestrae curam habeatis, certi quòd alia omninò via gradiendum est, quàm vos persuasum habeatis. Curate, obsecro, vt quae ex Concionatorum ore suscipitis, fixa apud vos maneant, & operi mancipentur: quandoquidem incertum est, quandiu Verbum Dei habituri sitis: & qui gratiam à Deo sortitus est, prudenter custodiat. *Humiliamini*, inquam, & incuruamini sub Deo, eundemque in modis omnibus, & per quoscunque vos affligat, sustinete. Vt enim ante dixi, si ad nouam Legem vnquam pertingere debeatis, vetus prius toleranda erit. Itaque ex vera cordis humilitate, dum vel intus vel foris aliquid vobis praestatur solatij, pertimescite. Non enim per hanc viam, per oblectamenta scilicet terrae, per gaudia, perque labentium rerum appetitum, ad aeternae beatitudinis gaudia peruenitur: sed potius per dolores & poenas multiplices, varias afflictiones & aduersitates, perque tot discrimina rerum eò tendendum est, ita vt omni quoque solatio renuntietis, nec vllam vel in ipsis Sacramentis, vel in spiritualibus illustrationibus, vel Dei sensibili amore ac sensione, vel quorumcunque demum hominum auxilijs, consolationem quaeratis accipiatisve. Hac planè, hac via pergendum erit, & non alia: facite quicquid vultis: hoc iter arripere

Lex vetus.

Lex noua.

1. Pet. 5.

Salutis cuiq; sua cura habenda.

Audita operi mancipādum.

Vetus homo qui subiugandus.

debebitis, si tamen vnquam rectè vobiscum agetur. Quod cùm ita sit, quæso veterem hominem vestrum laboribus vetustæ Legis omni cum humilitate & animi resignatione supponite, ac æternum & pijssimum Deum in omnibus donis & oneribus illius patimini ac sustinete. In veritate enim *iugum* eius *suaue est, & onus leue.* Ipse vos, charissimi, ex imo cordis mei in Dominicæ crucis captiuitatem commendo, vt ea & in vobis, & extra vos, ante & post vos sit per pressuras multiplices & graues, cum plenissima semper vestrijpsorum in gratissimam Dei voluntatem resignatione, quo parati sitis sustinere quicquid ipse volet, & ab æterno illi placuit accidere vobis. Sit, inquam, crux ista ante vos, vt animum habeatis ad futuras quascunque afflictiones & aduersitates tolerandas imperterritum atque paratum. Sit etiam post vos, vt omnes vos vilipendant, despiciant, nihili faciant, & detractionibus rodant. Ita quæso veterem hominem sub antiquam Legem deprimite, donec Christus IESVS in veritate nascatur in vobis, in Lege noua, sub qua *pax vera & gaudium,* non fallax oritur & exurgit. Quamuis autem prisci illi Patres & Patriarchæ aduentum Domini Saluatoris ardentissimè suspirarent, & per quinque nihilo secius annorum millia expectare cogebantur: vos tamen dilectissimi, si ea, qua dictum est, humilitate vosipsos resignare volueritis, nec vnum quidem annum expectabitis. Sicut ergo si quartana vos febris vno aut altero anno vexâsset, patienter ferre oporteret, donec abscederet: ita & veterem Legem tolerate, cuius adhuc alia passio seu pondus, horrenda sunt iudicia & districtæ iustitiæ Dei exhibitiones, quæ se in homine varijs exerit atque declarat modis per duras passiones & conscientiæ remorsus. Et hos quidam crebra Confessione depellere conantur. Sed si vel millies confiteantur, parum eis hac in parte contulerit. Peccatis igitur mortalibus in Confessione sufficienter detectis, & Satisfactione peracta, cætera Deo humiliter relinquenda sunt, ac interim, donec ipse per gratiam suam liberet a<ins>lle</ins>uietque, remorsus isti patienter ferendi cum humili in diuinum beneplacitum resignatione. Sed & hic alij sunt, qui internam obscuritatem multa interrogando quærunt euadere, sperantes semper se aliquid audituros, vnde remedium accipiant, & à sua molestia releuentur. Sed toto licet vitæ suæ spatio huc illucque discurrant, nihil omnino proderit eis: quandoquidem intus remedium expectandum est accipiendumque, alioqui nihil vnquam proficient. Fateor vobis, charissimi, vidisse me hominem, quo nullus mihi tam intus quàm foris sanctior visus est vnquam, qui tamen cunctis vitæ suæ diebus non nisi quinque Conciones auscultauerat. Cùm enim aduerteret quid facto opus esset, Deo inspirante ita secum cogitauit, Sufficit modò. Sicque deinde & mori, cui moriendum, & cui viuendum erat, viuere cœpit. Vulgo igitur ad audiendum Dei Verbum huc illucque pergere permissum esto, imò & expedit illis, ne vel desperationem, vel infidelitatis crimen incurrant. Vos autem id certum habetote, quòd omnes, qui sese totos intus & foris Deo tradere volunt, ad seipsos & intra seipsos sese recipiunt, quodque & vos, si vnquam perfecti esse volueritis, excursus omnes euitare & intrò vos conuertere debeatis. Quamlibet enim multa audiatis, verbis perfectionem non obtinebitis. Hoc potius agite, vt diligatis & intendatis ex fundo cordis Dominum Deum vestrum, & proximos quosque sicuti vosipsos: vtque cuncta in suo statu relinquatis indiscussa, hoc est, quæ bona sunt, sint bona: quę verò mala, non iudicentur à vobis, nec exploretis ea: Deumque

Quartanæ febris & veteris Legis collatio.

Qui conscientiæ remorsus patienter ferendi.

Concionum audiendarum modus quis sit.

quę cum priscis illis Patribus toto corde concupiscatis, aut si necdum desiderio æstuatis, desiderij vos teneat desiderium, & relinquatis omnia. Aliud deinde Legis antiquæ pondus seu onus fuit obscura & caliginosa spes remotæ redemptionis. Porta enim conclusa erat, nec Propheta inueniebatur, qui certò prædicere posset, quo tempore præstanda foret redemptio. Sic ergo & fidelis quisque Deo se omnipotenti ac externæ voluntati illius cum perfecta fiducia & longanimi resignatione simpliciter relinquere debet, illius arbitrio committens, quando se liberare velit. Tunc enim certo certius veniet, & in ipso nascetur. Sed quando, inquis? Nihil ad te. Ipsi hoc relinque. Alijs in iuuentute, alijs in senectute, alijs in morte venit. Hoc totum illius beneplacito relinquendum est. Nec huc aliquod speciale exercitium necessariò requiritur, nisi hoc tantùm, vt studiosè mandata Dei & Ecclesiæ obserues: articulos fidei Catholicæ mordicus teneas, & memoriter discas: humiliter aduersa quæque patiaris, & in omnibus tam foris quàm intus diuinæ beneplacito voluntatis te resignes offerasque: & tunc haud dubiè nascetur in te Christus, lex noua, pax in veritate, & gaudium in Spiritu sancto. Sanè si Angelicæ subtilitatis gratia intellectui tuo præstaretur, grande aliquid tibi consequutus videreris. Non tamen id optimum est. Sed multo maius est, si spiritus Dei verè diuinam, & suam ipsius viuificam vitam, omnem Angelicam vitam, omnem humanum intellectum, cunctosque sensus & omnem rationem excedentem animæ præstet, & in anima oriri faciat. Hoc autem per hanc resignationis viam, non aliam, prorsus obtinetur. Potest quidem eò pertingere aliquis, vt hanc præclarissimam vitam intellectu vtcunque apprehendat, & sensibus ac ratione pulchrè de ipsa queat disserere: sed vt eam reuera possideas, talisque efficiaris, non nisi per hanc veræ resignationis viam consequi poteris. Hæc te certo certius ad ipsam perducet. Denique sub Testamento veteri Leuitæ portabant Arcam: sed hîc sub hac viuendi ratione sacra nos potius arca portat. Certum habetote dilectissimi, quisquis Dei iustitiam & iudicia ferre renuit, absque dubio in sempiternam incidet iustitiam, æternumque iudicium illius. Hoc aliter se habere non potest. Itaque vt vt voles agas: resignare teipsum in veritate, & pati te oportet. Quod si faceremus, sique Deo & propter Deum pateremur, portaret nos vtique Deus in omnibus, in omni scilicet afflictione, aduersitate, mœrore, humerosque suos oneribus nostris supponens, simul nobiscum portaret, grauiori tamen pondere sibi seruato, & pro suo amore libenter nos contraria quæcunque pati faceret. Planè, inquam, si Deo nos subijceremus, nulla nobis afflictio foret intolerabilis. Sed quia, proh dolor, sine Deo sumus, & in propria infirmitate consistimus, inde est, vt nihil propter Deum siue agere siue pati queamus. Præstet nobis Dominus Deus, vt quomodo dictum est, iugum ipsius dignè portemus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Non desideranti quid desiderandum.

Dei & Ecclesiæ mādata obseruanda.

Resignatione & passione opus esse.


DOMINICA EADEM.

Quid hominem surdum efficiat, vt diuinam inspirationem nec audire possit, nec intelligere: & vt huiusmodi tentationi resistere debeat, vtque charitas foris & intus exercenda sit, & de septem donis Spiritus sancti, per quæ auditus hominis curatur.

SERMO II.

Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. MARC. VII.

IN



N Euangelio Dominicæ huius legimus, dilectissimi, vt Domino exeunti *de finibus Tyri* adductus fuerit surdus & mutus. (Ita enim necesse fuerat, vt qui surdus natus erat, etiam mutus esset. Qui enim audire non potuit, haud dubiè nec verba edere nouit.) Quem Dominus *apprehendens de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Præcipiente autem Domino, *ne cui dicerent,* illi multò *magis prædicabant, & admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Principio hîc nobis considerandum venit, quid sit illud, quod surdum efficit hominem. Hoc autem primò quidem in Adam Protoplasto, deinde verò in omnibus nobis auscultatio fecit diabolicæ vocis, qua idem ipse Protoplastus malignæ inspirationi præbuit aurem. Hæc surditatis nostræ causa est: indeque factum est, vt amabiles ac dulcissimas sempiterni Verbi inspirationes nec audire quidem, nedum intelligere possimus, cùm tamen hoc ipsum Verbum æternum tam ineffabiliter intus in animę fundo propinquum nobis sit, vt nec ipsi nobis, nec propria natura nostra, nec cogitationes nostræ, nec quicquid siue dici, siue cogitari, siue intelligi potest, tanta nobis vicinitate iungatur, tamqúe propinquum & intimum nobis sit, vt hoc ipsum Verbum, quod & sine intermissione loquitur in nobis, sed præ nimia surditate, qua detinemur, nihil eorum quæ loquitur, audimus. Quòd si huius rationem à me poscitis, eam vobis reddo. Causa est, quòd aliquid aures nostras obstruxit, quo minus Verbum istud audire queamus: vnde & adeò excęcati & muti effecti sumus, quòd neque nosipsos cognoscimus. Nam si quid de interioribus nostris loqui velimus, non possumus: quia statum mentis nostræ ignoramus, nec ipsos quidem modos seu ritus nostros perspectos habemus. Et huius quoque ratio est, quia susurrijs inimici auscultauimus, indeq; surdi & muti effecti sumus. Quod est autē, ait fortè aliquis, noxium istud hostis antiqui susurrium? Omnis vtique inordinatio, quam ille nobis inspirat, siue sit amor, seu intentio labentium creaturarum, siue mundus, seu quæcunq; mundo annexa sunt, vt verbi gratia, diuitiæ, honores, amici, cognati, seu natura propria, seu quęcunq; amorem siue fauorem creaturarum animo imprimunt: hęc omnia inimici susurria sunt. Semper enim adest nobis, diligentissimè perscrutans, ad quæ quisq; siue intus, siue foris propensior sit, ad tristitiámne, an ad gaudium. Et vbi hoc didicit, mox illis se admiscens, per ipsa nos tentat, & ea nobis intus inspirat, ingeritqúe. Dum autem imagines horum intro recipimus, illæ auribus interioris hominis nostri allabuntur, vt iam Verbum sempiternum à nobis minimè possit audiri. Quòd si celeriter mentis aures inde auerteremus, tētatio omnis facilè vinceretur à nobis. Sed quando eatenus aures tentationi prębemus, vt ipsam adspiciamus, ipsi blandiamur, & animi adhuc dubij simus, verum admittere an respuere velimus, iam propè victi sumus, & maximè viget tentatio. Dum autem festinanter inde viriliterq; cordis aures auertimus, iam penè victores sumus: & ipsum præstat nobis, vt Verbum hoc internum audire possimus, omnemqúe depellit surditatem. Cæterùm hac perniciosa mentis surditate non modò seculares homines, sed & Religiosi tenentur, illi videlicet, qui amore & intentione creaturas prosequuntur, & à creaturis possidentur, quarum Deus vera causa siue ratio non est. Quod vbi malignus spiritus aduertit, earum,

Surditas natiua quid incommodi secum trahat.

Quid hominem faciat surdum.

Surditatis nostræ causa.

Diabolū semper nobis instare.

tarum, quibus inordinatius afficiuntur, creaturarum imagines illis suggerit, maximè dum eos plus eis deditos & affectos cernit. Alijs surditatem hanc proprij ipsorum conceptus, propriaque instituta, in quibus plus satis complacent sibi, quæque ex proprio iudicio & cum proprietate quadam susceperunt, externi quoque modi, quos forinsecus à creaturis per sensus assumpsêre, miserabiliter adducunt. Ista enim omnia aures internas obstruunt, ita vt Verbum æternum nulla ratione siue auditu siue intellectu eiusmodi queant homines percipere. Interim tamen, quod & verissimum est, oportet quenque bona quædam ac deuota habere exercitia, & assumpta instituta, vt vel orationes, vel sanctas meditationes, vel id genus alia multa, per quæ natura excitetur, agiliorque reddatur: spiritus erigatur ac subleuetur, & homo ad interiora sua inuitetur & accendatur: sed nulla hæc cum proprietate possidebit, semperque magis interiori verbo atque susurrio intus vacabit percipiendo: nec quorundam sterilium, in eodemque semper luto hærentium hominum vestigia sequetur, qui ad mortem vsque suis duntaxat externis modis & institutis inhærent, nec ad anteriora perfectioraque sese extendunt: sed quoties Deus aliquid eis inspirare molitur, alia semper aures ipsorum occupant, vt nullus pateat suæ inspirationi seu Verbo accessus, nullus præberi queat auditus. Taliaque media tam multa sunt, adeoque hisce modis plerique sunt dediti, quòd in fine, cùm omnia propalabuntur, videre miseria erit. Cæterùm nullius auribus hoc Verbum inspiratur, nisi diuino sit amore præditus. Ita enim & Euangelium habet: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Vis autem nosse, B. Gregorius ait, vtrum diligas Deum? vide quid agas, quando perturbatio, mœror aut afflictio tibi siue intus, siue foris vnde vnde occurrit: intus quidem cum pressura quadam, vt neque scias, neque possis huc illucve te vertere, nec quo in statu sint res tuæ, satis perspectum tibi sit, nec aliquid discretionis habere possis: foris autem cum impetu passionis, modis improuisis, magnaque cum pressura. Si enim his occurrentibus in fundo tuo pacem integram seruas, & quietus ac imperturbatus manes, ita vt nihil vitiosum verbis, operibus, vel gestibus importunis admittas, dubium non est, quin Deum amore prosequaris. Qui enim charitatem veraciter habet, illum nec prospera foris eleuant, nec aduersa perturbant: & siue detur, siue auferatur illi, modò dilectus ei remaneat, intus plena pace gaudet: & quamuis exterior homo remurmuret, vel etiam in lachrymas prorumpat, ferendum id est, modò interior homo in pace perseueret, & diuina illi voluntas placeat. Et reuera quisquis talis non est, surdus efficitur, nec Verbum æternum intus veraciter audiuit. Vtrum autem operante dilectione quis præditus sit, etiam hinc scire licebit: Si se in gratitudine exerceat erga Deum pro immensis bonis illis, quæ Deus & ipsi & creaturis omnibus tam in cælo, quàm terra degentibus exhibuit, idque potissimum in sacratissima deificataque humanitate sua, pro multiplicibus item donis ab illo incessanter ad vniuersos homines promanantibus: Si etiam communem omnibus dilectionem exhibeat, id est, non suis tantùm, sed omnibus, puta Sacerdotibus, Monachis, Monialibus, Beguttis, & cuiuscunque demum instituti & conditionis hominibus: (Omnibus enim amor actualis impendendus est. Nec debet quisquam amore priuato seipsum vel sua diligere. Hic autem communis operans, amor, supra quàm dici queat, vtilissimus est. Sic omnium perfectorum & illuminatorum Dei amicorum corda hoc amore communi erga omnes vi-

Qua surditate quinam teneantur.

Quibus aures internæ obstruantur.

Exercitia hominis pij.

Ioan. 14.

Quomodo inquiri, diligat quis Deū, necne, possit.

Dilectionis veræ experimentum.

Amoris operantis vtilitas quanta.

uos & defunctos penitus liquefiunt: quos nisi haberemus, malè profectò nobiscum ageretur.) Si præterea dilectionem suam erga alios, quantum potest, extrinsecus beneficia, solatium, auxilium, consilium impendendo declaret, quamquam interim seipsum necessarijs spoliare non teneatur. Hæc enim tam studiosè impendenda sunt, vt etiam si facultas non adsit ista præstandi, semper tamen amorem nostrum excitemus, animumque promptum habeamus ad præstan-
Veræ dilectionis signa quæ. dum ea pro viribus, si facultas adesset. Et hæc sunt veræ dilectionis signa, quæ quisquis habet, surdus non est. Iam de eo quòd Dominus *misit digitos suos in auriculas* hominis, *& expuens tetigit linguam eius.* quo facto, qui mutus erat, loqui in-
Septem dona Spiritus sancti. cepit, mira quidem dici possent: sed de septem duntaxat sancti Spiritus donis modò loquemur, quæ nimirum per infusionem seu missionem homini conferuntur: quibus adeptis, in veritate simul audire incipit. Primò itaque datur il-
I. li *Spiritus timoris Domini*, qui omnem homini propriam voluntatem aufert, ipsamque fugere, seseque in omnibus, in omni scilicet inordinata proprij sensus, ac propriorum conceptuum prosecutione, & id genus alijs, relinquere &
II. abnegare docet. Secundò præstatur illi *Spiritus pietatis*, qui hominem tam suauem, benignum, misericordem efficit, vt opera aliorum nullo aspero seu gra-
III. ui iudicio insectetur, neminem iudicet, & in omnibus seruet patientiam. Tertiò digitus tertius, id est, *donum scientiæ*, mittitur in ipsum, vnde sciens efficitur, id est intus per experientiam addiscit, vt intus & foris secundùm gratissimam
IV. Dei voluntatem habere se debeat. Quartò *Spiritus fortitudinis* illi infunditur, qui tam deiformem ipsum reddit, vt facilè sit illi quælibet pro Dei amore di-
V. mittere, pati, operari. Quintò *Spiritus consilij* ipsi præstatur, quem qui obseruant,
VI. prompteque sequuntur, omnes amabiles & electissimi fiunt homines. Deinde
VII. duo oblongi digiti *Intellectus* scilicet, & *Sapientia*, quæ est sapida scientia, mittuntur in ipsum, quæ tam sublimia dona sunt, vt de eis sentire aliquid, quàm dicere, potius sit. Donet nobis omnipotens Deus, vt aures nostræ in veritate aperiantur, quò sempiternum illius Verbum intus audire possimus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

De visu interno, & vt ille in multis miserè obcæcatus sit & obductus densis spontaneorum vitiorum pellibus: vtque vel maximè proprium nihil, & vilitatem propriam attendere debeamus, & quo pacto Dominica passio fructuosè cogitetur.

SERMO I.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. LVCÆ X.



IN eodem Lucæ capitulo, vnde præsens diei Euangelium desumptum est, legimus, dilectissimi, vt Dominus noster IESVS Christus vice quadam, cùm intus à Deo Patre electos & prædestinatos
Matth. 11. contemplaretur, *exultauit in Spiritu sancto*, simul in hæc verba prorumpens: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et post pauca, *conuersus ad* dilectos *discipulos suos*, diei huius Euangelium exorsus est, dicens:
Luc. 10. ***Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & reges***

voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum, benignè quidem, licet ipsum fallaciter interrogasse minimè ignoraret: *In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti, hoc fac, & viues* Hîc iam tractandum suscipio, charissimi, quòd Dominus ad discipulos conuersus ait, primam scilicet huius Euangelij sententiam: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Duplices homo oculos habet, internos videlicet, & externos. Et si internum non haberet, vilis admodum & miser esset, solis externis præditus oculis, nec à brutis animantibus discreparet. Qua autem ratione fieri potuit, vt præclarus intellectus, qui oculus internus est, tam miserè obcæcaretur, vt verum lumen non videat? Vnde, inquam, damnum tam incomparabile traxit originem? Inde videlicet, quòd crassa quadam densaqúe pelle seu cute obductus est, amore scilicet, & intentione creaturarum, quarum Deus vera causa non est, siue sit homo ipse, siue aliquid suum. Inde nimirum & cæci & surdi effecti sunt homines, cuiuscunque demum status sint, siue Religiosi, siue seculares, & cum his ad Christi venerabile Corpus accedunt: sed quo amplius id agunt, tanto surdiores cæcioresqúe fiunt, & pellis eo amplius spissatur. Enimuerò quid causæ esse putatis, charissimi, quòd multi nulla ratione ad fundum suum pertingere queunt? Equidem nihil aliud in causa esse reor, quàm quòd pluribus instar bouinæ frontis crassissimis horribilibusqúe pellibus ipsorum fundum obductum est, quæ adeò ipsorum interiora contexerunt, vt neque Deo, neque ipsis vllus ad ea pateat accessus, itinere prorsus obstructo. Et fieri potest, vt quorundam interiora vel triginta vel quadraginta spissis, atris, grossis pellibus obducta sint. Vis nosse quas ego pelles dicam? Ea scilicet omnia, ad quæ se aliquis spontè conuertit, siue sit petulantia in verbis vel actibus, siue amor vel odium, siue superbia, propria voluntas, vana complacentia in re qualibet extra Deum, duritia, leuitas, conuersatio incauta siue inconsiderata, & id genus alia, quæ omnia crassas generant pelles & vasta quædam media, per quæ oculi hominis obcæcantur. Mox autem vt hæc cum dolore adspicimus, & coram Deo nos humiliter reos fatemur, indeqúe nosipsos accusamus, fixumqúe in animo habemus pro virili corrigere vitam nostram, facilè saluti nostræ consulitur, & omnes decidunt pelles istæ. Quæ tamen heu adeò quorundam ob oculos & aures occalluerunt, vt quicquid eis dicatur, minimè ad cor recipiant, haud secus quàm si graui quodam somno depressi forent: noluntqúe renuntiare idolis suis, quicunque sint illa, sed instar Rachelis sedent super ea, cùm tamen imagines, quæ inde suscipiuntur, impedimenta magna, crassasqúe pelles efficiant, quæ deinde aures & oculos interiores ipsius intellectus obstruunt, vt nec illæ audire, nec isti videre queant, vnde beati forent, de quo Dominus ait: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Et reuerà quisquis sanæ mentis est, facilè in seipso aduertere potest, quàm bene sit vanis atque mundanis hominibus cum creaturis, quæ tamen in veritate nihil sunt. Quàm ergo bene habebunt, qui summo illi bono sedulò vacant, vnde cuncta hæc mira profluxêre? Iam quòd Dominus beatos asserit discipulos visu suo, si rectè perpendamus, & nos planè beatos esse sentiemus, quandoqui-

Duplices hominis oculi.

Vnde interiorum oculorum caligo.

Quibus & quot pelli ulis oculi quorundam obducti.

Genes. 31.

dem multo plura de Domino Saluatore, quàm illius discipuli, videmus. D. nanque Petrus, D. Ioannes, & cæteri Apostoli, hominem inopem, infirmum, passibilem, mortalem contuebantur: nos verò in fidei sacræ Symbolo confitemur eum *Deum* & Dominum *omnipotentem, factorem cæli & terræ*, qui cuncta de nihilo produxerit atque plasmârit: quod si rectè intuemur, oculi nostri & anima nostra perenniter beata efficiuntur. Apud Doctores quæstio mouetur, vtrum cognitio amore præclarior sit, an econtrà amor cognitione præstantior. Quorum sententias hîc discutere nolumus. Cùm eò peruenerimus, quid sit verius, liquidò cognoscemus. Interim Dominum audiamus, dicentem, *Vnum esse necessarium.* Quod est autem hoc vnum tam necessarium? Hoc scilicet, vt cognoscas nihilum propriè tuum esse, & quid sis ex teipso. Quòd enim hoc vnum cognoscere recusas, tanto Dominum pauore & angustia affecit, vt sanguinem sudaret. Inde & in cruce clamauit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* hoc ipso innuens, vnum istud tantoperè necessarium, adeò ab omnibus negligendum deserendumqúe. Obsecro proinde vos dilectissimi, vt relictis omnibus, quæ vel ipse docui, vel quicunque alij Doctores vnquam tradidêre, postposita omni actione & sublimi contemplatione, hoc vnum duntaxat perdiscatis, hoc vnum assequi totis viribus conemini: & feliciter probeqúe laboraueritis. Sic enim Dominus ait: *Maria optimam partem*, imò totum optimum, *elegit*. Et quisquis hoc vnum solum assequitur, non modò partem vnam, sed totum omninò obtinuisse probatur. Non est tamen hoc vnum id, quod quidam pulchrè satis & secundùm rationem dicere nôrunt, loquentes de suo nihilo tam humiliter, ac si præclarissimam hanc virtutem, velut in habitum sibi versam, possiderent, cùm tamen intus in fundo suo, maiori templo grandiores sint, cupiantqúe magni esse & videri, fallentes alios, sed maximè semetipsos, cùm ipsi potissimum sua deceptione illaqueentur. Credite mihi, paucis admodum istud vnum perspectum est: fortè vix tres inter vos sunt, qui ipsum rectè intelligant. Neque enim vel in memoria, vel in intellectu consistit: quanquam prosit non minimum, semper ipsum ob oculos habere, semper exerceri in ipso, donec ex vsu habitus fiat & generetur. Sedula nanque exercitatio tandem formam habitumve adducit. Quoties igitur elationem aliquam siue intus, siue foris sentis, confestim absque vlla mora in profundissimum demergere fundum, propriumqúe nihil tuum. At inuenire est, qui dicant, meditari se quotidie vitam passionemqúe Christi, & hæc atque illa facere. Sed obsecro, quisquis eiusmodi es, certum habeto, si alicuius momenti aut pretij ducis ea quæ facis, præstaret tibi nihil agere, nisi hoc tantùm, vt merum nihil, nihilqúe valere, nihilqúe posse tuum attenderes, quàm interim magna quædam siue intus siue foris operari, & nihili tui obliuisci. Vt autem aliqua propriæ vilitatis habeatur notitia, loquamur parumper de exteriori homine. Vide ergo quid sis, & vnde factus sis: Nimirum ex immunda sordidaque materia, quæ & in seipsa, & in cunctis hominibus abominabilis est. Vide etiam, quid factus sis: Vas vtique immundum, & olidum, detestabili stercore & pessimo fœtore plenum, quando nullus tam pretiosus, tam mundus, tam elegans cibus aut potus abs te sumitur, qui non intra te intolerabilem fœtorem contrahat: nec tanta quis alium quemcunque dilectione prosequitur, eius licet gratia æterna seipsum beatitudine spoliârit, ac inferni torrem fecerit, vt vbi mortuus est, ipsum penes se tolerare possit: imò multò eū

amplius

Præstet ne amori cognitio, an amor cognitioni.

Vnū hoc Necessariū, quid Lucæ 12. Matth 27. Marc. 15.

Vnū hoc paucis notum esse.

Habitus qui generetur.

Quid vndere homo sit Hominis fœtor quantus.

amplius quàm canem mortuum fugit. Sed & Deus omnipotens cuncta hominis naturæ contraria posuit, cælum videlicet, Solem & stellas: indequé esse nullus dubitat, quòd misera mortalium corpora modò frigus nimium, modò calor immodicus, quandoque pruina, quandoque niues, interdum pluuiæ affligunt. Sic modò sanus, modò ægrotus es: nunc bene, nunc malè habes: quandoque gaudio, quandoque mœrore afficeris: modò fame, modò siti cruciaris. Inde & bestias, vermes, lupos, araneas, pulices, pediculos, multaquè alia admodum infesta patimur, adeò vt frequenter ab his non facilè nos tueri ac defendere possimus. Contra si irrationalia pecora, ferasq; & animantia contempleris, videbis ea multo liberioris ac munitioris esse naturæ, quod ad carnem attinet, quàm sis ipse, licet homo, ab ipsa namque natura tegimen illis collatum est, quo & æstiuo & hyberno tempore contenta sunt, siue æstus siue frigus adurat. Quæ verò est illa cæcitas, vt cùm ab eis vestimenta commodato accipere cogaris, in hac ipsa penuria tua voluptatem & oblectationem quæras, ex ipsaq; superbiendi materiam sumas? Illa cibo, potu, tegumento, quiete, cubili, qualia à Deo præparata sunt eis, contenta sunt: tu verò quæ non requiris ad miseræ naturæ tuæ sustentationem? & in his ipsis magna delectatio capitur, grauesq; culpæ in mortuorum animalium vsu admittuntur. Olim sancti homines, quando cibũ sumpturi erant, lachrymas fundebant: morituri, præ gaudio ridebant. Sed adhuc diligentius nihil tuum attende. Vide, obsecro, quantis natura tua miserijs subiaceat. Si orare, si vigilare, si ieiunijs carnem afficere, si plorare attentas, quid aliud sentis, nisi quod Apostolus ait: *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago?* Quantæ, rogo, quamqué multiplices sæpenumerò in te tentationes oriuntur? quàm diuersis, Deo permittente, intus & foris defectibus subiaces? Ergóne floccipendis ista? O si hoc vnum addisceres, quàm id tibi necessarium fuerit. Attamen viriliter age: etiam ipsos defectus, pro salute tua Deo permittente, hac de causa incurris, vt vel per eos ad nihili tui cognitionem perducaris: & fortasse magis ita tibi expedit, quàm interim multa sensibili deuotione affluere, & in magnis versari. Sed ecce accedunt homines, & toruo adspectu durisquè verbis, magni verò & sublimis intellectus, subtilibus & altis, te adoriuntur haud secus, quàm si ex duodecim Apostolorum forent numero. In his omnibus, dilecte fili, in fundum & nihil tuum demergere: & vel turrim cum omnibus campanis suis super te cadere, dæmones omnes quotquot infernus habet, imò etiam cælum & terram & creata omnia in te irruere & debacchari sine: crede mihi, cuncta hæc mirum in modum tibi proficient proderuntquè, & optimam consequeris *partem*, imò totum, si tantùm in nihilum tuum tete dimittas. Sed aiunt quidam, meditari se diebus singulis passionem Christi, vt videlicet ille coram Pilato, coram Herode steterit, vt ad columnam ligatus fuerit, vt illis atque illis in locis sese gesserit. Verùm quisquis id agis, si meæ voles institutioni auscultare. Dominum Deum tuum, non vt purum hominem, sed vt potentissimum, maximum, æternum Deum, contemplaberis, qui vt verbo cælum terramq; de nihilo produxit, ita & in nihilum redigere potest: qui superessentialis & superincognitus est: quodque hic talis & tantus, pro misera creatura sua adeò voluit annihilari: simulq; hæc cogitando, erubesce homo fragilis & canis putridus, vnquam te honorem, vel commodum, vel superbiã cogitasse, & subtus crucem, vnde vnde illa, siue foris, siue intus occurrat, deprime ceruicẽ tuam.

Quæ multa homini aduersentur.

Irrationalia quæ in te hominibus feliciora.

Humana superbia quàm sit ridicula.

Rom. 7.

Quantis homo subiaceat miserijs.

Quid plus de Christo contemplandum.

Incurua, inquam, superbum animum tuum subtus spineam coronam illius, & crucifixum Dominum Deum tuum, in vera tuijpsius in modis omnibus tam foris quàm intus extenuatione, cum subdita mente sequare. Posteaquam ille summus & altissimus Deus, adeo nihili factus, damnatus, crucifixus, morti traditus est à creaturis suis, stude teipsum cum omni humilitate & patienti quarumlibet afflictionum molestiarumq; tolerantia, illius passioni imprimere, eidemq; te pro modulo tuo conformare. Sed ita non faciunt homines. Meditantur quidem sacratissimam Christi passionem, sed cum tepido quodam, rudi, cæcoque amore, non autem vt cogitatio procedat in opus & exercitium, vt sua quiete, suo honore, sua superbia, sui corporis oblectamentis & voluptatibus propterea carere velint: quin semper ijdem perseuerant. Heu quàm exiguos hodie fructus amabilis passio Saluatoris producit in multis. Fructus ipsos ex imitatione, ex vita, ex moribus, ex actionibus licet colligere. Ergo sic Christi passio meditanda est & exercenda, vt vitales in nobis proferat fructus, ita vt indignos nos iudicemus, quos terra portet, plurimumq; stupeamus, quòd non viuos nos absorbeat, cùm haud dubiè multos iam infernus deglutierit, qui fortè non permisse, vt nos, peccârint: quiqúe si tantum à Deo luminis, totq; vt nos beneficia fuissent consecuti, multò quàm nos meliores extitissent: & nihilominus vbi nos misericorditer sustinuit, nobisq; diu pepercit, illos omnipotens Deus iustissimè condemnauit. Et hæc quidem, dilectissimi, sæpius multumq; consideranda sunt, ex eorumq; consideratione ita compungi debemus, vt nec guttulam aquæ cum libertate ac præsumptuosa audacia, sed potius cum humili timore sumamus: cunctisq; rebus non pro voluptate, sed pro infirmitatis nostræ necessitate vtamur. At videas quosdam ita subtiliter de altis & ad intellectum pertinentibus rebus loqui, ac si iam cælos omnes transcenderint, qui tamen nec passum pedis vnquam extra seipsos in sui nihili cognitione exierunt. Et esto quòd veritatem, quatenus intellectu capi potest, comprehenderint: ad viuam tamen veritatem, quæ est ipsissima veritas, non nisi per hanc proprij nihili viam peruenitur. Vnde quisquis hac non graditur via, magnam ibi confusionem sustinebit, vbi omnia propalabuntur. Et tunc huiusmodi velle incipient, nunquam se vitam religiosam assumpsisse, nec vnquam de rebus subtilibus, altis & intellectualibus audisse, nec in huiusmodi versatos esse, nec tantum sibi comparasse nomen, sed potius toto vitæ suæ spatio pauisse pecora, & victum sibi multo cum sudore quæsisse. Veniet, veniet, charissimi, dies illa, quando Dominus seueram exiget rationem de donis suis gratissimis, quæ modò tam largè distribuit, quibus tam tepidè ac frigidè sine vllo fructu vtimur. Attamen hæc sui extenuatio non metum desperantem, vti solet in desperatis, sed humilem potius, tum sub Deo, tum sub creaturis omnibus, vera cum resignatione subiectionem debebit in homine operari & efficere. Nihilominus si aliqua te putes humilitate præditum, hoc quoque vitiosum & falsum erit. Ideoqúe Dominus ait: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.* Vnde quicquid etiam agamus, nihil tamen de actibus nostris sentire debemus. Inde namque rursum Dominus inquit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Sic terra omnium elementorum infimum est, suaqúe humilitate cælum vel maximè fugit, ab eoqúe sese elongauit. Itaque vastissimum cælum ipsam amplius persequitur, & Sol, Luna, cunctaque sidera præ cæteris altioribus elementis in ipsa

Quantillū fructus Christi passio hodie producat.

Qui passio Christi meditanda.

Contra quosdam subtiles quidem ac doctos sed irresignatos.



Matt. 18.

Matt. 19.

vber-

vberrimos præclarissimosque fructus operantur. Sic vbi vallis profundior, eò aqua copiosius confluit. Et vt plurimum, multo valles quàm montes fœcundiores sunt. Denique hac vera sui extenuatione seu paruipensione præditi, in intimam diuinitatis abyssum sese demergunt, ibique in vera suijpsorum perditione seu amissione seipsos totos perdunt. *Abyssus* enim *abyssum inuocat*, dum abyssus creata sui profunditate & proprij nihili cognitione abyssum increatam in se trahit, vbi iam abyssus vna in alteram manat abyssum, fitque vtraque vnum, & nihil vnum in nihil alterum fluit, illud vtique nihil, de quo B. Dionysius loquitur, dicens: Deum nihil esse eorum, quæ vel dici vel comprehendi, vel intelligi queant. Ibi planè spiritus hominis tam resignatus efficitur, vt si Deo placeret, ipsum prorsus in nihilum redigere, si tamen hic annihilari posset, libens in nihilum rediret amore nihili illius, in quod totus absorbtus & liquefactus est. Nihil enim sapit, nihil amat, nihil nouit, præter hoc vnum. Huiusmodi oculi, dilectissimi, qui sic vident, rectè meritoque beati dicuntur, & de illis forsitan loquutus est Dominus, vbi ait: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Præstet nobis beatissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt & nos ita ex proprij nihili visione veroque adspectu beati efficiamur, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Psal. 41.


Oculi beati qui. Luc. 10.

DOMINICA EADEM.

De via, quæ ad veram ducit beatitudinem. Vt Deus ex toto corde, ex tota anima, ex cunctis viribus, & ex tota mente diligendus sit. Et quid sit mens siue fundum animæ, deque felici nobilitate eius, & perpetua ad Deum propensione siti & tractu.

SERMO II.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. LVCÆ X.



IN Euangelio præsentis hebdomadæ purissima (dilectissimi) veritas continetur, in qua suprema felicitas consistit. Hancque nobis veritatem ea Domini verba insinuant, quibus ait: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Post quæ subiungit: *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum.* Quisquis alium tentat, fallaciter agit. Dixitque ad Dominum: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum,* humiliter quidem, tanquam illius peruersam intentionem ignoraret, atque ad sacræ Scripturæ, quam ipse legerat, testimonium eum benignè remisit. Tria enim quisque, vt hoc obiter admoneam, testimonia habere debet, si modò rectè cum illo agi debeat. Primum est à Deo. Secundum à seipso, à proprio viui spiritus sui fundo. Tertium à sacra Scriptura diuinitus inspirata. Sed ex his hypocrita iste non nisi vnum, hoc est, vltimum sacræ Scripturæ testimonium habuit, ad quod eum Dominus remisit, dicens: *In Lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum.* Et hic rectè respondit: videbatur enim illi ita esse, vt dixerat, sed inde in seipso extollebatur. Verùm ista nunc missa facimus. Vt autem ad priora Domini verba redeamus,

Tria cuique testimonia habenda.

Oculos bifariam dici beatos.

quibus ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, sciendum est, duplici ratione beatos dici oculos. Vna est, dum sublimem ac incomparabilem animæ nobilitatem siue nobiliorem portionem, quæ singularem habet affinitatem ad Deum, ab eodem inditam sibi, & in ipso fundo animæ constitutam, interno ac spirituali intuitu contemplantur. Reuerà enim quisquis ritè veraciterque hanc intueri & adspicere nouit, multam inde gratiam, ingentemque beatitudinem, si tamen cor habeat diuino amore succensum, assequitur. De hac autem animæ nobiliori portione Doctores multi tum veteres tum recentiores multa scripsêre. Albertus Magnus, Magister Theodericus, & Magister Eccardus de ipsa loquentes, diuersis eam nominibus appellant. Alius eam animæ scintillam, alius existentiæ centrum, alius (qui est Albertus Magnus) beatissimæ Trinitatis imaginem vocat. Et hæc scintilla, modò bene habeat, in tam sublime fertur, vt eam intellectus subsequi non possit. Non enim quiescit, donec in diuinitatis fundum, vnde profluxit, & in quo necdum creata exstitit, reuertatur. Nec ambigendum est charissimi, quin Doctores illi, qui hinc disseruerunt, vita & intellectu, quę scriberẽt, assecuti sint, ex ipsaque purissima veritate hauserint deprompserintque, & ex præclarissimis sanctæ Ecclesiæ Doctoribus ac præcipuis Sanctis, qui hinc multa locuti sunt, multaque scriptis tradidêre, desumpserint. Præter hos tamen etiam gentiles quidam Philosophi, qui longè antè Christi fuêre tempora, multum huic inuestigandæ & explicandæ scintillæ operam dederunt, vt verbi gratia, Plato, Aristoteles, Proclus, &c. Verùm vt sancti deuotique homines plurimum hinc ad æternæ beatitudinis amorem inflammantur ac prouocantur, vehementiusque sese introuertunt atque conuertunt seu recipiunt in nobilissimam hanc animę portionem, cuius admodum celsa generositas est, & perquàm mirabili anima Deo affinitate coniungitur: sic illi, qui falso corruptoque fundo præditi sunt, damnum hîc sibi incomparabile & æternum acquirunt. Sed nunc, dilectissimi, me docente, quæ sit ea, quæ ad veram ducit felicitatem via, diligenter, quæso, attendite. Hæc nimirum vera purissimaque humilitas est, perfectaque & omnimoda suiipsius in omnibus proprijs modis tam in spiritu quàm natura abnegatio, & vt nihil sentias de te ipso, neque de illis omnibus, quæ vel fecisti, vel adhuc facturus es, non nisi merissimum nihil te reputans, sicut & in veritate non nisi nihil es. Si quæ enim bona habes, non tua, sed Dei sunt omnia. Ad hoc humilitatis fundum re ipsa pertingas, ipsumque funditus inspicere discas oportet, si beati fieri debẽt spiritales oculi tui. Hunc enim eundem canonem vnicus Dei Patris Iesus Christus Dominus noster omnibus electis suis pro monimento reliquit, dum ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Mansuetudo nanque & humilitas sunt velut sodales, & germanæ quædam duę virtutes, quæ semper iunctæ sunt & pariter gradiuntur, quarum tanta connexio est, vt si vna in fundo sit, alteram quoque illic adesse necesse sit. Eiusmodi paruulis & humilibus Deus Pater alta & occulta sua manifestat, quæ à magnis & seculi huius sapientibus abscondit. Et in hac sola pusillitate nuda puraque veritas diuina intelligitur, in qua æternæ beatitudinis essentia, non vsquam alibi latet. Quod ergo Dominus ait: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt*: per Prophetas accipimus, grandes, elatos, subtiles & circa intellectum occupatos spiritus, qui suo naturali intellectui & subtilitati inhærent, in eisdem que gloriantur. Horum oculi nequaquam beati efficiuntur. Per Reges autem, potentes

Via ad verã ducens felicitatẽ quæ.

Matth. 11.

Mansuetudo & humilitas quam sint sibi familiares.

Luc. 10.

Prophetæ quos significent.

Reges.

tentes

rentes ac fortes homines accipimus, qui suijpsorum tam in verbis, quàm operibus plenè potentes sunt, bonaqúe opera pro suo libitu exercere possunt, putà, ieiunare, vigilijs & orationibus insistere, & id genus alia bona facere opera. Et hæc omnia bona & vtilia sunt: sed quòd ea magnifaciunt, tanquā boni aliquid egerint, cæterosqúe, qui similia non faciunt, apud seipsos despiciunt ac nihili pendunt, hoc vtique non potest non esse malum. Ergo nec ipsorum oculi beati fiunt. Et hi omnes *videre voluerunt, & non viderunt. Voluerunt*, inquam, *videre*, vt intelligas suæ eos voluntati inhæsisse. Credite mihi, charissimi, in hominis voluntate damnum omne situm est, & latet. Ipsa enim voluntas ipsissimum impedimenti subiectum est. Nam quomodo exterior hominis oculus pelle obducitur, ita vt per eam videre non possit, sic & voluntas intus animæ oculos velat. Ideoqúe sicut oculum externum, vt omnes possit cernere colores, ab omni colore purum & liberum esse oportet: sic & interiorem adspectum, si tamen purè feliciterq́ꝫ æterna diuinaq́ꝫ contemplari debeat, omnis velle & nolle penitus expertem esse necesse est. Et in mundanis quidem & seculo deditis hominibus voluntas multicolor est, eo quòd in eis grossa, rudis & externa sit. In spiritalibus autem hominibus suum colorem habet. Ipse namque homo, quasi tres homines referre videtur, cùm tamen non sit nisi vnus homo. Primus, est externus, bestialis & sensualis. Secundus, internus & intellectualis cum intellectualibus viribus suis. Tertius, mens, suprema animæ portio. Et hęc omnia non nisi vnus homo sunt. Sic & diuersæ sunt in homine voluntates, quæque iuxta singularem modum suum. At omnem omninò voluntatem propriam exuere oportet, sicut de seipso quoque Dominus ait: *Non veni*, inquiens, *facere voluntatem meam, sed Patris mei.* Quandiu enim propriæ voluntati inhæres, certum est necdum hanc te præclarissimam beatitudinem adeptum, quandoquidem omnis vera beatitudo in vera duntaxat resignatione & propriæ voluntatis expoliatione consistit. Hæc autem omnia ex nostræ paruitatis recognitione, vbi propria voluntas perditur, originem trahunt pullulantqúe. Sanè voluntas hominis veluti columna quædam est, omnem hominis inordinationem sustentans. Si ergo hanc perfectè veraciterqúe euerterimus, omnes totius inordinationis muri funditus corruent. Quanto autem se quisque minorem reputat, tanto minus in agendo & in dimittendo propriæ voluntatis habet, eo quòd in his semper humilitati studet. Loquamur nunc etiam, dilectissimi, nonnihil de amore, & qualis hic esse debeat, explicemus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Magna apud Theologos de hac dilectione controuersia est, vtrum ipsa cognitione sublimior sit, vel potius cognitio amore præstantior. Quod nos hoc in loco indiscussum præterimus. Hoc tamen certissimum est, amorem longè vtiliorem, meliorem, magisqúe meritorium esse homini, quàm sit cognitio. Amor enim lætus ingreditur, vbi cognitionem foris subsistere oportet. Nec magnopere necessaria est amori subtilis & multa cognitio: sed magis vera, pura, viua atque Catholica fides. Deinde videndum quæ amoris forma, quæ materia, quis finis sit. Materia quidem amoris, est cor nostrum, anima, & vires illius. Forma verò est dilectio. Actus est, ex tota & integra virtute diligere. Finis & obiectum est, Deum sine medio amare. Essentia verò est, amare. Amor enim diligit propter amorem. Cæterùm Richardus distinctionem quandam facit amoris, dicens quòd amor in infimo gradu, est,

Voluntas quantum habeat momēti.

Quos tres homines homo referat.

Ioan. 6.

Beatitudo vera in quo consistat.

Amorem cognitioni præstare.

Amoris materia, forma, actus, finis.

diligere ex corde, hoc est, in cogitatione, & ex anima, id est, ex fauore & delectatione: & ex viribus, id est, supprimere ac resistere omnibus, quæ dilectioni aduersantur. Hîc autem nusquam dictum est, *ex toto*. Verùm Albertus Magnus, in huius Euangelij explanatione, de hoc toto seu omni loquens, ita ait: *Ex toto corde* diligere, est deliberata, prompta ac libera voluntate in omni se virtute, toto corde, tota anima, cunctisq; viribus exercere. Fit autem sæpenumerò, vt aliquid homini veniat in mentem quod amare delectet, cui tamen ratio sua libertate contradicit. Contraqúe, alia sunt, ad quæ nulla delectatione trahimur, quæqùe amare non libet, quæ tamen ratio nos diligere compellit. Sic ergo amor iste ex deliberato, spontaneo, libero ac toto debet corde procedere, ita vt semper intendat, semperqùe Deum pro obiecto habeat cogitetqúe, quantum in hac temporis mutabilitate possibile est. *Ex tota* verò *anima* diligere, est ex affectu, delectatione, fauore, totaqúe ac liberrima voluntate, & ex omnibus animæ locis, id est, tam exteriori quam interiori homine, Deum amari. Et hic amor ex veritatis cognitione nascitur. *Ex omnibus* autem *viribus* diligere, est ex omni studio & exercitatione Deum amare, ita vt vires bestiales, sensus, totumqùe externum hominem deprimamus ac refrænemus, totis viribus omniqúe cum facultate, tam foris quàm intus, ad amorem nos conuertamus, hoc est, in dilectione, quatenus naturæ possibile est, seriò nos exerceamus, cunctasqúe demum vires erigamus & extendamus, vti arcum fortius distendere solet, qui longius iacula missurus est, & scopum ipsum attingere gestit. Hæc est veri amoris integritas siue totaliter, supremusqúe dilectionis gradus. Iam in eo quod sequitur, vt

Mens.

ex tota mente diligamus, alia omnia includuntur. Hæc enim mens tanquam mensura dicitur, eo quòd alia omnia metitur, dans singulis formam & pondus suum, cunctaq; distribuit atque partitur, & appellatur etiam habitus mentis. Denique

Vnico actu virtutem non fieri.

Augustini sententia est, vnicum actum virtutem non efficere, nisi prius in habitum formetur, adeoq; homini iucundus, facilis ac consuetus sit, ac si in naturam transierit: & is ex vero mentalis dilectionis Dei fundo procedit. Cùm autẽ tanta sit mentis nobilitas, omnes studiosius ac seriò, quid ipsa sit, aduertere debemus. Itaque & sublimior & multo, quàm vires, interior est. Vires enim animæ omne posse suum ab ipsa accipiunt, & sunt in ea, ex eaq; promanant: sed ipsa absque modo longè supra eas est, cùm sit omnino simplex, essentialis & vniformis.

Mentis excellentia.

Denique Theologorum siue Doctorum sententia est, tantam huius mentis excellentiam esse, vt semper operetur, siue dormiat, siue vigilet homo, & siue constet illi, siue ignoret. Semper enim perpetuoq; ac deiformiter ad Deum, ex quo profluxit, adspirat. Adeoqúe asserunt quidam, semper eam absque cessatione Deum contemplari, diligere & frui. Sed hoc vti verum sit, modò discutere nolumus. Quanquam autem creatura sit, nouit tamen Deum in seipsa. Proclus gentilis Philosophus vocat somnum, silentium, & diuinam quietem: aitq; occultam eam esse vnici vnius inquisitionẽ, quòd scilicet vnum longè superius est ratione & intellectu: cumqúe anima purè in ipso sese intrò recipit, diuina efficitur, diuinamq; agit vitam. Cæterùm quandiu homo foris circa sensibilia versatur & operatur in illis, scire non potest, imò nec plenè credere, esse ipsam intra se, cùm tamen ita se veritas habeat. Enimuerò nobilissima mens ista, seu fundum hominis purissimum ita factum est & conditum, tantaq; nobilitatẽ donatum à Deo, vt perpetuò ad Deum adspiret, continuéq; in suam cupiat redire

originem, id est, Deum in se præsentem. Et hæc mentis ad Deum propensio, nec in ipso cessat inferno. quod quidem vel maxima & acerbissima animæ pœna est, dum sibi æternaliter sentit ablatum, quodque perenniter carere debeat eo, vnde purè veraciterq; profluxit. Quando autem huc aliquis rationabiliter, strenuè ac seriò se intro recipit, ipsa eum ratio sua instituit & informat, eademque omnes illius vires inferiores corrigit, voluptates, oblectamenta & desideria cuncta restringit, & quicquid rationi consonum non est, suadet propter Deum mortificare ac deserere, simulq; ibi affectus omnes virium inferiorum diuinæ contrarios voluntati deponit, ipsamq; se ab his tanquam à rebus extraneis absoluit, à sensibus elongat, & omnem à se prorsus abdicat mœrorem tristitiamque. His autem omnibus sopitis, iam anima suam ipsius essentiam, cunctasque vires suas cernit, ipsamq; se rationalem intelligit imaginem eius, vnde profluxit. Talium *oculi* rectè meritoq; ex hac visione *beati* dicuntur, quando huc rectè pertingunt, & huic mente simpliciter essentialiterq; adhærent, in ipsumque demerguntur & absorbentur. Itaque, vt Albertus Episcopus ait, Centrum animæ, quod hîc inuenitur, maximè mirum, purissimum & certissimum est, & minimè omnium auelli, minimè omnium impediri potest, & omnium maximè inhæret seu perseuerat. Nec est vlla in ipso aduersitas, non imagines, non sensualitas, non temporalitas, non interitio: nec voluuntur in ipso differentiæ seu distinctiones, quæ ex phantasijs proueniunt, vt Dionysius ait. Iam quid ista sex memorata significent, idem Albertus Magnus exponit, dicens: ideò omnium maximè mirum est, quia supra ipsum & extra ipsum nihil est mirum: & quisquis illud intuetur, nihil deinde mirari potest: estq; supremum omnium, nec aliquid supra ipsum est. Indè verò purissimum est, quòd nihil cum materia seu rebus materialibus commune habeat. Ideò certissimum, quia istæ viæ omnibus vijs certitudinem præstant, nec à cæteris vijs certitudinem accipiunt. Ob hoc minimè omnium abstrahi seu auelli potest, quia nec à carne, nec à carnalibus vitiorum seu tentationum defectibus, ab operationis suæ exercitio auellitur abstrahiturque. Inde minimè omnium impeditur, quod seipsum in serenissima luce sentit, quam lucem nunc demum ex multo studio, conatu & diligentia apprehendit, qui conatus iam illi in naturam seu habitum versus est, nec aliquam in ipso patitur difficultatem. Postremò, ideò maximè omniū perseuerat seu inhæret, quia nullam sentit aduersitatem: & delectatio, quæ hîc sentitur, nulli est permixta dolori: nec insolescit, quia non in animæ sensualitate sentitur. Hæc planè purissima veritas, est in lumine & vita veritatis. Insuper ipsum etiam æterna beatitudo triplici ex causa dicitur. Primò, quia prorsus diuinum est, & imago Dei in homine. Secundò, quia penitus in Deum immersum & absorptum est, vnde similiter diuinum est. Tertiò, quia huius exercitij opus ipso Deo diuinaq; essentia fruitur, quod ex illa parte, quàm à Deo accipit, diuinum appellatur. Omnis autem hæc immutabilitas ac beatitudo, de qua memoratus Doctor loquitur, non in operatione, qualis in hoc tempore agitur, sed in essentialitate & in ipso fundo ita consistit, vt auelli non possit, sed iugiter perseueret. In tempore verò cuncta mutabilia sunt, & multa operationis infelicitas est. Atque hac ex parte nonnunquam in opere labascit, sed non in essentia. Vnde cùm bene illud habet, quisquis ad ipsum rectè pertingit, meritò inde beatus dici potest. Et hanc Dominus beatitudinem intelligi voluit, vbi ait:

Mentis conditio quæ.

Sex quædam hîc exponi.

I. II. III. IV. V. VI.

Silentiũ & otium ad quid necessarium. Quo nox conducat Matutini temporis cōmoditas.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Porrò vt hoc ipsum fundum feliciter sentiatur, locus & tempus, silentium & otium necessaria sunt: præter quæ etiam hoc in primis exigitur, vt tecum maneas, & ipsi perseueranter intendas. Nec parum huic nox ipsa contulerit, quæ & prolixa satis est & quieta. Sed heu miseri, quando aliquid huius matutino tempore experiri atque percipere deberemus, modò his, modò illis indigemus: sicq; huc illucq; discurrimus, nec huic percipiendo intus vacamus. Quod totius boni æmulus diabolus cernens, vias omnes obstruit & obturat, ita vt fortasse nunquam inde aliquid percepturi simus: & Deus alios in locum nostrum subrogat, quos huic toto studio vacare conspicit. Quæso, dilectissimi, certum habetote, prorsusq; confidite, Deum Opti. Max. facilè necessaria vobis præstiturum, quando etiam regnum vobis tribuit, libenterq; minima daturum, qui maxima largitur. Cæterum nihil æquè vobis officit, quàm quòd vobiscum non manetis, nec huic studiosè vacatis. Quotquot autem in hoc fundum probè pertigerunt, cùm perfectissimi sint homines, nemo in eos dominium sibi vendicare debet, quando nec summus Pontifex, neque Ecclesia sancta id agunt, sed Deo potius ipsos relinquunt. Sanè quæcunque de hoc fundo diximus, ex diuersorum sanctissimorum hominum scriptis, modò tempus id sineret, facilè probari possent. Et vt pauca adferamus in medium, Dauid ipsum vocat, dormire *in pace in idipsum*: Sanctus Paulus, pacem, *quæ exuperat omnem sensum*: Diuus Ioannes, *silentium quasi media hora*: Et alij plures excellentissimi viri, vt diuus Dionysius Areopagita, diuus Gregorius, multa hinc scripsêre. Spatium autem & locum ipsi præbere, studiumqúe impendere oportet. Vt enim Augustinus ait, cùm Deo in homine operari placet, operi illius studiosè vacare, intendere & adhærere debet. Et eiusmodi audire conuenit, quod Dominus ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Est enim iugum ligneum instrumentum, quo iunguntur boues, & adinuicem arctantur. Sic & Pater cælestis huiusmodi præclaros homines intus quidem ad intima, & foris varijs aduersis casibus ac molestissimis modis trahit & ducit: quæ tamen omnia mirum in modum suauia eis sunt, & onera cuncta leuia satis. Vnde & Pater æternus, vtut placet, trahere eos potest. Et tu ergo sine, vt alij te verberibus afficiant, tu interim tace. Deus enim onus suum tibi imponere vult. Si dixerint alij, sensibus te destitutum, & malè te habere: nihil cura, sed sile tantùm. Istud namque onus Deus tibi imposuit, non quo caput auferri tibi debeat, vt olim Martyribus sanctis. Præstet nobis Dominus Deus, vt omnes ita sequamur & videamus, vt beati fiant oculi nostri, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

In quos neq; Pontifex, neq; Ecclesia quicquã agant. Psal 4. Phil 4. Apoc.8.

Matt.11. Iugum.

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS.

Vt nouum induere hominem, & secundùm Deum formari, in ipsumqúe transformari debeamus, potissimum iuxta proprietates quatuor, in quibus illi conformes efficimur.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius diei est de decem Leprosis, quos Dominus curauit. LVC. XVII.

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. AD GAL. V.

SALV-

SALVBERRIMA planè, dilectissimi, ea, quam audistis, Apostoli institutio est, cui si morem gerere volumus, si spiritu ambulare gestimus, expedito prorsus atque constanti animo à cunctis vitiosis defectibus atque peccatis, & omni creaturarum inordinato amore ac delectatione nos auertere, animamqúe cum vniuersis viribus illius amorosè ad Deum introuertere oportet, idqúe per orationem continuam, per abstractionem, & per discreta virtuosaque exercitia, hac ratione assumenda, vt caro spiritui subijciatur. His enim studijs nouum induimus hominem, qui secundùm Deum creatus est. Iam vt aliquid de animæ nobilitate loquamur, hoc certum habete charissimi, quòd licet creaturæ omnes, quæcunque conditæ sunt à Deo, ad Deum pertineant, singulariter tamen cuiuslibet hominis anima illi coniuncta est: quam dum conderet, nullius est vsus obsequio creaturæ: sed liberrima hanc voluntate, solius consilio bonitatis suæ, secundùm similitudinem suam condidit: atque hinc præ cæteris creaturis hæc ipsi est coniunctior. Nam & imago similitudinis illius tam altè ei impressa est, vt nulla possit vnquam ratione deleri. Inde & animabus damnatorum, sempiternis gehennæ flammis traditis, hæc similitudinis eius imago tam tenaciter inhæret, vt nullo sit vnquam tempore delenda. Itaque sicut intus ad Dei similitudinem propriè formati sumus, ita & foris in vita & conuersatione nostra Deo conformari debemus. Quatuor autem Deo inesse legimus, in quibus vt illi conformes efficiamur, pro viribus annitendum est nobis. Primum est, quòd inuisibilis est Deus. Vnde legimus: *Non videbit me homo*, mortalibus scilicet oculis, *& viuet*. In hoc ergo sic ei conformari debemus, vt vbi vitam spiritalem arripuimus, deinceps inuisibiles simus, ita videlicet, vt deinde nunquam in tali opere aut eiusmodi moribus deprehendamur, vt qui nos fortè adspexerint, è nobis scandali materiam sumant. Talis Apostolus erat, qui dixit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Quod enim mundum sibi dicit crucifixum, nihil aliud significat, quàm omne gaudium, mollitiem, voluptatem, quanta mundus hic totus præstare potuisset, adeò illi contraria & exosa fuisse, vt minus illa eum, quàm crucis patibulum delectarent. Rursumque, quòd se mundo ait crucifixum, hoc significat, quòd se talem in moribus, in conuersatione, in habitu, & in cunctis denium operibus suis mundo exhibuerit, vt hîc minori illius, quàm crucis desiderio teneretur. Et in isto spiritualium hominum siue Religiosorum consistit perfectio: quod quisquis in se sentit, ipsissimam se nouerit perfectionis viam apprehendisse. Sanè multi sumus, quibus *mundus crucifixus est*, ita vt nihil illius appetamus: Sed inter mille vix vnum reperies, qui hanc perfectionem adeptus sit, vt mundo non cupiat placere. Nec tamen hoc de manifestis peccatis dixerim. Quisquis autem id perfectionis consecutus est, vt cum Apostolo dicere possit: *Ego mundo crucifixus* sum, hic in cunctis actibus, negotijs & modis, totiusqúe exterioris hominis compositione ita se gerere debebit, vt nulli omnino præterquam soli Deo placere cupiat, nihil nisi Deum desideret, cogitetqúe. Idemqúe ex sententia cum eodem Apostolo & hoc dicere potest: *Mihi mundus crucifixus est*: quandoquidem talem se in omnibus foris & intus mundo exhibet, vt hîc non magis ipsum, quàm crucem petat. Secundum, quod Deo inest, in quo etiam ipsi conformari debemus, hoc est, quòd stabilis est & incommutabilis. Et nos ergo similiter in vita laudabili & sancta stabiles & incommutabi-

Spiritu qui ambuletur.

In quibus quatuor Deo conformari nitendû.

I. Exod 33.

Galat. 6.

Spiritualium perfectio in quo consistat.

Galat. 6.

II.

tabiles perseuerare, atque Deo nos resignare, eidemquè perseueranter inniti debemus, adeò vt si cælum terræ misceatur, nulla perturbatione pulsemur, nec ad vitia pertrahamur, nec vlla ratione Deum deseramus. O quàm ille similis est Deo Creatori suo, cui omnia eadem sunt, æquè scilicet grata & accepta, tam aduersa quàm prospera, tam amara quàm dulcia, tam inopia quàm diuitiæ, tam mala quàm bona: quique per omnia immobilis in seipso, cunctis rerum
III. creatarum motibus renuntiauit. Tertium est, quòd quæcunque Deus creauit, eorum omnium in seipso, in vnigenito Filio suo Domino nostro IESV Christo, qui est creaturarum omnium effigiator, ideas ab æterno continet, quæ tamen non tales sunt in Deo, quales in seipsis. Viuunt nanque in Deo & sine initio, & absque fine. Et in hoc quoque ita Deo conformabimur, vt virtutum omnium effigiatores simus. Verbi gratia: Bonus quisque per status & gradus omnes hominum virtutibus refulgentium discurrens, & ab vno transiens ad alium, à singulis quasdam sibi virtutes colliget, ab vno quidem humilitatem, ab alio patientiam, à tertio resignationem, modestiam, deuotionem, vitam spiritualem, veritatem, probitatem, castitatem, obedientiam, cæterasque virtutes addiscens, & quendam sibi velut thesaurum virtutum colligens, vt omnium fiat virtutum in seipso effigiator, ita vt nihil vnquam in eo nisi viua quæ-
IV. dam virtutum spectentur simulacra. Quartum est, quòd Deus bonus est, & fons vnde bona cuncta procedunt. Quæcunque enim in hoc mundo bona dici queunt, inde bona sunt & bona dicuntur, quòd Deus suæ bonitatis guttam quandam illis impertijt. Quum ergo certum habeamus, dilectissimi, bona quæque ex Deo tanquam è fontali totius boni emanare principio, nihilque bonum esse posse, nisi quatenus ex abyssali bonitate illius procedit profluitque: necessarium cum primis erit, vt si quidem influxum bonitatis illius in nos recipere voluerimus, ipsi nos coniungamus, applicemus, propinquemusque. Quanto autem fonti huic totius boni viciniores facti fuerimus, tanto plus bonitatis & gratiæ illius suscipiemus. Porrò, quum mundo, id est, peccatis renunciamus, & vitam religiosam assumimus, tunc omnium gratiarum fontali propinquamus origini, si tamen perfectè & integrè mundo valefacimus. Is autem perfectè mundum deserit, qui quæcunque mundi sunt foris relinquit, propriam scilicet voluntatem, proprium sensum, priuatum amorem. Hæc enim omnia penitus abdicanda & foris relinquenda sunt, adeò vt nec sui corporis, nec rerum suarum, nec liberæ voluntatis suæ aliquid sibi referuet, qui verè bonus ac probatus fieri voluerit, sed voluntatem suam resignet alteri, eidemque ad mortem vsque obediat: bona quoque sua alterius arbitrio relinquat, nihil omninò sibi proprium vel occultè reseruans: voluntatem denique suam alteri regendam tradat, & in omnibus illi faciat manifestam. O si quis ita faceret, si quis tam perfectè & in natura & in spiritu, quod suum est, abnegaret & exiret, totiusque boni & omnis gratiæ fonti propinquaret: quàm hic copiosè ac largè viui fontis susciperet influxus, qui cunctas animæ suæ virtutes efficeret fructuosas. Et tunc ad essentialem idem ipse beatitudinem pertingeret, ita vt Deo conformari, & nouum posset induere hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Quod nobis omnibus præstare dignetur super omnia benedictus Deus in secula, Amen.

Vnde bona omnia manent.

Perfectus mundi desertor quis.


DOMI-

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

De triplici conuersatione, & vt seipsum quisque gerere debeat erga seipsum & erga proximum, iuxta perfectissima vitæ Christi exempla, & internam ab omni imagine nuditatem per pressuras omnes & tenebras multas.

SERMO I.

Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. GALAT. V.



SCRIBENS Galatis Apostolus, inter cætera sic ait: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque: & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero,* &c. Hæc Apostoli verba omnia sensibus grauida sunt, maximè quæ primo loco sunt posita, à quibus huius diei Epistola sumit exordium, videlicet: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*, Spiritu vtique sancto. Quomodo enim corporis vita anima est, ex qua corpus viuit: sic Spiritus sanctus animæ vita est, de quo ipsa viuit. Ait ergo Apostolus: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Cæterùm triplici nobis ratione ambulandum est: quarum prima, externa est erga nosipsos & proximos nostros: secunda, iuxta exempla Domini Saluatoris: tertia, absque imaginibus & formis est. Corporis & animæ vita quæ. Triplici ratione nobis ambulādum.

I. De prima loquitur Apostolus, dum ait: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Hanc inanem gloriam homines mundani & huic seculo dediti noctu diuqúe omni cum conatu sectantur: itaque manifestum est, necdum eos Spiritum sanctum esse adeptos. Non enim sunt membra Dei, sed abscissi sunt & separati, nec aliquo in pretio habentur apud Deum. Alij deinde sunt, qui sub habitu & schemate religioso mundana corda circunferunt, & in omnibus honorem & vanam gloriam quærunt, puta in vestibus, in clenodijs, in amicis, in socijs & consodalibus, in consanguineis, & id genus alijs multis: in quo quanto diutius perseuerant, tanto peiores efficiuntur. Nec ipsi enim Spiritum sanctum habent, & maiori viuunt in discrimine, quàm vel ipsi credere possint. Est autem vana seu inanis gloria, quando ex re qualibet præ cæteris reputari, diligi, honorari appetimus. Quod quidem vitium tam subtiliter cunctis bonis institutis, modis, verbis, operibus, gestibus sese admiscet, vt meritò summo cum studio super suam quisque custodiam stare, Deumqúe omnipotentem, vt se custodiat, quandoquidem nullæ sunt vires nostræ, & ex nobisipsis nil boni possumus, iugiter deprecari debeat. Hinc iam & cum proximis cautè nobis ambulandum est, vt non inuicem prouocemus, non contendamus, neque contristemus quemcunque proximum nostrum. Ad hoc enim ante omnia vel maximè cuique nitendum est, vt neminem duris, acerbis, asperis verbis aggrediatur, sed dulciter ac amicè in spiritu lenitatis, quæ dicenda sunt, dicat, considerans seipsum, & non offendat, nec affligat, neque perturbet proximum suum. Sed heu videas quosdam, pro leuissima re plus satis horribilibus verbis, nimiaqúe duritia, amaritudine, indignatione, nimiumqúe feris gestibus vti. Sed quicunque tales sunt, nouerint se à Vana gloria quid. Cum proximis qui ambulandum.

Spiri-

Spiritu sancto minimè moueri. Nam & si qua iniuria affecti sunt, nolunt ciuiuisci. Probet hîc vnusquisque vitam suam. *Alter* quoque *alterius onera* portabit, & omnes vnum corpus erunt in Christo Iesu, in vera fraterna dilectione. Qui superiores sunt, subditos suos piè instituere ac informare, & amicè reprehendere debent. Hoc perfectè satis beatus Pater Dominicus impleuit, cuius tanta lenitas fuit, cum sancta quadam nihilominus grauitate coniuncta, vt quoscunque reprehendisset ex subditis suis, licet peruersissimi forent, in melius vitam suam commutarent. Sicut ergo homo mansuetus per patientiam suam alterius duritiam emollit, & conuertit in mansuetudinem: ita qui in aliquo delicto præoccupatus est, iuxta Apostoli doctrinam, in spiritu lenitatis instrui debet, & indocti mansuetudinis exemplo sunt edocendi. Videat hîc vnusquisque, vt se habeat erga proximum suum, & caueat violare templum Dei, ne disperdat ipsum Deus.

Quanta S. Dominici lenitas.

II. Secunda conuersandi ratio, quam sectari debemus, circa imagines versatur, circa exempla videlicet Domini Saluatoris, quæ nobis ob oculos instar speculi proponere curabimus, veluti effigiatores quidam, vt omnes actiones nostras secundùm ipsa, quatenus fieri poterit, informemus ac dirigamus. Respiciemus igitur, quàm patiens, quàm mitis, quàm benigna, quàm taciturna, quàm fidelis, quàm pia, quàm iusta, quàm verax fuerit effluentissima charitas, totaque vita illius. Hęc autem ita considerabimus, vt inde orationes formemus, Deum ex intimo corde precantes, suæque abyssalis bonitatis per quàm seriò eum admonentes, vt quandoquidem nihil possumus viribus nostris, nec quicquam sumus aut habemus ex nobisipsis, auxilio nobis esse dignetur, quo in his ipsum imitari, hacque post ipsum via incedere possimus. Immensam quoque dissimilitudinem nostram suæ rectitudini siue iustitiæ opponentes, simul adspiciemus, quàm remoti & extranei simus ab hac salutifera via: diebusque singulis multa cum deuotione Patri cælesti Filij sui rectitudinem, pro nostra dissimilitudine seu tortuositate, eiusdemque innocentissimas cogitationes, verba, opera, virtutes, conuersationē, amarissimam passionē, pro nostris, cunctorumque hominū tam viuētium, quàm mortuorū, culpis atque peccatis offeremus. Credite mihi, dilectissimi: tanta est bonitas Dei nostri, vt si quis illi bene se applicare sciret, facilè ab eo quicquid ille præstare posset, petendo obtineret: libens enim rogatur, & precibus facilimè flecti potest. Exaudit libenter amicos suos, & omnem citra difficultatem cōpurgatorium ex integro relaxat, si tantùm funditus ac intimè nos ad ipsum cōuertamus, ita vt defectus omnes, vniuersaque dissimilitudo, cunctaque media per ipsam conuersionē penitus tollantur, & quicquid perijt temporis, recuperetur. Attamen hanc conuersionem Deus largiri & operari habet, pro ipsaque eundem quotidie, quanta possumus cum humilitate & amabilitate, rogare debemus. Estque hoc vnicuique diligenter obseruandum, vt cùm ita se introuertere monetur intus à Deo, omnibus confestim impedimentis renuntiet, & huic intus intendat. Sanè oratio mentalis siue interna cælos penetrat, si tantùm hoc curemus, vt dulcissima Christi sectemur vestigia. *Adorabimus*, inquit Propheta, *in loco vbi steterunt pedes eius*. Et huc tendit, quicquid vel ego vel cuncti Doctores tradere possunt, vt scilicet amabilissimis Domini Dei nostri vestigijs inhæreamus. Inde est quod Apostolorum Princeps ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Nec vnquam in tam sublime aliquis proficiet,

Exempla Christi quomodo oculis obijcienda.

Bonitas Dei quanta.

Quæ oratio cælos penetret. Psal. 131.

1. Pet. 2.

ficiet, vt extra hæc Domini vestigia pedem mouere debeat. Quanto enim altius profecerit, tanto his arctius ac profundius, tam agens quàm fruens siue contemplans, inhærebit ac imprimetur. Sed videas dominas meas à foro redeuntes, statim sessum ire, quasi iam peracta sint omnia. Nolite, obsecro, errare: nondum ad id perfectionis conscendistis, nec otio ad perfectionem peruenitur. *Qui sunt Christi*, ait Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Queruntur etiam impediri se: dumqúe orationi insistere volunt, somnolentia prægrauari. Nec id mirum sanè. Nullam præterea se dulcedinem experiri. Ergóne illic dulcedinem quæris & accipere moliris, ô homo, vbi Dominus tuus immensa quadam & intolerabili fuit repletus amaritudine? Planè tepiditas & negligentia tua longè te facit à vestigijs illius, dum in omnibus & verbis, & operibus, & institutis siue modis, tuum duntaxat quæris commodum. Cæterùm noli, obsecro, delectationem quærere, nec in rebus, nec in formis seu imaginibus intellectualibus: potius teipsum intus cum lachrymis illius substerne imagini seu exemplari, tuumque nihilum (reuerà enim nihil es) iugiter contemplare, certus, quòd quanto humilior, tanto & sublimior eris. *Qui enim se humiliat, exaltabitur.* Statue nihil tuum in celsam illam ac superessentialem essentiam, & vide quàm penitus nihil propter te effecta est: nec persuadeas tibi, vllo modo vinci posse naturam tuam, nisi eam viriliter aggrediaris. Non enim hæc gratia è cælo in sinum tuum delabetur. Attamen adeò quidam in donis Dei quiescunt, vt opes internas Deus eis subtrahere cogatur. Qui si resignati forent, non ab eis spiritalis tolleretur abundantia: quin potius multum in ea proficerent. Vulgò dicitur: Quod nullo constat, nihil valere potest. Iam quòd homines quidam iuuenes, robusti & incolumes, quique seipsos nondum vicerunt, & adhuc in carne viuunt & sanguine, multa sibi incidere, varijs se moribus agitari, ac diuersas sibi imagines occurrere queruntur: quid, oro, admirationis habet? Potest enim id fieri, eo quòd necdum probè quæsierint. Alia igitur illis arripienda via est, si proficere cupiant, & à Deo gratiam obtinere. Enimuerò instar Simonis illius Euangelici, crucem quidem, sed, sicut & ille, coacti, non spontè neque ex amore gerunt. Cæterùm quilibet Christianus etiam in cunctis actibus suis, ex dilectione in crucem ipsam & crucifixum pro se Dominum suum imprimere se debet ac transformare. Si dormiturus est, in ipsam crucem se reponat, cogitans atque desiderans, vt amabilissimus Domini sui sinus, lectus suus sit: corque suauissimum, puluinar: & brachia gratissima, operimentum. In cunctis externis pariter & internis necessitatibus & angustijs suis, certum habebit refugium in brachia latè distenta in cruce: & tutus erit. Si comedit aut bibit, singulos quosque morsellos in amorosa illius intinget vulnera. Denique & Moniales nostræ dum Psalmos decantant, singulos in singula vulnera distinctè collocabunt. Atque hoc modo Dominum suum quisque sibi imprimere, seqúe in illum transformare curabit. Quid enim aliàs vtilitatis habet, quod homines simpliciter quidem de se ferunt, meditari & orare preces Domini Saluatoris, nisi & exemplar illius vita ac moribus imiteris, & ita in ipsam quoque penetres diuinitatem? Tertia demum conuersandi ratio, III. absque imaginibus & formis est. Hæc planè subtilis admodum, angusta, tenebrosa, desolata & incognita via est, de qua sanctus Iob, imò Dominus per Iob loquitur, vbi ait: *Viro, cuius abscondita est via, & circundedit eum Deus tenebris.* Quæ enim

Ignauiæ ituisio.

Galat. 5.

Lucæ 18.

Quo solo sua cuiq; natura vincenda.

Prouerbium.

Lucæ 23. Matt. 27.

Passio Domini quanto affectu recogitanda.

Iob 3.

enim alia hæc via eſt, niſi ea, de qua agimus? Hîc fœminę in viros abeunt: & quicunque viri Deum non ſequuntur, rediguntur in nihilum. Eſt autem, vt dixi, tenebroſa admodum via hæc. Quæcunque enim ſuperius hinc dicta ſunt, auferuntur iſtis, nec omnino ſapiunt eis: quorſum autem tendere debeant, ignorant: ſicqúe fit, vt magnam hîc preſſuram ſentiant, vt meritò de eis dici queat: *Circundedit eos Deus tenebris*. Quæ verba diuus Gregorius exponens, ait: Tenebris homo circundatur, quia ignorantiæ ſuæ caligine premitur: & ſæpè, vnde placari iudex creditur, inde ad iraſcendum placidus inſtigatur, Salomone atteſtante, qui ait: *Eſt via, quæ videtur homini recta nouiſſima autem eius ducunt ad mortem*. In hac ergo, dilectiſſimi, via tenebroſa & incognita, ita ſpatioſum & latum deſerendum eſt: hoc enim ad perditionem ducit: &, ſicut Euangelium hortatur, via arctior eſt arripienda, quæ quidem arcta & anguſta via, compendioſior ſemita eſt. Via etenim, quæ hîc homini proponitur, ſcientia & ignorantia eſt, per quas quiſque vno oculo, inſtar ſagittarij, ſcopum ſuum, quem attingere cupit, vigilanter adſpicientis, diligentiſſimè contueri debet, quo ſemper hanc anguſtam teneat ſemitam & ſpatioſum iter pro viribus caueat. Deinde in hac eadem anguſta ſemita duo extrema occurrunt, per quæ medius gradietur, ſcientia videlicet & ignorantia: quorum neutri inhærebit, nec innitetur, ſed ſimplici per ea fide tranſibit. Occurrit & certitudo & incertitudo, per quæ cum ſpe ſancta gradietur. Eſt ibi & pax ſpiritus, & naturæ afflictio, per quæ vera cum reſignatione tranſibit. Sic & interdum grandis quædam fiducia ſentitur, quam paulo poſt timor inordinatus expellit: & per iſta cum humilitate medius ibit. Itaque arcta hæc ſemita diligenter obſeruanda eſt. Cæterùm ignorantia, de qua loquimur, ſecundùm interius fundum accipienda eſt. In exteriori autem homine, & in viribus vti habeamus, & circa quæ verſemur ſtudia, ignorandum non eſt. Turpe eſt enim homini aliena ſcire, & neſcire ſeipſum. Porrò vbi per hæc extrema aliquis percurrit, ab horribili illo timore, de quo beatus ait Gregorius, ſecurior fit: extrema dico, ſcientiam & ignorantiam, in quorum vtroque errare poſſet, & ex vno plus ſatis extolli, ex altero immodicè deijci ac perturbari. In his ergo omnibus, & alijs quibuſcunque, quæ ſcribi poſſent, nuſquam omnino hærendum, nulli prorſus innitendum eſt, ſed quælibet extrema homini occurrant, ſemper vera cum reſignatione in profundam humilitatem, atque in proprium nihil ſuum, fidem quoque ſanctam, ſpemque viuam atque diuinam, ſeſe demittet, cauens ſibi, quantum fieri poterit, à ſpurciſſima deſperatione, quæ plures pedem retrahere atque retrogradi fecit, dum in his perſeuerare impoſſibile ſibi crederent, atque ita à propoſito reſilirent. Quos, obſecro, ne ſectari velitis, dilectiſſimi mei, nec vos retrorſum impelli patiamini: ſed cum amore & deſiderio penetrare obuia quæque contendite, piè ſemper optimo atque fideliſſimo Deo Creatori veſtro innitendo. Sanè cui natura ſiue complexio bona contigit, & gratia prætendit auxilium, non poteſt non celerrimè proficere, ſi tantùm cooperari & ipſe non recuſet. Sic enim plures ipſe noui homines & ætate iuuenes, annorum ſcilicet viginti quinque, & in matrimonio degentes, & generis nobilitate claros, qui tamen in hac via perfectè ſunt conſtituti. Quidam etiam, dum in hac ipſa ſemita ſcopum, id eſt, diuinam operationem, obſeruare deberent, pro mendicandis panibus exire compelluntur: ſicque fieri poteſt, vt maxima interim ab eis negligantur. Credite mihi: difficile ac periculoſum eſt regere eos, qui

Ibidem. — Prou. 14. — Matt. 7. — Qui myſticè per anguſtam eundum viam. — Qui inter ſpem metumq; tutò eatur. — Seipſum neſcire quale. — Deſperatio quantopere cauenda. — Proficere qui facilè quis poſſit.

qui hanc tenebrosam gradiuntur viam. Facilè nanque aberrare possunt. In operibus autem eiusmodi hominum, tria sunt. Primò quidem Deus omnia ipsorum opera, quatenus se illi resignârunt, in eis operatur: & ex hac parte boni sunt atque laudabiles. Secundò ex ea parte, vbi in Deum cum omni mente sua sese receperunt, illique intra semetipsos per amorem & intentionem cooperantur, similiter boni sunt. Tertiò verò, quatenus cum arrogatione ac naturæ proprietate, & quadam suijpsorum complacentia ad ista reflectuntur, ibi prorsus malè cum eis agitur. Hinc enim tenebræ augentur, productioresque fiunt: ex tenebris autem istis magnam pressuram & afflictionem incurrit. Hîc nanque veluti inter duo extrema, quæ sunt imagines & nuditas, medius homo consistit: & omnia superius memorata illi exciderunt, nec omninò sapiunt, quæque illi sapiunt & quærit, iam non inuenit: itaque magna quadam & forti stat pressura & angustia constrictus. Et hæc pressura, multos Aquisgranum & Vrbem accedere, multos pauperum conditionem suscipere, plerosque Monasteria & inclusoria subire facit: sed quo plus sese extrouertunt, eo minus inueniunt. Quidam verò ad imagines suas in intellectu fabricatas reuertuntur, luduntque cum eis: dumque pressuram hanc ad finem vsque perpeti nôlunt, funditus collabuntur. At quicunque ad extremum vsque desolatas has tenebras patienter ferunt, amabilissimi pariter ac præclarissimi efficiuntur homines. Verùm in his hominibus natura innumeras subire mortes habet. Olim discipulus cuiusdam senis eundem rogauit, quidnam facere debuisset. Cui senex ille respondit: Abi, inquit, & sede in cella tua, & plora iugiter cum Propheta, dicente: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Necesse est enim, dilectissimi, vt in eis, de quibus præfati sumus, Domini vestigijs fixus & stabilis quisque persistat. Nam quid alioqui prodest cogitare ac meditari ea, nisi & viuendo calcare & subsequi velis? Planè charissimi, non otio vacant homines illi, quos paulo ante memorauimus. Sed dicet forsan aliquis: Et quid tandem fit eis? Dicam hoc paucis. Sub horula vna repente Dominus cum fulgore quodam eis illabitur, in eodemque fulgore amicè admodum suauiterque occulta in ipsos bonitas venit. Hîc iam in admirando lumine, & in eodem coruscę lucis in interius fundum radiantis fulgore, latens eis veritas manifestatur: simulque palam hîc eis innotescit, quo & qua ratione Dominus ipsos per præfatas vias tenebrosas deduxerit, & nunc tandem perduxerit ad lucem, in qua idem ipse benignissimus Deus pro omni diutina ipsorum expectatione, multaqúe afflictione, abundè nunc eos consolatur, refouet, recreatqúe. Quibus deinde, si vnquam ante, vel maximè fuerit necessarium, vt in vera resignatione in altissimum humilitatis fundum sese demittant. Quo enim profundius sese demerserint, deiecerintqúe, tanto Deus omnipotens & ipsos & cuncta opera ipsorum interius, vicinius, abundantius sibi coniunget & assumet, seu de ipsis ipsorumqúe operibus se amplius intromittet, cunctaqúe eorum opera supernaturali quadam ratione operabitur in eis. Qui & nobis omnibus præstare dignetur, vti sic eum per has obscuras & tenebrosas sequamur vias, quo ad veram lucem quandoque ab ipso perduci mereamur, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Peregrinationes & Religiones cur quidā suscipiunt.

Paradigma.

Psal. 41.

DOMINICA EADEM.

De damno incomparabili, quod inordinata pro temporalibus solicitudo hominibus infert. Vti quærendum sit regnum Dei, & iustitia illius, & vbi inueniantur. Cur item suos Deus crebrò hîc in multa paupertate relinquat. Ad extremum de salubri quadam & vtili solicitudine.

SERMO II.

Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius. MATTH. VI.



IN Euangelio hodierno Vnigenitus Dei Patris notatu dignam nobis, dilectissimi, proponit similitudinem, hominemqúe rationis participem ad ornatum terræ nascentium florum, & irrationales cæli aues inspiciendas remittit: *Respicite*, inquiens, *volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum est istis. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.* Iam ante in exordio Euangelij huius dixerat eis: *Nemo potest duobus dominis seruire:* (Qui sint duo domini, postea exponit, dicens: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*) *aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Quibus simul omnibus consideratis, dictu mirum est, & capi non potest, quanta his verbis comprehendantur. Vnde & fidelis quisque totum hoc Euangelium veluti speculum sibi ob oculos iugiter proponet, & haud secus quàm Dominicam tenebit orationem. Planissimis enim & apertissimis verbis, optimisqúe similitudinibus ipsam hîc nobis veritatem Veritas ipsa proponit atque demonstrat, omnemqúe nobis rerum labentium & caducarum solicitudinem interdicit, dum ait: *Quis vestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Et, *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse.* Iam si penitius ista inspiciantur, liquet nimirum, quàm omnes penè homines in toto orbe purissimæ veritati nimis dissimilem gerant vitam. Sub hac autem solicitudine occultum quoddam vitium latet, quod est execranda auaritia, quæ inter septem mortalia peccata numeratur, quæ occultè & inaduertenter tam grauia infert damna hominibus, vt nihil æquè noceat. Videat, oro, vnusquisque & diligenter aduertat, quantum laboris, quantam operam, quàm multum temporis insumant, & quàm multa demum subtiliter & mira excogitent ac machinentur singuli aduersus proximos suos, opum duntaxat & rerum labentium conquirendarum gratia. Quæ si per singula discutere atque latius prosequi vellemus, in immensum se noster Sermo extenderet. Quæso tamen liceat mihi, pace vestra, saltem à latere ista rimari. Quantum, obsecro, malum est, quòd tam pauci Deo Opt. Max. summè bono & omnipotenti pia cum fiducia inniti audent, & vix aliquis inuenitur, qui huic purè erga Deum fiduciæ studere velit? Quod inde satis liquet, quòd tam immodica plerique solicitudine detinen-

[Margin notes: Qui sint duo illi, quibus simul seruiri non potest, Domini. — Solicitudinis piæ prætextu auaritiam sibi placere. — Quantum auaritia à ferat mali.]

tinentur, quos tamen Deo omnipotenti plena cum fiducia totos ſe relinquere ac reſignare oportebat. Ecce enim tot curis diſtenduntur, tot laboribus inſudant, tot negotijs implicantur: adeóq; ſibijpſis etiam neceſſaria ſubtrahunt, ac ſi perpetuò ſint ſuperſtites futuri. Quæ tamen omnia ex peſſimo auaritiæ procedunt fundo. Quod ſi diligentius inſpiceremus, non poſſemus non terrore concuti, conſiderando, vti omnes penè quod ſuum eſt quærant occultè in omnibus erga homines quoſcunque, in verbis, in operibus, in donis, in obſequijs, ſemper aliquid ſuum ſpectantes & intentione proſequẽtes, putà vel honorem, vel commodum priuatum, vel delectationem, vel obſequia, ita vt penè nihil ſit, in quo non ſaltem aliquid ſuum requirant: adeóq; & in Deo ipſo, & creatis omnibus iſta quæruntur & intenduntur. Et hoc malum peſtiferum, auaritiam dico & terrena congregandi ſeu inquirendi ſtudium, tam altas in pleriſque radices iecit, vt omnes omnino anguli ipſo abundent, & ſicut *mulier* illa Euangelica, *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, inclinata erat, nec omnino poterat ſurſum reſpicere*, ita & iſti reuera incurui ſunt, & cæci ſpiritaliter ſecundùm animas ſuas. Quid eſt, ô miſer & cæce Religioſe, non in veritate, ſed ſola ſpecie Religioſe: quid eſt, obſecro, quòd pijſſimo & veraci Deo, à quo tanta beneficia, corporalia ſimul & ſpiritalia conſecutus es, qui & æternæ tibi beatitudinis gloriam promiſit, & à peſtifera corruptiſſimi ſeculi ſolicitudine te exemit, confidere nõ audes, quòd & vilia quæq; naturæ neceſſaria ſubminiſtrabit? Heu quàm dolendum eſt, Religioſos quoſdam adeò ſenſus omnes, totumq; amorem ſuum atque conatum ſolis externis laboribus & exercitijs noctu diuque impendere & adhibere, & perpetuo ſtudio id ſolùm curare, vt vel nendo, vel alijs quibuſuis operibus externis bona temporalia ſibi conquirant aut parent neceſſaria, interim tot imagines & diſtractiones ex ipſis operibus contrahentes, vt vix vnquam ſiue ad Deum, ſiue ad corda ſua purè ſe conuertere queant: dumque concepta opera feliciter eis procedunt, nullo proficiendi deſiderio, nullo æternorum amore inardeſcunt, nec ad ſuam, vnde profluxêre, originem tendere curant: ſicque miſeri per vilia hæc & friuola, haud ſecus, quàm ſeculares homines per maxima quæque, à verò profectu impediuntur. Ipſe namque Dominus ait: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo* ſcilicet *& mammonæ.* Sed *quærite*, inquit, *primùm*, id eſt, ante omnia & ſuper omnia, *regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Vbi notandum eſt, quòd non dicit, dabuntur: ſed, *adijcientur vobis*, tanquam diceret: Indigna ſunt quæ dona vocentur. Itaque *adijcientur vobis*. Et nihilominus quantopere iſta vilia & friuola intendantur, amentur, quærantur palam & occultè, quantaq; eorum gratia ſolicitudo geratur, quàm auidè deſiderentur, quanta denique cum tenacitate cuſtodiantur, neque dici neque capi poteſt. Ideoque miſſum illud facimus. Cæterùm Propheta hortatur, dicens: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Et diuus Petrus: *Omnem*, inquit, *ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Enimuerò ea, quæ pro terrenis rebus ſolicitudo geritur, tria non contemnenda hominibus damna præſtat. Primum eſt, quòd intellectum & rationem obfuſcat & excæcat. Secundum, quòd ignem diuini amoris, quod ad feruorem & ſtrenuitatem attinet, extinguit. Tertium, quòd vias interioris ad Deum acceſſus obſtruit, ſuffocatque haud ſecus, quàm denſa nebula vel fumus groſſior hominis intercludit anhelitum. Ita, inquam, & ſolicitudo hæc facit, quæ ex peſſimo auaritiæ

Luc. 13.

Contra Religioſos temporalium nimis ſolicitos.

Cur tẽporalia adijci potius, quà dari dicantur.

Pſal. 54.

1. Pet. 5.

Solicitudinis terrenæ damna tria, quæ.

ritiæ vitio trahit originem. Quamobrem, dilectissimi, studiosè actus & occupationes vestras, dum in hoc gratiæ tempore positi estis, discutite, & ante omnia *quærite primum regnum Dei*, vt hoc intra vos veraciter inueniatur ac detegatur, vbi ipsum occultum latet, & penè suffocatur in interiori fundo animæ vestræ. Certum est enim, quòd quicquid in hoc tempore per rerum labentium solicitudinem immoderatam neglexeritis, semper & æternaliter eo carituri sitis. Vt autem regnum Dei intra vos inueniatis, virili profectò eademq; crebra decertatione, & aduersus carnem, satanam & mundum strenua iugiq; dimicatione & pugna opus est. Nisi enim vitia omnia, & singulariter ea, de qua agimus, solicitudo immodica, funditus euellantur, regnum Dei veraciter inueniri non poterit. Nec hoc vnius diei opus est. Nam quæ per vim alicui obtinenda sunt, ea multo cum labore, studioq; sagaci assequi debebit, antequam exterior homo rerum transeuntium amore & externa hac abstrahatur solicitudine. Enimuerò vitium istud siue defectus, tam altè & occultè suas in bestiali naturæ fundo radices fixit, vt semper aliquid ceu obiectum habere cupiat, in quo suum quærat, idquè tam in verbis, quàm in operibus & modis, & in obsequijs, & in mutua familiaritate seu amicitia. Adeoquè detestabilis hæc naturæ quæsitio in omnibus latenter operatur, vt & in ipso Deo, quod suum, sectetur, cupiens ab eo consolationem, saporem, sensibilem deuotionem, & lumen, & ipsum quoque cælorum regnum accipere, nec vult ei, nisi propter retributionem, famulari. Age, ô homo, fac opera magna & in cunctis te virtutibus exerce: & ita magnam haud dubiè mercedem à Deo consequeris: nec est, quòd pro mercede solicitus sis, si tantum hoc curaueris, vt non iudices proximos tuos, nec teipsum alijs censeas meliorem. Quæ si non caueris, nescio profectò, si vllum à Deo sis præmium recepturus. Iterum vos hortor, charissimi, occultam hanc subtilemquè naturæ quæsitionem cauete, & agite diligenter, ne qua bona spiritalia exercitia pro vilissimis corporalibus siue temporalibus rebus faciatis. Habet namque hoc specimen quandam Simoniæ, quàm Ecclesia sancta vel maximè condemnat, eo quòd iustitiæ penitus aduersatur. Cùm enim Deus omnipotens ipsissimus rerum omnium finis sit, hîc vilissima res temporalis atque caduca in locum illius intruditur, & tanquam vltimus operis finis seu scopus spectatur. *Primum* autem *iustitiam Dei* quærere iubemur: at istud iustitiæ Dei è diametro repugnat. Hoc ergo fundum in vobisipsis, dilectissimi, vigilanter obseruate, solumquè *Dei regnum quærite & iustitiam eius*, hoc est, solum Deum, qui est verissimum regnum, quod vnicuique fideli seruo illius præstatur. Quod etiam regnum desideramus quotidie, & quærimus singuli in orationis Dominicæ decantatione. Reuera namque ipsius Dominicæ orationis tanta celsitudo, tamquè immensa virtus & copiosa vtilitas est, vt ipsi quid oretis, nesciatis. Quod ergo dicimus, *Adueniat regnum tuum*, Deus ipse regnum suum est, & in ipso & ex ipso regno omnes regnant creaturæ rationales: & ita quod petimus, Deus ipse est cum vniuersis diuitijs suis. In hoc regno Deus Pater noster efficitur, & hîc paterna in nobis virtus atque fidelitas sese declarat atque demonstrat, si tamen locum in nobis inueniat suum opus patrandi. Tum verò sanctificatur, magnificatur, agnoscitur intra nos nomen illius. Sanctificatur enim Deus in nobis, quando locū ei præbemus regnandi, atque ipsissimum opus suum intra nos sine vllo impedimento perficiendi. Fit etiam hîc *voluntas* eius *sicut in cælo & in terra*, id est, in nobis sicut

Quanta pretiosi gratiæ tēporis habenda cura.

Spiritalia propter corporalia facere, simoniā olere.

Matt. 6.

Quando in nobis sanctificetur Deus, voluntasque eius fiat.

in ...

in ipso, in illo videlicet cælo, quod ipsemet est. O quoties hîc ex integro nos resignamus, in beneplacitum illius, & citò nosipsos resumimus, nec stabiles in eiusmodi resignatione permanemus. Sed quantumlibet sæpe relabamur, iterum viriliter inchoemus, iterum nos illi funditus resignemus & offeramus, iterum diuinæ nos voluntati vera cum resignatione dedamus, paternæ semper virtuti illius plena cum fiducia innitentes, cui nihil est impossibile, quam & toties intra nos experti sumus, atque horis diebusquè omnibus etiamnum experimur. Et quid causæ est, cur illi nos relinquere non ausimus? Planè, dilectissimi, resignemus nos illi, & quæramus *iustitiam eius*. Enimuerò ea illius iustitia est, vt non deserat eos, sed præsto semper adsit ijs, qui ipsum rationabiliter quærunt, ipsum intendunt, ipsiq; se resignant atque confidunt, & innituntur ijdem. In his etiam regnat, præsidet & dominatur, qui vera cum resignatione illi inhærent, eiqúe innituntur. Qui quotquot sunt, ab omni inordinata solicitudine eximuntur expediunturq́. Nec tamen ita hæc accipienda sunt, quasi tentandus sit Deus. Quinimò rationabili ac prudenti in rebus licitis & ordinatis prouidentia vti, permaximè licet, idqúe non erga nos ipsos modò, sed etiam erga proximos, & in seruitijs communis dilectionis, ita tamen, vt singula quæque, dum ita res postulat, opportunè, discretè, & secundùm rationem fiant. Curandum est enim, vt quod in otio sancto & in æde sacra quærebatur & intendebatur à nobis, hoc ipsum in qualibet actione & occupatione externa quæramus intendamusqúe, siue (verbi gratia) edamus, siue bibamus, seu operis quippiam faciamus, siue dormiamus, siue vigilemus, vt in his cæterisq; omnibus solum Deum, non nosipsos, nec aliquid nostrum intentione prosequamur, perq; instabile tempus & temporalia cuncta, omnesqúe creaturas, cum libera quadam & expedita nostrijpsorum abstractione, ab omni affectu inhærente liberi, ad æternam patriam, in ipsamqúe originem & principium nostrum Deum Opti. Maxi. Vnde in ipsa nostri creatione profluximus, penetremus atque nitamur. Cæterùm hic quæstio incidere potest, quomodo verum sit, neminem relinqui à Deo, qui speret & confidat in ipso, quando tamen sæpenumerò bonos quosque & electos amicos suos in hac vita multa sinit egestate & inopia premi. Verùm hoc, secundùm Albertum Magnum, triplici ratione Deus permittit. Prima est, vt tentet hominem probetqùe, vtrum sibi credere atque confidere ausit. Hinc crebrò electos suos diuersis miserijs & rerum inopia grauiter premi sinit, vt seipsos resignare discant, vtqúe dum inde liberantur ab ipso, illius agnoscant amorem, fidelitatem, auxilium, simulq; maiori illius dilectione, & erga ipsum gratitudine succendantur, atque ita Deo vicinius coniungantur, charioresqùe fiant. Secunda est, vt purgatorium minuat. Tertia, vt grauius inde iudicium incurrant, qui ipsorum miseriam & inopiam temperare possent, & nolunt. Ergo, dilectissimi, *quærite primùm regnum Dei*, id est, purè Deum, nec aliud aliquid. Dum enim amor & affectus creaturarum siue labentium rerum, prorsus extinguuntur ac profligantur, fit tunc *voluntas Dei sicut in cælo & in terra*, vti videlicet Deus Pater hoc ab æterno voluit in cælo, id est, in dilecto Filio suo. Quod dum quisque adeptus est, vt nihil aliud velit, nihil aliud intendat, nihil aliud desideret, quàm vt ea voluntas fiat, iam ipse Dei regnum effectus est, & Deus regnat in ipso. Hicqùe rex ille sempiternus & immortalis, in regali solio suo sedet gloriosus, ambulatqùe & imperat, atque dominatur, & regni gubernacula in eiusmodi homine tenet. Istud regnum

Lapsis nō desperandum, sed viriliter surgendū.

Solicitudo licita quæ.

Triplici ratione Deū suos affligi permittere.

I.

II.

III.

Quomodo quis Dei regnū fiat.

propriè

propriè in intimo animæ consistit fundo. Quando nanque aliquis omni cum exercitatione hominem suum exteriorem in interiorem rationalem hominem trahit, tuncque simul vterque iste homo, vires scilicet sensuales, & rationales, seu intellectuales, totas se in intimum hominem, in occulta spiritus, vbi vera est Dei imago, recipiunt transferuntque, & hic cuncta hæc pariter in diuinam se traijciunt abyssum, in qua semper ab æterno necdum creatus homo fuit. Cumque Deus tanta ipsum cum puritate & nuditate ad se conuersum cernit, mox abyssus diuina in purum & ad se conuersum fundum illius sese inclinat atque demittit, idemque creatum fundum transformatione quadam in essentiam increatam transformat & rapit, adeoque spiritum hominis vnum secum efficit, vt si homo ipse hoc in statu cernere se posset, tanta se nobilitate videret præditum, vt Deum se esse crederet: atque in hoc regnum, istamque dignitatem seu nobilitatem perfectè admissus, (si tamen id fieri posset in hac vita) vel centies millies nobiliorem se adspiceret, quàm sit in seipso, cunctasque insuper tam suas quàm aliorum omnium hominum cogitationes intentiones, verba, opera & modos siue instituta, funditus perfecteque cognosceret, atque ab omni prorsus inani solicitudine eximeretur. Et hoc est *regnum*, charissimi, quod ante omnia quærere debemus, sicut *& iustitiam eius*, ita videlicet, vt ipsum sine omni cuiuslibet propriæ quæsitionis admixtione, omnium in cunctis actionibus nostris intentionum finem scopumque statuamus, & plena cum fiducia innitamur eidem. Sicut enim Deum nemo plus satis diligere, ita nec quisquam nimium illi confidere potest, si tamen fiducia hæc debito modo non sit destituta, & ita *omnem solicitudinem* suam projiciat in Deum, quomodo ipse Christus docuit. Alioquin & Paulus ait: *Soliciti estote obseruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Planè siquidem, dilectissimi, ea quæ in spiritu seu spiritus vnitate pax sentitur, solicitudine multa opus habet. In ea namque pace cuncta iam dicta inueniuntur. In ipsa regnum Dei manifestatur, & iustitia illius reperitur. Hanc pacem, vtut omnia eueniant, nemo sibi eripi aut perturbari vllo modo patietur, siue damnum, siue commodum, siue honor, siue contumelia occurrat, sed in omnibus, & inter omnia hoc summoperè agendum est, vt homo interior in vera pace, & in vinculo pacis, id est, in communi & indiuisa dilectione, qua vnumquenque sicuti seipsum amet, perpetuò conseruetur. Quod vt melius possitis, charissimi, ob oculos quæso vobis amabilissimum exemplar illud, Dominum Iesum Christum proponite, sedulò contemplantes, quantum illius charitas operata fuit, dum plus eum pati fecit, quàm simul omnes Sancti, imò & homines vniuersi vnquam in hoc seculo perpessi sunt: adeoque omni solatio per totam illius vitam ipsum priuauit, vt nemo vnquam hominum tam omni fuerit solamine destitutus, atque ad extremum acerbissimam, qualem nullus expertus est, mortem, ipsum subire coegit. Interim tamen supremæ vires illius non minori quàm impræsentiarum beatitudine potiebantur. Et reuerà quotquot eum perfectius hac in parte secuti fuerint, vt omni forinsecus solatio renuntient, atque intrinsecus verè pauperes & desolati sint, nec aliquod foris sustentaculum, cui innitantur, requirant, & ab omni demum rerum labentium amore, & arrogatione immunes atque nudos se conseruent, illi purissimo & excellentissimo modo eò pertingunt, vbi regnum Dei manifestatur & inuenitur. Nam & hæc iustitia illius est, vt ipsum (regnum Dei loquor) in ipsissimis Domini Saluatoris vestigijs, in vera scilicet

Quod regnum ante omnia quærendum.

Ephes 4.

Quanta pro nobis pertulerit Christus.

Qui regno Dei maximè propinquent.


ac resignata omnis tam internæ quàm externæ derelictionis ac desolationis perpessione, inq; voluntaria spiritus paupertate orbitateq; inueniatur. Denique vt omnes regnum Dei sic quæramus, vt & veraciter inueniatur à nobis, eò imprimis exigitur, vt & nosipsos, & omnem extraneam curam atque sollicitudinem abdicemus atque perdamus. Ita enim & Dominum dixisse legimus: *Qui perdiderit animam suam, saluam faciet eam.* Quod tum rectissimè agitur, quando nosmet in omnibus, in quibus nosipsos deprehendimus, foris & intus veraciter abnegamus. Quod nobis præstare dignetur, qui ex purissimo amore seipsum propter nos perdere dignatus est. Dominus noster Iesus Christus, in secula benedictus. Amen. Matt. 8.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Vt per veram sui resignationem, nuditatem internam, & non arrogando sibi dona Dei vera quisque humilitate vestiri mereatur atque ad diuinam pertingat vnitatem, ad comprehendendum cum Sanctis omnibus, quæ sit latitudo, longitudo sublimitas & profundum. Et quæ sit scientia Christi.

SERMO VNICVS.

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, &c. AD EPHE. III.



DE præsentis diei Epistola locuturo mihi, charissimi, placet eam prius recitare totam. Itaque sic habet. *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur: vt det vobis, secundùm diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclæsia. & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen* Hæc Apostoli dicta tam vberrimis ac præclarissimis sensibus grauida sunt, vt superfluum sit, ipsorum gratia plures codices euoluere consulereq;. Et ipse quidem beatus Apostolus, cùm hanc Ephesijs epistolam scriberet, in vinculis detinebatur. Vnde ipsos, amicos vtique suos orauit, ne deficerent in tribulationibus suis, sicuti & ego, si captiuus tenerer, quod ipsum non parum speciales quosdam cruciaret filios meos, ex ipsorum dolore multum affligerer, & hîc pariter atque illic cruciarer, nec tamen ob hoc, quòd scilicet vicē meam dolerēt, vel tantillo mihi forent chariores. Sic ergo & Apostolus in vinculis constitutus, ad resignationis viam amicos suos mittit, reuocatque, docens eos, vt nec inde, nec quacunq; alia in re, contristari debeant. Nouerat enim, vti plerosq; plus amicorum, quàm propria mala torqueant, atque hoc ipsum in sui excusationem adducant, cùm tamen nec sic rectè agant, quando omnia Deo cōmittenda sunt. Quamobrem & in hoc & in alijs omnibus, plenè eos resignatos esse voluit. Vera namque resignatio, omnium donorum, virtutum, natiui- Resignatione sua qui docuerit Paulus.

Resignatio vera quanta comprehendat.

tatum, charismatum, atque bonorum, quæ vel dedit vnquam, vel daturus est, Deus, capacissima est. Voluit, inquam, omnes eos tristitiæ atque mœroris expertes esse. Quare hoc? Quod magnum tristitia homini impedimentum præstet, vitam suffocet, lumen obtenebret, & diuini amoris extinguat ignem. Ideò & alias hortatur, dicens: *Gaudete in Domino semper: iterum dico Gaudete.* Deinde secutus, ait: *Flecto genua mea* Quod de interioribus, non de externis genibus accipiendum est. Interiora namque hominis incomparabiliter latiora, sublimiora, profundiora sunt, quàm externa. Crura autem, quibus genua cohærent, externum corporis fulcimentum sunt. Sic ergo vnusquislibet totum posse & esse suum *sub potenti manu* & virtute *Dei* inclinabit humiliabitque, & tam naturale, quàm vitiosum nihilum suum funditus agnoscet. Naturale quidem nihil nostrum, est, quòd ex natura nihil sumus: vitiosum verò, peccatum nostrum, quod nos ad nihilum redegit. Cum hoc vtroque nihilo humiliter nos ad Domini pedes abijcere debemus. Simul autem hæc inclinatio seu genuflexio veram nobis insinuat, quam sectari debeamus, sub Deo subiectionem, cum plena resignatione coniunctam, nuditatem item internam, & virtutem illam, qua nihil nobis donorum Dei arrogamus. Et hæ tres virtutes, quasi germanæ quædam sunt vestitæ humilitatis indumento. Enimuerò quæcunque eueniant homini, & erga omnia, tam aduersa quàm prospera, tam inopiam quàm abundantiam, tam aspera quàm lenia, ordinata debet animi æqualitate seu indifferentiæ præditus esse, & singula quæque non à creaturis, sed de manu Domini suscipere. Cùm enim, vt & aliâs dixisse me memini, quilibet homo quasi tres homines continere videatur, puta bestialem siue externum, rationalem, & spiritalem secundùm animæ supremam portionem: prior, id est, bestialis seu exterior homo, quantum fieri poterit, ad resignationem compellendus est, atque intro in alium, id est, interiorem vel rationalem hominem pertrahendus, ita vt iam non pro bestialitatis seu sensualitatis suæ motu, sed rationalis hominis ductu ac moderamine quælibet agat, & à suis excursibus arceatur. Secundus verò, puta rationalis homo, curandũ est, vt vera ac expedita sit resignatione præditus, & ab omni arrogatione immunis, semperq; merissimo nihilo suo inhæreat & intendat, Deumq; sempiternum & suum & creaturarũ omnium sinat esse Dominum, atq; illi omni cum humilitate se substernat subijciatq;. Hoc dum agitur, tertius nimirum homo totus in Deum erigitur, ab omniq; absoluitur impedimento, ita vt libere in suam se possit originem, in qua, necdum creatus, extitit ab æterno, conuertere reciperequé. Ibi verò & formis & imaginibus cunctis exuitur & in vera consistit nuditate: Ibi dat illi Deus *secundùm diuitias gloriæ suæ*, tamq; copiosis hîc muneribus donatur, vt inde & infimæ, & mediæ, & supremæ vires ditẽtur atq; corroborentur sensibiliter ac fruitiuè. Et hoc est quod Apostolus ait: *Vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ.* Nam & corroboratur hic homo virtutibus per Spiritum Dei in interiori homine, & habitat Christus per fidem in corde illius. Habitat, inquam, per fidem in corde illius. Quam enim fidem omnes intrinsecus ore profitentur, dum dicunt: *Credo in Deum Patrem omnipotentem,* hanc ipsam fidem eiusmodi homo intus longè sublimiori quadam ratione sentiendo atq; gustando tenet. Vt si puer aliquis sexennis Symbolum fidei pronuntiet, & Doctor quispiam Parisiensis idem dicat, quamuis nulla sit in Symbolo, quod vterq; recitat diuersitas, multum tamen dispari ratione capitur ab vtroq;. Sic & iste in interiori quidem

Phil. 4.
Ephe. 3.

Nihilum nostrum quotuplex.

Tres vnũ hominem habere homines.
I.
II.
III.

Ephe. 3.

dem homine fidem habet illuminatam, & perspicuè ac distinctè ipsam intuetur, in tertio verò supremo illo & occulto homine, supra lucem, supra formas & imagines, absque distinctione in caligine quadam & vniformi simplicitate ipsam tenet. Denique sapido quodam, sensibili ac fruitiuo modo eandem intus habet. Ait ergo Apostolus: Christum habitare *per fidem in cordibus vestris.* Christus in Latino idiomate vnctum sonat. Et Deus omnipotens, cùm hominis fundum ea, qua dictum est, ratione præparatum, atq; ad se conuersum reperit, præclarissimum hoc vnguentum siue charisma, Dominum nostrum Iesum Christum loquor, in ipsum manare facit, qui habitator illius effectus, tanta ipsum suauitate ac mansuetudine replet, vt eiusmodi homines nihil queant durius agere. Sic & quicunque tribus his virtutibus, resignatione scilicet, nuditate interna, & ea virtute qua nihil nobis donorum Dei arrogamus siue vsurpamus, in fundo suo reuerà præditus est, in eum suauissimum hoc vnguentum Christus Dominus perpetuò sine cessatione fluit, fundumq; illius tam dulce piumquè efficit, vt si ipsemet vnguentum fieri posset, cunctisq; se impartiri hominibus, id ei foret optatissimum: adeoq; ipsius amor extenditur ac dilatatur, vt complectatur omnia, cunctosquè saluos facere vehementer exoptet, instar sacratissimi Apostoli huius, qui *Iudæis factus erat Iudæus, vt Iudæos* lucraretur: *& ijs qui sine lege erant, tanquam* & ipse *sine lege* foret, vt & illos lucrifaceret: *omnibusquè* demum *omnia factus* erat, vt cunctos faceret *saluos.* Instar etiam Domini Saluatoris, qui cum Publicanis manducabat, & familiariter crebrò cum illis conuersabatur. Dulcissimum namq; vnguentum Christus Iesus, communi quadam suauissimaq; cum dilectione permanat ipsum penetratquè. Dehinc subdit Apostolus: *In charitate radicati & fundati.* Ita quæso, dilectissimi, hoc & vos totis agite viribus, vt in amore fundari ac radicari possitis: Nam quo arbor quælibet radices suas altius in terra iecit, stabiliusque fundata est, tanto & sublimius excrescit, & copiosioribus ramis diffunditur. Sed heu, quantæ arbores, quæ nunc sola specie admodũ florere videntur, funditus collabentur, cùm procellosi irruerint venti, sicut & ipse Dominus ait: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Vnde curate, obsecro, charissimi, vt in charitate radicati atque fundati sitis. Sequitur, *vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Latitudo* in Deo hæc est, quòd omnibus in locis, modis, & operibus præsentia illius inuenitur. Vnde Augustinus inquit: Nõ est quò fugias, ô homo, à facie Dei. Quòd si tranquillum fugeris, senties quandoque iratum & seuerum iudicem. Et hæc latitudo in Deo finem non habet. In nobis autem charitas erit, & communis quædam erga omnes dilectio. Cæterùm hæc plus satis corruptissimo hoc seculo refriguit, imò & extincta est in multis, adeoquè & diuisa est, vt quisq; suum duntaxat fratrem, suum Ordinem, suum Monasterium, suos amicos & cognatos amet, eisq; solis bene velit. Sed nõ ita agendum est. Quin potius communis esse dilectio debet erga omnes & singulos, quousque mundi limites se extendunt. Nam & communis amor omnia complectitur: & si cunctis se impendere posset, id illi tam gratum foret, quàm quod gratissimum. Sicut de B. Patre Dominico legimus, quòd pro redemptione captiui cuiusdam, semel & iterum, vt alterius inopiam subleuaret, vendere se voluerit, ac sui pretio miseris subuenire. Denique ex hac dilectione communi semper operari debemus, nec aliquem inde excludere, sed complecti omnia, parati prodesse omnibus, si

Marginal notes: Ephe. 3. — Christus quid sonet. — Tres speciales virtutes. — 1. Cor. 9. — Matt. 9. Luc. 19. — Matt. 15. — Latitudo. — Qualis dilectio esse debeat. — B. Dominicus quanta flagrârit charitate.

Longitudo. id possibile foret. *Longitudo* verò est, vbi nos introuertimus in Nunc æternitatis, vbi longitudo nec prius habet, nec posterius, & omnis est expers mutabilitatis, vbi demum sancti beatique omnes id ipsum in felicissima æternitate amant, cognoscunt, perfruuntur, quo & Deus ipse fruitur. Inter quos & nos cooperari ac sine cessatione tam agentes quàm contemplantes, quatenus in hac vita fieri poterit, amorosè deambulare debemus. Profunditas. *Profunditas* autem, quæ in Deo est, tanta abyssus est, vt hanc, quotquot sunt, creati intellectus nec capere nec assequi possint, adeò vt nec ipsa Domini Saluatoris anima, licet sanctissima, fundum illius queat attingere: & omninò plenè non capiatur n[illegible] à seip sa. Hæc verò profunditas ita persequenda, atque hac illi ratione occ[illegible]endum est, vt nosipsos abyssaliter ac prorsus sine fine vilipendamus & a[illegible]lemus. Atque hoc perfecti faciunt, qui si in merissimum nihil redigi pos[illegible], id eis æquissimum videretur: quod ex profundissima nihili sui cognitio[illegible]cedit. Illi inter miseros, obcæcatos, & perditos peccatores gradiuntur, & [illegible] cum affectu sensibilique dolore ipsorum compatiuntur cæcitati. Imò [illegible] abyssalis ipsorum profunditas est, vt & in inferni eos trahat abyssum, [illegible] videlicet, vt si possibile foret, atque à Deo sic præordinatum esset, vt quotquot inferni claustris detinentur captiui, ex pœnis illis tartareis eximi possent, si ipsi pœnas illorum omnium in se reciperent, Miræ dilectionis species. facerent id quidem ex amore perquàm libenter. Cæterum hoc nemo attentare vel cogitare orando debet. Hoc enim diuinæ esset contrarium ordinationi. Illos verò, de quibus agimus, amor diuinus, & profunda humilitas vsqueadeò inebriârunt. Exod. 32. Cuius simile quiddiam etiam de Mose legimus, qui vel populo dimitti *noxam*, vel se *de libro* vitæ deleri precatus fuit. Et hæc profunditas ex abysso immensæ profunditatis Dei, quàm nec Angelorum omnium, nec hominum intellectus vlla possunt ratione attingere caperéque, trahit originem. Sublimitas Dehinc *sublimitas* consideranda venit. Hanc autem quis explicare sufficiat, Quiddam omnipotenti impossibile. quando nec modum habet? Tanta est enim sublimitas Dei, vt quanuis omnipotens sit Deus, talem tamen creaturam condere non possit, quæ tametsi præ sui nobilitate & Cherubin & Seraphin multis modis superaret, celsitudinem Dei ex sua natura ad plenum capere, assequi & agnoscere queat. Et quantalibet excellentia creatura eiusmodi prædita foret, diuinæ tamen altitudini collata, non nisi abyssale quoddam appareret nihilum. Quare? Quia facta esset. Deus autem increatus est. Hanc sublimitatem, de quibus præfati sumus, homines perfecti hac ratione sequuntur, vt mentem suam tanta cum gratitudine & magnanimitate, vt etiam modum omnem excedat, in sublime supra cuncta & omnia sustollant transferantque, vbi Deus tam immensus & ingens eis efficitur, vt quæcunque Deus non sunt, aut parua aut nulla eis esse videantur, de quo Psalmista Psal. 63. canit: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Vnde quisquis aliquid in creaturis, quod sit infra Deum, grande vel altum arbitratur, illi necdum exaltatus est Deus. Et quicunque Dei sublimitatem gustare potuit, illius animus tantum in amore & gratitudine, multaque erga Deum reuerentia subleuatur erigiturque, vt nihil eorum, quæ infra Deum sunt, illius palatū queat afficere. Cuncta siquidem creata tam ineffabiliter longè infra Deū sunt, quam est merissimū nihil infra perfectam substantiā siue Angeli, siue Spiritus, siue quorumlibet aliorum, quæ Deus condere possit. Atque hæc præclarissimæ & superessentialis huius essentiæ celsitudo, mentē hominis in tam sublime etiā supra seipsum cū amore,

laude

laude & gratitudine rapit, quod laus omnis, tam sua, quam creaturarum omnium Angelorum & hominum minus illi sufficit: dumqúe amoroso cum desiderio laudando Deum percurrit omnia, fit omnibus superior, cunctaqúe transcendit. Itaque sicut ex multis prunis copiosus ignis conficitur, vnde flamma lucida consurgens, cunctis illis prunis superfertur, & in sublime super omnia naturæ suæ vi agitur: sic & eiusmodi homo mentem suam excellenti quadam ratione per cogitationes, imaginationes, operationes omnes tam superiorum quàm inferiorum virium suarum penetrare, atque in sublime longè vltra omne & suum & creaturarum omnium posse ac operari, in ipsam vsque superessentialis diuinitatis altitudinem ferri ac tendere sinet. Tale quiddam iuueni cuidam fœminæ in matrimonio constitutæ, quam ipse noui, contigit. Huius enim animus siue mens dum se in sublime raperet erigeretqúe, simul illi fœminæ fundum suum detectum atque ostensum fuit: quod illa ineffabili quadam claritate & altitudine incomprehensibili, cuius nullus erat terminus, infinita quoque longitudine, & latitudine, ac abyssali profunditate conspexit. Ita nimirum, charissimi, eò pertingit homo, quod Apostolus ait, *vt comprehendat cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum.* Porrò quicunque huc absque præfatis illis virtutibus, vera scilicet resignatione, nuditate interna, & ea virtute, qua nihil nobis donorum Dei arrogamus seu vsurpamus, iisdemqúe profunda humilitate vestitis, & in amoris claustro commorantibus perueniunt, nec in his virtutibus probè sunt exercitati, funditus collabuntur exciduntqúe. Qui verò cum memoratis huc pertingunt virtutibus, stabiles hîc perseuerant. Si tamen hinc excidunt, tantoqúe bono priuantur, haud dubiè arrogationi ipsorum vel proprietati imputandum est. Denique hîc gratia oritur, quæ semen suum spargit in hoc fundum, sicuti scriptum est: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Nimirum transeunda seu transcendenda sunt creata omnia. Cęterùm quibusdam hęc generatio monstratur quidem, sed non perficitur, neque nascitur in eis. Qui verò cunctis externis pariter & internis exercitijs suis veram studet assequi resignationem, in eo generatio hæc compleri poterit, si tamen memorato itinere ingressus sit. Fateor vobis, charissimi, fundi huius nonnihil in quibusdam iunioris ætatis hominibus me reperire: in senibus autem prorsus exaruit. Quare hoc? Quod plus satis suis conceptibus, institutis, & modis veteribus cum proprietate inhæreant, inqúe fundo suo asperi sint, & alios iudicare faciles ac proni. Quod inde accidit, quòd fundo amabilis mansuetudinis carent. Mansuetudo autem potissimum huic fundo interius seruit, ac intus magis operatur quàm resignatio, quæ ad exteriorem hominem potius spectat. Ideoqúe fundum hoc interius necesse est vt opertum maneat omnibus illis, qui operando in suo semper externo sensualiqúe homine persistunt. Grossior enim rusticiorqúe exterior homo est, quàm vt ad hoc queat abyssale præclarissimumqúe fundum pertingere. O quanti sunt, qui in sublimi quodam perfectionis loco positos se autumant, & necdum infimum interioris hominis sui gradum nôrunt, qui dum à Deo ad interiora trahuntur, & resignationi ac nuditati internæ studere monentur ab eodem, totis viribus repellunt eum haud secus, quàm dæmonem, ac suis modis & institutis, suæqúe irresignationi & arrogationi inhærent. Quod non absurdè fœtenti nebulæ comparâris. Vt enim hæc fruges terræ destruit, ita & ista fructus vniuersos, qui hîc nasci-

Paradigma.

Ephes. 3.

Eccl. 24.

Qui in virtute iuniores aliqui senioribus præstent.

Arrogantia cur nebulę comparetur.

nascituri erant, corrumpunt. Quantumuis autem in sublime voles, si prædictas germanas virtutes comites non habueris, nullos referes fructus. Interim malignus spiritus callidè explorat, si quid fortè suum in te reperire possit: & vbi te viscosum sentit, & donis Dei cum delectatione inhærentem, ibi fortius se tenet, vt iam ruinæ proximus sis. Sed quid plura de hac præclarissima viuendi ratione dicam apud eos, qui exteriorem hominem suum ab inutilibus fabulationibus, ac multa nimis externa operatione abstrahere nolunt, qui multas foris vocales tantùm orationes fundunt, & negligunt potiora? Vos autem, dilectissimi, pro laudabili institutione Vigilias (vt vocant) mortuorum, ore quidem vnas extrinsecus, & intus binas cum amabili ac introuersa mente perlegite: certè quòd quanuis multum hac ratione intus loquamini, nimium tamen esse non poterit: nec facilè vos hinc abduci patiamini. Sic & interiorem hominem vestrum totum Deo subijciatis: exteriorem verò, profunda cum humilitate cunctis etiam creaturis, in omnibus licitis & honestis submittite. Ipse nanque exterior homo, instar serui cuiusdam, nutus Domini sui obseruantis, ita perpetuò stabit expectans intus, quid interior homo à se fieri velit, cui & promptissimè semper in modis & operibus quibuscunque faciet satis, nihil pro suo libitu agere præsumens. Sed ita, proh dolor, non faciunt, qui solo exteriori homine semper extrinsecus duntaxat pro sua sensualitate operantur, atque alios ad similia trahunt, qui & fabulationibus plus satis dediti sunt. At vos, charissimi, silete, fugite, quiescite, sustinete. Reuerà si crebrò memoratis amabilibus virtutibus illis, resignatione scilicet, nuditate interna, & ea virtute, qua nihil nobis donorum Dei arrogamus seu vsurpamus, præditi estis, etiam si tunc omnibus mundi negotijs cunctisque occupationibus quotidie impliciti essetis, nil id vobis detrimenti adferre posset: si tamen corporis vestri imbecillitas onera illa portare sufficeret: sin minus, abeundum foret. Planè, charissimi, quoscunque hoc vero fundo præditos inuenio, eis talia impendo consilia, qualia Dominus ipse mihi subministrat, contentus interim, vt tot in me quisque maledicta & conuicia congerat, quot volet. Itaque hac in parte non possum non laudare Moniales nostras, quæ, si quam ex sororibus suis ad hoc fundum se recipere velle perspiciunt, gaudent, & quantum placet, otij faciunt. Et id satis iustè: longè enim hoc pleraque externa instituta excellit, estque planè sanctissima occupatio, ab ipso sancto Spiritu instituta. Vnde & hortor vos, charissimi, vt in hoc prædictarum virtutum claustro perseueretis, cauentes vobisipsis, quantum potestis, ab sorore illegitima, donorum Dei arrogatione seu vsurpatione, & amore priuato, cui caput penitus auferendum est. Hic enim noxius amor semper aliquid suum requirit, hacqúe de causa & concionibus interest, & venerabile percipit Sacramentum, vt videlicet aliquid suum accipiat. *Qui aures habet audiendi, audiat.* Postremò subiungit Apostolus, & ait: *Scire etiam supereminentem scientia charitatem Christi.* Quæ hæc Christi scientia est, nisi qua & diaboli astutiam fefellit atque deuicit, quando mortem excepit vt acerbissimam, ita & turpissimam, qualem nullus vnquam hominum fuerat expertus, simulqúe per eam nos liberauit atque redemit? Qui etiam tunc, quando præ cunctis mortalibus maximè fuit derelictus, Patri gratissimus fuit, præsertim cùm diceret: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Nam & reuerà magis atque acerbius derelictus fuit, quàm vllus aliquando Sanctorum. Hanc sui derelictionem præsensit atque præuidit, cum

Cuinam nulla mũdi negotia nocere queat.

Matt. 13.

Qua Christus astutia diabolum vicerit.

Matt. 27.
Marc. 5.
Lucæ 21.

nim-

monte Oliueti sanguinem sudaret: interim nihilo secius eodem momento secundùm vires superiores eadem, qua etiamnum fruitur, diuinitate sua, quæ ipse est, perfruebatur. Atque hæc est, dilectissimi, scientia Christi. Et ipsa cunctas superat artes, ita videlicet hominem foris & intus derelictum, miserum, & absque solatio, omniqúe fulcimento seu sustentaculo permanere, atque in vera æqualique resignatione persistere, ad instar Domini Saluatoris, vsqueadeò omni solatio & auxilio destituti. Et quisquis in tali derelictione constitutus, omnis solatij plus expers est, ac verius vndique destitutus, ille Patri cælesti amplius placet, & gratissimus est. Atque in eiusmodi homine Deus omnipotens & rex & moderator est: in eiusdemque homine interiori pax essentialis oritur. Quam pacem illis præstitam à Deo, nec ab Angelo, nec ab homine, nec à dæmone sibi surripi aut perturbari patietur. Exterior nihilominus homo semper sub fræno continendus est, semperque deprimendus subijciendusque, & nunquam non suspectus habendus: nec facile illi credendum fidendumque. Semper, inquam, deprimendus est, ne aliquod homini interiori præstet impedimentum, idque in omnibus, maximè verò in sensualibus desiderijs suis. Quantisper enim in hoc seculo positi sumus, absque delectatione vix esse possumus: sed hoc discretio moderari debebit, ita vt delectatio omnis, quæ appetitur, aut in Deo, aut propter Deum quæratur. Interim diuinum implorandum auxilium est: nec dubium, quin Dominus se deuotè ac intimè inuocantes sua virtute corroboraturus, sua sapientia illuminaturus, & sua sit bonitate penetraturus. Præstet omnibus nobis Dominus Deus, vt saluberrima Apostoli sui monita tam studiosè fideliterque sectemur, vt veritatem certo certius apprehendamus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Christi scientia artes omnes vinci.

DOMINICA XVII. POST TRINITATIS.

De vocatione Dei. Quis sit ille, qui toties nos vocat, ad quid vocet, quæ sit eius vocatio, & vt illius vocationem sequi debeamus. De triplici item hominum genere, quos Dominus ad se vocat, alios per præcepta, alios per consilia, alios per intimam Spiritûs vnionem in vinculo pacis.

SERMO I.

Euangelium huius diei est de hydropico curato à Domino. LVCAE XIV.

Fratres, Obsecro vos ego vinctus in Domino, &c. AD EPHES. IV.



EA, quæ thematis loco posuimus, Apostoli verba sunt, dilectissimi, ex Epistolari desumpta lectione diei huius, quæ talis est: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ &c.*

In huius lectionis prioribus verbis, quibus orat Apostolus, *vt dignè* ambulemus *vocatione, qua vocati* sumus, quatuor notanda veniunt. Primum est, quis sit ille, qui vocat nos. Secundum, quis vocationis eius scopus, siue ad quid nos vocet, vbiue nos habere velit. Tertium, quæ vocatio illius, & quis vocandi modus. Quartum, vt hanc vocationem dignè sequi debeamus. Primò itaque, si vocan-

Quatuor in vocatione notanda.

1.

vocantem inquiramus, ipse est Pater cælestis. Hic nos vocat per omnia, quæ est, quæ habet, & quæ potest. Hæc enim inuitant nos alliciuntque. Verbi gratia, inuitat & vocat nos ad ipsum bonitas eius, amor eius, & præclarissima essentia illius. In veritate, charissimi, tanto nostri desiderio tenetur Deus, quasi tota beatitudo & essentia illius ex nobis dependeat. Vnde quæcunque idem ipse Deus Pater in cælo & in terra per bonitatem & sapientiam suam fecit atque creauit, hac de causa condidit, vt per ea in nostrum nos principium reuocet inuitetque, ac in se nos reducat: cunctaque hæc creata non nisi voces quædam sunt, ad nostram nos originem reuocantes, inuitantesque. Hinc Doctor quidam ait: Quæcunque Deus siue fecit, siue facit adhuc, ideò fecit & facit, vt animam eò reducat, vt & audire clamorem suum, seque diligere velit. Secundum est, quò nos vocet, ad suum vtique dilectum Filium, vt eius fratres ac cohæredes simus. Ipse quidem primus & præcipuus est inter fratres, & hæres naturalis: nos verò per gratiam cohæredes erimus. Quod vt consequi mereamur, vocat nos, vt sua sectemur exempla, quantum quidem humana sinit fragilitas. Ipse nanque *via* est, per quam ingredi debemus: Et *veritas*, quæ nos per viam deducat: Et *vita*, quæ finis noster perennisque felicitas erit. Vocat ergo nos, vt sua sequamur exempla, non tantùm ea mente recogitando, sed etiam moribus exprimendo, vt & vitam geramus virtutibus conspicuam, & aduersa omnia patienter sufferamus. Tertium est, quæ sit vocatio illius, & quos vocet. Nam vna quidem, dilectissimi, sed diuersa est vocatio Dei, qua intus, in ipso scilicet animæ fundo, homines vocat. Ibi nanque, puta in fundo interiori, sine vlla cessatione noctu diuque vocat, dum exhortatione multiplici, tum commonitione interna, tum correptionibus duris, necnon extrinsecus cunctis illis casibus prosperis & aduersis, quos varijs modis hominibus accidere permittit: qui omnes validæ sunt voces, quibus omnipotens Deus homines ad se vocat. Qui si lenes ac suaues illius voces sequerentur, tot duris & asperis vocibus, tam multiplici videlicet afflictione, varijsque casibus aduersis, vocari eos opus non esset. Quartum est, vt hac *vocatione dignè* ambulare debeamus, hoc Apostolus ipse insinuat, dicens: *Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia*, &c. Videamus nunc qui sint, quos Dominus vocat. Horum triplex genus est. Alij sunt incipientes, qui ad infimum: Alij proficientes, qui ad medium: Alij perfecti, qui ad supremũ perfectionis gradũ vocantur. Nec hoc aliquis ægrè ferre debet. Ipse nanque Dominus est, cui pro suæ libitu volũtatis cuncta facere licet. Est porrò hæc illius voluntas, vt cõformes efficiamur imaginis vnigeniti Filij sui, simusque filij sui adoptiui. Vbi videndũ est, quid factu opus sit, vt huic vocationi satisfaciamus. Quædã igitur præcepta sunt nobis, quædã prohibita à Deo. Ex his quæ præcepta sunt, hoc præcipuum est summumque mandatum, vt Deum super omnia diligamus. Est sanè non paucos inuenire, qui se dicunt Deum præ omnibus amare, nec tamen abdicant ea à se, quæ maiori se sentiunt amore ac intentione prosequi, quàm Deum, in quibus etiam plus delectationis & voluptatis habent, quàm in ipso Deo, quæque demum ab amore Dei prorsus eos impediunt. Videant isti, quanto diuinitatis amore præditi sint. Secundum verò ab hoc præceptum est, vt diligamus proximos sicuti nosipsos, hoc est, ad illud bonum capessendum, ad quod etiam nos amamus. Deinde alia sequuntur, puta: *Honora patrem tuum & matrem*, quibus nominibus omnes illi exprimuntur, qui nobis superiores sunt. *Non assumes nomen Domini Dei tui*

[Margin notes: Quanto nostri desiderio laboret Deus. — II. Rom. 8. — III. — IV. Ephes. 4. — Tres vocationis gradus. — Dei volũtas quæ. — Mãdatum summum quod. — Mãdatum primo secundum. Parentes. — Exod. 20.]

Dei tui in vanum. Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Hæc sunt, quæ præcepit nobis Deus: quæ adeò obseruatu necessaria sunt, vt sine horum executione nulla nobis spes salutis supersit. Dehinc vetita subduntur, quæ licet plura sint, sub his paucis tamen includuntur omnia. Non inferes damnum proximo tuo, neque corporis, neque rerum, neque honoris siue famæ illius, neque verbis, nec operibus, nec concupisces aliquid eorum, quæ illius sunt. *Non mœchaberis.* Iam quicunque hac gradiuntur via, sicut oportet, atque in vera & Catholica fide Ecclesiæ sanctæ constitutionibus, vti hoc ordinatum est, morem gerunt obtemperantque, in infimo sunt gradu constituti ex his, in quibus diuinæ vocationi obeditur. Et quotquot huic gradui faciunt satis, in ipsa via sunt, qua certo peruenitur ad Deum, vbi prius ignis purgatorij ad purum excoxerit, quicquid hic contrahunt impuritatis, siue quòd minus purè hic viuunt. Alius deinde gradus est, multò quàm iste sublimior atque compendiosior, consiliorum Dei. Quæ quicunque sectantur, prædictis longè efficiuntur superiores. Nec aliud sunt consilia Dei, quàm virtutum semitæ, putà, obedientiæ, castitatis corporis, & paupertatis. Ista, inquam, vocatio, & priori celsior est, & multum diuersa ab illa, quæ ad præceptorum executionem vocat. Vt autem consilijs Dei in hac vocatione dignè obtemperetur, Ecclesia sancta ex sancti Spiritus instinctu atque suasu Religiosas congregationes & Monasticos Ordines instituit, in quibus memorata Dei consilia possint adimpleri. Qui licet numerosas habeant constitutiones atque decreta, ad hunc tamen finem omnia tendunt. Horum Ordinum quisquis aliquem sponte animoque deliberato suscipit, si postea vinculum, quo ligatus est, rumpere velit, in eum Ecclesia sancta animaduertit. Extra verò hos Ordines constitutus, si quis Deo se deuoueat seu obliget per votum, & postea vxorem ducat, non id Ecclesia impedit, neque iudicat, sed diuino hoc iudicio & vltioni relinquit. Cæterùm nunc, proh dolor, magna ex parte laudabiles Ordinum institutiones negliguntur: itaque fit, vt multi ex his, qui habitum religiosum circunferunt, corda gerant secularia, & seculares quidam, Religiosi sint cordis. De talibus Augustinus loquitur: Maledictus qui aberrat in via Dei. Hæc autem est via Dei, ad quam vocamur plerique à Deo, vt ipsum & consilia eius sectemur in ea. Videat nunc vnusquisque sibi, vti in hac via securus gradiatur, diuinæque sic vocationi faciat satis, ne, quod absit, in die visitationis nuptiali veste inueniatur destitutus, ac proinde tenebris exterioribus immergatur. Videat etiam quisque vigilantibus oculis cordis, ad quam prædictarum trium viarum à Deo vocetur. Sed quid dicemus, quando ad interiora vestra nunquam reditis, nec vocationem vestram, qualis ea sit, agnoscitis? Inde est, quòd hodie isto, cras alio modo viuitis, vti vel audistis, vel vidistis, atque per sensus illatum est. Cumque non omnia conueniant vobis, non diu vni inhæretis: sicque fit, vt nullos tandem fructus referatis. Adeò minus circunspectè cuncta facitis. Credite mihi, charissimi, non omnibus omnia conueniunt: sed quod vni vita, alteri mors est. Itaque ad vos conuertimini, studia vestra occupationesque discutite, & nolite (quæso) negligere vosmetipsos. Alioqui pro certo habetote, esse in medio seculo perplures, quibus vxores prolesque domi sint, & conficiendis calceis vacent, suamque ad Deum intentionem referant, quòd suis ac prolium suarum indigentijs labore suo consulere velint: multos item ruri degere, qui agrorum stercoratione, alijsque duris laboribus victum

Consilia præceptis præstare.

Consilia quid.

Cur Monasticus Ordo institutus.

Quę votorum fractio Ecclesiæ iudicio subiaceat, quæ non.

Via Dei quæ sit.

Quanta & inter quosdam seculares religio.

 sibi pa-

sibi parent: & tamen fieri posse, vt centuplo, quàm vos, melius hinc exeant, eo quòd vocationem suam simpliciter sequantur, vosqúe vestram negligatis. Quod quàm dolendum sit, quis non videat? Viuunt illi in timore Dei, in humilitate & paupertatula sua, vocationemqúe suam, vt dixi, simpliciter sectantur. Nunc igitur, ô religiose miser & cæce, prospice quæso tibi, obserua intus toto studio vocationem tuam, quò te vocet Pater cælestis, & ipsam sequere, nec aberres in via Dei.

Vocationis Dei via summa quæ.

Huius vocationis suprema via est, amabilia vnigeniti Filij Dei exempla foris & intus sequi, non actiuo tantùm, sed etiam passiuo modo, & per imagines, seu contemplatiuè supra omnes imagines. Et quisquis hæc purior atque expeditior seu nudior sectatur, ille supremum attingit scopum. Atque hinc agnoscere seipsum quisque poterit, & videre quantum distet adhuc, vel quàm vicinus sit exemplis memoratis. Deinde verò & intus sequi & inquirere debetis, charissimi, imaginem internam, vbi essentialiter & actiuè viuit in ipso fundo interiori. De quo introgressu apud Hieremiam dicitur: *Patrem vocabis me, ego hodie genui te, & post me ingredi non cessabis.* Quod est, fine cessatione ingredieris. *Post me,* inquit, *ingredi non cessabis.* Et Abrahæ Patriarchæ seruo seniori Laban ait: *Ingredere benedicte Domini: cur foris stas?* Quod nimirum & cuilibet homini, suæ morem gerenti vocationi, dici potest, qui & prius in mandatorum, ac deinde in consiliorum semita versatus sit, dignissimaqúe Christi exempla secutus, & quomodo Apostolus ait, sua *vocatione dignè* ambulârit, *omni cum humilitate, mansuetudine, patientia.* Tali, inquam, dici potest: *Ingredere benedicte Domini.* Nam & reuera qui eiusmodi sunt, ad sua ingredi interiora debent, modò cum desiderio & imaginibus, modò cum silentio absque omni opere imaginibusqúe: ac esse *soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnus spiritus, vnus Deus,* in transformatione videlicet spiritus creati ab increato Spiritu. Tanto plus autem spiritus creatus ab increato transformatur, quanto magis homo dignè studuit ambulare & instituere vitam suam secundum veneranda Christi exempla, omni cum humilitate, mansuetudine, patientia. Atque hæc mutuò sibi respondent, vt quanto est conuersatio vitæ Christi conformior, tanto sit & transformatio perfectior, neque magis, neque minus. Iam quod ait Apostolus, *soliciti seruare vnitatem spiritus,* de vigili quodam ac strenuo sanctoque studio siue conatu dictum est, quo noctu diuque & spiritum intrinsecus, & virtutes extrinsecus obseruemus, quæque iuxta modum suum, vti res ipsa postulabit. Verbi gratia: Interdum in sanctis seruilibusque charitatis operibus, vbi necessitas exegerit, nosque ordo tetigerit, nosipsos diligenter exercebimus: quandoque verò clam nos subducentes, sanctis deuotisque precibus, sacrisque meditationibus insistemus, & sanctas animo voluemus imagines: modò nihil horum faciemus, sed hoc tantùm, quod diuus Anselmus hortatur: Abstrahere, inquiens, ab externorum operum multiplicitate, & obdormi, ab internarum tumultu cogitationum, & sedens ac quiescens, leua te supra te. Tum verò, vbi quietum intra nos silentium fecimus, & spiritus grandis atque commotio præcessit, tum, inquam, sicut de Elia legimus, *Venit Dominus in sibilo auræ tenuis,* illucetque spiritui. Dumque spiritus siue homo diuinam sentit præsentiam, fit ei, quod olim Hester reginæ accidit, quæ ad regem Assuerum veniens, cùm illum adspexisset, stuporem mentis incurrit, & penè exanimata fuit. Sic & in hac præsentia Domi-

Margin notes: Ierem 3. — Psalm 2. — Genes 24. — Ephes 4. — Genes.24. — Ephes.4. — Quæ nobis quotidie curanda. — 3.Reg 19. — Hest.15.

Domini, & faciei illius, quamuis pallio vultum suum operiat, modò sentiat præsentiam eius, deficit à seipsa anima, & ecstasim incurrit: atque sicut rex Assuerus reginam Hester corruentem sustentauit vlnis suis, donec ad se rediret: sic & eiusmodi homo penitus à seipso, id est, ab omni sustentaculo, & quisquid suum erat in modis ac rebus omnibus, deficit: inque merissimum nihil suum adeò se totum demergit corruitque, vt nisi amabilibus diuinæ virtutis vlnis sustentaretur, prorsus sibi redigendus videatur in nihilum: quantumque intelligere potest, sine vlla fictione in veritate omnium se creaturarum mortalium, bestialium, ac ratione vtentium, & pessimum & minimum, imò & ipso Lucifero peiorem arbitratur: nec videt quò se debeat recipere: magis autem, si præ amore in nihilum redigi posset: faceret hoc ex amore perquàm libenter. Itaque dum rex adeò reginam cernit defecisse, corruisseque, sustentat eam vlnis suis, diuinumque illi præbet amoris osculum. Vnde verò tanta animæ exaltatio? Nimirum ex humiliatione sui. Quanto enim quisque humilior est, tanto in sublime erigitur. Nam & ista mutuò sibi respondent. Hîc porrò vnicum quoddam vnum efficitur. Denique celsitudo diuina propriè potissimumque humilitatis vallem contemplatur. Cæterùm nonnunquam eiusmodi homini vsuuenire solet, vt posteaquam in his iucundissimis vijs satis versatus est, atque in sublimi valdè consistit gradu, diabolus eum cum spiritalis superbiæ tentatione adoriatur: qui cum, vt suum nihil adhuc penitius agnoscat, Deo permittente, defectum quendam minutulum incurrit, fortè iracundiæ motum, aut durioris asperiorisque verbi subitam prolationem. Inde verò & sibijpsi, & alijs, quos id videre contingit vel audire, vilescit: & ita suo nihilo magis adhuc immergitur. Nec est, quòd hinc terreatur Christi seruus, modò in suum se nihilum amplius demittat, seipsumque penitius cognoscat: facilè his defectibus mederi poterit, fietque vt deinceps cautior sit, & dignius studeat ambulare *in vnitate Spiritus in vinculo pacis* Demum quisquis ea, qua dictum est, ratione suam curat vitam instituere, Christique Saluatoris exempla pro virili sectatur, omni cum humilitate, mansuetudine, patientia: in eo pax oritur, *quæ omnem exuperat sensum*, eaque hîc sumit initium, & per omnia secula perseuerat: & ipsa in omni hominis vita, modis ac institutis relucebit. Præstet nobis Deus omnipotens & gloriosus, vt cuncti hæc consequamur, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Cur summi aliquando viri defectibus præoccupentur

Philip. 4.

DOMINICA EADEM.

Vt vera patientia ac mansuetudo obtineri queat. Itemque vt eò pertingatur, vt vnitatem spiritus seruemus in vinculo pacis.

SERMO II.

Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis. AD EPHES. IV.



IN EPISTOLARI huius Dominicæ lectione, charissimi, & ea quæ audistis, & quæ illis subduntur, verba recitantur, Apostolo dicente: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione,* qua

qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ &c. Hæc suauissima dicta, saluberrimaqúe monita gloriosi Principis & Apostoli Pauli adeò suos quisque semper ob oculos versaret, vt quicquid ageret, seu quocunque foret loco, hæc nunquam ab animo sibi excidere pateretur: hoc sedulò curans, vt quomodo iam dictum est, vocationem suam iugiter attenderet ac obseruaret, idqúe omni cum humilitate, mansuetudine, patientia. Et vos ergo, charissimi, hæc Apostoli monita arrectis auribus cordis excipientes, supportate inuicem alter alterius defectus in charitate. Atque hoc per omnem vos oro & obsecro dilectionem, quam habetis ad Deum. Imò si quid à vobis precibus obtinere, si qua in re aliquod vobis obsequium præstare queo, hoc oro, dilectissimi, vt in his, quas Apostolus commemorat, virtutibus exerceamini, easqúe summo studio obseruetis. Quicquid enim bonorum operum tam intus quàm foris potestis facere, licet ipsa sit Dominici corporis perceptio, vel alia quæuis quamlibet magna opera, nullius apud Deum pretij sunt, nec ea accepta habet, nisi his virtutibus præditi sitis. Has porrò virtutes nemo facilè acquirit, nisi multa ei aduersa occurrant atque contraria. Vnde licet multum de humilitate cogites, nisi & deprimaris: multumqúe de patientia, nisi fortiter impugneris: nihil sola cogitatio prodest, nec aliquid soliditatis siue habitus eæ virtutes habent, quin potius decidunt ac euanescunt, sicut intro illatæ sunt, nec aliquod fundum habent. Dum verò alicui siue contemptus, siue indignum aliquid verbis seu operibus irrogatur, amorosa cum mansuetudine, benigno ac resignato animo, amicum aliquod talia inferenti obsequium præstare festinet. Quod si ille aspernetur, & tanquam expuat in ipsum, non tamen ideo cesset, quin aliquod ei singulare impendat obsequium, quatenus vllo poterit modo. Enimuerò mansuetudo ac patientia non nisi per aduersa obtinentur. Si ergo me nullus infestet, quo pacto me in virtutibus his exercebo? Specialiter autem in mansuetudine se quisque plurimum exercere deberet. Hæc nanque mansuetudinis virtus magis intro ad fundum ipsum mentisqúe exercitationes respicit, quàm patientia, quæ plus exteriora spectat exercitia, actionesqúe hominis exterioris. Exempli gratia: Si falsidicus dicerer, & doctrina mea vilipenderetur, mihiqúe contemptus irrogaretur & iniuria: tum si quis meam doleret vicem, tantamque mihi quasi inuideret felicitatem, is certè nec tantillo mihi charior foret, imò potius hac de causa minus ipsum amarem. Quàm enim prorsus indignus sum, vt Dei ac Domini mei vestigia secter, cuius omnis vita atque doctrina contemptui habita, & falsitatis incusata sit. Ita ergo denuò vos, dilectissimi, per omnia, per quæ possum, hortor & obsecro, vt in his virtutibus sedulò vos exerceatis, mentemque vestram diligenter obseruetis, ita vt nulli vnquam hominum aliquid imperfectionis, nec aliquem impatientiæ motum vel toruitatem asperitatemve, siue in gestibus, siue in vultu, siue in verbis exhibeatis, quicquid etiam inferatur vobis ab alijs. Quin potius per communem dilectionem *alter alterius* infirma atque defectus *portate*. Deinde, quod Apostolus monet, vt *soliciti simus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, ad istas virtutes pertinet, quæ verissimum pacis vinculum sunt: & sicut exteriori ligamine quæque vinciuntur, sic istæ virtutes in pacem ac spiritus vnitatem homines connectunt copu-

Quibus sine virtutibus nil boni prosit.

Patientia qui obtineatur.

Mansuetudinis ac patientiæ discrimẽ.

copulantque. Sed dicat fortè aliquis: Quonam modo ad vnitatem spiritus pertingere licebit? Huic sanè nocturnũ tempus, quod post Matutinas superest, dum longiores noctes sunt, potissimum suffragatur, & vel maximum præstat adminiculum, exercendique præcipuam opportunitatem. Vnde qui ad hanc spiritus vnitatem adspirat, vespertino tempore citius cubitum ire debebit, vt somnum pro naturæ necessitate, quantum satis est, capere possit. Quod tempus vacationi spiritus maximè conducat. Absolutis deinde nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, fundum suum diligenter obseruabit, atque ad intima sui se cordis recipiens, ad ipsum videlicet centrum cordis studiosè aduertet, quodnam potissimum suum in Deum amorem & deuotionem excitet. Post Matutinas quid faciendum. Siue id sit, verbi gratia, vita Christi, si fortè ex amore & consuetudine bona eam meditari ac paulatim reuoluere solet. Quòd si nihil gratiæ singularis à Deo percipit, agedum, in nomine Domini bona sua inchoet exercitia, absque omni tamen proprietate: vt, vel dignissimam Christi passionem, aut sacratissimam illius mortem, aut vulnera sanctissima, aut sacerrimi cruoris effusionem meditari. Simulq; fundum suum perpetuò obseruet. Per horum verò contemplationem, suum in Deum amorem accendere conetur. Et quomodo ex prunarum atque lignorum congerie ignis copiosus efficitur, cuius flamma erumpens, in sublime tendit: ita & hæc pia exercitia, mentem diuino vehementer inflammabunt amore. Collatio ingeniosa. Tum porrò deserendæ imagines sunt, atque flammea dilectione penetrandę, perque medium hominem in intimum nitendum, qui homo intimus nihil operis agit. Nam quod in illo fit, totum est opus Dei solius. Ipse verò patientis, & Deus agentis vicem explet. Sed & hîc interim accidere solet, vt imagines quædam præcedentium bonorum exercitiorum, animo leuiter occurrant ac ingerantur, puta, vel Dominicæ passionis, vel propriorum defectuum, aut certè quòd pro viuis seu defunctis preces fundere debeat: sed & cuncta hæc penetranda sunt, atque per ea purè, simpliciter, ac nudè in Deum nitendum est. Quo facto, hoc est, vbi cunctas has imagines, purè & passiuè animus penetrârit, tum demum veritas ipsa instar fulguris animæ illucet, mentemque post se in seipsam passiuo quodam modo trahit. Quod quidem celerrimè agitur veluti sub momento, vel etiam multo celerius momento: haud secus quàm conuersio olim & auersio Angelorũ ad Deum & à Deo, quæ citius multo quàm punctum abeat, peracta fuit. Ita nimirum & istic fit. Quantoque celerius, tanto nobilius. Cæterùm hîc omnia hæc veluti raptim in ipsum diuinitatis fundum referenda sunt, atque nitendum vt vnus cum Deo spiritus fiat. Nam & *Deus* ipse *spiritus est*, cum quo vnus fieri spiritus debebit. Ioan. 4. Iam quotquot eiusmodi sunt, hi *veri sunt adoratores, adorantes Patrem in spiritu & veritate.* Ibidem. Hîc demum vera pax essentialis oritur, superiusque memoratæ virtutes huc hominem perducunt. Dum autem in hoc exercitio positus est homo, mira paupertas & ariditas naturam occupat. Nihil enim ea hîc suum habet. Iamq; secum stupens & admirans, loquitur: Papæ, vbi sunt genuflexiones tuæ? vbi exercitia tua bona? cur à legendis psalterijs vacas? Cupit enim habere alipuid, nosse aliquid, & velle aliquid. Hæc verò tria antequam perfectè in ipsa emoriantur, *hoc opus, hic labor est* illi. Neque hoc vnius diei nec modici temporis negotium est: sed frangenda est in his paulatim natura, & in consuetudinem illi vertenda mortificatio sui, idq; diligenter ac irremisso studio, imò & perseueranter. Sui mortificatio, quanti sit laboris. Perseuerantia demum, quod prius molestum ac difficile erat, iucundum & facile reddet: vti de Sanctis

Sap. 3. in libro Sapientiæ scriptum legimus: *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Cæterùm vbi natura tota friget, ac torpore quodam deprimitur, tum iuxta diui Bernardi consilium, pijssimis, suauissimis, atque amabilissimis, quæ quidem excogitari poterunt, verbis alloquendus est Deus, in hunc videlicet modum: Vtinam, ô amantissime & vnice dilecte, dignus forem inter charissimos amicos tuos annumerari, teque in anima mea amplecti, & vel centies millies osculari, totumq; te intra me circumplecti, adeoque in intimis meis recludere, vt te nunquam amittere possem. Hæc atque his similia ex intimis debent cordis medullis proferri ac cogitari. Nunc itaque, dilectissimi, corda vestra ex integro ad Deum conuertite, qualicunque demum ratione seu quibuscunque modis id facere libebit: (aliquid enim Dei, totus est Deus) per ea maximè, ad quæ speciali devotione ducimini, & in quibus plus gratiæ sentitis. Certè ad pretiosa Christi vulnera meditanda, vel semel cum amore animum applicare, in illaque se totum recipere, cunctis organis atque campanarum pulsationibus, alto etiā cantu, & quàm vestibus sacris, quas Casulas vocant, insignia apponere, multis modis Deo gratius ac pretiosius est. Et vos charissimi, si ex fundo cordis, omni studio intro vos ad Deum conuerteretis, tentatio hæc, qua plus satis depicti estis, onerosam & eo prolixius confitendi consuetudinem, tota decideret ac sopiretur, culpæque omnes leuiores paruo negotio per exercitia interna vestrique ad Deum (vna cum defectibus vestris, eorumq; agnitione, humiliq; confessione & accusatione) introuersionem, adeò penitus abolerentur expiarenturq;, vt cùm ad Confessorem veniretis, nihil dicendum animo occurreret, nec confitendum aliquid haberetis. Præstet nobis misericors Deus, ita se per virtutum exercitia sequi, vt ipsum feliciter apprehendamus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Quid omnibus, alioqui pijs, Ecclesiæ cæremonijs præstet.

Longæ cōfessiones breuiandi cōsilium.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

Quàm periculosum sit, verbum Dei absque fructu audire. Qui hodie Scribæ sint & Pharisæi. De profunda humilitate, & diuino amore, deq; Pseudodoctoribus.

SERMO I.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. MATT. XXII.



AEPIVS quidem, dilectissimi, Scribæ atque Pharisæi Dominum Saluatorem tentabant: verùm, vti crebrò pluribus in locis historia pandit Euangelica, nunquam vel in vno ipsum poterant verbo reprehendere. Quod autem ad ea, quæ modò audistis, verba attinet, quæ apud Matthæum Dominus cuidam legis Doctori ipsum æquè tentanti respondisse legitur, nihil dubitandum est, quin in eis præclarissima, vtilissima, purissima, institutio siue doctrina atque felicitas contineatur lateatque, quæ vel in tempore, vel æternitate possit haberi. Cæterùm apud Lucam cap. 10. antequam hæc de dilectione verba protulisset, discipulos suos Dominus misisse legitur, vt quibusdam ciuitatibus Dei verbum annuntiarent, hoc adiuncto præcepto, vt vbicunque illud non reciperetur, citius inde abscederent, atque ad alia se conferrent loca. Erant tunc, vt idem Euangelista loco memorato testatur, ciuitates quædam, quæ ad sui correctionem Dei verbum non susceperant, quibus hoc ipsum Dominus grauiter exprobrauit, dicens: *Væ tibi Co-*

rozaim, væ tibi Betsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis Similiter exprobrauit & Capharnaum. Et nos ergo dilectissimi, opportuna satis hinc occasione accepta, Coloniensem hanc vrbem in medio statuimus. Equidem in toto orbe nescio si vllum supersit oppidum, in quo Dei verbum tam copiosè, tam apertè, tam purè annuntiatum, propalatum, expositum sit, vti in hac vrbe, iam inde ab annis sexaginta in hanc vsque diem per complures Dei amicos, & sancti Spiritus gratia copiosè illuminatos Doctores, in hoc ipsum missos atque ordinatos à Deo. Cui, quæso, loco vel vrbi vnquam simile contigit? Sed videte, obsecro charissimi, qua ratione Dei verbũ, quod, vt dixi, præ cunctis alijs totius Christianitatis ciuitatibus annuntiatũ est vobis, atque etiamnum annuntiatur, susceperitis, &, vt iuxta illud vestram instituerítis conuersationem ac vitam, bonis operibus insudando. Si enim dignè illo viuere studuistis, præ omnibus, quos vnquam nasci contigit, populis felicissimi vos estis. Si verò tantum illud percepistis, nec moribus curâstis exprimere, væ atque iterum væ vobis, quod vnquam illud annuntiatum est vobis. Iam enim maledictionis perpetuæ sententiam & vobis & omnibus, qui præclarissimum veritatis verbum absque fructu percipiũt, imminere quis dubitet? Et quam, obsecro, rationẽ hinc Deo reddituri estis, ô vos Colonienses? Prospicite, quæso, vobis. Iterum moneo vos, prospicite vobis, charissimi. Ipsum Veritatis os protestatur. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatẽ eius, vapulabit multis.* Væ væ væ vobis ab hac Prophetia. Videte, oro, studia & occupationes vestras, ne fortè triplex ista super vos veniat maledictio. Nec est, quòd putetis vel præsumatis multas pretiosissimas Sanctorum reliquias, quas tenetis, solas saluandis vobis sufficere, si non & ipsi sanctè viuatis. Fateor quidem Coloniam præclarissimorum Sanctorum Reliquijs Romæ æquiparatam esse. Habet enim tres Magos, habet vndecim millia sanctarũ Virginum, habet Gereonem & socios eius, id est, Thebæos Martyres, pluresque alios, & hi omnes hospites sunt & aduenæ: & hęc ipsa plebecula, quæ Coloniæ versatur, aliunde huc commigrauit. Cæterùm hoc, quęso, diligenter vobiscum expẽdite, quos fructus referatis, quas gratiarum exoluatis actiones omnipotenti Deo tam pro his, quã alijs immensis beneficijs illius, quibus ille vos præ cunctis alijs vrbibus ac regionibus honorauit, & specialiter, quòd tam multos ex charissimis amicis suis patronos vobis atque protectores dedit. Planè, dilectissimi, toto erratis cælo, si insigne Templum maius vrbis huius, atque auream Turrim vestram, celebres quoque campanarum pulsationes, aliquid vobis profutura creditis, si gratiã Dei negligatis, & beneficijs illius sitis ingrati. Non enim hominibus templa, sed templis homines cõferunt sanctitatem. Videte quid Psalmista dicat: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*: simulque considerate singuli, si huic purissimę simplicissimęque veritati viuere studuistis. Iam si qui fortè sunt, qui verbum Dei & perceperũt, & intellectu sunt assecuti, necnon aliqua ex parte inde commoti, ipsique dediti fuêre, ita vt etiã seculo valefecerint, atque hinc postea exciderunt, diuinã non immeritò maledictionem formidare habent, rectèque illis dicitur: *O Hierusalẽ, si cognosceres & tu tempus visitationis tuæ.* Verũ antequã Dominus ad hoc præsens Euangeliũ & suauissima de dilectione verba deueniret, adspexit discipulos suos, & quotquot ad hoc fundũ nouerat peruẽturos, exultásque in Spiritu S. (Obiter hîc notandũ est, nusquã prodere scriptu-

Quantopere verbum Dei prædicatum.

Contra desidiam Coloniensium.

Luc 12.

Colonia quà in re similis Romæ.

Plebs Coloniensis vnde sit.

An Coloniensibus Reliquiæ ac templa aliquid prosint.

Psal. 44.

Luc. 10. Matt. 11. scripturas, Dominum vnquam aliàs exultâsse in vita sua, præterquam hac vice) ait: *Confitebor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis.* Ac deinde post pauca cōuersus ad discipulos: *Beati,* inquit, *oculi, qui vident quæ vos videtis.* Hîc iam principio ante omnia excludendi veniunt, siue prodendi, qui memoratæ beatitudini atque fundo huic aduersantur. Ea tempestate, qua Dominus inter homines vixit, duo hominum genera erant, quæ & nostris non desunt temporibus, qui Deo & purissimæ obsistebant veritati. Hi erant Scribæ in Lege docti, ac Pharisæi, qui speciem quandam præ se ferebant sanctitatis. Isti semper Domino Saluatori, & dictis atque amicis illius repugnabant. Ita & hoc nostro seculo complures inuenire est, qui fundo huic, atque omnibus illi viuere, illucq́ue sectari cupientibus, sedulò obsistant. Veruntamen nemo facilè alium talem iudicabit, sed seipsum potius attendet, si qua fortassis ex parte huic vitio subiaceat. Atqui vt facilius dinosci queas, quos Scribarum, quos Pharisæorum appellationibus dicamus significari, ipsos apertius describemus. Itaque Scribæ sunt, qui naturali acumine ac subtilitati præditi sunt, atque in suo intellectu seu ratione excreuerunt: & ex superbo quodam fundo de sua sublimi intelligentia multaq́ue eruditione, verbis item atque institutis sublimibus gloriantur: cunctaq́ue per imagines intellectuales intro recipiunt, vnde mira cum subtilitate & pompa dicere nouerunt, ita vt omnes in sui admirationem rapiant. Pharisæi verò, quos paulo ante speciem quandam sanctitatis olim præ se ferre solitos diximus, quiq́ue exercitia foris tanta sectabantur, vt maiora haberi vix possent: illi hodie rectè vocantur, qui exercitia sua omnia in externis duntaxat, iisdemq́ue specie bonis ac pulchrè apparentibus operibus constituunt, inq́ue suis conceptibus ac institutis vehementes sunt & importuni, ac placentes sibiipsis: intus verò prorsus immortificati, & gratia vacui manent, nec in fundo suo gratissimam Dei voluntatem obseruant, & si qui sunt, qui illam libenter in modis omnibus obseruarent, nec quælibet instituta sequi possunt, illos sedulò impediunt? Sed quæso te qui eiusmodi es, si ipse ingredi non vis, cur alium introire non pateris? Quî enim nôsti, quo pacto Deus alium trahere velit? & quid hoc ad te attinet? Præstaret quidem te tua tractare negotia, quàm impedire alios, & ad rudem tuam externam viuendi rationem impellere. Atque hos quidem hinc vtcunque nôsse licebit. Sunt enim iudiciis temerariis pleni, & omnia proximorum suorum quàm pessimè interpretantur: propriæ quoque voluntati seruiunt, & rixis, pugnis, contentionibus dediti sunt. Quæ omnia ex superbo fundo, quo ipsi plus satis abundant, germinare dubium non est. Nam & irresignati sunt, & placent oppido sibiipsis. Atqui vtinam miseri seipsos potius attenderent, & in suo sese fundo contemplarentur. Neutri horum, id est, nec Scribæ isti, nec Pharisæi, de illorum numero sunt, qui beatos oculos habent. Non enim verum contuentur fundum, sed semper extra respiciunt. Isti Ecclesiæ sanctæ plurimum obfuêre semper, & officiunt vsque in hanc diem. Sed dicat fortè aliquis: Qui ergo sunt, quorum *beati oculi* perhibentur? Illi nimirum pauci & paruuli, qui se in suo nihilo contemplantur, qui se in suo proprio veroq̀ue fundo tanquam nihil adspiciunt, atque in veritate nihil se esse fatentur atque cognoscunt. His solis exaltatur Deus. Nam vti in libra fieri videmus, vt quanto lanx altera deorsum tendit, tanto altera in sublime consurgat: ita & quantum quisque in interiori vera atque profunda suiipsius cognitione,

Margin notes: Duo hominum genera. — Scribæ. — Pharisæi. — Pharisæorum depictio. — Quorum oculi beati.

tione, non verbis, neque glossis, sed in veritate in ima deprimitur, tantum in illo Deus exaltatur. Quamobrem hoc omnibus studium vnum esse debebit, vt seipsos ex vero cordis fundo subtus Deum & creata omnia demittant atque demergant: ita vt ad omnia, vndecunque seu à quocunque & modis quibuscunque, intus vel foris accidentia, sese resignare discant, siue bona illa esse appareant, siue mala, peccato tamen semper excluso. Enimuerò quid causæ esse putatis, dilectissimi, quòd Deus omnipotens non rarò homines etiam bonos, in sua gratia positos, in peccata cadere, permittit, nisi hoc tantùm, vt suam inde paruitatem agnoscere, seipsos humiliare, contemnere, nihilipendere discant? Et quibuscunque hoc accidit, vt in peccata labantur, vbi Ecclesiæ sanctæ confitendo & pœnitentiam agendo satisfecêre, si fortè mortalia sint peccata, quæ inciderunt, denuò amorosa cum spe atque fiducia totis viribus ad Deum sese conuertent, nec immodicè inde secundùm sensus siue sensualiter turbari debebunt. Quis, oro, Apostolis Deo vnquam charior fuit? & ipsos tamen omnes, vt ad hoc humilitatis pertingerent fundum, in peccata corruere siuit. Modò in fundo suo Deum se super omnia diligere, & præ omnibus intentione prosequi inueniant, non est certè quòd terreantur, quin potius Deum nouerint pro sua id salute atque in bonum suum permisisse. Sed inuenias plerosque, qui vbi perexiguum aliquod vitium siue defectum inciderunt, statim ad Confessorem properent, vt illi totum effundant, quo ab illo, quem interim sustinent, remorsu conscientiæ liberentur. Quæso te miser & cæce homo, quisquis eiusmodi es, festina potius ad interiora tua: fuge intro in fundum tuum, & disce huiusmodi labeculas Deo primùm confiteri. Quod enim ad Ecclesiæ præceptum attinet, nihil illud à te exigit, nisi vt mortalia duntaxat peccata confitearis. Fateor vobis, si mei iuris tales essent, in integrum mensem absque Confessione transigerent. Itaque, vt dicere cœpi, seipsum quisque in suum iugiter nil posse, nilque valere, demittat deprimatque. Taceat & resignet se in omnibus, quæ illi occurrunt eueniuntque. Perseueret, sileat, comprimat sese sub tentationibus quibuscunque, tam quæ intus, quàm quæ foris infestant. Non est alia ratio cuncta melius superandi. Id quod ab externo etiam exemplo facilè probari potest. Si centum ferocissimi canes in vnum aliquem insurgant hominem, si ille sedeat quietus, totumque se in se comprimat, nec aliqua sui parte moueatur, nihil eum canes lædunt, quin potius abscedunt omnes, ita tamen, vt interim ad ipsum oculos retorqueant. Tum si vel manum ipsum mouere conspiciant, rursus ad eum omnes conglomerantur, &, vt prius, morsus intentant. Quod ergo dixi, de omnibus, quæ occurrere possunt, tentationibus accipiendum est, illisque accommodari potest, ita videlicet, vt quicquid tibi eueniat, semper ad tuum te fundum recipias, semper quietus sis, Deoque te resignes, nec foras te effundas. Hoc si feceris, certo certius tentationes omnes decident ac euanescent, adeò vt si numerosa quoque dæmonum multitudo omnis, quam Tartarus habet, in tuum malum conspirâsset, nil tibi poterit inferre nocumenti. Quamobrem discite, quæso, dilectissimi, aduersa omnia æquanimiter ferre, discite pati & resignare vosipsos: auscultare, oro, vocem Patris vestri, attendentes quid ille intus loquatur: auscultate etiam vocem matris extrinsecus, quę est Ecclesia sancta Catholica. Horum nanque voces non nisi vna vox sunt, quas qui modò agnoscere non studet, neque addiscit, pereat necesse est. Veniet enim quandoque vox quædam fallax & mendax, quæ omnes

Cur pij subinde in peccata labi sinantur.

Matth. 26.

☞

☞

Quæ ex præcepto Ecclesiæ confitenda.

Pulchra canum & tentationum collatio.

Aduersa qui ferenda.

illos, qui voci paternæ modò auscultare renuunt, miserè seducet. Nec ambigendum est, quin vox paterna per matrem, id est, sanctam Ecclesiam, in cunctis illius institutionibus, doctrinis, consilijs atque præceptis loquatur. Vnde væ atque iterum væ illis omnibus, qui hanc vocem audire contemnunt. Vox autem ista si quæratur qualis sit, siue quid exigat, sub compendio respondetur, id eam nostris ingerere auribus, vt Deum ex toto, ex toto, inquam, & omni corde diligamus, & proximos vti nosipsos. Hanc vocem qui modò si qui recusant, illi fallacem intus vocem sibi loquentem sentient, ita vt quid agerint, aut quo in statu res suæ sint, penitus sint ignoraturi. Quæ enim vox, putatis, expectanda illis est, si veram ex toto dilectionem in suo non reperint fundo? Similiter hortatur vox ista paterna pariter atque materna, vt humiliemus nos, itaque fore promittens vt exaltemur. Sicuti namque in myropolijs herbæ quædam seu species in melle conseruantur, ne pereant: sic charismata omnia & bona quæque ab omni corruptione & interitu in paruitate ac humilitate seruantur. Et huic ergo voci quotquot aures claudunt, ita vt humiles, imi ac parui esse nolint, vocem quandoque teterrimæ desperationis intus percipient, ipsisque pseudodoctores omnia illa, quæ à magistris veritatis vnquam hic tradita sunt, mendosa & aliena à veritate esse persuadere nitentur. Et quicunque in fundo suo humiles non fuerint, nec ad ima sese demiserint, sed in sua potius vana complacentia ac suiipsorum ob acutos subtilesque sensus suos æstimatione reputationeque persistiterint, de sua iustitia præsumentes, hi omnes deceptionis laqueis inuoluentur, adeò vt omnia sanctæ Ecclesiæ instituta, cæremoniæ, ritus, erronea ac falsitati obnoxia illis videantur. Quod potissimum ex corrupto falsoque illis eueniet fundo suo, quodque veri ac vitalis fundi nihil intra se reperiant. Paruum namque esse, & paruitati studere, Deumque ex toto, ex toto, inquam, & ex omni corde diligere, hoc verum est totius boni fundum. Vos ergo dilectissimi, sicuti Dominus hortatur, *dum dies est, dumque lucem habetis, ambulate, vt non tenebræ vos comprehendant.* Sed quid ista dicimus, quando vos huc illucque vagamini, & modò hæc, modò illa negotia tractatis, omnia quidem per sensus, perque propriam voluntatem vestram, quæ vos in hoc profundum demergit, nec vnquam ad interiora vestra, adque fundum vestrum redicis? Qui si propriæ huic voluntati moreremini, Christus vtique efficeretur caput vestrum, imò & diuinitas tota. Cæterùm hoc ipsum Dei verbum, quod vos modò tam infructuosè percipitis, alteri proficiet, per quinquaginta licet milliaria ab hinc remoto, & vspiam fortassis sub gradu in angulo aliquo latitanti, si ille in veritate paruulus fuerit. Enimuerò totius perfectionis verissima regula hæc est: Sis humilis: & vbicuncunque teipsum inuenis, teipsum relinque. Hei, quàm miseranda conditio, tam nihil nos proficere, cùm tam multa ad proficiendum adminicula habeamus, ipsa videlicet sanctissima Sacramenta, Verbum Dei, & suffragia orationesque Sanctorum. O quicunque teipsum modò negligis, miserere animæ tuæ, dum gratiæ tempus præsto est. Tempus enim omne, quod vanitati impendis, aut otiosè inutiliterque transigis, seuerè abs te quandoque exiget Deus. Quamobrem, si meo consilio acquiescis, conuertere, oro, ad veram sapientiam. Conuertere, inquam, per misericordem te Deum obsecro, & miserere miser tuijpsius. Certè misericors est Deus, & non petit ille nisi salutem tuam, & vt humilis sis. Planè si humilis corde fueris, inuenies illum in anima tua. Quòd si illi animam tuam dona-

Mellis & humilitatis collatio.

Boni totius fundamentum.

Perfectionis totius regula quæ sit.

donare, teipsumque pariter & omnia pro illius amore relinquere nolueris, opinione tua citius deceptum te inuenies. Quid autem est, quòd tete agnoscere non vis, quòd non sis nisi puluis in hac vita? Miserere itaque tui, & veni ad me, dicit Dominus, paratus sum recipere te, eroque amor tuus, tuumque solamen, perducamque te ad vitam, nullum vnquam finem habituram. Præstet nobis omnibus Dominus Deus noster, vt in illud cuncti fundum pertingamus, in quo purissima supremæ felicitatis veritas sita est. Amen.

DOMINICA EADEM.

De triplici quorundam hominum corrupta intentione. De triplici amore Dei, quorum vnus dulcis & sensualis, alius rationalis seu intellectualis, tertius fortis & essentialis est.

SERMO II.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. MATT. XXII. & LVCÆ X.

PHARISAEVS quidam Dominum tentaturus, quæsiuit ex illo: *Magister*, inquiens, *quid faciendo vitam æternam possidebo?* Quem ille statim ad suam scientiam sensusque suos remisit, dicens: *In Lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ita respondit iste Pharisæus, à cuius tamen intentione, quæ corruptissima erat, longè aberat Deus, longè aberat & vita æterna. Tales hodieque (proh dolor) Pharisæi & Pharisaicæ consuetudines multæ nimis reperiuntur, ita quòd bona hominum pars externa quædam intendit in verbis atque operibus suis, quæ speciem quidem pietatis & sanctitatis habent, sed potius in eis exteriora quædam, vt verbi gratia, bona temporalia, commoda, honores, fauor, oblectationes, sciri ac reputari ab hominibus, & id genus alia, quæruntur ac intenduntur. Cæterùm (vt paucis multa absoluamus) cuncta illa opera, quæ ita fiunt, vt ea apparere, sciri, videri velis potius quàm nesciri, quæque minus libenter faceres, si ea ad nullius notitiam peruentura scires, ideoque libentius facis, quòd videantur ab hominibus, & grande tibi nomen concilient: ea omnia, quamlibet magna, quamlibet celsa & alta videantur, Deus accepta non habet, nec de his ille se intromittit. Quod enim cuiuslibet operis causa est siue scopus, quodque ipsum generat siue parit, illi & generatio deputanda est, non alij cuiquam. Finis namque principio correspondet. Deinde & interior quædam Pharisaica ratio siue modus est, quo Pharisæus quisque in omnibus quæ agit, seipsum quærit, seipsum intendit. Sic & etiamnum spirituales quidam homines hunc Pharisaicum modum plus satis imitantur, qui tamen omnia inter Deum & se salua credunt: sed si opera ipsorum, qualiacunque ea sint, siue oratio, siue locutio & alia quæque penitus introspiciantur, totus amor, omnisque intentio fundi sui, ipsimet esse deprehenduntur. Hoc verò nec ipsi animaduertunt. Atque hoc fundum vix vnquam perfectè mortificatur, perfectius tamen in vno quàm in alio. Et licet multa isti opera grandia & apparentia perficiant, vt quòd pro indulgentijs (vt vocant) cõsequendis circumeunt, quòd orationi insistunt, quòd pectora tundunt, quòd pulchras cõtemplantur imagines, quòd genua flectũt, quòd totã peruagantur ciuitatem, nihil tamen horum acceptum est Deo in illis. Quare? Quòd amorem & intentionem suam in his omnibus non ad Deum referant, sed contorqueant ad creaturas, putà vel ad priuatum commodum siue bonum, vel ad quie-

Quantum sit & hodie Pharisaismi.

Pharisaismus internus.

Deuotionem externam absque interna prodesse parum.

Nota.

nec per istam sensibilem suauitatem atque deuotionem, vera tandem in ipso dilectio formetur generetur que: simulque per hunc dulcem soporem, omnem in ipso saporem, delectationemque creaturarum, aliarumque rerum omnium penitus extinguat. Quamobrem cui ista dulcedo præstatur à Deo, non eum reijcere debet, sed reuerentiali potius cum timore ac humilitate profunda suscipere, suæque imperfectioni, vilitati, paruitati ascribere, quòd ita eum allicere oporteat & prouocare: & quicquid eiusmodi illi donatur, non ibi hærebit, sed per ea ad altiora pertransibit, ita videlicet, vt per imagines supra omnem imaginem, per externa sensualia exercitia, intro seipsum in fundum animæ suæ, in quo reuera est regnum Dei, enitatur transeatque. Quàm plures enim inuenire est, qui satis feliciter in hisce sensualibus siue imaginarijs exercitijs atque modis versari nouerunt, multamque in eis sentiunt voluptatem oblectationemque: quibus tamen interiora sua haud secus quàm mons ferreus, per quem nullus patet transitus, præclusa sunt: quod inde illis potissimum accidit, quòd in suis interioribus nihil sese exerceant, siue etiam, quòd hisce sensualibus formis ac imaginibus plus satis inhæreant, ibique adeò subsistant, vt vlterius ingredi non curent, nec ad suum penetrare fundum, in quo vitalis ipsa veritas lucet. *Duobus* autem *dominis*, puta sensibus simul atque spiritui, *seruire nemo potest*. Deinde alius amor est, de quo (vt supra dixi) D. Bernardus loquens, prudentem eum appellat, quem nos rationalem dicere possumus. Hic autem multis modis præcedentem sensualem siue dulcem amorem excellit: ipsum nos imagini argenteæ, extrinsecus inauratę, haudquaquam absurdè comparamus. Vti nanque imago argentea, in seipsa pretiosa admodum est, ita vt si grandior sit, sola ad templi alicuius ornatum sufficiat: ita & amor hic rationalis ac prudens, quiddam pretiosissimum, atque præclarissimum, imò & iucundissimum est. Vis autem nôsse, dilecte fili, quisquis ille es, qui id scire appetis, quánam ratione hunc amorem debeas adipisci? Ausculta me, obsecro. Mentem tuam ad æterna contemplanda introuertes, & sicuti prius non nisi imagines cogitasti, puta vel natiuitatem Christi, vel illos atque illos actus siue modos eiusdem externos, ita nunc ad internos rete modos & opera inspicienda conuertes. Quænam illa, inquis? Ad æternam videlicet generationem, vti Verbum sempiternum in corde paterno generetur, atque ita inde procedat, vt tamen semper in illo intus perseueret: necnon vti Spiritus sanctus cum ineffabili quodam amore complacentiaque procedat: vtque demum essentia diuina in personarum Trinitate non nisi vna simplicissima purissimaque vnitas sit: cui deinde oppones tuum non esse, nihilque tuum, & varias multiplicesque distractiones tuas. Intueberis etiam occultam diuinitatis incomprehensibilitatem, & quàm illa intrinsecus abdita sit, atque huic tam ad externa oppones extrouersionem, siue exteriorem, vt ita dicam, externitatem. Necnon illius æternitatem contemplabere, quæ nec prius habet, nec posterius, sed præsentissimè & seipsum & omnia in se, in recenti quodam atque continuo Nunc possidet, idque incommutabiliter. Et huic similiter temporis tui, mutabilisque vitę & animi tui, cui nulla penè stabilitas inest, fluorem & inconstantiam oppones. Deniq; hac ratione amor dulcis siue sensualis sese ad quandam subleuat abstractionem, nititurque ad altiora, donec prudenti amori par efficiatur, siue in ipsum transformetur transeatque, vbi iam supra omnes transfertur imagines, formas, similitudines, atque ita per imagines vltra omnes imagines transcen-

Esse complures extus, non intus, deuotos.

II.

Introuersione opus esse.

scendit. Enimuerò amor iste, quem prudentem D. Bernardo diximus appellari, mentem hominis longè ab his externis extraneisque rebus abstrahit abducitque, vt iam penitus harum omnium obliuiscatur. In priori illa dilectione, quæ dulcis & affectuosa Bernardo vocatur, cum labore quodam animus sese ab hisce rebus externis ac visibilibus auertit. Cæterùm qui hunc amorem dulcem potauit, ei cuncta visibilia, atque externa excidunt atque vilescunt, iamque tædium quoddam & dedignatio aspernatioque nascitur in ipso omnium eorum, quæ inordinata sunt. Hoc verò fauorem atque dilectionem illius longè amplius ab hisce rebus temporalibus auellit, atque maiori sub compendio sursum rapit dirigitque, quàm multa etiam exercitia externa: multoque hic compendiosius nascitur, atque diuinam speculatur caliginem, quæ præ abundantia incognitæ inuisibilitatis suæ omni creato intellectui tam Angelorum quàm hominum, obscura est caliginosaque, haud secus quàm Sol radians præ splendore suo oculos humanos obscurat: quandoquidem, vt D. Dionysius testatur, Deus omnia illa, quæ illi ascribi possint, siue nomina, siue modos, siue formas imaginesque, longè superat, atque rebus omnibus superessentialiter eminet. Hæc itaque intus ab animo gustata, in suum eum nihil paruitatemque liquescere, seseque demergere faciunt. Quo enim perspicacius lucidiusque diuina illi magnitudo allucet, intusque resplendet, tanto & sua illi paruitas, nihilumque suum euidentius innotescit. Atque hinc scire licebit diuinæ huiuscemodi irradiationis veritatem, quòd videlicet essentialis fuerit, & non per imagines, neque in viribus animæ, sed in ipso fundo, si profundius sese homo in suum nihil demittat atque demergat. Quod quidem maximè liberis illis spiritibus aduersatur, qui per fallacium quorundam luminum irradiationem, veritatis se existimãt notitiam adeptos: statimque eriguntur, ac in sublime feruntur in propriam suiipsorum complacentiam & æstimationem, propriumque videre ac sapere, seseque ad fallacem nuditatem suam internam introuertunt, dicuntque alijs, non absque iniuria summi Dei, si necdum cunctas transcenderint formas imaginesve: & id genus alia plus satis liberè effutiunt. Atqui bonus quisque, qui verè bonus est, nulla se transcendisse putat, quamlibet ea parua, quamlibet vilia sint, modò tamen bona sint: & licet ea transcenderit, non minori tamen ea in pretio habet, nec minus reuerenter amat, quàm vnquam ante. Omnibus nanque inferiorem se existimat, nec aliquid omninò excessisse seu superasse se credit. Sed ecce vani isti ac friuoli, de quibus præfati sumus, qui suis quibusdam intellectualibus modis inhærent, & extrinsecus sese ostentant, dum verba quædam rara, subtilia, ac peregrina in Concione percipiunt, quæ nec viuendi rationem, nec modos quosdam siue exercitia secum intus adducant, laudant Concionatorem, & purissimum se illius ex ore bonum hausisse fatentur: atque ita non obscurè, quales sint, deprehenditur. Viua autem nudaque veritas, quæ magis illis necessaria foret, nihil eis sapit. Quotquot igitur huius farinæ sunt homines, nihil omninò in veris profecêre virtutibus, sed defecêre magis, atque in suo naturali lumine persistunt, in quo etiam mirum in modum florent & gloriantur: in vita autem dignissima Domini Saluatoris non se strenuè exercitârunt, neque naturam suam per virtutum exercitia edomuerunt, nec demum per veræ dilectionis ingressi sunt iter, sed in suo (vt dixi) rationali lumine, ac in interna quadam falsa nuditate persistunt. Id verò, puta quòd ita subsistunt & quiescunt, naturam magnoperè delectat. In suo nan-

Quibus externa cuncti facilè vilescant.

Qui diuinam caliginem potissimum speculentur.

Contra quosdã ex visionibus superbientes.

Concionatores quales à quibus ferè efferantur.

suo nanque fundo indepicto & ab imaginibus vacuo, in multa quiete & silentio consistunt. Atque hæc quies adeò suas in natura radices iecit, vt, proh dolor, hanc vt plurimum homines penè vniuersi sectetur. Hac nempe tempestate, qua infirmi plerunque sunt homines, nemo ferè est, qui seipsum viriliter aggredi velit, aut aliquem sibi ausit inferre dolorem: adeò nunc omnes suijpsorum detinentur amore. Cæterùm amabiles illi homines, qui ad hunc prudentem amorem rectè pertingunt, passiones, aduersitates, & suijpsorum contemptum ac paruipensionem sitiunt vehementer, plurimumq́ue desiderant & concupiscunt amabilia Domini sui Iesu Christi vestigia doctrinamq́ue imitari. Isti falsam non incidunt nuditatem, nec fallacem libertatem, non gloriantur etiam, sed paruuli sunt & nihil in oculis suis: Deo autem hac ipsa de causa & magni & chari sunt. Deinde tertius est amor, quem fortem appellari diximus, qui essentialis amor est, & per imaginem ex auro purissimo conflatam, significatur. (Obiter hîc monendi mihi estis, dilectissimi, quòd quisquis nullum horum trium amorum in suo reperit fundo, nec aliquo horum præditum se sentit, vt periculosam, ita & anxiè metuendam agat vitam, nec immeritò noctu diuq́ue lugere atque plorare debeat.) Vt nanque aurum purum diligenter expolitum, præ sui splendore, qui tantus est, vt aciem intuentis reuerberet, conspici vix potest: ita & spiritui in hoc forti contingit amore, idq́ue ex presentia diuina, quæ tam essentialiter fundum irradiat, vt spiritus præ humana fragilitate sua ferre non possit, quin necessariò liquescat, & ad suam reuerberetur impotentiam, ibi verò nullum ei fulcimentum, quo sustentetur, superest, nisi vt totus in diuinam immergatur & absorbeatur abyssum: adeoq́ue in illa se perdat, vt nihil sibi de seipso cõstet. Cùm autem diuinitatis obiectum, quod forti respondet amori, prorsus illi incomprehensibile sit, nimiumque ipsum excellat, facit instar Heliæ, qui *stans in ostio speluncæ*, id est, propriæ humanæ infirmitatis suæ, in ostio præsentię diuinæ, operuit vultum suum pallio, quod significat, spiritum hîc à propria cognitione operationeq́ue deficere. Deus nanque cuncta hîc in illo operari, nosse, diligere habet, cùm ipse in hoc forti amore à seipso defecerit, seq́ue totum in dilectum, in quo & perdidit sese, haud secus quàm guttula aquę in immenso mari immerserit, multoq́ue perfectius illi vnitus sit, quàm aër splendori solis plena virtute radiantis. Iam quæ hîc aguntur, sentiri melius, quàm verbis exprimi possunt. Sed dicat fortè aliquis: Quid ergo hîc in eiusmodi remanet homine? Nihil aliud sanè, quàm infinita quædam nihilipensio suijpsius, & omnis proprietatis perfecta abnegatio, tam quæ in voluntate & mente, quàm quæ in modis siue institutis & via habetur. In hac namque perditione siue amissione suijpsius, adeò in ima sese demergit homo, vt si profundius sese demergere ac prę amore & humilitate in nihilum redigi posset, faceret id certè perquàm libenter. Talis siquidem nihilipensio suijpsius iam nata est in illo: adeoque totus nunc sibi indignus videtur qui homo sit, aut hominis vocabulo censeatur, qui templi subeat limina, & imaginem crucifixi in pariete depictam adspiciat: imò ipso quoque dęmone peiorem se ex animo reputat. Cæterùm Dominicam passionem, & sacratissimam filij Dei humanitatem vitamque omnem, nunquam tanto amore complexus est, quanto nunc eam complectitur, iamque primùm sibi meliorem vitam aggredi atque inchoare velle videtur, & sic nouo cum feruore à cunctis virtutibus bonisque exercitijs denuò orditur. Atque hoc essentiale in ipso efficitur,

Quàm dominetur suijpsius amor.

III.

Cuius periculosa sit vita.

1. Reg. 19.

Annihilatio sui.

Quis sibi hominis vocabulo videatur indignus.

tam in-

tam in minimo quàm in maximo. Minimum siquidem & maximum, vnum in illo sunt: sicut & in naturæ ordine Deus ita disposuit, vt infimum supremo respondeat. Terra nanque infimum est, cælum verò supremum. Nusquam autem ita vim operationis suæ cælum exerit, nec tantos efficit fructus, vt in terræ humilitate. Sic & Dei omnipotentis immensa celsitudo nusquam tam fructuosè, nusquam tam deificè operatur, vti in altissima hominis humilitate seu depressione. Et quomodo sol corporeus ex ima tellure vapores eductos ad se trahit, ita & Deus sublimis spiritum verè humilem sursum in se rapit, adeò vt iam planè sentiat & credat, videaturquè sibi totus in Deum transformatus: qui tunc rursum totum se in seipsum demittit atque demergit, ita vt multo minus aliquid, quàm hominem se esse credat. Quemadmodum enim, verbi gratia, in ingenti carabo bullienti aqua repleto fieri videmus, vt modò vi ignis supra se aqua iactetur agiteturquè, quasi seipsam non capiat, sed fundere velit: dum verò ignis subducitur, rursum in ima sese demittat: sic & fortis hic amor spiritum impellit rapitquè, vt supra se feratur, totumquè se extra se fundat, ebulliatque in nescire quoddam, vbi iam cognitione destituitur: vnde rursum ad proprij nihili sui cognitionem sese demittit. Denique fortis hic & feruidus amor tres proprietates habet. Prima est, quòd spiritum hominis excessiuè admodum subleuat in dilectum, longeque ipsum extra omnem abstrahit proprietatem, possibilitatem, actionem virium superiorum, intellectus videlicet, memoriæ & voluntatis: quod quidem omnem omninò modum, cunctosq; sensus transcendit.

Tres feruidi amoris proprietates.

I.

II. Secunda est, quòd profundè admodum in ipsum eum fundum suum, hoc est, in abyssalem quandam annihilationem seu nihilipensionem demergit deprimitque: & hæc humilitas sensibus incomprehensibilis est, suoque hic nomine destituitur.

III. Tertia est, quòd hominem deinde tam essentialem efficit, vt dictu mirum sit, ita vt nihil eum perturbet, sed eadem semper pace & pectoris tranquillitate gaudeat, vt vt eueniant omnia, nec multa deinde actione occupetur, sed in tranquilla quadam quiete constitutus, ad omnem Dei voluntatem explendam paratissimus sit, quocunque eum vel Dominus ducere, vel quæcunque per ipsum vel in ipso agere velit & operari, haud secus quàm famulus potentis heri sui mensæ assistens, nihil aliud agit operis, nisi hoc tantùm, quòd nutus Domini sui obseruat, vt quicquid illum velle perspexerit, promptus alacerq; exequatur. Verùm vbi omnia iam dicta præcesserunt, cunctaq; hæc eiusmodi tam præclaro homini magna & sublimia contigerunt, adhuc fieri potest, vt hostis malignus pessimam atque spurcissimam illi ingerat tentationem, idq; grauissimo modo, quo ea cuiquam mortali possit occurrere. Sed per hanc ille, supra quàm dici vel cogitari queat, mirum in modum proficit: simulq; in hoc tentationum impetu & spiritu grandi ac forti, petræ adhuc subtilius conteruntur, & si quid fortè adhuc in natura superest, nondum penitus perexercitatum, id modò per huiuscemodi tentationes perficitur, & abundè purgatur. Deinde his omnibus ad extremum vsque toleratis atque deuictis, adhuc instar sacerdotis ad altare consistentis se habet. Nostis, dilectissimi, quid à sacerdote in altari geratur. Licet enim ille, sacerdotem loquor, ex diuina ordinatione in Ecclesia sancta initiatus atque sacratus sit, sicut & omnia, quibus induitur, vestimenta æquè sacrata sunt: potestatemque habeat Dominicum corpus leuandi atque ponendi quotacunque velit, id est, modò sursum, modò deorsum: inter hæc omnia tamen

Amicos Dei tentari, ac tentatos proficere.

Domi-

Dominicæ orationis verba dicere non præsumit, nisi aliqua præfatione seu excusatione præmissa, vt dicat *Oremus*, cum omni videlicet cælesti exercitu: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster.* Cur autem hoc, nisi ob immensam suam, id est, hominis paruitatem, & ineffabilem Dei Patris dignitatem reuerentiamquè, quem nos tremulis vocibus compellare & alloqui oportet? Ad hunc ergo modum, & is, de quo agimus, secum stupens admiratur, quòd sua vilitas atque infirmitas Deum excelsum & immensum, Patrem audeat appellare. Eiusmodi deiformis homo, animam habet plenam Deo, & corpus afflictionibus. Cæterùm omnipotens Deus tam crebros in fundum illius raptim celeriterquè, instar fulguris, dirigit fulgores, vt omnis dolor & pœna minor illi videatur: simulquè in ipso sui corusco aduentu in fundum, per fulgorem quendam citius hominem instruit, quid agere debeat, pro quibus preces fundere, aut quid concionari, si id illi munus incumbat. Præstet nobis vera essentialisquè charitas Deus, vti sic omnes nostram instituamus vitam, vt vera dilectio è nobis reluceat ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Deus cū timore inuocandus.

Cuius anima Deo plena, corpus dolore.


DOMINICA XIX. POST TRINITATIS.

Vt spiritu mentis nostræ renouari debeamus: quodquè huc imprimis necessarium sit, vt mendacium, iram & furtum caueamus. Item de differentia animæ, spiritus & mentis hominis: Vtquè se ad internam renouationem quisque debeat præparare.

SERMO VNICVS.

Euangelium huius Dominicæ, est de Paralytico à Domino curato. MATT. IX.

Renouamini spiritu mentis vestræ. AD EPHE. IV.



RENOVAMINI, inquit Apostolus, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Hæc sunt, dilectissimi, verba Epistolæ hodiernæ, quæ nobis multum amabilis ac venerandus Princeps diuus Paulus Apostolus describit, præclarissimis grauida sensibus & optimis plena institutionibus. Ex quibus ea nobis specialiter obseruanda sunt, quibus tam dulciter nos hortatur, vt renouemur *spiritu mentis* nostræ. Quod vti fieri debeat, & qua ratione ad hanc renouationem pertingatur, idem ipse Apostolus docere volens, quædam nobis facienda, quædam fugienda insinuat. Primùm quidem facienda proponit, vbi ait: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* Deinde fugienda secutus explicat, quæ quidem ternario numero continentur, nobisquè necessariò vitanda sunt, modò hanc consequi renouationem velimus. Principiò *mendacium* omne deponendum est abijciendumquè, & veritas dicenda vnicuique ad proximum suum. Secundò, iræ impetus compescendus. Tertiò, ab omni furto abstinendum. Hæc

Quæ tria præcipuè fugienda.

tria sese renouare cupienti adeò necessariò fugienda sunt, vt nisi id fecerit, frustra ad sui renouationem adspiret. Itaque quæri potest, quid mendacium sit. Cui breuiter respondemus, id omne mendacium esse, quicquid signis vel specie, verbis vel operibus aliquis præ se fert extrinsecus, quod intus in corde non intendit, siue quod alienum est à corde ipsius, & vbi os à corde, siue cor ab ore dissentit, sibiqúe hæc inuicem repugnant. Sic ergo plerosque cernere est, habitu ac specie deuotos ac spiritales, qui tamen prorsus omnis deuotionis & sanctitatis expertes sunt, quando corda gerunt secularia, deditáque creaturis, & ab eis obsessa. Non hîc de secularibus hominibus, sed de mundanis cordibus loquor, de his videlicet, qui corda secularia gerunt, & in rebus temporalibus fluxis atque caducis, quarum Deus vera causa & scopus non est, sponte animoqúe deliberato delectantur, & suas expetunt voluptates, vt vel in vestibus, vel in ornamentis suis, & alijs diuersis. Dumqúe fortè ab aliquo pro his reprehenduntur, indignè ferunt, stomachantur, caluas quasdam, imò & falsas excusationes obtendunt, dicentes se in ætate adhuc tenera ac iuuenili cõstitutos, animum interim remittere debere, idqúe se hac de causa facere, vt Deo tanto melius atque libentius promptioriqúe animo famulentur. Sed mentiuntur turpiter. Quî enim fieri poterit, vt melius Deo seruiant, si ea intrò admittant recipiantqúe, quæ Deum re ipsa excludunt, impediuntqúe à Deo? Quomodo verò non multò copiosius feliciusqúe Deus amabilis, diues ac gloriosus per seipsum eos reficeret, quàm istæ instabiles miseræqúe possint creaturæ, quæ potius perdunt hominem, & in errorem inducunt? Itaque, vt dixi, falsa est huiuscemodi excusatio. Quòd ipsum non obscurè quoque videre & audire licet.

Qui religiosi mẽdaces. Deinde sunt & alij mendaces, prioribus tamen religiosiores. Isti bona sanctáque exercitia habent, sed in eis non nisi seipsos, & quæ sua sunt, potius quàm Deum intendunt: sicqúe triginta, vel quadraginta, & eo amplius annos transigunt, nec tamen seipsos, nec intentionem suam agnoscunt. Quæ tamen ignorantia nihil eos excusat. Debebant enim diligenter suam obseruâsse intentionem, vt seipsos cognoscerent, intentionemqúe suam scopumqúe suum Deum esse, non seipsos, nec aliquid suum, non mercedem suam, non regnum cælorum, non oblectationem, non commodum suum, pro comperto haberent.

Examinatio sui laboriosa. Huc verò, vt intentionem quisque suam probè ritéque intelligat, ingens profectò, diligens, perpetuusq́ conatus exigitur, ita vt nocte ac die huic studeat, hinc imaginetur, seipsum curiosè discutiat, exploret, examinet, videátque vnde moueatur in cunctis actibus suis, totisqúe viribus vniuersa opera sua, & quicquid agit, in Deum sine medio referat dirigatq́. Hoc faciens, iam non mentitur. Cæterùm quicquid bonorum operum aliò quàm in Deum refert, in his omnibus mendacij reus est, cunctaqúe illa mendacium sunt. Omnia nanque hactenus bona sunt, quatenus finis eorum & scopus Deus est.

II. *Ira. Psal. 4.* Secundò ira ab Apostolo prohibetur. Ita nanque habet, quod & ante ipsum Propheta Regius inquit: *Irascimini, & nolite peccare.* Cuius sensus est, quòd per vim irascibilem cuncta illa auersari, eisq́ repugnare debeamus, quæ Deo contraria sunt, idq́ suo loco & tempore re ipsa declarare, vbi & corrigere possumus, & nobis ea corrigere incumbit. Sed heu quosdam hodie inuenire est, qui dum aliena volunt errata defectusqúe corrigere, ipsi grauius in eadem vitia labuntur. Quod illis vsu venire solet, qui ex amaritudine quadam & passione reprehendunt, durisqúe & asperis

verbis

Verbis vtuntur, toruum præferunt vultum gestusque indecentes, nec suam modò, verùm etiam eorum, quos emendare volebant, pacem perturbant. Sed hos quidam excusant, dicentes eos infirmi esse capitis. Esto. Quid alijs cum ipsorum infirmis capitibus? Si capite debiles sunt, parcant sibijpsis, parcant & cæteris. Si irasci non pôrunt, non irascantur. Magna siquidem ars est, scire irasci. Qua qui præditi sunt, irascuntur, sed non peccant, sicuti præceptum habemus. Quid prodest alienæ domus incendium auertere, & accendere suam? Parcant potius suæ domui, quàm alienę. Volunt illi paruo sui proximi vulneri mederi, & interim duo vel tria alia maxima infligunt. Deinde Apostolus ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Hoc vult dicere Apostolus, vti si cui aliquod dissidium oriatur vel iurgium cum proximo suo, quantum in ipso est, ante Solis corporei, imò & rationalis siue rationis (Nam & hunc intelligi vult Apostolus) occubitum, cum illo in gratiam redire studeat properétque. Quam sanè B. Pauli institutionem quisquis obseruare contemnit, & proximos suos perturbat, is & Deum & gratiã illius, & quæ multo sibi tempore coaceruauit, certo certius perdet, omniaque hæc penitus euanescent. Tertiò præcipit Apostolus, vt furtum euitemus. Hic principiò videndum est, quid furtum sit. Hoc videlicet, aliquid sibi vel corporeum vel spirituale vendicare, quod suum non sit. Id potissimum Religiosos siue Ecclesiasticos spectat, qui sæpenumerò aut honorem, aut commoda, aut id genus alia sibi vsurpant, ambiuntque in quibus tamen nec Deum intendunt, nec ita illis vtuntur, vt meritò deberent, & exigit Deus: quin potius intrudunt sese, ingeruntquè. Sed, quæso, dilectissimi, nemo talia sibi vendicet: sed si qua alicui commoda obtingunt, tremulo ea cum timore suscipiat. Fieri nanque potest, vt postea turpiter expellatur, & alius in eius subrogetur locum. Equidem multis annis non ausus fui in animum meum inducere, me S. Dominici filium esse, nec me Prædicatorij siue Dominicani Ordinis Monachum existimare, quòd me penitus indignum arbitrarer. Præterea & in eleemosynis hoc furtum accipiendum est. Periculosa sanè res est, eleemosynas percipere: satisque videndum est, qua de causa, quóve scopo percipiantur, necnon quomodo pro illis satisfiat, ita vt iure meritóque recipiantur. Ipse ego, tametsi & vetus & noua lex ob sacerdotium eleemosynas mihi percipere concedat (*Qui enim altario deseruiunt, cum altario participant*) adhuc tamen totus eas suscipere contremisco, adeò vt si olim, quando in paternis ædibus degebam, ea, quæ modò noui, perspecta habuissem, ex illius potius bonis hæreditarijs, non ex eleemosynis vixissem, tam periculosum est eleemosynis indignè vti. Redeamus nunc ad priora Apostoli verba. Ait: *Renouamini spiritu mentis vestra.* Anima hominis pro varia operatione diuersoquè respectu, diuersis quoque nominibus appellatur. Interdum nanque *anima* dicitur, quatenus vitam corpori præstat, atque hac ratione singulis quibusque membris inest, motum illis vitamquè subministrans. Quandoque *spiritus* vocatus, vbi tanta Deo affinitate coniungitur, vt omnem excedat modum. Et *Deus* nanque *spiritus est*, & anima spiritus est: atque hinc perpetuã quandam propensionem habet, iugiterque adspirat respicitque ad fundum originis suæ vnde profluxit: ex ipsaquè spiritualis naturæ, seu spiritualitatis similitudine in suam se originem, cuius similitudinẽ habet, reflectit atque propendet. Hæc propensio illius ad Deum nullo vnquam tempore, nec in ipsis quidẽ damnatis cessabit. Deinde & animus appellatur. Mira certè & iucundissima res animus est, in

Qui & quando irascendum.

Nota.

III. Furtum. Qui Religiosi fure̅tur.

Eleemosynarum fures.

1. Cor. 9.

Nota. Animæ varia nomina esse.

I.

II. Ioan. 4.

III.

est, in quo vires omnes superiores colliguntur, Memoria videlicet, Intelle-ctus, & Voluntas: quibus tamen in seipso superior est, & plus aliquid habet. Habet siquidem internum quoddam essentiale obiectum supra virium prædi-ctarum operationem: dumqúe bene ipse habet, riteqùe ad Deum conuersus est, cætera omnia rectè similiter habent: si verò auersus est à Deo, etiam alia omnia auersa sunt, siue id scias, siue nescias. Insuper & *mentis* vocabulo cense-

IV. tur. Atque hoc est fundum, in quo verissima sanctæ Trinitatis imago abscondita latet, cuius tanta nobilitas & dignitas est, vt nullo possit certo proprioqúe nomine appellari. Quandoque verò etiam *fundum* dicitur, quandoque &

V. *anima centrum*: atque vt Deo Optimo Maximo nullum potest proprium nomen imponi, sic nec huic animæ fundo siue menti. Adeoqùe, si cui cernere liceret, vti hoc fundum Deus inhabitet, in ipsoqúe existat, ex ipsa foret visione beatus: tantaqùe huius, tamqúe ineffabilis ad Deum affinitas & propinquitas est, vt multa hinc dicere nemo ausit, nedum possit. Itaque Apostolus ait: *Renouamini spiritu mentis vestra.* Quæ mens dum bene habet, quandam propensionem siue refluxum habet ad hoc fundum, vbi hæc consistit imago longè supra vires: eiusdemque mentis operatio tantum & magnitudine, & excellentia seu nobilitate virium actiones superat, quantum cupa ingens vino plena guttulam vnam. In hac igitur mente renouari debemus, per continuam perpetuamqúe nostri relationem in hoc fundum, conuersionemqúe nostri ad ipsum cum actuali amore & intentione Dei, omni prorsus medio excluso semotoqùe. Nec hoc menti impossibile est, quin perpetuò possit inhærere Deo, ipsumqùe intentione perpetuò prosequi: sed vires sic iugiter Deo inhærere non possunt. Denique hac ratione spiritus mentis renouare se debet. Quandoquidem *spiritus est Deus*, creatus spiritus illi se vnire, & in increatum Dei spiritum nuda & expedita mente se erigere atque demergere debet, vt quomodo ab æterno fuit increatus in Deo, sic totum se creatus referat in illum. Hic quæstio moueri solet apud Theologos, num homine sponte se ad fluxa caducaqùe conuertente, spiritus ipse pariter defluat. Atque hoc omnes penè affirmant. Sed insignis atque excellens quidam Doctor ait, quòd eodem momento, quo sese homo tota mente ac integra voluntate ad Deum conuertit, spiritumqùe suum supra tempus in Dei refert spiritum, cuncta illa recuperantur, quæ vnquam perdita fuêre: & si vel millenis vicibus per diem id facere posset, semper vera quædam renouatio ageretur. Imò in hoc opere interno verior puriorque, quæ esse possit, renouatio fit:) *Hodie*, inquit, *genui te*) quando videlicet spiritus in intimis suis totus immergitur ac liquescit in intima Dei, ibiqùe reformatur ac renouatur. Tanto verò amplius idem spiritus à Dei spiritu perfunditur ac transformatur, quanto hanc viam ordinatius ac purius tenuit ambulauitq́, & Deum perfectius atque purius intendit. Haud secus enim Deus hic spiritui sese infundit, quàm Sol iste corporeus ac naturalis splendorē suum effundit in aera, totumq́ aerem in suum splendorem transformat, adeò vt lucis & aeris differentiam nullus oculus capere, nec alterum ab altero discernere queat. Quanto ergo magis in diuina hac remota, supernaturaliqùe vnione spiritus creatus ab increato discerni non poterit, vbi spiritus in suæ originis abyssum raptus, assumptus, absorptus est. Credite mihi, si in hac vnione spiritum videri possibile foret, haud dubiè Deus esse crederetur. Porrò in hac sui renouatione ac introuersione spi-

ritus

Margin notes: Mête q̃ renouari debeamus. — Ioan. 4. — Quæstio. — Perdita omnia quàm facilè recuperentur. — Psal. 2. — Dei & solis ad spiritū & aerem habitudo.

ritus continuè supra se fertur nititurqúe adeò, vt nulla vnquam aquila sic contra solem in sublime se erexerit, nec ignis æquè sursum ad æthera motus sit, vt hic spiritus contra diuinam tendit caliginem, de qua Iob ait: *Viro, cuius absondita est via, & circundedit eum Deus tenebris*, tenebris vtique incomprehensibilitatis, siue (vt ita dicam) incognoscibilitatis Dei, vbi is longè superior est omnibus, quæ illi asscribi queant, omnisqúe & nominis & formæ & imaginis expers est, omnemqúe modum & essentiam excellit. Atque hæc est, dilectissimi, essentialis introuersio, cui quàm plurimum noctis silentium & quieta solitudo suffragatur. Quamobrem id imprimis vnicuique consulendum puto, vt vbi ante preces Matutinas bono potitus est somno, cunctis se sensibus ac sensualibus viribus suffuretur: absolutoqúe matutinali officio, cum vniuersis viribus suis sese intro recipiat, atque immergat supra formas & imagines omnes, & vltra cunctos sese sensus rapiat transferatqúe, ita tamen, vt ex suæ paruitatis contemplatione non cogitet nec proponat præclarissimæ illi caligini propinquare, de qua gentilis quidam Philosophus ait, Deum caliginem esse post omnem lucem: sed illi, de qua dixi, caligini incognoscibilitatis Dei, ibiqúe se Deo simpliciter resignet, nec sciscitetur aliquid, nec postulet, sed Deum amore simul ac intentione prosequatur, atque in eundem incognitum Deum, caliginosamqúe & incognitam voluntatem illius, cum actiuo seu operante amore proijciat omnia, etiam defectus & peccata sua, necnon causas & negotia omnia, quæ sibi occurrere possint. Extra hanc verò Dei incognitam voluntatem, nihil neque velit, neque intendat, non modum, non quietem, non actionem, non hæc aut illa, non istam vel illam rationem, sed huic eidem diuinitatis incognitæ sese resignet offeratque voluntati. Quòd si fortasse, Deo disponente, contingat, vt in tam celso præclarissimoque interno opere constitutus, ipsum postponere, & infirmo cuipiam fortè in sorbitiunculę coctione ministerium aliquod impendere iubeatur, cum ingenti id pace perficiat. Equidem si talis essem, atque eiusmodi cogerer opus relinquere, concionandique seu aliquid eiusmodi faciendi gratia me extrouertere, fieri posset, vt in ipso externo opere non modò præsentiorem se mihi Deus exhiberet, sed plura etiam bona impenderet, quàm fortassis in contemplatione sublimi. Sic ergo homines isti præcellentes, vbi se nocturno tempore probè satis, manè verò aliquantisper in hac interna introuersione exercitârunt, deinde cum bona pace, quæ illis facienda sunt, facient singuli, vt à Deo sibi fuerit constitutum. Interim in ipsis actibus suis Deum obseruabunt, certi quòd interdum maiora Deus beneficia in eiusmodi actibus externis, quàm in contemplatione largiatur. Hoc namque est, quod Apostolus ait, vt laboremus *manibus* nostris, *quod bonum est*, tum nobisipsis, tum proximis, quocunque modo illis necessarium fuerit. Atque hi tales verè *pauperes spiritu* sunt, qui & seipsos & sua abnegârunt, Deumque, quoquò ille vocet, siue ad quietem, siue ad operationem, promptè alacriterque sequuntur. Cæterùm iuniores quique & incipientes, Deo atque interioribus suis multo debent vacare tempore (Id enim eis perquàm necessarium fuerit) donec habitum assequantur, siue essentiales fiant. Alioqui facilè sese ita crebrò poterunt extrouertere, vt perpetuò foris remaneant. Iam quando id alicui ex prædictis accidit, vt Deum non sentiat, nec quicquam ei sapiat, cunctaque non satis feliciter succedant, seruet is in hac inopia patientiam. Multò enim amplius patiendo & resignando, quàm habendo & operando, proficere atque ascendere poterit.

Iob 3.

Introuersioni essentiali quid maximè conducat.

Resignatione vbique opus.

Contemplatione quando supersedendum.

Ephes. 4.

Iunioribus quid opus.

Patiendo alicubi magis.

quàm agendo profici.

terit: sacræquę fidei suæ simpliciter innitatur. Certè dici non potest, charissimi, imò nec credi, nec cogitari, quantum eiusmodi homines proficiant, etiam in singulis quibusque, licet minutissimis, cogitationibus, verbis, operibus, quæ etiam si nullius momenti sint, dum tamē ab ipsis fiunt, supra modum dignissima sunt, multumquę ex eis profectum sortiuntur. Istis diuturna vita immensos parit fructus. Mira namque ipsorum renouatio est, & indies crescunt, si tamen prædicta itinera rectè percurrerint, nec aliquo eorum, quæ superius audistis, remorati sint atque detenti. Nec ipsi quidem nôrunt felicitatem suam, sed simpliciter humiliterquę incedunt, Deo ipsis occultante quàm optimè habeant. Citò namque faciliterquę natura in sublime erigitur. Si quem tamen verè humilem cerneret, quales, proh dolor, paucissimi inueniuntur, illi reuelare non dubitaret. Nam qui verè humilis est, quo honorem suum amplius cognoscit, tanto in fundum suum altius demergitur, nec aliquid omnino sibi boni adscribit. Denique horum profectus potissimum in patiendo consistit. Ipse namque Deus exercet eos, & quotquot illis conuiuunt, similiter eos exercent: ita vt si in congregatione aliqua vnus fortasse vel duo tales reperiantur, cæteri omnes duris grauibusquę modis, & verbis tanquam malleorum ictibus ipsos exerceant. Olim Pagani & Iudæi Sanctos quosque diris afficiebant pœnis: nunc verò etiam qui multò sanctiores videntur, pluraquę faciunt opera, quàm ipsi, istos excruciant & Martyres reddunt. Quod quidem etiam ipsas ossium medullas penetrat. Aiunt namque malè eos habere, & errore seduci: se autem vidisse plurima, audisse Concionatores egregios, & nosse permulta. Quo fit, vt dubitare incipiant, quid aggrediendum sibi sit, aut quò se vertere debeant. Sed quæso te, quisquis eiusmodi es, sustine patienter, resigna & comprime te, digitoquę compesce labellum: intus autem Dominum alloquere, dicens: Tu scis Deus meus, quòd te solum velim, te solum intendam. Heu volunt isti quosque pro suo cerebro regere, & omnes eadem ducere via. quod tamen fieri non potest, cùm suæ quisque debeat vocationi inhærere. Hac ergo ratione, dilectissimi, omnes renouari debemus *in iustitia & sanctitate veritatis.* Sanè omnis iustitia & sanctitas nostra, prorsus nihil est: imò, Propheta teste, *vniuersa iustitiæ nostræ sunt tanquam pannus menstruatæ.* Non itaque in nostra, sed in Dei iustitia & sanctitate: neque in vllis nostris vel verbis, vel aliquo eorum, quæ nostra sunt, sed in ipso Deo confidere debemus, qui nobis omnibus præstare dignetur, vt in ipsum funditus demergamur, nosquę adeò perdamus in ipso, vt in eo in veritate renouemur ac inueniamur ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Verè humiles pauci.

Patientię profectus.

Mira quædam tyrannis.

Quid afflictis agendum.


Esaiæ 64.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

De vnione & connubio Dei cum anima amante, vtquę hanc ille prius lauet, & prioribus exuat vestimentis, quo ritè ipsam denuò vestire ac exornare queat.

SERMO I.

Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. MATTH. XXII.



NATALITIVM hodie, dilectissimi, generosæ Virginis ac Martyris Cordulæ diem agimus, quæ sibijpsi ac propriæ relicta infirmitati, præ omnibus alijs consodalibus suis, ad infimum ex humano quodam timore gradum sese demisit, ita vt fugam inire statueret. At hic non negli-

negligenter cõsiderandum est, vt hoc ipso ad supremum pertigerit gradum, alijs omnibus facta superior. Vniuersa nanque illa sanguinis effusio, clauę ac tunsiones omnes, cunctaque vulnera, quæ diua Vrsula cum beatissimis sodalibus suis pertulit, huius sacræ Virginis cor phantasiamque penetrârunt. Vnde factum est, vt vbi cæteræ vnam exciperent mortem, ista numerosissimas obierit. Ac tandem omni cęde peracta, prodiens in lucem, totam se crudelissimorum carnificum manibus obtulit, & mortis excepit gladium. Hic ergo immensa stupendaqúe Dei fidelitas, & occulta itinera illius, per quæ hominem ad se trahit, ac miro quodam modo per incognitas vias ignotosqúe modos ad supremam perducit perfectionem, notanda veniunt. O quoties ille hominem sibijpsi relinquit in angustijs multis atque pressuris, in tentationibus periculosis, & in propria infirmitate sua. In qua via si hîc Deum sequi & obseruare vellet, si studium & diligentiam adhibere non negligeret, haud dubiè per ipsa molesta, duraqúe certamina, infirmitatemqúe suam, vel mille gradibus eum sublimius eueheret. Modò enim diuinæ gratiæ opem auxiliumqúe attendat & obseruet, confidatqúe Deo, nec vllo modo de illius desperet gratia, nec etiam mala libertate resoluatur, nunquam tam execrabilis, tam molesta, tam ingens tentatio esse poterit, vt aliqua illum ex parte impedire queat. Sed nunc ad ipsum diei huius Euangelium veniamus, vbi sic habes: *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & vocauit multos.* Rex iste, Pater cælestis est: Sponsus, cuius nuptiæ celebrantur, & filius regis, est Dominus noster Iesus Christus: Sponsa verò nos sumus, mea scilicet & tua anima, cunctique ad has nuptias vocati sumus, & iam *parata sunt omnia* quæ ad vnionem Dei cum amante anima, sponsa illius, pertinent: quam tanto ille, tam ineffabili, tam cõiuncto, tam intimo, tam secreto, tam familiari, tam blando amore prosequitur, vt omnem id omnino superet intellectum. Et quotquot Parisiẽsis Academia eruditione insignes ac præclaros habet Theologos, cũ omni subtilitate & acumine suo, hanc Dei cum anima vnionem capere nõ sufficerent: & si quid inde fari vellent, prorsus obmutescerent: quantoque amplius dicere niterentur, tanto minus possent, multoque minus caperent. Nec solùm intellectus naturalis, sed etiam quibuscunque donis & charismatibus præditus, non Angeli, non Sancti omnes eam exprimere possent. Solus simplex, qui se Deo resignauit & obtulit, quemque grata commendat humilitas, is nonnihil hinc in suo experitur fundo interiori, nec tamẽ capere sufficit, necdum verbis exprimere quouis modo, cùm omnem creaturarũ omnium excedat intellectum, captũ superet. Cæterùm sponsa hæc ita præparanda est, vt solent præparari nuptiæ seculi huius. Est enim abluenda, & nouis amicienda vestibus, ac omnifario venustanda decore, veteribus procul abiectis indumẽtis, tametsi bona sint. Iã quæ ista sit lotio, puto vos intelligere. Non enim aliud est, quàm à vitijs & peccatis atque defectibus vniuersis emundatio expurgatioque. Exuitio verò, pro rudi sensu veteris hominis, vitiorum omnium, prauarum cõsuetudinum, & morum depositio & abdicatio est. Noua porrò indumenta, nouæ virtutes sunt, & diuina ac angelica vita, assumptioque noui hominis, qui secundùm Deum creatus est. At pro viciniori sensu, ita hæc accipienda sunt. Quæri igitur potest, quandoquidem sponsæ secularis indumẽta eius, licet bona, ob vetustatẽ tamẽ auferuntur, verũ & hæc spõsa siue nupta diuina, vestimentis veteribus, nouis scilicet virtutibus & consuetudinibus, eo quòd vetusta sint, exuenda sit, & alijs sublimiori quadam ratione induenda: & si assera-

Cordulæ Virginis martyrium quale.

Cur homo sibi subinde relinquatur.

Quomodo nulla tentatio noceat.

Rex. Sponsus. Sponsa.

Sponsa qui præparanda. Lotio. Exuitio. Vestes nouæ.

An spõsa veteribus etiam virtutibus exuenda, nouisque induenda.

afferatur virtutibus eam exui, eisdemq; superiorem fieri debere, defendíne possit hęc assertio, tanquam consona veritati, quòd videlicet virtutes transcendere debeat. Quę sic quæstio absolui potest, vt dicatur & posse, & non posse hanc assertionem defendi. Nemo siquidē ita vel debet vel potest virtutibus fieri superior, vt eas & amare, & exercere, eisdemque præditus esse non debeat. Verum tamen est, quòd eo spatio, quo mens in ecstasi siue raptu posita est, in nullis sese homo virtutum actibus, puta vel misericordiæ, vel patientiæ, vel id genus innumeris alijs exerceat. At mox vbi sibijpsi restitutus est, cunctarum actibus virtutum, vt tempus exegerit, insistet. Quanquam & aliter adhuc accipi potest, quod dicitur, virtutibus nos exui debere. Sunt qui hæc atque illa à Deo cupiant obtinere, vellentque ita extremè pauperes esse, vt singulis noctibus alijs atque alijs hospitijs vti cogerentur: optarent etiam omnis habere notitiam veritatis, magnum à Deo feruorem ac strenuitatem consequi, sentire multa, multamque sibi cum Deo familiaritatem & consuetudinem esse, & ita habere, vt habet ille vel ille. Sed his omnibus, quamlibet bona eis videantur, vel sint etiam, prorsus exui debebunt, in gratissimumque sese beneplacitum Dei (vtut ille volet) cum vera suiipsorum abnegatione resignare, atque in diuinam sese immergere ac demittere voluntatem. Nam quantumuis hæc bona sint, quædam tamen homini occulta corruptio inest, cuncta in illo bona annihilans, perdens, inficiensque, haud secus quàm optimum cibum sordida paropsis, aut vinum bonum cupa vitiosa aut putidum vas. Quod cùm non lateat fidelissimum Deum, permittit huiusmodi accidere, quæ nec volunt, nec intendunt, vt & seipsos resignare, & malam hoc pacto corruptionem vincere discant. Atque hæc denudatio siue exuitio multò sæpius illis vtilior est, quàm si miris quibusdam & sublimibus vestirentur. O si quis fundum suum, & quid intra se lateat, corruptionemque suam sedulò obseruaret, se ipsum relinqueret, Deum sequeretur, quoquo modo & quacunque via ille traheret atque vocaret, omnia tam foris quàm intus occurrentia de illius manu susciperet, occultaque demum iudicia & permissiones Dei cum gratiarum actione obuijs exciperet manibus, is haud dubiè omnia citius superaret. Et licet interdum absurda hæc & à virtute aliena videantur, sed per ea melius gratiusque vestietur, quàm per modos seu exercitia propria & externa, per quæ mira se effecturum arbitrabatur. At aiunt quidam: Percuperemus, Domine, nostri compotes esse, ac pace gaudere pectoris, & ita habere, vt habent illi atque illi. Quibus ego: Non sic, inquam, charissimi, non sic velle debetis. Secus habeatis oportet. Exui vos, & ad proprij nihili cognitionem deduci necesse est, vt quæ in vobis lateant, occultaque sint, videre possitis. Itaque vobiscum manere contendite. Rogabam ipse quadam vice hominem quendam sublimis vitæ, & sanctitate conspicuum, quod supremum foret obiectum suum. Respondit ille: Peccata mea, per quæ venio in Deum meum. In quo vtique rectè sensit. Et tu ergo, quisquis es, qui verè proficere cupis, sine & Deum & creata omnia tua tibi peccata indicare, ad tua te vitia remittere, & iudica teipsum. Ita fiet, vt non iudiceris à Deo. Apostolus testis est. Iudicabis autem teipsum, condemnabisque, non ex ficta humilitate, quæ superbiæ soror est, sed in veritate, omni prorsus commentatione vel excusatione semota, & ex ipso fundo, non cum impetu quodam, velut caput dirumpere velis, sed cum leni, tranquilla, resignata tui subiectione, cumque humili timore Dei, malè possessum per attentissimas spiritus

Resignatione opus esse.

Quæ nudatio vestitione melior.

Apophthegma.

1. Cor 11.
Qua humilitate sibi quisque iudicandus.

suo

siue mentis preces exponens eidem fundum tuum: & ab ipso quæres remedium, opem flagitabis. Quolibet aliò diuageris, operam ludes. Noli ad instar huius vel huius tuam instituere vitam, vt eadem velis, qua ille vel ille ratione viuere. Grandis ista cæcitas est: Quàm enim dispares homines sunt, tam dissimilia quoque illorum ad Deum itinera sunt. Quod vni vitam, alteri mortem subministrat. Necnon pro complexionum & naturæ diuersitate, gratia sæpenumerò in hominibus operatur. Vt ergo præfatus sum, noli modos seu instituta hominum attendere: potius virtutes illorum obserua, si quos his præditos videris. Contemplare in alijs humilitatem, mansuetudinem, & id genus virtutes alias. Cæterùm obseruandi modum talem elige & assume, qualem exigit vocatio tua. Hoc enim cum primis dispiciendum est, obseruandumqúe tibi, quæ sit vocatio tua, qua vocatus es à Deo, vt huic morem geras. Et certè si vel huius solius diligentem curam haberes, instar manus tuæ notissima tibi fieret, & perspicuè appareret. At, proh dolor, non ita faciunt hodie homines, sed secum manere omnibus penè graue est, nec intus fideliter à Deo quærunt, sed potius iugiter ad exteriora respiciunt, seseqúe extrouertunt: vnde fit, vt nec Dei, nec suijpsorum veram notitiam consequantur. Tales vbi viginti vel triginta sub habitu ac specie religiosa, vitaqúe monastica annos exegerunt, post tot annorum curricula tam sunt veræ perfectioni propinqui, quàm erant prima conuersionis suæ die, adeò semper in eodem luto hærent. Quod quàm dolendum sit, quis non videat? Atque vtinam vitiorum suorum radices obseruarent, & ipsas potius quàm naturam destruerent occiderentqúe. Quod dum non faciunt, fit sæpenumerò, vt quod toto anno cum laborè collegerant, vna hora perdant, idqúe fortassis vel per verba, vel per opera, ex his vitiorum radicibus, in ipso fundo defixis, pullulantia. Planè, dilectissimi, id certum habetote, quantisper multiplicia instituta siue conceptus atque modi vos iuxta vestram occupant & possident voluntatem, eisdemqúe vestiti estis, sponsum pro suæ arbitrio voluntatis vos nulla posse rationo vestire. Ego ipse certè, si passim omnes sectari voluissem, iam pridem vita functus essem. Nunc igitur amare, quæso, & intendite ex fundo animæ vestræ, Deum Creatorem vestrum, honoremqúe & beneplacitum illius, non autem aliquid vestrum in re qualibet, non oblectationem, non voluptatem, non commodum, non vtilitatem: in ipsumque vos diuinæ caliginis & occultæ abyssi ignorationis carcerem tradite, ac illi vos abysso totos relinquite, quoquo illa modo vos ducere velit. Quod si feceritis, miro vos modo seipsa ineffabili cum exultatione vestiet, vt nunquam tale quid vel oculus visu, vel auris perceperit auditu. Præstet id nobis castissimus animarum sponsus Dominus Iesus Christus, in secula benedictus. Amen.

Varijs ad Deū vijs tendi.

Sua cuiq; vocatio attendenda.

Quid maximè ex fundo animæ intendendum.

DOMINICA EADEM.


Vt is, qui ad cælestes nuptias inuitatus est, internis & occultis vitijs, defectibus, prauisqúe inclinationibus suis, omni quoque solicita multiplicitate sese exuere, ac diuino amore purissimaqúe diuinitatis intentione vestire debeat.

SERMO II.

Seu verius præcedentis Sermonis pars altera.

Ecce prandium meum paraui. MATTH. XXII.

 Hester:



Sponsa quibus & exuenda & induēda.

HESTERNA die, sicut nostis, diximus vobis, in Dominicæ huius Euangelica lectione haberi, dixisse regem illum, qui nuptias fecerat filio suo: *Ecce prandium meum paraui, venite ad nuptias.* Vti verò illic de ijsdem nuptijs, ab rege eodem celebratis, egimus: ita nunc, vt sponsa siue nupta, quò grata sit placeatque sponso suo, veteribus exuenda sit vestibus, dicere sententia est. Nimirùm nouis eam ex integro vestibus indui, ac decenter satis exornari oportet. Itaque hac de causa, & dat Deus & aufert, permittit & dissimulat omnia, quo videlicet sponsa sua exuatur, nudetur, expolietur, vt denuò eam excellenter, splendidè, eleganter ipsissimis diuinæ sponsæ indumentis vestire queat. Cæterùm sponsa hæc, vt superius etiam dicere cœpi, cuiuslibet deuoti hominis anima est, cui coniungi, modò ipse homo velit, horis ac momentis omnibus, omniquè tempore, Rex gloriæ Deus omnipotens concupiscit. Quamobrem multò magis necessarium nobis fuerit nudari & exui, quàm amiciri. Si enim exuti ac præparati essemus, haud dubiè benignissimus Deus mirum in modum elegantissimè ac ornatissimè nos vestiret. Iam enim, vt ipse ait, *parata sunt omnia.* Hesterna autem die, si meministis, voce quadam vsus sum, quam fortassis non omnes intellexistis, cùm dicerem vitiorum radices euellendas mortificandasquè, quod ita accipiendum est: Nostis ipsi, quòd dum ager siue hortus à lolijs ac zizanijs expurgatur, vt plurimum radices quædam zizaniorum in terræ visceribus maneant, ita tamen, vt minimè deprehendantur. Interim humus diligenter conseritur atque sarritur: vbi dum bona semina oriri deberent, simul zizania ex radicibus terræ fixis succrescunt, & frumentum aliasquè herbas & semina bona destruunt opprimuntquè. Sic ergo & in præsenti loco radices dico, prauos quosque defectus & vitia in fundo latentia & necdum mortificata: quæ per Confessionem & pœnitentiam, vt ita dicam, sarrita quidem sunt, & per bona exercitia exarata, attamen vitiosarum radicum malæ inclinationes seu propensiones, putà vel superbiæ, vel luxuriæ, iræ vel inuidiæ, seu odij, hisquè similium, in ipso fundo relictæ sunt, quæ postea exoriuntur, & vbi diuina, beata, virtuosa, laudabilis vita ex homine germinare, succrescere, oriri deberet, hæc pessima noxiarum radicum germina prodeunt, fructusquè illius, ac religiosam deuotamquè disperdunt, extinguunt, subruunt vitam. Quamobrem per omnia illa, quæ Deus omnipotens homini euenire permittit, prospera & aduersa, abundantiam & inopiam, hæc vitia persequitur ac insectatur, vt hæ pestiferæ radices & cognoscantur ab homine, & extrahantur. Nam quandiu intus occultè latent, dum nihil minus cogitamus aut suspicamur, ipsa hæc vitia erumpere solent. Quod liquidò satis apparuit in plerisque sexus vtriusque Eremicolis & magnæ opinionis hominibus, qui annos triginta vel quadraginta in locis desertis magnis in exercitijs operibusquè exegerant, sed interim corruptissimas has vitiorum radices minimè obseruârant, minus euulserant: sicquè factum est, vt tandem exciderent atque perirent. Nunc igitur, dilectissimi mei, studiosè quæso, ac seriò attendite vobisipsis, & tam intus quàm foris diligentissimè cauete. Sanè quisquis ille est, cuius fundum adhuc prædicta occupant vitia, quantumcunque diu pacem ab illis habeat, quamlibet diu quiescant, aliquando tamen certo certius erumpent. Semper igitur indefesso conatu persequenda sunt explorandaquè, siue superbia sit, siue luxuria, siue odium, siue ira, siue inordinatus vitiosusquè amor creatura-

Sponsa quæ sit.

Vitia radicitus euellenda.

Radices vitiorum quæ.

Cur insignes aliquot Eremitæ lapsi.

Intime cuique sua quàm

rum.

rum. Dumque ea intra se aliquis deprehenderit, viriliter ac strenuè eliminanda sunt, statimq; inde animus auertendus, & cum seuera suijpsius iudicatione, profunda humilitate ac intimis deuotisq; precibus auxilium à Deo poscendum. Solus nanq; Deus per gratiam suam ea extinguere potest, cui etiam semper inhærebit, quem precibus continuis pulsabit, id summoperè curans, vt neque per verba, neque per opera erumpat, nec faciat instar quorundam, qui mox vt fructum orationis suæ nullum sentiunt, orationem postponunt. Itaque vitiosæ hæ inclinationes seu propensiones, semper cum metu suspectæ habendæ sunt, & suijpsius cura peruigil vnicuiq; tenenda: ita fiet, vt cùm horribilis illa tempestas, quam pauidi semper præstolamur, ingruerit, omniaq; confusa perturbataque fuerint, & vndique miseriæ calamitatesque occupârint omnia, inueniat Deus nidulum quendam, in quo suos abscondat atq; conseruet. Absq; his verò malis, certo certius est, multos in extrema illa angustia, quando anima è suo habitaculo euelletur, miserijs & calamitatibus inuoluendos, qui has in se vitiosas inclinationes, prædictaque vitia & peccata minimè obseruârunt, videlicet vbi iam fundum omne perfectissimè detegetur, & absque vlla misericordia iudicabitur. Quocirca, dilectissimi, humiliamini, obsecro, sub Deo, prauasque radices vestras patiendo seu passiuè contemplamini: & quas hinc tentationes sustinetis, pro purgatorio suscipite: atque tales vosipsos in intimis vestris habetote, quales estis. Certè non est aliqua tam leuis macula, nec tam minuta imaguncula, qua Deo intra vos obicem posuistis, quo minus præclarissimum opus suum perficere poterit, si tamen sponte ac deliberata cum voluntate eam intrò recepistis, (Taceo hic de grauibus manifestisque peccatis) pro qua non multo immaniores in purgatorio pœnas subituri sitis, quàm omnes vnquam Martyres in hoc seculo pro Dei amore tolerârunt. Si ergo triginta fortassis vel quadraginta annis in purgatorij locis pœnas luituri estis, quanto satius fuerit hic vitia defectusque modo prædicto extirpare, seu eorum vexationem modico tempore humiliter perpeti, atque interim simul magnam hinc mercedem, gaudium, exultationem, perennemque beatitudinem & gloriam mereri? Videamus nunc, quid Euangelium dicat: *Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam: reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* Denique sic concludit: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* O quàm innumeros huius generis homines hæc quoque ætas habet: quàm vbique toto terrarum orbe hæc studia abundant, non apud seculares modò, verùm etiam inter Ecclesiasticos & Religiosos? Quantis negotijs, quàm innumeris occupationibus perpetuò mundus distrahitur, immergiturque? Puto, si quis hæc ritè perpendat, capitis vertiginem patietur. Tam mira omnium diuersitas ac multiplicitas est, & vestium, & ciborum, & ædificiorum, quorum vel decima pars sufficere posset, cùm tamen hoc ipsum, in quo positi sumus, calamitosum & instabile tempus, non nisi transitus quidam ad æterna esse deberet, atque temporalium vsus ita temperatus, vt vitæ duntaxat conseruandæ sufficeret, adeoq; potius in medio itinere præ fame emori quisque deberet, quàm innumeris his occupationibus distendi & excruciari. Quæso, charissimi, curam habetote salutis vestræ, quando Deus omnipotens ab hoc seculo fallaci & corruptissimo vos vocauit, vt illi soli famulari debeatis. Id enim exigi-

Sedulò perscrutanda.

Pro purgatorio etiam hic aliquid sustineri.

Quantæ purgatorij pœnæ.

Quibus hodie studijs mundus deditus.

Quid, si hodie viueret, esset dicturus?

exigitur à nobis, vt omni diligentia seriò & ex animo ab omni nos vana occupatione, multiplicitate, & ijs, quæcunque nobis verè necessaria non sunt, auertamus, atque illicò intrò nos recipiamus ad nosipsos, nostram illic vocationem obseruantes, explorantesque, qui, & ad quid, quaque ratione vocati simus à Deo. Vocat namque Deus quosdam ad intimam contemplationem, alios ad actionem, nonnullos ad internam iucundissimam quietem, tranquillum silentium, ad adhærendum diuinæ caligini in spiritus vnitate. Atque interim idem ipse ad externa, interim ad interna vocat. Sed plerique non semper intus obseruant vocationem suam: vnde fit, vt dum à Domino ad exteriora trahuntur, ipsi sese introuertant, rursumque dum illius voluntas est, vt ad sua se interiora recipiant, ipsi ad externa deuoluantur: atque ita nihil proficiunt. Certè si nobiscum manaremus, diuinumque intra nos beneplacitum, solum Deum, non aliud aliquid spectantes seu intendentes, sedulò obseruaremus, luce clarius nostram nobis vocationem suumque beneplacitum Deus faceret innotescere, si tamen stabiles perseuararemus. Iam si quis à Deo ad internum silentium, in diuinamque caliginem vocatus est, hic si semper à charitatis operibus vacare velit, (sicut iam proh dolor vix paucissimi huiusmodi opera exercere dignantur) dubium non est, quin multum à veritate aberret. Itaque vbi res postulat, ipsique incumbit, amoris actibus insudabit, idque cum abnegatione suijpsius, non ex actionis affectu, cum voluptate & oblectatione sui, (cui tamen vitio perplures subiacere probantur) sed ex amore purissimo in abstractione, cum vacandi desiderio, seu ad vacandum festinatione. Nam qui actioni abstractus insistit, huic omnia, quæ agit, multiplicitati obnixa videntur. Nemo siquidem multiplicitatem æquè perspectam habet, vt is, qui semper in abstractione positus est. Vitanda est autem multiplicitas omnis etiam honestæ societatis, quando videlicet animi duntaxat gratia conueniunt homines, vbi de alijs, aliorumque factis verba fieri solent: vt, verbi gratia, Ille talis est, & ille talis. atque: Hæc ita fieri oportebat, & illa hoc modo: & id genus alia futilia atque inania verba funduntur. Quæ quisquis audis, si subducere te non potes, saltem cor inde totis viribus ac omni cum conatu auerte: alioqui certo certius imaginibus depingeris, & fies multiplex. Cæterùm vbi is, quem prædiximus, in actibus charitatis sese forinsecus discretè & inordinatè exercitauit, deinde iterum ad quietem internam vacationemque festinabit. Quòd si vacatio non statim pro voto contingat, ad aliquod sese internum opus conuertere poterit: ita videlicet, vt immensam Dei contempletur bonitatem, tam magnificè & excellenter sese in miris atque diuersis in ipsum hominem effluxibus suis, multiplici ratione exhibentem declarantemque, idque potissimum in operibus sacratissimæ præclarissimæque humanitatis suæ, in acerbissima passione & amarissima morte sua, & in actibus demum electorum Sanctorum suorum. Atque hoc modo totus in Deum cum desiderio, amore ingenti ac gratitudine fluit atque liquescit. Quod tametsi bonum sit, hominemque non mediocriter ad desiderandum & seriò agendum inuitet prouocetque, multum tamen internæ quieti & silentio impar est, haud secus quàm internis externa. Fitque sæpenumerò, vt in his internis actibus æquè homines errent vt in operibus externis, dum videlicet formas & imagines intrò recipiunt. Cuncta nanque quæ diximus, formæ & imagines sunt. Porrò dum huiusmodi alicui operi intus homo vacat, satisque illi feliciter succedit, tum si in his sese

cum

Quanta vocationis diuinæ varietas.

Vocationē suam nō obseruantibus quid contingat.

Charitatis opera exercēda.

Nota.

Qui charitatis operibus incumbendum.

Quomodo vitanda societas etiam honesta.

Nota.

cum voluptate ac delectatione possideat, nullam in his veram spiritus paupertatem consequi potest. Ratio est, quòd spiritalis siue interior homo diuinæ hic gratiæ suauitati inhæreat, vti vrsus mellis dulcedini, atque hic gradum figat, cùm tamen econtra hæc non nisi via quædam ad præclarissimum purissimumque bonum Deum Opti. Maxi. esse deberent. Nulli enim omnino charismati, nulli dono Dei inhærendum, nec quicquam in Deo quærendum vel intendendum, præter solum honorem gratissimumq́ beneplacitum illius, ne fortè eueniat nobis, quod seruo cuidam accidit, cui dominus suus tradiderat omnem terram suam, constitueratq́ super omnia bona sua: sed cùm comperisset seruum illum bona sua iniustè sibi vendicare, & ad proprios vsus inflectere, repetijt ea ab illo, infidelemquè seruum in crucem egit. Deinde ex his ambobus operibus siue exercitijs, interno videlicet & externo, si ordinatè peracta sint, præclarissimum illud bonum nascitur, interna scilicet quies animæ, per quam ad omnium saporem siue silêntium formarum imaginumquè, in diuinámque caliginem peruenitur, vbi quiescimus simul & fruimur cum Deo. Sanè de hoc nobilissimo fundo multa & in veteri & in nouo Testamento habentur. Exempli gratia, quòd *Moyses* in caliginem ascenderit. Et in libris Regum, de Helia Propheta legitur, quòd omnis ille spiritus & *commotio* cessârint, in quibus *Dominus* non venit. Deinde verò, in sibilo *auræ tenuis* Dominum venisse. Sic & in Sapientiæ libro scriptum reperimus: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus Domine exiliens de cælo, à regalibus sedibus venit.* Quamobrem cuncta hominis instituta, modi & opera, huic præclaro silentio perpetuò adseruire & adminiculari debebunt, non illi subiacere errori. Sunt enim, qui circa hoc obiectum errant non minimum, dum cum naturali quiete, voluptate, oblectatione ad ipsum deuoluuntur, eidemq́ hoc pacto inhærent: quod impendio sanè cauendum est, in humiliquè semper ac intimo metu persistendum, ita vt cum subdita humilitate nihilipendamus iugiter nosipsos, perpetuoquè nos habeamus suspectos, haud secus quàm in alijs omnibus quæ præcesserunt, ac seriò confugiamus ad Deum, obnixè precantes, vt opem suam auxiliumq́ nobis impendat. Ea verò angustia & pressura ingens, vehemensq́ desiderium simplificationis ac nuditatis internæ, quæ huiusmodi habent, modò rectè processerint, ipsorum purgatorium est, per eâque magis ac magis deputantur, præparanturquè. Verùm si cui id eueniat, vt ab externa exercitiorum multiplicitate non ita facilè neque celeriter animum suum colligere queat, minimè hac de causa turbetur, modò ea, quæ fecerat, opera ex vero diuinóque prodierint amore. Tum enim Deus ipse supplet ac perficit ea, quæ sic impeditus interim negligit, breuiquè spatio resarcit omnia: quippe qui ad peragendum opera sua multo non opus habet tempore. Raptim ergo tota mente intimè ad verum sese recipiat fundum Dei. Vbi nanque bonum innominabile in anima sese exhibet, simul omnia illa, quæ in eodem innominabili bono, hoc est, in Deo, nominari possunt, se præbent exhibentquè. In eo nanque quod innominabile est, in Deo scilicet, continentur omnia, quæ in eodem nominari possunt. Sin verò ad mentis nuditatem & abstractionem tam citò pertingere nequeat, ea, de qua prædiximus, internæ exercitationis siue operis interni via, breuiter ac ordinatè gradiatur. Hoc enim fortasse vtilius illi fuerit, quanquam illud prius longè nobilius foret. Certè si quis Deum solum purè inten-

Quid solū in Deo quærendum.

Paradigma.

Exod. 19.

3. Reg. 19.

Sap. 18.

Quibus quale hic in terra purgatorium.

Quæ Deum errare nō sinat.

intenderet, non autem aliquid suum, neque in spiritu, neque in natura: haudquaquam ipsum vlla ex parte aberrare permitteret, quacunque demum via graderetur. Iam, qui verè boni sunt, dum ista audiunt, vt ipsis videtur, * nunc demum incipere volunt. Semper enim inchoare, ipsorum esse & viuere est. Cæterùm homines soli intellectui vacantes, omnia hæc ad sua trahunt instituta siue modos, & in intellectus sui subtilitate possident. Qui, dum hora mortis ingruerit, fundum suum vacuum & absque Deo inuenient: tum verò quantis angustijs, calamitatibus, miserijs corripiendi sint, vt nemo explicat, ita satis doleri vix potest. Qui tametsi in fide forsitan non errârint, sed in ea absque mortali peccato decesserint, magnis peccatoribus in purgatorio sociabuntur: sin aliter, haud dubiè perennibus inferni flammis exurentur. Sed nunc, obsecro, videte, charissimi, vt Dominus præparârit nuptias suas. *Tauri*, inquit, *mei, & altilia occisi sunt*. Per *tauros*, externa hominis opera licebit accipere: per *altilia*, internas contemplatiuas animæ actiones: per *nuptias* verò Domini, intimam quietem, vbi & actiuè & contemplatiuè nos habemus, sicut & Deus seipso actiuè fruitur. Denique hic rex omnipotens atque æternus horis omnibus ingreditur, & suas nuptias contemplatur. Sic nanque & Euangelium, quibusdam interpositis, subiungit: *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Per *vestem nuptialem*, quæ huic homini defuisse scribitur, vera diuinaque charitas, & pura in omnibus diuinitatis intentio accipienda est. Hic porrò omnis priuatus & alienus excluditur amor, & aliena intentio, vt nihil omnino nisi solus Deus veraciter intendatur. Iam quosdam inuenire est, qui ista sibi arrogent, eo quòd vtcunque hæc intelligant, & vel auditu vel lectione assecuti sint. Habent siquidem ea in solo intellectu, seu modo intellectuali, non re ipsa, id est, nôrunt hæc, sed minimè tenent: scientiam habent, essentiam siue rem ipsam minimè, quippe quam assequi haudquaquam studuerunt. Nôrunt ergo hæc, sed Deum propter seipsum in fundo suo pura intentione & amore haudquaquam prosequuntur. His ergo loquitur Deus: Amici, *quomodo huc* intrastis absque veræ dilectionis indumento? Reuerà nanque nihil veri amoris diuini habent, quum plus donis Dei, quàm soli Deo, innitantur. Porrò donis Dei omnibus vti quidem licet, sed non frui. Soli nanque Deo fruitiuè est inhærendum. Itaque rex ait: *Ligatis* (citò) *manibus & pedibus*, id est, cunctis viribus atque potentijs eorum, *mittite eos in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Quocirca, dilectissimi, purè (quæso) veraciterque amate & intendite Dominum vestrum, ne in tenebras, nullum vnquam finem habituras, eijciamini, sed magis à pijssimo Deo in veram eius lucem perducamini, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Tauri. Altilia. Nuptiæ.

Vestis nuptialis.

Scientiã absque opere non prodesse.

Donis Dei vti, non frui, licere.

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.


De armis militiæ spiritalis, maximè verò de humilitate & mansuetudine, quibus tentationes omnes facilè vincuntur. De ingenti fructu, quem tentationes & aduersa homini adducunt. Ad extremum, vt homines deiformes ac spiritales aduersum diaboli insidias & laqueos cauti esse debeant.

SER-

SERMO VNICVS.

Euangelium, Dominus Reguli cuiusdam filium curauit. IOAN. IV.

Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. EPHE. VI.



ONFORTAMINI, inquit Apostolus in Epistola hodierna, *in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Proximè, si meministis, dicebam vobis, dilectissimi, vt sponsam Dei rebus omnibus nudari & exui oporteat, si modò denuò veraciter atque perfectè debeat amiciri. Verùm sponsa dum tanta sponsum à se poscere & exigere cernit, dum tanta & facere & dimittere se iubet, hæc sibi credit impossibilia: atque hinc grauem quendam animi mœrorem contrahit, ac naturalem quandam desperationem incurrit, reputans se minimè præstare posse, quæ ille petit exigitque. Tali igitur animæ sic affectæ, vas electionis Paulus Apostolus sapientissimum præbet consilium, dicens, quod iam ante recitatum est: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.* Confortare, inquit, ô anima sponsa Dei, *in Domino*: sicque fiet, vt quos tuis viribus non potes, per ipsum & cum ipso abundè possis. Itaque in ipsum duntaxat simpliciter te immerge, totumque agere ac dimittere tuum illi commenda, illi relinque, & poteris haud dubiè omnia: quære, ô anima, robur & auxilium in ipso, qui Dominus est omnium, *& in potentia virtutis eius*, cui præsto est, cùm voluerit, posse omnia: quære, inquam, in ipso, intimè, ex fundo, stabiliterque, mutua ab illo omne posse, & omne robur tuum, & à *potentia* duntaxat *virtutis eius*. Occultat quidem ipse modò ad tempus omnipotentem virtutem suam, & tacet, dissimulat ac suffert hominum peruersitates. Vnde etiam haud secus bona pars hominum insolescit, tanquam ipsi Deus esse velint, atque in hoc omnes intendunt in ruos tam Religiosi quàm seculares, vt nullius ditioni subiaceant, sed faciant quicquid libet, imò & alijs dominentur, alijs præferantur, alios excellant: nec aliquam dignantur agnoscere potestatem sublimiorem. Verùm id certum habetote, non semper Deum taciturum, nec suam perpetuò potentiam occultaturum. Sequitur: *Induite vos armaturam Dei.* Hoc dicit Apostolus, vt præmoneat animam, cautamque efficiat, atque ad decertandum viriliter accendat: simulque ostendit, quibus cum illi prælium ineundum sit. Cæterùm arma hæc gloriosa & illustria sunt, ab ipso sponso illi præparata atque donata. Quantæ verò dignitatis & excellentiæ est, posse animam certare in armis Dei? Hæc autem arma, si quæras, quænam sint, ipse tibi Dominus respondebit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Sanè inter omnia nihil æque animæ necessarium est, quàm vt certare & pugnare discat. In tentatione namque discit nosse seipsam, qualis sit. Et reuerà omnibus illis, alioqui sublimis vitæ eremicolis, qui in solitudine defecerunt, non nisi hæc dimicandi defuit scientia. Vnde cùm quadraginta vel quinquaginta & eo amplius annis in magnis & mirabilibus vixissent, deinde tentatione irruente, ad nihilum redacti sunt & perierunt, cùm tamen miris tum virtutibus tum exercitijs pollerent. Verùm in tentationibus fundum

Sponsam quibus cautam oporteat.

Deus tacere quidē aliquandiu, sed non semper.

Matt. 11.

Nosse seipsum vbi maximè discatur.

Cur insignes aliquot Eremitæ tentationi succubuerint.

Tentationum fructus.

dum suum cuilibet innotescit. Credite mihi, charissimi, tanta est tentationum vtilitas, vt si quis bene se gerat in eis, easqúe diligenter obseruet, non minus illi conferant, nec minus necessariæ sint, quàm virtutes. Quàm enim gratia homini necessaria est ad bene beateq́; viuendum, tam & tentationes. Enimuerò in tentationibus virtus non modò inchoatur, sed etiam perficitur: adeoqúe tentationibus eam pulsari atque probari necesse est, si in habitum transire debeat. Imò & ex omnibus illis institutis siue modis, ad quos homo siue intus siue foris vocatur, tentari eum necesse est. Hinc insignis quidam Theologus ait: Vt caro non potest non putrefieri, nisi sale conspergatur, sic nec homo sine tentationibus durare potest. Certè Deus omnipotens æquè sese in tentationibus præbere potest, vt in virtutibus & venerandis Sacramentis. Interim in tentationibus maculæ, vitiorumq́; radices innotescunt, & cognitæ diluuntur ac euelluntur: humilitas & Dei timor exoritur, atque homini Deus ad mentem reducitur, illiusq́; poscere opem, flagitare auxilium, ad ipsumq́; confugere, , & ipsi certamen omne imponere admonetur. Nunc igitur, dilectissimi, induite vos hanc præclarissimam armaturam Dei, qua quidem muniti, certo certius tentationum omnium palmas referetis. Sitis, inquam, mites & humiles, non sub Deo tantum, sed etiam creaturis omnibus. Sanè quisquis hæc arma indutus est, illum nec dæmones, nec homines, nec vlla poterunt certamina superare, etiam si creaturæ omnes in illius necem conspirent. Sic è diuerso, qui his destitutus est, nullos poterit referre triumphos. Porrò amaritudo seu amarulentia mansuetudini aduersatur, & ipsa ex proprietate ac priuato amore & impacientiæ vitio nascitur. Superbia verò & humilitati è diametro repugnat: & hęc propriæ complacentiæ, propriæqúe voluntatis, quæ humilitati planè est contraria, proles est. Verus nanque humilis nil propriæ voluntatis, nec aliquid proprij sensus siue capitis habet, sed pauper est spiritu: Deus autem & caput, & sustentatio, & proprietas illius est. Eia, dilectissimi, *humiliamini sub potenti manu Dei, & ipse exaltabit vos.* Sinite vos & à Deo, & à creaturis omnibus iudicari, simulqúe & ipsi vos iudicate. Deprimite vos, obsecro, ac sponte animoqúe resignato quælibet aduersa suscipite, abnegantes perpetuò vosipsos, vbicunque vos deprehenderitis, atque ad Deum plena cum fiducia confugientes. Si ita egeritis, citò tentationes omnes redigentur in nihilum. Quibus verò mansuetudinis armis tecti sunt, quibus si vnum saltem asperius verbum dicatur, decem asperiora reddunt, ac ad temeraria iudicia prorumpunt? Qui mox vt leuiter punguntur, non se continent, sed pessima sese radix agitata exerit, atque alterius malitiæ tendit obuiam: nec secus inter sese rixantur huiusmodi, quàm duo canes rabidi, mutuis se latratibus ac morsibus infestantes. Non sunt ista mansuetudinis arma, nec aliud istos dixeris, quàm rabidos oblatratores. Qui si saperent, gauderent potius, si qua efficerentur iniuria, eaqùe se indignos arbitrarentur. Ex exercitatione nanque virtus nascitur, atque in habitum transit. Dum igitur durius asperiusqúe tractaris, ô fidelis anima, vertere ad fundum tuum, & in ipso multò te viliorem existima, multoq́; magis nihili pende, quàm quiuis alius possit: simulq́; alterius amarulentiam, & indignationem tua cura mansuetudine, vt & illius vulneribus medearis, & ipsa illæsa euadas. Enimuerò vitia hæc, cunctiqúe alij defectus, oratione intima ac precibus mentalibus, siue spiritus, vincendi sunt, atq́; in veritate perseuerandum. Sic apud diuum Gregorium cùm Petrus Diaconus quereretur, laborio-

Quæ nobis induenda arma.

Qui tentationes omnes facilè vincatur.

Durius tractato quid agendum.

boriosum esse valde atque terribile, contra inimici insidias semper intendere, & continuè quasi in acie stare, Diuus Gregorius in hęc verba respondit: Laboriosum non erit, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ supernæ tribuamus: ita tamen, vt & ipsi, quantum possumus, sub protectione Dei vigilemus. Et reuera laboriosum non erit, si palmam non nobis, sed Deo tribuamus, atque hostilia tela humilitatis ac mansuetudinis excipiamus clypeo, si non reddamus vicem affligentibus nos, seu contumeliam siue iniuriam irrogantibus, sed ad proprium nos recipientes fundum, quæuis iacula tranquillæ ac benignæ patientiæ & amoris scuto excipiamus, ictusqúe similiter hostiles viuæ fidei excipiamus clypeo. Hæc enim sunt arma, charissimi, quibus vos muniri ac resistere oportet aduersus insidias diaboli. Nam, vt Apostolus secutus ait, *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Quod vtinam attenderent, qui solam miseram carnem suam indiscretè affligunt excruciantq́, & pessima vitiorum germina atque radices, in ipso fundo latentia, negligunt. Quæso te, quisquis eiusmodi es, quid tua tibi misera caro nocuit? quid commeruit? Isti capite suo velut muros penetrare moliuntur. Quanto rectius facerent, si vitia potius, quàm carnem enecarent extinguerentqúe, si hircum magis immolarent, & filium viuere sinerent? Iam si quæras, quid sit igitur, aduersus quòd perpetuò nobis decertandum est, Apostolus breuiter exposuit, dicens: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, hoc est, aduersum dæmones & principes seculi huius, quos quidem optimos esse oportebat: sed, proh dolor, equi sunt, quibus tartarei spiritus sedent, qui bella & tumultus excitant, homines affligunt, superbia tumidi, præter æquitatem potentiam suam exercentes, ac multifaria iniquitate insignes, vti hoc omnibus toto terrarum orbe cernere pronissimum est. *Aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Heu quàm ineffabiles hodie tam Religiosos quàm seculares tenebræ occupent, videre miseria est: adeò vt Iudæi & Pagani pro suis ritibus ac institutis multo rectius se gerant, solo naturali lumine ducti, quàm nos Christiani, cùm tamen medijs illi versentur in tenebris ac mentis cæcitate, nos verò tam numerosis imbuti simus institutionibus, habeamusqúe & fidem sacram, & Euangelium, & vitam Christi pariterq́ Sanctorum: at nihilo secius omni hac luce circunsepti, densissima cæcitate tenemur, omnigena pleni vanitate & formis ac imaginibus creaturarum: itaque fit, vt in eodem semper luto hæreamus, Dominum Deum nec amore, nec intentione purè prosequentes, quibus hoc solum superest, vt cum obcæcatis infidelibus iudicemur. Alij tamen sunt, qui huius miserrimæ cæcitatis tenebras ex integro reliquerunt, atque tam à seipsis quàm à rebus omnibus auersi, ad veram sese lucem conuerterunt. Hi cum intimo cunctarum virium suarum silentio, in suam sese demergunt & colliquescunt originem Deum, atque in diuinæ sese solitudinis caliginem, omnem intellectum superantem, proijciunt recipiuntqúe, vbi simul eatenus sesè immergunt, rapiuntur & absorbentur, vt omnem amittant distinctionem. In hac siquidem vnitate seu vnione diuina constituti, & seipsos & omnia perdunt, nihil prorsus scientes, nisi vnum eundemqúe simplicissimum Deum, in quem (vt dixi) absorpti sunt atque demersi. Hîc verò quamdiu persistunt, bene cum ipsis agitur, nec aliqua perturbatione pulsantur, nec aliquid eos impedit. Sed dum hinc dimissi, intel-

Ephe. 6.

Gene. 22.

Qua in re Iudæi & Pagani Christianis præstent.

lectui seu rationi, quæ nihil horum capit, cùm prorsus illi incomprehensibilia fuit, & ipsam omnemqúe illius excedant facultatem, restituuntur: mox accedunt *spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est, dæmones subtiles, alios malignos spiritus subtilitate ac malitia longè superantes, dumqùe ex indicijs quibusdam istos planè diuinos homines suas in cælesti patria, sedes occupaturos colligunt, miro aduersus eos odio succenduntur, ita vt nullo non eos infestent tempore. Atque inter alia, quibus eos impugnant, persuadere eis conantur, per inspirationes malignas ipsosmet Deum esse. Cui susurrio si, quod absit, præberent assensum, dubium non est, quin grauissimam facerent ruinam. Ibi verò fidei scutum arripiendum est, fortiterqúe diabolicis iaculis opponendum, vt fideli mente adspiciant, non nisi vnum esse Deum, nec vnquam plures fieri posse deos Hocqúe validissimo fidei clypeo *ignea nequissimi tela* excipiant. Deinde & *galeam salutis* assumant, *induti loricam iustitiæ*, ex omnibus contextam virtutibus, & *calceati pedes, gladiumqúe spiritus, quod est verbum Dei, tenentes in manibus*, viriliter ac probè omni se ex parte tueantur atque decertent, cunctaqúe hostilia tela, & subtiles dæmonum machinationes atque nequitias omnes illæsi euadere curent, vndique illis strenuè resistendo. *Vt possitis*, inquit, *resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*. Hi sunt dies mali, quos indies pauidi præstolamur, quando seculi columnæ contremiscent, omniaqùe confundentur: qui vbi aduenerint, isti securissimi erunt, vtpote qui in prædicta diuinitatis sese abysso reperient immersos, absorptos, conditosqúe: & sicut à seipsis expediti, ita etiam ab omni metu immunes erunt, quotquot modò ea, qua dictum est, ratione decertant, & referunt palmam tentationum. Hac etiam de causa quotidie ad hoc fundum sese recipiunt, secum eò pertrahentes omnes suos, & quotquot sibi specialiter commissi sunt: quos proinde metuere non oportet, quòd sui obliuiscantur. Haudquaquam enim obliuiscuntur, sed pariter cum ipsis omnes velut sub momento, absque tamen formis vel imaginibus ingrediuntur, imò & tota simul Christianitas: atque inde rursum ad amoris reuertuntur exercitia, iterumqúe sese ad interiora recipiunt, traijciuntqúe & colliquescunt ac refluunt in amabilem ac infinitam diuinitatis abyssum: & quæcunque percipiunt, rursum omnia in Deum refundunt, nihil inde sibi vsurpantes, sed illi potius, cuius & sunt, relinquentes. Isti sunt, dilectissimi, ipsissimæ Christianitatis columnæ, quibus ea sustentatur: quos nisi haberemus, pessimè profectò nobiscum ageretur. Quæso charissimi mei, fortiter tenete *fidei scutum*, & vndique gladio spiritus, quod est præclarum Dei verbum, vos tuemini ac dimicate. Et si excidere vos, & exturbari contingat, iterum ad bellandum accingimini, denuoqúe ad gratiam redite, idqúe non modò septuagies septies, sed vel millies, imò sæpius quàm dici queat, perseuerantes in veritate vsque in diem salutis æternam. Quod nobis omnibus præstet Dominus Deus omnipotens, in secula benedictus. Amen.

Diabolica io homines ... quomodo

Tentatio ... quos infestet.

Christianitatis columnæ.

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

Vt charitas hominis erga Deum & proximum incrementum indies accipere debeat, & quousque dilectio proximi excrescere queat. Itemqúe vt internam erga Deum originem suam charitatem quisque debeat addiscere, & quàm illa supra se in sublime excrescat.

SER-

SERMO VNICVS.

Euangelium huius diei, est de rege quodam volente rationem ponere cum seruis suis. MATT. XVIII.

Oro fratres, vt charitas vestra magis ac magis abundet. AD PHIL. I.

PHILIPPENSIBVS scribens Apostolus, inter alia sic quoque habet: *Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, & sitis synceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.* Iamque paulò superius dixerat: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis.* Itémque: *Eo quòd habeam vos in corde & in vinculis meis.* Hîc in primis, dilectissimi, non negligenter considerandum venit, vt beatus hic Apostolus tanto studio, tamque serio dicat, Deum sibi testem esse, quomodo suos omnes in memoria & in corde gerat. Et reuerà si nihil aliud haberemus, vel hoc solum maximè nos prouocare & ad amandum Deum mirum in modum accendere posset & deberet, quòd amici Dei tam impensè ex ipso fundo cordis sui dignè Deo nos viuere cupiant: quorum nos desiderio oportebat satisfacere, etiamsi alioqui nihil nos inuitare posset. Ait ergo: *Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet*, hoc est, vt ex minori dilectione ad maiorem proficiates, & maior dilectio in perfectum transeat amorem, qui & abundet in vobis. Nobilissimum certè, altissimum, iucundissimum, quod dici queat, amor est. Hoc enim nihil vtilius doceri potest. Non exigit Deus acutum intellectum, non sensus altos, non grandia exercitia: (quanquam exercitia bona nunquam repudianda sint, quæ tamen omnia suam ab amore dignitatem siue pretium sortiuntur) sed solum duntaxat amorem, qui iuxta Pauli sententiam, *perfectionis vinculum* est. Acutum sanè sublimemque intellectum, & ingenij subtilitatem & acumen, Iudæi pariter & Ethnici habent. Opera grandia falsis & veris iustis communia sunt. Sola charitas falsos & fictos à bonis separat. *Deus* nanque *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Præ cunctis ergo scientijs veræ charitati studendum est. Cùm enim ineffabili nos amore prior prosequutus sit Deus, hinc vicariam nos illi, teste Augustino, dilectionem rependimus. Neque hinc charitas nostra vel minuitur, vel decrescit, sed augetur potius & increscit: dum amorem meretur amor, & quò plus amamus, eò maioris dilectionis capaces sumus, tantoque amplius amare valemus. Duo porrò charitatis opera sunt, vnum internum, externum alterum. Hoc ad proximum, illud immediatè tendit in Deum. Vt autem huic amori fiat satis, scientia opus est. Sic nanque & Apostolus inquit: *Vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu.* Quasi dicat: Nolo vos bono contentos esse, sed pro optimo contendere, & dilectione abundare. Scientia verò tertium est sancti Spiritus donum, quæ haud secus præcedit amorem, quàm famula dominam suam. Cæterùm vera diuinaque charitas intus habenda, ex dilectione fraterna, quam foris proximis exhibemus, colligenda est metiendaque. Nisi enim diligatur proximus, frustra nobis de diuinitatis amore blandimur, sicut scriptum est: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest*

Quid nos vel maximè ad Deum amandum prouocet.

Amor quanti pretij sit.

Coloss. 3.

1. Ioan 4.

Charitatè scientijs omnibus præstare.

Duo charitatis opera.

Phil. 1.

Sciētiam esse quasi famulam charitatis.

1. Ioan 4.

Potest diligere? Denique *in his duobus mandatis*, vt videlicet *Deum* diligamus *super omnia, & proximum sicuti nosipsos, tota Lex pendet & Prophetæ.* Itaque in omnibus & congaudere & compati proximis debemus, & *cor vnum animamque vnam* habere cum illis, vt in Actis Apostolorum de discipulis & fidelibus legimus, quibus & *omnia erant communia.* Quòd si quis extrinsecus ob defectum seu inopiam præstare & exhibere non potest, saltem in fundo, non particulatim, sed veraciter id habebit: & quicquid hoc est, amore, beneuolentia, fauore, promptaquè præstabit voluntate: & si nihil aliud impendere valet, saltem benignum aliquod & amabile ex pio veroqúe fundo proferet verbum, Deinde & in peruersos proximos charitas declaranda est. Horum vitia & defectus cum amorosa patientia amice sufferenda sunt, & cauendum magnopere, ne ea grauiter & amarè iudicemus: sed quæcunque illa sunt mala, quæ patimur ab ipsis, misericorditer tolerare debemus. Et certè plerunque non ex habitu vitioso, sed vel ex infirmitate, vel improuidentia, vel etiam, vt diuus Gregorius ait, ex diuina permissione huiusmodi fiunt, quo per hæc humiliemur, & ad nostrijpsorum perducamur notitiam. Vtrum verò ex habitu vitioso, an per accidens ista fiant, ita discernere licebit: Qui per accidens peccant, mox ad sese redeunt, dureqúe se reprehendunt, & culpam suam fatentur. Cæteri, id est, qui ex habitu vitioso peccant, in sua malitia persistunt obstinati, & vitia sua defendunt tanquam rectè egerint, nec sese abnegant vllo modo. Hæc porrò omnia in ipsis sufferenda sunt tolerandaquè, atque hac in parte seipsum quisque probare poterit. Si enim hæc cum animi quadam vehementia grauiter iudicat, vt moris est quibusdam, qui tanto cum impetu de proximorum vitijs sententiam ferunt, quasi capite murum penetrare velint: indicio est, ipsum in amore diuino aut aruisse, aut certè arescere. Quod cùm ita sit, quæso, dilectissimi, circa proximos vestros cauti estote, & nolite capite pallio operto temeraria in eos fulminare iudicia: quin potius ad vosipsos oculos vestros contorquete, & iudicate vosipsos, studiaquè vestra & actiones discutite. Sed heu multum hîc erratur, dum nemo ferè alium ex fundo per amorem tolerat, nec illius infirmitates æquanimiter portat, quando is fortasse vel debilis capitis est, vel inconsideratus, vel alijs quibuslibet vitijs vel miserijs oppressus. Verùm charitatem hanc fraternam abundare oportebat in omnibus, quantum cuique possibile foret, & crescere & augeri: atque ex hac alia charitas interior, quæ ad Deum originem nostram refertur, probanda est. Multum autem hîc scientia opus est, quo in his vtrisque operibus, internis pariter & externis, ritè ordinemur. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Altera nanque charitas grauida est, & ex ipsa nascitur altera, si tamē per scientiam ordinetur. Fit autem plerunque, vt dum homo Deum suum amare gestit, seipsum contemplans, & amoris & gratiæ se sentiat expertem tum verò ex fundo Deus illi amandus & intendendus est: atque nec hoc intra se reperit. Hinc iam sæpenumerò terribiliter seipsum intra se iudicare, & magnos aduersum sese rugitus edere incipit: simulquè infernum ipsum aut immane purgatorium sibi metuit imminere: iterumquè mala omnia, quę vnquam ante senserat, in ipso exurgunt. Et id rectè quidem. Debet enim homo iudicare & condemnare seipsum. At quid nos vermiculi facimus, quid ahuc in terra reptamus & cinere? Si nos tale aliquid sentire cōtingat, huiusmodi Deum precibus querulis pulsamus: O Deus misericordissime, miserere, obsecro, mei, redime me, &

Actor. 4.

Cur bonis aliquādo iniuria fiat.

Quomodo sibi quisque probandus.

Philip. 1.

me, & fer opem mihi, fac mihi hoc & illo modo: adiuua me, vt fine omni purgatorio in cælum euolem. Quod certè paucis Sanctis contigit. Quanquam, quod inficias ire non possum, bonum quidem sit istud: quisquis tamen vera charitate præditus est, cum sui iudicatione cunctisque defectibus suis, per amorosam immersionem sui in Deum, omnimodamque propriæ voluntatis abdicationem, sese in gratissimam Dei resignat atque transfundit voluntatem. Verus namque diuinitatis amor hominem & seipsum, & omnem facit abnegare propriam voluntatem. Atque hinc eiusmodi homo in prædicta sui iudicatione & afflictione constitutus, corruit simul ad pedes Domini sui, atque hoc ab illo iudicium ex amore poscit, quo diuinæ iustitiæ illius & in se & in creaturis omnibus fiat satis, voluntasque illius pro gratissimo beneplacito eius, vti ipse hoc ab æterno voluit, ac in perenni sua præordinauit, vel adhuc ordinaturus est voluntate, in se compleatur, idque siue in purgatorio, siue in ipso etiam inferno, vti illi visum fuerit: ex integro illi committens, quid, vel quomodo, vel quando, vel quantisper, vel quàm è vicino pati debeat, hoc solùm clamitans: *Fiat voluntas tua*: prorsusque illius relinquens arbitrio, vtrum magnus vel exiguus, prope vel longè esse debeat. In his enim omnibus semper in illius se beneplacitum transfundit: lætaturque in se iustitiæ diuinæ in paruitate sua: in dignioribus verò perfectioribusque hominibus, in excellentia ac vicinitate ipsorum, fieri satis. Dumque in illis eorum excellentiam & ad Deum propinquitatem amat, efficit vt illorum gratia atque dona, etiam sua sint. Atque hæc est, dilectissimi, charitas vera. Planè si quis in extremis constitutus, hanc posset à Deo gratiam consequi, vt tam perfectè ad Deum sese conuerteret, atque ita ex integro diuino se beneplacito committeret ac resignaret, talisque ex hac decederet luce, etiamsi omnia mortalium omnium, quotquot mundus habuit, solus peccata perpetrâsset, absque omni medio euolaret in cælum. Hanc autem omnimodam sui in diuinum beneplacitum resignationem, non potest dare nisi solus Deus. Et sicut nulla securior, nulla felicior mors est, quàm ita defungi: sic nulla præclarior, nulla vtilior vita est, quàm ita semper viuere: nec dubium quin mirum in modum absque cessatione proficiat, quisquis ita viuit. Amor præterea in dilectum facit immergi. Iam duo quædam obiecta sunt. Alterum, peccatum est: Alterum, tentationes graues ac horribiles, varijs modis hominem fatigantes, excruciantesque. Quod sic intelligendum est: Tentationes quidem, quatenus tentationes sunt, id est, vitiosæ incidentiæ seu immissiones, eligendæ non sunt, nec eas velle debemus: pœnam verò seu cruciatum illum, quem resistendo ac superando sentimus, in voluntate Dei eligere debemus, simulque ex amore grauissimo illi ponderi nostras supponere ceruices, idque tanta animi promptitudine, vt si vel ad extremum vsque iudicij diem illo nos premi vellet pijssimus Conditor noster, libenter ex amore in illius gratiam & honorem sustinere velimus: totumque hoc, quod inde mereri possemus, siue nostri purgationem, siue æternam beatitudinem, si sic placeret Altissimo, vt Gentilis aliquis, vel Iudæus, vel quispiam in transmarinis partibus degens, nobis incognitus nec visus, vnquam acciperet, non minus illi ex ipso cordis fundo, quàm nobisipsis, pro Dei voluntate faueamus. Est porrò & aliud amoris obiectum. Cupimus interdum sentire, cognoscere, gustare dilectum, ipsoque frui. Iam si & hæc, & alia omnia quæcunque à Deo vel petimus, vel petere possemus, ex illius munere haberemus, possidere-

Paucos sine purgatorio saluari.

Math. 6. & 26.

Mors aut vita secu- rissima quæ.

Tentationes quatenus fugiendæ.

deremusq́ue, repente verò cuncta Deus tollere à nobis, tamq́ue cupitum atque amantissimum bonum alteri infensissimo hosti nostro, qualem in hac vita habere possemus, tradere vellet, hoc illi ex amore, ex ipso fundo, impensè fauere deberemus, gratularique. Imo audiui ipse ex magno quodam amico Dei, qui mirabili sanctitate polleret, non posse se, quin proximo suo secundùm affectum magis optet, velit, cupiatque beatitudinem & regna cælorum, quàm ipsi sibi. Atque hoc ego charitatem dixerim. Deinde & alia multa sunt charitatis obiecta, quæ petere solet is, qui diuino amore succensus est. Vellet interim diuina pace gaudere, vellet aliâs tam se pauperem esse, quàm multi sunt orphani & pupilli. Sed obsecro te, quisquis ita affectus es, noli ipse te collocare: collocet te potius amor: tu, quod tuum est, per amorosam tui resignationem, humilitatem, purissimamque abstractionem, abnegare & exire contende. Hac ratione, dilectissimi, abundare debet charitas nostra *in omni scientia & in omni sensu*, vt non sufficiat nobis bono quodam modo habere eam, sed optimo habere studeamus. Et rectè quidem dicitur, *in omni scientia*. Princeps namque seculi huius vbique hodie zizania rosis admiscuit, vt sæpenumerò spinæ rosas aut opprimant penitus, aut lacerent ad minus & pungant. Vnde necesse est fugam arripere, necesse est singularitatem quandam seu dissimilitudinem assumere, siue in Monasterio degas, siue extra positus sis. Neque id rectè sectam dixeris, quòd amici Dei diuersum à amicorum seculi huius viuendi modum tenent. Cæterùm amor, quem Paulus in nobis abundare exoptat, vt hactenus inde locuti sumus, adhuc in viribus inferioribus consistit: & hîc crebros natura mellitissimos percipit morsellos, excellensq́ue ac magnæ dulcedinis vinum potat Cyprium. Sic contingebat discipulis, quandiu corporali Saluatoris præsentia gaudebant. Sed quid ait illis Dominus? *Expedit vobis vt ego vadam*, vt hoc modo me non semper habeatis. Verùm vt sublimiori ac nobiliori quadam ratione ipsum susciperent, oportebat vt sic eum semper non haberent, sed priuarentur magis. Est igitur alia adhuc charitas, multò hac, quàm cælum terra, sublimior, quam deinde Apostoli fuerunt consecuti. Ad hanc quisquis pertingit, bene pertigit. In hoc amore non est nisi abnegatio, non confessio: nec consistit hic in habendo, vti discipuli prius habebant, sed in carendo potius ac merissima paupertate. Est enim in ipso ignorantia quædam vltra omnem cognitionem, omni ratione longè superior, superessentialis, cunctamq́ue scientiam transcendens. Ibi verò miro quodam dolore natura corripitur, vt frequenter etiam vacillet tituberque, haud secus quàm infans, qui à maternis arcetur vberibus, eademque ipsa nequam natura, quæ secundùm beati Thomæ sententiam innumeros habet angulos, tota hîc deseritur derelinquiturque: quippe cùm hæc omnes illius vires, omnemque superent facultatem & transcendant operationem: atque adeò hîc denudatur expoliaturque, vt nec tenuissimam horum notitiam adipisci, imò nec aliquam saltem cogitationem, vel desiderium, vel intentionem habere queat: sed & ipsam hanc tantam penuriam Deo offerre haudquaquam potest. Tantummodò autem cum ignorantia quadam istis inhæret. In hoc siquidem amore & abnegare seipsum, & cunctis illis, quæ in priori amore habuit, obiectis, emori ac renuntiare compellitur: quandoquidem seipsum hic diligit Deus, & est obiectum suijpsius. Breuiter non est hîc nisi abnegatio & transformatio in occultam diuinam caliginem, de qua multa Dionysius habet Areopagita. Iamque natura misera per

al

Insignis charitatis species.

Qui charitas habenda.

Nota.

An sectæ vocabulum in Religiosos quadret.

Ioan. 16.

Excellentissima charitas.

S. Th[illegible]

aliam hîc viam ducitur, expoliationis videlicet denudationisque, non intus modò, verùm etiam foris omnis sustentaculi solatijque. Adeoque & ipsa illi Sacramenta ex ordinatione diuina subtrahuntur, & sicut olim, cùm necdum ad hunc pertigisset gradum, libens illi vel quotidie corpus Dominicum tradidissem, ita modò nullo pacto id attentarem. Alia nunc prorsus, quæ supra ipsam est, via gradiatur oportet, ibique spiritus illius in Dei Spiritu, in occulto quodam silentio & tranquillitate, in essentia diuina quiescet, vbi iam *lux in tenebris lucet.* Ibi simplex diuinitatis essentia per seipsam & in seipsa, non aliud aliquid inuenitur. Ibi multiplicitas omnis in vnum redigitur ac vnitur. Atque hæc est dies Christi, de qua hîc loquitur Apostolus. Ibi nunc primùm Christus cum vniuerso omnium pœnarum suarum, mortisque suæ fructu, in vera ac clara die, in ipsissima puritate rectè percipitur: non quòd pœnæ illius siue mors, vllo modo in ipso puriores effici queant, sed in nobis id agitur, dum nos eas hîc purius ac nobilius capimus, non sensualiter neque formaliter siue per imagines, vti per sensus illatæ, atque in phantasiam susceptæ sunt, sed intimè, nobiliter, diuinè, & occultè: non autem vti superius, in priori charitatis modo. Occurrit hîc exemplum quoddam de Domino Saluatore, qui ante mortem suam passus est & caput & pedes suos à Maria Magdalena contrectari, ablui, extergi, inungi: deinde verò omni iam mortalitate deuicta, eo modo haudquaquam ab illa se tangi permisit, imò & tangere volentem compescuit, dicens: *Noli me tangere, nondum enim ascendi* (vobis) *ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Sic ergo in priori illo modo, inque infimo charitatis gradu, lauari, extergi & vngi se imaginariè patitur. In secundo verò gradu, nullo pacto isto imaginario modo, sed eo potius, quali ipse nunc est in Patre suo, ad quem nimirum totus cum omni esse suo ascendit. Atque illic inuenire illum licet in vera die. Illic cernere est, Filium ante Patrem amabiliter nimis ludentem, & vt ambo ex amore florentissimo sanctum spirent Spiritum. Hîc prorsus vera dies est. Hîc denique vera charitas in ipsissima natura ac nobilitate sua nascitur: cunctaque hæc, vti sæpius diuus Gregorius habet, per Dominum nostrum Iesum Christum. Scripsit hinc vice quadam excellens quidam Doctor & Pater Ordinis nostri generali Capitulo in hæc verba: Lux Christi Iesu lucet in interioribus nostris longè clarius fulgentiusque, quàm Soles omnes quotquot in cælo vnquam radiârunt. Lucet autem non ab extra intro, sed ab intro foras. In hoc demum amore & luce, dilectissimi, supra quàm dici queat, non indies modò, verùm etiam horis ac momentis omnibus proficere & increscere licet. Vnde etiam diligentissimam sui quisque curam habebit, vigilanterque seipsum introspiciet, ac seriò proficere curabit. Hoc est enim, quod veri amici Dei seriò admodum & ex animo cupiunt fieri à nobis, & quod Paulus hortatur, vt charitas nostra semper magis ac magis abundet.

Quod nobis præstare dignetur, qui ipsissima charitas est, Dominus Deus noster benedictus in secula.

Amen.

Cui Sacramenta piè subtrahantur.

Lucæ 7.

Ioan. 20.

Christi lux quomodo luceat.

DOMI-

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

Vt animæ nostræ templum, in quo Dei consistit imago, expurgare ac præparare debeamus, idque per plenissimam nostrîipsorum & rerum omnium abnegationem, per introuersionem continuam ac obseruationem nostrîipsorum, per sensuum inclusionem, ac vitam denique Christi Iesu imitationem.

SERMO VNICVS.

Cuius est imago hæc & superscriptio? MATTH. XXII.



DOMINVS Deus omnipotens suam animabus nostris imaginem ac superscriptionem indidit, quando illas *fecit ad imaginem & similitudinem suam.* Cunctis igitur Christi fidelibus oppidò quàm necessarium fuerit, vt sæpius introuersi, cunctos animæ suæ, in qua sanctissimæ Trinitatis consistit imago, recessus & angulos explorent, videantque si qua fortè illic vel imago, vel inscriptio reperiatur, non impressa à Deo, hoc est, imagines peregrinæ & cogitationes de rebus caducis ac labentibus, quæ Dei vitiant imaginem inscriptionemque, quarum finis, scopus & intentio non sit purè Deus. Nam secundùm eiusmodi imagines à Deo iudicandi sunt. Hoc autem facere non possunt, qui huc illucque vagantur, qui sensibus terras circumeunt & maria, & vana caducaque solatia quærunt, qui terrenis curis & solicitudinibus distrahuntur, qui creaturis cum affectu, amore & delectatione inhærent, qui demum illis, quæ ad se non pertinent, nec sibi commissa sunt, inanissimè occupantur. Cæterùm quisquis Domino Deo suo nummum animæ suæ cum imagine ac inscriptione ei impressis ab eodem, pura illi ac munda exhibere cupit, perpetuus suiipsius inhabitator sit, atque ab omnibus externis, ab omnique solatio corporali sese abstrahat oportet, prorsusque ab omni temporali oblectatione, amore, cura, solicitudine, & quæstione propria, alijsque id genus vitijs ac defectibus vniuersis, liber, nudus, expeditus sit. Semper verò perpetuoque cum intimis gemitibus æternum atque præcipuum bonum, quod est ipse Deus, in quo bona omnia continentur, petat desideretque. Sic enim fiet, vt nullum ipsi malum nocere queat. Scire autem vos velim, dilectissimi, imaginem hanc & inscriptionem feliciter perfici in intimis animæ, in loco illo, quem Dominus sibiipsi sacrauit, adseruit, vendicauit, vt neque Angelis, neque hominibus, neque vlli creaturæ ad ipsum accedere fas sit, hoc est, in ipsa purissima præclarissimaque animę essentia. Hunc namque locum soli sibi vendicat Deus, nec aliquem hunc secum vult habere communem: quando ipse perpetuò ingenti cum affectu mundam inhabitat animam, cum suauissima consolatione diuinaque gratia sua, sicut & ipse testatur: *Deliciæ meæ,* inquiens, *esse cum filijs hominum.* Sciendum est itaque, per hæc intimum animæ cum altissimæ diuinitatis intimis vniri perficique, vbi videlicet Deus Pater æternus suum incessanter Verbum æquè sempiternum, hoc est, vnicum generat Filium suum, æqualem sibi per omnia honore, potentia, dignitate, sicut Apostolus ait: *Qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Sempiternum enim Dei Verbum, hoc est, persona Filij in diuinitate, & semper à Patre gignitur, & perpetuò nihilo minus in corde Patris perseuerat. Per ipsum verò Deus Pater omnia creauit, vt

Imagines vitandæ quæ.

Prou. 8.

Heb. 1.

Euan-

Euangelista Ioannes testis est: *Per ipsum* inquiens, *omnia facta sunt*. Sicut ergo omnia ex diuinitate, ceu ex fonte siue origine, per æterni Verbi ex Deo Patre generationem promanârunt: ita & creaturæ omnes per eandem æquè Filij eiusdem ex Deo Patre generationem, in suo esse subsistunt, rursumqúe creata omnia in suam originem Deum Patrem per eundem Filium redire habent. In hac autem sempiterna Filij ex Patre generatione flammeus quidam eiusdem Dei Patris erga diuinum Filium suum, & Filij erga Patrem amor erumpit: & hic est Spiritus sanctus, qui est verissimus nexus quidam seu vinculum, Patrem Filiumqúe amore perenni connectens. Quanquam verò in beatissima Trinitate tres distinctæ personæ sint, Pater videlicet, & Filius, & Spiritus sanctus: eædem tamen non nisi vnicum, purum, essentiale vnum sunt, quod non modò diuinorum, sed etiam Gentilium Philosophorum atque Doctorum sententijs confirmatur. Ex his enim Aristoteles, ait: Entia nolunt malè disponi. Quum ergo pluralitas Principum mala sit, vnus tantùm est Princeps, qui omnia regit. Ex illis vero Moses, inquit: *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus vnus est*. Quod cùm ita sit, filij in Christo dilectissimi, quisquis verè ac purè Deo cupit vniri, is animæ suæ nummum cum vniuersis viribus ac sensibus suis soli Deo sacrare, vindicare, vnire debebit. Si enim supremum & excellentissimum vnum, quod Deus est, animæ debeat vniri, per vnitatem id fieri oportet. Vbi igitur anima & sibi ipsi & creatis omnibus renuntiauit, eademqúe abdicauit abnegauitqúe, & ab omni se multiplicitate expediuit atque nudauit, vnicum illud vnum, quod Deus ipse est, illius vnitati in veritate respondet, quando iam nihil in anima est præter solum Deum. Vnde cùm homo tam purè ordinatus est, aut tam ordinatè dispositus est, vt cor & anima illius, nulla re, præterquàm solo Deo, sese occupent & inscripta sint, & quicquid pro corporis illi sustentatione necessarium est, propter Deum & cum Deo ordinatè percipere & habere sciat, tum nimirum tanta inter Deum & mundam animam vnitio agitur, vt simul vnum efficiantur, sicut & Apostolus testis est, dicens: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Qua vnitate & eiusmodi anima munda vnico illi vni, quod Deus est, felicissimè vnitur. Cæterùm quosdam inuenire licet, prius volare gestientes, antequam pennas produxerint, & fructus carpere necdum bene maturos. Hi sunt homines incipientes, qui mox vt bonam vitam inchoârunt, vno eodemqúe itinere in sublime feruntur, meditando videlicet æterna diuinaqúe, insectari frustra conantes, quæ minimè queunt comprehendere. His admodum graue est & amarum, perfectissimam purissimamqúe Domini Iesu vitam meditari, atque huic cogitandæ insistere, & cor suum ea occupare nolunt. Horum periculosa satis & minimum secura vita est, quum id in primis eis necessarium sit, si modò proficere velint, vt supra firmam petram & fundamentum stabile, quod Christus est, ædificentur atque fundentur, eundemqúe Dominum Deum suum humilem Christum Iesum imitentur, illius, quantum possibile est, vitæ sacratissimæ, quam ipse in humana natura gessit atque perfecit, mundissimis vestigijs inhærendo, amarissimam passionem illius, pœnasqúe dolorum & ignominiosæ mortis eius multo cum desiderio magnoqúe studio recogitando, & virtutum denique omnium exercitijs insistendo. Nunquam enim nisi per hanc veritatis viam perfectionem obtinebunt. Vnde & ipse Dominus ait: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*. Tanquam diceret: Qui non ingreditur per humili-

[Margin notes: Ioan. 1. — Aristotelis apophthegma. — Deut. 6. — Deo vniri volentibus quid agendum. — 1. Cor. 6. — Præsumptio quorundam Religiosorum. — Imitatione Christi verã esse vitę viam. — Ioan. 10.]

militatem humanitatis meæ, nunquam ad celsitudinem meæ diuinitatis pertinget. Sic enim & sacerdoti cuidam accidit, nolenti occupare se præclarissima Saluatoris humanitate, & non absque tædio & amaritudine illius passionem meditanti: soli verò altissimæ diuinitati illius, quam tamen comprehendere non poterat, contemplandæ vacare volenti. Hic namque cùm se securissimum crederet, prolapsus est, & in suo casu veram sui notitiam adeptus, tum demum exorsus est, sicque dixit: Satis modò intelligo misericors & æterne Deus, quòd stultè egerim, quando nolui ingredi per humanitatem tuam: ita enim factum est, vt ad diuinitatis tuæ celsitudinem haudquaquam potuerim adspirare. Qui si viam meam per te veraciter direxissem, purissimumque sacratissimæ vitæ tuæ exemplar seu imaginem sectatus essem, non sic infeliciter corruissem. Nihil igitur melius, nihil vtilius homo deuotus facere vel habere poterit exercitij loco, quàm vt perpetuò ignominiosæ nimiumque acerbæ passionis & mortis Domini Saluatoris meditationi incumbat, & pro suarum virium facultate, præclarissimæ, mundissimæ, perfectissimæque vitæ illius vestigia sponte sectetur, viriliter post ipsum incedens. Hoc est enim ipsissimum quo ad diuinitatem tendendum sit atque pertingi possit, iter. Nemo ergo temerarius ad diuinitatis alta euolare præsumat, nisi prius perfectè se in actiua vita, & strenua vitæ Christi imitatione exercitârit. Quod vt rectius capere possitis, eam, quam propono vobis, dilectissimi, institutionem diligenter aduertite: Fuit Doctor quidam Theologus vita & eruditione præcipuus, cui discipulus erat vitæ rectioris amore impendio flagrans, qui & vice quadam ita illi locutus est: Quæso te, colende magister, doceas me quippiam propter Deum, quod ad bene beateq́ue viuendum aliquod mihi adminiculum præstet. Excepit hunc ille perquàm benignè, & familiaria cum eo colloquia miscuit. Inter alia hanc ei præceptionem tradidit, dicens: Si, fili charissime, ad bonam beatamq́ue vitam adspiras, crebrò teipsum studeas introuertere. Quæ sanè præclarissima fuit, vtilissimaq́ue præceptiuncula. Quum enim sese aliquis vertit ad externa, & causis atque negotijs terrenis in multa se distrahit, seu multiplicem reddit, quamdiu in hac multiplicitate inordinatè persistit, & corde ac mente dispersus est & inquietus, nihil interim boni in interioribus suis perficere potest. Atqui perplures inuenire est, qui querantur & dicant, multa sibi officia demandari, & externis se occupari negotijs, quæ obedientiæ causa exequi oporteat, ita vt his impliciti, minimè ad sese redire queant, & si vel semel introuertere se velint, huiusmodi externis actibus impediantur. Quibus ego: Nulli hoc, inquam, charissimi, nisi vobis duntaxat imputetis, cùm nullius nisi vestro id vitio fiat, quando nemo æquè vos impedit atque perturbat, vt ipsi vos. Nam si vosipsos sedulò obseruaretis, ita vt sex passus ex integra obedientia progressi, in septimo vos in veritate introuerteretis, nulla vobis externa negotia possent officere, si tantùm (vt dixi) perpetuam vestriipsorum curam haberetis. Quòd ergo in exterioribus constituti parum proficitis, huic vni imputandum est, quòd vosipsos nulla solicitudine custodiatis, cùm tamen id iure meritoq́ue nunquam non diligenter facere deberetis. Cùm enim aliquid vobis extrinsecus exequendum est, cor animumq́ue plus satis illis adhibetis, & imaginamini inde permulta, siue immodicam impendendo curam, siue vanam ex officio complacentiam admittendo, dum plus officium quàm obedientiam attenditis, siue aliquod in huiusmodi

rebus

Paradigma.

Passionis Christi meditandæ vtilitas.

Paradigma.

Quem, modò velit, officia externa non impediant.

Curis externis qui nimiũ occupentur.

rebus externis quærendo oblectamentum vel voluptatem, siue etiam cum tædio iniunctum exequendo munus, quod alioqui, si tantum præceptum abesset obedientiæ, animo perquàm lubenti promptoque administraretis. Atque hæc vitia multos, proh dolor, Religiosos occupant, qui seipsos admodum in eiusmodi iniunctis officijs quærunt, idq; varijs modis: vnde fit, vt nunquam rectam habeant intentionem, & si etiam multum studiosè officia sibi demandata exequantur, sua tamen priuata commoda & vtilitatem, propriamq; quæsitionem potius spectent, quàm obedientiam puram ad honorem Dei. Quæ causa est, vt cordis eorum intima externis negotijs vsque adeò occupentur, vt suiipsorum parum memores sint, qui eiusmodi sunt, & vix vnquam ad sese redire queant. Et si interdum fortasse intro recipere se velint, impedimento illis sunt curæ inordinatæ & anxietudines nimiæ, quo minus id facere possint: idq; propria ipsorum culpa. Si enim in suis operibus pura Deum intentione prosequerentur, atque illi duntaxat famulandi gratia obedientiæ promptos atque voluntarios se semper offerrent, gauderent nimirum iugi præsentia Dei, vt nullæ eos phantasiæ, nullæ occupationes distraherent. Quòd si fortassis tam multiplex illis exercitium occurreret, vt nulla ratione curas à se possent expellere, citius tamen ad sese redire, seq; minori negotio introuertere quirent, si rectæ ac puræ forent erga Deum intentionis. Deinde prædictus Magister priori institutioni etiam hanc adiecit: Fili, inquit, si perfectam cupis obtinere vitam, stude, quantum potes, cellæ & solitudini, diligenterq; inuigila quinque sensibus tuis, qui multas tibi noxias imagines adducunt. Oculos semper habeto ad terram ex profunda humilitate demissos, vt sic cunctis externis negotijs clausi, nullas tibi, quæ officere possint, inferant imagines. Aures sermonibus vanis, maximè verò detractionibus, prorsus occlude, ne qua inde scandala contrahas. Os tuum vsque adeò refrænes, vt nihil nisi necessaria, & quæ ad Dei laudem, & proximi vtilitatem pertinent, loquaris. Cor tuum ita semper omnipotenti Deo paratum sit, vt perpetuò illud inhabitare possit. Voluntatem tuam ab omni labentium rerum amore & affectu sic expedito, vt graue & amarum sit tibi, quicquid Deus non est. Intellectus tuus, vide, ab omni subtili speculatione & rebus mundanis liber sit. Memoriam denique ab omni vana cogitatione serua immunem, vt hoc pacto & voluntatem & omnem vitam tuam vnico Creatori & amatori tuo puram semper & mundam exhibeas. Sanè si hac ratione inclusus vixeris, & Deo veram intus humili cum resignatione præstiteris obedientiam, certus esto, Deum reipsa sedere in te, gratissimamque per gratiam suam, quam in hoc tibi subministrat, vt scias quid tam in spiritu, quàm natura faciendum tibi sit, dimittendumque, te docere voluntatem suam. Cæterùm non desunt hodie, proh dolor, qui licet inclusorijs ac monasterijs inclusi sint, corde tamen & animo longè lateq; per seculum, in labentium negotiorum multiplicitatem euagentur ac distrahantur. Quocontrà alios reperire licet, qui in publicis versentur nundinis, vbi tamen omnigenæ exercentur negotiationes, & varia multiplicitas est: qui adeò nihilominus cordi ac sensibus suis inuigilent, adeoque ea includant, vt nec minimum aliquid ex his omnibus tam diuersis, tam multigenis negotiationibus, pacem eorum internam perturbet, aut aliquid eis possit adferre detrimenti. Quos proinde multo rectius Monachos dixeris, tam videlicet corde ac animo Deo vnitos, quã alios, licet in Monasterijs degentes, septisque

Quolibus etiam Religiosi curis implicentur.

Cur quidam etiã Religiosi, sui immemores fiant.

Quo studio sensus quinque custodiendi.

Oculi.

Aures.

Os.

Cor.

Voluntas.

Intellectus.

Memoria.

Vanitas in Cœnobiis.

Timor in nundinis.

cœnobij inclusos, sensibus tamen & cogitationibus ita dispersos, vt nec vnius Angelicæ salutationis spatio cor suum ab euagatione integrum seruare queant. Rursum & hanc prioribus is, cuius supra mentionem fecimus, Magister præceptionem adiunxit: Si vis, inquit, in perfectum euadere virum, perfectissimam Domini Saluatoris vitam iugiter ob oculos cordis fixam habeto, contemplans in ea teipsum velut in speculo, & iuxta illam, quæ sanè purissima fuit, dirigens instituensque omnem vitam tuam: certus quòd nunquam vitæ perfectionem obtinere queas, nisi per illum ingrediaris, qui de seipso testatus est, dicens: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Qua etiam de causa hanc ipsam præclarissimam vitam seriò quisque ac strenuè imitandam sibi proponet, ac moribus, quantum poterit, exprimere curabit. Verùm sunt quidam, qui vbi multo se tempore in actiua vita exercitârunt, deinde scire cupiant, si ipsam metam attigerint, aut quando eò peruenerint, vt ab actione quiescentes, sublimibus per contemplandi rationem meditationibus insistere, internaque cum dulcedine soli altissimæ ac nobilissimæ diuinitati contemplandæ tutò vacare possint, debeantque. Hoc igitur, puta quando eò quis reuera pertigerit, vt relictis actiuæ vitæ operibus, contemplationi se tradere possit, ex rerum corporalium similitudine vtcunque licebit aduertere. Videtis ipsi, dilectissimi, vt fructus arborũ necdum satis maturi, etiam crebrius pulsati, vix ægrè ab arboribus excutiantur: vbi verò iustam sunt maturitatem adepti, sponte sua decidant, nec aliqua vi, vt deijciantur, opus sit. Eadem planè & spiritalis hominis ratio est. Vbi enim fructus, id est, opera bona ematuruerunt, absque vlla molestia suapte decidunt spõte, hoc est, vbi veraciter quis ac purè dignissimam Christi vitã sectatur est, ita vt quantum humana sinit infirmitas, illius sit similitudinẽ assecutus. Hoc verò inde aduertere poterit, si in ipso est per gratiã, quod in Christo per naturã erat, de quo Princeps Apostolorum ait: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Si ergo, quod non negligenter illi aduertendum est, ab omni peccato, quod à Deo ipsum separare queat, liber est & immunis: sicque totis viribus ex animo venialia, quotidiana, minuta peccata euitare conatur, fugiendo locum, tempus, sodalitium, & cætera omnia, quæ illi peccandi occasionem præstent: si præterea cor & omnes affectus siue desideria sua, ita in Deo fixa sunt ac stabilita, vt nec prospera, nec aduersa, nec circa cognatos & amicos, aut quaslibet res corporales siue temporales occupatio, à Deo ipsum intus impediant, & per hæc neque à Deo, neque extra Deum abstrahatur: hęc, inquam, omnia si non fallaciter, sed reuera ex gratia Dei sibi sentit inesse, confidat, è vicino adesse tempus perennis requiei suæ. Deinde assumpto speculo sine macula, quod est perfectissimum Saluatoris exemplar, iuxta quod, vti prædiximus, omnem & foris & intus vitam suam instituere debebit, eoque ob oculos cordis veraciter constituto, perpetua meditatione circa acerbissimam nimiumque horrendam passionem illius, quam ex purissimo liberrimoque amore nostri causa sustinuit, versetur: cogitans seriò & attentè, vt plena gratiarum facies illius, tam fœdè turpata fuerit: vt elegantissimum corpus eius dirissima virgarum, flagellorum, pugnorum verbera, atrum atque deforme reddiderint: vt viuacissimus corporis eius color in angustijs mortis immutatus fuerit: vt omnem penitus profuderit sanguinẽ suum: vt ineffabili cum dolore cuncta illius mẽbra emortua fuerint: vt in cunctis denique doloribus, pœnis, angustijs suis, tam extremè suus eum Pater reliquerit, vt hac de

Christi vita pro speculo habenda.

Ioan. 14.

Contemplationi quando vacandũ.

1. Pet. 2.

Passio Christi, nobis speculi vice futura.

hac de causa cum ingenti voce & lachrymis inclamaret ad Patrem suum: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Simulq; studiosè obseruet, si in his omnibus suo se dilecto Redemptori valeat conformare: si niger & marcidus effectus sit, instar grani frumenti, quod *in terram* iactum, prius deficere ac emori oportet, priusquam fructum producere queat. Si etiam corporalia caducaq; omnia perpetuò in suo pereant ac moriantur corde, ita vt siue contristetur, siue graui afficiatur iniuria & contemptu, patienter huiusmodi ferre possit. Ad hæc, Si vitia sua naturalia corporaliaq; adeò in se extincta & mortua sint, vt neutiquã erumpere vel sese exercere queant. Si præterea membra sua omnia, totum corpus & sanguinem suum, creberrimè moriendo, antequam ita perfectè se vincere posset, penitus mortificârit. Ad extremum, si in suis afflictionibus vel angustijs totus à Deo intus ac foris derelictus, maximè verò intus omni solatio destitutus, animo voluntario ac patienti de pijssima hæc manu Dei suscipiat. Vbi verò hæc omnia in se veraciter repererit, gaudeat & exultet, quia citra dubium metæ illi appropinquat, vbi integram ac essentialem à cunctis laboribus suis obtineat pacem & quietem. Posteaquam enim prædicta omnia & corporalia & spiritalia in ipso mortua fuerint, poterit iam ex sententia cum Apostolo dicere: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quod tum fit, quando quicquid ex natura habuit, diuina perfunditur gratia. Quod vbi factum est, certus fit tum demum viuere in se Deum: & quicquid deinceps agat & operetur, totum cum Dei se gratia facere, & Deum in se cuncta & foris & intus operari perficereq́ue. Et ipsi rectè congruit propheticum illud: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* In Deo enim nihil est, nisi Deus. Iamq́ue felicissimè eò pertigit, cuius causa perplures acerbas hilariter perpessus est mortes, noueritq́ue, quò plus fecerit, eò se minus agere, quando hoc solum ipsi hic incumbit, vt tranquilla gaudens quiete, per intellectum sublimi vacet meditationi, ac deinde ad superna se rapiat, euoletq́ue, transcensis creatis omnibus, nec vnquam cœptum inter mittat ad superna tendendi studium, donec ad rerum omnium pertingat Creatorem. Ibi porrò ingenti cum desiderio sanctissimæ atque celsissimæ Trinitatis immutabilitatem immensamq́ue simplicissimam diuinitatem contemplabitur: Deumq́ue suum absque modo diliget, quando ipsum diligendi modus est, absque modo diligere. Simul autem vt Dominum Deum suum tam ardentissimo fuerit amore complexus, hic vicissim tam copiosissima eum gratia perfundet, tamq́ue diuina replebit consolatione, vt nemo hinc saltem cogitare aliquid, nedum eloqui possit: solus qui experitur, sentit vtcunque quid sit, nihil tamen inde perfectè alijs referre potest, idemq; non nisi æterna ac diuina concupiscit. Ad hanc sublimem perfectionem diuus Augustinus magnopere adspirabat: quam multo tempore ingenti cum desiderio cordis sui assequi nitebatur, priusquam ad eam posset pertingere. Vbi verò eam adeptus est, in hæc verba Domino loquebatur: Eia dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit. Planè moriar mihi ipsi, vt tu solus in me viuas: totus intra me silebo, vt tu loquaris in me: totus denique quiescam, vt tu solus intra me opereris. Quæ omnia & præstitit illi Deus: sicut hodieq; præstantur omnibus, qui huc serio animum suum applicant adhibentq́ue. Sed quærat forsitan aliquis, quidnam sit suauissima illius in anima loquutio. Sanè nihil aliud, quàm immensæ atque largissimæ gratiæ, donorumq; illius copiosa perfectaq; in animam infusio, per quam simul etiam gra-

Matt. 27. Ioan. 12. Galat. 2. Psal. 81. Dei diligẽdi modus quis sit.

hoc anniti debemus, vt in dilectione Dei & proximi magis ac magis semper proficiamus. In hac nanque omnis nostra salus consistit: rogandusq; nobis est Spiritus sanctus, qui essentialis charitas est, vt per sui aduentum, ignem sui amoris in nobis accendere dignetur, qui vitiosos naturalesq; defectus nostros vi sua penetret eliminetq;: quando *fortis est vt mors dilectio*. Quisquis autem huc pertingere cupit, vt amoris iaculo vulneretur, tres illi gradus attendendi veniunt, per quos paulatim ad superiora conscendere discet, donec ad huius diuinæ charitatis fastigium, Deo iuuante, perueniat. Sunt enim perplures charitatis gradus, per quos Spiritus sanctus suos trahit: & in quolibet ipsi, *vt mors fortis est*, hoc est, si rectè haberi debeat ipsa dilectio, multa homini suff renda sunt, priusquam eam in singulis etiam gradibus suis essentialiter queat obtinere. Primus igitur amor, quem suis Deus amicis infundit, est *timor Dei*, primum donum Spiritus sancti, qui, vt ante iam diximus, ipse amor est. Hoc verò donum id confert hominibus, vt contemnant peccata omnia diuinis & Ecclesiæ contraria mandatis, nec ab hoc eos timore vnquam recedere sinit, donec ex hac luce emigrent. Timor autem iste cum amaritudine quadam coniunctus atque permixtus est, cùm pœnitentiam agere hominibus vitæ rectioris iter arripientibus in principio valde amarum sit asperumq;. Vbi verò ad sui conuersionem, quamlibet molestam ac laboriosam, voluntarios eos Deus animaduertit, nec vlli cedere difficultati, iamq; peccatis ipsorum externis aliqua amaritudine à se, id est, à Deo expiatis, misericordia motus, mel, id est, piam dulcedinem ori ipsorum instillat. Atque hinc secundus efficitur charitatis gradus, qui *amor pius* appellatur, qui pœnitentiam præteritam in tantam vertit dulcedinem, vt onerosa non sit, hominemq; adeò reddit voluntarium, vt sine vlla naturæ suæ recalcitratione paratus sit, & Dei & Ecclesiæ præceptis obtemperare: atque ita in multa lætitia viuit, quisquis eiusmodi est. Aduertens igitur Deus, hilarem ex beneuola deuotione & amore in hoc gradu animum gerere, tamq; humiliter de se sentire, vt credat, se nunquam adhuc fuisse perfectum, *scientem ei charitatem* infundit, qui tertius amoris gradus est, in quo intelligit debere se & ad intelligentiam introuerti, vitiorumq; affectus mortificare ac vincere: quod nihilo secius etiamnum nonnihil graue est illi, vtpote nunc primùm anxios intus dolores atque molestias sentienti. Itaque puto satis hinc constare, & dulcem esse amorem, & tamen in perferendo molestum siue grauem: & hoc est, fortem esse dilectionem instar mortis. Quidam verò vbi hunc experiuntur cruciatum, foris quidem in lucta perpetua aduersus peccata, intus verò in affectuū mortificatione, faciunt quod faciendum est, vitijsq; omnibus & foris & intus abdicatis atque relictis, moriuntur quibus moriendū est: & ab hoc studio nec delectatione propria, nec amoris tepiditate, nec re quacunq; alia reuocari se patiuntur: nec quiescunt omnino, donec in cunctis rebus inueniant Deum. Quia in parte manifestū est quantopere & ingentem fortitudinem à Deo, & sanum consilium tam à Deo quàm ab hominibus subministrari illis necessarium sit. Quæ equidem, modò intentio recta sit & bona voluntas, cunctaq; faciant extrinsecus, quę nouerint ad virtutes facere, nunquam illis denegabit Deus, cum deceat eum, suiq; muneris sit, hæc ipsis impertire. Cumque sedulis eum precibus pulsant, eique confidunt, licet non videant qui vlterius progredi seu proficere queant, interim tamen semper hic magis ac magis ascendunt: idque multò amplius, quàm vnquam

Cant. 8.

Tres charitatis gradus.

I.

II.

III.

Perfidorū in amore profectus.

vnquam

vnquam ante in quolibet externo opere. Deinde vbi illuminantur à Deo in suo intellectu, maiori cum cognitione ad ipsum, id est, Deum sese vertunt: qui tum intellectui ipsorum cum diuino quodam sapore illabitur, sed horum nihil ipsi sibi arrogant, nihil asscribunt, quin potius Deo omnem honorem ex cunctis virtutibus & omni famulatu suo reddunt, attribuuntq́; illi se absque electione ex toto offerentes. Interdum vero omnia hæc subtrahit illis Deus, atque ad tantam intellectus obscuritatem & gratiæ inopiam rediguntur, vt nihil iam sapiant, haud secus quam si nihil vnquam de Deo essent experti. Sed in his bono animo perseuerant, resignati per omnia Deo, cuius vni misericordiæ credunt atque innituntur, in omni aduersitate patientiam seruantes, donec Deo miserante euadant Quibus oppidò quàm necessarium fuerit, pressuras suas passim omnibus minimè aperire, sed quàm parcissimè Superioribus suis, idq́; cum bona fide seu fiducia, & erga sanctam Ecclesiam obedientia ac subiectione: faciantq́ue nihilominus cuncta, quæ prius, exercitia sua bona, in quibus dudum magnam fuerant dulcedinem experti, dicentes cum beato Iob: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus* pro peccatis nostris? Hac igitur ratione, dilectissimi, amatores suos Spiritus sanctus varijs ad se diuersisque bonis itineribus perducit. Enimuerò bonæ sunt viæ omnes, quascunque Ecclesia demonstrat & admittit, modò recta intentione teneantur. Vnde non facilè damnandus est exterior cultus atque famulatus, tanquam qui optimus non sit, quando amor & intentio, ex quibus ille exhibetur, sanctos reddit homines, non autem solum opus externum, siue cultus exterior. Porrò vbi huiusmodi opus facere quis non valet, licet id perquam vellet, sufficit hac in parte omnipotenti Deo voluntas & intentio, quanlibet tardè deinde opus ipsum inchoet. Cæterùm quisquis ita non amat, is labitur in errores, in conscientia excæcatur, nullo peccati mordetur odio seu displicentia, in amore exercitiorum suorum tepescit ac friget, leniũ culparum & vitiorum fit negligentior, sibiipsi impendiò placet, vtitur carnis prudentia, sensuum affectibus indulget, aliorum culpas leuiores timet reprehendere, & ex falsa quadã miseratione sinit eos perseuerare in vanitatibus suis: & ne fortè eis displiceat, remittit interim animum vnà cum illis. Deinde etiam bene sibi cupere atque fauere optat, quibus cum illi consuetudo est. Atque ita, proh dolor, timor Domini indies in ipso decrescit. Interim nihilo secius homo discretus dicitur, & laudatur ab hominibus, quòd illis se accommodare sciat. Et ipse miser, dum ita secum agit, vt homines prædicant, persuasum habet, præsumit de conscientia sua, atque in animum inducit bonum se esse, quando homines id affirmant: simulq́; ad maiorem pœnitentiam agendam forinsecus se accingit, hominum videlicet laudibus inuitatus, illius vitam & instituta, quæ grande aliquid præ se ferunt, comprobantium: interioris verò obseruationis, & affectuum mortificationis prorsus obliuiscitur, & ad cogitanda bona torpescit. Si quid autem foris agendum sit, vnde honoris aliquid speret, multum serius est ac strenuus. Quicquid enim laboris agit, propter homines facit, qui, vt prædiximus, sanctum & bonum eum autumant, quorum ipse opinioni libens acquiescit, credens se reuera bonum esse. Itaque liberioris fit animi & cordis, satis sibi multa de Deo promittens atque præsumens, quòd minimè sit periturus. Et vt fama sibi maneat integra apud homines, & intus nullos patiatur conscientiæ remorsus ac infestationes, nullo vitæ internæ desiderio tenetur, & quascun-

Iob 2.

Quid sanctos reddat homines.

Tepidorũ in amore defectus.

Quem homines discretum dicant.

quascunque recipit intrinsecus admonitiones, surda aure dissimulat negligitque. Hinc ad falsam quietem internam perducitur, nec quicquam omnino in gratitudine, vel in contritione pro peccatis suis, sese intus exercet. Deinde iam de se præsumere incipit, multum confidens de ante acta pœnitentia sua, & crebrò sua secum opera bona mente pertractat, pluris ea faciens. Si quando ab hominibus risui habeatur, & pro actibus quibusdam suis inordinatis displiceat eisdem, bonis operibus suis multa cum fiducia innititur, atque hoc pacto irrisionem atque ruborem omnem depellit. Ad hæc, indies multa in ipso extrinsecus in sensibus eius vanitas excrescit, in diuinoque obsequio & pœnitentiæ actibus ob vanæ laudis & gloriæ ambitum, admodum secundùm sensualitatem delectatur. Quanquam & hæc interim molesta ei sint, atque ita tandem cuncta illi exercitia vertuntur in amaritudinem, quæ tum priuatim relinquit omnia: foris autem, ne quam boni nominis sui iacturam faciat, ea omittere non audet. Dehinc tentationes in ipso denuò exurgunt, haud secus quàm cum necdum gratiam esset adeptus. Conscientia fit amara atque remordet. Tum verò vt tentationibus possit resistere, duriorem adhuc extrinsecus pœnitentiæ laborem assumit, sperans se ita posse peccatum euadere: sed paruo hic illi præsidio est, quando intus potius seipsum primò discutere & examinare, fundumque suum vitiosis, prauisque intentionibus plenum, euertere deberet. Cæterùm vbi non videt quo pacto tentationum molestiam euadat, aut certè illis non magnopere curat resistere, magno sæpenumerò mœrore carpitur, ac deinde sensuum suorum explet voluptates, & in pristinas denuò occasiones labitur. Nihilo secius in suis sese interim tentationibus excusat, dicens se infirmum esse, ideoque nonnihil sibi parcere ac indulgere, & aliquid oblectationis expetere debere: rursumque vt fama boni nominis sui in nullo violetur, & quòd iam exercitiorum quendam vsum habeat, ad sua redit exercitia, prioresque repetit pœnitentiæ labores. Itaque nonnihil iustæ causæ habere videtur, sed quia vitium à virtute non nouit discernere, proinde nec verum habet pro peccatis suis dolorem seu contritionem, nec etiam rectè confitetur. Quisquis enim sic bona agit pœnitentiæ opera, vt in his superbiam & vanam gloriam sectetur, & quærat, iusto Dei iudicio excæcatur in conscientia sua: at nihilominus alios docere ac regere, multisque se negotijs & occupationibus ingerere, & rebus spiritalibus immiscere molitur, cùm tamen nec in seipso, nec in alijs vel parum proficiat. Quod vbi Dominus aduertit, duris eum conscientiæ vexationibus & incusationibus affligi permitit, ita vt malè cum ipso agatur, & in magno viuat periculo salutis suę. Tum verò ex Scripturis, quæ pro ipso faciunt, animum capit: cunctisque repulsis admonitionibus internis, iterum ad pristinam viuendi consuetudinem reuertitur, satisque multa pace gaudet, necnon quandam interim illuminationem intellectus percipit, siue ex Scripturis, siue in oratione, seu alijs exercitijs suis. Cumque omnia sibi tuta & salua credit, & bono ac iucundo est animo, repente conscientia redit, & iam ignorare incipit, quonam in statu res suæ sint. Succedunt illicò tentationes carnales, puta luxuriæ, auaritiæ, acediæ, & his similium. Quas ille existimans ideò sibi, Deo permittente, occurrere, vt maiorem sibi coronam acquirat: ad resistendum accingitur, sed confestim acrius insurgunt: itaque omni consilio destitutus, & deiectus animo, nescit qua ratione illas possit superare. Quamobrem corporis ac sensuum quieti se tradit, incipitque inordi-

Hypocrisis.

Tentationum intrepidos reditus.

Quis iustè excæcatur.

Quorundam excusationes ex Scripturis quæsitæ.

natè indulgere sibi in edendo, bibendo, dormiendo, deambulando, animum laxando, & id genus alijs: fitque nunc vel maximè secularis, nisi quod nullum forinsecus mortale peccatum admittit. Dehinc multo grauius, quàm vnquam ante, tentationes ipsum infestant, quibus dum resistere non valet, multis varijsque modis, opinione sua citius cadit, atqui nihilo secius boni nominis sui iacturam facere erubescit. Interim malam intus conscientiam habet, exercitia illi sua non sapiunt, quinetiam in amaritudinem vertuntur, tæderque eum diuinis interesse rebus & officio diuino, nisi fortè aliquod inde corporale commodum siue lucrum expectet. Huius iam res in eum rediit locum, vt aut in externa eum peccata ruere necesse sit, aut nouam illi à Deo conuersionem donari, vt melius rectiusque admonitiones intelligat, quàm eas, de quibus prædiximus, intellexerit: quæ nimirum in hoc duntaxat illi intus suggestæ fuerant, vt à suo errore conuerteretur. Postea quam verò suum noluit errorem agnoscere, atque ita nec in melius immutare vitam, eò iam ventum est, vt aut nouam debeat inchoare conuersionem, aut in enormia grauiaque peccata prolabi eum necesse sit. Itaque sæpenumero id huiusmodi hominibus vsuuenire solet, vt foris Deo permittente magnam & publicam incurrant ignominiam, & coram omnibus confundantur, vel graui corporis & cordis molestia atque dolore vexentur, ita vt nesciant quò se debeant vertere, atque ita Deo cuncta resignent & offerant solatia sua. Quos tunc Deus misericorditer respicit, & tam peccatorum suorum cognitionem, quàm de impetranda venia fiduciam præstat, ita vt prorsus secum statuant denuò vitam suam corrigere in cunctis inordinatis actibus & affectibus seu concupiscentijs suis, nec oculos hominum vereatur, sed in quibus Deo operibus, quaque intentione displicuerunt, vti ex præsenti illius illuminatione cognoscunt, minimè illi repugnent. Quidam verò admonitiones omnes floccipendunt, & afflictione seu tentatione sopita, iterum ad peccata deuoluuntur: & quamuis conscientia reprehendat eos, suis nihilominus affectibus indulgent, talesque perseuerant. Quibus tandem, quòd ad carnem & bona attinet, omnia pro voto succedunt, videnturque satis benè habere, quando Deus dimittit eos *secundum desideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus suis.* Attamen, vt præfatus sum, antequam eos perire sinat, creberrimis eos & intus & foris commonitionibus ad sui conuersionem excitat & inuitat, ita vt cuiuis hæc ad salutem sufficere queant, si animum adhibere & obsequi non recuset. Cęterùm bonus quisque, dum diuinis commotionibus acquiescit, atque eas studiosè exequi curat, verecundo primùm metu & anxietate corripitur, suamque ingratitudinem contemplatur, seipsum duntaxat & sua peccata, atque vti per corruptam, quam in bonis operibus habuit, intentionem errârit, adeoque in cunctis actibus & peccatis suis, de quibus tamen nihil audire voluit, admodum Deo displicuerit, attendens & obseruans. Iamque præ multa gratitudine prorsus nescit, quam pro his omnibus debeat agere pœnitentiam. Sed vti prius fecerat, cùm primùm illi à Deo cognitio infusa est, ita & nunc denuò sanctæ Ecclesiæ infans efficitur: iterumque velut ab initio incipit discere ieiunare ac vigilare, discretè tamen, cuncta opera sua & exercitia in vera subiectione, humilitate, obedientia pro sanctæ Ecclesiæ & status sui, in quo degit, ordinatione ac moderatione perficere. Diligenter etiam in vita Christi sese exercet, eamque sedulo contemplatur, idque non semel, sed sæpius, à fine ad principium redeundo, atque huic e- quan-

Quæ tentationes, & quando grauius infestent.

Cui vel lapsus propinquus, vel conuersio oportuna.

Noua conuersio.

Psal. 80.

quantum poteſt, ſeſe conformare nititur, iuxta diuini conſilij directionem, ſecundùm Scripturas & iudicium atque conſilia Confeſſoris ſeu conſultoris ſui, propriamq́ conſcientiam ſuam. Ad hæc, ſpiritum ſuum ſecundum Christi ſpiritum pro viribus ordinare, ac vitijs & defectibus cunctis intus & foris, omnibuſquè rebus inordinatis mori diſcit, atque in his in dies proficere & doctior fieri appetit. Singulariter verò præ cæteris quibuſcunque defectibus ſiue culpis, maiorem illi terrorem incutit vitæ religioſæ tepor, quando per hunc in omnia vitia atque errores prolapſus eſt. Reuera nanque in magnum quendam peccatorum puteum corruerat, vnde ſuis viribus haudquaquam euadere potuiſſet, ſed Domini miſericordia ereptus eſt, cùm tam multos ille in ipſo hoc puteo relinquat, qui nunquam ſtudeant propriam conſcientiam diſcutere & examinare. Deinde non ſatis hæc intra ſe occultare atque ſilentio penetrare poteſt, ſed omnibus reddit manifeſta quàm pluribus ſignis. Amor nanque otioſus eſſe non poteſt. Itaque primò amorem habet *actiuum* ſeu operantem, qui facit vt ſibijpſi non parcat, ſed membra ſua cunctis pœnitentiæ tradat operibus, vbi nouit gratum id eſſe Deo: atque hoc ipſum, quantum poteſt, ſeruet occultum: facit præterea, vt in operibus huiuſmodi bonis conſtanter perſeueret. Deoquè promittat, nunquam ſe, quandiu vixerit, ab ipſo ad tepiditatem defectûrum. Habet etiam amorem rationalem atque *diſcretum* qui non naturam extinguere atque deſtruere, ſed vitia in natura & anima dominantia, reſiſtendo ſuperare docet. Eſt inſuper & *liber* in ipſo amor, qui ſolum Deum abſque labentium creaturarum admixtione diligit, amans omnia in Deo. Deinde & *Zeloſus* accedit amor qui non ſinit ipſum quieſcere, ſed omnes prolapſos atque fugatos à Deo, cogit reuocare. Habet præterea & *languidum* amorem, idcirco languidum, quòd ne ſciat, quid Deo honoris impendere debeat: languidum item, quòd non, vti deberent, ad Deum ſeſe homines conuertant. Hinc & *ardens* ac æſtuans amor accedit, qui nullum præ dilectione in moribus ſeu geſtibus modum ſeruare nouit. Poſt hæc *fatuus* eſt amor, qui omnem ſpernit honorem: totumque ſtudium, omniſque voluntas eius, ſtultitiæ ſimilia ſunt. Dehinc *iubiloſus* eſt amor, cor exultatione perfundens. Ad extremum amor accedit *vnitiuus*, qui & hîc & in futuro perpetua ipſum Deo vnione coniungit. Qui certè non immeritò amor ille accipi poteſt, de quo in Canticis legitur: *Fortis eſt vt mors dilectio* Denique amorem hunc diuinum obtinuiſſe, multo cum cruciatu amare eſt: ideoque rectiſſimè amare morti ſimilatur, quam vtique ſubire amariſſimum eſt. Verùm cùm neque mundo, neque peccatis abſque graui dolore ſeruiatur, cur non multo magis aliquid pati velle debeamus, vt diuinum hunc (vnitiuum loquor) conſequamur amorem, nullis vnquam ſeculis periturum? Qui vbi cæteri amores finiuntur, nullam adhuc nouit ſui imminutionem. Præſtet nobis omnipotens Deus, vti hoc pacto diuinum obtineamus amorem, & æterna haudquaquam morte moriamur. Amen.

Tepor vitæ religioſæ ſuſpectus.

Actiuus amor.

Diſcretus.

Liber.

Zeloſus.

Languidus.

Ardens.

Fatuus.

Iubiloſus.

Vnitiuus.

Cant. 8.


* * *

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

De differentia veri amoris à falso, quam colligere est ex signis quibusdam ac proprietatibus, quibus præditus esse debet verus Christi amator.

SERMO VNICVS.

Accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus &c. IOAN. VI.



OMINVS noster Iesus Christus, qui, vt audiuistis, dilectissimi, quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus numerosam hominum multitudinem mirabiliter pauit: idem ipse quotidie corpora nostra victu necessario, atque animas nostras pane cælestis gratiæ & diuini pascit amoris sui, sine quo nimirum viuens mortua foret, & æterna haud dubiè morte moreretur. Atque hac de causa pro virili ante omnia id nobis impendio curandum est, vt diuinum assequamur amorem, in eoquè crescamus ac perseueremus, quando tanta ille res est, vt in eo nostra omnino salus consistat. Amor, inquit D. Gregorius, otiosus esse non potest. Operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor procul dubio non est. Sanè quæ nobilior est hominis portio, cor videlicet, ipsam amor occupat: nec vnquam cessat ibi amare Deum, laudare Deum, honorare Deum, Deo gratias agere, illius laudem omni tempore perficere, quæ est illi voluptas: cùm plus diligat amatum, quàm semetipsum. Porrò, vt verus à falso amore melius discerni queat, sciendum est, quòd ad vigilem ac viuum amorem tria requirantur, siue quòd is in tribus consistat, in voluntate scilicet, in intentione, in desiderio: ita vt nihil aliud velis, intendas, desideres in omnibus & foris & intus, quàm Deum: hunc solum purè ames, & alia propter ipsum: cunctaquè opera & omnia tua ad ipsum referas, trahas, dirigas, hoc solo motus, quòd ipse bonus sit, quòd te ex merissima bonitate creârit, quod pretioso redemerit sanguine suo: gratias illi agens, & pro his & alijs innumeris diuersis specialibus beneficijs suis, quæ iam impendit, & adhuc indies impendit, atque adhuc in posterum in vita beata, quod longè præstantissimum est optimumquè, præstabit. Talis amor otia nescit, quiescere non nouit, sed vigilat semper in gratiarum actione & laude pro beneficijs memoratis perpetua, vt qualemcunque Dei erga se charitati reddat vicissitudinem. Atque ex hoc amore agitur, vt verus Dei amator non modò Deum dilectione ac intentione prosequi, sed cunctas etiam propter ipsum creaturas amare velit: & aduersa ac molesta omnia illius gratia perferre, ac omnem ad illius honorem abdicare inordinationem, nihil penitus suum quærendo, neque in his, quæ temporalia sunt; neque in illis, quæ æterna. Per temporalia hîc accipiendæ sunt vitiosæ quæque oblectationes, ad sensualem ipsum complacentiam pertrahentes: (Id enim ex ipsa homini natura inditum est, vt diligat pulchra, speciosa & grata) & quæcunque voluptatem & gaudium naturæ adducunt. Quibus omnibus amans anima prorsus emori, cunctosquè inordinatos affectus vincere tenetur. Hæc verò perfacilè quisque nôsse disceret, si tantùm sensibus suis externis diligenter inuigilaret, obseruans in quibus excederet. Sed neque pro seipso vel sui causa vero amatori in spiritali interna dulcedine voluptatem

aut

Quid ante omnia maximè curandū.

Tria ad viuidum amorem requiri.

An amāti ex amore voluntas capienda.

aut oblectationem quærere licet, tametsi imperfectis ac incipientibus Christi seruis id videatur esse permissum, perfectis verò minimè. Puro namque amori nulla ratione conceditur, vt consolationem, dulcedinem, saporem, deuotionem sensibilem, ac in cunctis exercitijs spiritalibus prosperum successum propter seipsum quærat, ad quiescendum videlicet in his, eisquéinhærendum, seu aliquam in eis fiduciam constituendum. Id enim magis esset donis Dei, quàm ipsi Deo confidere: quod mundo atque perfecto amori è diametro repugnat. Cumqúe non desint, qui seipsos inordinatè diligant, hac ipsa de causa sæpenumerò cuncta hæc illis Deus spiritalia dona subtrahit, in multa eos ariditate, inopia, torpore, miseria relinquens, vt ad ipsum cum omnimoda spiritualium delectationum resignatione seu abnegatione confugere discant, ipsi soli in fide, spe & charitate seruiant, seipsos mortificare, ex amore omnem perferre contemptum, & in illius sola bonitate & immensa misericordia, vnde totum procedit, & quòd ille virtutes largitur, & quòd nos eas accipimus, quiescere & confidere discent. Est enim hoc puri amoris, in omni derelictione non minus fideliter amare Deum, quàm eo tempore, quo gratia arridet. Quod quisquis non facit, manifestum de se præbet indicium, plus se donis Dei, quàm ipsi nudo Deo confidere. Quæ quidem spiritalis est cum gratia Dei fornicatio, quam toties incidimus, quoties in donis Dei propriam voluptatem, priuatumqúe commodum seu lucrum, nostri duntaxat gratia, quærimus expetimusque. Quod tamen plerunque non cognoscimus. Oportebat autem nos spiritalem gratiam in hoc solummodò quærere & desiderare, vt per hanc melius Deum agnosceremus: atque ideò, quàm ille bonus & suauis sit, gustare velle, vt tanto facilius ad internum spiritale bonum, quod ipse Deus est, qui intimum inhabitat fundum nostrum, pertingeremus, perfecteqúe ac penitus veras virtutes per resignationem & exercitia earundem virtutum, per quæ Deus primum obtinetur, exerceremus. Ita enim permissum est homini bono, saporem sensibilem aut aliam deuotionem æquè sensibilem vel pro se, vel pro alijs petere ac desiderare, vbi id necessitas poscit, vel exigit deuotio, aut Dei honor seu animarum postulat salus, quo hinc adiutus, tanto feruentius pro virtutibus assequendis laboret, easdemqúe tanto melius vel ociusque consequatur & impetret à Deo, quod tum impendiò necessarium est, & pro honore Dei, & pro salute animarum. Prorsus, inquam, permissum est illis, qui adhuc in amore teneri sunt, & amare incipiunt, spiritalem in Deo gustum quærere, hac tamen intentione, vt in ipso discant vanissimis ac citò transeunti vitiorum sapori penitus emori, & gustare quàm bonum ac suaue sit Domino Deo adhærere, nihilque extra Iesum quærere, quo sic peccata omnia, vniuersam vanitatem, cunctam terrenorum affectuum seu desideriorum atque phantasmatum inhæsionem prorsus depellant eliminentque, vti soli Deo per bona exercitia ipsos inhærere delectet. Qui tamen vbi à Deo hoc spiritali sapore donati fuerint, temporali iam gustu nonnihil imminuto ac deficiente, tempus est vt ad hanc, quam paulo ante vtcunque ostendimus, viam sese conuertant. Si enim primo illi (dulcedinem loquor, & gustum spiritalem sensibilemque deuotionem) tanquam bono optimo inhærere velint, nunquam ad ipsum poterunt verum & optimum pertingere bonum, nunquam in virtutibus proficere, sed fallent miseri semetipsos, nec vnquam ad veras virtutes, neque in sui vitiorumque suorum pertingent cognitionem: neque scire poterunt quid liceat eis,

Deus in aduersis atque ac prosperis amãdus.

Fornicatio cum gratia Dei, qui contingat.

Cui deuotio sensibilis expeti liceat.

Deuotioni sensibili quærimus incumbendum.

quidquе́ prohibitum ſit: atque ita nec tentationes illas, quæ in vita occurrunt ſpirituali, ne ſic valebunt. Vnde etiam tandem quidam ex eis in enormia abſque vllo renixu peccata labentur. Hæc itaque ſunt, dilectiſſimi, temporalia ſpiritus bona, in quibus peruigil & mundus amor ſeipſum quærere fas non habet.

An æternis in bonis amori puro ſeſe quærere liceat.

Deinde & hoc paucis accipite, vt idem purus amor nec in æternis ſeſe bonis quęrere debeat, puta vt magnam cupiat in cælis gloriam, honorem, mercedem pro bonis ſuis actibus conſequi: quæ ſanè, & ſi qua ſunt eiuſmodi, propter ſe duntaxat expetere vel quærere, nec perfectæ virtutis, nec puri amoris eſt: quin potius omnia diligere, appetereque, & agere, & pati, & dimittere omnia ſimpliciter, purè ac nudè pro ſola gloria & honore omnipotentis Dei: nec quicquam ad verè purum amorem attinet, ſiue is dare cæleſtia regna, ſeu denegare, ſiue ſeruare, ſeu damnare velit. Hic enim amor, Dei honorem & voluntatem diligit, nec latet Deum quid ipſe velit: quodque vult ipſe, id eius amor eſt, atque eius amor optimus eſt. Imò quæcunque verè amans anima, quæ hunc amorem perfectè adepta eſt, minimè ceſſaret & honorem Dei quærere, & optimas quaſque exercere virtutes, etiam ſi videretur ſibi à Deo ſe condemnandam eſſe, proque virtutibus puniendam, nec vnquam ſuis peccatis veniam dandam, imò tanto magis virtutum exercitijs incumberet: quippe quæ nihil ſuum quærit, ſed in omnibus æternum Dei honorem ſpectat & intendit. Certè quicunque tales ſunt, ij primum & maximum Dei mandatum ritè obſeruant.

Incipientibus aliquid permitti, perfectis negatum. Quis ſibi & intrinſecus & extrinſecus perſcrutandus.

Contra, priuatus, ſeruilis & nouitius ſeu incipiens amor, metu quodam & anxietate permixtus eſt, atque is dicit: Niſi laboris & pœnitentię meæ aliquod præmium ſperarem, non illa agerem. Hoc itaque incipientibus permittitur, ne peiores fiant: veris autem amatoribus minimè, quando ea primi mandati ſententia eſt, vt diligamus Deum ſupra omnia, etiam ſupra noſipſos. Iam quiſquis huc adſpirat, quiſquis hanc amoris perfectionem conſequi exoptat, fundum ille ſuum intrinſecus, & mores extrinſecus ſcrutetur examinetque: diligenter obſeruans, in quibus ab hoc amore diſſonet, corque ſuum ad emendationem & verum amorem conuertat: certus, fore vti hac ratione ſe gerens, copioſos ac vberes in diebus ſuis fructus proferat, & virtutes plurimas conſequatur: ſin ſecus agat, vt in falſo ac corrupto amore ſuo, à quo nos liberet Deus, perpetuò perſeueret. Præſtet nobis benigniſſimus Conditor noſter, vt ad viuum ac vigilem nos tranſferamus amorem, ne, quod abſit, in falſa ignorantia obdormiamus, ad laudem & gloriam ipſius. Amen.

FINIVNT SERMONES DE TEMPORE.

ILLV-


ILLVMINATISSIMI D. IOANNIS THAVLERI SERMONES DE FESTIS ET SOLENNITATIBVS SANCTORVM.

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI.

De magisterio Christi, & quid ille boni nos doceat de suprema perfectione assequenda: vbi habitatio illius sit: qua ratione & vbi inueniatur, qui omnes nos vocat & inuitat.

SERMO VNICVS.

Rabbi, (quod est interpretatum Magister) vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. IOAN. 1.



APVD Ioannem primo capite legimus, vti *die* quadam *S. Ioannes Baptista* steterit, *& ex discipulis eius duo*, quorũ alter Andreas fuit frater Simonis Petri. Cumquè respiceret *Iesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister) vbi habitas?* &c. Ex quibus verbis tria discimus. Primum est, superabundans sapientia Christi, dum aiunt: *Rabbi.* Secundum, imperscrutabilis essentiæ eius, quæ omnium essentiarum fundamentum est, habitatio, vbi dicitur: *Vbi habitas?* Tertium, consolatio nostri ex benigna illius inuitatione, qua allicit nos, vt ipsum quæramus in spiritu, in habitaculo diuinitatis suæ, atque discamus in fonte sapientiæ, id est, in schola supersanctissimæ Trinitatis. Vnde ipse ait: Veni anima, commorare mihi & in me, & adiunge ad discendum animum tuum: equidem patefaciam tibi diuini cordis mei abyssum, in qua discas & contempleris vniuersam perenne bonum tuum. Videamus nunc primum, quod de Christi magisterio est. Quæso magister bone, doce hanc filiam (animam fidelem loquor) tuam, ne fortasse vna ex quinque fatuis virginibus permaneat. Respondet ille animæ, & ait: Filia mea, disce *à me mitis esse & humilis corde*, quemadmodum & Andreæ cæterisquè discipulis ait. Sed e diuersò illa forsitan secum cogitat, difficiliorem hanc esse præceptionem, quàm vt eam assequi possit. Occupationes enim, inquit, curæ, indignationes, auersiones, & his similia, reuerberant atque dolore quodam afficiunt cor meum: atque ita spiritûs perdo mansuetudinem. Cui respondet Christus magister noster: *Quid proderit* tibi ô anima, *si* ministerio tuo *vniuersum* lucreris *mundum*, te autem ipsam perdas, & detrimentum tui facias? Hinc enim afflictionem tibi & commotionem spiritûs, anxietatem & cordis amaritudinem,

Margin notes: Tria quædam hîc disci. — I. — II. — III. (beside "Rabbi. Secundum…", "…Tertium…", "benigna illius…"); I. (beside "tuum. Videamus nunc primum…"); Matth. 25. (beside "quinque fatuis virginibus…"); Matth. 11. (beside "disce à me mitis…"); Matth. 16. (beside "stus magister noster: Quid proderit…").

bonorum exercitiorum nauseam ac tædium, spiritusq; torporem acquiris, per quæ nimirum mansuetudinis virtute spoliaris, ita vt superdulcissimus Christi spiritus, neque gaudio, neque consolatione te perfundere possit. Teneritudo nanque illius amarulentiam tuam ferre non valet, cùm sit ipse melle dulcior. Et quisquis cum felle fallacis hominum consolationis nihil vult habere commercij, is spiritûs huius dulcedine perfunditur. Quamobrem, ô anima fidelis, incipe viriliter & acquiesce huic magistro, in illiusque conspectu in humilitatis fundum te demerge, dicens in corde tuo: Minimus sum Domine cunctorum hominum, quos tu fecisti simulque spiritûs mansuetudinem indue: atque ita gustabis haud dubiè, breue quidem verbum esse Dominum, sed prolixum sensum. Exercere hîc diligenter, noli cessare: experieris profectò, quod ante prorsus occultum & abditum tibi erat.

II. Secundum est, habitatio essentiæ diuinæ, ad quam inuestigandam anima prouocatur. Adeoque creaturæ omnes hanc quæstionem exoptant, quæ nimirum idcirco & ipsæ esse cupiunt, quod Dei esse comperiunt. Vniuersa namque opera naturalia, non nisi exploratio quædam & inquisitio sunt habitationis Dei. Quod nisi sic se haberet, non posset durare cælum, nec subsisterēt elementa. Quid igitur, ô anima, extra teipsam interrogas, & quæris Deum in regionibus peregrinis mortalium rerum? Certè non illic ipsum ritè inuenire est: negant creata omnia, Deum se esse, atque à se te auertunt, alioque remittunt. Non sumus, inquiunt, Deus, vt Augustinus habet. Super nos quære, ad æterna animum sustolle: recipe te intra te, atque illic Deum reperies.

Multifarie Deum inueniri. Notandum hîc venit, dilectissimi, Deum varijs inueniri modis, vnde quasdam anima institutiones capit.

I. Primò inuenit anima Deum Creatorem suum in fastigio contritionis & pœnitentiæ, dum videlicet totis viribus ad hoc conatur, vt liberæ voluntatis suæ proprietatem sponte propter Deum frangat, atque ab omnibus rebus, tam paruis quàm magnis, sese abstrahere atque subtrahere, rigidam agere pœnitentiam, seipsam, vbi petulanti morem gesserit voluntati, corripere atque punire discat. In quibus actibus quanto amplius sese anima exercet, tanto magis & Deum intra se, & se inuenit in Deo. Quod nimirum in Canticorum volumine significatur, vbi amans anima dicit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* (Cant. 4.) Mons siquidem myrrhæ, quæ amara est, celsitudo est spiritûs sublimati, qui voluntatem siue affectum omnis propriæ oblectationis & fallacis dulcedinis in amaritudinem vertit erga omnia, quæ diuinæ non sunt consona voluntati. (Mons myrrhæ.) Deinde in spiritu Deus animam affatur: *Tota pulchra es amica mea, suauis & decora, & macula non est in te.* (Cant. 4.) Quotquot autem suo animo obsequuntur, suisque affectibus indulgent, hi non vt amicum, sed potius vt aduersarium, inueniunt Deum in cunctis operibus suis: quòd fit, vt pereat quicquid boni moliuntur. Corporalium namque exercitatio operum parum admodum prodest, si voluntas vt affectiones siue motus spiritûs, prius mortificata non sint, edomitaque. ☞ Contra verò vel vnum cantâsse Psalmum, eum, qui propriam nôrit frangere voluntatem, multos dixisse Psalmos est: hoc est, minimum quod eiusmodi aliquis perficit opus, gratius acceptiusque est Deo, quàm vel maximum, ab homine propriæ voluntatis peractum.

II. Secundò inuenitur Deus in deserto, in rubo ardenti, vbi olim à Mose repertus est. (Exod. 3. Rubus.) Significat enim rubus iste mentem huiusmodi siue spiritum, qui in abstracta quadam erga creaturas omnes, vt ita dicam, alienitate viret siue floret in celsitudine sempiternæ diuinitatis: & quomodo essentia diui-

diuina tres in se personas complectitur, ita & hic spiritus Deum intra se in tribus viribus suis complexatur siue comprehendit, haud secus quàm rubus flammam in viridibus ramis suis: id verò ex gratia agitur. Viror autem iste spiritûs animam in lumine & cunctis diuinis virtutibus indies continuè sine cessatione absque fine crescere facit, donec Deum contempletur in Sion Angelici fulgoris. Tantum ergo quisque Deum inuenit, quantum in se diuinorum exercitiorum atque virtutum reperit, hodie quidem plus quàm heri. Sic autem quisquis hîc Deum inuenire appetit, huic sensus omnes bestiales substernendi atque minandi sunt vnà cum Mose sub magisterium rationis & luminis illius, quo ratio prædita est. *Caro enim & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Equidem ita persuasum habeo, dilectissimi, defectus seu vitia vestra quotidiana omnia inde potissimum accidere, quòd celeres motus illos, qui extrinsecus cor pulsant, verbis vel operibus sequimini, antequam lumen rationis accedat. Tertiò reperire Deum est in monte, in nebula, vbi honor diuini luminis, & mandata Dei exarata sunt digito illius in tabulis lapideis. Quo monte spiritus excelsus ac subleuatus designatur, qui in nullis actibus suis vel delectari vel quiescere potest, nisi in cunctis operibus suis, ad instar beati Apostoli Pauli, expresso diuinæ voluntatis signo informetur, ita vt animæ voluntas non solùm humanos secundùm seipsam humano modo actus perficiat, sed etiam secundùm impressam siue insculptam diuinæ voluntatis formam, diuina ratione eosdem operetur, vti sic ipsa sua corpori sanctificet opera, hoc est, vt quod corpus agit, ipsa, id est, anima faciat, rursumq; vt actus voluntatis diuinæ sanctificent opera voluntatis animæ, quo iam ex sententia cum Apostolo dicere possit: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Operor ego, iam non ego, sed gratia & virtus Dei in me & mecum. Istud porrò in nebula fit, id est, in supersplendente radio diuinæ lucis. Omne namque creaturarum omnium lumen, si ad diuinitatis diem comparetur, non nisi nox est. Deinde inuenitur Deus in spelunca cum Helia Propheta. In libris Regum de Helia scriptum reperimus, vt ille, cùm *in desertum venisset*, quò pergebat, petierit *animæ suæ vt moreretur.* Iam enim spiritu lassus atque defatigatus erat, ob vitæ huius molestias & ærumnas. Cumq; se proiecisset, & obdormiret, accedens *Angelus* Domini, posito ad caput eius subcineritio pane & vase *aquæ, tetigit eum,* dicens, vt surgeret & comederet, quod *grandis* illi adhuc resteret via. *Qui cum surrexisset, comedit & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb*, vbi Deum inuenit. *Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca.* Cui Dominus: *Egredere*, inquit, *& sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes & conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus.* Rectè quidem. Fugit enim Deus spiritum illum, quem exagitant venti illi procellosi, quos Daniel vidit pugnare *in mari magno* seculi huius, hoc est, in corde mundano, qui sunt indiscretus seu inordinatus timor, spes, gaudiū, dolor, quæ haud dubiè lumen spiritûs, quo inquirendus est Deus, obcęcant, obnubilantq;. Quamquam & per spiritum hunc grandem & fortem accipi possit cor inquietum, quod in omnibus verbis & actibus suis amarum & turbulentum sese exhibet erga proximos suos, vt vel petras conterere possit, hoc est, vt homines pij bonæq; voluntatis pacis internæ sæpius hinc dispendium accipiant, nec modicè perturbentur. Sed obsecro, dilectissimi, quantum potestis, amore Dei, feroci-

1. Cor. 15.

III.

Exod 19.

Gal. 2.

IV.

3. Reg. 19.

Dan. 7.

Spiritus grandis ac fortis. Petras conterere.

tatem

bonorum exercitiorum nauseam ac tædium, spiritusq́ torporem acquiris, per quæ nimirum mansuetudinis virtute spoliaris, ita vt superdulcissimus Christi spiritus, neque gaudio, neque consolatione te perfundere possit. Teneritudo nanque illius amarulentiam tuam ferre non valet, cùm sit ipse melle dulcior. Et quisquis cum felle fallacis hominum consolationis nihil vult habere commercij, is spiritûs huius dulcedine perfunditur. Quamobrem, ô anima fidelis, incipe viriliter & acquiesce huic magistro, in illiusque conspectu in humilitatis fundum te demerge, dicens in corde tuo: Minimus sum Domine cunctorum hominum, quos tu fecisti simulque spiritûs mansuetudinem indue: atque ita gustabis haud dubiè, breue quidem verbum esse Dominum, sed prolixum sensum. Exercere hîc diligenter, noli cessare: experieris profectò, quod ante prorsus occultum & abditum tibi erat.
II. Secundum est, habitatio essentiæ diuinæ, ad quam inuestigandam anima prouocatur. Adeoque creaturæ omnes hanc quæstionem exoptant, quæ nimirum idcirco & ipsæ esse cupiunt, quod Dei esse comperiunt. Vniuersa namque opera naturalia, non nisi exploratio quædam & inquisitio sunt habitationis Dei. Quod nisi sic se haberet, non posset durare cælum, nec subsisterent elementa. Quid igitur, ô anima, extra teipsam interrogas, & quæris Deum in regionibus peregrinis mortalium rerum? Certè non illic ipsum ritè inuenire est: negant creata omnia, Deum se esse, atque à se te auertunt, alioque remittunt. Non sumus, inquiunt, Deus, vt Augustinus habet. Super nos quære, ad æterna animum sustolle: recipe te intra te, atque illic Deum reperies. Notandum hîc venit, dilectissimi, Deum varijs inueniri modis, vnde quasdam anima institutiones capit.

Multifariè Deum inueniri.

I. Primò inuenit anima Deum Creatorem suum in fastigio contritionis & pœnitentiæ, dum videlicet totis viribus ad hoc conatur, vt liberæ voluntatis suæ proprietatem sponte propter Deum frangat, atque ab omnibus rebus, tam paruis quàm magnis, sese abstrahere atque subtrahere, rigidam agere pœnitentiam, seipsam, vbi petulanti morem gesserit voluntati, corripere atque punire discat. In quibus actibus quanto amplius sese anima exercet, tanto magis & Deum intra se, & se inuenit in Deo. Quod nimirum in Canticorum volumine significatur, vbi amans anima dicit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Mons siquidem myrrhæ, quæ amara est, celsitudo est spiritûs subleuati, qui voluntatem siue affectum omnis propriæ oblectationis & fallacis dulcedinis in amaritudinem vertit erga omnia, quæ diuinæ non sunt consona voluntati. Deinde in spiritu Deus animam affatur: *Tota pulchra es amica mea, suauis & decora, & macula non est in te.* Quotquot autem suo animo obsequuntur, suisque affectibus indulgent, hi non vt amicum, sed potius vt aduersarium, inueniunt Deum in cunctis operibus suis: quòd fit, vt pereat quicquid boni moliuntur. Corporalium namque exercitatio operum parum admodum prodest, si voluntas vt

Cant. 4. Mons myrrhæ. Cant. 4.


affectiones siue motus spiritûs, prius mortificata non sint, edomitaque. Contra verò vel vnum cantâsse Psalmum, eum, qui propriam nôrit frangere voluntatem, multos dixisse Psalmos est: hoc est, minimum quod eiusmodi aliquis perficit opus, gratius acceptiusque est Deo, quàm vel maximum, ab homine propriæ voluntatis peractum.
II. Secundò inuenitur Deus in deserto, in rubo ardenti, vbi olim à Mose repertus est. Significat enim rubus iste mentem huiusmodi siue spiritum, qui in abstracta quadam erga creaturas omnes, vt ita dicam, alienitate viret siue floret in celsitudine sempiternæ diuinitatis: & quomodo essentia diui-

Exod. 3. Rubus.

diuina tres in se personas complectitur, ita & hic spiritus Deum intra se in tribus viribus suis complexatur siue comprehendit, haud secus quàm rubus flammam in viridibus ramis suis: id verò ex gratia agitur. Viror autem iste spiritûs animam in lumine & cunctis diuinis virtutibus indies continuè sine cessatione absque fine crescere facit, donec Deum contempletur in Sion Angelici fulgoris. Tantum ergo quisque Deum inuenit, quantum in se diuinorum exercitiorum atque virtutum reperit, hodie quidem plus quàm heri. Sic autem quisquis hîc Deum inuenire appetit, huic sensus omnes bestiales substernendi atque minandi sunt vnà cum Mose sub magisterium rationis & luminis illius, quo ratio prædita est. *Caro enim & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Equidem ita persuasum habeo, dilectissimi, defectus seu vitia vestra quotidiana omnia inde potissimum accidere, quòd celeres motus illos, qui extrinsecus cor pulsant, verbis vel operibus sequimini, antequam lumen rationis accedat. Tertiò reperire Deum est in monte, in nebula, vbi honor diuini luminis, & mandata Dei exarata sunt digito illius in tabulis lapideis. Quo monte spiritus excelsus ac subleuatus designatur, qui in nullis actibus suis vel delectari vel quiescere potest, nisi in cunctis operibus suis, ad instar beati Apostoli Pauli, expresso diuinæ voluntatis signo informetur, ita vt animæ voluntas non solùm humanos secundùm seipsam humano modo actus perficiat, sed etiam secundùm impressam siue insculptam diuinæ voluntatis formam, diuina ratione eosdem operetur, vti sic ipsa sua corpori sanctificet opera, hoc est, vt quod corpus agit, ipsa, id est, anima faciat, rursumq; vt actus voluntatis diuinæ sanctificent opera voluntatis animæ, quo iam ex sententia cum Apostolo dicere possit: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Operor ego, iam non ego, sed gratia & virtus Dei in me & mecum. Istud porrò in nebula fit, id est, in supersplendente radio diuinæ lucis. Omne namque creaturarum omnium lumen, si ad diuinitatis diem comparetur, non nisi nox est. Deinde inuenitur Deus in spelunca cum Helia Propheta. In libris Regum de Helia scriptum reperimus, vt ille, cùm *in desertum venisset*, quò pergebat, petierit *animæ suæ vt moreretur.* Iam enim spiritu lassus atque defatigatus erat, ob vitæ huius molestias & ærumnas. Cumq; se proiecisset, & obdormiret, accedens *Angelus* Domini, posito ad caput eius subcineritio pane & vase *aquæ, tetigit eum*, dicens, vt surgeret & comederet, quod *grandis* illi adhuc restaret via. *Qui cum surrexisset, comedit & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb*, vbi Deum inuenit. *Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca.* Cui Dominus: *Egredere*, inquit, *& sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes & conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus.* Rectè quidem. Fugit enim Deus spiritum illum, quem exagitant venti illi procellosi, quos Daniel vidit pugnare *in mari magno* seculi huius, hoc est, in corde mundano, qui sunt indiscretus seu inordinatus timor, spes, gaudiũ, dolor, quæ haud dubiè lumen spiritûs, quo inquirendus est Deus, obcęcant, obnubilantq;. Quamquam & per spiritum hunc grandem & fortem accipi possit cor inquietum, quod in omnibus verbis & actibus suis amarum & turbulentum sese exhibet erga proximos suos, vt vel petras conterere possit, hoc est, vt homines probonæq; voluntatis pacis internæ sæpius hinc dispendium accipiant, nec modicè perturbentur. Sed obsecro, dilectissimi, quantum potestis, amore Dei, feroci-

1. Cor. 15.

III. Exod 19.

Gal. 2.

IV. 3. Reg 19.

Dan 7.

Spiritus grandis ac fortis, petras cōterere.

ratem huiusmodi ac impetus cohibete ac fugite: vosipsos obseruate, naturam vestram indomitam & immortificatam frangite, ne tam impetuosè instar ferarum indomitarum erumpat, quando id videre in homine ratione prædito satis horribile est, cui & tantum ex bonitate sua Deus præstitit luminis, & naturæ illius quandam ad bonitatem, amorem & mansuetudinem, propensionem inseuit, ita vt feras quoque edomare possit, si tantum inuigilare sibijpsi & rationis dictamini obtemperare velit. Interim, proh dolor, sæpenumerò instar leonum seu vrsorum ferocimus, quod profectò turpe nobis est in oculis Conditoris nostri, dum sic contra naturam & ingenium nostrum viuimus, tanquam minimè *super nos signatum sit lumen vultus* eius. Equidem pro certo vobis affirmo, charissimi, districtam nos iusto iudici Deo quandoque rationem reddituros de omnibus, quæ per huiusmodi impetus conquassamus conterimusque, siue hoc fit, quòd nosipsos destruimus, quod frequenter iracundis mentibus vsuuenire solet, siue quòd proximos perdimus, quippe qui non modò hinc perturbantur, sed scandalizantur etiam, & à multis præpediuntur bonis, quæ omnia in caput nostrum redundant. Sed dicimus plerunque dolere nos, & ab ipsa nobis natura id inditum esse, atque ita agere compelli. Sicque fallaces quærimus caluasque excusationes, & palpamus miseri nosipsos: quo fit, vt nunquam natura sibijpsi mori discere queat. Cæterùm, quòd certissimum est, si studium aliquod adhiberemus, si seriò diuinum precaremur auxilium, si humiliter resignaremus nosipsos, non præualerent vtique hæc vitia nobis, tantùm abest vt inuitos cogere & ad sui consensum impellere possent, tametsi nos ita dicamus. Deinde *post spiritum & commotionem ignis* venit: Sed neque *in igne Dominus*. Ignis eiusmodi res est, quæ nunquam dicat, *sufficit*. Itaque non absurdè nobis significare potest cor, cui nulla bona, nulla accepta dona Dei sufficiunt, sed semper insatiabili quodam ardore plura habere appetit, in quibus tamen nec tendit, nec purè quærit Deum, siue ea solatia sint, siue aliæ quælibet res temporales, vt frumenti viniquè vbertas, & spiritûs delectatio, in eisdemque amorem suum voluptatemque constituit. Quæ omnia euidens signum sunt absentiæ Spiritus sancti. Significantur & illi, qui omnia accepta Dei munera nihili faciunt ac vilipendunt, tãquam nihil illis vnquam boni à Deo collatum sit, cogitantque intra se: Quam ob causam me creare voluit Dominus, cùm bonorum omnium tam expers sim, tamque vacuus & inanis? nec attendunt, quòd ab innumeris ipsos casibus seu lapsibus præseruârit, à peccatis plurimis custodîerit, quæ haud dubiè incurrissent, nisi singulariter eos ille respexisset, atque à seculi abstraxisset vitijs & peccatis, vt totius Christianitatis efficerentur columnæ: quod & fierent, si eo, ad quem vocati sunt, statu dignè viuerent, ac vocationi suæ facerent satis. Hæc porrò ingratitudo ipsorum fontem exiccat pietatis diuinorum charismatum. Quamobrem & hortor & obsecro vos dilectissimi, per æternam charitatem Dei, vt non citò moueamini à sensu horum, quæ multo cum studio cordis mei (Deus nouit) vos edocere curaui. Et si quis cuiusuis generis spiritus aliud ab his docere vos voluerit, id haud secus accipite, quàm perditionem coram Deo salutis vestræ, sicuti Apostolus Galatiæ populis scribens, ait: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit*. Post hæc venit *sibilus auræ tenuis*, & in ipso aduenit Dominus. Per hunc sibilum accipere licet mentem, quæ cum æqualitate quadam suauis ac spiri-

Psalm. 4.

Ignis.
Prou. 30.

Euidens absentiæ Spiritus sancti signum.

Gal. 1.

Sibilus auræ tenuis.

talis conuersationis in sempiterno ac iuxta æternum Dei Verbum, etiam rationalia seu intellectualia format verba, per quæ spiritus desiderio æstuans, cũ Deo absque alto clamore vel cantu sonoro canticum amoris, absque tamen sono, consusurrat. In quo susurrio Deus venit. In hac namque spiritali confabulatione perpetuò, feliciter & clarè Deus animæ infertur. Qua nimirum felicitate indigni sunt, qui per externas quaslibet formas introreceptorum seu illatorum verborum hominum, vel etiam Angeli, vt Apostolus inquit, à sensu suo bono, quem ad Deum conceperant, deturbantur ac deijciuntur. Hanc nimirum felicitatem anima in Canticis exoptat, dum ait: *Surge Aquilo*, id est, creaturæ omnes in spiritum illatæ, quas introrecepisse, malorum omnium seminarium est, quando *ab Aquilone*, vt Ieremias inquit, *pandetur omne malum*: à cuius etiam facie idem Propheta *ollam succensam* vidit, in qua virentia cuncta spiritalia Dei dona contabescunt ac desiccantur. Tum verò spiritus sibijpsi intolerabilis fit, cùm iam non possit amplius interno Aquilonis odori inniti. Anima igitur in Deo quiescere cupiens, sequitur & dicit: *Veni Auster*, qui lenis & dulcis est ventus, *perfla hortum meum & fluent aromata illius*, hoc est, vt effluxiones seu actiones meæ diuinum spargant odorem. Cant. 4. Ierem. 1. Ibidem. Cant. 4.

IV. Quartò reperitur Deus supra Angelos. Vltra omnes siquidem spiritus Angelicos animam eleuari ac sublimari oportet, tametsi ex natura ipsis inferior sit, si Deum inuenire debeat. Dehinc reperit ipsum in Patre. Vti namque Verbum æternum perenniter sese refert in Deum Patrem, ita & animam, si tamen Deum reperire velit, cuncta opera sua à semetipsa prorsus liberam & expeditam, in eundem referre oportet. Atque ita ad extremum inueniet ipsum, vti reperit eum præcelsus ille atque altiuolans contemplator Ioannes, cùm ait: *In principio erat Verbum.* Quærit igitur Andræas, quærit pariter & anima amoris facibus accensa, idque ingenti cum desiderio, & dicit: *Rabbi, vbi habitas?* Respõdit Ioannes: *In principio erat Verbum.* Non enim reperitur DEVS in verbis, quæ non introducunt in ipsum principium. Penetranda itaque ac transcendenda sunt omnia, quæ infra Deum sunt, & quæ Deus non sunt, principiumque, vnde emanauimus, seriò ac strenuè requirendum, cùm in illo solo nostra sit habitatio, & futurum felicitatis æternæ hospitium. Sed quærat forsitan aliquis, qua id ratione fieri debeat. Cui planè respondemus, fieri id oportere per velocem à creaturis auersionem, feruidamq́ue ad diuinæ contemplationem essentiæ, vnionemque cum illa, conuersionem, quemadmodum ipse Dominus discipulis memoratis respondit, *Venite, & videte*: tanquam diceret: *Venite*, id est, auertimini ab illis omnibus, quibus inordinatè inhæretis & occupamini, à quiete vos interna sedulò præpedientibus. Nudos enim vos & expeditos esse oportet ab omni animaduersione, intellectu, sensualitate. *Et videte*, id est, adiungite vos ad cognoscendam puritatem & nuditatem Dei, quo spiritus vester purissimæ simplicissimæque seu nudæ essentiæ illi applicari queat & accommodari. Ita enim necesse est, prorsus expeditam, nudamque esse animam, quæ arcana secretorum illius debeat intelligere. Hac denique ratione amputanda & resecanda nobis omnia sunt, in quibus aliquid nostrum inuenitur. Sic enim & sacer ille Dionysius Timotheo scribit: Tu verò, inquit, Timothee charissime, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes & sensibilia, & intelligibilia omnia, & quæ non sunt, & Ioan. 1. Qui anima debeat esse nuda.


quæ sunt, omnia: & vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignotè pro viribus teipsum intende. Enimuerò abs teipso atque ab omnibus liberè & absolutè, ac purè excedendo, ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus, euolabis. Quod nobis omnibus præstet Deus, super omnia benedictus in secula. Amen.

IN FESTO D. BARBARAE VIRGINIS ET Martyris sanctissimæ.

Vtrum mundo satana & propria carne pacem habeamus. & per nuditatem seu denudationem [illegible] omnibus creaturis sponsa effici Christi, Deumque perpetuò nobiscum habere [illegible].

SERMO VNICVS.

Dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, & veni. CANT. II.



Cant. 2. DILECTVS *meus*, inquit Sponsa, in Canticorum seu amoris volumine, *loquitur mihi: Surge, propera amica mea, & veni.* Quicunque, dilectissimi, singularis Dei amicus esse, scire etiam, vtrum anima sua singularis Dei sit sponsa, exoptat, illis, quæ sequuntur, si præditus sit, diligenter explorabit: quæ si habere se perspexerit, dubitare non debebit, quin anima sua prorsus electa sit sponsa Dei. Primum est, si tantam cum Deo pacem habet, vt nulla hanc creatura in suis interioribus queat perturbare. *In pace* enim, vt Propheta habet, *factus est locus eius.* Adeoque singularem Dei sponsam ita perfectam esse decet, vt in omnibus animo semper resignato abnegatoque sit: qui abit, abeat: qui manet, maneat: vt diuina pax illius integra semper & inconcussa intus perseueret, omnibusque in Deo & propter Deum æquissima mente carere possit. Sed quærat fortasse aliquis, quibuscum pax illi habenda sit. Cum tribus videlicet aduersarijs. Quibus illis? Mundo, diabolo, carne propria. Cum mundo pax vti habenda est? Vt nihilipendat, quicquid illi mundus inferre possit, siue auferat ille, siue largiatur. Hoc vera perfectaque præstat patientia. Cum diabolo quo pacto tenenda pax est? Certè cum hoc vix vnquam pax haberi potest, quando perpetuò ille hominem impugnat, cunctis illius operibus, quicquid vel agat vel dimittat, semper aliquid admiscet, quod homini impedimento sit. Ignita huius aduersarij iacula, nulla re alia tam perfectè eliduntur ac superantur, quàm deuota ac interna oratione. Hæc enim exurit, profligat, & in fugam vertit hostem tartareum cum omnibus technis & insidijs illius. Vbi igitur senserit quispiam tela hostilia ignita aduolare, vt pacem suam spiritalem sibi eripiant, mox ad deuotam sese violenter conuertet orationem, floccipendens omnia diaboli impedimenta, certus quòd nihil hostem æquè affligat: sicque ab omnibus citius impedimentis expedietur. Ita enim de diuo Bartholomæo scriptum legimus, quòd cùm ille oraret, dæmon ex obsesso quodam homine vociferatus sit: Apostole Dei Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ, & catenis igneis constrictum me tenes. Cum seipso

Margin notes: I. — Psal. 75. — Animæ quibuscũ pax habenda. —  — S. Bartholomæi preces quàm fuerint ignitæ.

ſeipſo denique pax cuique habenda eſt. Id verò quomodo, inquis? Spiritui carnem ſubditam habebit in omnibus, vt tam illius potens ſit, tantaq́; illi authoritate in cunctis dominetur, vt nullum ſibi impedimentum præſtet in his, quę Deus ab ipſo requirit. Sic virgo ſacratiſſima & Martyr Christi Barbara, ſic & alij quidam Sancti, tam ſui corporis potentes erant, quòd etiam in vſum illi verterant, vt ad omnem ſpiritus iuſſionem alacriter proſiliret, promptiſſimumque ſe exhiberet, tanquam diceret: Prius te adeſſe volo. Huc verò, vt tam ſui quiſque corporis potens ſit, quatuor pertingitur. Primum eſt, vt ſubtrahat illi cibum, potum, ſomnum, & commoda quæque: & ſi inſoleſcere ipſum perſpexerit, chamo conſtringat immitium diſciplinarum. Secundum eſt, vt ſiti ſeu affectui ſeculi renunciet, quo ad omnes res mundanas & curas ſeculares, ſinens, iuxta Christi inſtitutionem, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*, & ſequens ipſe Deum. Si porrò moriantur amici, ſi aduentant, ſi decedant, ſi honore ac diuitijs ſublimentur, & ex his vel dolore moueatur vel gaudio, nouerit ſe huc necdum pertigiſſe. Denique Sancti cuiuſdam ſententia eſt: Quo cum lætaris & mœres, cum illo & iudicabere. Si gaudes cum ſeculo, cum ſeculo iudicaberis. Et Apoſtolus: *Mundo*, inquit, *vos mortuos exiſtimate*. Pulchrè nimirum. Qui enim mortuus eſt, prorſus nihili facit, vtrum laudes eum vel vituperes, auferas aliquid vel largiaris. Immò mortuus quiſque vel moriens, aurum omne, cunctos lapides pretioſos, omnem honorem & gaudium, vniuerſos amicos, cuncta denique ſeculi huius ſolatia, nec pili vnius pretio æſtimat: nec mercaretur, ſi poſſet etiam tam vili ea comparare. Faciat ergo inſtar Eremitæ illius, ad quem in deſerto commorantem germanus frater eius accedens, multo ſe in diſcrimine verſari aiebat, quod vehiculum pretioſis mercibus onuſtum in cœnum corruiſſet: ſimulq́; obnixè rogabat, vt exiens è cella, in ſubleuando vehiculo ſuppetias ſibi ferret: hæcque dicens, flebat multum & eiulabat, perſiſtens in precibus. Cui Monachus: Cur, inquit, mihi hac in parte moleſtus es? quin potius ora fratrem tuum adhuc in ſeculo degentem, vt ille tibi opem ferat. Reſpondit ille: Is ante annum vita functus. Et Monachus: Et ego, ait, ante viginti annos mortuus ſum, atq; ita eũ dimiſit, nihil deinde hac re animum ſuum occupans. Tertium eſt, vt mentem habeat in Deum ſubleuatam, perpetuò Dei præſentia fruens. Certè quiſquis creaturarum authorem habere appetit, is creaturis omnibus renuntiet oportet. Quod ſanè aliter ſeſe habere non poteſt. Quanto enim anima nudatior atque euacuatior eſt, quantoq́; minus creaturarum tenet, tanto plus Dei habet: quod fallere nõ poteſt. Impendio, inquit Auguſtinus, auarus eſt, cui non ſufficit Deus. Quid enim deſiderare poſſis, quod in illo non inuenias? Cogita quicquid excogitari poteſt, id millecuplum in ipſo reperies. Vis amorem? vis fidelitatem? vis veritatem? vis iugem præſentiam? Hæc in illo vltra omnes ſunt abſque modo. Appetis pulchritudinem? pulcherrimus eſt: opes deſideras? ditiſſimus eſt: potentiam quæris? potentiſſimus eſt: quicquid demum cor humanum appetere poteſt, millecuplum in ipſo inuenitur: inueniuntur, inquam, omnia in illo ſimpliciſſimo & optimo bono, quod Deus eſt. Cunctas igitur temporales expelle creaturas, omnia ipſarum ſolatia exclude ac reſpue. dicito: Procul à me recedite: non enim eſtis vos, quem quæro, quem volo, quem intendo, quem diligo. Siue honores, ſiue diuitiæ, ſiue gaudia, ſiue amicitiæ ſeſe offerant, vna omnibus voce reſponde: Abite, fugite, ceſſate, deſiſtite: nolo vos, immò & flocci pendo. Quæ enim,

S. Barbara quàm fuerit corporis ſui potens.

4. quædã notanda.

I.

II.

Matth. 8.

☞

Rom. 6.

Paradigma.

III.

enim, dilectissimi, alia ratio est, cur tam alienus, & extraneus nobis Deus sit, eiusque gratissima præsentia toties occidat nobis, quàm quòd mens nostra necdum nuda & vacua est, sed creaturis dedita, occupata, depicta? Contemplatio verò, vt D. Bernardus inquit, est adhæsio mentis in Deo cum obliuione temporalium. Et D. Augustinus: Qui, ait, à terrenis cogitationibus liber est, quæ Dei sunt, liberè cogitare potest. Itemque: O bone IESV, inæstimabiliter affectat anima mea tuum amorem Rapiatur, oro, ad te, ad crucem, ad contemplandam humanitatis tuæ sanctissimam dulcedinem, vt vanitatibus seculi & tentationibus resistere valeam. Rapiatur & in cœlum, ad perscrutanda mysteria Sacramentorum Dei, vt in virtutibus spiritualibus proficiam. Rapiatur ad intuitum diuinæ maiestatis, vt in omni actione tuam dinoscam voluntatem: ibique capiatur & vinculis innodetur, vt siue ad primum, siue ad secundum interdum redeam, in reascensu moram non habeam: & terrena quidem videam, audiam, sed non sentiam: seculo penitus moriar, & tibi soli viuam. Planè charissimi, si à creaturarum imaginibus absoluti & vacui essemus, absque intermissione præsentia diuina gauderemus. Non enim vel in cælo, vel in terra continere se posset Deus, quin nostris illaberetur pectoribus: adeoqúe si iurâsset nolle se adesse nobis, mutanda illi essent verba sua, cogereturq; venire in nos, & prorsus replere animas nostras, si tamen, vt dixi, vacuæ forent. Porrò quantisper creaturæ interiora nostra occupant ac depingunt, quantalibet agamus, Deo nos vacuos esse necesse est, ipsoqúe carere oportet. Quòd si paruam nostri portionem illi offerrimus, haud dubiè boni illius immensi, quod ipse est, partem immensam & ipse tollet à nobis. Legitur, olim speciosam quandam & candidam mulierem prolē edidisse instar Mauri nigerrimam. Quam calamitatem cùm eadem fœmina ad Albertum Magnum retulisset, scire cupiens tanti cassus rationem aliquam, Albertus Magni Mauri imaginem reperit, quam mulier illa fuerat contemplata, dixitq; illi, Inueni domina patrem filij tui. Simulq; aperto id exemplo adstruere volens, gallinam nisi opposuit, ex cuius imaginis aspectu, omnes gallinæ pulli, nisi speciem induerunt. Quorsum hæc, ait fortè aliquis? Vt intelligatis, charissimi, imagines diuinas, partum quoque diuinum efficere: & imaginum creaturarum, creaturalem quoque, vt ita dicam, partum esse. Quartum est, vt sensus suos naturales ita subiectos atque edomitos habeat, vt eorum similiter nunquam non potens sit: ita videlicet, vt videat & non videat, nec vnquam oculos vel aures vlli patefaciat vanitati, os nūquam nisi vtilibus proferendis aperiat: manus, pedes, & cætera quæque membra, gestusqúe suos omnes, sub freno contineat, diligenterq; custodiat, & in tuto semper conseruet, vt nihil vnquam incidat, nihil videant oculi, nihil aures audiant, nisi quod prosus diuinum sit. Moriar, inquit Augustinus, neque moriar. Ita planè & mori debemus, & non mori, naturamq; ac sensus nostros etiam vi quadam deprimere & redigere in seruitutem.

Contemplatio quid.

Quid Deū à nobis impediat

Paradigma.

Miri quiddā.

IV.

Certè si nostri potens fuerit Dominus, & nos ipsius potentes erimus. Quod nobis ipse præstare dignetur, qui est super omnia benedictus in secula.
Amen.

IN FE-

IN FESTO CONCEPTIONIS GLORIOsissimæ semper Virginis Mariæ.

Vt proficientes, cuncta sua vitia & defectus, occultasque animi propensiones obseruare, mortificare, & ab eisdem expediri: vtque imagines præteritarum consuetudinum imaginibus vitæ Christi debeant profligari & expelli, & vt per hæc eò quisque pertingat, vt comprehendere possit cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo sublimitas & profundum.

SERMO VNICVS.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis. ECCL. XXIV.



IAM ante in alia quadam Concione, si meministis, de his ipsis, quæ modò thematis assumpsi loco, verbis dixi apud vos, dilectissimi, verbis vtique æternæ sapientiæ, quæ de beatissima recitantur Domina nostra, cuius dignitatem & honorem nulla ratione, nullis verbis quisquam exprimere sufficit, cùm tantæ sit dignitatis, vt hæc sensus omnes longè transcendat. Dixi autem modos & actus incipienti homini necessarios, vt ad veritatis pertingat iter: dixi item, quæ ad proficientes pertineant: dixi postremò, quis perfectorum, quatenus in hac vita perfectio obtineri potest, finis & scopus sit. Dixi, inquam, vt incipientes cuncta necessariò abradere oporteat. Quænam illa, inquis? Crassos videlicet & sordidos grauium vitiorum pilos, putà luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, iræ, mundanæ vanitatis cordis, ac vniuersæ demum stolidæ in quibuslibet creatis rebus oblectationis. Et vt paucis multa perstringam, id pro certo habendum est, quisquis animo virili, imperterrito pectore, tota voluntate ita sese ad Deum non conuertit, vt hunc in fundo suo pro scopo habens, eundem amare & intendere præ omnibus velit statuatque: eum, si talis ex hac vita decesserit, nunquam ad Deum peruenturum etiam si ea omnia solus agat opera bona & magna, quæ simul homines vniuersi, quos præsens habet seculum, perficiunt: etiam si miro polleat intellectu, *si linguis* loquatur *Angelorum, si corpus* suum propter Deum ignibus tradat, *si denique omnes facultates suas* in cibos distribuat egenorum. Quod cùm ita sit, quî, putamus, illi amorem & voluntatem suam ad Deum transtulerunt, qui sponte corda sua creaturarum oblectationibus dedunt, qui suas in creaturis expetunt voluptates, cùm tamen certi sint occupare eas (id est, creaturas) locum, cuius habitatorem oportebat esse Deum, quem ipsi inde liberrima voluntate scientes excludunt: qui proinde, cùm corde & dilectione priuatus sit, non magnopere curat ea, quæ ab ipsis fiunt, opera? Quorsum enim illi paleæ, vbi alius frumento potitur? Cæterùm grossioribus his pilis in homine inchoante abrasis, idque ferreo quodam, acuto & indefesso studio, de quo iam aliàs dixi, instar cultri rasorij exacuto, diligenter ad immensam iustitiam Dei, quæ nec verbum vnum otiosum, nec quamlibet minimam oblectationem inulta sinit abire, & ad occulta terribilia iudicia illius, cùm nemò sciat, quid sibi euenturum sit, eò quòd nesciat *Vtrum amore vel odio dignus sit*: abrasis igitur, inquam, pessimis his vitijs in conuersionis exordio, deinde pilorum reliquias vigilanter quisque obseruabit. Hæ sunt autem malæ ac vitiosæ propensiones, quæ ex

Quorum saluti bona opera parũ profutura.
1. Cor. 13.
Matth. 12.
Ecclef. 9.

quæ ex

quæ ex praua eademq́ue inolita consuetudine, suas in fundo radices miserunt, eiq́ue fortius hærent. Hæ sese excusare moliuntur, & virtutum præ se ferunt speciem: sed mentiuntur, quando superbia adhuc in fundo latet, tametsi ea iam deuicta & explosa credatur. Inde est cultus vestimentorum & huiusmodi, & hic munditia dicitur: voluptas cibi & potus, cæterarumq́ sensibilium rerum, qui necessitas vocatur: Zelus, indignatio, impetus, alios iudicandi libido, & hæc discretionis ac iustitiæ teguntur vocabulo: torpor denique & pigritia, quæ plerunque infirmitas censetur. Sanè, charissimi, si in aliquo horum aut his similium perseueraueritis, si in propria complacentia, proprio iudicio, proprio videre, & sublimibus intellectualibus modis & verbis floretis ac gloriamini: metuendum vobis est, ne, vbi mors aduenerit, tartarei spiritus irruentes, vnà secum vos abducant, etiamsi omnia vobis tuta modò & salua credatis, quod illis præcipuè verendum est, quos occulta superbia in suis intellectualibus modis sub humilitatis specie tenet, quorum omnium subtus Luciferi caudam sedes propria est: qui quanto hîc suopte iudicio altiores sunt, tanto profundius cœno immerguntur. Quæso, dilectissimi, salutis vestræ curam habetote: nec enim ludicra seu futili de re agitur. Certè si in hypocausto immoderatius calefacto noctem & diem agere deberetis, res ea vobis, sat scio, videretur intolerabilis. Taceo, si in medijs flammis pluribus annis aut æternaliter iacendum foret. Itaque vosipsos intrò ad vometipsos recipite: (*Regnum enim Dei intra vos est*) studia vestra & occupationes discutite: vbi defeceritis, omni cum diligentia explorate ipsum fundum, & ex inolita consuetudine contractas intuemini propensiones malas. Enimuerò si vitium aliquod vno vel altero anno in homine cum illius consensu perseueret, tam altas ipsum in eo radices figit, vt deinde omni cum conatu vix ipsum extirpare & vincere queat. Vnde solicitè admodum cauendum est illis, qui in tenera adhuc ætate positi sunt, ne suas vitia radices certè pessimas in ipsis mittant, sed in ipso statim ea elidant semine: atque ita nullo negotio palmas referent vitiorum, quod postea non absque ingenti labore facturi essent. Potissimum verò quatuor in viribus quatuor diligentissimè obseruanda sunt, in quibus etiam præter opinionem ac insensibiliter noxij quidam & pessimi solent vt plurimum villi succrescere. Primum est, oblectatio exteriorum sensibilium rerum: & hæc vim occupat concupiscibilem. Sanè charissimi, quantopere quamq́ue perniciosè hæc omnes penè homines à vero profectu impediat, verbis explere nemo sufficeret, homines, inquam, etiam bonos, qui cupiant fieri meliores: quos videas modò hæc, modò illa aggredi, semper inhærere sensibus: vnde nec proficiunt quicquam, sed purissimæ semper manent veritatis expertes, nec inseipsos perueniunt: interioraq́ ipsorum perpetuò illis occlusa manent, tanquam res longius, immò remotissimè vel mille vltra milliaria positæ: sensibilia autem multa in interioribus ipsorum versantur: itaque in eodem semper luto hærent, nec vlla sumunt virtutis incrementa, & sic in vitia labuntur: adeoq́ suiipsorum nullam habent notitiam, vt quonam in statu res suæ sint, penitus ignorent. Alia vis irascibilis est, qua plus satis homines abutuntur: quando illam foris sese exerere non oporteret, nisi in ea quæ Deo aduersa atque contraria sunt. Est verò in seipsa vis præclara admodum, sed in plerisque hominibus pili valde noxij in ea excrescũt, dum illi impetu quodam & vehementia falsaq́ iustitia super res quasque feruntur: vnde fit, vt dum

Quæ vitia quibus virtutibus palliëtur.

☞

☞

Luc. 17.

Quæ quatuor in viribus quatuor obseruáda.

I.

II.

dum alios, aliorumq́ modos & opera indicare volunt, importunitate ac turbulentia sua, duraq́ indignatione, toruisq́ gestibus, & verbis asperis, pungentibus, mordacibusq́ cum ingenti clamore prolatis, & seipsos & alios perturbent potius & lædant. Tertia vis rationalis est, in qua tertium malum seu incommodū versatur, quod perplures ab omni profectu non absque graui damno impedit, dum suę rationi innitūtur, in eaq́ florent & gloriantur: atque ita per veritatem ratione apprehensam, viuam ac essentialem veritatem amittunt. Non enim ideò veritas habetur, quòd agnoscitur: in quo plerique fallunt semetipsos, putantes tunc se veritatem apprehendisse, quando ea se rationi illius vtcunque exhibet, cùm nimium adhuc ab ea remoti sint maneantqúe, pretiosissimi interim thesauri illius, qui est profunda seq́ demittēs humilitas, expertes omninò, tametsi falsam quandam illius speciem & apud alios & semetipsos præ se ferant. Quartum malum seu damnum interior illa voluptas seu delectatio parit, quæ in spiritu capitur. Cui vitio perplures subiacent, qui specie boni falluntur, dum potius voluptas eos & delectatio trahit & inflectit, quàm amor Dei, ipsamq́ oblectationem loco Dei accipiant: itaq́ fit, vt quòd Deum esse, persuasum habent, propria ipsorum voluptas sit: quod vel inde constare satis potest, quòd voluptate seu delectatione recedente, omne pariter studium, omnisq́ conatus intermittitur. Quocirca vobisipsis, quæso, attendite charissimi. Sæpè enim multa tanquam ex diuino videntur amore procedere, quibus tamen perplura sese admiscent, ita vt delectatio, sapor, sentire, frequenter etiam noua quædam commotio, seu animi propensio, vel inferni metus, aut beatitudinis, quam homines ex natura desiderant, appetitio, magis ad ea alliciant moueantq́, quàm putemus. Cæterùm quorum Deus intentio non est, eorum nec finis erit, nec præmium. Itaque omnia hæc, quæ nunc audistis, sagaci, immò & ferreo, vt sic dicam, studio abradenda sunt. Studium verò seu culter iste rasorius, ad districta iudicia Dei, & inflexibilem iustitiam illius, nihil impune abire sinentem, exacuenda sunt. Vbi verò exteriora hæc grossioraq́ vitia resecata sunt, manent adhuc in fundo vitiosæ propensiones & imagines præteritæ consuetudinis: quæ per imagines seu exempla gratissima Domini nostri Iesu Christi, expellendæ sunt & extirpandæ, vt sic clauus clauo depellatur: eædemq́ Saluatoris imagines tanta cum deuotione imo sunt pectori inserendæ ac imprimendæ, introrsumq́ trahendæ, vt omnis dissimilitudo in nobis penitus aboleatur deleaturq́. Si enim hanc virtutem radicibus, herbis ac lapidibus pretiosis contulit, vt multos etiam graues depellant morbos ac ægrotationes: quantam putamus viuo Dei filio virtutem in esse ad sanandam cunctas animi ægritudines, sacratissimis exemplis, acerbissima passione, amarissima morte sua? Cùm igitur nihil ex nobisipsis possimus, hæc vna omnibus cura esse debebit, vt sese quisque diligenter per modum orationis in veneranda exerceat passione Filij Dei: ita videlicet, vt intimè ac deuotissimè pedibus se prosternat æterni Patris, simulque roget & obsecret per dilectum Filium ipsius, & per quælibet passionis illius puncta, vt sibi opem ferat, quando sine ipso nihil possumus facere. Adeoqúe in consuetudinē vertēdum est, vt sanctissima Christi exempla & imagines nunquam à nostris abscedant cordibus, quo nullus relinquatur in eis alienis imaginibus locus. Deinde verò fundum & mēs ipsa ad altissimam gloriosamq́ diuinitatem erigenda est, eaqúe cum ingenti ac humili timore desideranter cōtemplanda, simulqúe illi obscura ac desolata exponen-

III.

IV.

Quid, radibus vitiis resectis, agēdum.

Curandū omnibus quid.

Ioan. 15.

ponenda ignorantia noſtra. Tum demum intelligemus, quod in Iob dicitur.
Iob 4. *Cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Ex quo tranſitu, tan-
quam vox quædam auræ lenis ſentitur. Quanto autem tranſitus hic clarior, ve-
rior ac nudior eſt, tanto & opus, & impetus, & ſubuerſio hominis vehementior,
fortior, velocior, purior & verior eſt, eóq́ʒ manifeſtius ac detectius ſuũ agnoſcit
defectum, & quàm nihil proficiat. De hinc Dominus repentino in fulgore veni-
ens, fundum irradiat, in quo ipſemet iam vult eſſe artifex, id eſt, per ſemetipſum
operari: cuius præſentia dum ſentitur, opus illi omne relinquendũ eſt, & ample-
ctendum otium ſanctum, Deóq́ʒ vacandum ſiue feriandum. Et ipſi vires omnes
ſilere, & quietem ſilentiumq́ʒ præſtare debent. Cuncta ſiquidem hominis opera-
tio cogitationeſq́ʒ Deo hîc impedimento forent. Vnde nihil prorſus hîc agendũ
eſt homini, niſi hoc tantum vt Deum patiatur. Porrò vbi ſibijpſi relinquitur, &
Dei actionem ſenſibiliter ſeu cognoſcibiliter amplius non percipit, ad ſanctum
Qui aut quieſcendum aut operandum. redibit proprię actionis ſtudium, & priuata ſua ſancta aget exercitia. Denique
hac ratione modò quieſcere, modò operari debebit, ſecundùm quod intus à Deo
impulſus fuerit commonitusq́ʒ: quiſq́ʒ verò id aſſumet, quod ſenſerit ſe maximè
inflammare & excitare in Deum, ſiue id quies fuerit, ſiue operatio. Qui per qui-
etem ſeu otium ad interiora pertingere neſcit, veniet eò per actionem, ſanctis vi-
delicet imaginibus & exercitijs inſiſtendo: vt ſic omnes in ſancta charitate fun-
dimur ac radicemur, vt *poſſimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo,*
Ephes. 3. *latitudo, ſublimitas & profundum.* Ita enim Apoſtolus inquit. Ipſa tamen compre-
hendere impoſſibile eſt: ſed *comprehendere* dixit, id eſt, cum amore puráq́ʒ inten-
tione inhærere. Debet enim mens ſeſe recipere ac transferre in ſublimitatem
ſupereſſentialitatis celſiſſimæ diuinitatis, cunctiſq́ʒ tranſcenſis infimis ac ſenſi-
bilibus rebus, ſpeculari & intueri, vt Deus glorioſus, cui nihil impoſſibile eſt, id
præſtare non poſſit, vt creaturam aliquam tam nobilem condat, quę altiſſimam
ſuæ eſſentiæ dignitatem naturali ſuo intellectu vlla ex parte aſſequi vel cogno-
ſcere poſſit. Deinde eſt *profundum* diuinæ abyſſi: quod & ipſum inattingibile eſt
Profundum omni creatæ rationi: ſed hoc profunda cum humilitate proſequendum eſt.
Sic beatiſſima Virgo Maria, omiſſis cæteris immenſis bonis, ipſi à Deo collatis
S. Mariæ quanta humilitas. & infuſis, ſolam memorabat abyſſalem humilitatem ſuam, quòd, quia Domi-
nus hanc ſolam reſpexiſſet, ideò *beatam* eam dicerent *omnes generationes.* De
Lucæ 1. Latitudo. hinc eſt *latitudo* Dei, quæ inde colligenda eſt, quòd ſe idem ipſe in cunctis locis
& regionibus, in operibus & modis omnibus, modò bona ſint, largiatur: nec ali-
quid tam promptum, tamq́ʒ commune ſit vt Deus, nihil æquè propinquũ ſeu vi-
cinum, vt ipſe intimo animæ fundo, in quo ſi quis eum quæſierit, inueniet. Inſu-
per & diebus ſingulis ipſum in venerabili Sacramento, in cunctis amicis illius,
& in omnibus denique creaturis reperire licet. Hæc autem latitudo, ſtudioſa, de-
uota, expedita, atque ab omnibus prorſus rebus & occupationibus libera mente
inſequenda eſt, Deóq́ʒ pręſenti cũ vniuerſis nos viribus offeremus atq; dedemus.
Ibi verò præſtatur homini libertas ſpiritûs & gratia ſupereſſentialis, per eleua-
tionem mentis ſupra formas & imagines omnes, cunctarumq́ʒ rerum creatarum
tranſcenſionem. Inde eſt quod D. Gregorius ait: Si ad inuiſibilium cognitionem
Longitudo. pertingere velimus, viſibilia omnia tranſcendenda ſunt. Poſtremò *longitudo* eſt,
quæ æternitas eſt, quæ nec prius habet nec poſterius, ſed tranquillum eſt & incõ-
mutabile Nunc, in qua omnia præſentia ſunt, per continuam quandam pręſen-
tem-

temq; ſie Dei omnipotentis & omnium in illo intuitionem. Hæc porrò ſtabili quadam & incommutabili, ac in Deum incommutabiliter immerſa mente, proſequenda eſt, ita vt aduerſis & proſperis atq; omnibus demum creaturis renunties, & animo ſis per omnia reſignato & immoto, pacemq; ſemper integram ſerues, vt vt eueniant omnia, cuncta Deo relinquens. Hæc nimirum ratione implebitur, quod præclarum illud verbum, *Tranſite*, inſinuat, quod eſt, vt trãſeamus ſeu tranſcendamus omnia, & diuinis impleamur generationibus dulciſſimæ ac ſacratiſſimæ Virginis huius, cui omnes honorem debent præcipuum impendere, & quantalibet perfectione præditi ſint, certum tamen tempus & otium, quo illi vacent, ipſam honorent, ipſi ſeruitium aliquod exhibeant, omnes eligere prorſus æquiſſimum eſt. Præſtet nobis omnipotẽs Deus, vt ſic eam ſequamur omnes, vt eius mereamur generationibus adimpleri, ad laudem & gloriam Conditoris noſtri. Amen.

IN FESTO D. STEPHANI PROTOmartyris.

De triplici gradu eorum qui ſibijpſis hic & in natura & in ſpiritu mori diſcunt, per quod inſtar grani frumenti multos proferunt fructus: è quibus alij incipientes, alij proficientes, alij perfecti ſunt.

SERMO VNICVS.

Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, &c. IOAN. XII.

PER hoc *frumenti granum*, dilectiſſimi, Dominus noſter Ieſus Chriſtus accipitur, qui per mortem ſuam copioſiſſimos in hominibus vniuerſis protulit fructus, ſi tamen non regnare duntaxat cum illo velint, ſed etiam in vita moriente primum ipſum ſequi appetant. Vita autem moriens hîc dici poteſt, cùm quis propter amorẽ Dei ſenſuum oblectationibus, naturæ voluptati, & voluntati propriæ ſic renũtiat, vt his vti nôlit. Qui quot oblectamentis moritur, tot Deo mortes offert, totidemq; ab illo viciſſim vitales recipit fructus. Quantum enim ſibijpſi quiſque moritur, & exit ſeu etipſum, tantum in ipſum ingreditur Deus, qui ipſa vita eſt. Sciendũ eſt autẽ, quod morientiũ hominũ profectus triplici diſtinguitur gradu. Qui ad infimũ gradum pertigerũt, ob gehẽnæ metum & beatitudinis ſpẽ, quibus nonnihil diuini amoris admixtũ eſt, mortalia ſtudent euitare peccata. Cæterũ per quàm rarò diuinus in illis amor operari poteſt, niſi per inferni aut beatitudinis ſupernę cõſiderationẽ: quòd adhuc ex cæco quodã priuato amore ſibijpſis emori admodũ exhorreãt, nec vllo ſeipſos viriliter aggrediendi deſiderio æſtuent, quod natura facit immortificata, quæ mortem hanc expaueſcit, & modicæ fidei eſt, vnde & ipſa hæc delicata puſillanimitas & vana formido procedit, quæ ſuæ ſemper pelli metuit. Et quomodo ſeipſam natura vbiq; & in omnibus quærit, omnigenisq; carnis voluptatibus afficitur, vanitatibus & ſeculo delectatur, corporis afflictionem ex priuato amore ſubterfugere gaudet: ſic & iſti ob eundẽ priuatum amorem, quo ſeſe proſequuntur, ſtudent vitare peccata, tum vt pœnas euadant inferni, tum vt præmium beatitudinis æternæ cõſequantur. Cumq; adhuc in diuino amore teneri ſint, nihil hîc eis ſapit, nihil afficit, niſi forſitan vbi aliquod ex ipſo commodum priuatum ſperant, puta vel inferni euaſionem, vel

Vita morientis, quid.

Morientium hominum profectus triplex gradus.

1.

bonorum exercitiorum nauseam ac tædium, spiritusq; torporem acquiris, per quæ nimirum mansuetudinis virtute spoliaris, ita vt superdulcissimus Christi spiritus, neque gaudio, neque consolatione te perfundere possit. Teneritudo nanque illius amarulentiam tuam ferre non valet, cùm sit ipse melle dulcior. Et quisquis cum felle fallacis hominum consolationis nihil vult habere commercij, is spiritûs huius dulcedine perfunditur. Quamobrem, ô anima fidelis, incipe viriliter & acquiesce huic magistro, in illiusque conspectu in humilitatis fundum te demerge, dicens in corde tuo: Minimus sum Domine cunctorum hominum, quos tu fecisti simulque spiritûs mansuetudinem indue: atque ita gustabis haud dubiè, breue quidem verbum esse Dominum, sed prolixum sensum. Exercere hîc diligenter, noli cessare: experieris profectò, quod ante prorsus occultum & abditum tibi erat.

II. Secundum est, habitatio essentiæ diuinæ, ad quam inuestigandam anima prouocatur. Adeoque creaturæ omnes hanc quæstionem exoptant, quæ nimirum idcirco & ipsæ esse cupiunt, quod Dei esse comperiunt. Vniuersa namque opera naturalia, non nisi exploratio quædam & inquisitio sunt habitationis Dei. Quod nisi sic se haberet, non posset durare cælum, nec subsisterēt elementa. Quid igitur, ô anima, extra teipsam interrogas, & quæris Deum in regionibus peregrinis mortalium rerum? Certè non illic ipsum ritè inuenire est: negant creata omnia, Deum se esse, atque à se te auertunt, alioque remittunt. Non sumus, inquiunt, Deus, vt Augustinus habet. Super nos quære, ad æterna animum sustolle: recipe te intra te, atque illic Deum reperies.

Multifariè Deum inueniri.

Notandum hîc venit, dilectissimi, Deum varijs inueniri modis, vnde quasdam anima institutiones capit.

I. Primò inuenit anima Deum Creatorem suum in fastigio contritionis & pœnitentiæ, dum videlicet totis viribus ad hoc conatur, vt liberæ voluntatis suæ proprietatem sponte propter Deum frangat, atque ab omnibus rebus, tam paruis quàm magnis, sese abstrahere atque subtrahere, rigidam agere pœnitentiam, seipsam, vbi petulanti morem gesserit voluntati, corripere atque punire discat. In quibus actibus quanto amplius sese anima exercet, tanto magis & Deum intra se, & se inuenit in Deo. Quod nimirum in Canticorum volumine

Cant. 4. significatur, vbi amans anima dicit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Mons myrrhæ. Mons siquidem myrrhæ, quæ amara est, celsitudo est spiritûs subleuati, qui voluntatem siue affectum omnis propriæ oblectationis & fallacis dulcedinis in amaritudinem vertit erga omnia, quæ diuinæ non sunt consona voluntati. De-

Cant. 4. inde in spiritu Deus animam affatur: *Tota pulchra es amica mea, suauis & decora, & macula non est in te.* Quotquot autem suo animo obsequuntur, suisque affectibus indulgent, hi non vt amicum, sed potius vt aduersarium, inueniunt Deum in cunctis operibus suis: quòd fit, vt pereat quicquid boni moliuntur. Corporalium namque exercitatio operum parum admodum prodest, si voluntas vt

☞ affectiones siue motus spiritûs, prius mortificata non sint, edomitaque. Contra verò vel vnum cantâsse Psalmum, eum, qui propriam nôrit frangere voluntatem, multos dixisse Psalmos est: hoc est, minimum quod eiusmodi aliquis perficit opus, gratius acceptiusque est Deo, quàm vel maximum, ab homine pro-

II. priæ voluntatis peractum. Secundò inuenitur Deus in deserto, in rubo ardenti,

Exod. 3. Rubus. vbi olim à Mose repertus est. Significat enim rubus iste mentem huiusmodi siue spiritum, qui in abstracta quadam erga creaturas omnes, vt ita dicam, alienitate viret siue floret in celsitudine sempiternæ diuinitatis: & quomodo essentia diui-

diuina tres in ſe perſonas complectitur, ita & hic ſpiritus Deum intra ſe in tribus viribus ſuis complexatur ſiue comprehendit, haud ſecus quàm rubus flammam in viridibus ramis ſuis: id verò ex gratia agitur. Viror autem iſte ſpiritûs animam in lumine & cunctis diuinis virtutibus indies continuè ſine ceſſatione abſque fine creſcere facit, donec Deum contempletur in Sion Angelici fulgoris. Tantum ergo quiſque Deum inuenit, quantum in ſe diuinorum exercitiorum atque virtutum reperit, hodie quidem plus quàm heri. Sic autem quiſquis hic Deum inuenire appetit, huic ſenſus omnes beſtiales ſubſternendi atque minandi ſunt vnà cum Moſe ſub magiſterium rationis & luminis illius, quo ratio prædita eſt. *Caro enim & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Equidem ita — 1. Cor. 15.
perſuaſum habeo, dilectiſſimi, defectus ſeu vitia veſtra quotidiana omnia inde potiſſimum accidere, quòd celeres motus illos, qui extrinſecus cor pulſant, verbis vel operibus ſequimini, antequam lumen rationis accedat. Tertiò reperire — III.
Deum eſt in monte, in nebula, vbi honor diuini luminis, & mandata Dei exa- — Exod 19.
rata ſunt digito illius in tabulis lapideis. Quo monte ſpiritus excelſus ac ſubleuatus deſignatur, qui in nullis actibus ſuis vel delectari vel quieſcere poteſt, niſi in cunctis operibus ſuis, ad inſtar beati Apoſtoli Pauli, expreſſo diuinæ voluntatis ſigno informetur, ita vt animæ voluntas non ſolùm humanos ſecundùm ſeipſam humano modo actus perficiat, ſed etiam ſecundùm impreſſam ſiue inſculptam diuinæ voluntatis formam, diuina ratione eoſdem operetur, vti ſic ipſa ſua corpori ſanctificet opera, hoc eſt, vt quod corpus agit, ipſa, id eſt, anima faciat, rurſumq́; vt actus voluntatis diuinæ ſanctificent opera voluntatis animæ, quo iam ex ſententia cum Apoſtolo dicere poſſit: *Viuo autem iam non ego,* — Gal. 2.
viuit verò in me Chriſtus. Operor ego, iam non ego, ſed gratia & virtus Dei in me & mecum. Iſtud porrò in nebula fit, id eſt, in ſuperſplendente radio diuinæ lucis. Omne namque creaturarum omnium lumen, ſi ad diuinitatis diem comparetur, non niſi nox eſt. Deinde inuenitur Deus in ſpelunca cum Helia Prophe- — IV.
ta. In libris Regum de Helia ſcriptum reperimus, vt ille, cùm *in deſertum veniſ-* — 3. Reg. 19.
ſet, quò pergebat, petierit *animæ ſuæ vt moreretur.* Iam enim ſpiritu laſſus atque defatigatus erat, ob vitæ huius moleſtias & ærumnas. Cumq́; ſe proieciſſet, & obdormiret, accedens *Angelus* Domini, poſito ad caput eius ſubcineritio pane & vaſe *aquæ, tetigit eum,* dicens, vt ſurgeret & comederet, quod *grandis* illi adhuc reſteret via. *Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb*, vbi Deum inuenit. *Cumq́; veniſſet illuc, manſit in ſpelunca* Cui Dominus: *Egredere,* inquit, *& ſta in monte coram Domino Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, ſubuertens montes & conterens petras ante Dominum. Non in ſpiritu Dominus.* Rectè quidem. Fugit enim Deus ſpiritum illum, quem exagitant venti illi procelloſi, quos Daniel vidit pugnare *in mari magno* ſeculi huius, hoc eſt, in corde mun- — Dan. 7.
dano, qui ſunt indiſcretus ſeu inordinatus timor, ſpes, gaudium, dolor, quæ haud dubiè lumen ſpiritûs, quo inquirendus eſt Deus, obcęcant, obnubilantq́;. Quamquam & per ſpiritum hunc grandem & fortem accipi poſſit cor inquietum, quod in omnibus verbis & actibus ſuis amarum & turbulentum ſeſe exhibet — Spiritus
erga proximos ſuos, vt vel petras conterere poſſit, hoc eſt, vt homines pij bo- — grandis
næq́; voluntatis pacis internæ ſæpius hinc diſpendium accipiant, nec modicè — ac fortis.
perturbentur. Sed obſecro, dilectiſſimi, quantum poteſtis, amore Dei, feroci- — petras cõterere.

tatem huiusmodi ac impetus cohibete ac fugite: vosipsos obseruate, naturam vestram indomitam & immortificatam frangite, ne tam impetuosè instar ferarum indomitarum erumpat, quando id videre in homine ratione prædito satis horribile est, cui & tantum ex bonitate sua Deus præstitit luminis, & naturæ illius quandam ad bonitatem, amorem & mansuetudinem, propensionem inseuit, ita vt feras quoque edomare possit, si tantum inuigilare sibijpsi & rationis dictamini obtemperare velit. Interim, proh dolor, sæpenumerò instar leonum seu vrsorum ferocimus, quod profectò turpe nobis est in oculis Conditoris nostri, dum sic contra naturam & ingenium nostrum viuimus, tanquam minimè *super nos signatum sit lumen vultus* eius. Equidem pro certo vobis affirmo, charissimi, districtam nos iusto iudici Deo quandoque rationem reddituros de omnibus, quæ per huiusmodi impetus conquassamus conterimusque, siue hoc sit, quòd nosipsos destruimus, quod frequenter iracundis mentibus vsuuenire solet, siue quòd proximos perdimus, quippe qui non modò hinc perturbantur, sed scandalizantur etiam, & à multis præpediuntur bonis, quæ omnia in caput nostrum redundant. Sed dicimus plerunque dolere nos, & ab ipsa nobis natura id inditum esse, atque ita agere compelli. Sicq; fallaces quærimus caluasq; excusationes, & palpamus miseri nosipsos: quo fit, vt nunquam natura sibijpsi mori discere queat. Cæterùm, quòd certissimum est, si studium aliquod adhiberemus, si seriò diuinum precaremur auxilium, si humiliter resignaremus nosipsos, non præualerent vtique hæc vitia nobis, tantùm abest vt inuitos cogere & ad sui consensum impellere possent, tametsi nos ita dicamus. Deinde *post spiritum & commotionem ignis* venit: Sed neque *in igne Dominus*. Ignis eiusmodi res est, quæ nunquam dicat, *sufficit*. Itaque non absurdè nobis significare potest cor, cui nulla bona, nulla accepta dona Dei sufficiunt, sed semper insatiabili quodam ardore plura habere appetit, in quibus tamen nec tendit, nec purè quærit Deum, siue ea solatia sint, siue aliæ quælibet res temporales, vt frumenti viniqué vbertas, & spiritûs delectatio, in eisdemq; amorem suum voluptatemque constituit. Quæ omnia euidens signum sunt absentiæ Spiritus sancti. Significantur & illi, qui omnia accepta Dei munera nihili faciunt ac vilipendunt, tâquam nihil illis vnquam boni à Deo collatum sit, cogitantque intra se: Quam ob causam me creare voluit Dominus, cùm bonorum omnium tam expers sim, tamq; vacuus & inanis? nec attendunt, quòd ab innumeris ipsos casibus seu lapsibus præseruârit, à peccatis plurimis custodîerit, quæ haud dubiè incurrissent, nisi singulariter eos ille respexisset, atque à seculi abstraxisset vitijs & peccatis, vt totius Christianitatis efficerentur columnæ: quod & fierent, si eo, ad quem vocati sunt, statu dignè viuerent, ac vocationi suæ facerent satis. Hæc porrò ingratitudo ipsorum fontem exiccat pietatis diuinorum charismatum. Quamobrem & hortor & obsecro vos dilectissimi, per æternam charitatem Dei, vt non citò moueamini à sensu horum, quæ multo cum studio cordis mei (Deus nouit) vos edocere curaui. Et si quis cuiusuis generis spiritus aliud ab his docere vos voluerit, id haud secus accipite, quàm perditionem coram Deo salutis vestræ, sicuti Apostolus Galatiæ populis scribens, ait: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit*. Post hæc venit *sibilus auræ tenuis*, & in ipso aduenit Dominus. Per hunc sibilum accipere licet mentem, quæ cum æqualitate quadam suauis ac spiritualis

[Margin notes: Psalm. 4. — Ignis. — Prou. 30. — Euidens absentiæ Spiritus sancti signum. — Gal 1. — Sibilus auræ tenuis.]

talis conuersationis in sempiterno ac iuxta æternum Dei Verbum, etiam rationalia seu intellectualia format verba, per quæ spiritus desiderio æstuans, cũ Deo absque alto clamore vel cantu sonoro canticum amoris, absque tamen sono, consusurrat. In quo susurrio Deus venit. In hac namque spiritali confabulatione perpetuò, feliciter & clarè Deus animæ infertur. Qua nimirum felicitate indigni sunt, qui per externas quaslibet formas introreceptorum seu illatorum verborum hominum, vel etiam Angeli, vt Apostolus inquit, à sensu suo bono, quem ad Deum conceperant, deturbantur ac deijciuntur. Hanc nimirum felicitatem anima in Canticis exoptat, dum ait: *Surge Aquilo*, id est, creaturæ omnes in spiritum illatæ, quas introrecepisse, malorum omnium seminarium est, quando *ab Aquilone*, vt Ieremias inquit, *pandetur omne malum*: à cuius etiam facie idem Propheta *ollam succensam* vidit, in qua virentia cuncta spiritalia Dei dona contabescunt ac desiccantur. Tum verò spiritus sibijpsi intolerabilis fit, cùm iam non possit amplius interno Aquilonis odori inniti. Anima igitur in Deo quiescere cupiens, sequitur & dicit: *Veni Auster*, qui lenis & dulcis est ventus, *perfla hortum meum & fluent aromata illius*, hoc est, vt effluxiones seu actiones meæ diuinum spargant odorem.

Cant. 4. Ierem. 1. Ibidem. Cant. 4.

IV. Quartò reperitur Deus supra Angelos. Vltra omnes siquidem spiritus Angelicos animam eleuari ac sublimari oportet, tametsi ex natura ipsis inferior sit, si Deum inuenire debeat. Dehinc reperit ipsum in Patre. Vti namque Verbum æternum perenniter sese refert in Deum Patrem, ita & animam, si tamen Deum reperire velit, cuncta opera sua à semetipsa prorsus liberam & expeditam, in eundem referre oportet. Atque ita ad extremum inueniet ipsum, vti reperit eum præcelsus ille atque altiuolans contemplator Ioannes, cùm ait: *In principio erat Verbum.* Quærit igitur Andræas, quærit pariter & anima amoris facibus accensa, idq́ue ingenti cum desiderio, & dicit: *Rabbi, vbi habitas?* Respõdit Ioannes: *In principio erat Verbum.* Non enim reperitur DEVS in verbis, quæ non introducunt in ipsum principium. Penetranda itaque ac transcendenda sunt omnia, quæ infra Deum sunt, & quæ Deus non sunt, principiumq́ue, vnde emanauimus, seriò ac strenuè requirendum, cùm in illo solo nostra sit habitatio, & futurum felicitatis æternæ hospitium. Sed quærat forsitan aliquis, qua id ratione fieri debeat. Cui planè respondemus, fieri id oportere per velocem à creaturis auersionem, feruidamq; ad diuinæ contemplationem essentiæ, vnionemq́ue cum illa, conuersionem, quemadmodum ipse Dominus discipulis memoratis respondit, *Venite, & videte*: tanquam diceret: *Venite*, id est, auertimini ab illis omnibus, quibus inordinatè inhæretis & occupamini, à quiete vos interna sedulò præpedientibus. Nudos enim vos & expeditos esse oportet ab omni animaduersione, intellectu, sensualitate. *Et videte*, id est, adiungite vos ad cognoscendam puritatem & nuditatem Dei, quo spiritus vester purissimæ simplicissimæq́ue seu nudæ essentiæ illi applicari queat & accommodari. Ita enim necesse est, prorsus expeditam, nudamq́ue esse animam, quæ arcana secretorum illius debeat intelligere. Hac denique ratione amputanda & resecanda nobis omnia sunt, in quibus aliquid nostrum inuenitur. Sic enim & sacer ille Dionysius Timotheo scribit: Tu verò, inquit, Timothee charissime, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes & sensibilia, & intelligibilia omnia, & quæ non sunt, &

Ioan. 1. Qui anima debeat esse nuda.

quæ sunt, omnia: & velilli iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignotè pro viribus teipsum intende. Enimuerò abs teipso atque ab omnibus liberè & absolutè, ac purè excedendo, ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus, euolabis. Quod nobis omnibus præstet Deus, super omnia benedictus in secula. Amen.


IN FESTO D. BARBARAE VIRGINIS ET Martyris sanctissimæ.

Vt cum mundo satana, & propria carne pacem habeamus & per nuditatem seu denudationem ab omnibus creaturis sponsa effici Christi, Deumque perpetuò nobiscum habere possimus.

SERMO VNICVS.

Dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, & veni. CANT. II.

Cant. 2.



DILECTVS *meus*, inquit Sponsa, in Canticorum seu amoris volumine, *loquitur mihi: Surge, propera amica mea, & veni.* Quicunque, dilectissimi, singularis Dei amicus esse, scire etiam, vtrum anima sua singularis Dei sit sponsa, exoptat, illis, quæ sequuntur, si præditus sit, diligenter explorabit: quæ si habere se perspexerit, du-
I. bitare non debebit, quin anima sua prorsus electa sit sponsa Dei. Primum est, si tantam cum Deo pacem habet, vt nulla hanc creatura in suis interioribus queat perturbare. *In pace* enim, vt Propheta habet, *factus est locus eius.* (Psal. 75.) Adeoque singularem Dei sponsam ita perfectam esse decet, vt in omnibus animo semper resignato abnegatoque sit: qui abit, abeat: qui manet, maneat: vt diuina pax illius integra semper & inconcussa intus perseueret, omnibusque in Deo & propter Deum æquissima mente carere possit. Sed quærat fortasse aliquis, quibuscum pax illi habenda sit. Cum tribus videlicet aduersarijs. Quibus illis? Mundo, diabolo, carne propria. Cum mundo pax vti habenda est? Vt nihilipendat, quicquid illi mundus inferre possit, siue auferat ille, siue largiatur. Hoc vera perfectaque præstat patientia. Cum diabolo quo pacto tenenda pax est? Certè cum hoc vix vnquam pax haberi potest, quando perpetuò ille hominem impugnat, cunctis illius operibus, quicquid vel agat vel dimittat, semper aliquid admiscet, quod homini impedimento sit. Ignita huius aduersarij iacula, nulla re alia tam perfectè eliduntur ac superantur, quàm deuota ac interna oratione. Hæc enim exurit, profligat, & in fugam vertit hostem tartareum cum omnibus technis & insidijs illius. Vbi igitur senserit quispiam tela hostilia ignita aduolare, vt pacem suam spiritalem sibi eripiant, mox ad deuotam sese violenter conuertet orationem, floccipendens omnia diaboli impedimenta, certus quòd nihil hostem æquè affligat: sicque ab omnibus citius impedimentis expedietur. Ita enim de diuo Bartholomæo scriptum legimus, quòd cùm ille oraret, dæmon ex obsesso quodam homine vociferatus sit: Apostole Dei Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ, & catenis igneis constrictum me tenes. Cum

(Animæ quibuscũ pax habenda.)



(S. Bartholomæi preces quàm fuerint ignitæ.)

seipso

ſeipſo denique pax cuique habenda eſt. Id verò quomodo, inquis? Spiritui carnem ſubditam habebit in omnibus, vt tam illius potens ſit, tantaq́ illi authoritate in cunctis dominetur, vt nullum ſibi impedimentum præſtet in his, quę Deus ab ipſo requirit. Sic virgo ſacratiſſima & Martyr Christi Barbara, ſic & alij quidam Sancti, tam ſui corporis potentes erant, quòd etiam in vſum illi verterant, vt ad omnem ſpiritus iuſſionem alacriter proſiliret, promptiſſimumq́ue ſe exhiberet, tanquam diceret: Prius te adeſſe volo Huc verò, vt tam ſui quiſque corporis potens ſit, quatuor pertingitur. Primum eſt, vt ſubtrahat illi cibum, potum, ſomnum, & commoda quæque: & ſi inſoleſcere ipſum perſpexerit, chamo conſtringat immitium diſciplinarum. Secundum eſt, vt ſiti ſeu affectui ſeculi renuntiet, quo ad omnes res mundanas & curas ſeculares, ſinens, iuxta Chriſti inſtitutionem, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*, & ſequens ipſe Deum. Si porrò moriantur amici, ſi aduentant, ſi decedant, ſi honore ac diuitijs ſublimentur, & ex his vel dolore moueatur vel gaudio, nouerit ſe huc necdum pertigiſſe. Denique Sancti cuiuſdam ſententia eſt: Quo cum lætaris & mœres, cum illo & iudicabere. Si gaudes cum ſeculo, cum ſeculo iudicaberis. Et Apoſtolus: *Mundo*, inquit, *vos mortuos exiſtimate*. Pulchrè nimirum. Qui enim mortuus eſt, prorſus nihilifacit, vtrum laudes eum vel vituperes, auferas aliquid vel largiaris. Immò mortuus quiſque vel moriens, aurum omne, cunctos lapides pretioſos, omnem honorem & gaudium, vniuerſos amicos, cuncta denique ſeculi huius ſolatia, nec pili vnius pretio æſtimat: nec mercaretur, ſi poſſet etiam tam vili ea comparare. Faciat ergo inſtar Eremitæ illius, ad quem in deſerto commorantem germanus frater eius accedens, multo ſe in diſcrimine verſari aiebat, quod vehiculum pretioſis mercibus onuſtum in cœnum corruiſſet: ſimulq́ obnixè rogabat, vt exiens è cella, in ſubleuando vehiculo ſuppetias ſibi ferret: hæcq́ue dicens, flebat multum & eiulabat, perſiſtens in precibus. Cui Monachus: Cur, inquit, mihi hac in parte moleſtus es? quin potius ora fratrem tuum adhuc in ſeculo degentem, vt ille tibi opem ferat. Reſpondit ille: Is ante annum vita functus. Et Monachus: Et ego, ait, ante viginti annos mortuus ſum, atq́ ita cũ dimiſit, nihil deinde hac re animum ſuum occupans. Tertium eſt, vt mentem habeat in Deum ſubleuatam, perpetuò Dei præſentia fruens. Certè quiſquis creaturarum authorem habere appetit, is creaturis omnibus renuntiet oportet. Quod ſanè aliter ſeſe habere non poteſt. Quanto enim anima nudatior atque euacuatior eſt, quantoq́ minus creaturarum tenet, tanto plus Dei habet: quod fallere nõ poteſt. Impendio, inquit Auguſtinus, auarus eſt, cui non ſufficit Deus. Quid enim deſiderare poſſis, quod in illo non inuenias? Cogita quicquid excogitari poteſt, id millecuplum in ipſo reperies. Vis amorem? vis fidelitatem? vis veritatem? vis iugem præſentiam? Hæc in illo vltra omnes ſunt abſque modo. Appetis pulchritudinem? pulcherrimus eſt: opes deſideras? ditiſſimus eſt: potentiam quæris? potentiſſimus eſt: quicquid demum cor humanum appetere poteſt, millecuplum in ipſo inuenitur: inueniuntur, inquam, omnia in illo ſimpliciſſimo & optimo bono, quod Deus eſt. Cunctas igitur temporales expelle creaturas, omnia ipſarum ſolatia exclude ac reſpue. dicito: Procul à me recedite: non enim eſtis vos, quem quæro, quem volo, quem intendo, quem diligo. Siue honores, ſiue diuitiæ, ſiue gaudia, ſiue amicitiæ ſeſe offerant, vna omnibus voce reſponde: Abite, fugite, ceſſate, deſiſtite: nolo vos, immò & floccipendo. Quæ

[Marginalia: S. Barbara quàm fuerit corporis ſui potens. — 4. quædã notanda. — I. — II. — Matth. 8. — ☞ — Rom. 6. — Paradigma. — III.]

enim, dilectissimi, alia ratio est, cur tam alienus, & extraneus nobis Deus sit, eiusque gratissima præsentia toties occidat nobis, quàm quòd mens nostra necdum nuda & vacua est, sed creaturis dedita, occupata, depicta? Contemplatio verò, vt D. Bernardus inquit, est adhæsio mentis in Deo cum obliuione temporalium. Et D. Augustinus: Qui, ait, à terrenis cogitationibus liber est, quæ Dei sunt, liberè cogitare potest. Itemque: O bone IESV, inæstimabiliter affectat anima mea tuum amorem Rapiatur, oro, ad te, ad crucem, ad contemplandam humanitatis tuæ sanctissimam dulcedinem, vt vanitatibus seculi & tentationibus resistere valeam. Rapiatur & in cœlum, ad perscrutanda mysteria Sacramentorum Dei, vt in virtutibus spiritualibus proficiam. Rapiatur ad intuitum diuinæ maiestatis, vt in omni actione tuam dinoscam voluntatem: ibique capiatur & vinculis innodetur, vt siue ad primum, siue ad secundum interdum redeam, in reascensu moram non habeam: & terrena quidem videam, audiam, sed non sentiam: seculo penitus moriar, & tibi soli viuam. Planè charissimi, si à creaturarum imaginibus absoluti & vacui essemus, absque intermissione præsentia diuina gauderemus. Non enim vel in cælo, vel in terra continere se posset Deus, quin nostris illaberetur pectoribus: adeoque si iurâsset nolle se adesse nobis, mutanda illi essent verba sua, cogereturque venire in nos, & prorsus replere animas nostras, si tamen, vt dixi, vacuæ forent. Porrò quantisper creaturæ interiora nostra occupant ac depingunt, quantalibet agamus, Deo nos vacuos esse necesse est, ipsoque carere oportet. Quòd si paruam nostri portionem illi offerrimus, haud dubiè boni illius immensi, quod ipse est, partem immensam & ipse tollet à nobis. Legitur, olim speciosam quandam & candidam mulierem prolẽ edidisse instar Mauri nigerrimam. Quam calamitatem cùm eadem fœmina ad Albertum Magnum retulisset, scire cupiens tanti casus rationem aliquam, Albertus Magni Mauri imaginem reperit, quam mulier illa fuerat contemplata, dixitque illi, Inueni domina patrem filij tui. Simulque aperto id exemplo adstruere volens, gallinam nisi opposuit, ex cuius imaginis aspectu, omnes gallinæ pulli, nisi speciem induerunt. Quorsum hæc, ait fortè aliquis? Vt intelligatis, charissimi, imagines diuinas, partum quoque diuinum efficere: & imaginum creaturarum, creaturalem quoque, vt ita dicam, partum esse. Quartum est, vt sensus suos naturales ita subiectos atque edomitos habeat, vt eorum similiter nunquam non potens sit: ita videlicet, vt videat & non videat, nec vnquam oculos vel aures vlli patefaciat vanitati, os nũquam nisi vtilibus proferendis aperiat: manus, pedes, & cætera quæque membra, gestusque suos omnes, sub freno contineat, diligenterque custodiat, & in tuto semper conseruet, vt nihil vnquam incidat, nihil videant oculi, nihil aures audiant, nisi quod prosus diuinum sit. Moriar, inquit Augustinus, neque moriar. Ita planè & mori debemus, & non mori, naturamque ac sensus nostros etiam vi quadam deprimere & redigere in seruitutem.

[Marginalia: Contemplatio quid. — Quid Deũ à nobis impediat — Paradigma. — Miri quiddã. — IV.]

Certè si nostri potens fuerit Dominus, & nos ipsius potentes erimus. Quod nobis ipse præstare dignetur, qui est super omnia benedictus in secula.
Amen.

IN FE-

IN FESTO CONCEPTIONIS GLORIOſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ.

Vt proficientes, cuncta ſua vitia & defectus, occultaſque animi propenſiones obſeruare, mortificare, & ab eiſdem expediri: vtque imagines præteritarum conſuetudinum imaginibus vitæ Christi debeant profligari & expelli, & vti per hæc eò quiſque pertingat, vt comprehendere poßit cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum.

SERMO VNICVS.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis. ECCL. XXIV.



IAM ante in alia quadam Concione, ſi meminiſtis, de his ipſis, quæ modò thematis aſſumpſi loco, verbis dixi apud vos, dilectiſſimi, verbis vtique æternæ ſapientiæ, quæ de beatiſſima recitantur Domina noſtra, cuius dignitatem & honorem nulla ratione, nullis verbis quiſquam exprimere ſufficit, cùm tantæ ſit dignitatis, vt hæc ſenſus omnes longè tranſcendat. Dixi autem modos & actus incipienti homini neceſſarios, vt ad veritatis pertingat iter: dixi item, quæ ad proficientes pertineant: dixi poſtremò, quis perfectorum, quatenus in hac vita perfectio obtineri poteſt, finis & ſcopus ſit. Dixi, inquam, vt incipientes cuncta neceſſariò abradere oporteat. Quænam illa, inquis? Craſſos videlicet & ſordidos grauium vitiorum pilos, putà luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, iræ, mundanæ vanitatis cordis, ac vniuerſæ demum ſtolidæ in quibuslibet creatis rebus oblectationis. Et vt paucis multa perſtringam, id pro certo habendum eſt, quiſquis animo virili, imperterrito pectore, tota voluntate ita ſeſe ad Deum non conuertit, vt hunc in fundo ſuo pro ſcopo habens, eundem amare & intendere præ omnibus velit ſtatuatque: eum, ſi talis ex hac vita deceſſerit, nunquam ad Deum peruenturum, etiam ſi ea omnia ſolus agat opera bona & magna, quæ ſimul homines vniuerſi, quos præſens habet ſeculum, perficiunt: etiam ſi miro polleat intellectu, *ſi linguis* loquatur *Angelorum, ſi corpus* ſuum propter Deum ignibus tradat, *ſi* denique *omnes facultates ſuas* in cibos diſtribuat egenorum. Quod cùm ita ſit, quî, putamus, illi amorem & voluntatem ſuam ad Deum tranſtulerunt, qui ſponte corda ſua creaturarum oblectationibus dedunt, qui ſuas in creaturis expetunt voluptates, cùm tamen certi ſint occupare eas (id eſt, creaturas) locum, cuius habitatorem oportebat eſſe Deum, quem ipſi inde liberrima voluntate ſcientes excludunt: qui proinde, cùm corde & dilectione priuatus ſit, non magnopere curat ea, quæ ab ipſis fiunt, opera? Quorſum enim illi paleæ, vbi alius frumento potitur? Cæterùm groſſioribus his pilis in homine inchoante abraſis, idque ferreo quodam, acuto & indefeſſo ſtudio, de quo iam aliàs dixi, inſtar cultri raſorij exacuto, diligenter ad immenſam iuſtitiam Dei, quæ nec verbum vnum otioſum, nec quamlibet minimam oblectationem inulta ſinit abire, & ad occulta terribilia iudicia illius, cùm nemò ſciat, quid ſibi euenturum ſit, eò quòd neſciat *Vtrum amore vel odio dignus ſit*: abraſis igitur, inquam, peſſimis his vitijs in conuerſionis exordio, deinde pilorum reliquias vigilanter quiſque obſeruabit. Hæ ſunt autem malæ ac vitioſæ propenſiones, quæ ex

Quorum ſaluti bona opera parũ profutura.

1. Cor. 13.

Matt. 12.

Eccleſ. 9.

quæ ex

quæ ex praua eademqúe inolita consuetudine, suas in fundo radices miserunt, eiqúe fortius hærent. Hæ sese excusare moliuntur, & virtutum præ se ferunt speciem: sed mentiuntur, quando superbia adhuc in fundo latet, tametsi ea iam deuicta & explosa credatur. Inde est cultus vestimentorum & huiusmodi, & hic munditia dicitur: voluptas cibi & potus, cæterarumq; sensibilium rerum, qui necessitas vocatur: Zelus, indignatio, impetus, alios iudicandi libido, & hæc discretionis ac iustitiæ teguntur vocabulo: torpor denique & pigritia, quæ plerunque infirmitas censetur. Sanè, charissimi, si in aliquo horum aut his similium perseueraueritis, si in propria complacentia, proprio iudicio, proprio videre, & sublimibus intellectualibus modis & verbis floretis ac gloriamini: metuendum vobis est, ne, vbi mors aduenerit, tartarei spiritus irruentes, vnà se cum vos abducant, etiamsi omnia vobis tuta modò & salua credatis, quod illis præcipuè verendum est, quos occulta superbia in suis intellectualibus modis sub humilitatis specie tenet, quorum omnium subtus Luciferi caudam sedes propria est: qui quanto hîc suopte iudicio altiores sunt, tanto profundius cœno immerguntur. Quæso, dilectissimi, salutis vestræ curam habetote: nec enim ludicra seu futili de re agitur. Certè si in hypocausto immoderatius calefacto noctem & diem agere deberetis, res ea vobis, sat scio, videretur intolerabilis. Taceo, si in medijs flammis pluribus annis aut æternaliter iacendum foret. Itaque vosipsos intrò ad vometipsos recipite: (*Regnum enim Dei intra vos est*) studia vestra & occupationes discutite: vbi defeceritis, omni cum diligentia explorate ipsum fundum, & ex inolita consuetudine contractas intuemini propensiones malas. Enimuerò si vitium aliquod vno vel altero anno in homine cum illius consensu perseueret, tam altas ipsum in eo radices figit, vt deinde omni cum conatu vix ipsum extirpare & vincere queat. Vnde solicitè admodum cauendum est illis, qui in tenera adhuc ætate positi sunt, ne suas vitia radices certè pessimas in ipsis mittant, sed in ipso statim ea elidant semine: atque ita nullo negotio palmas referent vitiorum, quod postea non absque ingenti labore facturi essent. Potissimum verò quatuor in viribus quattuor diligentissimè obseruanda sunt, in quibus etiam præter opinionem ac insensibiliter noxij quidam & pessimi solent vt plurimum villi succrescere. Primum est, oblectatio exteriorum sensibilium rerum: & hæc vim occupat concupiscibilem. Sanè charissimi, quantopere quamqúe perniciosè hæc omnes penè homines à vero profectu impediat, verbis explere nemo sufficeret, homines, inquam, etiam bonos, qui cupiant fieri meliores: quos videas modò hæc, modò illa aggredi, semper inhærere sensibus: vnde nec proficiunt quicquam, sed purissimæ semper manent veritatis expertes, nec inseipsos perueniunt: interioraq; ipsorum perpetuò illis occlusa manent, tanquam res longius, immò remotissimè vel mille vltra milliaria positæ: sensibilia autem multa in interioribus ipsorum versantur: itaque in eodem semper luto hærent, nec vlla sumunt virtutis incrementa, & sic in vitia labuntur: adeoq; suijpsorum nullam habent notitiam, vt quonam in statu res suæ sint, penitus ignorent. Alia vis irascibilis est, qua plus satis homines abutuntur: quando illam foris sese exerere non oporteret, nisi in ea quæ Deo aduersa atque contraria sunt. Est verò in seipsa vis præclara admodum, sed in plerisque hominibus pili valde noxij in ea excrescũt, dum illi impetu quodam & vehementia falsaq; iustitia super res quasque feruntur: vnde fit, vt dum

Margin notes: Quæ vitia quibus virtutibus palliantur. — ☞ — ☞ — Lucę 17. — Quæ quatuor in viribus quatuor obseruãda. — I. — II.

dum alios, aliorumq; modos & opera indicare volunt, importunitate ac turbulentia sua, duraq; indignatione, toruisq; gestibus, & verbis asperis, pungentibus, mordacibusq; cum ingenti clamore prolatis, & seipsos & alios perturbent potius & lædant. Tertia vis rationalis est, in qua tertium malum seu incommodū versatur, quod perplures ab omni profectu non absque graui damno impedit, dum suę rationi innitūtur, in eaq; florent & gloriantur: atque ita per veritatem ratione apprehensam, viuam ac essentialem veritatem amittunt. Non enim ideò veritas habetur, quòd agnoscitur: in quo plerique fallunt semetipsos, putantes tunc se veritatem apprehendisse, quando ea se rationi illius vtcunque exhibet, cùm nimium adhuc ab ea remoti sint maneantqúe, pretiosissimi interim thesauri illius, qui est profunda seq; demittēs humilitas, expertes omninò, tametsi falsam quandam illius speciem & apud alios & semetipsos præ se ferant. Quartum malum seu damnum interior illa voluptas seu delectatio parit, quæ in spiritu capitur. Cui vitio perplures subiacent, qui specie boni falluntur, dum potius voluptas eos & delectatio trahit & inflectit, quàm amor Dei, ipsamq; oblectationem loco Dei accipiant: itaq; fit, vt quòd Deum esse, persuasum habent, propria ipsorum voluptas sit: quod vel inde constare satis potest, quòd voluptate seu delectatione recedente, omne pariter studium, omnisq; conatus intermittitur. Quocirca vobisipsis, quæso, attendite charissimi. Sæpè enim multa tanquam ex diuino videntur amore procedere, quibus tamen perplura sese admiscent, ita vt delectatio, sapor, sentire, frequenter etiam noua quædam commotio, seu animi propensio, vel inferni metus, aut beatitudinis, quam homines ex natura desiderant, appetitio, magis ad ea alliciant moueantq;, quàm putemus. Cæterùm quorum Deus intentio non est, eorum nec finis erit, nec præmium. Itaque omnia hæc, quæ nunc audistis, sagaci, immò & ferreo, vt sic dicam, studio abradenda sunt. Studium verò seu culter iste rasorius, ad districta iudicia Dei, & inflexibilem iustitiam illius, nihil impune abire sinentem, exacuenda sunt. Vbi verò exteriora hæc grossioraq; vitia resecata sunt, manent adhuc in fundo vitiosæ propensiones & imagines præteritæ consuetudinis: quæ per imagines seu exempla gratissima Domini nostri Iesu Christi, expellendæ sunt & extirpandæ, vt sic clauus clauo depellatur: eædemq; Saluatoris imagines tanta cum deuotione imo sunt pectori inserendæ ac imprimendæ, introrsumq; trahendæ, vt omnis dissimilitudo in nobis penitus aboleatur deleaturq; Si enim hanc virtutem radicibus, herbis ac lapidibus pretiosis contulit, vt multos etiam graues depellant morbos ac ægrotationes: quantam putamus viuo Dei filio virtutem in esse ad sanandam cunctas animi ægritudines, sacratissimis exemplis, acerbissima passione, amarissima morte sua? Cùm igitur nihil ex nobisipsis possimus, hæc vna omnibus cura esse debebit, vt sese quisque diligenter per modum orationis in veneranda exerceat passione Filij Dei: ita videlicet, vt intimè ac deuotissimè pedibus se prosternat æterni Patris, simulque roget & obsecret per dilectum Filium ipsius, & per quælibet passionis illius puncta, vt sibi opem ferat, quando sine ipso nihil possumus facere. Adeoqúe in consuetudinē vertēdum est, vt sanctissima Christi exempla & imagines nunquam à nostris abscedant cordibus, quo nullus relinquatur in eis alienis imaginibus locus. Deinde verò fundum & mēs ipsa ad altissimam gloriosamq; diuinitatem erigenda est, eaqúe cum ingenti ac humili timore desideranter cōtemplanda, simulqúe illi obscura ac desolata exponen-

III.

IV.

Quid, residibus vitijs resectis, agēdum.

Curandū omnibus quid.

Ioan. 14.

temque Dei omnipotentis & omnium in illo intuitionem. Hæc porrò stabili quadam & incommutabili, ac in Deum incommutabiliter immersa mente, prosequenda est, ita vt aduersis & prosperis atq; omnibus demum creaturis renunties, & animo sis per omnia resignato & immoto, pacemq; semper integram serues, vt vt eueniant omnia, cuncta Deo relinquens. Hæc nimirum ratione impletur, quod præclarum illud verbum, *Transite*, insinuat, quod est, vt trãseamus seu transcendamus omnia, & diuinis impleamur generationibus dulcissimæ ac sacratissimæ Virginis huius, cui omnes honorem debent præcipuum impendere, & quantalibet perfectione præditi sint, certum tamen tempus & otium, quo illi vacent, ipsam honorent, ipsi seruitium aliquod exhibeant, omnes eligere prorsus æquissimum est. Præstet nobis omnipotẽs Deus, vt sic eam sequamur omnes, vt eius mereamur generationibus adimpleri, ad laudem & gloriam Conditoris nostri. Amen.

IN FESTO D. STEPHANI PROTOmartyris.

De triplici gradu eorum qui sibijpsis hic & in natura & in spiritu mori discunt, per quod instar grani frumenti multos proferunt fructus: è quibus alij incipientes, alij proficientes, alij perfecti sunt.

SERMO VNICVS.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. IOAN. XII.

PEr hoc *frumenti granum*, dilectissimi, Dominus noster Iesus Christus accipitur, qui per mortem suam copiosissimos in hominibus vniuersis protulit fructus, si tamen non regnare duntaxat cum illo velint, sed etiam in vita moriente primum ipsum sequi appetant. Vita autem moriens hîc dici potest, cùm quis propter amorẽ Dei sensuum oblectationibus, naturæ voluptati, & voluntati propriæ sic renũtiat, vt his vti nôlit. Qui quot oblectamentis moritur, tot Deo mortes offert, totidemq; ab illo vicissim vitales recipit fructus. Quantum enim sibijpsi quisque moritur, & exit semetipsum, tantum in ipsum ingreditur Deus, qui ipsa vita est. Sciendũ est autẽ, quod morientiũ hominũ profectus triplici distinguitur gradu. Qui ad infimũ gradum pertigerũt, ob gehẽnæ metum & beatitudinis spẽ, quibus nonnihil diuini amoris admixtũ est, mortalia student euitare peccata. Cæterũ perquàm rarò diuinus in illis amor operari potest, nisi per inferni aut beatitudinis supernę cõsiderationẽ: quò sit ut hi ex cæco quodã priuato amore sibijpsis emori admodũ exhorreãt, nec vllo seipsos viriliter aggrediendi desiderio æstuent, quod natura facit immortificata, quæ mortem hanc expauescit, & modicæ fidei est, vnde & ipsa hæc delicata pusillanimitas & vana formido procedit, quæ suæ semper pelli metuit. Et quomodo seipsam natura vbiq; & in omnibus quærit, omnigenisq; carnis voluptatibus afficitur, vanitatibus & seculo delectatur, corporis afflictionem ex priuato amore subterfugere gaudet: sic & isti ob eundẽ priuatum amorem, quo sese prosequuntur, student vitare peccata, tum vt pœnas euadant inferni, tum vt præmium beatitudinis æternæ cõsequantur. Cumq; adhuc in diuino amore teneri sint, nihil hîc eis sapit, nihil afficit, nisi forsitan vbi aliquod ex ipso commodum priuatum sperant, puta vel inferni euasionem, vel

Vita moriẽs, quid.

Morientium hominum profectus triplex gradus.

I.

siquidem parte vitam æternã considerantes, hanc sibi perdere videntur. Ex alia verò parte adspicientes infernum, illum se metuunt incursuros, adeòq; quæcunque agunt exercitia, quascunque fundunt preces, hoc eos inferni metu soluere nequeunt, quandiu sibijpsis necdum mortui sunt. Quanto enim sese impensius amant, & seruare cupiunt, tanto in eis inferni metus amplius excrescit. Hinc porrò fit, vt dum pro voto suo verum à Deo timorem non consequuntur: querantur, lachrymentur, alta suspiria trahant, & gemant: & si qua minima eis occurrat aduersitas, putà vel ex vanitate, vel fabulis, aut his similibus, quæ parui etiam momenti sunt, vehementer exaggerant, & de grauibus suis afflictionibus, miserijs, calamitatibus loquuntur, tanquam grandis eis iniuria facta sit. Opera namque sua, licet minima sint, magni esse meriti arbitrantur, putantquè Deum honorem & bona multa sibi rependere obligatum. Sed dicere eis poterit Dominus, quod & dicere solet, posteaquam suo eos illustrauit lumine, pauperem ac fatuum quendam hominem baculum suum ligneum aut aliam quamcunque vilissimam rem, non minori in pretio habere, nec minus diligere, quàm virum sapientem & diuitem, gladium suum aut aliam quamlibet rem pretiosam. Huius generis quotquot sunt homines, in primo vitæ morientis gradu positi sunt: qui nisi plus sese mortificârint, vitæq; morientis intra se non maiorem habuerint curam, metuendum est, citò eos extra hunc gradum prolapsuros. Tum verò, quod Deus auertat ab omnibus, ad grandem poterunt stultitiam malitiamq; deuolui. Attamen priusquam corruant, magnam illis Deus infundit delectationem: qua percepta, ita exhilarantur, vt alacriter & exultantes, omnem pœnitentiæ asperitatem ferant. Tumque perfectionem sese putant adeptos. Hinc iam proximos quosq; suos iudicare incipiunt, cunctosq; suijpsorum instar regere ac instituere volunt: adeò de seipsis in fundo suo magnificè sentiunt. Cæterùm Deus omnipotens ad sui eos notitiam deducere volens, ex magna quadam misericordia quantis erroribus immersi sint, quantumq; à veritate deuiârint, eis ostendit. Itaque malignis spiritibus peccati eis dulcedinem instillare permittit: vnde fit, vt ad vitia quæque reddantur propensi, impugnati à singulis. Nec possunt ab his sese excutere. Tum verò fugere ea volunt, vt infernum euadant: sicq; extrinsecus opera quædam bona facere aggrediuntur, sed nō absque labore pergrandi: admodum enim molesta sunt eis externa opera, vt (verbi gratia) labor, & subtractio cibi potusq; & similium. Itaque durum quendam contra seipsos cruciatum sustinent, ignorantq; prorsus quò se debeant vertere, quòd iam à remotis errorem suum vtcunq; animaduertant. Hîc iam Deum illis ex sua misericordia manum porrigere auxiliatricem oportet, cuius & ipsi opem seriò flagitabunt, præcipuumq; ipsorum exercitium in vita erit & actibus, ac specialiter in passione Domini Saluatoris. Secundus gradus morientium, siue in quo granum frumenti moritur, is est, quòd dum sensibilis homini deuotio præstatur & gustus, dum gratia affluit, simulq; maior exigitur mortificatio, ac interim dum gratia & dulcedo sensibilis arridet, ad altiora totis adspirat viribus: vbi verò huiusmodi diuino destituitur præludio, cùm à vera perfectione longissimè absit, paupertatem hanc sustinere æquanimiter non potest. Itaque ex infirmitate quandam erga Deum diffidentiam incurrit, tanquam ille sui oblitus sit, & vt viam perfectionis possit apprehendere, suppetias sibi ferre nolit. Varias sæpenumerò secum cogitationes voluit, quid vel agere, vel quid

Cur quidam à malignis spiritibus impugnētur.

II.

dimit-

dimittere debeat. Cumquę illi nonnihil blanditur Deus, bene se res habet inter Deum & ipsum: adeoquę nunc sibi diues esse videtur, quasi nunquam possit ad inopiam redigi. Et licet adhuc minimè probatus sit, ita tamen Deo vult vti & frui, tanquam amicissimo ac singulari amico suo: gaudetquę & per acceptum ei est, voto suo satisfacere, solatioq́ sibi esse Deum in aduersis, cunctisquę se ditare virtutibus. Cæterum quando benignissimo Deo obscurum non est, quod facilè propriæ possit præsumptione inniti, atque ita cadere grauiter, necnon quòd tutiores melioresq́ fructus pereant, cùm adhuc perfectionem minimè adeptus sit, quò eum perducere vellet: rursus illi ad tempus quæcunque prius manifestârat, subtrahit, quòd plus satis per priuatum suî amorem in sapientia, in sanctitate, in virtutibus ad seipsum reflectatur: sicquę per paupertatem ad sui met displicentiam, humilemq́ insciciæ & indignitatis ac vilitatis suæ, quòd videlicet nihil sciat, nulla re dignus sit, cognitionem ipsum deducit. Tum verò maturius secum ipse expendit & animaduertit, quòd Deus benedictus summo iure manum sensibilis gratiæ retraxerit subtraxeritque. Videbatur enim dudum aliquid sibi esse, nunc porrò liquidò cognoscit, quàm nihil sit. Nomen suum & honorem tueri inter homines & diligere solebat haud secus, quàm vir vxorem suam: & si quis malè de eo locutus fuisset, hunc reipublicæ & communi bono detraxisse censebat. Ad laudes & sanctitatis opinionem, instar mustelæ ad cælestem rorem inhiantis, adspirare solitus erat, ita sibi persuasum habens, laudes hominum ex vera virtute, cordis puritate, diuina ordinatione seu dispositione procedere: adeoquę totus aberrârat, vt seipsum in seipso minimè cerneret, cùm totus vsquequaque vitiosus esset. Denique talem se esse credebat, qualis in hominum fuisset oculis & corde, nec aliud de se sentiebat. Hic verò notandum est, dilectissimi, tria aduertenda esse, sese ab huiusmodi grauibus erroribus ac immortificatione excutere, & ea superare volenti. Primum est, si multum laboris insumpserit, atque eò contenderit sedulò, vt omnem correptionem, oblocutionem, detractionem, opprobrium, pro virtute hilariter patiatur, sesequę humiliter resignet exeatque. Secundum est, quantum Deum & proximos suos in sui correptione, opprobrio, contristatione, aduersitate quacunque laudârit, honorârit, obsequium & amorem foris & intus impenderit. Tertium est, si homines vel creaturas, à quibus eiusmodi persecutiones sustinuit, hilari corde dilexerit, inuitus sit, fideliterq́ pro ipsis orârit. Quæ si deesse sibi perspexerit, aut ea facere recuset, magis verò asperum & amarum in suis se passionibus sentiat: certus sit & habeat indubitatum, falsam esse vitam suam, delectari se laudibus hominum, in spiritali superbia & immortificatione se viuere, ac necdum secundum mortificationis attigisse gradum. Nihilominus benignissimus Deus instar misericordis ac piæ matris, quæ plena amoris est erga filium suum, & experti medici, qui ægrotos quosque per fortes & efficaces medicinas perfectæ cupit sanitati restituere, crebiò huius modi cadere permittit, quo ad suijpsius agnitionem perducatur. Sicq́ fit, vt & spiritales & carnales incidat tentationes, quarum etiam ante nullam habuit notitiam, quando sibi totus sanus, spiritalis & bonus videbatur. Piusq́ & sapientissimus Deus omnem illi ex misericordia subtrahit intellectum: lumen omne, in quo dudum versabatur, obscurat: adeoque spinis eum sepit angustiæ, vt nihil aliud de se in animum suum inducat, quàm proiectum se esse à facie Dei. Itaque sæpius & multum queritur & vociferatur,

Cur sua quibusdā dona Deus subtrahat.

Quæ tria quæ in re animaduertenda. I. II. III.

Dei & piæ matris collatio.

ratur, & vbertim lachrymas fundens, dicit: *Deus meus, quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo*, querens & desperans? Denique cùm totum se foris & intus à supremo vertice vsque ad ima pedum, Deo dissimilimum ac rebellem sentiat, tantam suiipsius dedignationem, tædium ac nauseam concipit, vt iam sponte se ad toleranda quæque aduersa resignet, offeratq́. Iamq́ multa sæpe ex sacris desumpta Scripturis, de seipso luctuosa cogitat, multasq́ ob malitiæ suæ deprehensionem cognitionemq́ lachrymas fundit, simul ex animo fortiter se Deo substernens. Clamat ergo & dicit cum Manasse rege: Peccaui super numerum arenæ *maris, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ. Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi: quia excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci, statuens abominationes, & multiplicans offensiones*. Hæc, inquam, & his similia multa dicit. Quandoque verò lachrymis & querelis eiusmodi priuatur: atque tum grauius adhuc ingenti quadam solicitudine, metu, tentatione torquetur affligiturq́: dum ex vna parte vehemens quoddam seipsum humiliter deprimendi ac mortificandi desiderium, ex alia verò rigidam quandam superbiam & de se præsumptionem sentit. Atque inde adeò in semetipsum exasperatur, vt nisi in iniuriam id cederet omnipotentis Dei, facilè semetipsum enecaret. Equidem ita sentio, certamen huiuscemodi multas & spiritûs & naturæ vires absumere: ipsumq́ adeò in eo viget, vt si ad gloriam cederet Dei, mortem subire quàm ipsum perpeti mallet. Hac nihilo minus gratia se præditum sentit, vt in cunctis vel prosperis vel aduersis, quæ vnquam illi euenire possint, sciens & prudens Deum offendere nolit. Interdum gratiam recuperat lachrymarum: & tunc clamat ad Dominum, & ait: *Exurge, quare obdormis Domine?* Admonetq́ eum, cur fontem occluserit misericordiæ suæ. Inuitat etiam commonetq́ Angelos omnes, cunctosq́ Spiritus beatos, vt suî misereantur. Rogat cælum, cur tam sibi æneum factum sit: & terram, qua ex causa tam sibi ferrea sit. Duros quoque precatur lapides, vt sibi compassionis impendant affectum. Diciq́: Nunquid mons ille maledictus *Gelboë* effectus sum, cui maledixit Dauid, ne aut *ros*, aut *pluuia* veniret *super* eum? Et qui fieri potest, vt sola malitia mea inuincibilem vincat Deum, vt viscera contineat misericordiæ suæ, *cui* tamen *proprium est misereri semper & parcere?* Hac itaque ratione exercitia & opera Dei, in secundo vitæ morientis gradu, tam diu per ignem & aquam circumaguntur, donec propriæ præsumptionis sensio, ex omnibus occultis angulis mentis exturbetur elimineturq́: ita vt deinceps erubescat talis, & vilipendat semetipsum, adeò vt nunquam deinde grande aliquid de se præsumere possit, vtpote qui omnem suam, & in qua fuit semper, & est etiamnum, planè cognoscit infirmitatem: sed quicquid boni agit, aut agere possit, siue quicquid de ipso boni queat dici, nihil horum sibi asscribit, nec habet aliud quod de se dicat, præterquam quòd omnibus plenus vitijs & defectibus sit. Atque hic gradus iste optimè habet: & quisquis in eo positus est, non procul abest à porta copiosæ & excellentis gratiæ, vt ad cubiculum sponsi Christi admittatur, à quo etiam vbi mortis accesserit hora, iucundè hilariterq́ excipietur. Sanè mori durum est. Nouimus omnes, vt arbusculæ radices non altas mittant, vnde nec diu queunt subsistere: quæ corda significant humilia, quæ & ipsa non altas mittunt radices in terra, sed in cælo. Arbores verò celsæ ac grandes, quæ diu durare debeant super terram, & altè & latè diffundunt in humo radices suas. Sic & illos, qui celebris opinionis fuêre quan-

Psal. 41.
In fine secundi Paralip.
Psal. 43.
2. Reg. 1.

quandoque, & sunt adhuc in mundo, per varia certamina & mortes numerosas in seipsis mori oportet, quo vniuersa mentis eorum conteratur præsumptio, atque ita diu & ipsi fortiterqúe in humilitate persistere queant. Quanquam & interim Spiritus Sanctus faciliores, quàm memoratæ sint, ad manũ habeat vias,
III. per quas eiusmodi ad se trahat. Tertius demum gradus, in quo frumenti granũ moritur, perfectorum duntaxat est, qui studio indefesso, conatu peruigili, perpetuo desiderio ad perfectionem adspirant, eiqúe magis ac magis propinquare appetunt. Horum status tristibus & lætis permixtus est, quibus ipsi sedulò aguntur. Sanctus enim Spiritus duplicis eos tristitiæ, duplicisqúe gaudij contempla-
I. tione perpetua ad perfectionem impellit, agit, præparatqúe. Primus dolor seu tristitia est, interna afflictio, & ineffabilis cordis cruciatus ex perceptione seu sensione ineloquibilium iniuriarum, quæ sanctissimæ Trinitati ab omnibus irrogantur creaturis, maximè verò à prauis Christianis in mortalibus pecca-
II. tis constitutis. Secundus dolor in compassione consistit & cooperatione erga mœstitudines omnes & passiones, quas Christi humana natura ex hoc ipso ob-
I. iecto in terris agens pertulit. Primum verò gaudium est, manifesta contemplatio, & plenè compos fruitio, ad quæ à Spiritu sancto subleuantur in Christum, quo illo frui queant, & gaudere atque lætari in cunctis gaudijs, quæ se sperant &
II. credunt post huius vitæ curricula perfectè contemplaturos. Secunda lætitia est, in illis perfici gaudijs, quibus Christi humana natura fruitur, quibus & se tanquam membra illius sperant fruituros. Et si diuinam nequeant abyssum comprehendere, in hoc similiter exultant. Cernunt enim Deum sua misericordia ineffabiliter captum suum excedere, simulq; animaduertunt bonum sibi id esse quòd vincuntur, quòd illius capere potentiam non sufficiunt: atque ita subtus illum sese ad suijpsorum mortificationem demittunt. Ad hunc statũ homo pertingere non potest, nisi voluntatem suam vniat cum Deo, idq; cum omnimoda resignatione, perfectaq; abnegatione suijpsius, omnisq; priuatus & ad seipsum reflexus amor, cuncta propriæ voluntatis complacentia per sancti Spiritûs infusionem diuino amore vincatur, deseratur, suffocetur, ita vt ipse Spiritus sanctus suam per ipsum voluntatem & amorem perficiat: ipse verò nihil ex se siue sit, siue velit: adeoq; & ipsum cęleste regnũ purè propter Deum Deiq; petat honorem, quandoquidem illud Christus ad ipsius necessitatem meruit, daturus idipsum ei tanquam vni ex filijs suis. In hoc gradu diligit homo omnia recto ordine: Deum quidem super omnia, deinde dignissimam Christi humanitatem, postea venerandam illius Genitricem, dehinc omnes Sanctorũ Ordines, quenque iuxta gradum suum, secundùm inspirationem Dei. Quæ dum ipsi illuxêre, nouissimo sese loco in sponsi nuptijs collocat. Dumqúe sponsus aduenit, qui ipsum inuitârat: *Amice*, inquit, *ascende superius*. Tum porrò nouo quodam illustratur lumine, in quo omnem perspicuè agnoscit infirmitatem & impotentiam suam: videtqúe liquidò, sese solum malitiæ suæ causam esse, nec potest eam, salua veritate, vel mundo vel carni vel diabolo imputare: quin potius intelligit Deum hos sibi tentatores & exercitatores ex amore præcipuo adhibuisse, vt fortiter vincendo, abundantiorem Deo honorem, sibi coronam præcellentiorem mereretur. Cognoscit etiam & videt solum Deum sua se benignitate seruare, efficereqúe, vt non delectent se amplius vitia sua: peccandiq; occasiones sibi auferre, ne vitijs succumbat. Iamq;, quod multo peius est, sæpenumerò se doluisse

Ordo diligendi rectus quis.

Lucæ 14

fate-

fatetur, quòd in malitia sua copiosiorem non potuerit habere voluptatem. Sic igitur tota vita illius in dolore cōtritionis & mœrore versatur. Adhuc enim infinita sua infirmitate circundatus est. Gaudium verò & animi quandam recreationem id illi præstat, quòd euidentius cernit bonitatem diuinam pro sua necessitate tam erga se immensam esse, ita vt vita illius ob gaudia memorata doloresq; vita moriens rectè meritoq; dicatur, conformis atque consimilis vitæ Domini Saluatoris, quæ ab initio vsque ad finem, doloribus semper & gaudijs permixta fuit: Dolore quidem, quòd ex throno cęlesti in hunc descenderet mundū: Gaudio verò, quòd à paterna gloria & honore minimè diuisus esset. Dolore, quòd post susceptam humanitatem mortalis foret, & in cruce moreretur: Gaudio, quòd deinde secundùm eãdem humanam naturã immortalis esset. Dolore, quòd à diabolo tentaretur: Gaudio, quòd Angeli accedentes, ei ministrarent. Dolore, quòd crebrò famem & sitim etiam multam pateretur: Gaudio, quòd ipse Angelorum esset & hominum cibus. Dolore, quòd sæpius ex labore fatigaretur: Gaudio, quòd omnium amantium cordium, cunctorumq; spirituum beatorum ipse quies foret. Dolore, quòd in tam multis periret sacratissima vita & passio sua: Gaudio, quòd per eam saluaret amicos suos. Dolore, quòd ad crucem clauis affigeretur: Gaudio, quòd latroni promitteret Paradisum. Dolore, quòd in cruce sitiret: Gaudio, quòd per hoc electos suos ab æterna siti liberaret. Dolore, cùm diceret, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Gaudio, quòd per hoc (Matt. 27) solaturus esset omnes mœrore correptos. Dolore, cùm anima ab corpore suo discederet, & moreretur, sepelireturq;: Gaudio, cùm tertia die resurgeret à mortuis cum corpore glorioso. Sic igitur tota vita illius, à præsepi vsq; ad crucē, mœrore & gaudio inseparabiliter permixta fuit. Hancq; vitam suam cunctis imitatoribus suis, sese vitæ morienti tradentibus, veri testamenti loco dereliquit, vt per hanc sui reminiscantur & ambulent quomodo & ipse ambulauit. Quod nobis omnibus idem ipse præstare dignetur, in secula benedictus. Amen.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTAE.

Vti omnia, quæ donat atque permittit Deus euenire illis, qui ipsum purè intendunt in omnibus, de illius sola manu tanquam optima accipienda sint. Vtq; Deus libens ingentia præstet dona, si nos teneamus in imis in profunda humilitate. Et vt demum omnia merissimum nihil sint extra Deum.

SERMO VNICVS.

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. IOAN. VLT. (Author D. Eccardus Senior.)

TAMETSI, dilectissimi, Deus *personarum acceptor* non sit, nec odiat *quicquam eorum quæ fecit*, amicos tamen suos, qui gratiam ipsius studiosius obseruant, totisq; ad eum viribus sese conuertunt, specialius amat. Quòd verò omnes sponte ac libera voluntate idipsum agere nolunt, ea in Deum culpa conferenda non est, cùm sit ipse paratissimus semper suscipere nos, *&* *solem* gratiæ suæ *oriri* faciat *super bonos & malos*. Itaque D. Ioannes Euangelista gratiam illius à puero singulari quodam studio obseruauit: fuitq; charissimus Saluatori discipulus, ob vir- (Cur Ioannes Christo præcipuè dilectus.)

ob virgineam puritatem, perfectum amorem, sublimem contemplationem, cæterasque virtutes omnes. Et nos quoque si dilecti omnipotentis Dei discipuli fieri peroptamus, huius nobis Apostoli vestigia tenenda sunt: principio quidem in perfecta mortificatione & resignatione nostriipsorum vniuersæque proprietatis: ac deinde, vt suscipiamus omnia de manu Dei, cum abnegatione nostriipsorum, omnisque amoris & delectationis creaturarum extra Deum. Sanè quicunque ita se Deo resignant, & pati velle duntaxat omni studio quærunt, quicquid his donatur à Deo, id & est reuera, & ipsis quoque optimum esse videtur. Enimuerò & hoc pro certissimo habendum est, non posse id non esse optimum, nec aliam quire rationem siue modum esse meliorem, ac tametsi fortasse melior esse videatur, non tamen perinde is illis bonus foret: quandoquidem hunc potius modum, non aliquem alium, vult Deus: atque ita non potest hic non esse illis optimus: siue is aduersa valetudo sit, siue inopia, siue fames, siue sitis, siue aliud quodcunque. Ex quibus omnibus, quod Deus homini euenire permittit, id illi optimum est. Etiam deuotione & attentione si sis destitutus, modò tuæ id negligentiæ vitio factum non sit, & quicquid demum siue habeas, siue non habeas, in omnibus honorem & gloriam Dei purè quærere, ac pro scopo habere adnitaris: sicque fiet, vt quicquid ille tibi fecerit, id optimum sit. Sed dicas fortasse: Vnde scire licebit, si id velit Deus, aut non velit? Inde videlicet, Quia nisi diuinæ id esset voluntatis, nec fieret quidem. Non enim vel malè habes, vel quælibet pateris aduersa, quin ita velit Deus. Cùm hæc igitur scias, tantam in illis voluptatem caperes & delectationem, vt nullum cruciatum, nullam pœnam, vel cruciatum vel pœnam arbitrareris. Nam si pœna maximè intensa sit, si pœnam vel dolorem sentias, necdum rectè habes. Debebas enim eam tanquam optimum quid suscipere de manu Dei, quando nec potest etiam nō esse optimum. Ea namque Dei natura est, vt optima velit. Ideoque & ipse ea velle debeo, nec quicquam æquè mihi placere debet, vt illa. Si quis esset in hominibus, cui toto studio placere percuperem, huic si pro comperto haberem, plus me in veste grisea quàm alia quacunque, quamlibet pretiosa, placiturum: dubium non est, quin præ cæteris quibuscunque, licet præstantissimis, eadem vestis grisea gratissima mihi iucundissimaque foret. Hinc ergo probate, obsecro, vosipsos, qualis sit ad Deum dilectio vestra. Planè si verè Deum diligeretis, nihil vobis optatius, nihil iucundius esse quiret, quàm quod illi placeret quàm maximè, & in quo potissimum perficeretur in vobis voluntas ipsius. Itaque quamlibet grauis videatur dolor, aut molestia, quam patimini, si non tantundem in eis voluptatis habetis, quantum in requie & plena delectatione, nondum rectè vobiscum agitur. Equidem soleo frequenter dicere quiddam, quod & verissimum est. Quotidie in oratione Dominica clamamus: *Fiat voluntas tua.* Quæ si fiat, irascimur, indignamur, nec contenti sumus voluntate ipsius, cùm tamen quicquid ille faceret, id nobis deberet esse gratissimum. Qui verò tanquam optima suscipiunt, quæ ille facit, in omnibus plena pace gaudent. Sed nonnunquam dicere soletis: Ah, si secus euenisset, præstaret id sane: aut si ita non accidisset, melius forsitan fuisset. Cæterùm quandiu ita persuasum habetis, veram vtique pacem consequi nō poteritis. Vt enim dixi, quæcunque eueniant, tanquam optima de manu Domini suscipienda sunt. Quæso parumper aduertite. Omnia dona largitur Deus, & quæcunque optima & summa sunt, ea propriè, immò proprijssimè, dona sunt. Nihil verò

Qui sciri possit, velit Deus aliquid, an non.

Experimentum nostri erga Deum amoris.

Math. 6. & 26.

Dona propriè quæ sint.

verò tam libenter dat Deus, vt magnifica & ingentia dona. Ea siquidem natura illius est, vt grandia largiatur. Vnde etiam fit, vt quò quæq; meliora sunt, eò sint & numerosiora. Præclarissimæ creaturæ, quæ sunt Angeli, prorsus intellectuales sunt, nec quicquam habent in se corporeum, eorumq; maximus est numerus. Vincunt enim multitudine & numero omnes corporeas creaturas. Itaq; quę magna sunt, ea propriè dona vocantur, mihiq; maximè propria & maximè interna sunt. Dixi etiã quandoq;, quicquid propriè appellari seu verbis exprimi potest, id ex interioribus foras procedere, & moueri habere à forma sua: non quidem ab extra intro in cor, sed deintus foras venire: idqúe propriè viuit in intimo animæ, vbi omnia homini præsentia sunt, semper viuunt, feruntur & sunt optimo & excellentissimo modo. Sed dicat fortè aliquis: Cur istud non sentio? Nimirum quòd domi nõ sis. Quãto quæq; nobiliora, tãto & communiora sunt. Sentire cõmune habeo cum brutis animãtibus, viuere cum arboribus: esse, quod magis inest mihi, cũ omnibus creaturis. Cęlum, cùm magis sit, quam omnia quę infra ipsum sunt, nobilius quoq; illis omnibus est. Quanto enim quæq; nobiliora sunt, tanto & plura, & cõmuniora quoq; sunt. Sic amor res valde pręclara est, quod cõmunis sit. Verũ difficile videtur, quod præcepit Dominus, vt diligamus proximos sicuti nosipsos. Certè vulgares homines dicũt, vt ad illũ ipsos amem' Deũ, ad quẽ diligimus nosmetipsos. Sed secus sese res habet. Tantũ nobis amãdi sunt, quantum nosipsos amamus. Nec id sanè difficile est. Si enim bene aduertamus, præceptũ hoc, præmium verius quàm iussio est. Iussio quidem difficilis videtur, sed merces gratissima est. Sanè quisquis Deũ diligit, vt is amandus est illi, immò vt ipsum, velit nõlit, amare debet, vtqúe creata eum omnia amant, hic & proximũ diligat oportet, sicut semetipsum, de illius prosperis gaudeat æquè vt de suis, illius honorem perinde vt suum appetat, nec secus faciat extraneis quàm suis. Quod qui facit, semper in gaudio, semper in honore, semper fructuosè & vtiliter, & quasi in regno cælorum viuit: atq; ita crebriori perfunditur gaudio, quã si de suis duntaxat bonis lætaretur. Porrò cui suus honor, quã alterius, charior est iucundiorq;, is profectò non rectè habet. Et qui aliquid suum quærit, cũ non purè quærat Deum, Deum nunquam inuenire poterit, quandiu talis perseuerãrit. Quærit enim aliquid cum Deo: & facit haud secus, quàm si candelã conficiat ex Deo, qua quæratur aliquid. Candela verò, vbi res quæsita reperta est, abijci solet. Sic & iste quicquid quærit cum Deo, nihil est, qualecunque etiã sit illud, siue comodum, siue præmium, siue deuotio, siue quiduis aliud. Cùm autem nihil sit quod quærit, nihil etiam haud dubiè inuenit. Quòd enim nihil reperit, nulla alia ratio est, quàm quòd nihil quęrat. Siquidem creaturæ omnes non nisi merissimum nihil sunt. Non aio quidem paruas aut saltem aliquid, sed merissimum esse nihil. Nam quod esse nullum habet, nec est quidem. Cæterùm creaturæ omnes esse nullum habent, quando esse ipsorum ex diuina pendet præsentia, ita vt si Deus ad momentum ab illis sese auferret, redigerentur in nihilum omnes. Atq; si quis totum caperet mundum cũ Deo, non plus ille haberet, quàm si solũ haberet Deum: & creaturæ omnes non plus haberent absque Deo, quàm qui culicem, immò minus quàm culicem, habeat. Eia nunc, dilectissimi, arrectis (quæso) auribus, quod verissimè dicturus sum, accipite: Si quis mille talenta in eos præberet vsus, vt templa extruerentur ac eremitoria, grandem is profectò rem faceret: ille tamen plus multo largiretur, qui totidem talenta pro nihilo

Proximi quantum & quomodo diligendi.

Suum aliquid quærentes, Deum nõ inueniunt.

 ducere

ducere sciret. Cùm creaturas omnes omnipotens creator condidisset, tam illæ viles, tam angustæ erant, vt se in illis mouere non posset. Itaq; animam fecit ad imaginem & similitudinem suam, quò seipsum illi daret, certus quòd quicquid præter se dedisset, id ipsa floccifaceret. Ita planè, charissimi, tam se Deus mei quodammodo iuris faciat oportet, quàm sui est: aut nihil ipse accipio, nihil etiam sapit mihi. Quisquis autem totũ vult Deum suscipere, is & se totũ præbeat, seséq; exierit oportet. Et is accipit à Deo totum quod habet, idq; tam proprium, quàm illius est, simulq; & Virginem beatam, & quotquot cæli incolę sunt. Quotquot enim tam perfectè sese reliquerunt, & dedêre semetipsos, illi & percipient æqualiter omnia in omnibus, nec minus profectò. Sciendum est autem, nihil nos habere à nobismetipsis: sed hæc & quæq; alia dona desursum veniunt. Iam quisquis desursum accipere aliquid concupiscit, per veram humilitatem subtus sit oportet. Adeóq; id certo certius habeatis, si aliqua sui parte exorbitet, vt non totus subtus sit, nihil eum penitus percepturum. Iam si aliqua ex parte vel sese, vel rem quampiã, vel aliquẽ respiciat, subtus nõ est, itaq; nec percipit quicquã. Si verò totus subtus sit, perfectè & suscipit. Hæc est enim natura Dei, vt largiatur nobis, si tamen humiles simus. Si humiles non sumus, atq; per consequens nihil accipimus, vim illi facimus, & quod in nobis est, occidimus eum, siquidem in eum id non possumus, in nos tamen id agimus, quantum in nobis est. Si cuncta illi daremus, id nobis curandum esset, vt per veram nos deprimeremus humilitatem, idq; non subter Deum tantùm, sed & sub omnes creaturas: Deum q̃ extolleremus in cordibus nostris & in cognitione nostra. *Misit enim Deus Filium suum in mundum. Misit*, inquam, *Filium suum* in plenitudine temporis animę, vbi illa omne transegit tempus. Cùm enim anima temporis & loci expers est, mittit Deus omnipotens, & gignit in ea Filium suum Nec quicquam impedit Deum in nobis, nec nos in illo, nisi quòd mente loco & tempori inhæremus, nec erigimus nos vltra locum & tempus in æternitatem, quæ Deus ipse est, super omnia benedictus in secula. Amen.

Animæ quã Deo sint charæ.

Dei naturam esse, largiri.

Gal. 4.

IN FESTO S. AGNETIS VIRGINIS.

De puritate corporis, & spiritûs castitate: & specialiter, vti castitas spiritûs ab amore & amicitia hominum, maximè diuersi sexûs, custodienda sit: Vt nemo, quanlibet spiritalis, quandiu in hac vita positus est, satis se mortificatum censere debeat: Et de laqueis tribus, qui spiritalibus tenduntur.

SERMO VNICVS.

Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. I. CORINTH. VII.



DVo sunt, dilectissimi, quæ ad Virgines spectant, vt sint castæ corpore & spiritu. Ad corporis castitatem pertinet, carnem habere incontaminatam, temperantiam seruare in vsu eorũ omniũ, quę corpori sustentando necessaria sunt, cibi videlicet & potûs, somni & vigiliæ: verbis parcum & modestum esse, moribus pudicum, à vana societate remotum, in exteriori conuersatione humilem ac simplicem, in honesto, congruo ac pio labore & pœnitentiæ actibus strenuum studiosumqúe, atque alijs demum huius generis præditum virtutibus

Quæ duo ad Virgines spectent.

tatibus, quæ omnes ad externam faciunt non mediocriter castitatem: sine quibus quisquis seruare se posse confidit carnis integritatem, fallitur desipitque. Quæ enim aperta sunt, manifestis æquè vincere oportet, aut certè carnis spurcities spiritûs violabit puritatem. Patet autem, quàm non possit non malè cedere, si caro carne dometur. Cæterùm his omissis, paulisper de spiritûs castitate loquamur, vt hæc & perdi & seruari queat: quæ meo quidem iudicio vtilissima fuerint, ac proinde veris spiritalibus diligenter ruminanda & tradenda memoriæ. Castitas itaque spiritûs, in munda ac pura conscientia, cum humilitate coniuncta consistit. Humilis porrò conscientia, purus sensus & mundum cor est. Sensus purus obtinetur sacrarum exercitatione Scripturarum, quæ pias subministrant meditationes, quibus cor occupatum, tanto facilius atque celerius vanas & noxias cogitationes depellit. Et est id pro certo habendum, dilectissimi, à grauibus eum luxuriæ tentationibus, & periculis seruari, qui animum suum studio ac meditationi tradat Scripturarum: quod ea D. Hieronymi sententia confirmat, qua ait: Ama scientiam Scripturarum, & vitia carnis non amabis. Mundum verò cor adipiscimur, si omnes creaturarum, maximè hominum, affectus ex corde profligemus. Facilè nanque etiam bonus quisque in corde suo inordinato hominum amore debilitatur ac perturbatur, ita vt sæpenumerò, quem vno contraxit momento, vix multo possit tempore ex corde suo amorem extirpare, eijcereq́. Vnde nisi eas, quæ carnem foueant, occasiones deuitet, fieri non potest, quin tale aliquod damnum patiatur, cuius eum postea pœniteat. Ex hac nanque parte homo maximè infirmus est ob naturæ fragilitatem, quæ tam altè in inordinato hoc affectu radices fixit, vt satis superqúe multum homini toto vitæ suæ tempore negotij datum sit, quanquam id plerisque minimè videatur, qui grandem præ se ferunt audaciam & libertatem, tanquam omnia iam certamina superârint. Atqui si vel millies victor euadas, si vel mille reportes triumphos, nec sic tamen securum te esse & quasi præsumere consilij est. Nam quousque caro & anima cohærent, nulli in terris addicta securitas est: sæpiusq́ vno accidit momento, quod centum non fieret annis. Et fit non rarò, vt multi etiam boni & mundi cordis homines ita seducantur & abducantur, vt ipsimet vix sciant, quo pacto id acciderit: non quòd eiusmodi exterioribus actibus polluantur, seu quòd apertam incidant fornicationem, (quanquam & id soleat fieri nonnunquam) sed quòd prægrauentur illis, quos contrahunt, prauis affectibus periculosæ admodum temporalis carnalisq́ dilectionis, quæ omnem illis obscurat rationem & intellectum, præteritamq́ deuotionem: vnde infernalem quandam tristitiam incidunt, acerbamq́ conscientię remorsionem: ita vt animo deiecto ad portas inferni & perennium tenebrarum gradiantur, instar eorum, qui iam iamq́ morti tradendi sunt, qui præ nimio timore & horrore mortis, omni quasi ratione & intellectu destruuntur. Fit autem hoc, quòd se negligenter custodiêrunt: quandoque verò etiam ex permissione Dei, vt in vera sese humilitate fundent, magnam suam fragilitatem inspicere discant, & cæteris quibusque in cunctis eorum infirmitatibus compatiantur. Potissimumqúe id illis accidit, qui interiorem rationalem seu intellectualem hominem suum vincere & mortificare etiam cum dolore & labore adnituntur, & ad nudam peroptant spiritûs paupertatem pertingere. Quibus & præ cunctis oppidò quàm necessarium fuerit occasiones cauere diuersi sexûs hominum: subuersor

Carnem carne domari, male cedere.

Cor mundum qui adipiscatur.

Cõmercia diuersi sexus.

enim, qui non dormit, vbicunque aliquam nancisci occasionem possit, non cessat exercere nequitiam suam. Cùm igitur in hoc isti sedulò se exerceant, vt interiorem hominem suum ad omnimodam redigant nuditatem, atq; in vera simplicitate incedunt proficiantq;, simul etiam omne internum student grauamen vincere, quo in omnibus Deo absque contradictione subditi sint, vt ubi & quando illi placuerit, ne per suam proprietatem in suis illi operibus resistant, sed illius potius absque electione voluntas proficiatur. Hinc verò tantam cordis acquirunt simplicitatem, & pacem tantam intus ac foris, etiam in ipsa natura, vt penè in sentiendo sine sensibus nullam sentiant rebellionem: nullum etiam neque intus neque foris naturalem pudorem habeant, nullum conscientiæ pondus siue grauamen, sed ita iam habeant, (vt sic per comparationem loquar) tanquam ad pristinam innocentiam & infantiam rationis expertem redierint, ac velut infantes effecti sint, quos nimirum constat facere omnia, quæ natura exigat, absque pudore. Quomodo verò si infans in huiusmodi innocentia excresceret, proficeretque, atque naturæ eam verteret in consuetudinem, deinde autem nulla ei solicitudo, cura nulla, suiq; custodia nulla adesset, quibus inordinati motus edomarentur, facilè eò deduceretur, vt quandam voluptatis delectationem ac titillationem magis ac magis sentire inciperet, quanto videlicet maiori foret præditus intellectu, plusq; delectationis perciperet: tanto verò peccatum esset grauius, quanto & intellectus & delectatio maior foret: Ita prorsus & huiuscemodi puris spiritalibus hominibus quamlibet secundum prædictam innocentiam infantibus seu pueris, accidere potest: vt quamuis multo iam tempore vitam duxerint abstractam, externum internumq; hominem suum in his superâsse & edomuisse videantur, ita vt nunquam vel tenuissimè siue in somno, siue in vigilia moueantur: & licet occasio vel obiectum adesset, nullam in eis possent delectationem constituere, sed cunctis huiusmodi tentationibus & accidentibus liberrimè resistere quirent: immò si videatur eis, non magis se moueri aut delectari in talibus, siue videant, siue audiant, siue loquantur inde, quàm defunctos & mortuos, si tamen id possibile foret. Nam si sic se res haberet, viderentur profectò naturam prorsus mortificâsse. Verùm nec sic quidem confidere seu præsumere deberent, cuiuscunque sexûs essent, siue mares, siue fœminæ, qualibet vel audacia præditi forent. Si enim plus satis occasiones velint hominum admittere, immò si occasiones omnes fugere nôlint, quamlibet sanctissimi, perfectissimi, atque in his maximè mortificati sint, accidere, inquam, illis potest, immò non potest non accidere, quin corda ipsorum sensuum voluptatibus vulnerentur, & moueri, affici, tentari incipiant, amoremq; familiarem maiorem vni impendere quàm alteri. Quod qui fiat, charissimi, vt hodieq; tales incurrantur laquei, aduertere vos velim. Primò amorem concipimus ad homines, ob gratiam, ob probitatem, ob spiritalem vitam ipsorum, quæ omnia quandam intus cordi adferunt voluptatem seu delectationem. Et videtur quidem hoc rectè & spiritaliter adhuc fieri, & vberes interim gratiæ tum Deo, tum illis, quos amamus, referuntur à nobis. Verùm si principio non obsistatur, si affectum hunc fugiendo non repellamus, clam sese nostris insinuat cordibus, vt hisce, quos amamus, bonis, deuotisq; hominibus, aliquam forinsecus amabilitatem, & amicam benignitatem exhibeamus, gestus placidos, verba & signa amabilia, vlumq; suauem præferamus, alloquamur familiariter, arrido-

Quibus quàm cauenda.

Occasiones cauendæ.

Principijs obstandũ.

arrideamus, inclinemus nos ad ipsos, vestes contrectemus, manu apprehendamus, amplexemur brachijs, oblectemus mutuò, caput capiti iungamus, & id genus faciamus alia multa, quæ omnia naturalis seu carnalis amoris indicia sunt, & cor amore inordinato vulneratum significant. Qui si nec tunc adhuc vitetur, grauiora multo profundioraq; cordi infligit vulnera, ita vt spiritualis delectatio in sensualem transeat voluptatem: adeoque hoc diabolico carnalium affectuum miser homo laqueo irretiatur; vt sine graui iactura & periculo, quod ad peccatum cordis attinet, ægrè possit euadere. Immò fieri potest, vt tantisper in eiusmodi perfrueret voluptate, donec assensum præbeat, quod esset mortale peccatum: quod tamen aduerteret minimè: sicquè in grauia absq; renisu suo peccata spiritualia corruere posset. Videtis ergo, dilectissimi, vt homo bonus, si occasiones fugere nôlit, ad omnia quæat peccata dilabi. Enimuerò si vel supremum atque perfectissimum virtutis gradum fermè attingat, si occasiones vitare recuset, in maximo versabitur carnalium periculo peccatorum, multo etiam amplius quàm vnquàm ante: nec tam illi quandoque fugere necessarium fuit, vt modò: cùm nemo ab his tentationibus securus sit, quòd non in peccata & grauia salutis suæ pericula cadat, quamlibet alioqui bonus, quamlibet sanctus sit, nisi vigilantem admodum sui curam habeat, quamdiu spirare potest. Vt enim Doctores tradunt, tres spiritalibus hominibus laquei tensi sunt, quibus in hæc peccata carnis pertrahantur. Primus est, sanctitas hominum. Secundus, quòd consanguinei & sanguine iuncti sint, purà quòd sorores & fratres sint, aut eiusmodi. Tertius, propriæ sanctitati, ac diuturnæ virtutum exercitationi inniti atque confidere, ideoq; occasiones fugere nôlle. Quanquam eadem hæc sensualis amicitia nonnunquam etiam inter illos fit, qui nulla sibi sunt consanguinitate propinqui, siue fœminæ illi sint, siue mares, dum inordinatè in inuicem singularem quendam naturalem amorem concipiunt, ex quo fit, vt mutuò se oblectare ac recreare incipiant, & quærere alter ex altero, de vitæ suæ statu ac ratione, & vti habeat, rectène an secus. Quæ tandem, fieri non potest, quin pessimè cadant, & malum sortiantur exitum, cordisquè adducant grauamina, curas, vexationes. Dum verò diuersi sexûs homines talem inter se amicitiam colunt, nulla id recta & sana conscientia ferre potest: itaque multa hinc oriuntur mala, & grandis ignominia comparatur: purà suspiciones malæ, scandala, internæ spiritualis pacis perturbatio. Vnde quibuscunque ex officio incumbit necessariò cum hominibus alterius sexûs loqui, debent id quòd possunt paucissimis agere, & festinatò subtrahere sese: quod tum suæ, tum subditorum suorum conscientiæ expediet & vtile fuerit. Denique quisquis & ab hoc casu, & alijs, quæ illic incidere possent, peccatis tutus & immunis esse peroptat, is, quemadmodum Bonauentura inquit, ita aperto sedeat & loquatur loco, vt velit etiam videri ab omnibus, quid agat cum illa cui colloquitur: quandoquidem nihil inhonesti, nihil inordinati sibi cum illa commercij sit, non magis quam cum alia quauis creatura. Deinde nulli singulari creaturæ cordis sui affectum & amorem, vnde malè accendatur, adhibeat. Nulli postremò immodicam forinsecus exhibeat familiaritatem, maximè qui non eiusdem sexûs sint, purà vel familiariter, vel etiam spiritaliter illis adhærendo, sed quandam præ se ferat grauitatem, dum adest eiusmodi, atque celeriter se expediat ab eis, verbis quàm parcissimè vtens. Denique si per occasiones, vti prædixi, etiam bonus quisque ad incontinentię vi-

Qui tres laquei spiritalibus tensi.

Quomodo cum diuersi sexûs hominibus loquendũ.


tium prolabi potest: quidnam, obsecro, de illis fiet, aut quam illi libidine pleni sunt, siue in cogitationibus, siue in voluntate, siue in opere, qui non student ex animo omnes occasiones deuitare, qui omni superfluitati, oblectamento, mollitiei, teneritati, petulantiæ, atque alijs demum occasionibus cunctis, quæ manifesta peccata sunt, mori recusant? Si, inquam, hominem bonum hæc turpitudo impugnat, quantum putamus negligentes, lasciuos, somno ac pigritiæ deditos, ad spiritalia quæque plumbeos & inuoluntarios, lautos denique, in his stercoribus computrescere ac volutari? Sed hoc soli DEO perspectum est satis, qui, vt Propheta ait, *probat renes & scrutatur corda.* Idemq; misereatur nostri, atque ab his
Ierem. 11. & 17. periculosis impudicitiæ seruet laqueis, vt in conspectu suo casti & mũdi inueniamur, in anima & in corpore, ac puram habentes conscientiam ab vniuersis cogitationibus vanis & prauis desiderijs, in nulla creatura quiescentes, prętérquàm in ipso solo, & ipsum demum super omnia feruentissimè diligentes, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

IN FESTO PVRIFICATIONIS GLORIOSISSIMÆ semper Virginis Mariæ.

Vt nosipsos nocte ac die per exercitia sancta, orando videlicet, meditando, contemplando, laudando Deum, & gratias agendo instar beatissimæ Virginis Mariæ DEO offerre debeamus.

SERMO VNICVS.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. MALACH. III.



HODIE, dilectissimi, solennem Ecclesia memoriam agit obedientiæ illius Domini Saluatoris, qua ille se, cũ temporis ipse Dominus & Legis conditor esset, & tẽpori & Legi subdere dignatus est, Patriq; cælesti pro nobis in templo obtulit semetipsum: non quo ipse per hoc, vti alij recens nati infantuli, sanctificari opus haberet, cum omnia sacra tempora, cuncti dies festi, loca & templa vniuersa, suam ab ipso sortiantur sanctitatem. Sicuti nec beatissimæ Matri suæ, instar reliquarum mulierum, purificatio necessaria erat: quando ea ab omni fuit præseruata peccato, Filiumq; DEI per sancti Spiritûs operationem concepit & peperit, Virgo manens perpetua, omni ornata puritate. Cuius nimirum tanta etiam supra omnium Angelorum munditiam puritas fuit, vt sub Deo maior intelligi non possit. Nihilo minus tamen & ipsa duræ se legi submisit, charissimumque Filium suum Deo Patri per manus sacerdotis, atque seipsam simul vnà cum eodem dulcissimo pignore suo hostiam viuam ad laudem Dei pro cunctorum obtulit salute mortalium. Ex quibus docemur, charissimi, semper nos per veram humilitatem deprimere, tanquam qui ex nobisipsis nil nisi mala plurima habeamus atque possimus: in intimoq; animæ nostræ templo & nosipsos, & voluntatem propriam, & quicquid deniq; sumus & habemus, Deo Patri cum integra resignatione vnà cum Filio in perpetuam suæ laudis hostiam offerre. Quicquid enim habere Pater potest, id omne dat Filio: adeoq; amabilis est Filius, vt nihil dili-

Mariam legi se subdidisse, quid nos doceat.

diligat Pater nisi Filium, & quos inuenit Filio vnitos, quos in eodem diligit. Debet igitur anima semetipsam cum vniuersis viribus suis referre in Deum, & offerre se Patri in Filio, vt diligatur à Patre in Filio: idq; iuxta perfectissimum sacratissimæ Virginis Mariæ Dei Genitricis exemplum. Cuius vti sanctissimam imitari vitam debeamus, præsens explicabit Concio: quandoquidem eadem hæc beatissima Virgo omnis fuit gratiæ & virtutum plena, speculumq; & exemplar totius sanctitatis. Quamdiu enim in hac vita degeret, tam perfecto cum amore in Deum in intimum animæ suæ templum se recepit atque introuersa fuit, vt extra Deum nullam penitus diligeret creaturam. Nec vlla vnquam cordi eius imago illapsa fuit, quæ in amorem illius erga Deum aliquid adferret medij. Sed integro ac indifecto Deum prosequebatur amore, & in Deo creata omnia diligebat. Recipiebatq; se cum vniuersis viribus suis in interius fundum suum, in quo diuina latet imago, atq; ibi in intimo animæ suæ morabatur templo, trahens atque minans in ipsum cunctas vires suas, & adorans illic vnicum Dominum Deum suum in spiritu & veritate. Cognoscebat autem & fatebatur dignè se Deum laudare non posse. Itaque petebat atque poscebat, vt ille intra se laudaret & magnificaret semetipsum. Fundum & interiora illius prorsus deiformia erant, ita vt si quis cor illius fuisset intuitus, vidisset illic Deum in omni claritate sua, vidisset itidem processionem Filij & Spiritus sancti essentialiter. Nec enim vel breuissimo temporis puncto vnquam cor illius extra Deum sese extrouertit. De hinc aliqua de diuinissimæ Virginis huius exercitijs dicenda sunt: quanquam ea tam diuina, superessentialia, præcelsa, incomprehensibilia fuerint, vt non hominum modò, verùm etiam Angelorum omnium intellectum excedant. Sed de simplicioribus illius exercitijs dicturus sum, quæ fuère eiusmodi: Medijs semper noctibus surgebat, perq; deuotissimas orationes, ipsum quoque cælum penetrantes, & ad cor vsque Dei Patris pertingentes, cor suum erigebat in Deum, stans ita in oratione extensa, donec illucesceret. O quàm ille felix est, cui suas impertitur preces, cuiq; apud dilectissimum Filium suum materno singulariq; amore præstat patrocinium. Agnoscebat etiam, quantum præ cæteris creaturis omnibus diligeretur à Deo, quantisq; ab eo ditata esset muneribus. Itaque noctis intempestæ silentio surgens, humiliter procidens ad genua, gratias agebat omnipotenti Deo pro largissimis effluxibus eius, qui totam eam permanârant. Deinde, & se & omnia sua in oratione sua offerebat Deo, & in pijssimas illius manus commendabat, orans, vt gratissimam ille secum & cum omnibus suis ageret & perficeret voluntatem. Tertiò, pro vniuersis precabatur Ecclesiæ membris, vt ad Dei gloriam singula quæq; in ea, quæ eis optima ac saluberrima forent, dirigerentur: rogabat item pro peccatoribus omnibus, vt vera illis daretur conuersio ad salutem ipsorum: hinc sese per orationem ad miseras vertebat animas in purgatorio detentas, quas ex amore singulari, quo eas prosequebatur, ex pœnis eripere suis precibus adnitebatur. Quartò loquebatur cum Deo, vt solet Filius cum patre, aut amicus ad amicum: in ipsoq; colloquio sæpenumerò interiores illius oculi aperiebantur, vt absque medio in omni illius claritate & amabilitate diuinam specularetur essentiam: contràque loquebatur illi Deus, vt electissimæ & amantissimæ sponsæ suæ. Quintò, in precibus suis inter hæc viua quadam laude ex diuino ac florido actoq; à Deo prodeunte fundo, Deum benedicere ac magnificare incipiebat: quæ profectò laus tam

Exercitia S. Mariæ qualia.

I.

II.

III.

IV.

V.

pura, tamque suauis erat, vt iucundior ac delectabilior esset Deo, quàm ea, quæ
Iob 38 celebrant ipsum *astra matutina & filij Dei*, cùm cælum terramque plasmaret.
VI. Sextò, inter orandum in proprium se demittebat nihil suum: confitebaturque &
agnoscebat, altissimum Deum nec adorare, nec laudare pro illius se posse dignitate itaque precabatur obnoxiè, vt ipse se laudaret in se: simulque omnes vires suas in intimum demittebat multa cum humilitate fundum suum, ex quo solo Deus æternus gratissimam & laudem suscipit & preces. Neque verò ignorandum est charissimi, quòd cum oraret, mentem suam ab rebus externis omnibus, à cunctis formis & imaginibus abstrahebat, sicque toto manebat animo collecta. Deinde quantus, quamque sublimis & excelsus foret Dominus, quicum loqui valebat, contraque quàm ipsa suo iudicio inutilis ex seipsa creatura esset, meditabatur. Inde iam ad pedes collapsa immensæ dignitatis Dei, profunda cum humilitate, serioque & ardenti amore ac desiderio, veraque cordis in abyssalem bonitatem Dei resignatione precabatur, vt se non sua, sed pro ipsius exaudiret gratissima voluntate. In hac porrò oratione, à noctis medio vsque dum aurora prodiret, persistebat. Indè verò ad Primam vsque sanctis vacabat meditationibus, idque excellentissimo, præ creaturis omnibus, quæ vnquam fuerant, modo. Primum autem,

Meditationes S. Mariæ.

I. magnitudinem meditabatur & omnipotentiam altissimi Dei, quam etiam supra Angelos omnes liquidò perspectam habebat: simulque per humilitatem profundam, in suam sese demittebat paruitatem.
II. Secundò, abyssalem meditabatur & incomprehensibilem iustitiam & sapientiam Dei, quàm illæ cunctis sint inuestigabiles & occultæ mortalibus.
III. Tertiò, immensam cogitabat in perenni amore illius bonitatem Dei, vt videlicet illa largissimus totius boni omniumque charismatum fons sit.
IV. Quartò, superabundantem mente versabat dulcedinem Dei, ex qua tantam capiebat suauitatem, vt nisi à sancto Spiritu obumbrata fuisset, diuinum cor illius præ amoris dulcedine diruptum crepuisset.
V. Quintò, lachrymantibus oculis Filij sui ruminabat humilitatem, quàm scilicet præcelsa illa diuinitas se deiecerat, despectis gradiendo intineribus, idque tãta cum humilitate, vt amplius se demittere non posset.
VI. Sextò, eiusdem mente reuoluebat Filij sui passionem, quamque vehemens, immanis & multiplex illa fuisset.

Multipliciter Mariam Filij sui passionem reuoluisse.

1. Idque primò intima cum animi compassione faciebat. Ista nanque meditatio instar gladij virgineum secabat cor & animam illius: vnde multo verius, quàm vlli vnquam Martyri, palma illi martyrij cessit.
II. Secundò, viua cum imitatione. Cùm enim cogitaret vt Filius ille suus semper contemptui, semper passionibus fuisset expositus, omnem vitam suam ad afflictiones & sui depressionem ordinabat: quibus & adeò se totam offerebat, vt nunquã vel abbreuiari vel minui peteret afflictiones suas. Vnde semper in afflictionibus posita fuit, easque ad nouissimum vsque punctum tam voluntaria cum subiectione pertulit, vt parata esset etiam æternaliter in passionibus permanere, si id diuinæ fuisset placitum voluntati.
III. Tertiò demum ita Filij sui meditabatur passionem, vt attenderet, vti hanc ille plenissima cum patiẽtia, absque vllo murmure, ex ingenti ac ardentissimo desiderio & erga nos amore, cum gaudio denique spiritus sui pertulisset. Atque ita & ipsa, quicquid ei patiendum occurrerat, flagranti cum desiderio, æstuanti dilectione & gaudio perferebat.

Quid hora prima egerit.

Vbi Primæ tempus aduenisset, ad templum se recipiens, oculis depressis ad aliquem se conferebat angulum, perseuerans illic vsque ad meridiem, vbi mẽte ad æternitatem extensa, mandata Dei diuinosque meditabatur sermones. Ibi tum

anima

anima illius ad diuinam supra omnem intellectum transferebatur contemplationem, quæ in mẽte illius per vires omnes declarabatur. Memoria illius in simplicem erat erecta lucem, supraq; sensuales omnes incidentias in spiritûs vnitate stabilita. Intellectus quadam perfundebatur claritate, in qua facilè virtutes omnes, modos, exercitia & abdita Scripturarum distinctè didicit, agnouit, intellexit. Voluntas deuotissimo flagrabat æstu quieti amoris, per quem supra creata omnia rapiebatur. In hac autem mentis eleuatione supra modos, supraq; distinctionem, posita erat: atque hîc diuinum in silentio capiebat susurrium: spiritusq; illius supra omnem propriæ actionis virtutem, superessentiali perfundebatur fonte. Quiescebat hîc præterea supra omnia in Deo, vbi & semetipsam per immensi complexum amoris, in vastissima perdidit caligine diuinitatis: Deoquê sine medio vniebatur, vnus cum illo effecta spiritus, idq; vltra creata charismata, dona, lumina, in simplici quadam luce perpetuò sese ac sine cessatione in intimo fundi illius, in suprema spiritus nobilitate renouante: in qua etiam futuram experiebatur beatitudinem: diligebatq; Deum perenni increato amore, vbi iam creata omnia dona, virtutes, opera, exercitia, & quicquid demum creatum erat, foris subsistere oportebat. Diuina nanque trãsformabatur hîc claritate supra imagines omnes, vltra omnem rationem & intellectum. Conspiciebatquê ineffabili ac diuina cum exultatione & voluptate luminaria æterna & imagines, vti illa in æternitate conspiciuntur. De quo id sciendum est, si vel cuncta mundi gaudia & oblectamenta voluptatesq; in vnum conflarentur, non tamen nisi merissimam fore amaritudinem vel minimo diuino comparata gaudio, quod vnquam Virgo beata Dei Genitrix perceperit. D Ad hæc decore, quodam hæc ipsa Virgo dignissima supra mortales omnes prædita fuit, hoc videlicet, quòd quantumcunque sublimiter in contemplationis luce in Deum raperetur erigereturque, non minus tamen cætera quæq; adspiciebat, nec minus illa obseruabat, sed æquè hominẽ suum exteriorem in sanctis moribus & gestibus absque interioris hominis impedimento nouerat continere ac moderari. Vires nãque eius supremæ, absque medio in suam sese verterant originem, vnitæ eidem: infimæ verò supremis, instar Adam in originali persistentis iustitia innocentiaquê perfectè obtemperabãt. Qui nimirum hinc illi accessit decor, quòd culpæ originalis perpetuò expers fuit: à qua præseruârat illam Filius eius, ita vt ne momento quidẽ temporis vel iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut nos alij omnes) subiecta dominio fuerit. Præuenit hoc enim Sapientia æterna, nolens electissimum templum suum aliqua labe adspergi. Vnde etiam in intima diuinitatis contemplatione & raptu posita, æquè cultum diuinũ extrinsecus multo studio, ingenti cum deuotione & profunda sui cordis humilitate auscultabat: qui non modò nullam ei ingerebat molestiam, nullumq; tædium, sed præ omnibus quæ hęc vita habet, hic illi optatissimus & maximè voluptati erat. Deinde vbi circa meridiem domum redisset, sæpius ab Angelo pręparatum capiebat cibum. Absoluto verò prandio, nisi dies festus ageretur, manibus suis benedictis operabatur ad tempus vsque vesperarum, & singula quæque opera, quanlibet etiam minuta, singulari intentione ad honorem faciebat omnipotentis Dei. Sin autem dies festus esset, vbi laudes Domino exoluerat, ad audiendum pergebat verbum Dei: quod quanlibet simplicibus depromeretur verbis, quanlibet ipsa quoque melius id perfectiusquê caperet, summa tamẽ cum deuotione percipiebat, impri-

Quanto decore Maria prædita.

Quid meridie, quid post meridiem ageret.

Quid sub vesperis & completorio.

Cur Maria nullū passa somnium.

mens illud seriò virgineo cordi suo, summo cum desiderio tam minima quàm maxima quæq; perficiendi. Cæterùm si non fieret verbum Dei, aut loquebatur ipsa, aut loquentes alios auscultabat de Deo vitaq; diuina, aut certè sacrarum vacabat lectioni Scripturarum vsque ad Vesperas: atque hinc ad Completorium vsque Psalmos decantabat, & insistebat precibus. Pòstea noctis sese intendentibus tenebris, ad sanctas vertebatur meditationes, mente reuoluens perfectissimā dilecti Filij ac Domini sui vitā, & suauissimas institutiones: vnde cor illius sensibili æternitatis replebatur dulcedine. Dehinc flexis genib' gratias agere incipiebat Deo, quòd eā illo die alijs q; diebus omnibus tā propitius respexisset. Quo facto, dignissima Virgo ingenti cum gratitudine ac mansuetudine quieti se dabat, Angelorum turmis sacratissimum cingentibus cubile, vt nulli ad eam maligno spiritui pateret accessus. Itaque nullum vnquam vanum phantasma vel somniū passa fuit, nec vlla ei incidit imago, nisi quam ex diuina suscepisset irradiatione. Semper enim beatissima Trinitas ipsam vndique protegebat. Nec aliquando quietem Virgo præclarissima capiebat, quin prius summo cum desiderio somnum suum ad honorem referret ac ordinaret omnipotentis Dei: sicq; eidem vnita, caput suum benedictū ad pectus reclinabat Patris cælestis, suauiter obdormiens & quiescens. Cumque iterum noctis medium aduenisset, rursum diem totum, vti iam dictum est, in omni sanctitate & virtute transegit. Hæc iam partim de huius beatissimæ Virginis vita dixisse sufficiat, quam nos instar speculi nobis ob oculos proponere ac imitari debemus, vt, quomodo ipsa, fidelem Domino exhibeamus famulatum, in interioriquè animæ nostræ templo totos nos illi pro viribus offeramus. Qua in re plurimum nobis contulerit, Deum sine cessatione inuocare, vt suam nobis diuinam gratiam impertiatur & opem, similiterque amantissimam Matrem illius, atque huic diebus singulis singulare quoddā seruitium & honorem impendere. sic enim & ipsa vicissim nobis fideliter inseruiet in miserijs & necessitatibus nostris, & præcipuè in mortis angustijs. Est nanque misericordiæ mater, & nullum peccatorem opem illius flagitantem spernere potest. Vnde Bernardus ait: Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui inuocatam eam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi: sed in hac potius nobisipsis. Laudamus viginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Foues, nec deseris miserum, quousque tremendo iudici eum noueris reconciliatum. Denique vt nos Virginem hanc beatissimam prolemque eius ita veneremur ac imitemur, quamdiu in hac mortali vita positi sumus, vt in futurum partem cum ipsis habere mereamur: id nobis præstet omnipotens Deus in secula benedictus. Amen.


IN FESTO S. AGATHAE.

De proprietatibus octo veræ virginis, quibus eam præditam esse oportet, vt Deo placeat.

SERMO VNICVS.

Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi.

HAEC


AEC verba, dilectissimi, sub cuiuslibet sponsæ spiritalis Christi, quæ se totam eius seruitio mancipauit, cum voluntate illi perpetuò perseuerandi, persona, sancta canit Ecclesia. Itaque aduertere vos velim, quibus huiusmodi sponsa & virgo proprietatibus debeat esse prædita, si Deo velit esse grata, vt ipse eam suscipiat, & tandem eò perducat, vbi sponset eam sibi in sempiternum, vbi tam tenaci anima ipsius illi vnione copuletur, vt nunquam in æternum vel ipsa ab eo, vel ille ab ipsa queat separari. Prima proprietas est, non placere virginem Deo, nisi regnum mundi & omnem seculi spernat ornatum, hoc est, vt studiosè deuitet superbiam, vanam gloriam, extrinsecus placere hominibus siue in corpore, siue per cultum vestium, siue per quaslibet alias res caducas & temporales. Hæc enim omnia prorsus illi deserenda sunt, idq; non corporaliter modò, verùm etiam spiritaliter, mundum videlicet spiritalem cum omni illius ornatu despiciendo fugiendoq;, qui consistit in superbia, vana gloria, ficta intrinsecus sanctitate, verbis spiritalibus ex corde mundano prolatis, vana cordis de spiritalibus donis atque virtutibus exultatione, propria de sua bonitate complacentia: quæ profectò tam varijs atque multiplicibus modis Christi virginibus sese ingerunt, vt non facile dictu sit, quantopere munda eiusmodi corda diabolus fallere atque subuertere conetur. Secunda proprietas est, vt sese diligenter custodiat, ne quos mores irreligiosos admittat, ne conuersatio illius minus spiritalis sit, ne quos foris vel intus ritus siue modos noxios seruet, ne mente tumida sit, néve superbos coram hominibus gestus præ se ferat, ne vlla se ratione iactet, aut magnificè de se sentiat, quòd prudens & sapiens sit, ne se defendere aut excusare vel vlcisci velle meditetur, si despici vel deprimi contingat, quin potius modestis atque lenibus verbis & gestibus vtens, omni cum humilitate totam se emendationi exponat, agnoscens & confitens culpam suam. Tertia proprietas est: Non satis est nôsse eam quæ fugere debeat, sed exigitur adhuc, vt totam se etiam ad ea, quæ molesta ei sunt, & pœnas seu passiones adferunt, vltrò offerat, inqúe vinea Domini omni cum patientia in purissimo humilis cordis, in quo solo quiescit Deus, fundo collaboret atque cooperetur. Quiescit namque Deus in virginis corde, sese per humilitatem ex fundo cordis sub Deum cunctosq; homines, etiam ad mortem vsque, si ita res postularet, deprimentis ac nihilipendentis. Per hanc verò profundam sui annihilationem facilè impetrat & cõsequitur à Deo quibuscunque opus habet, immò etiam plura quàm quibus indigeat. Occurrit enim eiusmodi hominibus Deus cum omni gratia sua, cunctisqúe illos dignitatibus sublimat, quibus extulit Sanctos suos. Quarta proprietas est, quòd in hac vita corripi, despici, vilipendi, malè accipi, & durius tractari debeat, quemadmodum mulieri illi Chananitidi Christus fecit: sicut hodieq; facit omnibus electis suis speciali sibi amore deuinctis, quibus singularem præstaturus est gratiam, & in quibus rara quædam operaturus est. Hos enim durius intus arguit, & acerbè inuehitur in eos: atque foris à quibusuis eos pedibus conculcari, verbis pulsari asperis, & in faciem temerarijs impeti mendacijs permittit. Quæ vbi eueniunt, simul cum his & ipsa se virgo Christi funditus despiciat, atque ex vera deprimat humilitate, gaudens in huiusmodi propter Deum, immò se talibus indignam iudicans, gratiasq; Deo referens, quòd se specialiter his tanquam suam donârit. Quinta proprietas est, vt non

Prima vera virginis proprietas.

II.

III.

IV.
Matt. 15.

V.


liter tamen nonnunquam ab acedia, gula, luxuria, quæ in natura siue carne cõsistunt, & ex carnis tentatione pullulant, impugnantur: at non expugnantur, immò multum hæ illis tentationes conferunt. Cùm enim nihil magis ament, quàm afflictiones, ignominiam, & quicquid molestum est & pœnam adducit, intus atque foris pro Dei amore perpeti, eademqúe præ omni quoque contemplatione & interna dulcedine appetant, maiusq; in his gaudium & voluptatem percipiant, quàm in omni solatio externo, quod cunctæ possent creaturæ impendere: inde fit, vt nullæ eis tentationes, nulli primorum seu infimorum motuum impetus nocere queant, quando ea ipsorum voluntas & desiderium est, vt semper aliquid pati habeant, quo in vera humilitate Deo amatori suo gratæ & acceptæ inueniantur. Præstet nobis Dominus Deus, vt nos quoque sic virginalem teneamus statum, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS Dominicæ.

Vti nos, ad instar Virginis gloriosæ, introuertere ad Deum, & illi resignare debeamus, vt ipsum concipere & parere simus idonei in spiritu, anima & corpore nostro.

SERMO VNICVS.

Aue gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. LVCAE I.



DE immensa Solennitatis huius dignitate, de ardentissimo quoque & æterno amore, ex quo Deus Opt. Maxim. Dominus dominantium, Filius Dei, nostri misertus est, qui non nisi miserrimi atque damnati eramus torres inferni: *& cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, vt Apostolus inquit, *esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2. De hoc, inquam, amore nemo satis dicere, nemo satis laudare & gratias dignas Deo agere potest, cùm omnem & humanum & Angelicum excedat intellectum, quòd Deus & Dominus noster, supremus iudex noster, pater, frater, sponsus noster fieri voluit, quòd omne debitum, & ipsam quoque damnationem nostram in se recepit, sua nos amarissima redemit morte, & filios æternæ vitæ effecit, ad pristinum reduxit honorem, immò & ad Angelorum nos euexit similitudinem, vt plus iuris habeamus ad Deum, maioriqúe illi simus affinitate coniuncti, quàm ipse quoque supremus Angelus. *Quantus Dei erga nos amor.* O summa & ineffabilis pietas, nunquid super his omnibus me à tui amore & laude continere potero, quando super omnia te mihi amabilem reddit bone Iesu calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ, opus vtique sine exemplo, humilitas sine modo, gratia sine merito, donum sine pretio? Hoc opus amorem nostrum, teste quodam vero tui amatore, facilè vendicat totum sibi: hoc deuotionem nostram & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & vehementius afficit. Quid igitur gratiarum actionis, quid retributionis condignæ pro his omnibus tibi retribuam ego omnium peccatorum maxim⁹ & ingratissimus? Pro eo enim quòd in creatione animam meam mihi dedisti, eamq; per me perditam in redemptio-

demptione mihi reddidisti, me totum tibi debeo, & bis debeo. Sed pro eo, quòd mei causa tuam animam posuisti, quid tibi reddam Domine Iesu? Nam etsi millies animam meam rependere possem, quid sum ad Deum meũ *puluis & cinis*? Interim nihilo minus, charissimi, tametsi dignum aliquid tanto amori rependere non possimus, in hoc omnem debemus nauare operam, vt nosipsos totos Deo, id est, quicquid sumus, habemus & possumus, promptissime reddamus: quod equidem, dilectissima Genitrix illius, beatissima Virgo Maria perfectissimè atque fidelissimè egit: qua de re nonnihil exempli gratia dicturus sum, vt & vos spiritales Christi genitrices fieri studeatis, totos vos offerentes Deo, vt in animabus vestris & concipi & nasci queat. Dicam autem simplicissimè, vt affecta atque præparata erat hæc Virgo dignissima, cùm vnigenitum deberet Dei Filium concipere, quanquam sanctitatem illius nec Angelicus quidem vllus capiat intellectus. Itaque iuxta quinque sui nominis Maria literarum significationem, secundùm tres vires suas superiores in Deum subleuata & rapta, atque vnus cum eo spiritus erat, ab ipsoq; agebatur. Totam namque in illius sese gratissimam voluntatem flagrantissimo cum amore ad honorem illius, tanquam aptissimum instrumentum resignârat, eratqúe pauper spiritu, continueq; se in Deum profunda cum humilitate & suijpsius nihilipensione referebat, omnis omninò desiderij, voluntatis, actionis expers, haud secus, quàm cùm necdum creata esset: quod ipsum liberum pandebat Deo accessum in spiritum, animam & corpus ipsius. Spiritu quoque purissima erat, quippe quæ nulli vnquam dono Dei cum delectatione inhæsit, nec ad spiritûs sui voluptatem diuinis charismatibus vtebatur. Erat & anima pura. Nulli enim vnquam creaturæ inordinatè affecta fuit, sed animam habuit cunctis virtutibus exornatam. Corde demum & corpore quoque pura fuit, vtpote quæ nunquam ad vitia mouebatur. Atque per hæc splendidis atque micantibus Angelis similis fuit. Porrò tametsi pulcherrima esset fœminarum, ob Angelicam tamen puritatem illius, nemo eam vnquam hominum libidinoso potuit affectu intueri. Erat præterea spiritu deuota, eiusqúe suauissimæ adspirationes & ignita desideria summam commouebant diuinitatem, ita vt æstuantissimus beatissimæ Trinitatis amor dulciter erumperet, in ipsamq; promanaret. Erat & anima deuota. Omnes namque animæ eius vires semper ad Dei laudem erectæ erant. Deniq; & corde deuota fuit, quod ipsum amorosè admodum ad Deum expansum erat, ignitaqúe per desideria incomprehensibilem diuinitatis abyssum penetrabat, vbi suum reperiebat dilectum, intimaqúe dulcedine summæ potentiæ virtutem transfixit, æternam sapientiam sua vulnerabat pulchritudine, sempiternam bonitatem suo trahebat amore, vt tota in eam cum vniuersis delicijs suis profluere gestiret, cui iam super omnes opes atque diuitias suas plenam concesserat potestatem. Non enim sibi viuebat, sed illi duntaxat, qui est viuentium omnium vita. Postremò, omne initiũ, cunctusq; finis omnium actionum dimissionumq; illius, Deus erat: & quicquid vel ageret, vel dimitteret, totum pura diuinaq; possidebat intentio. Semper enim Deo vnita fuit, & extra præsentiam illius nec ad momentum quandoque auertebatur. Vnde nulla vnquam creatura suam illi imaginem imprimere, aut ad ipsam intro accedere potuit: quippe quæ omnia cum supernis spiritibus simpliciter contuebatur in Deo, quem ipsum totum nudè reperit in fundo suo, in essentia animæ suæ, in intimo spiritûs sui. Ideoqúe nec

Gen. 18.

Qui Mariam, vt Filium Dei conciperet, parata.

Mariam etsi pulcherrimã à nemine libidinosè inspici potuisse.

Initium & finis actionum Mariæ quis fuerit.

extro-

extrouersa aliquando fuit per vires suas ad sublimitatem, multiplicitatémve sed semper introuersa simpliciter, extra seipsam in Deum, qui vicissim sese receperat in eam. Deniq; perfectissimè cum vniuersis viribus suis in suam sese verterat originem: pauper, pura, deuota, diuina, magisq; cælestis quàm terrestris creatura. Erat enim cælum Dei in spiritu suo, paradisus Dei in anima sua, palatium Dei in corpore suo, diuinitatis transradiata claritate, ita vt nullum esset medium inter Deum & ipsam. Insuper scire vos velim, dilectissimi, Dominum Deum in sacratissima hac Virgine triplici ratione & concipi & ex ipsa nasci voluisse, in spiritu videlicet, in anima, & in corpore. Neque enim per solam corpoream generationem tam beata fuisset, quàm per spiritualem, vt Augustinus ait, & Dominus insinuare videtur in Euangelio, vbi dicit: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Primò itaq; Deum concepit & peperit in spiritu suo. Placuit enim mirum in modum Deo per puritatem suam, eidemqúe parauit locum humilitate sua, amore verò suo etiam coegit ipsum, vt se demitteret in fundum spiritûs sui, in quietam & otiosam vacationem illam, vbi medium silentium agitur, ibidemq; spiritum suum Deus vniret cum spiritu illius, & loqueretur cum ea arcanum verbum suum, vnicumqúe Filium suum cum ineffabili gaudio & amore generaret in spiritu illius, quæ nimirum æterna est in hac beatissima Virgine natiuitas, & obscura caliginosaq; nox in spiritu, vbi intellectus obfuscatur. Vbi enim lux increata exoritur, ibi lux aliqua creata durare non potest. Nox etenim vertitur in diem, id est, lux animæ creata in æternitatis lucem transit. Atque ita gloriosa Dei Genitrix spiritum suum increatæ diuinitatis essentiæ resignabat, anima illius in profundam sese demittente humilitatem. His verò studijs suaue amoris profluuium, & æternæ sapientiæ lucem deorsum trahebat in animam suam, in qua Pater generabat vnicum Filium suum, transformans illam totam in se. Simulq; petebat Pater ab ipsa in spiritu, vt in hoc consensum præberet, vt vnigenitus Filius suus in ipsa naturam assumeret humanam, ex ipsaq; per sancti Spiritûs operationem corporaliter nasceretur. Quod equidem Virgo sanctissima cùm percepisset, ex vera humilitate territa est non minimum, taleq; illi in spiritu cum timore respõsum dedit: Mater, inquiens, vt sim tantæ prolis, indignam me cognosco: Vellem autem tantæ Genitricis ancilla esse. Verùm ita decretum erat Deo, vt ipsa Genitrix esset. Quod intelligens, adhuc profundius in sui se nihili pensionem demisit. Interim manifestius ipsi datum est intelligere, ad hoc se electam à Deo, cuius ea fixa voluntas esset, vt ipsa Filij sui mater fieret. Tum repente lumine supersplendente, ac permanante claritate supersanctissima eam Trinitas circumfulsit ac perlustrauit, radioq; siue iaculo diuini amoris omnia interiora illius traiecit, ita vt humiliter & amorosè parens esse Filij Dei consentiret. Itaque eodem momento sanctus Gabriel Archãgelus assistens ei, cùm ipsam in spiritu raptã inuenisset reuerenter eam salutauit, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Quæ cum audisset*, ex profunda humilitate *turbata est*, tum ob salutationis excellentiam, tum quòd tota in Deum rapta esset. Deinde vbi dixisset, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: Spiritus sanctus de purissimo virginei cordis eius, vehementissimè potentissimo amoris igne succensi, sanguine accipiens, perfectum mundissimumq;, licet exile, inde corpus creauit cum vniuersis membris eius, purissimamq; illi animam inspirauit, atque illa pariter vniuit: quæ persona Filij Dei,

Luc. 11.

Quæ fuerit sua[?] tiæ resignatio.

Mariam qui salutârit Angelus.

qui est Verbum æternum & splendor paternæ gloriæ, ex vero amore & misericordia
Ioan. 1. pro salute nostra assumpsit, sibiq́; in vnitate personæ copulauit. Sicque *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Atque hæc tertia natiuitas est, quæ in virginali peracta est beatissimæ Mariæ vtero absq; omni virgineæ iniuria puritatis, quo ipsa & filia Patris & mater Filij, & sponsa Spiritus sancti, & regina cælorum, & domina mundi creaturarumq́; omnium, & mater pijssima atque patrona cunctorum hominum illius opem flagitantium, & templum Dei effecta est, templum, inquam, in quo suauiter illa maiestas quieuit vti sponsus in thalamo suo, idq; mira cum exultatione & voluptate, quam in virgineo cepit vtero, velut in horto omnigenum aromatum ac suaue fragrantium herbarum, cuncti generis virtutum atque charismatum pleno, quibus ipsa virtutibus & charismatibus beatissimæ Trinitatis cælum supra nos miseros mellifluum reddidit, solemque
Gen 3. iustitiæ produxit, maledictionem Euæ abstulit, & serpentis denique infernalis attriuit caput pestiferum. Denique ipsa altera Eua totum reduxit cum Filio suo, quicquid prior Eua perdiderat destruxeratque, & multo insuper plus gratiæ diuitiarumq;.
Num. 24. Ipsa est nobilis stella ex Iacob orta, de qua in Mosis volumine legis, cuius radius vniuersum orbem illuminat: cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras etiam perlustrans & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. O, inquit D. Bernardus, quisquis te intelligis in huius seculi profluuiô magis inter procellas & tempestates, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris. Si insurgāt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. Ipsam sequens, non deuias: ipsam rogans, non desperas: ipsam cogitans, nō erras. Ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, peruenis. Ipsi quidem nec facultas deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorū est: misericors est. Deniq; mater est vnigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare: nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare matrem, aut dubitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit. Proinde quisquis vnquam verè internus fieri, principiumq́; suum, id est, Deum sentire volet in anima sua, quæ ad Deum quandam habet propensionem cognationemque, & pendet ex Deo, haud secus quàm solares radij ex sole: is beatissimæ Virginis huius exempla speculumq́; lucidissimum imitari debebit, attendens vt illa se intus atq; foris gesserit: atque ita grandem in seipso, tam in spiritu quàm natura, ex ipsa percipiet opem. Principio quidem ab omnibus se auertet mortalibus creaturis, & vniuersis animæ suæ viribus collectis, sese introrecipiet, ibiq; extra seipsum in Deum in ipso præsentem, in intimumq; spiritus sui, vbi tres animæ vires superiores vnum sunt, transibit, vt illic vniatur Deo, fiatque vnus cum illo spirit⁹, & agatur ab eo. Ibi namque memoria fœcundatur, intellectus illuminatur, voluntas accenditur, & diuino inebriatur amore. Ibi tum Deus ipse alimentum spiritûs, animæ vita, & corporis conseruatio est. Ideoque semper nos ad imaginem seu fundum animæ, vbi tres animæ vires vnum cum Deo sunt, introuertere debemus, vt in Deo vniamur, efficiamurq; *pauperes spiritu*, spiritu simul & anima & corpore mundi, deuoti ac introuersi cunctis viribus in Deum: omnisq;

actio-

actionum nostrarum finis & initium, per puram diuinitatis intentionem ad Dei honorem referatur, vti iam superius de gloriosa Virgine dictum est: atque ita nudi, liberi, expediti & abstracti maneamus, vt vniuersæ animæ nostræ vires suo quæque loco & ordine persistant, vt voluntas, desiderium & intentio nostra, Deo in omnibus subdita sint, vt cum illis Deus iuxta suam gratissimam possit voluntatem operari. Tum verò introrsum supra vires omnes à Deo, in diuinitatis rapiemur solitudinem, vbi spiritus profundè in diuinam immergetur vnionem, essentiaq; nostra diuina perfundetur essentia, ita vt iam diuina generatio citra impedimentum agatur in spiritu & anima, immò & in corpore, spiritaliter tamen, per superabundantiam diuinorum charismatum ex spiritu & anima prorumpentium, promanantiumq; in corpus. Quod vt & hîc & in futurum per beatissimæ Virginis intercessionem feliciter experiri mereamur, age cum diuo Bernardo ipsam inuocemus, dicentes: Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis: vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis: & humilitas Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: & fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræsenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam inuenisti, per prærogatiuam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedēte participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus Benedictus in secula, Amen.

Bernard. de B. Maria Virgine eulogium.

IN NATIVITATE S. IOANNIS Baptistæ.

De diuinæ gratiæ ortu in anima ex humilitatis fundo: vtq; possit homo magis atque magis sublimiter ad tam felicē & gratia plenam natiuitatem pertingere, & sacerdos Dei fieri.

SERMO VNICVS.

Ioannes est nomen eius. LVCAE I.

SOLENNEM hodie diem agimus, dilectissimi, natiuitatis præcipui ac singularis Sancti D. Ioannis Baptistæ. Neque verò hac ratione cuiusquā alterius Sācti dies natalitius celebratur, gloriosa tamē Virgine Matre excepta. Et ne lōgius diuager, Ioannes idē est, q, in quo est Domini gratia. Porrò vbi gratia oriri debet, eā necesse est præcedere viā, de qua hesterna die locuti sumus. Dixi heri de duplici passione: quarū altera, quæ in natura est, ex lapsu est Protoparentis nostri. Altera verò, pœnæ est. Prior passio est, q, ad vitia propensi sumus: quæ tametsi natura insita sit, nobis semper displicere debet, ab eaq; nostram debemus totis viribus auertere voluntatē, quatenus ea Deo cōtraria est. Altera passio ex priori originē traxit, & ipsa est pœna, calamitas, miseria: quæ nobis grata & p voto esse debet, vbi nobis fortè occurrit, vt aliqua ex parte

Ioannes quid sonet.

Passio duplex.

amabile Domini Saluatoris exemplar sectemur, qui quãdiu vixit, semper grauissima maximaq; in afflictione positus fuit. Cæterùm crebrò id accidit, vt Dominus permultos passionẽ priorẽ incurrere sinat, ita vt in verbis grauiter offẽdant. Quare autẽ hoc? Nimirũ, vt in ipso suo tã graui casu sese cognoscere discãt: discant item amare & resignare sese sponte in via crucis, in afflictione seu tribulatione, dum illa se eis offert, ingeriturq;. Planè, dilectissimi, magnæ omnino felicitatis foret, si quis huic se vitæ resignare sciret. Vbi verò in hoc felicissimo crucis seu passionis itinere positus est homo, semper attendere & contemplari discet propriam infirmitatem, suum nil posse, nil valere, nil esse. O si quis prætermissis alijs exercitijs, hanc bene viam perdisceret apprehenderetque, atque id duntaxat haberet exercitij, vt sine cessatione perpetuò ad suum nihil, nil posse, & nil esse respiceret: haud dubiè gratia in illo diuina re ipsa oriretur. Neque verò aliquid omninò boni ex sese homo habet, sed totum hoc absq; medio proprijssimè Dei est: à quo & minima & maxima habet: à seipso verò nihil prorsus, nisi hoc tantum, quòd bona omnia & intus & foris destruit: si quid autem boni habet, id penitus suum non est. Ista quidem nullo non tempore sedula deberet cogitatione versare, & suum adspicere nihil, quamq; sit ad omnia mala procliuis, si naturæ fræna laxentur: magnumq; prorsus studium & operam adhiberet, vt suijpsius posset notitiã adipisci: scire etiam, quid fundũ, quid intentio, quid amor, quid conatus suus potissimum spectent, & pro scopo habeant, si qua fortè illis zizania intermixta sint. Oportet enim fundum purè simpliciterq; in Deum tendere, nec aliud aliquid intendere, quàm ipsum: discuteret etiam, dispiceretq; exteriorem conuersationem suam, verba, actus, mores, gestus, societatem, vestes, idque in modis omnibus: & si qua ex parte aliquid se vitij tota illa die contraxisse aduerteret, lugens & dolens Deo quereretur, coram illo se reum fateretur, atque intimum ad ipsum illo pro vitio suspirium emitteret: sicq; facilè veniam reportaret & gratiam. Huiusmodi nanq; suspiria interna, siue gemitus ex ipso fundo procedentes, multum vtilitatis habent. Sic gemebant etiam ipsi Apostoli, non pro peccatis suis, sed quòd omnes ferè homines tam multipliciter suam negligerent salutem: tum quoq; ob vehemens desideriũ, quo ad Deum perpetuò adspirabant. Dum enim aliquis homini æternitatis gustus vel fulgor præstatur, intimus in illo gemitus nascitur, qui in exteriores erumpit sensus. Isq; non absurdè altare illud accipi potest, quod foris erat ante ostium tabernaculi, in quo arietes & boues immolabãtur. Ita nanq; & hic homo offert Deo bestialem sanguinẽ suũ, in qualẽcunq; pretiosi sanguinis illius cõpensationem. In hac autẽ propriorũ defectuũ atq; culparũ contemplatione, valdè sese humiliare homo, & ad pedes Domini abijcere debet, orans vt sui misereatur. Deinde nihil ambigat, sed omninò certissimè speret, ea sibi à Deo remittenda, iãq; sine mora ex hoc humilitatis fundo nascitur in illo Ioannes, id est, gratia Dei: & quò humilius se deiecit, eò in sublime erigitur: quę sibi certissimè semper respondent. De hac humilitate Bernardus ait: Quæcunq; possint forinsecus exercitia agi, nõ sunt cõparanda cũ hoc, q; vallem teneas humilitatis. In hac valle mansuetudo, resignatio, modestia, patiẽtia, benignitas nascũtur: & ipsa est rectissima via, quã qui non tenet, erret necesse est: & quãlibet multa foris agat opera, nulli⁹ pretij sunt, magisq; offendũt quã concilient Deũ. Sed ipsum age nunc Euangeliũ partim tractemus. Vbi sic habes, Zachariã summum fuisse sacerdotem, & ipsum vxoremq; illius ambos

Disciplina optima quæ.

Cur Apostoli gemuerint.

Leuit. 1.

Nulla exercitia humilitati conferenda.

ambos steriles: quod ea tempestate maximè probro dabatur. *Cumque sacerdotio fungeretur Zacharias*, ipsum quidem in Sancta Sanctorum ingressum, populum autem omnem *foris* remansisse. Cumq; munus vellet exequi sacerdotale, adstitisse illi Angelum Gabriel *à dextris altaris incensi*, atque dixisse: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem*, qui, vt dixi, interpretatur, gratia Dei. Quod cùm Zacharias plenè non crederet, perdidisse eum promptæ modulos loquelæ, donec fierent omnia, quæ ab Angelo prædicta erant, quod spatium erat nouem mensium. Itaque Zacharias, in nostro idiomate, memoriam Domini sonat. Hic ergo memor Domini, id est, homo internus, sacerdos esse debet, & cuncto populo *foris* relicto, solus ingredi in Sancta sanctorum. Sed attendite, quæso, quod officium sit sacerdotale, vnde sacerdos & est, & appellatur. Hoc nimirum est, vt vnigenitum Filium offerat Patri cælesti pro populo. Atqui vereor multum, quod ipsa quoque luce clarius est, non omnes sacerdotes esse perfectos, imò tales esse plerosque, vt si in propria persona coram altari assisterent Dei Filium immolaturi, quomodo ex persona id agunt totius Ecclesiæ, multo magis Ecclesiæ impedimento quàm auxilio forent, & iram potius Dei omnipotentis succenderent, quàm sopirent. Sed sacrum hoc officium, Ecclesiæ loco & ideo sacramentaliter exequuntur: qua ratione nulli, nisi masculini sexûs sit, idemq; consecratus, officium illud peragere licet, quibus solis, non vllis alijs, sacratissimum Christi Corpus conficiendi data potestas est. Spiritaliter verò, quod ad sacrificium attinet, æquè fœminæ vt virò, in anima sua Deo Patri id offerre licet. Quumque id oblatura est, siue noctu, siue diu, sola ingredi debet in Sancta sanctorum, omni foras excluso populo: hoc est, mente collecta intra seipsam se recipiet, cunctis sensibilibus extra relictis: ibiquè hostiam amabilem cælesti Patri offerret, vnigenitum videlicet Filium eius, cum omnibus verbis & operibus, cum vniuersa sanctissima vita & passione illius, idq; pro omnibus, pro quibus ipsa desiderat & intendit: simulquè tota deuotione omnes huc pertrahet homines, & miseros scilicet peccatores, & bonos quosque, & in purgatorio detentos: quod, nullo dubitante, plurimum virtutis habet & efficaciæ. Scribit Albertus Episcopus, hunc summi sacerdotis morem fuisse: Ingrediebatur in Sancta sanctorum, deferens secum sanguinem vitulæ rufæ, & ignem ardentem: quumq; intrò venisset, omnia vasa aurea sanguine vitulæ adspersit, fecitq; fasciculum ex herbis pretiosissimis, eumquè succendit: vnde odor erupit gratissimus instar nebulæ, in ipsaq; nebula veniens Deus, loquebatur sacerdoti. Hic sacerdos summus, quilibet est homo bene internus, qui ad sua se recipiēs interiora, defert secum præclarissimum & gloriosum Christi sanguinem, & ignem deuotionis & amoris, ipsoquè Christi sanguine cuncta vasa aurea tinguntur, id est, omnes in gratia Dei cōstituti, & constituendi, miseræq; animæ illæ in purgatorio detentæ, beatitudinem expectantes, consolationem accipiunt atque ditantur ex hoc officio sacerdotali. Credite mihi, dici non potest, quantum id vtilitatis habeat. Simul autem & seipsum eiusmodi homo in cor paternum, eiusquè gratissimam offeret voluntatem, vt secum faciat pro beneplacito suo in tempore & æternitate. Cæterùm inuenire est, qui dicant: Si internum hunc modum sectemur, CHRISTI passionis imagines & exempla excidunt nobis. Haudquaquam charissimi, sed vbi vos introuerteritis (quod & hortor & moneo vt faciatis) in intimum animæ

Zacharias quid sonet.

Officium sacerdotale.

Quis summi sacerdotis ritus.

fundum, in quo solo gratia veraciter nascitur, simul cum ipsa gratia passio & vita Christi respondebit in vos, idque cum amore sensibili, ita vt eam simpliciter, & simplici quodam adspectu, tanquam tota coram vobis posita sit, non cum aliqua multiplicitate, sed quomodo ego vos omnes vno intuitu contemplor, adspiciatis, veluti si in vno cernatis omnia, tanquam singula coram vobis assistant: simili que ratione ea Patri æterno offeretis. Nec ambigendum est, quin hic simplex intuitus longè vtilior sit, quàm si secundùm sensus cum multiplicitate quadã circa eam discurratur. In huius porrò amabilis sacerdotij seu officij sacerdotalis executione, vbi solus ingressus est homo intima animæ suæ, & vires habet expansas atque erectas in Deum, ne vnum quidem verbum profertur. Sed Gabriel Angelus assistit altari, vbi hoc dignissimum diuinumque officium peragitur. Gabriel nanque Dei fortitudinem significat, quæ huic præstatur sacerdoti, vt omnia possit in Deo ipsum confortante. Fasciculum deinde herbarum conficit & incendit, suffitum quendam gratissimi odoris excitans, in quo miscet colloquia cũ Deo: Fasciculum, inquam, herbarum, id est, sanctarum virtutũ, vtpote humilitatis, obedientiæ, mansuetudinis, & complurium aliarum conficit virtutum. Quisquis enim virtutes nec habet, nec colligit, siue in infimo, siue in medio, siue in supremo gradu, huius omnis vita falsa corruptaque est, nec vllius omninò momenti. Ex harum autem collectione virtutum fit incensio per amoris ignem, & nebula caligoque succedit, in qua clanculo abducitur huic sacerdoti spiritus, veluti ad dimidiæ salutationis Angelicæ spatium, ita vt sensibus ac naturali interim ratione subtrahatur: in ipsaque caligine reipsa loquitur illi Deus, sicuti scriptum est: *Cùm quietum* (siue *medium*) *silentium contineret omnia, & nox*, id est, caligo, *in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus Domine, exiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit*. Fitque hic, quòd dicitur apud Iob: *Ad me dictum est Verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius*. Hic denique annuntiatur natiuitas, quæ gaudium ingens, copiosamque adducet exultationem. Huius autem partûs mater erit Elizabeth, quæ Dei perfectio interpretatur, cui à Dei fortitudine huius dulcissimi operis iucundissimi partus natiuitas annuntiatur: Omnia verò hæc in infimis adhuc aguntur viribus. Hic iam homines subtilis intellectûs, & soli vacantes intellectui, cum naturali suo accedentes lumine, ad internum naturale suum lumen, ad nudum, vacuum & indepictum fundum suum se recipiunt, atque illic idem suum naturale lumen cum proprietate possident, existimantes ipsum Deum esse, cùm non sit nisi nuda ipsorum natura. Delectatio verò quæ hîc sentitur, omnem sensuum voluptatem excedit. Cùm autem non nisi seipsos quærant isti, quæque hic sentiunt, cum proprietate possideant, pessimi ac perniciosissimi omnium efficiuntur. Quòd si qua signa petas, ex quibus hos cognoscere liceat, & illa paucis subiungo: Per virtutum iter minimè sunt ingressi: exercitia, quæ ad vitæ sanctitatem & vitiorum mortificationem pertinent, floccipendũt: falsam suam internam nuditatem & otium diligunt, non cum actuali intus & foris quæsita amore: imaginibus demum intempestiuè renuntiârunt. Quod nõ ignorans diabolus, fallacem eis dulcedinem falsumque lumen intus administrat, quo ad perpetuam eos seducit perditionem ipsorum. Ad quecunque etiam procliues eos sentit secundùm carnem, siue naturam, siue id luxuria sit, siue auaritia, siue superbia, ad ea facilè pertrahit miseros. Per ea verò, quæ intus sen-

Gabriel quid sonet.

Cuius vita nullius sit momenti.

Sap. 18.

Iob 4.

Elizabeth quid sonet.

Per quæ quisque tentetur.

sentiunt lumina à diabolo illis administrata, quando hæc reuera Deum esse affirmant, eaq; cum proprietate possidentes, non sibi auferri patiuntur, peruersam quandam & vitiosam incidunt libertatem, qua liberè sequuntur, quocunq; eos naturæ affectio & voluntas carnis trahat. Itaque magis hos fugiendos censeo, quàm ipsos quoque spiritus infernales. Et foris nanque & intus, quatenus videri possunt, moribus atque modis seu institutis, bonis hominibus simillimi sunt, ita vt non facilè dinosci queant. Cæterùm iusti sic differunt ab eis, quòd iusti viam tenuêre virtutum, vtpote humilitatis, timoris, resignationis, mansuetudinis, & per eam ad suum fundum pertigerunt: multoq; semper in metu viuunt, nec alicui merito suo liberius inniti audent, nec vspiam confidere sibimetipsis, sed in angustia magna grauiq; pressura degunt, ideoq; diuinam implorant opem, vt Deus eis auxilio esse velit. Contra liberi illi spiritus, audaces, effræncs, contentiosi & irresignati sunt, & vbicunque aliquid eis molestum infertur, citò apparet, quales intus sint, dum ad amaritudinem, toruos gestus & adspectus, verba aspera & superbiam erumpunt, nec se deprimi vel vilipendi patiuntur. Heu, quæ mira, quas miserias etiam de illis, quæ iam pulchra admodum & speciosa videtur, in illo futuro seculo videre erit, vbi iam nulla dabitur quoquam diuertendi facultas, sed perpetuò illic manere, coqui, torreri, & assari oportebit? Quod vt solicitè caueatis, etiam atque etiam vos moneo & obsecro, charissimi: simul exhortans, vt ad verum vos recipiatis fundum, vbi hic diuinus producitur partus, vnde ingens toti Christianitati, immò sanctæ Christianitati gaudium prouenit & exultatio. Dehinc iam non opus est, charissimi, vt ex aliquo quæratis, rectène an secus vobiscum agatur. Ipsi iam diligenter, quæ verè atque falsò iustorum distinctio sit, audistis, & si velitis, potestis ipsi probare, si recto vel distorto pergatis itinere. Vobis iam aduertere & despicere incumbit, si per securam virtutum ingressi sitis viam, sicqué virtutes ipsas vel in infimo, vel in medio, vel in supremo gradu teneatis. *Erit*, inquit Angelus, *gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Prorsus dilectissimi, vbi hæc in spiritu natiuitas agitur, tanto idem spiritus gaudio repletur, vt nemo id verbis exprimere possit. Hoc autem curandum est sedulò, vt quibus hæc gratia præstatur, eos nemo turbare aut impedire præsumat, euocando eos ad externa, & in multa distrahendo: sed soli potius Deo relinquantur. Sic enim & Dominus in Canticis ait: *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et ipsi diligenter cauebunt, ne ab imperitis & inexpertis Doctoribus consilia petant, quòd hi eis maximo possent impedimento esse, & perturbare non minimum, ita vt fortasse fit se vel semel extrouerterent, vt in viginti vel quadraginta annis vel vnquam redirent ad interiora. Grandis præterea huiusmodi suimet cura habenda est, diligenterqué obseruabunt semetipsos. Istud nanque gaudium tam ingens est, vt æstuet intrinsecus instar musti in vase bullientis. Multoqué præstat foras ipsum erumpere, quàm naturam plus satis debilitari: haud dubiè enim ex ore & naribus sanguis prorumperet. Hæc porrò natiuitas longè adhuc à supremo distat gradu, vtpote quæ adhuc inferius in sensualitate subsistit. Sed Angelus prædixit, quòd puer nasciturus, id est, in quo vera peragitur natiuitas, *vinum & siceram non* biberet, nec omne quod inebriare possit. In quibus enim hęc natiuitas supremo modo summoq; gradu peragenda est, hi longè sublimiori incedunt

Quàm sæpe diabolis fugiendi.

Spiritualis natiuitatis gaudium.

Cant. 2.

via. Est nanque bona, est melior, est & optima via. Isti non bibent omne quod inebriare possit, vt illi, de quibus præfati sumus, puta delectationem, qualem priores illi ex obiectis sibi præstitis, siue gustando, siue sentiendo, siue contemplando, siue fruendo perceperunt. Quin potius in arcta quadam & tenebrosa, omnisque solatij experte constituuntur semita, per eamque trahuntur: vbi intolerabili corripiuntur angustia & pressura, vt euadere non possint, & quoquò se vertant, in immenso quodam, vasto, obscuro, & nihil habente solatij se exilio conspiciunt, vbi seipsos periclitari coguntur, totosque se in hac via Deo relinquere, quandiu illi visum fuerit: qui interim adeò ipsos derelinquit, quasi nesciat quibus in miserijs & angustijs versentur. Iamque intolerabile est illis, tam extremè carere Deo, cuius præsentiam mirum in modum sitiunt appetuntque, in vtroque tamen sese resignant. Hæ nimirum essentiales dicuntur conuersiones, quibus solis essentiale respondet præmium. Cæteris conuersionibus accidentale præmium respondet. Qua de re ita D. loquitur Thomas. Externis quibusque operibus, quamlibet magna sint, quatenus opera sunt, non nisi accidentale præmium respondet. Quando verò se spiritus intus ad Dei Spiritum ex ipso fundo conuertit, ita vt nihil eorum quæ accidere possint, spectet, sed Deum duntaxat nudè ac purè supra opera, supra modos, supra cogitationes, supra ipsam denique rationem seu intellectum, quærat, quod sacer Dionysius irrationalem & insanum amorem vocat: huic conuersioni, cùm sit vera ac essentialis conuersio, semper essentiale pręmium, & Deus ipse seipso respondet. Possunt tamen & aliæ conuersiones generali quadam externa ratione essentiales dici, puta in quibuscunque homo purè ac nudè solum Deum propter Deum, non aliud aliquid omninò, nec aliqua alia de causa intendit. Sed prior hæc conuersio, circa internam formæ ac modi expertem præsentiam Dei versatur, spiritumque creatum supersubstantiali quodam modo in increatum Dei spiritum introducit. Quàm feliciter actum esset cum homine, si in omni vita sua vel semel hanc posset conuersionem obtinere? Iam quicunque Deum, ita vt diximus, sequutus est, in eaqúe, de qua præfati sumus, pressura fidem seruauit, illi Dominus semetipso vicem reddat oportet. Itaque rapit eum abyssaliter in se & beatitudinem suam, ibique spiritum eius tam feliciter, tamqúe totum sua permanat atque perfundit diuinitate, adeoqúe in se absorbet, vt in vnitate diuina omnem perdat multiplicitatem. Hi sunt dilectissimi, quos Deus etiam in hoc tempore ab omnibus interim releuat reficitque laboribus suis, verissimam illis prægustationem donans felicitatis illius, qua perenniter fruituri sunt. Ipsi sunt columnæ, quibus Ecclesia innititur, qui si in Christianitate non essent, ne vna quidem hora Christianitas duraret. Solum nanque esse ipsorum, id est, esse eos, longè dignius, multoque vtilius est, quàm quicquid totus simul orbis agit. Ipsi denique sunt, de quibus Dominus ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vnde videte, obsecro, charissimi, ne quam eiusmodi Dei amicis iniuriam irrogetis. Præstet nobis Dominus Deus, vt cuncti hæc perfectissimo sibique laudabiliori modo exequamur, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Quibus, quod inebriet, non bibendū.

Quibus conuersionibus quod præmium respondeat.

Quibus sine Christianitas non duraret.

Zach. 2.

IN EA-

IN EADEM SOLENNITATE NATIVItatis beati Ioannis Baptistæ.

Vnde sese homo ad testimonium veræ diuinæquè lucis in fundo suo lucentis, & in infimis & in supremis viribus rectè gerere debeat: & de amore diuino, in quo omnis nostra salus consistit.

SERMO II.

Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. IOANN. I.

SOLENNITATEM hodie, dilectissimi, Baptistæ Ioannis sancta colit Ecclesia: quem nos, si verbis celebrare velimus, minimum id fuerit, cum ipse Dominus sublimiter ac dignè eum extulerit, dicens, quod *inter natos mulierum non* surrexerit *maior Ioanne Baptista*: idemq́; eodem loco dixerit: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam.* Itemquè: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* quasi dicat: Non est talis Ioannes. Et ipse de seipso testatus sit: *Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* De quo insuper hodie sancta canit Ecclesia, quòd ipse *lucerna* sit *lucens & ardens.* De quo ipse demum sanctus Ioannes Euangelista, quod superius thematis loco audistis, pronuntiauit, *In testimonium* eum venisse, *vt testimonium de lumine perhiberet*: de qua sententia nobis in præsentiarum sermo est. Post tanta igitur tantorumq́; præconia, quid nos his excellentius dicere poterimus? Sed ad thematis verba veniamus, quæ sic habent. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Hoc lumen, charissimi, cui diuus Ioannes testimonium dicitur perhibuisse, essentiale, immò superessentiale, omnem excedens cognitionem, & excellentissimum lumen est, ipsumq́; in intimis ac profundissimis hominis fundi lucet. Vbi verò lumen hoc atque testimonium homini præstatur, ipsumq́; mouere incipit, ille, cùm id obseruare deberet, & attendere vbinam sit, extra fundum suum sese auertit, peruersoq́; ordine foras huc illucq́; euagatur: quò fit, vt testimonium hoc non recipiat, ob sensualem, ad quam se confert, forinsecus operationem. Sunt & alij, qui hoc testimonium non recipiunt. *In propria*, inquit, *venit, & sui eum non receperunt*. Hi diuino sunt contrarij lumini, quòd corda gerant secularia, sintquè, vt diuus Ioannes Baptista Pharisæis obiecit, *progenies viperarum*, illis ècontra asserentibus, *Abrahæ* se filios esse. Quandam enim extrinsecus præ se ferebant sanctitatem, sicut & isti, de quibus agimus. Hi planè omnibus hoc lumen amantibus aduersantur: quòd sanè horrendum, nimisq́; periculosum est. Denique vix tenuissimo filo huic lumini, & ipsi quoque fidei connectuntur: Cæterùm cùm natura infirma sit, & ex seipsa nihil omninò possit, quoddam ei supernaturale auxilium, virtutemq́; supernaturalem contulit Deus, id est, gratiæ lumen, quod est lumen creatum, quod naturam longè supra se euehit, sumptusq́; omnes hac ratione naturæ necessarios secum adducit. Supra hoc lumen, aliud est lumen, quod lumen gloriæ dicitur, per quod naturale lumen creati intellectûs confortatur, vt videre possit lumen increatum, quod est lumē

Matth. 11.
Ioan. 1.
Ioan. 1.
Matt. 3.
Lumen gratiæ & gloriæ quid differant.

petu prorumpũt, quasi omnia absorbere velint. Sic & hoc fundum in quandam tendit abyssum, in ipsoque propriè est habitatio Dei, multo verius, quàm vel in cœlo, vel in omnibus creaturis. Ad ipsumq́ si quis pertingere posset, inueniret illic veraciter Deum, & seipsum simpliciter in Deo: (Nunquam enim ab illo separatur Deus) haberetq́ illic præsentẽ Deum: adeoque æternitas ipsa sentitur hîc atq; gustatur, nec est hîc præteritum vel futurum: sed nec lumen aliquod creatum in hoc fundum pertingere, vel in ipso lucere potest: quandoquidem solius hic Dei locus est & habitatio. Hanc præterea abyssum nec creaturæ omnes emetiri, sed nec explere, nec plenè contentum aeque pacatũ reddere possunt, nec aliquid omnino id potest, nisi solus Deus omni immensitate sua: ad ipsam denique nihil pertingit, nisi abyssus diuinitatis, sicut scriptum est: *Abyssus abyssum inuocat*: Si non deessent, qui sedulò id obseruarent, radiaret profectò hoc fundũ deorsum in vires, & tam supremas quàm infimas ad suum inclinaret allliceretq́ principiũ & originem Deum: modò, inquam, id obseruaret homo, secumq́ manens amabilissimæ illi acquiesceret voci in deserto, id est in hoc fundo clamanti, & omnia vt magis ac magis ingredi studeant, inuitanti. Quidni enim desertum dixerim, vbi tanta solitudo est, vt nulla vnquam, nulla prorsus cogitatio in ipsum peruenerit: omniumq́ illarum intellectualium cogitationum, quas vnquam habuit aliquis de beatissima Trinitate, cuiusmodi nonnulli multum occupãtur, nec vna quidem pertigerit in ipsum, quòd maximè internum, & longè remotissimũ sit, omnis & loci & temporis expers, simplex quoque & nihil habens distinctionis? vnde quisquis rectè ad ipsum pertingit, haud secus sentit, quam se illic perpetuò fuisse, & cum vno eodem se prorsus vnum esse: & licet non nisi breuissimo illis momento sit, eodem tamen puncto & manifestat se, & sentitur illic æternitas. Procedit autem hinc extrorsum lux quædam, quæ *testimonium perhibet*, fuisse hominem ab æterno in Deo necdum creatum. Cùm autem sic in Deo esset, fuit vtique homo Deus in Deo. Diuus Ioannes ait: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Itaque hoc ipsum, quod modò homo est, post sui creationem, hoc ab æterno secundùm ideam fuit in Deo increatus. Porrò quandiu ad eam non redit homo puritatem, in qua ex sua profluxit origine, non creatus in creaturam, nullo pacto in Deum redire potest. Dicam apertius: Nisi omnis propensio siue affectio vitiosa omne proprium videre & sapere, & quicquid fundum qualibet possessione aliqua labe adspersit & impurum reddidit, quæcunque præterea aliqua cum delectatione homo sponte vnquam siue in natura, siue in spiritu possedit, & quæ inordinatè ipsi inciderunt, & ab illo sponte scienterq́ suscepta sunt: nisi, inquam, hæc omnia ita penitus abstergantur diluanturq́, vt sit ea homo puritate, qua erat cùm ex sua origine prõmanaret, nunquam ad suum reuertetur principium Deum. Sed nec hoc quidem ad puritatem satis est, nisi & spiritus lumine gratiæ primùm transformetur. Quam transformationem si quis perfectè prosequeretur, & homo foret introuersus recto ordine siue ordinatè in intimum fundum suum, fieri posset, vt aliquis ei etiam in hac vita supremæ transformationis fulgor præstaretur, sine qua transformatione in Deum pertingere nemo, nullus Deum cognoscere valet, quando is perfectè cognosci non potest, nisi in lumine increato, quod ipsemet est, de quo Propheta ait: *Domine, in lumine tuo videbimus lumen.* Iam si quis ad suum sese intimum fundum crebrò reciperet, eiq́ue foret familiaris, perciperet ille nimirum inde perplures nobilissimos fulgores, per quos multo,

Vbi propriè habitet Deus.

Psalm. 41.

Ioan 1.

Qui tantũ quis ad suum reuerti queat principium.

Psalm. 35.

quid Deus sit, lucidius apertiusq; cognosceret, quàm oculi eius corporei materialem hunc visibilemq; Solem cognoscant. Certè gentiles quidam ipsi huic fundo tam fuêre familiares, vt cõtemptis caducis omnibus, hoc solum sectarentur, huic soli vacarent: vnde factum est, vt miram ex ipso notitiam consequerentur. Successerũt deinde præclari Philosophi, vt Proclus, Plato, & alij complures, & ipsi alijs, qui per sese eam tam exactè reperire nõ poterant, planissimam apertissimamq; huius notitiam tradiderunt. Inde est, quòd & D. Augustinus Platonem fatetur sancti Ioannis Euangelium ad id vsque loci, vbi dicitur, *Fuit homo missus à Deo*, integrè pronuntiâsse, licet abditis & tectis verbis. Itaque & ad beatissimæ Trinitatis distinctam cognitionem pertigerunt. Vnde hoc? Ex isto vtique interiori fundo, cui viuebant & vacabant, cuius habebant curam. Hoc verò quàm nobis turpe est, quamq; ignominiosum, dilectissimi, dum nos miseri ac steriles interim, tametsi Christiani simus, tantaqúe vndeque quæ nobis auxilio sit habeamus, puta Dei gratiam, sacram fidem, veneranda Sacramenta, & plura alia maxima adminicula, semper tamen velut cæcæ gallinæ circumimus, & neque nosipsos, neque quid in nobis sit agnoscentes, nec vllam fundi nostri vel tenuissimam habentes notitiam. Cuius si à me ratio poscatur, ipsissimam reddo, quod plus satis in multa distrahimur, plus satis externi sumus, plus satis sensibus operamur, ac nostris conceptibus & institutis inordinatè inhæremus, solis externis exercitijs perpetuò incumbentes, vtpote multæ vocali orationi, lectioni, studijs ex propria voluntate propriaqúe quæstione, neglecta vitiorum mortificatione, assumptis, quibus impedimur ac detinemur, vt ad nosipsos nusquam ingredi, nec ad animæ nostræ fundum nudi ac puri pertingere queamus. Nihilo minus, charissimi, id hortor & obsecro, vt si qui sunt, qui vasa sua vino Cyprio replere nequeunt, vel lapidibus, vel cineribus ea implere festinent, ne penitus vacua permaneant, & diabolus ea ingrediatur occupetqúe. Quod ne fiat, longè præstiterit quanlibet multæ vocali orationi vacare. Est deinde & aliud in supremis viribus testimonium, in vi scilicet amatiua, quæ voluntas est. Huc pertinet illud, quod cantat hodie Ecclesia de beato Ioanne, quòd *lucerna* fuerit *lucens & ardens*. Lucerna, vt nôstis, & calorem habet & lumen. Calorem quidem sentis in manibus, & tamen ignem non vides, nisi forte desuper inspicias: lumen etiam non vides, nisi per medium cornu. Quæ vtinam, dilectissimi, solerter attenderemus, & calorem hunc atque lumen istud crebrius obseruaremus. Per ipsa nanque *amorem* accipimus *vulnerantem*, qui nos ad hoc perducere fundum debet: in quo amore quandiu positi sumus, excitare nosipsos, & ipso pugnare & vrgere, arcumqúe nostrum, quatenus fieri poterit, quàm maximè intendere debemus. Vbi verò ad *ligantem* in hac occulta abysso amorem pertigerimus, ibi nosipsos amori pro illius arbitrio relinquamus oportet, cùm illic nostri potentes non simus, nec vlla ibi cogitatio, nullum virium exercitium, nullæ deniq; sint virtutum actiones. Sin autem tantum nobis illic spatij, tantillaqúe libertas concedatur, vt vel vnam liceat cogitationem concipere, iterũqúe ad amorem vulnerantẽ recidamus, tum ilicò nos sursum erigere, excitare, inflammare, amore pugnare, desiderare & obsecrare debemus. Cogendusqúe tunc nobis amor est. Si quis loqui nõ valet, cogitet desideretq;, dicatq; cum D. Augustino: Iussisti Domine, vt diligam te. Da quod iubes, & iube quod vis. Dicat inquam: Iussisti Domine, vt diligam te *ex toto corde tuo,*

Miri quid dam de Platone.

Quàtopere vacuitas seu otium vitandum.

Deuota & efficax S. Augustini oratio.

ex tota

ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex omni mente mea. Da mihi, vt te ex toto, ex toto, ex toto diligam. Si quis autem adhuc tam rudis est, vt mente & cogitatione hæc agere nō possit, vel ore depromat. Cæterū ita non faciunt, qui nihil exercitati, quieti se tradunt, quasi iam omnia peracta sint, cùm nihil huius amoris habeant. Dehinc amor *languens* accedit. Quartò demum loco amor *insaniens* venit. Hîc iam, dilectissimi, amor descendit, & intellectus ascendit. Nec vnquam eiusmodi homines plus ad emendum & vendendum rationis, intellectûs & prudentiæ habuêre, quàm modo. Comparatur autem hic amor insaniens lucernæ. Qui namq; illo præditus est, sentit quidem ardorem illius, quo sic æstuat, vt durare vix possit, & omnibus viribus suis ad amorem incomparabiliter anhelat, neq; tamen eo se præditum nouit. Deniq; & sanguinem & ossium medullas absumit. Agat iam eiusmodi, satisq; caueat sibi, ne externis propriæ voluntatis institutis & exercitijs naturam destruat, ne, quando amor sua est executurus opera, cedere compellatur: sed ita se gerat, vt ipsum in illius impetu & actione sequi possit. Sed aiunt quidam, velle se hunc vitare impetum, ne destruantur, nec id magnopere ad ipsorum attinere statum. Vbi verò amor hic insaniens hominem inuadit, omnis hominis operatio succumbit: tumq; loquitur Deus verbum vnum per hominem, quod ipsum longè nobilius, multoq; vtilius est, quàm centies mille cunctorum hominum verba. De quo B. Dionysius Areopagita sic ait: Quādo Verbum æternum in animæ fundo profertur, si modò tātæ capacitatis, tamque præparatum sit fundum, vt Verbum illud æternum in sua integritate, vti generatur ipsum, non per partes, sed totum queat suscipere, tum fundum cū eodem Verbo vnū efficitur, sitq; idem ipsum in Verbo, ita tamen, vt fundū semper creatura secundū essentiam permaneat. Quod etiā Dominus noster Iesus Christus testatur, vbi ait: *Volo Pater, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* & cum Augustino dicit: Tu in me mutaberis. Huc autem, charissimi, nulla potest ratione perueniri, nisi per hanc amoris viam. Audiamus nunc quid ipse de se Domini Baptista loquatur: *Ego, inquit, vox clamantis in deserto: parate viam Domini*, quæ est via virtutum: *rectas facite semitas eius.* Via, trita & publica est. Semitæ, subtiliores sunt. Si quis enim modò in frumento semitas explorare deberet, sudaret ille plurimum, & præterea à recto deuiaret tramite: tametsi semitæ compendiosiores sint, & iter multo reddant breuius, quàm publicæ plateæ. Atque ô si quis semitas ad fundum deducentes attingere posset: quàm ille breuiaret iter? quanto vteretur compendio? O si quis suum duntaxat fundum obseruaret, & ante omnia maneret secum, obseruaret etiam semitas ad fundum perducentes, quæ vtique vastæ sunt, & subtiles raræque, obscuræ & incognitæ: nulla profecto aduersitas, nulla pressura intus vel foris, nullus denique defectus siue vitium illi accideret, quin omnia hæc perducerent, inuitarent, impellerent eum ad fundum suum. Sunt præterea & interiores dirigendæ semitæ, eædemq; diligenter obseruandæ: aduertendum etiam quæ sint viæ nostri spiritûs ad Deum, & Dei ad spiritum. Hæ namque semitæ admodum subtiles sunt & occultæ. Quas plerique peruertunt potius, dum totos se semper ad externa exercitia, exterioresq; actiones effundunt & extrouertunt, haud secus agentes, quàm si quis Romam accessurus, quæ in superioribus sita est, ad Batauos descendat, tanto longius à recto deuiaturus itinere, quanto longius processerit. Cumq; resipiscunt illi, & rectum cupiunt iter repetere, iam senio prægrauati, capitis debilitate laborant: sicq;

Lucernæ quis amor cur similetur.

S. Dionysius.

Ioan. 17.

Ioan. 1.

Quid cuique summè obseruandum.

...sit, vt amori in opere illius & impetu sufficere non possint. Cæterùm vbi quis in hoc amoris impetu seu vehementia positus est, non de peccatis suis, non de humilitate, non denique aliud aliquid cogitabit, nisi hoc tantùm, vt amori in illius actione sit satis. Pugnatur tamen etiam amore, atque contenditur in ariditate, in derelictione, in frigiditate, in duritia: ita videlicet, vt in illis nos amori resignemus, amori integram seruemus fidem, continentes nos in omnimoda paupertate & exilio omnium, quæ amor non est, perpetuoq́ suspiremus desiderio, plenamq́ & certissimam teneamus fiduciam, & inseparabiliter demum amori adhæreamus: certi quòd ita agentes, tanta tamq́ue multa percipiemus sentiemusq́, vt nemo dignè exprimere possit. Quod si plenam amori fidem non seruamus, desiderium nostrum flaccescit & tepescit amor: atq́ ita nullos reportamus fructus, sed vacui permanemus. Quamuis autem habeat fortalse aliquis omnia quæ haberi possint amoris indicia & argumenta, si tamen hoc intra se amoris testimonium non reperiat, nihil sunt alia omnia. Colligat inde licet amore se præditum, nihil hoc diabolus moratur: quin & permittit illi adesse cætera, modò hoc verum non consequatur veri amoris testimonium, veri, inquam, amoris. Fallacem namque amorem libens illi malignus spiritus relinquit, vt scilicet persuasum habeat amare se Deum. Atqui si fundum suum penitius scrutaretur, inueniret haud dubiè, quomodo suus se habeat amor. Et hoc est, dilectissimi, quod potissimum deest vobis, quòd ad fundum minimè vos recipitis. Quò si perueniretis, sentiretis vtique, vt continuè sine cessatione vos gratia adhortetur excitetq́ue, vt mentem habeatis supra vosipsos subleuatam. Sed huic admonitioni tam crebrò grauiterq́ plerique resistunt, vt indigni prorsus fiant, qui eam vnquam recuperent: cuius potior causa est, quòd sibiipsis plus satis placent. Qui si gratiæ fulgoribus obtemperarent, perducerentur his vtique non ad fundum modò, sed ad tantam quoque cum Deo vnionem, vt in tempore sentirent, quo æternaliter sunt fruituri, vti crebra experientia probatum est. Quod nobis omnibus præstare dignetur Deus omnipotens, in secula benedictus. Amen.

Quo sine amore nihil fructus assequare.

Quem amorem Satan homini non inuideat.

IN FESTO DIVI PETRI Apostoli.

De correptione & admonitione fraterna, quando ea licita vel illicita sit: & potißimum, vti sese superiores quique erga subditos gerere debeant.

SERMO VNICVS.

Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. II. TIMOTH. IIII.

HÆC sunt, dilectissimi, verba Apostoli, quibus instituebat olim discipulum suum Timotheum, quem Episcopum & rectorem aliorum ordinârat: quæ nihilominus ad omnes spectant superiores, & eos qui confessiones recipiunt, quos nimirum his duobus præditos esse oportet. Primum est, vt reprehendant externa, omnia seu manifesta peccata, quæ corrigere possint, & præcipuè, vt eos, quibus præsunt, veritatem edoceant. Id enim impendio necessarium est: & multa

Quæ duo Confessionarijs necessaria.

multa hinc conscripta sunt, vt subditi instituendi, corripiendi, increpandi sint, singuli iuxta conditionem suam, præcipuè à Diuo Gregorio in Pastoralibus: vbi cùm omnia plenissimè habeantur, hîc talibus supersedebo. Dicam autem de altero, quod magis spiritale est, docetqúe hominem potius semetipsum intus iudicare: quandoquidem id cumprimis necesse est, vt qui internus fieri volet, alios non obseruet, maximè peccata ipsorum, ne quam displicentiam cõtrahat, vel mentis amaritudinem, aut temerariam aliorum iudicationem incurrat. Hæc enim tanta animæ damna inferunt, vt satis doleri non possit. Vnde & vos moneo, charissimi, vt quàm charus vobis est Deus, ab aliorum consideratione animum reuocetis, & totos vos recipiatis ad vosmetipsos: & si quę in alijs vitia cernere contingat, studiosè exploretis, fuerintne præteritis temporibus eadem in vobis, aut sintne etiamnum. Si ea in vobis deprehendatis, diuina id prouidentia ac dispensatione factum cogitetis, vt in alijs ea conspiceretis, vt inde ad vestrijpsorum cognitionem, ad cordis contritionem, ad morum deniq; vitiorumq; correctionem adduceremini. Simulq; & pro illis, in quibus ea notâstis vitia, preces ad Dominum fundatis, vt & illis Dominus pro suo diuino beneplacito cognitionem emendationemqúe largiatur. Sic planè bonus quisque etiam ex aliorum peccatis fit melior, & ab omni iudicatione, displicentia, cæterisqúe vitijs seruat immunem, vbi peruersus omnia in peiorem rapit partem, & pessimè interpretatur quæcunque videt. Atque ita bonus quisque verum seruat amorem, & fidelitatem erga proximum: eademqúe dilectio etiam alios in corde illius innoxios reddit. Si quid enim infirmum, seu quod vitium in alijs aduertat, non ita esse cogitat, vt foris videtur, sed ex bona procedere intentione, aut ideo Deum id permittere, vt ipse inde commoneatur & corrigatur, vel vt seipsum exercere, mortificare, & vincere discat, patienter sufferendo defectus aliorum, sicut & ipsius sæpius mala Deus dissimulauit, & peccata patienter tulit. Quod ipsum profectò multo sæpe homini vtilius, multoqúe melius foret, quàm alia omnia, quæ forinsecus monendo & corripiendo facere posset, etiam si illa ex amore fierent: sicuti crebrò sibi persuadent homines ex amore se corripere, cùm tamen longè aliter se veritas habeat. Equidem in veritate vobis affirmo, charissimi, si vosipsos per patientiam & pacem in cordis puritate vincatis, omnes vicistis aduersarios vestros: quod haud dubiè multo præstiterit vobis, quàm si totum mundum scribendo & sapientia vestra lucremini, vosipsos interim perdentes noxia perniciosaqúe aliorum iudicatione. Ait enim Dominus noster: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Hic tamen excipio eos, quibus id ex officio ab sancta Ecclesia iniuncto incumbit, vt alios corrigant, qui sagaciter aduertere debebunt, quomodo & quibus ex causis reprehendant, vti nos beatissimus Apostolorum Princeps Petrus scriptis & vita docuit, qui ipse totus mansuetus & misericors fuit: ne videlicet aliquem toruis gestibus, aut turbulentis & iracundis ac asperis verbis corripiant, quæ tristitiæ & indignationi fomitem præbent, (neque enim id ipsos decet) sed (quod solum eis permissum est) ad emendationem & ædificationem sibi subiectos reprehendant. Sed, proh dolor, ita nunc vt plurimum fit, vt Prælati & superiores multum hac in parte negligentes sint, palpentqúe semetipsos, durius quàm oporteret subditorum mala castigantes. Vnde non modo nulla sequitur corre-

Quò sibi quisque recipiendus.

Matth. 7.

Quibus reprehendere alios liceat.

correctio, sed maior etiam peruersitas eorum quos reprehendunt. Qui si subditos suos in timore Domini cum mansuetudine instruerent, vt aduertere possent, pro sola id animarum suarum salute fieri, multo citius totos se emendationi exponerent, & manerent in pace sua. Dum autem vident, proh dolor, Prælatos suos suum duntaxat priuatum commodum & honorem sectari, seq; præter fas & æquitatem opprimere, magis rebelles magisq; inuoluntarij fiunt. Sunt enim reuera plerique, qui se ex iustitiæ zelo subditos corripere arbitrantur, cùm tamen ex iracũda vltione & animo auerso id agant: quodq; odio vitiorũ se facere credunt, hominũ potius odio faciant. Sed obsecro vos, quicunq; tales estis, discutite vosmetipsos, si in veritate diligatis, quos tam acerbè punitis: vt vos quidem persuasum habetis, ex deuotione & zelo iustitiæ, sed vt timendum est, potius ex auersa impatientia, quàm ob iustitiam ex vero pietatis ac benignitatis fundo moueamini. Quod tamen de illis potissimùm dixerim, qui necdum interna cordialis dulcedinis & diuini amoris gaudia experti sunt: quibus id vsuuenire solet, vt subditos suos tam importunè compellant & puniant, aut durioribus verbis toruoq; adspectu immitius aggrediantur. Quæ enim anima amorem intimum diuinamq; dulcedinem necdum experta est, discretionem in modo, in verbis, dum corripit, seruare nescit: quandoquidem vera charitas docet, vt tractandi sint, qui reprehensibiles sunt. Porrò qui ratione officij arguere volunt, illi contemptum Dei & animarum damna præuenire debebunt, atque ita blandis ac dulcibus verbis & mansuetis gestibus corripere qui corripiẽdi sunt, vt infirmiores notare possint, suam duntaxat salutem, non aliud aliquid, spectari. Quòd si ex diuina permissione id accidat, vt nonnũquam subditi per immodestiam & temerariam erga Prælatos suos irreuerentiam excedant, non id respicere, nec vllo pacto vindicare debebunt, quatenus absque aliorum subditorum suorum scandalo fieri poterit. Si enim vlciscantur, seipsos suspectos reddunt, quod illis fortasse impedimento erit, vt nullum per ipsos fructum Deus facere possit. Sed maiori cum patientia ac benignioribus verbis & gestibus quàm alijs facerent, eiusmodi sese exhibebũt. Hæc enim vt plurimum ferè maxima superiorum tentatio est, per quam multum de martyrij gloria vel perdunt, vel merentur: vnde diligentior hîc eis perpetuò cura adhibenda est. Mansuetudo namque, & libenter hominum erratis ignoscere, sic decent Prælatos, vt his virtutibus meliores habere non possint. Quibus tamen & hoc summopere agendum est, ne priuatum honorem ambiant, néve quem singulari prosequantur amore, sed omnes sibi subiectos concordi dilectione, velut mater pijssima filios suos complectantur: maximè verò infirmis ac malè habentibus amorem & fidelitatem impendant. Ad hæc corda sua iugiter ad Deum leuent, petendo ab ipso & seriò rogando, vt subditos suos conseruet, protegat, tueatur: nec vlla ex parte placeant sibimetipsis: & quantum fieri poterit, primùm opere ipsi impleant, quod à subiectis fieri velint. Ita enim, diuina opitulante gratia, omnia facilè effectum sortientur, vbi Prælati virtutibus dediti fuerint: quos nimirum, velint, nôlint, subditi sequi cogentur, etiam si ad omnia sint vitia & mala procliues, & infenso in Prælatos suos animo. Cæterùm quibus nulla alios regendi authoritas commissa est, id est, qui in simplicitate absque officio vitam degunt, illis cum primis necessarium fuerit, vt seipsos intrinsecus occultè iudicent, & pro virili quæcunque externa iudicare caueant, quando vt plurimum in huiuscemodi

Cur subditi aliquoties rebelles fiant.

Reprehẽsibiles qui reprehẽdẽdi.

Qui Prælati vel martyrũ assequantur, vel perdant.

cemodi iudicijs erratur: & plerunque secus sese res habent, quàm nobis forinsecus videtur, vti postea sæpius comperimus. Vnde vulgari fertur prouerbio: Is sapiens est, qui omnia nouit in melius interpretari. Quod vt & nos faciamus, præstet nobis Dominus Deus noster, in secula benedictus. Amen.

IN COMMEMORATIONE DIVI PAVLI Apostoli.

Vt perfectè nobisipsis & omnibus emori debeamus. De afflictionum vtilitate. De amore, passione, & sanguine Christi.

SERMO VNICVS.

Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. AD GALAT. II.

DIVVS hîc Apostolus Paulus, cuius hodie Festa celebramus, tam perfectè sibiipsi, charissimi, & omnibus mortuus erat, adeoque in essentialem quendam Dei & cunctorum hominum amorem trásformatus, vt paratus esset, pro omnium salute mortalium, etiam mille subire mortes: tam denique suiipsius oblitus, vt *nihil sciret nisi Christum, & hunc crucifixum*, & omnem Christo hominem lucrari cuperet, tanquam totius mundi communis esset pater, & vniuersum mundum ipse genuisset. Et vt tantum nos Apostolum in vera dilectione & resignatione sequi, Deoque placere possimus, inter cæteras virtutes, quibus studendum est, hæc quatuor nobis sectanda sunt. Primum est, immensa abstractio, exilium, elongatio ab omnibus rebus creatis extra Deum. Secundum, obliuio & ignoratio omnium labentium creaturarum. Tertium, continuus in principium nostrum Deum respectus, idque cum lugubri ac penetrante desiderio & expectatione Dei. Quartum, operatio, per quam vicinius Christo imprimimur ac conformamur. Immensa quidem seu abyssalis abstractio vel exilium est, vt prorsus oblitus sis, si quis aliquid tibi debeat vel obstrictus sit, sicuti omnia in obliuionem abibunt, vbi vltima miseræ mortis ingruerit hora. Deinde si in tempore supra tempus viuere voles, & ab omnibus esse creaturis abstractus, intelligentiam tuam obliuisci docebis omnium quæ natura præstare possit. Cæterùm continuus in Deum respectus est, vt omnium eorum, in quibus Deum inuenire non potes, præsentia vulnus tibi semper infligat. Operatio demum, in qua Christus vicinius nobis imprimitur insculpiturque, ea in nostris fit interioribus, vbi Christus ex Patris sui persona essentiam semper & naturam suscipit. Quantoque Christus hominē in sua ex Patre emanatione magis respicit, tanto in illo purius formatur. Sanè quicunque modò Christo se in pœnis & amaritudine per patientiam conformant, illi etiam percipient cum eodem effluxum & influxum, in quo ille semper naturam & essentiam capit ex Patre. Et quisquis vitijs suis mori & interire potest, is etiam ex Deo nouam potest percipere fortitudinem. Qui in Christum transfundit omnes humanæ naturæ suæ vires, in hunc ille diuinæ naturæ suæ vires refundet. Morte interiorum medullarum hominis, amorosum Dei cor satiatur. Felix & beata mens, quę ab omnibus rebus creatis nudata, expedita & vacuata est: quæque nulli se potest rei creatæ imprimere,

1. Cor. 2.

Quæ quatuor virtutes maximè necessariæ.

Abstractio.

Cor Dei quo satiatur.

Deum commouet ad trahendum ipsam in intima diuinitatis suæ. Abscessus omnium rerum creatarum extra mentem hominis, ingredi facit atque emanare in eandem diuitias diuinæ virtutis. Nec potest quisquam diuinam præsentiam & similitudinem perfectius capere, quàm is, qui omnibus mortuus est: tam, inquam, mortuus & in mente & voluntate, vt id quod nunquam Esse sortitum est.

Proxima ad perfectionem via quæ.

Proxima ad perfectionem via est, omnibus mori, & soli Deo viuere. Qui semper moritur in seipso, semper absque cessatione viuere incipit in Deo. In verissima omnium rerum creatarum morte in anima, gratissima ac naturalissima vita latet. Nulla tam propria, tamq; naturalis ad æternam vitam capessendam operatio est, quàm mortificatio & mors animi siue mentis omnibus rebus creatis, & subiectio, demissio, nihilipensio, abiectio suijpsius subter omnem creaturam.

Paradigma.

Homo quidam cogitabat secum, vt Deus quosdam tam amabiliter ac dulciter, quosdam verò non nisi per pœnas trahat. Cui Dominus respondit:  Quid, inquit, amabilius nobiliúsve tibi videtur, quàm quod mihi similius est? Et hoc afflictio est. Cui, quæso, molestior ac multiplicior vnquam irrogata crux est, atque mihi? Aut vbinam magis propriè & excellētius operari possum, quàm in illis, qui mihi similimi sunt? Qui sunt homines in afflictionibus constituti. Nemo vnquam tam acerbè passus est vt ego, nec tamen me quisquam purior fuit. Quando verò magis irrisus fui, quàm cùm Patrem meum cælestem quàm maximè honorarem? Certum id habe, diuinam naturam meam nihil vnquam tam excellenter in humana natura operatam, quàm afflictionem. Quanto autem afflictio operatur nobilius, tanto & maiori ex dilectione donatur. Semper tamen humanæ naturæ fragilitate attenta, ex amore & iustitia nihil ei supra ☞ vires mihi perspectas imponere possum. Oportet nimirum fortiter coronam imprimi, quæ perenniter coram Patre meo virere atque florere debeat. Itaque qui profundè cupit demergi in abyssale diuinitatis meæ pelagus, hunc & in acerbarū passionū profundum mare altè satis immergi necesse est. Equidē super omnia emineo, & mira ac supernaturalia in meipso opera ago: & quisquis sese supernaturalius atq; profundius subtus omnia deprimit, supra vtraque omnia supernaturalius trahitur & effertur.

Paradigma. Perfectè mortuus quis.

Quidam nôsse cupiebat, quando quis perfectè mortuus sit. Cui Dominus respondit: Tunc te scias perfectè mortuum, cùm vitia cuncta tam tibi impossibilia & aduersa fuerint, quàm sunt celsissimæ diuinitatis meæ generositati. Tum iste ad Dominum: Quid, inquit, piissime Deus mortem hanc in homine operabitur? Respondit Dominus: Præsentia mortis ac morientis vitę meæ, in qua semper humani generis salutem operatus sum. Nam & mihi præsens semper erat mors mea, cum æstuantissima siti patiendi pro homine acerbissima quæque, vti præordinatum erat & constitutum mihi à Deo Patre. Nec tamen sufficiebat mihi, quòd ego solus omnium essem abiectio creaturarum: quin & omnes, qui me confitebantur, odio haberi, & exquisitis confici tormentis oportebat. Ardentissima quoque sitis illa, qua humanam sitiebam salutem, effluxum quendam & ebullitionem eruptionemq; amorosi ac bullientis pariebat sanguinis mei. Fuisset enim hoc ipsa quoque cordi meo durissima, quam patiebar, morte acerbius, si vel vnica sanguinis vel vnde guttula in corde meo remansisset, quam pro salute hominis ex eodem flagrantissimo corde meo non licuisset effundere.

Sigilli & amoris collatio.

Vt enim sigillum formam suam ceræ imprimit, ita & vis amoris, quo hominem dilexi, eiusdem hominis mihi, puta mani-

manibus pedibusq́ meis, ipsiqúe diuino cordi meo, impressit imaginem, vt illius nunquam possim obliuisci. Porrò sicuti vulnera mea acuti claui & lanceæ mucro forârunt, sic eadem vicissim suauissimo diuinitatis meæ balsamo repleui, vt semper copiosè in humanæ naturæ promanent fragilitatem. Enimuerò sanguis meus balneum est, ex diuinitatis ardore semper bulliens, vt abluatur in eo homo à peccatis suis. Quid verò iucundius, quidve gratius mihi esse queat in passionibus meis, quàm operari eas in illis, quorum gratia eas sustinui, & fructum atque vsuram facere in charis membris meis? Planè nihil mihi maiori voluptati est, quàm vt videatur ab omnibus, quàm supernaturaliter per vim amoris mei pro homine operatus & passus sim. Homo quidam deuotus, quum secum cogitaret, quàm graue fuisset Domino videre hostes suos, cùm ab illis caperetur, tale ab eodem responsum accepit: Hostes mei sic coram me erant, vt apud aliquem amici illius, volentes ei auxilio esse ad perficiendum gratissimum atque optatissimum, quod toto vitæ suæ spatio patrâsset opus. Sic etiam cuidam Dominus miserabiliter semetipsum ostendit, quàm omni fuerat sanguine destitutus & exhaustus, quando à colūna solutus fuit, dixitq́: Vide, obsecro, quàm totum me hominis amor ebibit & exsuxit. Quomodo ergo non mihi gratum sit, ex ipso bibere refusionem seu compensationem passionum mearum? Aduerte, quæso, quot amoris signa in me homo conspicere possit, si me videat tam innumeris amoris vulneribus confectum, sacratissimamq́ ruminet passionem meam? Tam nobiliter, tam excellenter Deo anima vnitur, & in primam transformatur originem vnde profluxit, vt meritò cogitationes omnes aliquod in hac vnione medium parientes, veluti mortem ipsam horrere ac fugere deberet. Neque enim extraneum aliquid ea potest cogitatio sustinere, quæ in se Deum suscipere debeat. Ideoq́ tantùm inuisibilia & ineloquibilia appetenda sunt. In his verbis obliuisceris omnium, quæ verbis exprimi possunt. Occulta sit conuersatio tua, vt in te secretè queam operari: & occultum serua, quicquid ipse in te operor. Inde enim cunctis sum amabilis creaturis, quòd creaturis omnibus inæstimabiliter occultus sum. Quàm verò naturale mihi est habitare in corde Patris mei, tam quoque naturale & gratum mihi est commorari in anima, in qua quietem reperio, & cruentorum similitudinem vulnerum meorum, quam equidem perenni paterni cordis mei amoris cauterio notaui, immò & vulneraui: quod vtique vulnus coram oculis meæ diuinitatis perenniter florebit. Quem in hac vita doloribus, afflictionibus, pœnis excruciandum decreui, hunc & in beata æternitate suauissimo diuinitatis meæ melle frui debere præordinaui. Sanè ad fundum animæ secundùm essentiam pertingere non possum, nisi se homo cum humilitate exhibeat, offerat resignet, omnemq́ expellat, vt ita dicam, naturalitatem. Cæterùm vt D. Pauli exemplo perfectius Christo configamur cruci, notetur breue istud, sed haud contemnendum, de cruce Dominica exercitium: quod vos, dilectissimi, familiare habebitis & quotidianum, fructum inde, si non desit sedulitas & perseuerantia, non minimum reportaturi. Itaque Crux sancta, instar veri lectuli, quatuor habet angulos, ad quos sacratissima Filij Dei membra extenta fuere, quo per id nobis liquidò daretur intelligi, illum vniuersum mortalium genus, id est, cunctos homines communi quadam dilectione complecti, atque ex quatuor mundi angulis cunctos ad se in lectulum suum instar feruentissimi amatoris pertrahere desidera-

Paradigma.

Aliud.

Animæ domicilium quam Deo sit gratum.

Pium de Cruce Domini exercitiū.

Anguli crucis quatuor, quid.

2. Cor 5. 1. Tim. 2. Partes crucis quid.

siderare. *Pro omnibus* enim *mortuus est, & omnes optat homines saluos facere.* Quod ipsum & forma crucis illius præ se fert insinuatque. Eius nanque pars superior, Angelorū eum ruinam instaurare voluisse significat: Pars inferior, Patres eum ex Limbo redimere: Pars dextri lateris, suos eum protegere amicos & benedicere: Pars sinistra, trahere eum atque conuertere inimicos suos cunctosq; peccatores voluisse, designat. In extremitate superiori, cæli reseratio: in inferiori, destructio inferni: in dextra, gratiæ diffusio: in sinistra, peccatorum remissio significatur. Iam verò iuxta beatissimi Apostoli huius, cui hic præsens dies sacer est, institutionem, *etiam in nobis sentiamus, quod est in Christo Iesu,* id est, huic cruci iam dictæ spiritaliter nos conformemus, quo Christo in animabus nostris delectabilem præparemus lectulum, quatuor angulis instructum, quorum vnus sursum, alius deorsum, tertius intro, quartus respiciat foras. Hi nimirum quatuor sunt vitæ semitæ, non modò ad Paradisum nos perducentes, sed tam grato quoq; nos decore exornantes, vt ipsimet Deo voluptatis Paradisus efficiamur, & instar terrestris illius Paradisi, quatuor è nobis procedant flumina peramœna, in vitam vsque salientia æternam. Supremus quidem huius lectuli angulus, seu extremitas suprema, est, vt corda cunctaq; nostra desideria cum omni facultate nostra expandere & extendere debeamus ad Deum, in amore, in gratitudine, in laude, in reuerentia, in humili resignatione & obedientia siue subiectione, ita vt momentis omnibus tantum Deo laudis & honoris cupiamus impendere, quantum creaturæ omnes in omnia seculorum secula exhibere se posse desiderabunt. Sed neque hoc pacto sitienti nostro desiderio satisfactum esse debebit, sed Deum humiliter precabimur, vt ipsemet perficere dignetur laudē suam, quam nulla perficere, nulla capere creatura potest. Infima extremitas est, vt nosipsos tam profundè cum ingenti deijciamus, humiliemus, demergamus, nihilipendamus humilitate, vt non modò vilissimos ac indignissimos totius orbis nos iudicemus peccatores, sed tales quoq; ab omnibus haberi ac reputari desideremus. Enimuerò adeò se quisq; deijcere in ima, adeò se vilipēdere ac demittere deberet, vt Deus cū omnibus donis suis eum non posset extollere: quantoq; largioribus ac copiosioribus Dei donis perfunderetur ac charismatibus, tanto & se amplius nihilifacere & humiliare, Deiq; bonitatem eò magis laudare deberet & extollere, hoc ipsum impendio secum admirans, quòd Deus sublimis & gloriosus, tam inutilis, indigi, extremi vermiculi vel semel meminisse, & vel aliquid saltem per eum operari dignaretur. Extrorsum versus tendēs extremitas est, vt tam latè ad creaturas cēs simus extenti, vt complectamur omnia, veraq; cū dilectione cūctos in cælis, in terra, in Purgatorio degentes, amplexemur. Ex primò quidē in cælis positos beatos spiritus amabili cū fauore circumplectamur, de illorū exultando gloria, ac perinde gratias ob eam Deo referendo, ac si nosipsi ea frueremur. Deinde animas in Purgatorio detentas ita complectamur per cōpassionem, vt tantū illorum pęnis & cruciatibus cōpatiamur, ac si nosipsi ea tolleraremus, eisq; succurramus & opitulemur pro viribus. Tertiò, ad omnes adhuc superstites homines extenti erimus, vera eos cōplectendo charitate, nullo penitus excluso, & opem ferēdo, subueniendoq; singulis pro virili, idq; tāto cum cordis affectu, vt doleamus esse aliquem, qui nostra non sit ope subleuatus: tam ingenti quoq; cum amore cuncta nostra peragendo opera, vt tam ea prodesse optemus omnibus, vt nobisipsis: atque sic demum nos extrouertendo, vt semper manea-

Marginal notes: Phil. 2. — Extremitas crucis suprema. — Infima. — Charitas nostra quotifariam extendi debeat. I. II. III.

maneamus intus, aut ad minus absque impedimento nos rursum queamus intro recipere, sitqúe exitus noster verus ingressus. Quartò nanque (quæ est ea extremitas, quæ intro spectat) cunctas vires nostras cum Mose tam altè ad vnicæ quieti cordis nostri solitudinis siue deserti interiora minari debemus, donec omnem multiplicitatem & inquietudinem euaserimus perdiderimusqúe, simulq; cum eodem Mose ad admirandum Dei pertingamus vultum, vbi in silentio Dominum præstolabimur. Ibi tum internam Dei vocem in deserto clamantem audiemus, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*. De hoc deserto Dominus in Oseæ loquitur: *Ducam eam*, inquit, animam videlicet amantem, *in solitudinem & ibi loquar ad cor eius*. Hi sunt, dilectissimi, quatuor anguli seu cornua quatuor sanctæ crucis, & lectuli amoris. Et reuera quisquis suum ita instruxit & præparauit lectulum, Christum amatorem suum cum anima amante fidenter inuitare potest, ac dicere: *Veni dilecte mi, lectulus enim noster floridus*. Denique sic suũ instruxerat lectulum gloriosus Christi Apostolus Paulus. Ideoqúe confidenter ait: *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quod precibus & meritis eiusdem Apostoli nobis omnibus præstet Deus omnipotent, pius & misericors, cui est omnis honor & gldria in secula seculorum. Amen.

IV. Exod. 3. Esa. 40. Oseæ 2. Cant. 1. Gal. 2.

IN FESTO VISITATIONIS GLORIOsissimæ semper Virginis Mariæ.

De duplici quodam hominum more: deqúe tentationibus hominibus abstractũ occurrentibus, & quæ eos prius oporteat experiri, quàm ad supremam perfectionem pertingant.

SERMO VNICVS.

A Thaulero in Octaua Natiuitatis beatissimæ Virginis Mariæ habitus, sed in hoc Festum translatus à nobis in gratiam Lectoris.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. ECCL. XXIV.

SOLENNITATEM hodie celebramus, dilectissimi, celeberrimæ atque dignissimæ Virginis Mariæ, de qua D. Bernardus & plerique alij sanctitate conspicui fatentur, se eam dignè laudare non potuisse, sed præ laudum eius copiosissima exuberantia fuisse tacere compulsos. Cui etiam hanc fundit precem idem ipse Bernardus: Quamuis ô sanctissima ad supergloriosissimæ diuinitatis affinitatem subleuata sis, noli tamen eam obliuisci cognationem, quę tibi ad homines est: nec ita in diuinitatis recedas abyssum, quin & humanæ sis memor infirmitatis, quam & ipsa olim aliqua ex parte sensisti. Idq; genus alias complures deuotissimas orationes inuenire est, & ab hoc ipso D. Bernardo, & ab alijs ad hanc beatissimam Virginem fusas. Est autem duplex hominum modus siue mos. Alij nullas volunt preces fundere, dicentes se nihil penitus orare posse, sed Deo sese duntaxat resignare & velle & debere, vt ille tam secum quàm cũ omnibus suis negotijs & causis pro suo faciat arbitratu. Alij studiosè admodum & Virginẽ gloriosam, & cæteros quoq; Sanctos pro suis causis

Duplex hominũ mos aut modus.

Non orãtibus quid desit.

omnibus precamur. Sed his vtrisque multum adhuc deesse potest. Prioribus quidem deest, quòd non satis perspexêre institutum esse ab Ecclesia, vt preces fiant, idipsumq; ipsum nos Dominum Deum nostrum & verbo docuisse & exemplo, quando ipse Patrem suum cælestem orauit. Hos autem simplex eorum fortassis excusat intentio, quum aliter nesciant: & exaudiuntur, si nihil mali intendant, nec tales causæ sint, quibus Deus, nisi rogatus, annuere nôlit: de quibus D. Gregorius ait, Vult rogari Deus. Immò, charissimi, sæpe Deus hominem grauibus periculis & angustijs inuolui permittit, vt ad orationem excitetur: quem tum Deus exaudit, & præstat auxilium, vt hominis inflammetur amor, & de sui exauditione solatium accipiat. Alijs orantibus id deesse potest, quòd nimium irresignati sint, velintque prosperum semper habere successum ea pro quibus orant: quos equidem orare oportebat, sed cum vera sui resignatione, vt id in modis & rebus omnibus gratum illis esset, quod Domino placeret. Iam de prima thematis dictione, puta *Transite*, multa hisce diebus locuti sumus: vt videlicet homines incipientes, grossiores pilos, id est, grauiora quæque peccata: proficientes, malas ad vitia propensiones: qui verò perfectioni viciniores sunt, internas vitiorum radices abradere debeant. Modò aliquid de his postremis hominibus, prorsus amabilibus, dicendum est. Qui vbi seipsos abstraxêre, toto ad Deum corde conuerso, ipsum solum amare & intendere statuentes, teterrimam quandam illis diabolus tentationem ingerit, quam homines seculares exhorreant. Hanc autem tentationem vtrique habent, & abstracti isti, & seculares, siue seculo dediti: sed fundum vtrorumque longè diuersissimum est. Seculo deditis tentatio hæc ex immortificato fundo, & carnis ac sanguinis natura procedit: vnde statim tentationi huic obtemperantes, opere eam perficiunt: nec necesse habet spiritus malignus eos tentare amplius: vbi tantùm suggessit, nihil illi negotij superest. Bonis verò hominibus, qui in sua puritate constituti sunt, ab extra hęc tentatio accidit, non autem ex ipsorum fundo: nisi leuiter admodũ, puta quòd diabolus quandam adhuc in eis propensionem inuenit, tametsi puri sint: vt quòd fortasse ex natura ad iram procliues sint. Hoc vbi nequam spiritus aduertit, omnibus dolis & peruersa nequitia sua laqueos tendit: quo illi labore ad superandos seculo dedit opus non est, quòd isti statim sequantur. Itaque in hos congerit, velut si mittat quis lappas in aliquem, idq; alium post aliam, donec totum lappæ occupent hominem. Sic, inquam, tartareus hostis, dum ad iram hos propensos conspicit, aliquam eis aptæ ad commouendam bilem materiæ imaginem ingerit, nec vnam tantum, sed plures, aliam post aliam, donec vsqueadeò tandem ira incandescant, vt quosdam edant clamores, nec secus se habeant, quàm si eos, contra quos mouentur, cædere & confodere velint. Qui si tum ad sese redire, & profundè se in humilitatis fundum demittere possent coram Deo, si Confessoris illis copia non esset, redirentq; in concordiam atq; satisfacerent illis, quos fortè læserunt, moxq; sine omni excusatione in suum nihil, magnamq; (vt ita dicam) defectuositatem suam laberentur, hoc ipso certo certius totum hoc vitium siue defectus coram Deo haud secus euanesceret & consumeretur, quàm nix ad solis ardorem, redirentq; in omnimodam cum Deo gratiam, inimicus verò vacua manu confusus abscedere cogeretur. Qua in re si prudenter sese gerere voluerint, multo puriores, multoq; ad ascendendum paratiores efficientur. Dicam nunc aliquid charissimi, quod non ad omnes pertineat,

Quibusdã orantibus quid desit.

Quinam facilè tentationibus succumbant.

tineat, quodqúe nos miseri ob sui sublimitatem non absque terrore & tremore vel dicere vel audire debeamus, qui non illi viuere studuimus. Qui id experti sunt, nouerunt ipsum: nec tamen, quod satis sit, inde effari possunt. Apud D. Iob legimus: *Cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.* Vbi per spiritum, qui coram illo transierit, D. Gregorius sacratissimam Christi accipit humanitatem: per imaginem verò, quam viderit, nec agnouerit, incognitam eiusdem diuinitatem, quæ ignota & occulta est omnibus creaturis. Simulqúe huc adducit locum illum ex tertio Regum volumine, vbi Angelus ad Heliam ait in hæc verba: *Egredere, & sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio. Non in commotione Dominus, & post commotionem ignis. Non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. Quòd cùm audisset Helias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ.* In omnibus his modis, charissimi, id est, neque *in commotione*, neque in subuersione, neque *in igne* venit *Dominus*: sed erant hęc omnia tantum via quædam & præparatio. Cæterùm *montes* D. Gregorius mentes elatas interpretatur: & *petras* contritas ante Dominum, mentes irresignatas, & homines sibi placentes, cum suis proprijs inuentis ac institutis, propriæ voluntati ac irresignationi mordicus inhærentes, qui interim modos seu exercitia grandia habent, & magna quædam agunt opera, sed omnia cum proprietate. Ad hos quãdo Dominus venire statuit, prius magnam quandam *commotionem* mittere habet, quæ euertat omnia interiora ipsorum. Sed proh dolor horum exiguus est numerus: cuius ratio est, quod omnes rebus temporalibus inhæreant, & in ea, quæ corruptæ naturæ inest, viscositate & sensuum oblectationibus persistant. In quibus verò, sicut oportet, id est, neque plus neque minus, hæc *commotio* viget, his accidit, quod illis, quos ego perplures vidi, vt in illa hora vel centies eò adducantur, vt putent se animam efflaturos. Hac de causa quidam sciscitabatur ex Domino, quid adhæc facere deberet, quandoquidem nocte ac die sibi propter hãc commotionem moriturus videretur: deberétne sic periclitari vitam suam. Cui Dominus respondit: Non potes tu intus sustinere, quod ego tam immaniter & absque modo corporaliter perpessus sum, vtpote per manus, per pedes meos, & in toto corpore meo? Planè sunt quidam, dilectissimi, qui hanc commotionem ferre nequeant, sed huc atque illuc discurrant, foris requiem quærentes, vbi tamen minimè eam reperturi sint. Quos potius hanc sufferre oportebat, & ad ipsam passionem suam funditus se resignare. Cui profectò morti mira responderent. Credite mihi, charissimi, etiamsi ea quis puritate foret præditus, qua erat quando è baptismatis fonte leuatus est, nec vnquam in peccata cecidisset, nihilo minus si ad proximam vitalemqúe veritatem pertingere debeat, per hanc commotionem, & per hanc viam cum vera resignatione gradiatur oportet: alioqui certo certius in eodem semper luto hærebit deficietqúe. *Post* hanc autem *commotionem ignis* venit: sed nec in illo fuit *Dominus*. Hic ignis ardentem nobis amorem significat, qui medullas ossium & sanguinem absumit: & in ipso homo totus extra se constituitur. Hoc igne quidam tam vehementer foris & intus flagrabat, vt nusquam auderet straminibus appropinquare, credens, quod ex calore, quo æstuabat, succenderetur. Alius similiter, qui etiamnum superest, præ

Iob 4.
3. Reg. 19.
Paradigma.
Miri quidam de ardenti amore.

Aliud magis mirũ.

præ hoc ardore nunquam somnũm capere potuit; præterquam hyberno tempore, cùm nix densior cecidisset, in qua se volutans, obdormiebat: moxqúe vt attigisset niuem, & quæ longè & quæ propè erat nix, in aquam resoluebatur ac diffluebat. Sic, sic, charissimi, æstuans hic amor per spiritum in corpus erumpit penetratque. Attamen nec in isto venit *Dominus. Post ignem* verò *sibilus* erat *auræ tenuis*: & in ipso Dominus venit. Eia quid illic factum putamus, charissimi, vbi Dominus venit? Nimirum quando post omnia iam dicta, tam fortia, tamqúe vehementia, quæque tantam in homine commotionem & spirituum excitârũt, iamqúe omnibus tam quæ in natura, quàm in spiritu sunt, hoc igne concrematis, ipse Dominus venit, mira prorsus & stupenda in homine aguntur, adeò vt nisi Dominus naturam supernaturaliter conseruaret: si centum hominum vires illi vni suppeterent, haudquaquam suis viribus gaudium illud & exultationem, miraqꝫ ea quæ intus percipit, sustinere posset, tametsi non nisi fulgor quidam sit. In fulgore nanque etiam ad Heliam Dominus venit: sed tam ille vehemens, tam supra modum erat, vt Helias stans *in ostio speluncæ, pallio vultum suum* operiret. Quæ spelunca humanam signat fragilitatem: ostium verò speluncæ huius, non aliud est, quàm vbi in diuinitatem respicimus. Quòd autem *pallio operuit vultum suum*, hoc significat, quòd tametsi visio illa breuissima fuit, illius tamen saltem vnus minutissimus fulgor omnem vincit naturam, nec potest quisquam hominum ex sola natura illum sustinere vel comprehendere. Hic planè, charissimi, certissimè Deus adest: hic in veritate præsto est Dominus. Quæqꝫ hic dulcedo sentitur, mel omne cunctosqꝫ mellis fauos, quæ apud homines dulcissima vocantur, incomparabiliter excedit. Transcendit enim hæc sensus omnes, omnem superat intellectum, cunctas excedit vires, & in quandam tendit abyssum prorsus infinitam. Et quomodo infirma acies solis claritatem ferre non valet: millecuplo minus natura ob suam infirmitatem ea, quæ hîc sentit, potest sustinere. Certè quicquid hinc dici potest, quicquid sensibus, verbis, intellectu comprehendi, quanlibet id grande, quanlibet bonum sit, multo tamẽ magis ipsi impar est veritati, quàm si de nigro carbone verba faciam. Hîc est, charissimi, Sol lucidissimus, totum mundum illuminans. Hîc vera essentialis pax generatur, *omnem exuperans sensum*: quiqꝫ hæc feliciter experitur, in tam essentiali constituitur pace, vt deinde vix quisquam perturbare eum, aut pacem illi eripere possit. Porrò *imago* illa, quam Iob vidit, sed minimè cognouit, amabilem designat Filij in diuinitate personam: vox autem *auræ lenis*, in qua & ad Heliam Dominus venit, sanctum Spiritum significat. Quid autem sibi velit, quòd hîc in sibilo *auræ tenuis*: in Pentecoste verò, in spiritu vehementi & sono in Apostolos idem Spiritus sanctus venit, apud D. Gregorium habes, qui ait, ideo eum in Pentecoste exteriori homini externa ratione & visibili modo venisse, vt per sensualia exercitia ad Ecclesiæ & Christianitatis vtilitatem, gratiam acceptam Apostoli alijs impartiri possent: quod hîc necesse non fuit, cúm hîc in spiritum venerit. Felicem planè illum hominem, cui ad hoc tantum bonum vel semel ante obitum suum ad momentum vnum pertingere datur. Quãquam id certissimè tenendum sit, quamlibet bonum & grande sit istud, tamen dulcedini illi, qua in vita æterna perfruemur, tam omnino impar esse, quàm guttam minutissimam vniuerso mari. Sed quærat fortè aliquis, vbi desinant isti seu quid agant, quibus hoc ineffabile gaudiũ & mira hæc præstita & detecta sunt?

Vbi pax vera generetur.

Iob 4.

tunt? Nimirum charissimi, in abyssale se nihil suum modo ineffabili demittunt, ita vt si possibile foret, vel centies eos pro Dei amore & ad laudem ipsius in nihilum redigi, id illis maximo foret gaudio, percuperentque coram illa summa essentia pro reuerentia illius, ex amore eiusdem in non esse redire, & de altitudine illius in profundissimum sese fundum deijcere demergereque. Quanto enim illius celsitudinem perfectius cognoscunt, tanto & suam paruitatem & nihilum penitus intuentur. Denique in hac sui annihilatione adeò suijpsorum forma penitius exuuntur, vt si Deus hanc eis consolationem, & sentire hoc amplius præstare vellet, percipere recusarent, quin & fugerent. Nam si deliberata voluntate plus hinc capere vellent, non rectè cum illis ageretur, possetque fieri, vt per hoc in aliquod vitium seu defectum caderent, cuius pœnas deinde in purgatorio luere deberent: essetque hoc signum aliquod, non perfectè eos bene habuisse. Vis tamen amatiua vt siti quadam & desiderio æstuet, licet: sed ratio seu intellectus inde abscedunt. Istos, dilectissimi, vehementissima quædam patiendi sitis tenet: gratiorque nunc eis & optatior est passio & crux, quàm quicquid vnquam gaudiorum & consolationum à Deo perceperunt, vt amantissimi Domini sui vestigia & dulcissima exempla sectentur: cupiuntque grauissimo, ignominiosissimo, & qui maximè pœnis abundet modo, quatenus ferri possit, pati. Sitiunt prorsus crucem, & cum amore ac intimo desiderio subtus amabilem dilecti sui crucem sese demittunt. Hîc planè crux exaltatur, hic exaltatio sanctæ crucis in veritate agitur, vtpote quam mirum in modum amplectuntur & exosculantur: atque hic demum passio & exempla Christi in sua nobilitate generantur. Inde est, quòd cælicus ille Princeps Paulus Apostolus, qui *ad tertium vsque cælum raptus* fuerat, ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.* Et beatus Iob: *Suspendium*, inquit, *elegit anima mea, & mortem ossa mea.* Hæc elegit ille pro bonis omnibus, quæ præstiterat illi Deus. Hoc suspendium in cruce maximam pœnam habet, quando & Dominus suus pependit pro illo in cruce. Dehinc Dominus horribilissimas tenebras, & vastissimum exilium eiusmodi hominem incurrere permittit, ita vt totus sit vndique derelictus. Iam verò quomodo se habet, obsecro, vis amatiua, quæ dudum amoris igne tam fortiter ardebat, nunc autem tota prostrata est, & omni solatio sensibili destituta? Sed ad eam ratio accedit, & dicit: Hæc est hæreditas, quam Dominus dilectis suis dereliquit, animam Deo plenam, & naturam siue corpus afflictionibus repletum. Itaque quanto amor plus vel minus feruet, tanto & hæreditas magis atque minus huic homini sapit, immò multo melius, quam omnis ei consolatio vnquam sapere potuerit. Hæc est hæreditas desiderabilis, quam Dominus per Prophetam pollicitus est amicis suis: quam quanto hîc præclarius tenent ac diligunt, tanto & beatam cælestemque hæreditatem potentius, interius, felicius æternaliter possidebunt. Hanc hæreditatem sancti Martyres multo amore prosequuti sunt. Denique hic, de quo agimus, iam nunc primum inchoare se velle viuere proponit, atque ita se habet, tanquã qui modò incipiat. Heu, charissimi, iucundissimum, maximum, verissimum, purissimum bonum hoc non magis amari, immò pro rebus tam vilibus & infirmis negligi. Videat hoc omnipotens Deus, & miserescat. Qui idem ipse præstare nobis omnibus dignetur, vt recto gradiamur itinere, vt ad proximum pertingamus scopum & finem, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Qui sit cuique paruitas maximè innotescat.

Vbi crux mysticè exaltetur.

Gal. 6.
Iob 7.


IN FESTO BEATISSIMAE MAriæ Magdalenæ.

De vera abstractione ab omni creaturarum delectatione & amore: deque miti in cunctis afflictionibus & pressuris resignatione, iuxta Christi & Sanctorum eius exempla, per quam videlicet vera pax & suprema perfectio obtinetur.

SERMO VNICVS.

Et singularis, medullam continens omnium Thauleri institutionum.

Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. LVCAE X.



IN dulcissimo Saluatore ac Domino nostro Iesu Christo, & in sacratissimo fructuosissimoque aduentu illius saluere vos iubeo, deuotissimi Filij Dei, qui verbum Dei & compendiosorem ad perennem beatitudinem viam percipere huc pariter conuenistis. Quæso vos, dilectissimi, & corda vestra, & diuinam inspirationem studiosè ac seriò obseruate, ne (quod absit) per instabiles & fluxas creaturas, propriamque naturam vestram seducamini, & mentis cæcitatem incurratis. Si enim charissimi Domini nostri Iesu Christi amici & discipuli fieri percupitis, id cum primis necessarium fuerit, vt caducis creaturis omnibus, quarum Deus finis non est, quatenus fieri poterit, vera ac rationabili necessitate, seu vsu necessario exclusis, prorsus renuncietis & abdicetis vosmetipsos: solique Deo absque omni creaturarum solatio in caussis & rebus omnibus & funditus vos resignetis: à quibuscunque etiam rebus & verbis superfluis & minimè necessarijs, ab omni externa hominum & personarum quarumlibet recreatione, & ab omnibus denique interiorum exteriorumque rerum imaginibus vosmet abstrahatis, expediatisque, ne quouis modo vestram naturam percipiatis: vti beatissima fecit Maria Magdalena. Ita nimirum fiet, vt opus suum supernaturale pro gratissima voluntate sua in vobis & per vos perficere, ardentissimoque amore diuinaque gratia sua totos vos Deus perfundere queat: quo facto, facilè quantum necessarium erit, inter omnia discernere atque distinguere poteritis: sicut & huic sanctissimæ Mariæ Magdalenæ tunc, cum ad sacratissimos Christi pedes prostrata iaceret, collatum fuit. Certum est enim, charissimi, si intus nos sedulò obseruaremus, planè dilucideque nos intelligere posse, cuncta externa non necessaria opera & res, crebrò nos perniciosè admodum excæcare, & diuinam inspirationem defectusque nostros & vitia, quantum adhuc desit nobis, propriè obseruare non possimus. Quamuis enim illa opera nonnunquam ex magno Dei amore fiant, & nihil prorsus mali in se habeant, non tamen in eis proxima supremaque consistit perfectio. Ipse nanque Saluator noster Christus Dominus Mariam Magdalenam pro sua laudauit expedita abstractione, quando ait: *Maria optimam partem elegit.* Martham verò reprehendit, quòd solicitior esset pro corporali obsequio & cura, quæ sibi electisque discipulis suis ex ingenti ac æstuantissimo impendebat amore, tametsi id prorsus condecens & æquum foret. Vnde & nobis, dilectissimi, si singularem a-

[Margin notes: Quid discipulis Christi ante omnia opus. — Luc 10.]

Deo consolationem, vtilem ac fructuosam institutionem, veram perfectamque omnium rerum necessariarum tam corporalium quàm spiritualium discretionem, seu discretam cognitionem consequi optamus: id nobis impendiò fuerit necessarium, vt omnibus non necessarijs modis & institutis, verbis & actibus, quæ ex propria voluntate, iudicio ac sensu assumpsimus, & cum proprietate tenemus, & vniuersis, quæ non de iusta sunt necessitate, siue corporalia ea sint, siue spiritalia, ex integro renuntiemus, abijciamusque quicquid huiusmodi est: idque tam secundum Dei, quàm propriæ conscientiæ frequentissimas admonitiones inspirationesque. Maximè verò & ante omnia, suprà quàm dici queat, necessarium nobis erit, vt seriò & ex animo fugiamus personas illas omnes quæ nimias nobis adferunt imagines & media per negotia causasque externas quanlibet etiam sanctę sint vel videantur eiusmodi personæ. Neque enim hi verè fideliterque & secundùm Deum nos diligunt, etiam si ipsimet nostri sint Confessores, aut quælibet aliæ vel seculares vel Religiosæ personæ. Nec Deus vsquam tam perfectè, fructuosè, veraciter inuenitur, vt in abstractione & simplicitate. Inde est, quòd gloriosissima semperque Virgo Maria, sanctus Ioannes Baptista, & ipsa, cuius festa agimus, beatissima Magdalena, sed & alij perplures Sancti & Patres, mundum, humanamque societatem, curas & adhæsiones creaturarum fugientes, syluas ac deserta petierunt, ea maximè loca amplectentes, vbi potuissent abstractissimam ab omnibus ducere vitam. Et reuera, charissimi, multa societas, multa exterior confabulatio, & non necessarius conuictus siue cum hominibus conuersatio, non nisi malum sortiũtur exitum, & certo certius Deum expellũt, quãlibet alioqui bona in his habeatur intentio. Cùm enim corda nostra creaturis, & extraneis ac inutilibus formis & imaginibus replemus, Deum necessariò abscedere oportet, nec patet illi ad nostra corda accessus: veluti si quis vas aliquod immundis cineribus, aut ingrati saporis fæcibus repleat, non potest vtique merum vel nectar in illud infundi. Quocunque autem nos vertamus, cuicunque nos coniungamus, nihil in hac vita, nisi falsitas, infidelitas & turbatio in omnibus externis & corporalibus personis inuenitur. Nec rarò id vsuuenire solet, vt dum grande solatium, multamque foris recreationem quærere ac reperire speramus, internam perdamus consolationem, & cordis nostri pace priuemur, multo sudore multoque tempore in abstractione & solitudine, collecta: insuper & multam intus turbationem contrahamus, dum reos nos facimus, rebus non necessarijs & verbis superfluis vacando, tempus pretiosum perdendo, multaque id genus alia faciendo, quę cordis nostri amorem tepefaciunt, & extingunt, vnde & intolerabilem posteà conscientiæ remorsionem sustinemus, quæ consequenter efficit, vt facilè ad iracundiam & impatientiam commoueamur. O si diligenter aduerteremus, re vtique ipsa comprobaremus, nusquam omninò veram nos pacem, vel consolationem, nusquam verã recreationem vel perfectum gaudium inuenire, præterquam in solo Deo, si tantum toto nos corde applicaremus, ac miti lõganimitate Dominum præstolaremur, vti Prophetæ sancti & Patriarchæ in veteri Lege multa cũ resignatione aduentum illius in Limbo multis annorum millibus expectârunt, antequam redimi potuissent. Quanto æquius est nos ipsum præstolari, si quando consolationem & dulcedinẽ suam, quibus prorsus indigni sumus, aliquandiu subtrahat, & abscondat se à nobis cum hoc non nisi præcipuè vtilitatis & profectûs nostra gratia faciat.

Vbi Deus vere inueniatur.

Vbi tantũ pax vera inueniatur

ciat, volens per hoc amorem & desiderium nostrum perfectius & vehementius accendere & prouocare? Neque verò potest, sed neque vult præ amore & misericordia quicquam nobis vel spiritale vel corporale denegare, quod expediat & necessarium nobis sit: quando ipse, nullo dubitante, optimè nouit & intelligit, quid desit nobis. Verùm, ah pijssimè Deus, quàm omni lachrymarum fonte plangendi sumus, quòd tam stupidi, fatui, amentes sumus, vt sæpenumerò per friuola quædam & minuta, tam noxiè nos impediamus, negligamusque, putantes nos Deo placere & illius perficere laudem, si multis acutis, subtilibus & intellectualibus verbis vtamur, cum tamen & ipsius & discipulorum eius verba omnia breuissima ac simplicissima fuerint: vel si foris multum occupemur & pretiosissimum absque ratione tempus perdamus: aut certè animum inducentes, esse è re nostra, si præter necessitatem multum cum mortalibus creaturis, quanlibet illæ sanctæ sint vel appareant, conuersemur, & recreationem atque solatium ex illis capiamus: quando amabilis prorsus Domini Saluatoris species, eiusque fidelissima, paterna atque fructuosa præsentia, discipulis eius noxia fuit & impedimēto, sicut ipse ait: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Aut denique persuasum habentes nullo nostro spiritali incommodo fieri, sed & placere nos Deo, & in eius posse dilectione persistere, si multa cū delectatione & proprietate habeamus, possideamusque, siue ea, verbi gratia, bona sint temporalia, siue hominum societas corporalis vel spiritualis, licet consanguineorum, cùm Dominus ipse despectus, miser, exul, inops vixerit in hoc mundo: ipseque dixerit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* & alio loco: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hei dilectissimi, si amabilem Domini doctrinam, vt oportet, attenderemus pensaremusque: agnosceremus vtique, quam omnis vita nostra prorsus corrupta sit, nec vsquam ita se habeat, vt nos arbitramur. Necesse est enim, si vnquam ad veram diuinamque pacem pertingere, & perfectè cum Deo vniri debeamus, vt omne fluxum ac temporale solatium & recreationem, & quicquam nō verè atque rationabiliter necessarium est, siue corporale id sit, siue spirituale, eatenus prorsus abdicemus & reijciamus, quatenus inordinatè nos vnquam intus depingere, vel inter Deum & nos medium aliquod efficere poterit. Vult nanque Deus, absque aliquo contubernio solus esse paterfamiliâs in cordibus nostris, quandoquidem diuina teneritudo atque puritas illius nullam apud se dissimilitudinem, nullum vitium sustinere potest. Quamobrem, charissimi, honorate, obsecro, mortem Domini nostri Iesu Christi, & dignissima merita illius, & breuissimū momentaneæ ac miseræ vitę huius tempus, maximamque infidelis, malè munerantis, ac fallacissimi seculi huius fraudem & imposturam considerate, sedulò attendentes, quàm periculosum sit hodie aliquid cum quouis, siue seculari, siue Religioso, habere commercij, quàm citò ex hac luce migraturi simus, & vt mortis denique horam incertam indies expectemus, & magis magisque illi propinquemus: simulque corda vestra & inspirationes diuinas seriò obseruate. Ita nimirum fiet, vt vna horula plus à Deo veræ atque diuinæ discretionis & intelligentiæ recipiatis atque edoceamini, quàm à cunctis posfectis mundi huius hominibus, etiam si vel mille annis superuiueretis. Agite, charissimi, breue hoc, sed pretiosum, tempus

Ioan. 16.
Matt. 19.
Luc. 14.
Quibus & cur Domini mors honoranda.

tempus sapienter & fructuosè expendire, nec aliquam vos creaturam, in qua Deus non purè quęratur & intendatur, impedire, decipere, remorari patiamini, ne non absque graui damno æternam vestram salutem negligaris. Quamlibet enim multa temporalia bona perdamus, ea recuperari possibile est: nec quicquam ea conferunt nobis, nisi quandiu in hac volatili atque breuissima vita positi sumus. Si verò pretiosissimi temporis huius quamlibet exiguum perdamus spatium, aut transigamus inutiliter, nunquam illud reuocare, nunquam recuperare licet: quin etiam ob ipsum tempus malè expensum, immenso illo gaudio ac præmio fraudabimur, quod interim mereri potuissemus. Ideoq; vereor plurimum charissimi, adhuc periculosè admodum agi nobiscum, & cum omnibus illis, qui nimium captam solatij ex labentibus creaturis, hisq; plus satis adhærent, quibusq; immoderatior cura est & studium sciscitandi, audiendi, referendi rumores externos, non necessarios, ac peregrinos, vnde tamen non nisi imagines sibi acquirunt. Et licet fortasse ex immensa ac incomprehensibili Dei misericordia fiat, vt ipse nos à magnis & grauibus seruet custodiatq; peccatis, ob huiusmodi tamen infrugiferas, steriles, externas fabulationes & cordis depictiones, in quadam nos frigida, insensibili, irrationabili cæcitate relinquit, vt ad viciniorem non queamus perfectionem proficere: & insuper grauissimum pro his purgatorium patiemur: haud secus quàm asinus irrationalis, qui nullum aliud addidicit carmen, nilq; aliud nouit, nisi tantùm semper lento procedere gradu: nec aliquod aliud solatium aut dulcedinem capere vel sentire potest, quàm quæ illi asperi & omnis saporis expertes tribuli præstant: at nihilominus innumera præterea dura & immitia ferre verbera & opprobria compellitur, tametsi ea non commeruerit. Certè, dilectissimi, si omnia, quibus foris afficimur, seu quæ nostro inhærent affectui, intraqúe nos imagines pariunt, non purè propter Deum, nec æternæ salutis nostræ gratia renuntiare volumus, saltem ob multam cordis pacem, quam etiam in hac vita inde consequimur, & vt complures internas, graues & parum meritorias pressuras & anxietates possimus euadere, libenter ea abdicare deberemus: quanquam hæc nobis potior esse intentio non debeat. Iam verò quisquis omnia quæ vel visu percipit, vel auditu, iudicare, reprehendere, & suam semper sententiam tueri, & vbique in omnibus se excusare & defendere, nusquam verò cedere vult & inferior esse: non potest non multam semper in seipso turbationem & inquietudinem, mentemq; sterilem, amaram, ac perplexam circumferre, immò & depasci semetipsum, licet omnis mundus ab eius afflictione abstineat, & missum eum faciens, nil aliud pressuræ adiungat vel exercitij. Quocirca si causas nostras omnes, corporales pariter & spirituales, plena cum fiducia Deo commendaremus, ipsumqúe solum pro suo arbitratu nobiscum agere permitteremus, veram vtiq; pacem quandoque consequeremur. Ipse namque multo fructuosius, melius, vtilius moderari nos ac præparare posset in causis omnibus, tam quæ ad corpus, quàm quæ ad spiritum pertinent, sicut maximè è re nostrarum esset animarum & corporum, si tantum cerneret in nobis atque cognosceret, quod suã duntaxat laudem, honorem, gloriam, absque fraude in causis quibuscunque intenderemus, appeteremusqúe: quod nimirum ex parte nostra sufficeret, nec opus foret vllam ob rem multa nos cura & solicitudine forinsecus in sensibus distendi: sed hoc tantum curare, vt ipsi nos vera cum humilitate funditus resignaremus.

Tempus breue ac pretiosum qui expendendum.

Asino qui cur similentur.

Vera qui pax nobis consequenda.

remus. Et ipse, vbi opportunum crederet, modum & viam facile nobis suggereret, in corporalibus ac spiritualibus causis quid faciendum nobis, quidve dimittendum esset: quando ipse solus optimè nouit omnia, quibus indigemus, nec vult ipse nisi quod maximè nobis prosit, si tantùm ex integro illi confideremus. Sed heu omnes potius pro propriæ voluntatis nostræ iudicio, & vt incidit & placet nobis, fortè ex nuda meraq; natura, nosipsos regere ac moderari, & quasi plus sapere volumus, quàm ille, qui totius sapientiæ fons est: semperq; ita animum inducimus nobisq; persuademus, si ab hac illa vel afflictione, vel persona essemus absoluti, sicq; aut illo in loco, aut cum illa societate degeremus, id nobis optimum & vtilissimum fore. Quæ omnia, si solerter dispiceremus, cerneremus vtique malignum spiritum nobis insidias tendere & fraudem machinari, ad cordiumque nostrorum errorem, & inquietam instabilitatem nos velle adducere. Quum enim stabilitas cæteras virtutes omnes confirmet colligatque, malignus spiritus vbicunque potest, omni studio id agere non cessat in hominibus, vt in hac virtute minimè persenerent. Quod si adhuc studiosius iam dicta obseruaremus, aduerteremus profectò, vt naturam nostram tam crebrò inscij & occultè quæramus, & vt plurimum hoc velimus ac intendamus, vt à cruce possimus exonerari, quam plerunque euadere cupimus, antequam ipse nos Dominus ab ea velit absoluere: quod tamen reuera nec potest esse, nec debet. Vult namque pijssimus Deus ex amore ingenti & ineffabili misericordia, electos suos in hac vita absque cessatione varijs ijsdemq; occultis & incognitis modis, qui etiam sæpe nos lateant, excruciare, coangustare, comprimere, nec admittere vt quicquam eis prosperum eueniat, ne quam vnquam in eos potestatem maligni sibi spiritus vendicent. Itaque hunc illo, illum alio modo: & plus vnum, minus alium affligit & premit, iuxta quod singulis necessarium est, & quatenus quisque diuinæ gratiæ capax est, & Deo se in omnibus perfectius resignat. Ideoq; æquè sustinere, & resignare nos debemus in afflictione vna vt in alia, quæcunque Deo permittente nobis occurrat: nec facilè omnibus præbere fidem, quæ nobis incidunt, nisi aliquod certum diuinumq; à DEO vel amicis eius testimonium & documentum habeamus, maiorem deinde pacem habituri. Fit enim non rarò, vt dum arbitramur magnam nos tentationis alicuius vel afflictionis partem euadere, totam incurramus. Qui si tam stolidi non essemus, si bene agnosceremus, quantoperè vel minima afflictio seu pressura Deo nos vniat & adstringat, quamq; ingens nobis semperq; mansurum in cælis pro huiusmodi præmium reseruetur, quam etiam celeriter dæmonem à nobis depellat atque profliget, ita vt nullam in nos potestatem habere queat, ad multa certè milliaria cruci & afflictioni pergeremus obuiam, omnibusque nos quoquo modo prementibus & exercentibus, ex animo gratias ageremus, immò præ gaudio & gratitudine ad eam, qua illi pergerent, deflecteremus viã, illis nos offerentes: & impensè demum lætaremur, perplures nos inuenire & ferre posse cruces: vt de beatissimo Andrea Christi Apostolo legimus, quanto ille gaudio crucem exceperit, & ardentissimo eum amore desiderârit, hac scilicet de causa, vt aliqua ex parte suo posset Deo & Domino conformari, qui pro nobis omnibus crucifigi dignatus est. O quantam possemus in hoc breui & momentaneo tempore mereri gratiam, si liberè hilariterq; in diuinam nos voluntatem resignaremus. Enimuerò afflictiones & cuiusuis generis pressuræ, tam nobi-

Stabilitati hominũ insidiari diabolũ.

Quanta qua in re hominũ sit stolliditas.

nobiles, tamq; fructuosæ & salubres sunt, adeoqúe Deo hominem conformant, vt nullum amicorum suorum Deus à cruce & afflictionibus velit esse immunem: adeò vt potius quàm electos amicos suos inexercitatos & impræparatos relinqueret, afflictiones crearet ex nihilo, cunctasq; irrationales creaturas eos affligere permitteret, vt vel sic intus præparentur. Verùm, proh dolor, tam fructiferis Dei donis adeò hac tempestate indigni sumus, adeoq; ipsorum negligentes & incapaces, vt semper his reluctemur, semper ab illis nos excutere, quantum vllo modo possumus, annitamur. Quotquot enim sumus, ad vnum omnes sufferre nolumus, vt aliquis nos siue verbis, siue factis premat exerceátve. Nam si quis nos secus quàm velimus adoriatur, semper instar furentium canum oblatramus, semper nos, siue iure siue iniuria reprehendamur patiamúrve, aut per verba foris, aut per intentionē intus excusare & defendere nitimur, nulla ratione sinentes, vt vspiam deprimamur ac superemur. Heu heu, quàm indomita, quàm fera, quàm immortificata est natura nostra: quàm adhuc stolidi & imprudentes sumus: quando potius omni nos passione ac pressura summopere indigere & indignos arbitrari, tantaq; Dei dona grato ac humili corde, & cum silente, mansueta ac humili patientia instar D. Iob suscipere, semperqúe in animum inducere & credere reos nos & dignos qui pateremur, & quantalibet nobis ab alijs pro nostra opinione irrogaretur iniuria, nihil nos defendere deberemus. Ita enim & nos veram obtineremus pacem, & proximos ad virtutes omnes non mediocriter prouocaremus: foretq; hoc tum Deo gratius & laudabilius, tum nobis vtilius ac melius, quàm assumpta externa exercitia omnia, quæ ex propria possemus volūtate peragere. Planè, dilectissimi, etiā si Doctores omnes sepulturæ traditi, & libri omnes igne absumpti forent, satis tamen superqúe doctrinæ, eruditionis, discretionis in exēplari ac vita Domini Saluatoris, quantum nobis modis omnibus necesse esset, inuenire liceret: si tātum studiosè ac seriò obseruaremus, vti nos ille præcesserit, in silente patientia, in māsuetudine, in aduersitate, in tentatione malignorū spirituum, in resignatione, in sui contemptu, in paupertate, & in omnifaria acerbissima afflictione, cruce, dolore. Prorsus, inquā, si sæpius nos in hoc salutifero contemplaremur speculo, multo vtiq; virilius & hilarius omnem aduersitatem & pressurā sustineremus, cunctis etiam tentationibus & menti incidentibus, quacunq; illa nobis via occurrerent, longe melius resisteremus, immò & superaremus: cunctaq; nobis afflictio & labor omnis multo toleratu forent leuiora facilioraq;, & omnia demū intra nos bona fieri possent, quæcunq; vel videre, vel audire contingeret. Est enim & hoc cumprimis necessarium, vt, si multam & frugiferam in Deo, in natura, & erga mundum pacem cōsequi velimus, omnia prius sedulo cū conatu, & ex animo in melius semper interpretari, & quoslibet hominum gestus, mores, atque modos amicè & mansuetè sufferre discamus. Solet nanq; vehementer nos torquere & exercitare, quòd gestus hominum & mores siue modi sæpius nobis displicent & tædium ingerunt, videturq; nobis pro iudicio nostro, aliū loquendo, alium tacendo, modum excedere: hunc tepidiorem, illum vehementiorem, alium talem, alium eiusmodi esse. Et plurima sunt diuersaqúe huiusmodi, quæ nos varijs, occultis & ignotis modis aggrediuntur atque fatigant: quibus omnibus viriliter resistendum est, nec admittendum, vt aliquem intra nos locum occupent. Quòd si ex infirmitate needum in corde seu cogitatione seruare possu-

Quibus donis Dei simus indigni.

Passio Christi quantæ plena sit doctrinæ.

Qui aduersitas omnis facilè sustineatur.

Quàm nobis verbis noxiis vitanda.

possumus, ad minus totis viribus agendum est ac renitendum, ne vllo modo in verba prorumpamus, ne quem reprehendamus, aut iudicemus, ne de alicuius vita vel institutis palam vel occultè multum loquamur, quamlibet etiam intus sæuiat, & adhæc instiget tentatio. Hac nimirum ratione & merebimur multum, & facilius tentationum ac passionum impetum confringemus, erimusque in omnibus benigniores magisque pacifici, & melius quæ in alijs nobis displicēt, ferre poterimus. Hoc namque ipse nos Saluator docuit, dum Iudam proditorem suum, & cæteros infensissimos persecutores suos, tam benignè & mansuetè tulit, & omnem insuper fidelitatem & amorem eis impendit: tametsi ferale erga se odium & fraudem ipsorum (ob quæ vtique, cùm innoxius & sine peccato esset, iure meritoque eos reprehendere & punire potuisset) minimè ignoraret. Sic nemo est in hac vita tam perfectus, quin, si diligenter semetipsum obseruet, multa satis in seipso vitia defectusque reperiat, ita vt opus ei non sit quenquam alium reprehendere. Quapropter, dilectissimi, ex meis vitijs etiam vestra nôsse & abdicare discite: cunctaque hæc, quæ modò ex ore meo audistis verba, non autem opera mea, purè propter Deum seriò obseruate: quandoquidem omnia hæc ex libro collegi vitiorum meorum, pro amica vestri commonitione potius quàm institutione, cùm summopere mihi necessarium sit, vt ipse non à vobis tantùm, sed & à cunctis hominibus edocear. Sed vt finem faciam, id certum habetote, charissimi, qui non sedulò secum manet cum animo in purum fundū vera cum humilitate collecto, eum tentationibus viriliter non posse resistere, nec ipsam purè cognoscere veritatem. Spontanea paupertas cunctis mundi præstat opibus, & vnitum esse cum Deo, quàm cęlum & terram plena diuitijs propter Dei iussionem pauperibus distribuisse. Aeterna semperque perseuerans pax Dei vobiscum sit, dilectissimi, & nunc & in perpetuum, Amen.

An interr... sibilis quisquam sit.


Spontanea paupertatis laus.

IN FESTO DIVI LAVRENTII Martyris.

Vt veri Dei ministri fundum suum purè ad Deum conuertere, Deum in modis omnibus, quocunque eos Dominus trahere velit, promptè sequi, Deo plena cum fiducia inniti sæpius examinare fundum suum, & sine intermissione proficere debeant.

SERMO VNICVS.

Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. IOAN. XII.



ERBA hæc, quæ modò audistis, dilectissimi, præclaris grauida sensibus sunt, ita vt de singulis singula possent conscribi volumina. Ex quibus tamen postrema hoc loco tractanda desumimus, quæ & thematis loco proposita sunt, videlicet ista: *Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* In his verbis, charissimi, apertè significatum est, qui sint veri ministri Dei, Domino in veritate seruientes, illi videlicet, qui Dominum sequuntur. Quomodo, inquis, sequuntur? Quocunque & qualitercunque ille eos trahit. Neque enim ad vnam viam vel vnū modum, nec ad vnum opus, ministros

ſuos trahit Deus. Quorſum ergo trahit? vbi ipſe eſt: hoc eſt, ad omnia opera, vias & modos. In his enim omnibus, ſi tantùm bona ſint, haud dubiè Deus eſt. Vnde non propriè miniſter eſt Chriſti, qui huic non nouit, niſi in ſuis proprijs & à ſe aſſumptis modis & inſtitutis, ſeruire: vt verbi gratia, in choro, ſiue in oratione, iuxta ſuum proprium inſtitutum ſiue conſuetudinem. Vbi enim his deſtituuntur, & Deus alia eos trahere via molitur, retrocedunt & ſenſibus ad ea, quibus adſunt & commorantur, miſerabiliter defluunt: nec ſunt ibi veri miniſtri Dei. Auertuntur namq; à Deo, cui eos in locis, operibus, & modis omnibus ſeruire oportebat, cùm in omnibus vtique præſtò ſit Deus. Cæterùm cùm Deo in cunctis exiſtenti non purè in omnibus ſeruiant, nec intus eum, veraciterquè ſibi proponant, nec intimum ſibi habeant: inde fit, vt multiplices eos, & externos reddant atque perturbent opera, modi, loca, homines, & res quælibet. Quæ autem huius turbationis ac diſperſionis ratio eſt? Ea nimirum, quòd Deum, vt ita dicam, eſſentiatum non habent in fundo ſuo: ſed potius fictitium quendam & cogitatione formatum Deum, quem in ſuis habeant modis. Qui cùm radicatus non ſit, ſiue eſſentiatus, mox vt ſuis deſtituuntur modis, etiam Dei præſentiam amittũt: nec ſunt ibi veri miniſtri Dei, qui ipſum ſequantur. Alia quoque ratio eſt, quòd in ea, quæ ante eos poſita ſunt, ſenſibus feruntur, & ſuper ea ſeſe effundunt, eisq; tenaciter inhærent. Verum ſi quis ex multiplicitate non multiplex fieri volet, curandum eſt illi, vt externa ſenſibilia quæque velut præterfluere ſinat, easq; repentè pertranſeat ſiue penetret, tanquam quæ non admodum curat: nec altius ad cor recipiat, quàm præſens poſcit neceſſitas: nec immoretur diutius, quaſi intus collocuturus eis, aut diſputaturus, aut rationem puraturus cum eis: ſed ita habeat, quaſi quæ nihilipendat, quæ non velit, non quærat, non intendat. Si quę incidant vel accidant, ea rurſum decidant excidantquè: nec ſecus ſe talibus exhibeat, quàm ſi dicat: Equidem quæro, intendo, inſequor Deum meũ. Quęcunq; mihi occurrant, ſalua ſint, valeant, tranſeant. Mihi quis maior infernus, aut infenſior cacodæmon eſſe queat, quàm ſi illum non amem, quem inſequuntur & venantur omnia? Sicq; totis viribus per omnia, quæ ſibi accidunt, per quaſcunque dæmonum machinationes penetret in Deum, nec vllo modo committat, vt vel proſperum aliquid vel aduerſum detineat: ſed potius omnia, vt dixi, prętерfluere ſinat: nec iudicare deniq; velit, quæ ad ſe nihil attineant, ſed illis indiſcuſſis atque neglectis, ratione Deum inſequatur. Senſualitas ipſa homo non eſt. Hoc pacto, dilectiſſimi, id aſſequitur homo, vt cuncta opera ſua abſque ſui diſperſione peragere, & Dei ſemper præſentia etiam in multiplicitate gaudere, & ipſe demum in multiplicitate non multiplex perſiſtere queat: Inde hoc, inquam, duntaxat aſſequitur homo, vt mente non tenaciter inhæreat rebus externis, ſed nudè ac purè feratur in Deum, nec huc aut illuc: non vltro citroq; vagetur: non delectationem, non commodum, non placere vel diſplicere, ſed purè Deum intentione proſequatur. Interim verò ſi quid inuito ſecus incidat, mox vt aduerterit, ratione tranſcendat, nauemq; ſuam rationis gubernaculo regyret, quandoquidem opus ſuum tam peruerſo itinere non inchoãrit. Sanè ſi hũc modum Dei ſeruus conſtanter tenuerit, quicquid in opera vel modos eius multiplicitatis inciderit, ipſum multiplicem non reddat: nec eſt quòd vnquam hac in parte turbetur, quamlibet multa illi incidant & occurrant. Quamuis enim fortaſſe non tam quietè præſens illi ſit Deus in ipſius ratione, eſt tamen quàm

Chriſti miniſter quis.

Quomodo ſenſus quotundã ita diſpergãtur.

Dei præſenti qui ſemper gaudere queat.

Proximè ac intimè præsens in mente illius. Vnde nisi quod vitium vel creatura fundo illius sese insinuet ac illabatur, neque opera, neque accidentia quæuis pacem illius vnquam turbare poterunt. Si qua verò ex his opera seu modi ipsum turbârint, certum habeat, siue de seipso, siue de quocunque hoc perceperit, hoc sibi fundum deesse, & opera sua non rectè peracta, actionesq́ue suas non purè in Deum tetendisse. Quod si deprehendat Deum sibi non vnicum & solum inesse, in totis aget viribus, vt illius præsentiam recuperet, fugiens omnia, quæ hanc ab ipso possint excludere vel impedire, qualiacunque vel quælibet illa, aut quocunque vocentur nomine. Alioqui fit ei haud secus, quàm si quis telum habeat infixum corpori: quod vtique absque dolore educi non potest: qui si dolorem exhorreat, & telum faciat missum, multo grauiorem acerbioremq́ue ex vulneris suppuratione dolorem sentiat necesse est: caroq́ue paulatim computrescet, cùm non sit ille teli locus proprius. Sic planè si quicquam intra ipsum fuerit, quod non sit purè Deus, vel cuius Deus verissima causa non sit, cùm non sit illius in ipso proprius locus, nisi primum dolorem, qualis qualis ille fuerit, pro remedio sustinere voluerit, tantus postea succedet dolor, vt nullus hunc humanus sensus capere sufficiat. Itaq́ue dilectissimi, oportet omnino mentem liberè, purè ac nudè tendere in Deum, solum Deum, non aliud quicquam, intēdere, nec quærere aliquid suum: oportet, inquam, hominem in cunctis actibus & modis seu institutis suis mente esse prompta, & deuota, vt quasi dicat, Deus meus, ô si possem aliqua in re gratum tibi facere, idq́ue in locis omnibus, & apud quoscunque, vbi sic euenerit. Si tamen optio illi detur, semper potius ab omni multiplicitate secessum & quietem amabit, eliget, capietque, & cum vniuersis viribus sese ad se recipiet ac introuertet. Seruiet autem Deo suo in omnibus tam intus quàm foris, non pro sua, sed pro illius voluntate. Quocunq́ue verò pergat, seu quicquid agat, si Deum intus secum non habeat, periculosè & incautè satis gradiatur, vti Scriptura quædam ait: *Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet subleuantem se.* Rectè solus dicitur, qui Deum non habet, secum in omni actione & omissione sua, cooperatorem in anima sua. Porrò vbi se præmunierit cum Deo, & arcem suam militibus stipârit, licet hanc impugnent, expugnare tamen hostes nō poterunt. Cumq́ue Deum tam præsentem in se trahit, firmat, retinetq́ue, etiam minimis contentus est, & omnia tunc illi via sunt ad Deum, sufficiuntque. Cæterùm in tentationibus & aduersis, quocunque locorum vel apud quoscunque sit, seu quicquid agat, modò Deus bene intus habeatur, magis proficit homo, citiusq́ue virtutes adipiscitur, quam in lætis & prosperis: quanquam in illis, id est, aduersis & tentationibus longe maiorem natura sentiat molestiam, multoq́ue impensius studium, maiorque mentis attentio adhibenda sint, quàm in prosperis, vbi sua sponte omnia succedunt: attamen in his, id est, prosperis, non perinde probare potest, sitne verus Dei minister, an non. In aduersis autem & tentationibus longè amplius proficit, & quanta sit sua erga Deum fidelitas, multo melius deprehendit, quam in prosperis. Simulq́ue præmonetur, vt si quam culpam incurrerit, non diu illi inhæreat eam reuoluendo, sed suæ paruitati ac nihilo asscribens, celeriter in Deum reuertatur: quod quò citius fecerit, eò melius: atque ita omnis citius macula diluitur & aboletur. Sin autem defectibus suis diutius immorari, secumq́ue scrupulosius perquirere velit, vnde illos contraxerit, & sitne, an aliter facere debuerit, ab his interim detinetur ac impeditur. Itaque non discu-

In Deum qui nostræ mēti tendendum.

Ecclesi. 4.

ciat,

tiat, non dijudicet, non attendat, sed rectà pergat in Deum. Si quam enim dissimilitudinem contraxit, vbi melius hanc, quàm in Deo, deponet? A morte quomodo longius aberit, quàm ad veram essentialem fugiendo vitam? Quî vnquam melius calefiet, quàm iungendo se ad ignem? Id præterea diligenter curandum est, vt omnes causas & negotia sua homo in Deum proijciat, Deoq; imponat, & Deus in omnibus illi modo optimo prouidebit: quod & certissimè illi confidat, atque ita omnia de manu Domini suscipiat tanquam optima, & in omnibus plenam semper retineat pacem. Qui enim Deo confidere, & illi se credere nôlunt, sed ipsi magis externis se curis, actibus, & negotijs immiscent, hos Deus sæpenumerò magnam sinit inopiam & miseriam incurrere, vt vel sic aduertant, quantum suis viribus & propria industria possint. Si verò totum se homo Deo in omnibus causis & actionibus suis plena cum fiducia resignet & credat, multò sanè melius & vberius tam intus quàm foris Deus illi prouidebit, quàm omnes possent creaturæ. Est namque *plenus gratiæ & veritatis*. Vnde quicquid cum fiducia in illo quæritur, id haud dubiè inuenitur. Hæc tamen fiducia ex vera debet fidelitate procedere, ita vt Deum & Dei voluntatem homo intendat. Tunc vtique optima fiducia est. Vt autem Deus nimium amari non potest, sic nec quisquam plus satis ei confidere potest, si tamen hæc confidentia ex fide seu fidelitate procedat. Hos modos, dilectissimi, per quos omnem fiduciam, pacem & gaudium inuenit homo in modis, operibus, & locis omnibus, non nisi intus, in mentis ad fundum introuersione discimus ac reperimus. Hæc autem mentis introuersio, cum primis otium sanctum & animum ab omnibus expeditum, locum etiam & tempus requirit. Ex hoc verò interioris hominis fundo, arbor ista cum vniuersis frondibus & fructibus suis succrescit: & in hac expedita ac libera sui in fundum introuersione aperiuntur homini atque ostenduntur viæ & modi, quibus pertingatur ad Deum: intelliguntur etiam viæ ac modi Dei ad hominem, quantoq́ue magis ab omnibus expeditus & liberius introuersus est homo, tanto verius luciditisq́ue has vias cognoscit. Quisquis autem vel in seipso, vel in aliquo alio istam gratiam minimè reperit, nouerit hanc se vel aliam viam non tenuisse, id est, non locum, nec tempus, nec otium illi præbuisse, non etiam quæsisse eam intus. Tales plerunque omnibus diebus vitæ suæ in habitu religioso in suis proprijs persistunt institutis: & vbi in his consenuerunt, nesciunt adhuc quo in statu res suæ sitæ sint. Hi si Deum non sentiant, non admodum curant, & id putant esse resignationem, cùm potius sit dissoluta quædam & remissa negligentia: atque interim alia se ipsorum interioribus insinuant, siue id ipsi sint, siue aliquid suum, & Dei locum occupant in eis. Quàm enim impossibile est, hominem absque anima viuere, tam fieri non potest, vt non aliquid intro recipiat quod amet, siue id sciat ipse, siue ignoret. Sicq́ue in cæca quadam ratione perpetuò perseuerant, præsumentes de religioso statu, in quo degunt, seu de operibus quæ agunt, fundum autem suum prorsus negligentes: & nihilo minus recta se pergere via arbitrantur. Sed vbi ad terminum pertingunt, in æternæ mortis profunda merguntur, cùm non ingressi sint per illam viam, quæ Christus est, qui de seipso testatur: *Ego sum*, inquiens, *via, veritas & vita*: qua via qui non pergit, deuiet necesse est. Heu quàm turpe & probrosum est, dilectissimi, multa alia scire hominem, & nescire seipsum. Certè nemini æterna vita seu beatitudo sua vlla ex parte dubia esse debet, sed certò

Quomodo suæ cuiq; culpæ reuoluendæ.

Ioan. 1.

Deum nimis amari nō posse.

Introuersio mētis quæ requirat.

Falsa resignatio quæ.

Ioan. 14.

sciré atque veraciter sentire debet, quàm illi intimus sit Deus, & vt ipse ergà Deum affectus sit. Qua vera scientia si quis prædìtus non est, quærat ex sanctis & prudentibus hominibus, vt certo sciat, non autem opinione ducatur. Quod enim modò quis neglexerit, id nunquam postea consequetur: adeò vt nec omnes quidem Sancti & vniuersæ creaturæ etiam sanguineis lachrymis, vel quantum capillus vnus est, ei poterunt mereri. Denique *quæ paratæ erant, intrauerunt cum sponso ad nuptias.* Quæ verò parare se volebant, & tandem serò reuertebantur, illis cum iuramento respondit: *Amen dico vobis quia nescio vos.* Ergo nesciebat eas? Vtique, quomodo suos nouerat familiares, amicos, sibiqúe propinquos, ita eas nesciebat, nec in horum numero ipsas nouerat. Vnde quantumcunque pulsarent, ingredi tamen non potuerunt. Hinc D. Augustinus ait: Nihil morte certius est, mortis hora vel genere nihil incertius. Itaque nihil æquè necessarium est, quàm vt semper parati simus. Hoc verò scire, non opinari, debemus. Ideoque in hoc tempore positi sumus, non ob opera sola duntaxat, sed propter essentiam, vt videlicet opera ipsa ex essentia veluti fructus ex arbore procedant. Debet igitur in hac vita hoc nostrum esse exercitium, vt plus assequamur essentiæ, & magis ac magis ad perfectionem accedamus. Quamobrem qui modò omnia viriliter perruperunt ac penetrarunt, quiq; seipsos supra tempus bene sustollere nôrunt, omnemq; vitam suam ordinârunt ad Dei familiaritatem capessendam, & iuxta illius instituerunt beneplacitum & voluntatem, hos eo minus temporalia quæque & quæ à tempore accidunt, dispergunt, distrahunt, multiplicant, impediunt. Quanto enim mens eorum intus in DEO fixa est, tanto in omnibus, quæ agunt, tranquilliores, ordinatiores ac immobiliores sunt, minusqùe intricantur ac impediuntur. Et hoc est boni hominis indicium, vt omnis actio sua talis sit, qualis ipse cupit esse, vt vbi corpus terræ mandatum fuerit atque sepultum, anima absque mora in abyssali diuinitate sepeliatur. Hac planè de causa, dilectissimi, in hoc tempore positi sumus: & quicquid hinc modo negligimus, id æternaliter neglectum erit. Denique cuius est in nummo superscriptio, illi absque contradictione nummus soluetur, siue Dei, siue creaturæ fuerit. Videat ergo quisque diebus singulis, & crebrò in fundo suo, quæ sit sua superscriptio, id est, quid potissimum quærat, amet, intendat: quid maximè se consoletur, afficiat, exhilaret: quid crebrius & abundantius in animo suo versetur, quantopere Deo, diuinisq; rebus omnibus, vtpote vel amicis Dei, vel cultui diuino, aut quicquid ad Deū spectat, afficiatur, vt mēte ad Deum conuersus sit: quo pacto se habeant voluntas, institutio vitæ, conuersatio, verba & opera sua: & quid deniq; de seipso sentiat: si plus sibi sapiat, plus adferat voluptatis & delectationis intus siue foris propria oblectatio seu voluptas, priuatum commodum, suum solatium, suum lucrum, amici sui, bona sua, quies sua, quàm ea quæ Dei & diuina sunt. Quæ quidem omnia cum discretione perfecta, discussa examinata, scientiam præbent, non opinionem, quonā pertineat, quæq; sua superscriptio sit, id est, fundum seu scopus intentionis suæ in fundo animæ suæ. Idq; certum habetote charissimi, si quid in fundo hominis sit, quod non purè sit Deus, cuiúsve Deus pura causa non sit, siue id ipsemet sit homo, seu aliud quodcunq;, quamlibet paruum & exiguum, quandiu id in fundo hominis perseuerat, nunquam eum Deum funditus posse adipisci, licet tot fundat lachrymas, quod vniuersum mare aquas habet. Sed semper Deo careat necesse est, quan-

Matt. 25.

Quid summe nobis necessarium.

Hominis boni indicium.

quandiu inde purgatus non fuerit. Heu quibus sese occupant homines, & non attendunt nec perscrutantur angulossimam naturam suam, tam nimis occultè rebus creatis & seipsa possessam, quod suum est, in omnibus, in Deo pariter & in creaturis, quærentem ac intendentem, semperque ad sua ad seipsam reflexam. Cæterùm oportebat omnes sine intermissione ad anteriora contendere ac properare, cùm, vt Apostolus ait, *tempus breue* sit, & aliquid Dei, quantumuis minimum, plus in se contineat, quàm omnia quæ infra Deum sunt, cuius quanto plus capimus, tanto ille magis propinquamus. Præstet nobis idem ipse omnipotens Deus, vt omnes sic illi famulemur, sic eum sequamur, vt vbi ipse est, & nos quandoque peruenire digni simus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Quā perdi.e omnes sua quærant.


1 Cor. 7.

IN FESTO ASSVMPTIONIS GLORIOsissimæ semper Virginis Mariæ.

Vt in nullis rebus, siue corporalibus, siue spiritualibus, sed in solo incognito Deo nostro cum delectatione quiescere, cum amore & gratitudine vitam passionemq́ Domini nostri hi. possidere, & in illius commorari vulneribus debeamus: per quæ videlicet præclaram diuinitatis eius hæreditatem consequi poterimus.

SERMO VNICVS.

In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor. ECCL. XXIV.



VAE modò audistis, dilectissimi, sapientis cuiusdam verba sunt, quæ de gloriosissima leguntur Virgine Maria. Neque enim de aliquo tam propriè accipi queunt: quandoquidem ipsa ratione sua seu intellectu gyrum cæli circumiens, profundum abyssi penetrans, ambulans in fluctibus maris, & stans in omni terra, nusquam in his omnibus requiem inuenit. Decet planè, charissimi, vt nemo in hac vita ad tam sublimia se extendat exercitia, quin vnam quotidie horam sibi delegat, qua amabilissimæ sacratissimæ huic Virgini ac Dominæ nostræ speciale quoddam & gratum impendat obsequium & laudem, ipsamque intimis pulset precibus, vt nos trahat & perducat ad dilectissimum Filium suum. Enimuerò dignitas illius modum omnem & mensuram excedit. Quid enim non admirationis habet, quòd Deum & Dominum Creatoremq́ suum in sinu suo gestaret, brachijs constringeret, haberetq́ eum optatissimis ac iucundissimis modis, qui etiam omnes vincerent sensus: nec quidquam omnino hæsitaret, immò certissimè sciret, esse eum Dominum Deum suum: ageretq́ cum illo pro suo arbitratu, & ipse præterea vt filius illi commoraretur, in omnibus filij officio functus: nec tamen vnquam in omni vita sua cor suum in his omnibus aut aliquo horum cum delectatione vel ad momentum quiesceret sed mens illius sine cessatione in diuinam recederat atque transcenderet abyssum, in qua sola quiescebat, quæ eius erat hæreditas, requies, habitatio? Sanè ex primi lapsus infectione, in ima & ad extrema natura depressa est. Homo verò à Deo conditus & inter duo extrema constitutus est, quæ sunt, tempus & æternitas. Ex quibus tempus non nisi transitus quidam ad finem nobis esse deberet: æternitas verò, finis &

Tempus & æternitas quid nobis esse deberent.

finis & habitatio nostra. At contra miser homo ob primi casus naturæ vitium, ex quadam cæcitate semper ad infirmiorem tendit partem, & requiem capit in itinere, ipsissimum verò finem suum obliuiscitur: adeoq; natura delectationibus dedita est, vt in omnibus siue corporalibus, siue spiritualibus, intus & foris requiem capere velit. Quantopere hodie seculares homines quietem & voluptatem sectentur, manifestum est omnibus: quid autem quandoque illis euenturum sit, ipsa eos post hanc vitam experientia docebit. Quæ verò illos mala maneant, quantoq; in discrimine versentur, cuiuscunque status sint vel conditionis, maximè qui sub habitu religioso corda gerunt secularia, qui in rebus temporalibus quales quales illæ sint, requiescunt seu quietem capiunt, si id ipsi præuiderent, forsitan præ pauore & anxietate corda eorum tabescerent. Certè Deus omnipotens condidit omnia, non ad voluptatem, non ad oblectationem, sed ad necessitatem: ne vspiam vult nos delectari, præterquàm in se solo. Compellor hic, charissimi, obiter ex dilectione quiddam dicere: Quidam me malè ceperunt, tanquam, dixerim, nôlle me cuiusquam recipere confessionem, nisi fidem mihi dederit, facturum se quod ego voluero. Hoc planè absurdissimum fuerit, vrgere me aliquem, vt faciat, quod ego velim. Equidem nihil exigo à quoquam, præter id quod Deus exigit. Id verò non peto, vt aliquis mihi se facturum polliceatur. Certè neminem à peccatis suis queo absoluere, immò nec summus Pontifex id potest, nisi quem factorum suorum pœnitet, quique & peccata, & peccandi occasiones, in posterum vitare statuit. Sed sunt, proh dolor, qui spontè scientesq; inter occasiones peccandi remaneant, & interim nihilominus confitentur, & Christi se Sacramentis ingerũnt, culpam suam fateri & agnoscere recusantes: & quam diu furtum vel fornicationis crimen non admittunt, nõ admodum leuiora peccata curantes. Hi quo pacto confiteantur, quantumque doleant de peccatis suis, ipsi viderint: & certè scient tempore suo. Tales suam quietem, suam delectationem extra Deum quærunt, siue in hominibus, siue in vestimentis, siue in cibo & potu, siue solatijs creaturarum, immò etiam in rebus quãdam præ se sanctitatem ferentibus. Cumque aliquod vitium incurrunt, valde ad faciendam extrinsecus confessionem properant, antequam Deo intrinsecus cum humili culpæ suæ agnitione confiteantur. Sed etiam in hac externa confessione natura suam quærit requiem, vt scilicet pacem recuperet, & interna conscientiæ accusatio atque remorsio sopiantur. Vbi enim confessi sunt, conscientię cessat incusatio, & iam multa pace gaudent. Sed ipsa remorsio ac reprehensio, tanquam vulnus recens & mordens, mirabiliter peccati aufert rubiginem. Quęrit etiam natura eiusmodi hominum requiem in spiritualibus exercitijs, in internis modis seu institutis, & abstractis item exercitijs suis: eiq; tam mordicus inhærent, vt Domino impedimento sint, quo minus ad proximam eos veritatẽ perducere queat. Sed ne diffusior sim, id pro certo habetote, charissimi, quicquid id est, in quo homo requiem suam quærit, quod non sit purè Deus, id omne cariosum esse. Planè dilectissimi, non satis est, si hic vili pellicio, alius pretioso Religionis habitu tegatur. Alia insuper adsint oportet. Sed ecce videas quosdam de pulcherrimis ac simplicissimis rebus verba facere, vt videlicet omnia eis tam bene succedant, quam eis cuncta facilia sint & minimè onerosa, immò etiam iucunda: verbi gratia, orationes, vigiliæ, ieiunia, & venias, vt vocant, capere. Sed in his adhuc aliquid vitij sentio, quod eos à profectu impediat. Sanè quic-

In quo solo nobis delectatio quærenda.

In confessione qui se quis quærat.

quicquid id sit, quanlibet etiam bonum videri vnquam aut esse queat, etiamsi imaginum, formarum & modi expers sit, siue intellectuale sit, siue quo sensibiliter frui possis, id omne, in quo homo cum delectatione quiescit, quodque sic possidet, cariosum efficitur: præter nudam ac simplicem sui dimissionem ac demersionem in nudum illud, simplex, incognitum, innominabile, & occultum bonum, quod Deus ipse est, idque per abnegationem sui & omnium quæ se in homine manifestare queant, vti sacer inquit Dionysius: Tu verò Timothee charissime, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & quę non sunt: & quæ non sunt omnia: & vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemq; scientiam est, ignotè pro viribus teipsum intende. Etenim abs teipso atque omnibus liberè & absolutè, ac purè excedendo, ac supersubstantialem diuinæ caliginis radium sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus euolabis. Neque enim, vt idem ait, aliquid ex his est, quæ nobis aut alteri cuiquam in mundo sunt cognita, neque aliquid eorum, quæ non sunt, neque eorum quæ sunt, est. Nam & super omnem positionem est perfecta & singularis omnium causa, & super ablationem omnem excellentia ipsius illius, qui simpliciter absolutus ab omnibus, vt vltra omnia est. (vide plura de his in Dionysio de mystica Theologia.) In hoc ergo incognito Deo quisque requiescat, & neque saporem, neque lumen quærat: potius canem imitetur, qui sicubi carnem bonam reperit, contingere non audet, sed fugit, duris ita verberibus edoctus. Inueniet hæc omnia postea copiosissimè. Interim suo duntaxat merissimo nihilo, quod tamen reuera est, inhæreat. Nam si quid ibi est, id Dei est, non suum: nec attendat ad omnia, quæ lucere illi intus possint, etiamsi formæ, modi, imaginis expertia & superessentialia sint. Sed aiunt quidam: Domine mi, præsentissima se mihi exhibent, nec aliam quam ipsius Dei speciem præ se ferunt. Quibus ego: Nihil, inquàm, ea tanquam quieturi in eis, attendatis: sed finite ea esse quod sunt, nec amplius aliquid perquiratis nec perscrutemini, sed in imis vos continentes, in nihil scire, nihil quicquam velle scire vestrum, vos dimittite, & in vera paupertate occulto & incognito adhærete Deo vestro, ita vobis persuadentes, non esse vos dignos, qui immensum, ignotum & absconditum Deum aliqua ex parte cognoscatis. Sicque in eo duntaxat commoremini & quiescitote, non autem vel in lumine, vel in sapore. Sic in Ezechiele Propheta scriptum legimus, vt illis, qui ingrediebantur sanctuarium & sancta sanctorum, nulla debuerit dari possessio, quando ipse Dominus se possessionem & hæreditatem ipsorum fore promisit. Quod tametsi de sacerdotibus dictum sit, iuxta sensum tamen spiritalem, de omnibus illis accipi potest, qui ingredi volunt in sancta sanctorum, id est, in arcana occultæ diuinitatis, qui nullum habebunt hæreditatem, nisi diuinam, absconditam, & omnis modi, formæ, ac nominis expertem essentiam Dei, quæ sola ipsorum hæreditas erit, nec ad aliud aliquid caput ipsorum vel intus vel foris sese reclinabit: alioqui certo certius cariosum efficietur. Nec magnopere attendere debebunt, sintné plana & læta omnia. Quin potius aspera & aduersa malint, magisqúe diligant, quàm sapere & sentire, nec quiescant vspiam, nec aliquid suum quærant. Cùm Deus æternus omnia creare statuisset, non nisi nihil ei propositum fuit. Nec fecit cuncta ex aliquo, sed ex nihilo. Sic nimirum vbicunque Deus propriè & diuinè operaturus est, nullo ad hoc opus habet, nisi nihilo. Nihilum enim passiuo modo operationis eius, quàm quodlibet aliquid,

S. Dionysius.

Lepida parabola.

Ezec. 44.

Deum ex nihilo creâsse omnia, quid mystice innuat.

Capa-

capacius est. Itaque si omnis illius vitæ & essentiæ, quam dare vel operari possit aut velit Deus in electissimis ac singularissimis amicis suis, sine interpolatione capaces esse vultis, si optatis etiam, vt omnia ille in vos effundat dona sua, hoc ante omnia agite charissimi, hoc cum primis curate, vt in fundo vestro in veritate nihil sitis. Nostrum enim aliquid, nostraq; donorum Dei arrogatio & vendicatio, Deum impediunt, quo minus præclarissimum intra nos opus suum queat proficere. Inde est quod sanctus ille Iob quem Dominus ipse suo ore commendat, dicens ad Satan: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Et de quo Scriptura testatur, quod *non* peccauerit *labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus sit* de seipso ait: *In profundissimum infernum descendent omnia mea: putásne saltem ibi erit requies mihi?* *Omnia* sua dicit, non vtique secundùm nihil suum creatum, quatenus ea ex parte homo nihil est: sed iuxta nihil suum, ex culpa & peccato contractum. Itaque ob sua peccata in profundissimam inferni abyssum, in sæuissimam carnificinam & densissimas inferni tenebras descendere volebat, tanquam diceret: Incertum est, dignámne vel illic peccata, quæ commisi, pœnam recipere possint. Hanc autem inferni pœnam intentissimo atque grauissimo modo ferre volebat, etiam sine spe vnquam euadendi, donec meritas pro culpis pœnas lueret. Adhunc modum etiam quidam ex fratribus nostris, cuius vocabulum erat Wigman, ad tantam sui nihili cognitionem peruenit, vt nunquam congruum sibi locum, præterquam in profundissimo inferni sub ipso Lucifero, reperire posset. Quò cùm se demisisset, audiuit vocem è supremo cælo elapsam, dicentem: Wigman, citò huc ascende ad thronum altissimum, in cor Dei Patris. De huiusmodi D. Gregorius ait, quòd mortem quærant, sed minimè inueniant. Denique huic amori & immensæ annihilationi ac deiectioni vita in veritate respondet etiam non optata, non quæsita, nec in intentione habita. Quò enim se quisque magis in ima deijcit, eò magis exaltatur: quoq; se minorem iudicat, eò maior efficitur. Sed videamus nunc sequentia thematis verba, quæ sunt hæc: *Et in hæreditate Domini morabor.* Duæ sunt, charissimi, hæreditates nostræ, in quibus commorandum nobis est. Vna temporalis est, in qua in hac vita morabimur: & ipsa est dignissima Domini Saluatoris vita, passio, exemplar. Altera, æterna est, quam expectamus, quæ est præclara deliciosissimæ diuinitatis hæreditas. Hęc nobis promissa est, quòd eius cohæredes & domestici erimus æternaliter. Si igitur fideliter modò temporalem illam hæreditatem, id est, Christi vitam & passionem cum amore & gratitudine possederimus: quanto in ea magis fuerimus exercitati & confirmati, tanto æternam hæreditatem abundantius atque felicius perenniter possidebimus. Vulnera quidem, dilectissimi, Saluatoris nostri abolita sunt omnia, quinque illis exceptis, quæ ad extremi iudicij diem perdurabunt. Ex his verò quanta diuinitatis refulgeat claritas, quantamq; inde & Sancti & Angeli omnes capiant beatitudinem, non est qui verbis consequi possit. Hæ igitur quinque portæ, nostra hic erũt hæreditas, & per eas ad æternam hæreditatem, ad patriam nostram tendendum nobis est. Ad has autem portas sanctus Spiritus ostiarius est: cuius vtique dulcis amor nobis portas has aperire paratissimus est, pulsantibus ad eas atque petentibus, vt nobis ingrediendi præbeat facultatem, & per eas ad æternam Dei Patris nostri tendendi hæreditatem. Quis nimirum portas quisquis ordinatè, & vt

Iob 1.

Ibidem.

Iob 17.

Paradigma.

Duæ hæreditates.

Vulnera Christi quinque, nobis quinque portas esse.

vt oportet ingreditur, errare non potest. In his autem ipsis quinque dulcissimis vulneribus, quinque nobis discenda sunt, quæ nos sine vllo medio introducunt. Hæc sunt, fugere, pati, silere, contemnere, & abnegare seipsum cum vera sui resignatione. Primò itaque immergat se quisque in vulnus sinistri pedis, indeqúe exugat gratiam & virtutem fugiendi voluptatem omnem & delectationem, quam extra Deum capere possit. Secundò totis viribus in dextri se recipiat pedis vulnus, ibiqúe discat pati quæcunque sibi intus vel foris, & vndecunque accidant. Tertiò ex dextræ manûs vulnere suauissimum exugat & petat succum, gratiam videlicet tacendi intus & foris. Sanè qui hanc silendi virtutem adeptus foret, vt ad omnia taceret, nihil hunc vnquam perturbare, nihil impedire posset. Quartò, ex vulnere sinistræ manûs sugat & petat virtutem contemnendi ac paruifaciendi foris quidem temporalia omnia, intus verò quicquid accidit & incidit animo suo. Est enim hoc necessarium & vtile, vt quicquid nec amat, nec intendit, tametsi animo sui imaginem ingerat, penitus non curet, sed vt incidit, ita excidere & abire sinat. Quintò, totum se in amorosum ac suauissimum cor, in gratissimum sponsi thalamum recipiat, (quem ipse omnibus, qui sua ei corda præbere volunt, aperuit, suis eos ibi nobilissimis amoris sui brachijs constricturus, in quo & ipsi perpetuò ipso perfruentur) ibique discat abnegare seipsum modis omnibus, in prosperis videlicet & aduersis, in abundantia & inopia, in tempore & æternitate, vt vt Dominus volet, & diuino eius cordi placuerit, tam in ipso quam creaturis omnibus. Sinat mori & auolare omnia, hoc solum curans, vt ipse soli Deo placeat. Sic itaque dilectissimi & alijs pluribus deuotis modis amabilem hanc colatis hęreditatem, & in ipsa vos exercentes, per securissimas portas hac ad æternam hæreditatem ingrediamini. Offerte Deo Patri immeritam mortem eius, pro meritis pœnis vestris & afflictionibus: innocentes cogitationes eius, pro noxijs cogitationibus vestris: sacratissima verba eius, pro illicitis verbis vestris: & breuiter omnem actionem illius, omnem humilitatem, patientiam, mansuetudinem, amorem eius pro omnibus, quæ ex his vobis siue intus siue foris deficiunt. Certè charissimi, si hanc modò iucundissimam & amabilissimam hæreditatem bene & optimè hîc possidetis, futuram hæreditatē perennem securi expectatis: nec est quod dubitetis mansuros vos, & habitaturos ac quieturos cum Virgine gloriosa in hæreditate Domini sine fine & in omne æuum. Præstet nobis Dominus Deus, vt sic quæramus requiem in omnibus, vt ad hanc pertingamus hæreditatem, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

I. II. III. IV. V.

Quā tandum nobis curandum.

IN FESTO S. AVGVSTINI EPISCOPI.

Vt in peruigili quisque vitæ suæ custodia, & omnis voluptatis seu delectationis abdicatione persistere debeat: Vtq; Deus se seriò ac strenuè expectantes, mirabiliter sustollat: ac deinde varijs tentationibus in bonum ipsorum, eos iterum deijciat humilietq;. De falsa item libertate.

SERMO VNICVS.

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. MATTH. XXIIII.

Vigilare cur tantopere moneamur.

NON abs re, dilectissimi, Dominus noster tantopere vigilare nos admonet. Ipse enim aduersarius noster diabolus, omnes quos potest dolos & fraudes machinatur, cunctosq; in hoc sine intermissione intendit neruos suos, vt æternis nos miserijs & perditioni inuoluat. Ideoqúe omni, qua potest, diligentia explorat & obseruat, si qua hora seu quo momento studium deuotionis negligamus, aut quam exteriorum sensuum nostrorum fenestram relinquamus apertam, nec super custodiam nostram stemus. Cumque horum aliquid animaduertit, repente irrepit: & quicquid boni collegeramus, furatur. Quamobrem agite, quæso charissimi, custodite fenestras vestras. Vigilate etiam, ne instar furis effodiat domum vestram. Totis, inquam, viribus & animo collecto, absque cessatione vigilate. Sanè quoties alicui in mentem incidit vel superbia, vel suijpsius complacentia, vel iactantia seu præsumptio, vel propria voluntas, mox adest inimicus, & locupletem bonorum operum crumenam illius resecat. Heu quantos olim videre erit, charissimi, qui in hoc seculo magnorum operum & exercitiorum, magni etiam nominis fuêre, quiqúe grandem præ se tulêre sanctitatem, quibus tamen propria complacentia omnia sic abscidit, vt in lucro deputaturi & gratissimum habituri sint, si vel inter rudes idiotas, nullorumq; exercitiorum rusticos homines collocari mereantur. Contraque alios quosdam cernere erit, simplices ac inopes homines, quos nemo in aliquo pretio habere dignatus est, qui nullorum operum esse visi sunt, nec aliquid præ se tulêre sanctitatis, qui tamen ob humilem suijpsorum deiectionem ac depressionem, tam longè supra priores illos erunt, vt etiam vix eos vsu sint assecuturi. Itaque vigilate charissimi, mente peruigili & oculis apertis: & cernetis haud dubiè nudam veritatem discretè & indiscretè, in cogitationibus, in verbis, in operibus, in his quæ vel agitis, vel dimittitis, in actionibus virtuosis, & in patienti demum aduersorum tolerantia: tantùm vosipsos diligenter & foris & intus obseruate. Certè nescitis dilectissimi, quanto in discrimine versemur, tum ob naturalem infirmitatem, tum ob proprias graues atque horribiles culpas & defectus nostros, tum ob ingentium & inæstimabilium bonorum illorum, quæ sine intermissione à DEO consequi possemus, negligentiam: tum denique ob hoc, quòd lucidissimi diuinitatis oculi, coram quibus nos tam impuri apparemus, fundum nostrum diuino adspectui eregione oppositum, tam liquidò inspiciunt perspiciuntq;, quòd ipsum fundum nostrum vel inde maximè impurum est, quòd synceritatis & veritatis est expers. Id verò quantum nobis meritò pudorem ingerere potest, quàm etiam districtissimè quandoque iudicabitur, sicuti scriptum est: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* vnde & Augustinus dicit: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, discutias eam. Quocirca si constaret vobis, dilectissimi, quam periculosè agatur cum omnibus illis, quibus aliquid sapit præter Deum, humani sensus vestri id ferre haudquaquam possent. Inde & D. Iob: *Vsquequò*, inquit, *Domine non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam? Peccaui. Quid faciam tibi, ô custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi?* Sed ad Euangelium redeamus, vbi sic habes: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos, cùm venerit, Dominus inuenerit vigilantes:*

Quot & quàm sanctos propria complacentia perdat.

1. Petr 4.

Iob 7.

Luce 12.

lantes. De vigilando iam dictum est. Sunt autem tria hic vobis notanda, charissimi. Primum est, lumbos debere accinctos esse. Quod nimirum significat, haud secus esse restringendos lumbos, quàm equus fræno constringitur ac retinetur, si fortè in foueam per præceps abire velit, aut instar eorum qui fortiter vinciuntur, vt possint quolibet etiam inuiti trahi. Cæterùm per lumbos sensuum voluptates accipiuntur, quę refrænandæ semper & constringendæ sunt, nec suæ vnquam libertati relinquendæ. Secundum est, lucernas debere nos ardentes gestare in manibus nostris, quod est, amoris nos actibus seu amorosæ actioni insistere debere. Ita quæso charissimi, videte diligenter, ne veræ ardentisquè charitatis actus & opera, siue intus siue foris, vbicunque exercere poteritis, aliquando è manibus abijciatis, maximè verò in inuicem ea alter alteri omni cum deuotione pro viribus impendite. Tertium est: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suū, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei Beati* & nimium beati *serui illi, quos, cùm venerit, Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd super omnia bona sua constituet eos, præcingetque se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Hæ nuptiæ, ex quibus Dominus reuerti dicitur, in intimis animæ, id est, in ipso animæ fundo, in quo præclarissima Dei consistit imago, aguntur: vbi quanta sit animæ ad Deum cognatio, & Dei ad animam, quamque stupenda & mira illic Deus operetur, quantas denique delicias, & quantum gaudium ibi capiat Deus, id sensus omnes & omnem superat intellectum: licet nihil inde sciat, nihil sentiat homo. In quibus verò hoc gaudium & has nuptias Deus celebrat, illi sunt, qui corda & fauorem suum à mundo & creaturis omnibus ad Deum transtulerunt, cum voluntate fixa & perpetua illi soli viuendi. Cæterùm qui spontè scienterquè vlla in re creata, cuius ipse causa non est, suam capiunt delectationem, cum his nihil illi commercij est. *Et vos,* inquit, *similes hominibus expectantibus Dominum suum.* De his expectantibus sciendum est, dilectissimi, quòd malignus spiritus & eis sedulò insidiatur. Vbi enim Dominum moram facere videt, & differre aduentum suum, aliquam eis voluptatem intus vel foris adducit, vt per hanc illaqueentur & impediantur. Sed quæso te fili mi, quisquis eiusmodi es, floccipende voluptatem diabolicam, & sta perseueranter super custodiam tuam. *Beati* enim *serui illi, quos, cùm venerit, Dominus inuenerit vigilantes.* Quare autem non vigilent, qui nesciunt *quando Dominus* eorum *venturus sit, serò, an media nocte, an gallicantu, an manè: in primáne, an secunda, an tertia vigilia?* Sic porrò expectantibus & vigilantibus *Dominus transiens ministrabit,* id est, quandam eos experiri faciet prægustationem occulti gaudij illius, quod in cœlestibus nuptijs agitur, quo simul eos confortabit, vt præstolatio eis plus satis molesta non sit. Dat enim hîc eis sentire amoris sui dulcedinem, vt per hoc ipsorum dilectio roboretur, & ipsi expectantes perficiantur. De hac expectatione D. Gregorius loquens, & versum illum Psalterij exponens, *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine:* ait, quod posteaquam homo interior, sic, vt dictum est, expectans expectauit, ab omnibus se elongare debeat, & manere in solitudine. Hæc autem solitudo est, non tantum exteriorem reliquisse multiplicitatem, sed etiam interiorem, virium videlicet internarum, quæ sunt vires imaginatiuæ, & imagines earum, phantasiæ item & cogitationes, atque ab omnibus se auertere formis & imaginibus, & sic manere in solitudine.

Tria quædam notanda.

I.

II.

III.

Quibus expectantibus quomodo satanas insidietur.

Psal. 54.

Cumqúe omnem, quæ hic occurrit, molestiam & pœnam ad extremum vsque homo pertulit atq; superauit, tum Dominus, quem expectauit in repentino fulgore quodam adueniens, in eodem fulgore rapit eum, euehitq; super omnia, & ibi pro diutina recreat eum expectatione sua. Sed paulo post, ne ex eis, quæ hic sentit, extollatur, rursus prosternit ac deijcit & deprimit eum. Et hoc est quod Ieremias ait: *A facie manûs tuæ solus sedebam, quoniam comminatione repleŝti me.* Quid est hoc, charissimi? Aduertite. Vbi quis ad hanc intimam pertingit quietem, & intra seipsum in fundum suum peruenit, comminatione & terrore replet eum Dominus, tanquam si vtroque illi pugno minetur. Et alter quidem pugnus est, caligo & tenebræ & profundum ac desolatum iter, quæ illi intus occurrunt, ita vt nihil sciat, nihil habeat: & insuper adhuc omne malum, vehementissimæ quoque tentationes superbiæ, luxuriæ, perfidiæ seu infidelitatis, & aliæ plurimæ ac diuersæ impugnationes, quæ omnia se iam pridem euasisse ac superâsse credebat, rursus in eum irruunt, & fortiter oppugnant. Et hinc comminatione simul & terrore repletur. Alter verò pugnus est, horrenda iudicia Dei, quæ illi intus Deus proponit. Quibus consideratis, non habet iam quò se collocandum censeat, præterquàm in profundissimo inferni. Hi pugni mirabiliter hominem premunt: nec aliud cunctis his comminationibus quærit Deus, nisi vt pestiferũ superbiæ fundum euertat destruatq;. Hos pugnos qui rectè contemplantur, magis in eis omnem extinguunt voluptatem & delectationem, quàm cuncta queant externa exercitia, quæ multis annis peragi possent. Sic porrò homine ex toto cum Propheta ex solicitudinem introuerso, & ibidem manente, omniq; in ipso cogitationum, formarum & imaginum sedato impetu ac tumultu, Deus & sanctus Angelus repente velut in ictu oculi amorem illi operantem inspirant, mouentqúe illum ad orandum, pro certa aliqua, quam suggerunt, causa, siue pro Ecclesia, siue pro viuis, siue pro defunctis. Hæc autem instar fulgoris ei in mentem veniunt. Facitqúe tunc Deus, tanquam illi oraturo confestim diceret: Non opus est, vt aliquid mihi dicas. Scio quid velis, quid desideres. Et sic eius desiderio satisfacit. Hæc est oratio, dilectissimi, quæ in spiritu funditur, qua veri vtuntur adoratores. Interim & diabolus huc aduolat, diligenter explorans, si quid fortè suum hic reperire possit. Itaque pulsat eum, & quasdam molestas ingerit cogitationes, easqúe illi proponit. Sed has ille contemnat ac floccipendat, & præterfluere sinat. Cùm enim nec amore, nec intentione eas prosequutus sit, confusus & inanis diabolus abscedere cogitur. Tales verò vexationes seu impugnationes mirabiliter hominem præparant. Cæterùm in quibusdam regionibus homines inueniuntur, falso cuidam otio vacantes, & ab omni tam intus quàm foris operatione abstinentes, bonas etiam à se excludentes cogitationes. Aiunt enim se pacem adeptos: nec exercere se volunt in actibus virtutum, dicentes se virtutes transcendisse. Isti diabolum quendam sibi assidentem habent, prohibentemqúe & repellentem ab eis omnes, tam cogitationes quàm modos seu instituta, quæ pacem ipsorum infringere possent, vt in hac eos falsa pace detineat, & postea secum ad æternam abducat perturbationem, ad ipsum videlicet infernum suum. Non hunc iusti modum sectantur. Quin potius intus & foris sese exercent: seruantqúe patientiam in vijs omnibus, per quas eos Dominus ducit, in tentationibus, in tenebris: nec sibi arrogare audent, se ad pacem pertigisse. Nec tamen in perturbatione viuunt. Sed

arctam

Iere. 15.

Vtroque qui pugno minetur nobis Dominus.

Quæ cogitationes diabolicæ hominibus etiam prosint.

arctam quandam semitam gradiuntur, mediam inter pacem & perturbationem, spem & metum inordinatum, certitudinem & dubitationem. Et licet interdum vera illis pax & certitudo, seu spiritûs libertas intus refulgeat, mox tamen absque inhæsione in ipsum eas reijciunt fundum. Hæc arcta ingressuris itinera, ante omnia videndum est atque curandum, vt in vestigijs Domini Saluatoris fixi & fortiter persistant: in quibus quanto fortius ac firmius steterint, tanto puriores efficientur. Hîc pugni minaces remittuntur, & in benignissimas atque gratissimas mutantur manus. Denique hos Dominus tenerrimè suis hîc paternis adstringit brachijs: & longè vltra omnia subuehit. Tum verò cuncta eis creata excidunt, & tædet eos omnium, quæ non sunt purè Deus. Iamque Dominus difficiles & obscuras eis vias & angustas semitas ostendit, per quas transiêrunt. Dehinc nullus eis nocere potest: simulq; ab omni hîc recreantur miseria & derelictione, quam prius experti sunt. Hæc certè, dilectissimi, prorsus incognita & remotissima sunt liberis illis spiritibus, qui de falsa libertate gloriantur: & illis similiter, qui falso vacant otio, & falsam sibi arrogant pacem: necnon & illis denique, qui suis proprijs institutis plus æquo inhærent, eisque fortè quadraginta vel amplius annis vixêre contenti, & magna interim extrinsecus fecêre opera, interiorum passionum & vitiorum sordibus contaminata. Hi enim omnes hanc, quam diximus, strictam tenere viam noluerunt. Denique in magna licet congregatione vix vnum reperias aut alterum, qui hac via ingredi velint. Quotquot autem reliqui sunt, hos videas ad hanc exercere, vrgere, præparareque. Si enim vel leuissimè delinquant, durius ab alijs increpantur. Sed quæso te fili mi, quisquis ille es, cui id accidit, sustine id animo benigno ac patienti. Si quod verò durius responsum aut asperius verbum tibi excidat, statim ad te reuertere: agnosce culpam tuam, & dole. Tace, obsecro, & ipsum lapsum tuum suscipe de manu Dei tui, tanquam ideo permissum, vt teipsum cognoscas. Nam si multũ patienter sustinuisses, forsitan superbia subrepsisset animo tuo. Itaque humilia te, & cœpto perge itinere: etiam ipsi lapsus tui te præparabunt, etiam recta omnia & obliqua cooperabuntur tibi in bonum, si tantùm diligenter obserues, & peruigilem adhibeas conatum & operam. Sanè quisquis ita vigilantibus Dominum oculis instar D. Patris Augustini, cuius hodie festa colimus, expectârit, illi ministrabit, & plenissimum impertietur gaudium, sicuti & eidem sanctissimo Præsuli fecit Augustino. Quod nobis omnibus idem ipse præstare dignetur, super omnia benedictus Deus in secula. Amen.

Medium qui tenêdum.


Quanta verè perfectorum raritas.

IN NATIVITATE GLORIOSISSIMAE Virginis Mariæ.

Vt rerum temporalium, puta delectationum creaturarum, peregrina natiuitas, diuinam in homine generationem impediat, vtq; prauarum inolitarum consuetudinum inhæsiones abradi oporteat, si diuinam in nobis natiuitatem agi velimus.

SERMO VNICVS.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. ECCLI. XXIIII.


IEM hodie solennem agimus, dilectissimi, quo diuinà prorsus & intemerata Virgo Maria, Domina nostra, munda, pura, & sancta de materno processit vtero. In qua restitutum est, quod in Paradiso perditum fuit: præclarissima videlicet imago, ad Dei Patris imaginē facta, sed perdita in Paradiso. Voluit enim Deus, vt Virgo hæc sanctissima vna secum membra sua omnia in suam regeneraret ac reduceret originem: & ex immensa quadam misericordia, per eam nos ab æterna voluit releuare & eximere abysso, in quam cecideramus omnes, quantum ex nobis fuit. Itaque leguntur de ea, quæ iam audîstis verba, quæ ipsius Sapientiæ sunt, ista videlicet: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Propriè autem hæc verba Deo Patri congruunt, inuitanti nos & allicienti ad suam generationem. Nihilo minus propriè conueniunt etiam huic beatissimæ Virgini & Dominæ nostræ. Quam enim ab æterno Deus Pater prolem edidit, eandem & ipsa peperit: & idem vtriusque partus est. Inuitat autem nos, vt transeamus, & ab amabili sua generatione impleamur. *Transite*, inquit, *ad me omnes, qui concupiscitis me.* Reuera namque omnibus hanc generationem in veritate concupiscentibus, scintillula quædam illius interim præstatur, quæ ipsorum excitat & allicit desiderium, & ad maiora appetenda inflammatur: vt iam ex sententia dicant cum S. Augustino: Domine, fecisti nos ad te, & ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Cæterùm inquietudo hæc, quam in nobis semper & absque intermissione esse oportebat, peregrinis quibusdam detinetur ac impeditur generationibus, in nobis sese parientibus, quæ sunt temporalium, labentium ac sensibilium rerum oblectamenta & delectationes creaturarum: vt verbi gratia, familiaritatum, societatum, vestimentorum, cibi ac potûs, & breuiter omnium, in quibus voluptas capitur, quæ omnia se generant in nobis, & ea partûs eiusmodi genitores sunt: quæ quamdiu intra nos generationes, nobis scientibus & consentiētibus persistūt, Deus suum in nobis partum non edit: quamdiu, inquam, horum aliquid cum delectatione intus possidemus. Quæ quamlibet minuta & vilia sint, impediunt tamen & excludunt à nobis iucundissimam & dulcissimam Dei Patris generationem, quam ille & vellet & deberet peragere in nobis: insuper & sitim illam ac desiderium, quibus nos ad Deum & hanc generationem æstuare oportebat, extinguunt ac remorantur. Interim nihilominus queruntur homines & dicunt, amoris se & desiderij esse expertes. Cuius hæc sola, quam dixi, ratio est, quòd labentibus creaturis cum delectatione inhærent, quod ipsorum amorem & desiderium detinet. Iam ipsorum est videre, quid eos potissimum impediat: neque enim melius id alicui quàm ipsis constat. Non id ex me quærant, sed seipsos potius interrogent, cur amorem & desiderium non sentiant. Si tamen audire non recusent, dicam equidem eis. Causa est quòd Deo pariter & creaturis gaudere volunt, quod tamen impossibile est. Delectatio Dei & delectatio creaturarum in eodem simul persistere non possunt. Emittant licet vel sanguineas lachrymas, at istud obtinere non poterunt. Hîc tamen de ijs non loquimur, quæ homini necessaria sunt, vel quæ propter Deum, vel in Deo habentur, vel etiam quę ex natura abijci nequeunt, vt est in famelico cibi, in sitibundo potûs, in lasso quietis, in somnolento somni appetitus & delectatio. Si tamen ista cum quadam exquisita electione, & propter voluptatem ac delectationem potius

Verba Deo propria qui congruāt Mariæ

Quantilla diuinā in nobis impediant generationem.

Delectationi diuinæ cum humana, quàm nō conueniat.

tius quàm pro necessitate vel vtilitate naturæ capiantur, impediunt vtique & ipsa hanc natiuitatem, licet minus quàm aliarum rerum oblectamenta, quòd his natura opus habeat,& vix aut omnino non possint absque delectatione percipi, quatenus natura operatur. Cæterùm qui æternæ generationi non vult esse impedimento, & in desiderio magis ac magis excrescere & proficere exoptat, ille hæc impedimenta, quæ voluptates & delectationes sensuum ac naturæ, & creaturarum præstant, diligenter obseruare debebit. Quo enim minus huiusmodi delectationum habuerit, tanto plus illius percipiet generationis. Quantum abscesserit frigoris, tantum succedet caloris. Curabit præterea,ne per desidiam, aut incuriam seu negligentiam, vel propriæ quietis & commoditatis studium,aut fictam infirmitatem à profectu retrahatur. Sic sunt,proh dolor, quidam,qui in densa quadam cæcitate ingrediuntur: & ea ipsa quæ faciunt,tam cęco ac irrationabili quodam modo agunt, tanquam profectûs sui nulla prorsus eis cura sit. De his porrò defectibus & vitijs, vt de creaturarum in animo possessione,de incuria & alijs vitijs quibuscunque, id pro certo sciendum est, si in eis perseuerandi non deseratur voluntas, nullam super ea Confessorem habere absoluendi authoritatem. Nam si vel decies ea per diem confitearis, nihil proderit,nisi ea vitare proponas. Immò si quis in mortis articulo ex peruersa voluntate, creaturarum amore nimio, qui etiam Dei amorem superet, possessus deprehensus fuerit, nunquam Dei vultum contuebitur. Hoc enim omnis clamat Scriptura, hoc Euangelium vbique testatur, vti passim in ipso cernere licet. Hoc veteris pariter & nouæ Legis præceptum est, vt Deus super omnia diligatur. Sic quodam loco ipse Dominus ait: *Qui non reliquerit omnia quæ possidet,non est me dignus*. Et alibi: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum*. Putatísne dilectissimi, Dominum Deum regnum cælorum brutis animantibus præstiturum, pro quo pretiosissimum fudit sanguinem suum, & tradidit in mortem vitam suam? Quæso, attendite vobis, nec arbitremini quòd Deus tam immodicum creaturarum amorem inultum abire sinat. Certè si sciretis, quàm grauiter hunc quandoque Dominus vlciscetur, forsitan præ anxietate tabesceretis. Creauit nimirum omnia Deus & contulit homini, vt tantùm via quædam sint ad ipsum,ipse verò duntaxat, non aliud aliquid,omnino finis & scopus sit. Nunquid lusum hæc iocumq́ creditis? Non vtique iocus sunt. Credite mihi,solus habitus sanctum non efficit. Non cucullus meus, non caput rasum,non cœnobium, non sancta societas sola me sanctum efficiunt: sed si sanctus fieri debeam,omnino adsit oportet sanctum, purum,vacuum, liberum, & à nulla prorsus re creata possessum fundum. Crebrò me labijs perstrepere, & dicere sæpius: *Domine, Domine*, multas preces extrinsecus fundere, multum studere, verbis pulchris affluere,acutè subtiliterq́ lecta intelligere, sanctitatis demum præ me ferre speciem,non vtique satis est: alia insuper exiguntur. Si quis sese fallit,suo id,non meo, damno fecerit. Proh tam secularia vos corda mentesq́ mundanas gerere, tamq́ vanitatibus deditos esse in habitu religioso. Hæ verò prauæ consuetudines & huiusmodi vanitates haud secus vobis inseruntur,quàm surculi truncis arborum, & sicut fructus inde nascentes, non trunci, sed surculorum naturam induunt: sic & omnes fructus vestri, peregrinas illas externasq́, quæ vos possident, imitantur generationes, adeò vt etiam ipsa bona

facta

Quæ peccata Confessionarius absoluere nequeat.

Luc. 14.
Matth. 10.
Matth. 7.

Quî sanctum quid fiat.

facta vestra, quæ diuina esse oportebat, creaturalia, vt ita dicam, & nullius momenti reddantur. Pariunt enim sese in omnibus viribus vestris, tam intus quàm foris. Hinc D. Iob ait: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Horror nocturnæ visionis, cæca & obscura est possessio, quam horrendum pauendumq́; sequitur iudicium, tremor & anxietas, vt omnia merito ossa perterreantur. Spiritûs verò, illo præsente, transitio, Dei transitus est. Et superius quoque de transitu quodam audistis, vbi verba Epistolæ recitata sunt, ista videlicet: *Transite ad me*, &c. Itaque duo transitus sunt, alter spiritûs: id est, Dei ad nos, alter noster ad Deum. In vtroque autem hoc transitu quidam decessus necessarius est, vt alias sæpe dictum est. Aiunt namque Theologi, duas formas simul in eodem subsistere non posse. Si debeat ignis fieri, lignum deficiat oportet: si granum transire in arborem, prius grani speciem corrumpi necesse est. Sic etiam si Dei transitus, & generationum eius impletio, in nobis agi debeant, mortales creaturas intra nos deficere oportet. Vnde D. Gregorius prædicta D. Iob verba exponens, illa videlicet: *Inhorruerunt pili carnis meæ*, locum illum ex Numeris adducit, vbi Leuitæ præcipiuntur radere omnes pilos carnis suæ, & vtrunq; exponens, ait, vt quomodo pili ex carne, sic in viribus tam supremis quàm infimis aliqua homini de vitæ vetustate seu pristinis consuetudinibus nasci, quæ tollerētur. Sed hæc sanctæ solicitudinis ferro, seu sancto quodam studio resecanda sunt. Hoc autem ferrum exacuendum est ad fortia, tremenda & occulta Dei iudicia, districtamq́; iustitiam illius, ne vnam quidem cogitationem indiscussam abire sinentem, & pro minima quaque imaguncula sponte possessa, intolerabilem infligentem Purgatorij pœnam, antequam ad suum liceat venire conspectum. Cæterùm, vt D. quoque Gregorius ait, rasis his noxijs & sordidis pilis, in carne radices permanent & crescunt, vt iterum radantur: Quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro solicitudinis recidat. Itaque mox, vt pili succreuerint, rursum nouo studio radēdi sunt. Sic quosdam inuenire est, hac in parte tam diligentes & sedulos, vt mox vbi aliquam superfluam vel malam cogitationem senserint, euestigio ferro solicitudinis rescindant. Fateor quidem dilectissimi, perpetuò semetipsum obseruare, & stare iugiter super custodiam suam, in principio nonnihil difficile esse & molestum: sed vbi quis in consuetudinem verterit, facilimum erit, adeò vt quod prius ferreum requirebat studium, tunc leui flatu possit auferri. Debet præterea vnusquisque actuoso amori dari operam, & esse communis omnibus, non tantum certis quibusdam & singularibus personis, nec bonis duntaxat, sed etiam cunctis pauperibus & egenis. Tales erant beatissimæ Virginis Mariæ sanctissimi parentes Ioachim & Anna, quæ omnem substantiam suam in tres partes diuidebant. Quarum vnam templo, aliam pauperibus dabant: tertiam suis seruabant vsibus. Vbi enim tenacitas & auaritia, ibi sordida quædam & perniciosa vorago est. Sanè oportebat omnes, ad impendendum vilia hæc (res dico temporales) & caduca, liberalissimos esse. *Date*, inquit Dominus, *& dabitur vobis: remittite, & remittetur vobis. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Iam quosdam adhuc reperire est, qui etiam rebus seu donis internis immodicè inhæreant,

[Margin notes: Iob 4. — Horror visionis nocturnę. — Transitus duo. — Num. 8. — Pro minimis peccatis quanta Purgatorij pœna infligenda. — Quales S. Mariæ fuerint parentes — Luc. 6.]

reant, nec vltra proficiant. Nam & in his noxij quidam pili succrescunt, quos tamen ipsimet ignorant. Fieri autem poterit, vt sint aliqui ex eis eiusmodi, vt cum illis nunquam ad Dei conspectum sint admittendi. Poterant autem isti purè admodum vixisse. Nam & magnorum sunt exercitiorum, sed pili isti latent intus in fundo, quod nec ipsi quidem satis nouerunt, nisi quòd in illa inhęsione irresignatos se comperiunt. Vnde valde tutum foret homini veritati viuere cupienti, vt aliquem haberet Dei amicum, cui se submitteret, quiquè eum secundùm Dei spiritum regeret & gubernaret. Non enim facilè vitia hæc seu pili deprehenduntur, nisi aliquandiu cum illo conuersatus sis, qui sic intrinsecus Dei donis inhæret. Deberet profectò talis aliquem expertum Dei amicum etiam vltra centum milliaria inquirere, qui rectam nôsset viam, & ipsum dirigeret institueretqúe. Quòd si talis aliquis tam singularis Dei amicus haberi non posset, sufficeret etiam simplex Confessor, quamlibet ille rudis foret: (loquitur enim & per tales sæpe Spiritus sanctus, ratione officij ipsorum, licet ipsi quandoque rudes sint, & nesciant neque intelligant quid dicant) atque illi se submitteret & obediret, nec ex seipso, suo videlicet sensu suoq; iudicio, viueret. Huius perfectissimum in gloriosa diuinaquè Virgine Maria exemplum habemus, quæ cùm puella esset tenera, subdita fuit parentibus suis. Deinde post paulum in templo sub Pontificis, postea sub D. Ioseph, inde sub ipsius Saluatoris, ad extremum sub D. Ioannis Euangelistæ, cui eam Dominus pro se commendârat de cruce, cura degebat. Cælestis autem huius ac beatissimæ Virginis Mariæ cella, fuit cælum: in quo cum vniuersis desiderijs suis tota inclusa fuit. Schola illius, fuit æternitas. Enimuerò à rebus temporalibus prorsus remota & libera erat. Pædagogus eius, diuina veritas fuit. Cuncta namque ipsius vita, iuxta hanc solam dirigebatur. Liber eius, conscientiæ ipsius fuit puritas, in qua nunquam non inueniebat vnde delectaretur in Domino. Speculum illius, diuinitas fuit. Nullas namq; imagines, nisi in Deū transformatas, & Deum indutas, in se recepit. Ornatus eius, deuotio illius fuit. Soli quippe interiori vacabat homini. Quies eius, vnitas ipsius cum Deo fuit: quandoquidem cordis illius locus & thesaurus, solus Deus erat. Hanc deuotissimis nunc, oro, pulsemus precibus, vt in suam nos ipsa curam suscipiat, & sicut ipsa hodie nata fuit, ita & nos omnes in nostram regeneret originem & principium Deum, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum. Amen.


Ioan. 19.

IN FESTO EXALTATIONIS SANctæ Crucis.

De salutifera cruce, quæ est ipse Dominus noster Iesus Christus, secundùm humanitatem suam. Vt ille nos abstrahat post se ab omnibus vitijs seu defectibus & malis propensionibus virium nostrarum, & confortet nos sacratissimo corpore suo. Vtq; illius intra nos crux exaltetur. Et de bonis constitutionibus.

SERMO PRIMVS.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. IOAN. XII.



ODIE, dilectissimi, Exaltationis sanctæ & amabilis Crucis solennitatem celebramus, in qua Cruce totius mundi salus ex amore pependit, per quam Crucem nos omnes in sublimem illam recreabimur dignitatem seu nobilitatem, in qua fuimus etiam ab æterno. Planè, inquam, ad hanc regenerabimur & reducemur nobilitatem per crucis amorem, de cuius excellentissima dignitate satis dici non potest. Itaque in Euangelio hodierno Dominus ait: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quæ sunt illa, quæ se tracturum ad se dicit? Vtique terrena corda nostra, terrenarum rerum voluptatibus & oblectamentis, amore item creaturarum possessa: similiterq́; superbæ & elatæ mentes nostræ, cum nostriipsorum complacentia, & cum amore influxis ac temporalibus nostræ sensualitatis delectationibus. Quæ omnia ad seipsum Dominus trahet, vbi sic exaltatus fuerit in nobis, & magnificatus in cordibus nostris. In quo enim vnquam magnificatus est Dominus, illi creaturæ omnes exiguæ sunt, & labentia cuncta tanquam nihilum videntur. Porrò Crux illa amabilis, id est, crucifixus Dominus noster Iesus Christus, longè & incomprehensibiliter vltra Angelos & Sanctos omnes, vltraq́; gaudium, exultationem, & beatitudinem omnem, quæ simul vniuersi habent, exaltata est. Et sicuti proprius & essentialis locus eius in supremo est, ita & in nostro supremo vult commorari, id est, in excellentissimo, intimo, & maximè sensibili amore & intentione nostra. Et infimas quidem vires nostras in supremas, & vtrasque simul in se trahet. Itaque si quod in nobis supremum, intimum, atq; potissimum est, id illi præstiterimus, etiam nos in id, quod in ipso summum & intimum est, trahet. Ita enim necesse est, vt si nos in id, quod illius est, pertingere velimus: ipsum hîc in id, quod nostrum est, suscipiamus. Quantum verò nunc ipsum nos in nostrum, tantum tūc ipse nos in suum recipiet. Seu heu, proh dolor, quàm nimis hæc Crux sancta & amabilis vbique in obliuionem abijt: quàm illi fundum & intimum animæ occluditur, & accessus denegatur, dum creaturis potius fauemus, magisq́; creaturas diligimus quàm ipsam: quæ vitia hisce periculosis temporibus nimium in Religiosis inualuerunt, & obtinent dominatum, ita vt corda plurimorum pereant per creaturas. Quæ profectò cæcissima miseria est, quam cor sensusque hominis capere queant: eamq́; quid olim sequatur, quanta videlicet ira & vindicta omnipotentis, si præuideri posset, præ metu ac tremore forsitan aresceremus. Interim in his ridemus & sustinemus hæc, & quasi lusum ducimus: iamq́; proh dolor in consuetudinem abierunt, & dissimulantur ab omnibus, & velut inter honesta numerantur, quasi verò iocus sit, ita cor suum tradere creaturis. Credite mihi, modò id fieri posset, Sancti omnes etiam sanguineas hinc lachrymas funderent, & Christi amorosissima vulnera ex hac miseria dirumperentur, quòd videlicet cor hominis, ob quod amabilem, iuuenilem ac florentem vitam suam, dilectamq́; & sacratissimam fudit animam suam, tam turpiter sibi aufertur, & ignominiosè inde profligatur. Quod vtinam ipse videat, & miserescat. Neque verò, tanquam mea, hæc dicta suscipite charissimi. Hæc omnis vbique vobis Scriptura clamat. Nonne ipse Dominus in Euangelio dicit: *Nemo potest duobus dominis seruire: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget?* Itemque: *Si scandalizat te oculus tuus, erue eum, & proijce abs te.* Et alibi: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Videat nunc vnusquisque, quantum sui cordis occupet Deus, si

Margin notes: Crux. — Quāta sit & quam periculosa Crucis obliuio. — Matt. 6. — Matth. 5. — Matth. 6.

illa

ille thesaurus suus sit. Et Augustinus ait: Si terram diligis, terra es. Magis enim est anima vbi amat, quàm vbi animat. Sic & D. Paulus: *Si linguis, inquit, hominũ loquar, & Angelorum, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et alia plura in hanc sententiam, quæ recensere longum est. Quamobrem dilectissimi, multa attentaq́; cum gratitudine, actualique cum amore magnam stupendamq́; hanc gratiam, & à pijssimo Deo, & ab Ordine vobis concessam, Christi dico sacratissimum Corpus, suscipite. Et ipse quidem toto corde & anima peto & exopto, vt sanctissimum hoc exercitium periculosissima hac tempestate nõ deficiat, nec decrescat, neque tepescat. Non enim nunc ea naturæ fortitudo est, quæ olim fuit. Oportet planè vt aut fortiter nunc adhæreas Deo, aut totus collabaris & decidas: quod olim non fuit. Vnde iam multo ac forti opus est hominibus fulcimento, quod eos ab hoc terribili & periculoso præseruet casu. Nec est quòd putet aliquis ob multam hominum perfectionem, nos ad crebram eos hortari communionem, sed potius ob nimiam humanæ naturæ fragilitatem subleuandam. Aegrotis enim medicus necessarius est, non rectè valentibus. Itaque crebrius his, id est, infirmis accedendum est, vt à periculoso hoc retineantur atq́; seruẽtur lapsu, qui iam inter Religiosos dominium obtinet. Nec debet quisquam ideò hos repellere, aut iudicare indignos, q̀ non magnæ sint perfectionis, nec magnorum operum. Sufficit enim, vt seruent sacrum Ordinem suum, quatenus poterunt: & vt illius sint animi ac voluntatis, quòd illum seruare velint pro viribus: vbi vero non poterunt, quòd cum superiorum suorum consensu dimittent. Sed neq; multo hîc intellectu opus est: sed satis est, quod libenter bene & rectè agerent, quodq́; eatenus eis oculi aperiantur, & hactenus maneant aperti, vt hoc mortiferum damnum velint euitare. Atque hac de causa iuniores Moniales nostræ libenter ac studiosè ad venerabile debebunt accedere Sacramentum. Quod autem ad seniores attinet, habeo quod ad illarum excusationem & defensionem dicam. Eæ nimirum in multa vixêre sanctitate temporibus illis, quando non tam malè habebat natura, vt in præsentiarũ: Ordinemq́; suum & Statuta siue Canonem mira cum districtione seruârunt. Et quia leges ac constitutiones omnes grandi fauore & amore ac intentione quoque prosequebantur, libenter antiquam hanc legem pro veteri bona consuetudine obseruârunt, vt quintodecimo quoque die ad sanctam Communionem accederent: satisq́; id grandi ipsarum perfectioni & sanctitati temporis sufficiebat, quando melius quàm nunc habebat natura, minusq́; tam rara Communio incommodi seu damni adferebat, quàm modò corruptissimæ iuniorum hominum naturæ inferat, quæ multo nunc ad mala quæque procliuior est, quàm tunc erat. Ideoq́; & pluribus nunc adminiculis opus habet, quàm tunc habebat. Neque enim absq; speciali fulcimento in summis & optimis quibusque modis, seu institutis modò persistere valeamus, sed delabimur (proh dolor) ad ima bestialium voluptatum & delectationum pro desiderijs sensualitatis. Quocirca filiæ mi dilectissimæ, non magnam à vobis exigo perfectionem vel sanctitatem: sed hoc duntaxat, vt diligatis sacrum Ordinem vestrum, & amabiles constitutiones seruare proponatis pro viribus, & præsertim, vt silentium seruetis in locis omnibus, vbi loqui vetitum est, maximè in mensa & in Choro: libenterq́; omnium illorũ fugere velitis familiaritatem, qui Dei à vobis familiaritatem excludũt. (Quod

1. Cor 13.

Quomodo cuique suus Ordo seruandus.

Quare quoque Religiosis olim die communicare solitum.

ipsum seniores quidem ex sanctitate, istæ verò, iuniores dico, ob infirmitatem suam faciunt) Enimuerò si omni cum deuotione ita egeritis, Dei vobis comparabitis amicitiam & familiaritatem: & omnes illas fugietis occasiones, vnde hoc damnum prouenit, cordis dico perditionem. Credite mihi, intolerabiles quædam monasteria afflictiones comprehenderunt, quæ nisi olim hoc amabile exercitium tam studiosè & sedulò tenuissent, forsitan redacta fuissent in nihilum. Iam si contingat, dilectissimi, vt nullam sentiatis dulcedinem, obsecro, ne id vos conturbet, néve terreamini. Vbi enim fecit quis quod in se est, & nihilo minus intus derelinquitur, hæc ipsa derelictio omne gustare & sentire quod haberi possit, superat. Vbi, inquam, omnes hominis vires ad Deũ extensæ sunt, & ille totus relinquitur. Cumq; sitit & appetit sensibiliter amare Deum, & tamen in tenebrosa & frigida quadam cordis ariditate seu duritia dimittitur, hæc crux cruces omnes, quæ haberi possint, præcedit: hæcqúe amarissima derelictio & exilium, vicinius multóq; compendiosius hominem ad purissimæ veritatis fundum introducit, quàm omnis sensibilis perceptio. Itaq; & ipse Dominus clamauit in cruce: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et prius in horto. *Non mea*, inquit, *Pater, sed tua voluntas fiat.* Obsecro ne terreamini charissimi. Ipsum Dominum audite, dicentem: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Quæ crux Dominus noster est Iesus Christus crucifixus, quem nasci oportet per vires omnes, puta intellectum, voluntatem, per hominem quoque exteriorem, & per sensus: specialiter verò per has quatuor vires, quarum prima est, Concupiscibilis & externa oblectamenta seu voluptates, per quas vtique crucem hanc nasci oportet, vti Apostolus inquit: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, quas restringi & edomari necesse est. Secunda est irascibilis, vt videlicet in omnibus te resignare scias: semperq; tibi videatur melius sentire aliũ quàm te, nec contentioni & rixæ deditus sis, sed potius abnegare & relinquere tete discas, iugiterque quietus, patiens, benignus perseueres, vnde vnde ventus afflauerit: vt verbi gratia, si in congregatione positus sis, vbi videas quosdam cõfabulantes, & vix vnquam tacentes, teipsum ibi relinquere & sufferre siue pati disces, & recipere te intro ad teipsum. Ridiculum certè est, si artem quis scire velit, & eam recuset addiscere. Si gladiator fieri quis cupiat, & in ea se arte exercere nôlit, in grande vitæ suæ discrimen venire poterit, si athleticæ imperitus, in arenam descendere volet. Sic ergo in omni aduersitate viriliter certare discendum est. Reliquæ duæ vires, per quas crucem nasci oportet, subtiliores sunt, & sunt istæ, intellectus, & internæ spiritus delectationes. Breuiter ergo, & per externum & per internum hominem nostrum amabilissimus hic Christus crucifixus, intra nos & extra nos nasci debebit: sicq; & nos in ipso, in nouitate spiritus illius renascemur, quomodo scriptum est: *Sitis quasi modò geniti infantes.* Deniq; si hoc pacto vestram dilectissimi vitam instituitis, quotidiana in vobis dedicatio agitur, & plenè omnia vobis in hac sanctæ crucis natiuitate peccata remittuntur. Præstet nobis omnibus Dominus Deus, vt sic dulcissimæ cruci huic, quæ Christus est, adhæreamus, vt ipse sine intermissione recèns nascatur in nobis ad laudem & gloriam suam. Amen.

(·.·)

[Margin notes: Ariditas quæ quãdã cedit nem u peret. / Crux maxima quæ. / Matt. 27. / Matt. 6. / Luc. 9. / Vires quatuor / I. / Gal. 5. / II. / III. / IV. / 1. Pet. 2.]

IN EA-

IN EADEM SOLENNITATE.

Vt Christus ab omni nos delectatione & viscosa adhæsione ad se trahat, varieq́ nos ac multiplici cruce diuersisq́ afflictionibus præparet, quo tandem animo ad occulta seu arcana diuini fundi sui pertingamus.

SERMO II.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. IOAN. XII.



Crucis honor in quem redundet.

DIES hodie est, dilectissimi, Exaltationis sanctę Crucis, cuius dignitatem non est qui verbis consequi possit, in qua omnis consistit honor & dignitas, quæ vel in tempore vel æternitate cogitari queant: quandoquidem per crucem is accipitur, qui in ea mori dignatus est. Vnde etiam Religiosi quique ab hac die crucem in humeros suscipiunt, regulare, vt vocant, ieiunium inchoantes: quod vtique multum confert, & iucundum est omnibus, qui id ferre valent. Cæterùm solennis nunc memoria agitur facti illius, quando Imperator Christianus Heraclius sanctam Crucem pagano regi Persarum abstulit, omnique cum honore & reuerentia, quæ magnificentia potuit regales impendere aut excogitare, pro sua, inquam, non Crucis dignitate, ipsam Ierusalem reducere voluit. Cumque Hierosolymorum portis propinquâsset, & de monte Oliueti descendens, per portam, qua Dominus passurus intrauerat, equo regio sedens, & regalibus fulgens ornamentis, ingredi vellet, repente lapides portæ sese demittentes, in murum densissimum coierunt. Quod cum omnes stupentes mirarentur, Angelus Domini signum crucis in manibus ferens, supra portam apparuit, dicens: Tu multa cum maiestate huc venis Crucem deferens, cùm is qui in ea mortuus est, ingenti cum ignominia & contumelia hinc eiectus fuerit, ferens crucem in humeris suis, & nudis ambulans pedibus. Quibus Imperator auditis, lachrimas infusus, repente ex equo desiliens, abiectis calcis & vestibus nudatus vsque ad indusium, leuatam in humeros crucem, ad portam vsque humiliter tulit. Mox verò portæ sese subrigentes, vltro aditum ingredientibus præbuerunt. Itaque cruce in locum suum restituta, pristina miracula renouantur: mortuus quidam vitæ redditur, paraclytici curantur, leprosi mundantur, cæci visum recipiunt, dæmones pelluntur, & varijs detenti languoribus, sanitatis beneficium gratulabundi reportant. Sed ad Euangelij verba veniamus. Itaque inter cætera sic Dominus locutus est: *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* Vbi per *omnia*, homo intelligi potest: qui idcirco omnia dicitur, quòd cum cunctis quandam habeat similitudinem. Sanè inueniuntur qui crucem reperiant, & ad crucem à Deo trahantur, per varias afflictiones, passionesq́ & exercitationes: quas ideò Deus illis euenire permittit, vt per has eos ad se trahat. Verùm has afflictiones exaltari oportet, vti de sancta Cruce factum hodie recolimus: non, inquam, reperiri tantum, sed etiam exaltari. Sanè si sese quisq́ crebrius obseruaret, & ad sese intro reciperet, vel vicies inueniret crucem per diem, crucem vtique diuersarũ malarum incidentium cogitationũ, & occurrentium aduersorum, quæ ipsum affligerent, excruciarent, crucifigerentq́, modò secum foret. Sed hanc crucem plerique non exaltant nec vtuntur ea quomodo deberent. Quotquot enim crucis onera alicui occurrunt, exaltare ea deberet, id est, referre in Deum, simulq́ cum illis sein

Heraclius.

Heraclij pietas.

Omnia cur homo dicatur.

Quoties quotidie crux inueniatur.

Quomodo illam quis crucem exaltet.

se in Deum subleuare, animoque libenti atque spontaneo recipere ea pro cruce sua, siue intrinsecus illa, siue extrinsecus acciderent, & siue corporalia forent, siue spiritualia. Atque ita nimirum traheretur in Deum, omnia se tracturum pollicentem ad se, vbi exaltatus fuerit à terra. Cæterùm inuenire quosdam est, qui hanc crucem extrinsecus quidem ferant, externis quibusdam iisque bonis exercitijs insistentes, & onus forsitan Ordinis cuiusdam portantes, vbi cantare, legere, chorum & refectorium accedere, coguntur. Atq; ita Domino renuem quẽdam exteriori homine, cantando videlicet & legendo, impẽdunt famulatum. Sed obsecro vos charissimi, putatisne hac duntaxat gratia vos Deum condidisse? Certè vellet ipse atque percuperet in singulares vos recipere sponsas & amicas suas. Hi itaque crucem portant, non cum Domino, sed cum Simone, qui eam coactus in humeros recepit. Nihilo secius prodest eis plurimum, vel sic portare hanc crucem. Seruat nanque eos à vitijs multis, & ab horrendo purgatorio, fortassis & ab inferno. *Omnia*, inquit Dominus, *traham ad meipsum*. Notum est, vt hi qui tractaturi sunt aliqua post se, prius ea colligant & redigant in fasces, & sic collecta trahant. Sic ergo & Dominus noster facit. Primùm colligit hominem ab excursibus & dispersionibus illius: colligit inquam, omnes sensus, vires, verba & opera eius, & intus cogitationes, intentiones, imaginationes, affectus seu desideria, fauorem, intellectum, voluntatem & amorem eius. Hisq; bene collectis, trahit hominem ad se. Oportet enim vt quibuscunque intus vel foris viscosè & cum affectu inhæremus, ab omni quoque delectatione abstrahamur. Hæc autem abstracti grauem adfert crucem, tantoque grauiorem, quanto fortius & tenacius rebus creatis adhæsimus. Prorsus, inquam, oportet vt & delectatio & amor omnis, quæ ex creaturis cepimus vel habuimus, ad mortales creaturas, quolibet illæ vocentur nomine, quales quales videantur, quamlibet religiosæ, quantumlibet sanctæ penitus mortificentur & abdicentur, si vnquam ritè exaltari vel in Deum trahi debeamus. Et hic primus idemq; infimus gradus est, & hæc in exteriori adhuc homine aguntur. Deinde & interiori homine crux exaltanda est, ita vt hunc ab omni interna delectatione, & viscosa ad spiritus voluptates, etiam quæ ex virtutibus nascuntur, adhæsione abstrahamus. Solet esse in Scholis disputatio inter Theologos, vtrum aliqua virtute frui liceat. Et concludunt, vtendum duntaxat, non fruendum virtutibus: solo autem Deo fruendum. Atqui fieri vix potest, vt in his delectatio non sentiatur. Sed ea absque proprietate sentietur. Quantum putatis, dilectissimi, delectationis & voluptatis habeat, posse ieiunare, vigilare, precibus insistere, & ferre Ordinem suum? Hac tamen me voluptate Dominus gaudere noluit vt possim satisfacere Ordini meo. Quid verò causæ esse creditis, cur permittat Dominus, vt vix ita quis vna habeat nocte vel die, vt alia: vt quod hodie ad deuotionem incitabat, cras vel hac ipsa etiam die nihil profit: vt denique multas quis imagines patiatur, & plurima illi incidant, & vix parum proficiat? Quæso te, fili mi, quisquis hæc pateris, suscipe hanc crucem de manu Dei tui, & sustine patienter: ingens illa crux gaudium tibi adferet, si tantum sciueris illam vera cum resignatione recipere de manu Dei tui, & referre eam in ipsum, gratiasq; illi agere & dicere ex sententia: *Magnificat anima mea Dominum* in omnibus, siue auferat, siue largiatur. *Oportet*, inquit Dominus, *exaltari Filium hominis*, vtique in cruce. Sunt plerique puri quidem fundi, sed præterea viscosi nimium sunt, cupiuntq; sentire & gustare, & intellectu

Cũ Simone crucẽ portare.

Interno homini crux qui ferenda

Quo vtẽdũ, quo ue fruẽdum

Crucem patienter latam gaudium afferre.

Lucæ 1.

tellectu percipere multa, quibus tamen immoderatius inhærent. Quibus præstaret hoc potius adniti, & in hoc omnem nauare operam, vt veram possent adipisci resignationem: magisq́ terrerentur, si qua talia eis contingerent, & eis se iudicarent indignos, eligerentq́ potius crucem tentationum, quam florem dulcedinis. Semper enim aliqua homini crux ferenda est. *Nonne oportuit* inquit Dominus, *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Quicquid ergo alicui intus occurrat, siue lux, siue sapor, missum illud faciat, non sibi attrahat, non discutiat, non exploret quidnam sit, sed in suum sese nihilum demittat, suum nihil esse ob oculos sibi statuat, illi inhæreat, non vlli alij rei. *Qui vult venire post me,* Christus Dominus ait, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Non ergo bene habendo, sed crucem ferendo Christum sequimur. Ideoqúe D. Andreas Apostolus ad crucem damnatus, cum ad supplicij locum venisset, sic crucem affatus est: Salue crux, quæ in Christi corpore dedicata es, salue diu desiderata, solicitè amata. Accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo. Sic autem hæc agenda sunt, vt non hodie fiant, cras rursum intermittantur, sed quotidiana erunt. Sine intermissione sui quisque curam habebit, & obseruabit perpetuò semetipsum in omnibus, quæ vel intus, vel foris, vel vndecunque illi acciderint: etiam defectus & peccata sua numerabit, & si vel septuagies septies in die ceciderit, semper reuertatur ad Dominum: nec timeat se nimis sæpe redire, quin potius tanto magis festinet, tamq́ fortiter & efficaciter tendat atque nitatur in Deum, vt omnia absumantur peccata sua, adeò vt vbi ad Confessorem ea recitaturus aduenit, nullam ipsorum memoriam habeat. Nec est quòd hinc turbetur. Non enim ad aliquod incommodum suum, sed tantum, vt nihil suum cognosceret, vtiqùe seipsum contemneret, non cum aliqua tristitia seu animi mœrore, sed cum vera resignatione, tam crebrò labi permissus est: si tamen bonæ ac promptæ erga Deum sit voluntatis. Non enim impeccabilis est homo, vti Virgo beata fuit. Omnes ergo has cruces & afflictiones æquanimiter & quieto corde ferat. Ait enim Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*: vbi Glossa habet, etiam peccata. Sileat tantum & fugiat ad Deum, suumq́ nihil attendat, secumqúe intus maneat: nec statim ad Confessorem festinet. D. Matthæus Apostolus, imparatus & minimè instructus, Dominum sequebatur. Dumqúe se ita labilem, defectuosum & imperfectum conspicit, non nimis crucem suam in sensibus suis exterioribus exaggeret, ipsam potius veritatem id facere sinat, ipse magis in quiete fidelis perseueret. *Nihil enim damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu,* sed illis duntaxat, qui ex peruersa voluntate ad creaturas se conuertunt. Ipsi verò, & alijs omnibus Deum amore & intentione prosequi desiderantibus istud non nisi exercitium est. Cæterùm si qui estis sponte creaturis possessi, easq́ supra Deum diligitis, & ad hoc occasiones præstatis vobismetipsis, quam possum fideliter vos commoneo, vobisqúe prædico, cedere hoc ad vestram perditionem. Etsi fortasse verum quandoque ob hoc dolorem à Deo consequemini, quòd valde incertum est, tantum nihilominus, tamq́ horribile ea de causa purgatorium sustinebitis, vt si id modò præuidere possetis, natura vestra deficeret. Interim nihilo secius tales ad venerandum Christi corpus acceditis: sed facitis haud aliter, vt præcipuus quidam Sanctus ait, quàm si quis tenellum infantulum in cœnum demergat, & calcet pedibus suis. Ita, inquam, vos facitis vnigenito altissimi Dei Filio, qui in hoc

Lucæ. 24.

Lucæ. 9.

Christum qui sequamur.

S. Andreas ad crucē anhelatio.

Cur quidā toties labi sinātur.

Rom. 8.

Matt. 9.

Rom. 8.

in hoc Sacramento seipsum nobis ex amore largitur. Et confessionem hinc facitis, sed tamen occasiones vitare non vultis: itaque nec summus Pontifex cum vniuersis Cardinalibus suis absoluere vos poterit. Quare? Quòd nulla in vobis cordis contritio sit. Immò si sic Christi Sacramentis vos ingeritis, rei estis *corporis & sanguinis Domini*. *Qui vult*, inquit Christus, *venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*. Credite mihi, charissimi: hæc abnegatio, istaque crux, per multis excellentissimis Dei amicis adeò proponuntur, adeoque ad ipsas vrgentur & impelluntur, vt dicere non ausim, quàm funditus, quamque exactè se eiusmodi relinquere & abnegare cogantur, vbicunque se reperer int. Et meritò. Quod enim nullo constitit, nec valere aliquid potest. Et *qui parcè seminat, parcè & metet* Et *qua mensura* mensus fueris, *ea & remetietur* tibi. Quanquam hæc non spectanda vel intendenda sint, sed purè solus Deus. Verùm quid hæc vobis dicimus charissimi, qui non vultis pristinos modos seu instituta ex propria voluntate assumpta, & veteres relinquere priuatas consuetudines vestras, sed semper soli externæ per sensus operationi cum proprietate inhæretis, nihilque nisi psalteria & alias multas preces vocales legere nouistis, tanquam id solùm abundè sufficiat. Cæterùm oportet adhuc, vt discatis abnegare, relinquere mortificare funditus vosmetipsos. *Qui vult*, inquit Dominus, *venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me*. *Me*, inquit, *sequatur*. Sequitur enim seruus dominum, non pro sua, sed pro domini voluntate. Planè, si nullas alias haberemus institutiones, sed studiosè duntaxat adspiceremus, quàm nihil serui sua possint vti voluntate, sed omne tempus, studium, & virtutem suam modis omnibus ad dominorum suorum voluntatem & obsequium referre cogantur, sufficeret id quidem ad institutionem nostram. Itaque frumenti granum, vt fructus ferre queat, moriatur necesse est. Sic & propriæ funditus est voluntati moriendum. Nunquam verò & seipsum & voluntatem propriam tam quisque exire deberet, quàm quando se intro ad Deum conuertit. Tunc enim haud secus se gereret, quàm si nunquam habuisset voluntatem. Sic ergo quædam stans in Choro & psallens, ad Dominum inquit: Tempus hoc Domine, & tuum & meum est. Vbi verò me intro recepero, tuum erit tempus, nò meum. Cùm igitur Deo quis intrinsecus vacaturus est, cum omnimoda propriæ voluntatis exuitione se illi totum & integrum exhibebit, ita vt nullum penitus velle habeat. Quasi enim tres homines quilibet homo continet. Primus est bestialis, secundum sensus. Secundus, rationalis. Tertius, supremus deiformis homo. In hunc ergo supremum & intimum hominem sese quisque recipere, & cum illo diuinæ se abysso prosternere, totumque se exiens, illi se & omnia sua dedére debebit, calcatis atque transcensis duobus inferioribus hominibus, bestiali videlicet & rationali. Cæterùm quàm durum atque difficile est, D. inquit Bernardus, hominem bestialem cum suis sensualibus delectationibus à rebus creatis, quas ille cum amore possidet, abstrahere atque auellere: (quod quàm acerbissima crux sit, ipsi nôstis) tam durum atque difficilè est, externum hominem ad internum pertrahere, & à visibilibus & formis ac imaginibus abstractum, ad inuisibilia, id est, ad ipsum fundum, quod D. Augustinus mentis appellat habitum, introducere. Quæcunque vero duobus interioribus hominibus cruces & aduersa occurrerint, quæ sæpius eum ab hac introuersione retrahere ac impedire ipsi videntur, ea omnia pro sua accipiat cruce: & qualia qualia illa vel

Lucæ 9.

2. Cor. 9.
Matt. 7.

At vocales preces sufficiant solæ

Marc. 9.

Paradigma.

Tres quilibet homine homines habere.

vel vndecunque fuerint, siue à sensibus, siue à ratione, in infimis relinquat viribus, & ipsis ea commendet: ipse autem totis viribus supra illa sese ad vires recipiat subleuetquè superiores, instar Patriarchæ Abraham, qui pueros & asinum, filium in monte immolaturus, inferius reliquit, solus ipse vnà cum filio montis verticem conscendens. Sic, inquam, & ipse dimittet inferius asinum suum, hominem dico bestialem, qui bene asinus appellatur, & puerum siue seruum, id est, naturalem rationem seu intellectum, qui rectè hic seruus dicitur, quandoquidem homini supremo hîc seruit, ducens ipsum ad huius ascensionis montem: sed hic subsistere debet vnà cum asino: solusq; homo superior cum filio, id est, mente, in arcana & in sancta sanctorum ascendat, offerens ibi holocaustum suum, id est, seipsum totum Deo resignans dedensqúe: occultamqúe mentem suam, quam sic vocat Augustinus, in abditis diuinæ abyssi abscondat, de qua Propheta in Psalmo, *Abscondes*, inquit, *eos in abscondito faciei tuæ.* In hoc *abscondito* spiritus creatus in suum esse increatum, in quo fuit ab æterno, antequam crearetur, reducitur, ibiq; se veluti Deum cognoscit in Deo, in seipso tamen non est nisi creatura atque creatus. In Deo autem omnia Deus sunt, in quo se hoc inuenit fundum, seu spiritus hominis. Huc quisquis pertigit, ait Proclus, quicquid deinde exteriori homini occurrat, paupertas, afflictio, defectus seu penuria, seu quicquid demũ sit, id ille nihilipendit, quod & Propheta innuit, cúm dicit: *Abscõdes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Denique hi tales Dominum sequuntur, vti ipse etiam alibi ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Cæterum ne fortè aberremus, etiam vbi sit, ostendit nobis, dicens: *Ego sum in Patre meo, & Pater in me, & vos in me, & ego in vobis.* Præstet nobis benignissimus Deus, vt omnes trahamur à Filio suo, quomodo is omnia ad se tracturum se dicit: sicq; crucem exaltemus seu subleuemus, vt per sanctam Crucem in verum illud pertingamus fundum, quo ille nos præcessit, qui in eadem Cruce pro nobis omnibus mortem oppetijt, Iesus Christus Dominus noster, cui est cum Patre, & Sancto Spiritu omnis honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Gene 22.
Asinus mysticè quid
Seruus.
Filius.
Psal. 30.
Ibidem.
Ioan. 12.
Ioan. 14. 15. 17.

IN EADEM SOLENNITATE.

De spiritali quadam cruce ex quatuor constante virtutibus, puta diuino amore in parte superiori resignata humilitate à sinistris, interna puritate à dextris, spontanea obedientia in imo. Quodq; crux nobis necessaria sit.

SERMO III.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. ECCLI. XXIIII.



FESTVM hodie, dilectissimi, Exaltationis dignissimæ & amabilissimæ Crucis celebramus diem, de cuius dignitate nemo cogitare, nemo dicere satis potest. Ipsiq; rectè congruunt ea Ecclesiastici verba, quæ iamiam audistis: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion.* Quod enim ad Libanum attinet, in ipso thus nascitur, quod diuinum ac spiritale signat sacrificium, innuitque Deo nos speciale esse debere holocaustum: fumus autem cedri serpentis venena depellit. Sic & hoc sanctæ Crucis lignum omne virus diaboli aspidis ve-

Libanus.
Thus.

Cypressi natura.

nenosi cũ vniuersis profligat insidijs & fraudibus illius. Iam q. sequitur, *Et quasi cypressus in monte Sion*: cùm cypressus illius naturæ sit, vt si quis cibum retinere nequeat & ipsa vtatur, cibum facilè retineat, id nobis significat, quòd quisquis hanc crucem suscipit & leuat in humeros suos, in eo præclarissima diuini verbi à Prophetis, & Sanctis prolati esca permaneat, nec aliquid hinc pereat in ipso, sed optimè illi prosit. Vt enim excellentis est cypressus odoris, qui non tantùm suauissimus est, sed etiam vim habet confortandi: sic & odor sanctæ Crucis omnem vincit suauitatem, & cor hominis ad se trahit, vt Dominus prædixit: *Ego si exaltatus fuero*, inquiens, *à terra, omnia traham ad meipsum.* Nam vti per crucem trahit, in qua tunc exaltandus erat: sic etiam per humilitatem, patientiam & amorem meritò traheret omnes, vt quomodo ille passus est, sic & nos eum pro virili sequamur, & cum illo simul spiritaliter capiamur, ligemur, condemnemur. Sicut autem ipse tam nudus in cruce suspensus fuit, vt ne filum quidem corpori illius adhæreret: vestes verò, quas habuit, ipso vidente milites sorte diuiserunt: ita pro certissimo habendum est, quisquis ad supremam volet perfectionem pertingere, adeò hunc ab omnibus extra Deum, vel quæ non sunt purè Deus, nudari debere, vt horum nec pilum saltem retineat: hoc ipsum autem alijs in lusum verti, nihilipendi, irrideri, & pro stultitia atq; insania duci oportere. Sic ipse Dominus ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et adolescenti illi diuiti, *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* *Tollat*, inquit, *crucem suam, & sequatur me.* Legimus in Apocalypsi, dilectissimi, graues & indicibiles quandoque fore plagas, non minores illis, quæ in extremo iudicij die grassabuntur, licet non sint ipsæ extremi iudicij plagæ. Tempus autem quo venturæ scribuntur, iam elapsum est, & singulis eas diebus & annis & omni deniq; tempore expectamus, nescientes quando futuræ sint. Cùm autem venerint, nemo seruari poterit, nisi qui signum Thau, quod crucem significat, habuerint in frontibus suis. Sic enim in Ezechiele legimus Dominum præcipere sex illis viris, quos Propheta ab Aquilone venire vidit, vt transeant per ciuitatem, & percutiant, & nec parcat cuiquam oculus ipsorum, neque misereantur, nisi super quem viderint Thau. Quod est, nullum euasurum, nisi qui intra se, vel in fronte sua crucem gestauerit. Porrò per crucem, cruciatum seu dolorem accipimus. Itaque non iubentur hi parcere grandi præditis intellectu, non contemplatoribus, non actiuis, sed tantùm crucem gerentibus, id est, in qualibet passione vel afflictione constitutus siue patientibus. Sic neq; Dominus ipse ait in Euangelio: *Si quis vult venire post me*, sequatur me cõtemplando, sed *abneget semetipsum*, inquit, *& tollat crucem suã* id est, abnegando & patiendo me sequatur. Quamobrem statui mecum, charissimi, dicere vobis de cruce quadam, quam qui in se receperit, ex optimis efficietur huius mundi hominibus, nec vlla ei vnquam plaga, immò nec totus mundus nocere poterit, sed nec vnquam Purgatorium subibit. Neque tamen pœnam magnam crux ista habet. Ea nanque, proh dolor, huius seculi corruptio est, vt nemo sit, qui se aliquem cruciatum ferre posse arbitretur. Multa est hodie hominum infirmitas: & studium, sedulitas, atq; strenuitas, quæ olim fuêre in hominibus, iam penitus tepuerunt & restincta sunt, nec est qui aliquid laboris & difficultatis subire velit. Vnde si quem modum reperire possemus, qui nemini aliquam inferret molestiam, hunc liceret proferre, & esset

Odor cypressi.
Ioan. 12.
Lucæ 9.
Matt. 19.
Ezech. 9.
Lucæ 9.
Quanta huius seculi corruptio.

forsitan

forsitan qui illum sectaretur. Omnes enim suijpsorum detinentur amore. Non ergo crux, de qua loquimur, in venijs capiendis, aut ieiunando, aut vigilãdo, aut durius cubando, aut peresinando, aut largiores tribuendo elemosynas, aut pauperem ducendo vitam, sita est, quanquam hæc omnia ad hanc crucem faciant, & hactenus assumenda sint, quatenus ad eam faciunt. Sed nec quisquam vel ætate, vel infirmitate, vel hebetudine præpeditur, quo minus hanc nobilissimam in se crucem suscipere queat. Et ne longior sim, ex quatuor crux ista lignis compacta est, vno superiori, alio inferiori, & duobus à lateribus. Lignum superius, diuinus amor est. Sinistra manus, profunda humilitas est: quæ affigitur paruipensione nostrijpsorum, & omnium quæ nobis accidere queant, quæ paruipensio plus est quam contemptio, quòd hæc (contemptionem dico) aliquid superbiæ admixtum habeat. Dextra manus, interna puritas est: & ista manus, vera spõtanea omnium, quę hanc puritatem vel contaminare, vel ad multa distrahere, vel obscurare valeant, siue id terra sit, seu aliud quodcunque, carentia (vt ita dicam) affigitur. Pedes denique, vera perfectaq; humilitas sunt: & ipsi voluntaria affigũtur resignatione omnium eorum, in quibus teipsum aut aliquid tuũ habes, qualia qualia ea sint. Ad hanc resignationem pertinet, vt vbicunque te inueneris, ibi continuò te relinquas exeasq;. Porrò ligna hæc in medio, vbi inserũtur sibi mutuò, compinguntur per fiat voluntas tua, id est, per veram & perfectam propriæ ac liberę voluntatis derelictionem abnegationemq;. Iam, vt ad sinistram manum redeamus, per quam humilitatem accipi diximus, de qua Augustinus ait: Qui graditur in humilitate, seruatur in afflictione: sciendum est, omninò necessarium id esse, vt homo prorsus nihil fiat, non tantum in animo suo, sed etiã in cunctorum oculis hominũ: vtq; totus ab omnibus, quibus innititur seu inhęret, & ab omni illo quod est, denudetur: vtq; hæc ipsa, alijs, ipso vidente, lusus fiant, quomodo pijssimo contigit Saluatori nostro, hoc est, vt prorsus derideatur, vilipendatur, contemnatur ab alijs, vitaq; eius penitus despiciatur, & pro stultitia ducatur, adeò vt illi etiam, quibuscum viuit, in faciem ipsum contẽnant, vitamque illius errorem appellent & hæresim, ac tandem odio ipsum prosequantur. Quod vbi ipse aduerterit, ac manifestè deprehẽderit, neminem ex his contẽnet, vt cogitet secum vel dicat: Facilè huic malo remedium apponetur: Ecce enim talis & talis est iste, & mihi iniuriam facit: sed potius cogitabit, nunquam se dignũ fuisse, vt tam excellẽs homo se contemneret, inclinabitq; se humiliter, & contẽptum illum ducet pro nihilo. Dextera verò manus, vt dixi, vera puritas est: & ipsa, spontanea omnium quæ non purè Deus sunt, & quæcunq; puritatem in multa distrahere queant, & cunctarum denique sensuum voluptatum seu oblectationum carentia crucifigitur. Pedes verò, quos veram significare dixi obedientiam, quam superioribus nostris & sanctæ Ecclesiæ exhibere tenemur, resignatione affiguntur, vt videlicet in omnibus & singulis sponte te resignare & relinquere scias. Medium deinde, vt æquè præfati sumus, libera est propriæ voluntatis resignatio & abnegatio vera, quanlibet molesta & grauia tibi vel à Deo vel ab hominibus imponantur, vt hæc omnia libenti animo feras, & illis te inclines, gaudensq; cruci occurras. Sed dicat fortasse quispiam: Domine mi, cùm multa sit infirmitas mea, facere istud non possum. Audi parumper, quisquis ita cogitas. Noueris duplicem in te esse voluntatem: superiorem vnam, inferiorem alteram, quæ & Christo vtraque fuit. Naturalis quidem, id est, inferior voluntas,

Crux à quod cõpacta lignis.
Sinistra.
Dextra.
Pedes.
Matth. 6. & 26.
Sinistra.
NB.
Dextra.
Pedes.
Medium crucis.
Voluntas duplex.

luntas, semper cupit à passionibus & aduersitatibus esse libera: sed superior dicat cum Christo: Non mea, sed *tua voluntas fiat* Domine. Caput denique amor est. Notum est omnibus, quam nihil habuerit Christus cui inniteretur, adeò vt nec haberet *vbi caput suum* inclinaret: tam erat omni solatio, adminiculo, fulcimento destitutus. Sic & nos nihil, cui innitamur, habere debemus, sed plenissimè exire nosipsos, & derelinqui à Deo & omnibus creaturis, vt dicamus cum Christo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Nihil, inquam, sustentaculi Christi caput habuit. Si quis enim in sua derelictione & omnis solatij subtractione, Dei amore sensibili flagraret, ipsumque Deum sentiret, atque in illum se recipere posset, quæ tunc illi molestia foret? Nulla certè. Ideoqúe omni eum solatio destitui oportet. Sic vir quidam sanctus sciscitabatur vice quadam ex Domino, cur amicis suis tam horrenda semper patienda imponeret. Cui Dominus respondit: Semper homo ad sensuum voluptates & noxias delectationes procliuis est: ideoqúe viam eius spinis sepio, vt solus ego sim delectatio eius. Sic & Christi caput, per quod amorem accipimus, deorsum hærebat pendulum, nihil habens cui niteretur. Prorsus, dilectissimi, ita necesse est, quoquò nos vertamus, si boni esse velimus, si ad Deum peruenire cupiamus, semper nos aliquid pati, semper crucem nos aliquam gerere, qualis qualis ea sit. Quod si fugerimus vnam, in aliam incidemus. Credite mihi, nunquam tam facundum, disertum & eloquentem hominem mundus iste produxit, qui dicendo efficere posset, nos nihil habere aduersi. Itaque quacunque libet fugiamus, faciamus quicquid placet: ita necesse est: ita se veritas habet. Fieri tamen interim potest, vt Deus gratissimos supponat humeros suos, onusqùe crucis ea in parte vbi grauius imminet, ferat, nec non sentiri se atque gustari permittat, atque ad tempus pondus oneris abscondat. Tum verò tanta homini exultatio suboritur, tam illi facilia & leuia fiunt omnia, vt nihil sibi vel pati vel passus esse videatur, & omnis repente doloris & passionis obliuiscatur. Sed rursus mox vbi Dominus suos retrahit humeros, ad pristinam onus amaritudinem, grauitatem, intolerabilitatem redit. Huiusmodi crucis onus Dominus noster Iesus Christus grauissimum, & gratissimo modo sustinuit: & tulêre post ipsum, quotquot illi charissimi fuerunt. Denique crux ista, currus ille igneus est, in quem Helias assumptus fuit, quando Heliseo proiecit pallium suum. Dicam hic obiter exemplum quoddam: Fuit nostri Ordinis Monialis quædam deuota, quę sæpissimè petierat videre Dominum nostrum in ea forma, qua fuit cùm infantulus esset. Cumqúe semel suæ vacaret deuotioni, apparuit illi Dominus noster in specie infantuli cuiusdam, in fasce acutarum veprium inuoluti, ita vt ipsum minimè posset adipisci, nisi viriliter manum in vepres mitteret. Vnde ad se reuersa, intellexit, quòd quisquis hunc puerum vellet obtinere, ad aduersa sufferenda debere parato illum esse animo, & aspera quæque subire. Cæterùm nunc quosdam inuenire est, qui dicant: Si tantæ puritatis & innocentiæ essemus, quòd culpis nostris non meruissemus flagellari, forsitan cruces nostræ prodessent nobis. Sed illis ego aio, reum aliquem & peccatorem hominem eo pacto atq; ita pati posse, vt melior, vtilior, magisq; meritoria sit illi passio sua, quàm multis innocentibus. Quomodo hoc inquis? Ausculta. Est quispiã egregiũ facturus saltũ: hic retrocedit, & capto spatio, simul vires sibi addit ad saliendũ. Sic ergo & peccator quisq; reũ se & iniquũ fatebitur,

Matt. 26.
Matt. 8.
Psal. 21.
Marc. 15.
Cur pijs multa ferenda.
Omni, ò aliquid pati oportere.
4 Reg. 2.
Paradigma.
Saltatoris & peccatoris lepida collatio.

bitur, & à longè stabit: atque hoc ipso quo se in remotis constituit, fortius atque vicinius salit in Deum: quantoq; se in veritate & ex ipso fundo absque vlla fictione remotius statuit, & lõgius à Deo abesse iudicat, tanto in veritate propius ad Deum salit: ingressusqúe illius in Deum perfectior veriorq; efficitur. Pręstet nobis misericors & pius Domin⁹, vt omnes sic à sancta trahamur cruce, vt vniuersas cruces nostras cum amore & gaudio feramus ad laudẽ & gloriã ipsius. Amen.

IN FESTO S. MATTHAEI APOSTOLI Et Euangelistæ.

De duplici modo, quo Deum cum vera resignatione sequi debemus: puta cum humilitate, mansuetudine, & patientia in infimis: & fide, spe, charitate in supremis viribus.

SERMO VNICVS.

Sequere me. At ille, relictis omnibus, secutus est eum. MATTH. IX.



AMABILIS hic Apostolus & Euangelista Matthæus, cuius hodie festa agimus, dilectissimi, cunctis fuit exemplum mortalibus. Et primum quidẽ, vt de seipso scribit, insignis peccator fuit, sed deinde ex maximis Dei amicis vnus effectus est. Loquebatur enim illi Dominus in fundo eius: & tunc relictis omnibus, vocantem Dominum sequebatur. Quæ nimirum summa est omnium, vt Dominum in veritate sequamur. Huc verò pertinet, vt verè & ex integro relinquamus quicquid Deus non est: qualecunque sit illud, quo se quis intus possessum reperit in fundo suo, siue id ipse sit homo, siue aliquid suum. Deus enim amator est cordium, quæ si illi auferantur, non magnifacit exteriora quæque. Tantummodo requirit interioris hominis viuum quendam fauorem & amorem in se tendentem, & voluntatis promptitudinem ac propensionem ad omnia, quæ diuina ac virtuosa sunt. Quæ quisquis in se habet, plus inde veritatis habet, quàm si solus tantum extrinsecus oraret, quantum totus simul mundus orat: & tam alta psalleret voce, vt ad cælum vsque pertingeret, aut quæuis alia externa faceret, puta ieiunaret, vigilaret, & huiusmodi, quæ tametsi bona sint, non tamen placent Deo, nisi & cor illi tribuas. Ait ergo Dominus: *Sequere me.* Sex autem sunt, in quibus Dominum sequimur, quorum tria in infimis, tria in supremis viribus sita sunt. In infimis sunt, humilitas, mansuetudo, patientia. Reliqua tria vires omnes transcendunt: & sunt, fides, spes, charitas. Ait ergo: *Sequere me.* Itaque vno modo sequimur Dominum, secundùm gratissima humanitatis eius exempla, quandoque sanctis ac internis insistendo cogitationibus & desiderijs, gratias agendo & laudando: quandoque verò compendiosiori illum sequendo via, vtpote absque his omnibus, vt neque cogitationibus, neque aliquo cæterorum insistamus, sed cum interno, prorsus resignato, quieto silentio in mente in Deum introuersa, purè expectando, quid Deus in nobis operari velit purissimo, proximo, sibiq; gratissimo modo. Certè inueniuntur, quos externa exercitia mirum in modum delectent, multaqúe cum alacritate illis incumbant, tantamq; in his capiant voluptatem & gloriam, vt propterea multo minus grata sint Deo: & tanta posset eiusmodi esse delectatio, vt prorsus ingrata forent

Matth. 9.

Quid Deus à nobis requirat.

Quæ bona qui Deo non placeant.

In quibus sex Dominus sequẽdus.

Gloriari in bonis Deo ali-

quando non placere.

forent Deo, ſeſeq́; ab illis auerteret, quanto in illis ſeipſos potius, quam Deum quærerent. Quod inde accidit, quòd tales opera ſua ex ſeipſis, & cum quadam proprietate & arrogatione faciant, cùm tamen bona omnia ſolius Dei ſint, & ex illis ne pilus quidem homini ſit tribuendus. Sed dicat fortè aliquis, quìnam fieri poſſit, vt delectatio à bono ſeparetur. Huius ergo capiamus ſimilitudinem ſiue figuram: In veteri Lege cautum fuit, ne ſacerdotes adipe vel pinguedine hoſtiæ oblatæ veſcerentur, ſed comburerent ea igni, & Domino immolarent. Quæ verò pinguedo in carnibus veſci licitis, intrinſecus erat, eam ſumere in cibum eis permittebatur. Itaque hoc nobis ſignificatur, delectationem omnem, quæ in virtutum exercitijs & actibus haberi poſſit, amoris igni concremandam & immolandam rurſus Deo, cuius & reuera eſt, abſque vlla proprietate, arrogatione, vendicationeq́ue: illam autem delectationem, quæ naturaliter operibus, quatenus bona ſunt, inſita eſt, licitè in eiſdem, cum quadam tamen ſimplicitate, abſque vlla proprietate vel arrogatione haberi poſſe. Cæterùm de eo quòd hic dicitur, *Sequere me*, & de B. Matthæo, quòd hoc audito verbo, *relictis omnibus* Dominum ſecutus ſit, id nobis notandum venit, quòd vbi quis omnia & ſeipſum in omnibus relinquit, Deum ſuper omnia ſequi debeat: cum externo quidem homine per cunctarum exercitia virtutum, & communem dilectionem: cum interno vero, in vera ſui reſignatione in modis omnibus, quales quales ſeſe illi obtulerint, quosq́; illi Deus intus & foris permiſerit euenire. Quod vt rectius intelligatis, dicam hic quædam tanquam de meipſo, quæ nihilominus de omnibus dicentur. Equidem ex gratia Dei ab ſancta Eccleſia ſacrum hūc ſuſcepi Ordinem, in quo viuo: hunc item habitum meum, & veſtes quibus vtor, necnon & ſacerdotium, & præterea docendi recipiendiq́ue Confeſſiones munus. Iam ſi ità eueniat, vt Summus Pontifex, & Eccleſia ſancta, vnde hæc habeo, his me priuare velint, ſimul omnia libens illis reſignare debebo, & nec ſciſcitari quidem (ſi ſum verè reſignatus homo) quare me priuare velint, griſeumq́; ſi habere queam, amictum aſſumere. Quod ſi præterea iubeant, vt nunquam deinceps in Monaſterio degam, inter fratres meos, exire debebo: vt non ſim ſacerdos, non recipiam Confeſſiones, non habeam Conciones vllas, omnia paratiſſimo abdicare animo debebo. Ipſi enim mihi hæc contulerunt, haud dubium quin & auferre queant: nec fas habebo interrogare, cur auferant. Nôllem tamē vel hæreticus dici, vel excommunicationis ſententia feriri. Si quis verò alius hæc ſeu aliquod horum mihi eripere velit, ſi homo ſim verè reſignatus, potius mortem eligere, quam id permittere, debebo. Quòd ſi Eccleſia ſancta & ipſa nobis Sacramenta forinſecus auferre vellet, deberemus in hoc reſignare noſipſos: vt autem ſpiritaliter ea non ſumamus, non eſt qui nobis interdicere poſſit. Denique quicquid Eccleſia nobis dedit, id & auferre poteſt: qua in parte, ſi quid tale euenerit, animo debebimus reſignato permanere abſque omni murmure vel contradictione. Et hæc de externis dicta ſunt. Idem autem, & multo quidem amplius, in internis faciendum eſt. Quid enim habemus non collatum nobis à Deo? Ideoq́; quicquid ipſe nobis dedit, cum vera illi reſignatione, tanquam nunquam accepiſſemus, relinquere ac reſignare debemus. Cæterùm quæ iam dicturus ſum, de vobis non loquor, quicunque ſanctis imaginibus reuoluendis, ſanctisq́; cogitationibus, modis & operibus inſiſtitis: nihil, inquam, ad vos iſthæc attinent, nec de vobis dici putetis. De illis potius ſingularibus hominibus dicentur,

Leuit 3.

Delectatio ex operibus bonis, cuius ſit.

Relinquenti omnia quis ſequendus.

cẽntur, qui obscura itinera & angustas semitas ingredi habent: quod vtique non est omnium. His nimirum longè alia calcanda via est, quàm illis, de quibus hactenus locuti sumus. Dicetur autem, quomodo supradicta habere debeant. Enimuerò quædam his facienda, quædam dimittenda sunt. In viribus quidem supradicta habebunt, sed absque proprietate: supra vires autem nihil omninò, nec aliquid habebũt proprietatis. Atqui omnium eò procliuis est natura mortalium, vt habeant, sciant, & velint, quæ operationes seu actus virium sunt. Huc iam pertinent sex illa, quæ in Concionis huius exordio attigimus, eaq́ hîc studiosius veniunt aduertenda, obseruandaq́. Horum autem, vt tunc diximus, tria in infimis, tria in supremis viribus sita sunt. In infimis quidem est, humilitas, mansuetudo, patientia. In supremis verò, fides, spes, charitas. Itaque fides primùm excæcat intellectum, omnem illi auferens cognitionem atque scientiam, quibus renuntiare cogitur intellectus. Deinde sanctus quidam & humilis timor, & honorifica anxietas seu solicitudo cum spe sancta coniuncta, priuat hominem omni habendi securitate seu certitudine. Post hæc charitas omnem voluntati aufert proprietatem, & quicquid possidebat. His iam in infimis viribus alia tria, vtpote humilitas, mansuetudo, patientia, respondent. Humilitas in quandam se demittit abyssum, perditq́ vocabulum suum, suoq́ merissimo inhæret nihilo, nec scit quicquam de humilitate. Mansuetudo amorem voluntatis proprietate spoliauit: vnde iam omnia illi indifferentia sunt, nec quicquam habet aduersum: vnde nec scit se virtute præditam: atque ita in omnibus eadem pace gaudet: perdidit autem & ipsa nomen suum, & in habitum transiuit. Sic denique & cum patientia se habet. Amant enim ipsa præditi & sitiunt aduersa, cruces, afflictiones: nec tamen nôrunt se patientia præditos. Fieri verò potest, vt post omnem hanc resignationem, alicui tali verbum etiam valde asperum excidat. Sed nihil hinc terreatur, certus quòd Dominus in bonũ suum id permiserit, vt videlicet adhuc profundius in suum sese nihil demittat. Sic & ad iram quandoque mouetur. Sed omnia hæc ad maiorem perfectionemque eum remittunt sui abnegationem, adeoq́ue eum nihil suum faciunt intelligere, vt se indignum iudicet, vt aliquam ei bonam cogitationem Deus inspiret. Et reuerà in hoc omnia consistunt, vt nosipsos in infinitum abyssale nihilum demergamus. Iam quicunque eiusmodi sunt, non multæ forinsecus operationis, non multorum modorum seu institutorum sunt, nec multis imaginibus occupantur. In quibus tamen, quotquot huc minimè pertigistis, diligenter exercere debetis. Remittet nimirum vobis Deus peccata vestra, cælesteq́ue vobis regnum impertietur, vbi Purgatorij solueritis pœnas. Attamen id pro certo habeatis, vestris vos proprijs conceptibus vel eò minimè posse pertingere, vt istorum hominũ seruorum serui sitis. Et vbi isti feliciter procedunt, ipsumq́ scopũ attingunt, esse ipsorum supra modum iucũdissimum est: sed periculosum valde est, & tam periculosum, quam dissolutissimi hominis alicuius secularis iuxta modum suum. Via nanque hæc admodum obscura & tenebrosa est, ita vt rectè illi congruat, quod aliâs ex D. Iob adduxi: *Viro cuius abscondita est via, & inuoluit eum Deus tenebris.* In hac autem vasta & incognita via, semper hos in abnegatione quadam persistere oportet, omnium videlicet eorum obiectorum, quæ illis intus occurrere possint: audiuntq́ continuè sibi dicentem Dominum: *Sequere me*, transi omnia, nihil horum ego sum: perge, procede, *sequere me*. Sed aliquis

Illorum sex, in quibus Dominus sequendus, distinctio

Cur subinde etiã optimi labantur.

Iob. 3.

aliquis horum forsan dicere possit: Quis es Domine, qui me tam profunda, vasta, deserta via sequi te iubes? Cui Dominus respondere poterit: Homo & Deus ego sum: immò multò plus quàm Deus. Iam si homo iste ex essentiali & bene cognito fundo respondere illi posset: Ego verò nihil sum, & plus multo quàm nihil, iam penè nihil superesset. Superinnominabilis namque diuinitas nusquam magis proprium habet operandi locum, quàm in altissimæ annihilationis seu nihilipensionis fundo. Sic enim & Doctores scribunt, si nouam debeat res aliqua formam induere, pristinam omnino deficere oportere. Aiunt enim, vbi infantulus in matris vtero concipitur, primùm nudam esse materiam, deinde huic materiæ animalem addi formam, instar animalis viuentem. Deinde tempore præordinato creare Deum animam rationalem, eamq; huic infundere materiæ. Tum verò omnem aiunt priorem abscedere formam, qualitatem, quantitatem, colorem, habitum, prorsusq; hæc aboleri, nec nisi nudam permanere materiam. Sic ergo & ipse hîc aio: Si debeat quis in hanc superessentialem transformari essentiam, omnes omnino formas vnquam in viribus susceptas, necessariò abscedere oportere: verbi gratia, Scire, nôsse, velle, sentire operationem, obiecta, proprietatem. Sic D. Paulus cùm nihil videret, Deum vidit. Hoc etiam est, quòd Helias *vultum pallio operuit*, quando Dominus venit. Denique hîc petræ omnes conteruntur, & quicquid hoc est, in quo spiritus quiescere possit, id omne hîc decedere oportet. Formis autem omnibus abolitis, in momento homo transformatur. Hac itaque ratione semper procedendum est. Et hoc est, quod Dominus per Prophetam dicit: *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis*, id est, magis ac magis ingredieris, propiusq; ac profundius te demerges in incognitam & innominabilem abyssum meam, supraq; modos omnes, supra formas, imagines, vires omnes teipsum perdes, abnegabis, & ab omnibus omnino imaginibus denudabis. Cæterùm in hac hominis perditione nihil nisi fundum permanet in seipso essentialiter subsistens, vitaqúe vna, & vna essentia. Huc qui pertigit, dicere potest, & amore & cognitione & actione & spiritu se destitutum: non quidem ex aliqua naturali proprietate, sed transformatione, qua Spiritus Dei increatus creatũ hominis spiritum ex gratuita transformauit bonitate sua, & ob abyssalem spiritûs creati perditionem & resignationem sui. Iamq; de his rectissimè dici potest, quòd Deus sese cognoscat, amet, fruatur in eis: quando nihil hîc est, quàm vita vna, vna essentia, operatio vna, semper tamen anima manente creatura. Porrò si quis in hunc modum falsa cum libertate vel falso cum lumine respiceret, foret nimirum iste modus omnium periculosissimus, qui in hac vita haberi possint. Via autem, qua ad hunc finem seu scopum perueniatur, non alia est, quam per dignissimã Christi Iesu vitam & passionem. Ipse namque *via* est, per quam pergendum: & *veritas*, quæ luceat in hac via: & *vita*, ad quam perueniemus. Ipse denique *ostium est*, quo neglecto, *quisquis ascenderit aliunde, ille fur est & latro*. Cæterùm per hoc amabile ostium cum naturæ mortificatione ac edomatione, & per exercitia virtutum, puta humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, pergendum est. Et reuera quisquis hac non graditur via, ille tandem certo certius deuiabit. Et quotquot eiusmodi sunt, qui hoc non ambulant itinere, graditur quidem coram illis & per illos Deus, sed tamen cæci permanent. Quicunque verò hanc tenent semitam, in eos nemo sibi facile dominium vsurpare debet: quandoquidem Deus ipse sibi eos vendicat, asse-

Humanæ generationis exordium.

Actor. 9.
3. Reg. 9.

Iere. 3.

Christi passio qui nobis sit via.
Ioan. 14
Ioan. 10.

asseritqúe, quomodo Paulus inquit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Denique Gal. 5.
nullum his tempus prolixius est, nec aliquod vnquam tædium patiũtur. Quod certè, vt videlicet nullum sentiant tædium, procul abest ab amatoribus seculi huius, quibus & sæpenumerò tempus prolixius est. At isti, qui in hoc statu positi sunt, secundùm supremam sui portionem supra tempus sunt: secundùm infimã autem sui partem tanta semper pace gaudent, tamq́ resignati sunt in omnibus, vt quoquo modo singula quæque eueniant, semper essentialem teneant pacem. Cuncta siquidem de manu Dei sui accipiunt, & in illum omnia purissimè refundunt, referuntq́, integra semper pace gaudentes, vtut Deus omnia disponat: quãquam interim homo exterior grauiter pati, & etiam moueri possit. Isti plane felicissimi sunt homines, & vbicunq́ sint, laudandi sunt: vereor autem multum rarissimos eos satos esse. Rogemus nunc Dominum, dilectissimi, vt eam nobis gratiam largiatur, vti sic eum sequamur, vt purissimum hoc bonum reipsa & in veritate apprehendamus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

IN SOLENNITATE S. MICHAELIS, ET omnium Sanctorum Angelorum.

De differenti seu distincta nouem Ordinum Angelorum in homine operatione, secundum triplicem statum illius, puta, vt externum, rationalem, & deiformem hominem, ad supremam agant moueantq́ perfectionem.

SERMO VNICVS.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. MATTH. XVIII.



FESTVM hodie diem agimus, charissimi, sanctorum venerabilium Angelorum: qui vti primum ex apparitione D. Michaelis Archangeli, quæ in monte Gargano contigit, sumpserit exordiũ, lectum est vobis hodie, ideoq́ illius repetitione supersedeo. Ad ea me verba confero, quæ iam ex Euangelio audistis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Itaque quibus verbis de his purissimis Spiritibus aut possimus aut debeamus dicere, equidem ignoro: quando nec manus habent, nec pedes, nec imaginem, nec formam, neq́ materiam. Quæ autem nihil horum habent, ea nec sensus, nec cogitatio comprehendere potest. Et quomodo inde loqui poterimus? Sanè quid sint, nos latet: neque id mirum, quãdoquidem nosipsos ignoramus, spiritum videlicet nostrum, secundùm quem homines sumus, & ex quo habemus, quicquid boni habemus. Quomodo ergo hos excellentissimos præclarissimosq́ spiritus cognoscerem⁹, quorum vtiq́ nobilitas multis modis omnem, quam totus simul mundus conflare possit, nobilitatem excellit? Sed dicimus hîc, non de essentia ipsorum, sed de operatione erga nos. Enimuerò operatio ipsorum est, quòd perpetuò nos cõtemplantur intuenturq́ in speculo diuinitatis, idq́ formaliter, essentialiter, actualiter, & distinctè: habentqúe præterea speciales ac distinctas in nobis operationes, attamen Deus ipse sine intermissione multo magis propriè & excellentius operatur in nobis, & ipsi Deo in nobis cooperantur: quemadmodum, verbi gratia, Sol iste corporeus continuè agit, & quosdam emittit influxus in ter-

Angelici spiritus quàm sint incomprehensibiles.

ram, simulq́ stellæ & sidera perpetuò vna cum sole in terram & quaslibet terræ creaturas cooperantur. Stellæ namque singulæ iugiter solem respiciunt, & sol vicissim stellas, & hinc operationes ipsarum inseparabiles sunt, adeò vt si minima stellarum, modò id possibile foret, ex cælo tolleretur, creaturæ omnes, id est, homines, bestiæ & animantia cuncta, vt aliqui volunt, in nihilum redigerentur. Sunt autem nouem Chori seu Ordines Angelorum, qui tres efficiũt Hierarchias. Habet enim quæque Hierarchia tres Choros: eædemq́ singulę specialem quandam exercent operationem, specialemque ac distinctum habent ad tres hominis cuiusque status respectum. Est namque in vnoquoq́ homine, primò homo externus, est secundò homo rationalis, est tertiò præcelsus, nobilis, deiformis & maximè internus & occultissimus homo: & hi tres, non nisi vnus homo sunt: in ipsisq́ speciales sancti Angeli exercent operationes. Insuper nihilominus specialem singuli quique hominum Angelum habent, eis in Baptismo assignatum, cui adeò commissi sunt, vt perpetuò sine cessatione illis adsint, nec vnquam eos deserant, sed custodiant vigilantes, dormientes, & in omnibus vijs & actibus eorum, siue boni sint, siue mali. Et reuera si nihil aliud superesset, pro quo magnificè Deo gratiarum ageremus actiones, & ingenti eum prosequeremur amore, id solum abundè id exigeret à nobis, quòd sublimes illas, præclaras & incomprehensibiles creaturas nobis pauperculis adeò voluit sine intermissione esse adstrictas atque deuinctas. Habent autem ediuerso singuli specialẽ dæmonem suum, qui eis semper aduersatur, & æquè eos exercet vt bonus Angelus, immò si saperent homines, si studium & diligentiam adhiberent, multo eis dæmonum quàm bonorum Angelorum exercitationes vtiliores forent, nec parum eis vexationes malignorum adferrent emolumenti. Vbi enim pugna nulla est, ibi nec victoria est. Cæterùm vt aliquid de Hierarchijs supernorũ spirituum & earum actionibus loquamur, primæ Hierarchiæ infimus Ordo siue Chorus, Angelorum est. Isti omnes externo homini famulantur, hortanturq́ ipsum ac præmonent, auxilium impendunt, ad virtutes & gratiam dirigunt, continuoq́ & actuali exercitatione custodiunt. Quæ nisi custodia nobis adesset, quanta putatis, quamq́ innumera homini mala & aduersa acciderent, quando tartarei spiritus, supra quàm dici possit, homini iugiter insidiantur, & ipsum perdere nituntur vigilantem atque dormientem? Hæc igitur sancti Angeli auertunt præpediuntq́. Secundus Chorus, Archangelorum est, quos pictores in sacerdotali solent habitu pingere. Horum actio propria est, quòd venerabili Sacramento seruiunt, hominiq́ suadent & auxilio sunt, vt ipsum percipiat, adiuuantq́ eum fideliter, vt dignissima præcelsi huius Christi corporis Sacramenti operatione dignus sit. Tertium Chorum Virtutes tenent. Hi Spiritus seruiunt, hortantur, consuluntq́ homini, vt virtutibus tam naturalibus quàm moralibus cumulandis insistat, impetrantq́ illi à Deo virtutes Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem. His beatis Spiritibus quicunque obtemperant & familiares sunt, adeò virtuosi efficiuntur, vt tam illis iucundum & facile sit virtutes exercere, quasi in essentiam & naturam ipsorum versæ sint. Sed contra hos omnes illi dæmones, qui ex hoc Ordine collapsi sunt, grauiter insurgunt, vniuersos quos possunt dolos, fraudes, insidias machinantes, vt eos retrahant atque subuertant, ne locum illum, vnde ipsi extrusi sunt, assequantur: nec dici facile nec credi potest, quantas in hoc absq́ cessatione nequitias adhibeant, exerantq́. Vnde ingenti ac admi-

[Margin notes: Ordines & Hierarchiæ Angelorum, quot. — Hierarchiæ primę ordo. I. — II. — III. — Quid dæmones ex 3. Choro lapsi moliantur.]

admirabili cum ſtudio ſuæ hos perpetuò cuſtodiæ aduerſus hoſtiles nequitias, tam miro modo illis inſidiantes, inſiſtere oportet. Occultiſſimè namq; & ſubtiliſſimè eos ſubuertere quærunt, idq; ſæpenumerò per ea quæ valde bonam habent ſpeciem: maximè verò trahere nituntur hominem ad multiplicitatem: & ſi nihil amplius poſſint, ſtatum aliquem ſeu modum, ſanctitatem præ ſe ferentem, illi ſuggerunt, deinde intus illi loquuntur, eſſe eum in bono ſtatu, quo ſatis ſuperq; debeat eſſe contentus, nec niti ad anteriora. Atque hæc periculoſa tentatio (eſt enim reuera periculoſa) nunc magis quam vnquã ante graſſatur. Vt enim D Bernardus ait: Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas: ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. Itemqúe: In via Dei non progredi, retrocedere eſt. Hac autem peſtifera perſuaſione omnes cor ſeculare gerentes ſeducuntur, qui dicere ſolent: Certè tot bona agimus opera, vt illi & illi: idq; abundè ſufficit nobis: melius nobiſcum quàm cum illis agetur: nos in noſtris perſeuerabimus inſtitutis & conſuetudinibus, vt fecerunt illi, qui ante nos fuêre. At vbi horrendæ illæ plagæ ingruerint, maximam erit videre miſeriam in illis, qui iam omnia ſua ſatis ſalua arbitrantur. Venient enim tartarei ſpiritus quos modo ſequuntur, & ad ſtupendam eos adducent calamitatem, tandemqúe abſq; contradictione ſecum eos ad infernum abducent. Ipſaq; hæc mala, & lapſus iſti, hiſce noſtris temporibus incipiunt. Vbi verò horribiles iſtæ plagæ & caſus tranſierint, ſancti Angeli hominibus purgatis admodum erunt familiares, cum ipſis conuerſabuntur & viuent familiariter, palamq; & amicè quid agere, quid dimittere debeant, indicabunt. Dehinc eſt ſecunda Hierarchia, quę actualiter ad ſecũdum hominis ſtatum, id eſt, hominem rationalem reſpicit: qua in parte multum homo corporeas omnes excellit creaturas, & eſt quodammodo par Angelis. Primus autem huius Hierarchiæ Chorus Poteſtatum eſt, ſecũdus Principatuum, tertius Dominationum. Et hi omnes in illis operantur, quos iam cernunt in virtutibus profeciſſe, efficiuntq; illos & foris & intus admodum potẽtes ſui, ſenſuumq; ſuorũ, & ſenſualium operationum ſuarum in omnibus: necnõ & hominis ſui interioris, cogitationum, & intentionum ſuarum, verborum deniq; & operum ſuorum: faciuntq; eos mira pollere libertate, & potenter admodum vitijs omnibus dominari: quemadmodum de B. Franciſco legimus, adeò eum exterioris hominis ſui fuiſſe potentem, vt mox vbi proponeret aliquod agere exercitium, corpus alacriter ſeſe exhibuerit, tanquã diceret ſpiritui: En prius te hîc adſum. Et quomodo Principes huius ſeculi liberrimi ſunt, & nullius ſubiacent ditioni, ita & iſti liberrimi efficiuntur in ſpiritu ſuo, adeò vt cunctis tam interioris quàm exterioris hominis ſui motibus dominentur. Hoc verò vbi maligni ſpiritus animaduertunt, mirum in modum odio proſequuntur, indignè ferentes, quòd hi in locum ipſorum debeant ſuccedere. vnde & omni in eos ſuæ malignitatis ſtudio debacchantur, tamq; horribiles eis tentationes ingerunt, vt ſimiles nunquam in cor hominis aſcenderint, & quales nec illi, qui mundo & diabolo ſeruiunt, vel nouerunt vnquam vel audierunt: alijsq; eos nequitijs adoriuntur, ob id dũtaxat, vt eos, quod maximè cupiũt, hinc retrahere & deijcere poſſint. Cũq; adeo eis moleſti ſunt, vt aut ſenſibus aut vita ſe deſtituendos putent, præclariſſimi ac potentiſſimi Spiritus iſti, Poteſtates dico & Principatus, accedũt, hoſteſqùe tartareos profligant: ſicq; hi victoria potiuntur. Sanè ſi quis hoc pacto eos ſemel ſuperaret, nunquã fortaſſe ad eum animo tentandi reuerti præſumerent,

Qui ſtandum nobis nõ ſit.

Hierarchiæ II. Ordines.

Qualis Principũ ſeculi libertas.

tum quòd superbiores sint, quàm vt id facere velint, tum quòd huiusmodi tam potentes homines, in quibus hæc Hierarchia dominatur, pertimescant. Deinde Dominationes accedunt, & operantur in istorum secundo homine, id est, rationali, tamq; eos perspicaces, prudentes, sapientesq; efficiunt, vt nequitias omnes malignorum spirituum perspicuè cognoscant, vti Apostolus inquit: *Non enim*
2.Cor.2. *ignoramus astutias illius*: ita vt iam neque mundus, neque caro, neque dæmon, neq; vlla eos possit creatura superare. Hinc iam tertia Hierarchia est, quæ in intimū ac deiformem respicit hominem: cuius primus Chorus Thronorum est, secundus Cherubin, tertius Seraphin. E quibus Throni id in hoc intimo fundo operantur, quòd homo veluti thronus regius efficitur, in quo Deum habitare & regnare delectat: qui etiam iudicia sua decernit, & præmia largitur, operaturq́ue intra & extra ipsum cuncta opera eius. Huiusmodi homines in fundo suo tam immobiliter in diuina quadam pace constituuntur, vt nec prospera, nec aduersa, nec dura, nec mollia eos perturbare queant: sicuti Apostolus inquit: *Certus*
Rom.8. *sum enim, quòd neque mors, neque vita, nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Immò nec centum mortes istos mouere, perturbare, aut à statu suo deijcere possent: non magis quàm si homini morienti honores omnes ac dignitates, omnisq; ignominia proponantur, quæ ille vtiq; æquè contemnet omnia, quòd iam alio mente transierit. Sic nimirum & de intimo hoc animæ fundo seu centro sentiendum est, quod in Deum totum se recipit, eiusq; tam fixus, firmus ac stabilis thronus est, vt nulla eum vel aduersa vel prospera turbare aut de gradu suo deijcere queant: sed semper essentialē retinet pacem, in
Psal.75. qua est locus Dei, quemadmodum Propheta Regius ait: *In pace factus est locus eius.* Hanc & vos pacem, dilectissimi, seruate, huius curam habetote, ne quis eam vobis eripiat, ne Dei locus turbetur in vobis. Quod vt melius possitis, silete, fugite, patimini, & in dolore ac mœrore fideles perseuerate, vobiscum manete & obseruate vosipsos, nec multum huc illucq; euagemini, cessent discursus omnes, curæ omnes superfluæ & occupationes inuolutionesq;. Agant hæc quibus agere ex officio incumbit: vos magis vobiscum manete, obseruantes in fundo animę vestræ Deum ac Dominum vestrum, sedentem in eodem fundo animæ ve-
Cherubin stræ, ne ipsum (fundum dico) perturbetur, & pax ista minuatur. Enimuerò vbi in hac quis pace positus est, veniunt Cherubin cum claritate sua, fundumq́ue illius deicolore suo illustrant lumine, idq́ue repentina quadam coruscatione, quæ adeò totum ipsum perradiat, tantoq́ue fundum ipsius lumine perfundit, vt si res posceret, omnibus abunde hominibus satisfacere posset. Ipsa autem illustratio tota quasi sub ictu oculi perficitur: quoq́ue celerior est, tanto & verior, nobilior, certior, securior est. Dehinc ardentes Seraphin flagrantissimo suo amore fundum illius incendunt, quod & ipsum repentè velutì in ictu agitur: vnde sic amor illius dilatatur & extenditur, vt omnia in se concludat, videaturq; sibi tanquam omnes sit homines inflammaturus: & hoc similiter repente celeriterq́ue in ipso agitur, ipse verò sibi omnino conflagrandus videtur. Fiunt autem hæc in intimo fundo siue centro animæ hominis illuminati: at nihilo minus lux ista etiam in reliquos illius statûs, rationalē videlicet & externum hominem, sese effundit: vnde adeo totus diuinus, compositus, ordinatus, quietus, pacificus, virtuosus, tranquillus efficitur, vt nulla vnquā in ipso inordinatio vel in verbis, vel in actibus eius notari possit. Deniq; quot-

Hierarchiæ tertiæ Ordines.

Throni quid operentur.

Quid Seraphici operentur.

quot

quot tales sunt, seipsos prorsus nihil reputant ac nihili ducunt: adeoquê nihil sibi eorum, quæ intra se sentiunt, vsurpant arrogantquê, ac si in aliquo fierent mille vltra milliaria constituto: & quicquid in eis Deus vel operatur, vel etiam posset operari, sine vlla arrogatione semper ab illo se seruant alienos, id est, nihil penitus inde sibi ascribũt vendicantquê. Nihil enim de se sentire nouerunt, preterquam merissimum se nihil esse: ideoquê infra omnes se statuunt homines. Hos nimirum rectè cœlos dixerim, quos Pater inhabitat, de quibus Euangelium dicit: *Angeli eorum semper vidẽt faciem Patris mei, qui in cælis est.* Præstet nobis pijssimus Conditor noster, vt omnes huc pertingamus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen. Matth 18.

IN FESTO D. VRSVLAE ET SACRAE Societatis eius.

Vt cordis obtineatur puritas per omnium mortificationem vitiorum, cui puritati idcirco studendum est, vt Deum hic videre, & spiritales eius suggestiones agnoscere possimus.

SERMO VNICVS.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. MATTH. V.



HANC cordis puritatem benignissimus Deus largissimè præstitit D. Vrsulæ & amabili societati illius, quas ad hoc Deus elegerat ab æterno, vt per hanc puritatem cum palma martyrij ad se venirẽt. Est autem studiosè hic obserandum, dilectissimi, omnes, qui Deo placere velint & debeant, à cunctis externis & internis maculis debere esse puros ac immunes, aut certè floccipendit eos Dominus, & per varios internos externosq; abduci & perire sinit errores. Deo placere volẽtibus quid cauẽdum. Iam quisquis à vitijs cupit expurgari, purumquê, liberum, expeditum & abstractum obtinere cor, quo hic Deum in hac mortali vita spiritaliter cernere, instinctusq; illius & inspirationes ita obseruare possit, vt ipsum post hanc vitam in beata æternitate perspicuè & absque medio videre dignus sit, huic diuina in primis gratia necessaria est, quæ eum trahat ante omnia ad propriæ conscientiæ diligentem perscrutationẽ contemplationemquê, & vt hanc expurgare discat per vitiorum omnium, quæ vel foris vel intus vnquam peregit, mortificationem. Quid est autem, quærat fortasse aliquis, bona ac munda conscientia? Non aliud certè, quàm tranquilla, pacifica ac pura mens, in seipsa parua & humilis, Dei voluntatem sitiens & honorem, in omnibus sine vlla electione, siue det, siue auferat Deus, eodem semper animo statuens perseuerari, quo salutem obtineat, & diuina in se voluntas perficiatur. Conscientia bona quid. Cæterùm antequam ad hanc pacem, resignationem, quietem ac puritatem conscientia pertingere possit, multa prius eam acerba pati, creberrimasq; intus reprehensiones atque remorsiones sustinere oportet. Deinde primùm ad grandium suorum criminum atque peccatorum notitiam perducitur, quæ tum lugere & deplorare incipit: iamq; primum vitare ac fugere mala studet, vitijsq; vitiorumquê resistit occasionibus, hisce omnibus emori discens, vt munda fiat, nec vnquam illis præbeat consensum. De hinc in bono sese exercet, bellumq; voluptati & sensualitatis desiderijs & concupiscentijs indicit, subtrahens sibi sancti Dauidis exemplo etiam licita & concessa, verbi gratia, de cibo

 & potu,

& potu, in cundo, stando, videndo, audiendo, ambulando, quiescendo, & id genus alijs pluribus permissis, vt per talia sese corrigat, & Euangelij consilia sectetur: vt vbi prius sensualitas multam cepit voluptatem, & suis indulsit affectibus, ibi modò torqueatur, affligatur, excrucietur. Atque per hac sese conscientia ab affectibus seu concupiscentijs malis discit expurgare, sicuti prius grauia studuit euitare peccata. Post hæc verò multa homini exteriori incommoda occurrunt, quæ corpus ipsum fert perquam grauiter & molestè. Vbi nanque eò per Dei gratiam ventum est, vt grauia iam profligata & superata peccata sint, spiritusque sibi huiusmodi solitarum voluptatum subtractione magisterium atque dominium vendicare incipit, cúm id bestiali corpori insuetum sit, ipsum in rugas contrahitur, obmurmuratque: tum verò ægrè admodum, simplex, rectus, & patiens homo perseuerare potest. Seipsum nanque inquietum & pacis expertem, plenumq; vitijs ac defectibus reperit, cernitquè peruersum animum suum nolle consilijs acquiescere, se quoque forinsecus in illis, quæ sensualitatis sunt, modum seruare non posse, ægrè se silentio vacare, non posse se continere quin fabulationibus tempus terat, quin molestias & angustias suas alijs exponat, quin bona sua iactet opera. Quæ non amat, vituperat: quibus inensus est, reijcit: ex quibus damnum sustinet, accusat: ex quibus lucrum accipit, impendiò ei placent. Dulcia illi grata sunt: quæ acerba & grauia sunt, admodum abhorret & inuitus aggreditur. Quæ laudat, vituperari non sustinet: quæ vituperat, non est qui ipso præsente laudare ausit. Atque ita, charissimi, seipsum iam perscrutari incipit, & discit ingredi seipsum, vt sciat & agnoscat quisnam sit, quidquè ex seipso possit. Cuperetqué tunc hæc atque eiusmodi expellere de conscientia sua, ipsamqué ab his emundare: sed *hoc opus, hic labor est* illi, quandoquidem cruciatum & molestiam, depressionem & ignominiam natura illius adhuc ægrè sustinet. Et licet de his atque huiusmodi grauiter in conscientia mordeatur & doleat, fateaturqúe coram Deo & hominibus malè se facere, quoties his præbet assensum: cum tamen necdum sciat quid sit mori cupiditati seu concupiscentijs, facile fieri poterit, vt data occasione, affectibus & concupiscentijs suis indulgeat obtemperetque: quandoquidem intus in fundo illius prauæ adhuc concupiscentiæ latent, ad quas forinsecus adeò procliuis est: vnde maximè illi necessarium est, vt sese iuxta corporales Domini Saluatoris virtutes, externumque illius hominem exerceat diligenter, & fugiat occasiones vitiorum illorum, ad quæ propensus est. Hinc iam nonnihil incipit spiritualis fieri in vita actiua, virtutum actibus incumbente. Hæc autem cum feruida illi oratione, ex vitiorum certamine nascente, vti prædictum est, inchoanda est. Ex huiusmodi nanque oratione verior de peccatis omnibus dolor & contritio, & suijpsius ob vitiosam vitam contemptio oritur. Post quæ ex bona voluntate sponte sese offert ad sufferendum cruciatum omnem, pœnam, molestiam, depressionem, aduersitatem, ignominiam, & omnis generis tristia, quibus vel impræsentiarum premitur, vel olim premendus est: totum se ad hæc Deo suo offerens atque resignans: simulque ex amore veram incipit addiscere resignationem & patientiam in fide & spe Iesu Christi. Aliquid deinceps habere proprium recusat, ne quo modo cordis sui puritas commaculetur. Dehinc odium humilemque sui contemptum concipit: Ex quibus vlterius nascitur, quòd cor suum ab omni iudicio custodit, sensusque suos omnes claudit forinsecus, vbi quam sentit tentationem, id est,

Quàm difficile simplex quis perseueret.

Vera sui contéptio vnde oriatur.

id est, vniuersas diligentissimè occasiones deuitat, ne quem maligno spiritui locum præstet. Toto etiam corde soli Deo, non alteri alicui rei, adhæret. Ad extremum vsque suffert patienter, quicquid illi patiendum venit, donec à Domino liberetur: neque enim seipsum eripere vel excutere, aliquod admittendo solatium spiritale vel corporale, consentit. Vnde hæc vlterius illi gratia accrescit, quòd libenter superiorum suorum consilijs vtitur & acquiescit, faciens quod illi suaserint faciendum, potestquè subdere se Deo, & illi obedire. Præterea attēdit ea quæ impræsentiarùm illi adsunt, in eisq; sese exercet: verbi gratia, si bona sunt, gratias agit: si tentationes sunt, viriliter reluctatur. Deinde nulli præter quā soli Deo, suas discit queri & aperire miserias atq; angustias, quē etiā pro stabilitate & perseuerātia exorat: nec vnquā de re qualibet sese extollit, nec placet sibijpsi, sed in omnib⁹ & super omnia placet illi Deus. Gratus est semper & bonæ voluntatis, siue malè, siue bene sibi eueniat, & vt vt habeant omnia. Diligit quoque proximos suos, & in eorum infirmitate compassionis eis affectum impendit. Quicquid tolerari non potest extrinsecus, & omnem cordis euagationem, seu extrouersionem, maximè ad lætitiam inordinatam, deuitat. Teporem etiam in exercitijs exequendis, & interna velle abundare voluptate fugit. Quæcunque enim Dei sunt, bona sunt. Vnde in metu semper & sui custodia illi persistendum est, nec sublimiter, sed modicè, de se sentiendum. Quæcunque alteri vitare ac fugere suadet, fugit & ipse, specialiter propriam voluntatem, quam penitus exit, abnegatque: studetque suæ semper paruitatis & imperfectionis meminisse, & in omni afflictione offerre se Deo, vitamque & passionem Christi in suo iugiter pectore circunferre, nec vlli extra Deum creaturæ inhærere, vt solus Deus amor & amator suus sit, qui cor suum expurget, vti sic eum in veritate hic contemplari & cernere discat, vt quandoque purè dilucideque in perenni ipsum beatitudine contueri mereatur. Quod nobis omnipotens præstet clementia Saluatoris meritis sanctarum Virginum. Amen.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Vt Sancti Deum secuti sint, quique in statu suo: Vtq; beatitudines octo in nobis exercere debeamus.

SERMO PRIMVS.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c. MATT. V.

MONS iste, dilectissimi, in quem Dominus ascendisse dicitur, ipsa est beatitudo & essentia illius, in qua vnum est cum Patre suo. *Et sequebantur eum turbæ*: quæ multitudinem Sanctorum omnium significant, quorum hodie solennia agimus: qui omnes eum secuti sunt, singuli in sua vocatione, vti à Deo vocati fuēre. Quod & nos imitari debemus, vt quisq; ante omnia suā obseruet vocationem, attendens qualis illa sit, in qua vocatus est à Deo, ipsamq; sequatur. Sunt autem nobis excellentes hi Sancti studiosissimè honorandi. Et si quęrat aliquis, quis sit potissimus honor, quem Sanctis impendere possimus, breuiter respon-

Mons.

Turbæ.

Honor Sanctorū maximus quis.

respondeo, hunc esse, vt in expedita ac libera ab omnibus abstractione vnà cum illis in præclarissimum illud fundum nos immergamus, in quo ipsi se perdidêre, & in quo suprema ipsorum felicitas sita est. Ita prorsus, inquam, in hoc & tu cum ipsis immergere, certus, quòd nec maiori eos honore afficere, nec aliquid gratius eis pręstare queas. Sed videamus nunc per singulas Sanctorum turmas vti singulæ Deum pro suo tractu secutæ sint. Primò ingressi sunt post eum Patres veteris instrumenti cum ardentissimis desiderijs, credentes quòd haud dubiè veniret, erantq; à Deo per sanctum amorem & spem possessi, & non quidem foris, sed intus liberi ac nudi ab omnibus extra Deum multaqúe & ingenti cum dilectione quicquid habebant, electo illi populo impatiebantur: omniqúe hoc studio agebant, nequam illi penuriam paterentur, ex quibus Christus erat nasciturus: nec aliquod sui corporis sibi ius retinebant, quin omnes parati essent, huic seruire partui, ex quacunque etiam esset tribu oriturus. Horum autem, qui sequebantur, *duodecim millia de* qualibet *tribu signati* fuisse leguntur hodie. Erãt autem tribus duodecim, atque ita grandis sequentium turba fuit: *cæteram* autem *multitudinem nemo dinumerare poterat.* De hinc secunda turba subsequitur, quæ Apostolorum est, qui post Christi natiuitatem floruerunt, ad multo vtique celsiorem à Domino statum, maioremque perfectionem, quam pręcedentes Patres, vocati: ipsiq; non modò cuncta intus reliquerunt, sed etiam foris, quod ad possessionem attinet, in vera degentes corporis & spiritus paupertate, idq; in supremo ac proximo gradu, qui quidem possit apprehendi. Post hos sancti Martyres venêre, quorum ingens admodum turba fuit Christum sequentium: & ipsi non modò rebus externis omnibus renuntiârunt, sed etiam animam pro Christi amore fuderunt, quæcunque illis mortis obueniret conditio, & à quibus, & vti id Deo placebat. Post illos maxima Dominum Confessorum turba sequitur, qui vocationem suam diuersis modis singuli secuti sunt. Isti soli Deo in abstractione vixerunt, solamqúe veritatem intus in tranquillo silentio obseruârunt, auscultantes, quid Dominus Verbum æternum in eis loqueretur: atque ex his alij deserta & antra pétiêrunt, alij Monasteria & sacros subiêre Ordines, quales tunc erant Ordines, & vti seruabantur: alij in communi sancta Ecclesia vixêre, concionibus insistentes, scribentes codices, confessiones recipientes, docentes atque corripientes alios, semper tamen cum resignata in Dei beneplacitum voluntate, parati diuino beneplacito morem gerere, cum vera suijpsorum & omnium, quę non erant Deus, resignatione. Hinc sequitur Dominum amabilis ac iucundissima castarum, & tam corpore quàm animo immaculatarum, virginum turba. Hoc verò quid pulchritudinis, quod exultationis habet, in corpore intactum inueniri instar Angelorum? Sanè cuicunque id à Deo collatum est, vt in hac veste inueniatur, quam ipse & dignissima parens eius præ omni ornat gessêre: is tantum hinc gaudium meritò conciperet, vt nemo eum in hac vita mœrore posset afficere, nec vlla aduersitate aut damno, aut ignominia moueretur, dum hũc potuit seruare thesaurum. Quem certè quisquis in vera sua nobilitate & integritate seruare voluerit, huic certandum & patiendum erit, multaq; in corde vulnera accipienda, tum à sensibus & naturæ petulantia, tum à mundo, tum etiam à diabolo. Attamen sciendum est, quamlibet tentationum impugnationem, nouam semper parere puritatem, si modò sit qui obseruet: atque hæc tentationis merces est. Quam vtinam mercedem & partum sedulò attenderemus. De hinc turba

Patriarchæ & Prophetæ.

Apostoli

Martyres.

Confessores.

Virgines.

Nota.

turba est vulgarium hominum, qui iuxta suum quique statum proficere studuerunt: qui & ipsi saluantur per fidem & orationes amicorum Dei: attamen in Purgatorio prius eos expurgari oportet, quàm ad regnum Dei admittantur. Vnde sicut hodie dies purorum agitur, ita crastinus purgandorum seu impurorũ dies erit, vt expurgentur. Sanè in Purgatorio maiorem pro aliqua terrena delectatione, & vno peccato veniali pœnam luemus, quàm sint omnium illorum Martyrum, quorum hodie festa colimus, pœnæ, etiam in vnum conflatæ. Ita prorsus necesse est, dilectissimi, tantam nos soluere pœnam pro minima, qua Deo resistimus, culpa, nec satisfacimus vocationi illius, & media inter nos & ipsum admittimus. Hæ igitur turbæ sunt, quæ Christum Dominum sequũtur ad montem beatitudinis suæ. Ibi deinde aperiens diuinum os suum, de octo beatitudinibus sermonem habuit: quas singulas nos breuiter perstringemus. Ait itaque. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hanc virtutem idcircò primam posuit, quòd caput sit & initium omnis perfectionis. Enimuerò quoquò vos vertatis, charissimi, fundum hominis prorsus nudum, ab omni possessione vacuum, liberum, expeditum, pauper, & omnis curę superfluæ expers esse oportet, si Deus propriè in ipso debeat operari: oportet, inquam, à proprietate ipsum esse liberum, atque ita poterit, immò & debebit, proprius illic esse Deus. Poterit autem hæc paupertas quadruplici ratione accipi & obseruari. Primò sunt pauperes, quos inuitos paupertas premit. Horum facta nemo durius aut seuerius iudicabit: quandoquidem ipse Deus inopiam ipsorum, vitia defectusq; eorum mitiori ferit iudicio. De secunda paupertatis specie dicit S. Thomas, eatenus amanda ac vsurpanda bona temporalia, quatenus quis ea sibi sentit esse adminiculo ad obtinendam citius libertatem & nuditatem mentis. Multorum enim mentes puriores ac expeditores sunt, vbi necessaria illis suppetunt, quàm si quotidie ea ostiatim mendicare cogerentur. Et qui necessaria habet cum licentia, & vtitur cum timore, multo nimirum expeditior est, quàm qui ea quærere cogitur. Si quis tamen sentiret possideri se inordinatè etiam à necessarij, nec inflectere se ea ad vsum & exercitia virtutum, puta pietatis, temperantiæ, humilitatis, liberæ ac nudæ puritatis, necessarium illi foret potius cuncta relinquere, & pauperem etiam forinsecus cum pauperibus esse. Tertia paupertatis species est, cùm Deus homini tam intimè charus est, vt nulla res impedire eum possit, sed omnia potius ipsum promoueant prouehantque, sicut Apostolus inquit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Huiusmodi ab omnibus rebus creatis, & quicquid non est purè Deus, liber nudus, intactus & pauper manet, potestq; cum Apostolo dicere ex sententia: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Qui tales sunt, etiam regnum citra interioris hominis sui damnum possiderent. Quartum denique paupertatis genus est, ex vero syncero que amore foris & intus pauperem esse, cum desiderio præclarissimum & amabile Domini Saluatoris exemplum, purissimam videlicet & nudissimam paupertatem illius, imitandi: prorsusq; liberum, & ab omni occupatione, cura, adhæsione tam foris quam intus expeditum se seruare, nec curare aliquid, nisi hoc tantum, vt mens liberè, purè, nudè ac immediatè, sine intermissione refluat atque recurrat in originem suam atque principium Deum. Inde verò tam se celeriter homo extrouertere non potest, quin fundũ illius id aduertat, quod tum e uestigio rursum se recipit in ipsum. Et hæc est, charissimi, purissima paupertas.

Coniugati ac vidui.

Quanta Purgatorij sit pœna.

Beatitudo 1.

Paupertas spiritus quadruplex.

1.

2.

3.

Rom. 8.

2. Cor. 6.

4.

Excellentissima nanque paupertatis nobilitas in hoc sita est, vt refluxus mentis in Deum, liber, nudus, & minimè sit impeditus: quantoque magis talis is est, tanto & pauperes isti & nunc & perenniter beatiores sunt. Secundo dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrã.* Hîc vno gradu propius ad beatitudinem ingredimur. Per paupertatem nanque impedimenta deponimus: sed per mansuetudinẽ propius in ipsum fundum accedimus, omnem inde amaritudinem, iram, asperitatem expellentes, sicuti scriptum est: *Omnia munda mundis* & mitibus nihil asperum. Quòd enim omnia sunt bona bonis, id ex bono puroq; illorum fundo contingit. Olim quidem pagani Dei amicos cruciabant, torquebant, præparabant: at nunc Christiani, etiam bonæ opinionis sanctitatem præ se ferentes, adeóq; & vicini eorum, ipsos cruciabunt, quorum vulnera ad ipsum quoq; fundum pergant. Si enim ad Deum te conuertas, aiunt te laborare ex cerebro, te furere, te singularem quandam sectam sequi, deceptionem esse vitam tuam. Hîc iam mansuetudo te reuocat, dirigitq; intro in fundum tuum ad teipsum, docens vt hæc omnia accipias de manu Dei tui, non autem ab hominibus: quod dum facis, pax tua tibi integra perseuerat, dicitq; tibi mansuetudo: Quis est qui nocere tibi possit, si Deum amicum habeas? Atque ita mitis possidet terram suam, semper manens in pace, quicquid sibi eueniat. Sin autem ita non facis, & virtutem perdis mansuetudinis & pacẽ, dicerisq; instar canis rabidi oblatrator. Tertio loco lugentes constituuntur, dum Dominus dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Qui sunt autem lugentes, de quibus hîc loquitur? Iuxta vnũ quidem sensum, qui in afflictionibus positi sunt: secundùm aliũ verò, qui sua peccata deplorant. Cæterùm præclari Dei amici, qui hac in parte beatissimi sunt, sua iam plangendo deleuêre peccata, nec est quòd pro eis lugeant amplius: nec tamen absque luctu sunt. Deplorant enim amarissimè peccata & defectus proximorum suorum. Sic de beato Dominico legimus, quòd cùm vidisset quendam socium suum amarè flentem, sciscitatus fuerit cur ploraret. Cui cùm ille responderet, flere se peccata sua, respondit vir sanctus: Illa iam lachrymis abolita sunt fili mi: magis obsecro vt illos lugeas, qui ipsi flere recusant. Sic, sic veri amici Dei, semper mũdi cæcitatem, peccata, miserias plangunt. Si quando Deus iudicium & iram suam in nos peccatores effundere decernit, vti multa horrenda iam olim prędictã sunt, vtpote ignis, aquarum inundatio, densæ tenebræ, venti ac tempestates, annonæ caritas, isti Dei amici lachrymis iram Dei cunctáq; hæc mala deprecantur & auertunt, nocte ac die ipsum exorantes: quos tum ille exaudiens, parcit, & differt iram suam, expectatq; si fortè corrigere nos velimus. Quòd si iam non facimus, credite mihi, charissimi, longè maiores, grauiores, perniciosiores plagæ certo certius imminent nobis. Iam nubes succensæ sunt, vt feriant: retinent tamen eas amici Dei lachrymis suis. At si non corrigimus nos, nimirum citò nos grauiter ferient: eritq; tanta miseria & calamitas, quod extremi iudicij hominibus memoria subibit: & qui iam multa pace gaudent, magnas sustinebunt pressuras: Deiq; verbum peruertetur, & cultus Dei rarus admodum erit, ibitq; vnus huc, alius aliò, nec scire licebit quem hæc mala finem sint habitura. Inueniet tamen pijssimus Deus nidulum, vbi suos abscondat. Quarto dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hac virtute, dilectissimi, pauci hodie veraciter præditi sunt: quando rarissimi sunt, quorum omnis fames, omne desiderium nõ nisi iustitiam intendat, quęrat, gustet, qui non amore vel odio ducãtur, qui

Beatitudo II.

Tit. 1.

Quinã hodie pro tyranni.

Beatitudo III.

S. Dominici apophthegma.

IV.

qui non potius cognatis bene velint, quos nō proprium commodum, proprius honor, laus, contumelia moueat, qui non pro fauore vel odio temere quandoque iudicent. Si qui verò tales inueniuntur, qui ab his immunes sint, illos ego iure meritoq; laudandos censeo, quòd in sublimi quodam gradu haud dubiè positi sint: quibus nihil sapiat, quos nil iuuet, nihil delectet nisi iustitia. Meritò certè tales beati dicuntur. Quintò *beati* dicuntur *misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequētur. Miserationes Domini*, Propheta ait, *super omnia opera eius.* Ergo quisquis verè misericors est, hic quoque verè diuinus est. Misericodia nanq; ex amore nascitur. Ideòq; veri Dei amici, multum in veritate misericordes sunt, faciliusq; peccatoribus & afflictis fidem adhibent, quàm alij charitatis expertes. Et quia misericordia, vt dixi, ex dilectione, quam nobis inuicem, alter alteri, debemus, nascitur: si misericordiam alterutrum non impendamus, exiget hoc specialiter Deus in extremo iudicio suo: & quos egenis ac miseris impendenda hac virtute repererit destitutos, illis æternam suam misericordiam denegabit. vti ipse in Euangelio apertissimè testatur, vbi omni tacita perfectione, sola misericordiæ opera neglecta impijs exprobraturum se dicit. Porrò misericordia, hæc non in hoc duntaxat consistit, vt tribuas indigenti: sed etiam vt compatiaris & subuenias proximis tuis in omni afflictione ipsorum, quæ vel accidit eis, vel adhuc accidere possit: & reuera quisquis ibi veram charitatem & compassionem non impendit, afflictionesq; cuiuslibet & defectus non misericorditer respicit & portat, timere haud immeritò poterit, & Deum suam illi misericordiā denegaturum. *Qua enim mensura*, ait Dominus, *mensi fueritis, eadem & remetietur vobis.* Vnde videndum est cuique, ne temere iudicet aut condemnet proximos suos, si non velit ipse æternæ damnationis sententia feriri. Sextò, *beati* prædicantur *pacifici, quoniam*, inquit, *filij Dei vocabuntur.* Sanè quos vera pax occupat, homines sunt multum amabiles: eisq; hanc pacem suam nemo vel in tempore vel in æternitate eripere potest, quòd omnem voluntatem suam prorsus in Dei beneplacitum transfuderint, idq; tam in aduersis quàm in prosperis, in lætis & tristibus, in tempore & æternitate. Adhęc, operatio & vita ipsorum, tota in Deo versatur, nec humano, sed diuino ac supernaturali modo viuunt & operantur. Suntque prǽterea in virtute Patris, in sapientia Filij, & in dulcissimo sancti Spiritus amore baptizati, hisq; adeò vndique perfusi, vt pace sua nemo eos priuare queat. Insuper praeclarissimæ hæ diuinitatis personæ adeò eos totos penetrārunt, vt si necesse foret, etiam regionem aliquam sua pace administrarent, & satisfacerent omnibus in ea constitutis. Adeò nanque æternæ sapientiæ, quæ eos permanauit, lumine & etiam amore pleni sunt, & si fieri posset, prę vera proximorum suorum dilectione foris & intus prorsus liquescerē, diffluerent, superfluerentq; nec quicquam in eis, vbicunque pulsentur, nisi dilectio & pax, inuenitur. Hi sunt corde pacifici, quos pax illa, *quæ omnem exuperat sensum*, adeò occupat possidetque, vt nemo hanc ex eis expellere queat: meritòq; *Dei filij* vocantur, quando quod vnicus habet ex natura, id eis ex gratia confertur: & reuera in Deo & ex Dei corde nascuntur. Neque enim vsquam alibi pax ista nasci potest, non in proprijs institutis, nec in aliqua re exteriori. Fieri tamen potest, vt qui hanc pacem adepti sunt, multas in exteriori homine diuersisq; modis secundùm sensus impugnationes sentiant. Septimò dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hic quæræt fortasse aliquis, quid sit cor mundum. Hoc

Quāta sit amoris priuati dominatio.

V.

Psal. 144.

Matt. 25.

Matt. 7.

VI.

Verè pacifici quales.

Phil. 4.

VII.

Cor mundum.

est cor purum, liberum, & ab omni re creata absolutum & abstractum, vt quoties Deo ingredi placet, vacuum semper, nudum, & expeditum fundum reperiat. Sic mundi, *Deum* veraciter *videbunt*. Hæc autem cordis mundities fœdatur, cúm quis sponte cor suum & delectationem transfert ad instabiles creaturas, & quiescit in eis. Quantam autem quietem capit & percipit in illis, quæ Deus non est, tantum se separat à Deo: sicque Dei in illo visio obnubilatur, vt Deum quietè in se videre non possit. Porrò exterior carnis puritas & castitas multum ad hanc facit cordis puritatem, vti Apostolus inquit: *Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Quod non perinde possunt, quæ matrimonio iunctæ sunt. Vt autem corporis castitas per externæ integritatis incuriam & negligentiam perditur: sic & præclari ac deiformis spiritûs integritas, sponte se illis rebus, quæ non sunt forma & origo sua, immiscendo, violatur. Multa enim inde media contrahit inter Deum & se, adeoquè obscuratur & tenebris perfunditur, vt originem suam Deum in puro fundo suo cernere non possit, quum tamen adhuc creatus sit, sicque inde effluxerit, vt continuè in eandem orginem suam refluere debeat, & contemplari illic Deum suum oculis spiritus & mentis suæ. Denique plurimum inde commendanda virginitas est, quòd perpetuum liberrimum, que semper in Deum accessum habeat. Vnde Christi sponsa ita se gerere debet, vt in nulla re cuiquam, præterquam soli Deo, placere cupiat, si modò sponsa illius dici aut esse velit. Octaua beatitudo, est eorum *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Credite mihi, dilectissimi: nec verbis exprimi, nec sensibus capi potest, quam ineffabilia in afflictionibus bona lateant. Ideoquè Deus omnipotens amicos suos, quos ad tantam, tamque vicinam ipsius beatitudinis suæ fruitionem elegit, vbi eos quomodo oporteret, hac dignè non viuere conspicit, grauibus & vehementissimis eos afflictionibus ad eam pertingere facit, vt his compulsi, velint nôlint, beatitudinem consequantur. Quæ certè immensa & ineffabilis Dei nostri fidelitas est: deberetque id homini esse gratissimum, & ingentes ageret Deo gratias, si quid pati habeat: immò hoc se beneficio prorsus indignum iudicaret, magnamque inde spem conciperet, quod hoc eum Deus honore dignetur, vt in hoc similis sibi fiat, & in passionibus se imitetur. Enimuerò diui Bernardi sententia est multo ac incomparabiliter digniorem esse exiguam afflictionem seu crucem patienter toleratam, quam grandia multaque bonorum operum exercitia. Et D. Thomas: Non est, inquit, aliqua tam parua passio, quæ vel intus vel foris homini occurrere possit, quæ non aliquam habeat imaginem excellentissimæ passionis Domini nostri Iesu Christi: valdeque possibile est homini, mereri in qualibet passione sua perfectam Dominicæ passionis participationem. Cæterùm alia adhuc est passio, quæ tametsi ea, de quam iam diximus, supra quàm capere quis possit, vtilis, fructuosa & digna sit) longè adhuc nobilior digniorque censetur. Hæc autem est interna passio Dei, id est, quá Deum patimur. Quanto verò Deus omni creatura celsior est, tanto & hæc passio, qua Deum patimur, omnem humanam excellit operationem. Vnde vehementissimè nobis Deus amandus est, quòd æternam nostram salutem in se patiendo constituit. Hoc autem opus Dei erit, non nostrum, nos verò ipsum hîc capiemus. Nam & ex natura id habet homo, vt plus pati possit quàm agere, plus accipere quàm dare. Quodlibet autem donum, desiderium ipsum ad centuplo plura capienda dona præpa-

[Margin notes:]
1. Cor. 7.
Virginitas vnde potissimù laudada.
VIII. Afflictionù vtilitas.
Patientiã multis operibus ac bonis antestare.
Dei passio seu Dei patiẽtia, virtutis quid sit.
Pati hominem facilius, quàm agere.

præparat, extendit, dilatat, si tantum essent qui sese euacuarent, & in interna quiete seruarent, diuinam expectarent intra se operationem, Deo locum præberent, paterenturq́ intra se Deum, vt ipse in eis diuinũ & excellens opus suum peragere posset. Est enim Deus mera actio, & spiritus creatus in seipso merum pati. Itaque si in sua homo nobilitate persisteret, seseq́ue directè sub DEO purum ac nudum seruaret, vt DEVS opus suum in ipso posset peragere, ad ipsumq́ue peragendum nullum is ei præstaret impedimentum, admodum ille felix & beatus efficeretur. Præstet omnibus nobis benignitas Dei nostri, vti sic eum intra nos patiamur, vt ipsius in nobis sentiamus opera, ad laudem & gloriam ipsius. Amen. Nota.

IN EADEM SOLENNITATE.

De paupertate duplici, corporali videlicet & spiritali: vtq́ ex his posterior, id est spiritalis paupertas, longè corporali perfectior sit.

SERMO II.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. MATTH. V.



DVPLEX est, dilectissimi, paupertas: vna externa secundùm hominem exteriorem, quæ in omnium rerum temporalium propter Deum abdicatione & abrenuntiatione sita est: quæ est consilium Euangelicum. Altera spiritus est, & est humilitas cordis, ad quam omnes obligati sunt, quique secundùm suam vocationem. De vtraque autem aliquid dicturi sumus. Itaque ad priorem paupertatem non omnes sunt adstricti, sed illi duntaxat, quibus Deus inspirat & suggerit, vt Christi humanitatem exteriorem in supremo gradu sequantur, ob ipsamq́ renuntient omnibus, & mendici fiant, ita vt omnibus vitæ suæ diebus victum sibi mendicando conquirant: quemadmodũ de beatissimo Patre Francisco legimus, & sanctis socijs illius. Qui nimirum supremus gradus est, sequi hac in parte Christum forinsecus. Cæterùm nemo suis viribus huiusmodi institutum arripere potest: quandoquidem omni hîc proprio carere, multo in rigore viuere, bona omnia externa abdicare oportet. Quod sanè natura admodũ exhorret, quoniam graue est illi, sed tanto coram Deo maius meritum habet, quanto naturæ molestius est. Et est reuera sanctissima vita, si pura cum intentione & mundo corde agatur. Per tales nanque plurimos Deus conuertit per bona ipsorum exempla, quæ miseris præbent peccatoribus in magnis sceleribus constitutis. Eaq́ de causa copiosissimè hanc Deus paupertatem remunerat. Porrò si ipsa hæc externa paupertas ad supremum suum gradum pertingere debeat, necesse est vt & intrinsecus teneatur. Vnde hoc nomine tanto melior est externa paupertas, quòd ad interiorem consequendam adminiculo est. Altera verò paupertas, vt dixi, in spiritu & in vera cordis humilitate consistit, & in abdicatione omnis solatij & oblectamenti. Et quomodo exterior paupertas ad omnis temporalis solatij abdicationem facit, incitatq́ue, ita hæc interior paupertas omni docet internæ consolationi, quę ex virtutibus & deuotione sensibili capi queat ac vniuersæ interioris gaudij oblectationi seu voluptati renuntiare. Qua autem

Duplex paupertas.

I.

Qualis S. Francisci paupertas.

II.

ratione hæc obtineantur, quæso, me docente accipite. Equidem rogo Deum meum, vt & huius internæ & illius externæ vobis paupertatis desiderium largiatur. Quisquis enim absque interna animi propensione, dum forrassis inde vel legit aliquid. vel audit, vel etiam ex anxietate quadam hãc assumit paupertatem, nihil proficit. Nam qui absque Dei tractu & impulsu eam arripit, ad veras virtutes minimè pertingit, sed exteriori modo seu statu voluntariæ paupertatis contentus, non ad eum finem contendit, ob quem Christus hunc paupertatis statum, qui excellentissimus est Ecclesiæ status, instituit, & quosdam ad ipsum arripiendum vocauit, vt videlicet primò extrinsecus pauperes fiant, vt deinde etiam interioris queant paupertatis gratiam adipisci. Hoc, inquam, plerique fine neglecto, paupertatis statum forinsecus duntaxat obseruant, nec ad sua se interiora recipiunt, externa inopia abundè contenti, dum sibi persuadēt, nihil à se amplius exigi. Cumq; his interdum deuotio quædam interna sensibilis aut dulcis sapor præstatur, ea ipsi contemplationem seu vitam dicunt contemplatiuam, cùm adhuc in infimo hæc naturæ gradu secundùm virium inferiorum spiritalitatem seu rationalitatem agantur: atque ita non contendunt vlterius ingredi ad sua interiora, putantes nullam sublimiorem viam superesse. Itaque conformantur quidem nonnihil Domino Saluatori secundùm eius humanitatem: sed deinde etiam secundùm spiritum eius & veritatem illi se cōformare debebunt: vt quomodo ille spiritu Patri suo vnitus fuit, ita & ipsi, quatenus in hac vita possibile erit, eidem intus vniantur. Et hæc interna paupertas, multo quàm externa, sublimior est: cùm illa ad Dei, ista ad humanitatis duntaxat similitudinem tendat, multoq; illa quàm ista securior est. Si quis verò vtramque apprehendere possit, id excellentissimum fuerit. Cæterùm tales, proh dolor, pauci hodie reperiuntur, quòd natura hominum admodum infirma sit. Si tamen altera earum deserenda sit, præstat externam relinquere, & internæ pro viribus se tradere, cuiuscunque aliquis statûs sit. Pauperis siquidem & humilis cordis vt sint, omnibus necessarium est, sed non omnes extinsecus pauperes esse sunt adstricti, nisi quos Deus ad huiusmodi vocat institutum. Cæterùm internam hanc viam siue paupertatem tenere, tam arduum & difficile est, vt si quis etiam tanta, quanta vnquam aliquis fuit, fortitudine præditus sit, satis hac opus habeat, si in ea ad finem vsque vitæ suæ debeat perseuerare. Vnde nihil absurdum est, sed omnino rationi consentaneum est, vt foris curam & quietem suo impendant corpori, vbi aduersa valetudine laborant, maximè, qui exteriorem hominem suum longa cruciârunt pœnitentia. Quum enim difficile sit in ea perseuerare, ipsamque persequi, ipsam ægrè possunt obtinere, si naturæ suæ necessaria subtrahant, si immoderatas agant vigilias, si duros extrinsecus labores exerceant. Externæ siquidem abstinentiæ, si rigidiores sint, ipsos impediunt, cùm tantos cordis dolores, angustias, pressuras, afflictiones sustineant, vt vix sufferre possint. Vnde si duram præterea extrinsecus pœnitentiam agere velint, destruent haud dubiè naturam caputq; suum: atque ita diuinas non poterunt intus admonitiones sequi. Proinde vsus rerum necessariarū ob melius quiddam eis permittitur, si hæc in se deprehendant: licetque eis, cum metu & timore naturæ quietem & commoda capere. Enimuerò & in sublimi quadam seculi dignitate & statu positi esse, rebusque ac bonis temporalibus pro suo statu abundare possunt, & nihilo minus hac interna præditi esse spiritus pauper-

Paupertatis voluntariæ status quis.

Quomodo pauperes esse oporteat omnes.

paupertate. Quanto enim plus forinsecus honoris, bonorum, & quietis habent, tanto etiam magis inde intus premuntur: simulq́ & extrinsecus quod suum est, ad hanc obtinendam paupertatem coguntur facere. Quod cùm absque naturæ confortatione ad finem vsque persequi non possint, cum anxietate & amaritudine naturæ fomenta, commoda & necessaria capiunt, secreto tamen & quàm fieri potest occultè, ne cui offendiculum præstent. Atq; hac ratione poterit quis etiam regnum possidere absque suo damno, aut alium quemlibet tenere statum, & nihilo minus pauperem esse spiritu & exul. Cæterùm paucis id persuaderi potest, tanta posse quenque per hanc paupertatem comparare sibi merita, cuiuslibet etiam statûs sit vel conditionis, si tantũ naturæ suæ voluptatibus emori, & huic sese paupertati sponte tradere non recuset. Ad ipsam autẽ pertingere, & viuere in ipsa, neminẽ vel diuitiæ, vel celsitudo, vel inopia prohibent. Omnibus eam apprehendere licet, si seriò illi se tradere velint. Porrò quisquis ille est, qui vtramque ferre non potest, alteri se tradat, & in sua perseueret vocatione, discatq́ pauper esse spiritu, id est, humilis corde. Optimum autem ad ipsam, spiritûs dico paupertatem, obtinendam, exercitium est, vt Dei quis auxilium imploret, petatq́ vt se seruet à peccatis, & perseuerantiam sibi tribuat in afflictionibus & aduersis. Ista namque spiritûs paupertas in his sita est, vt patiaris, vt deprimaris, vt intus totus derelinquaris, & ista tamen nulla externa oblectatione vel solatio depellas. Sic vbi te in cunctis virtutibus pro virili exerces, nec id prosperè tibi succedit: ac insuper & ab hominibus aliqua tibi patienda veniũt, nec non & à Deo flagellaris atque puniris in corpore, adhæc à cunctis etiam hominibus tam spiritalibus quàm secularibus abijceris, contemneris, irrideris, ac nihilo fecitis in omnibus his & id genus alijs patientiam tenes, nec excutere te quæris, sed præstolaris donec intrinsecus ipse te Deus releuet, hoc est, inquam, pauperem esse spiritu. Hic iam expendite, quæso, charissimi, sitne maiori opus labore ad hanc internam tenendam paupertatem quàm externam. Certè & acceptior Deo & multo nobilior est quàm externa: & quotquot hanc internam paupertatem docẽt, & è suggestu hominibus commendant, longè gratius DEO præstant obsequium, quàm qui externam tantummodo docent. Illam namque seruare, quàm hanc, Deo similius est, sed & centuplo maiori ad illius, quàm huius obseruationem labore opus est. Vnde etiam vel centum qui externam teneant paupertatem, facilius, quàm vnus qui in interna viuat, adduci atque conuerti possunt. Quòd autem potior ac dignior vita sit internæ, quàm externæ, paupertatis, non admodum probari indiget, cùm maiori cum molestia & labore interna, quàm externa, seruetur. Cæterùm quòd externa plus homines mouet, inde accidit, quòd illis, quæ videntur, facilius, quam auditis & minimè expertis, fidem adhibemus. Estq́ hoc voluntatis diuinæ, vt quidam externam teneant paupertatem, quòd id impensè illi placeat, cùm apud vulgares homines magnum eiusmodi possint fructum facere, qui ob occupationes suas, quid interna sit paupertas, capere non possunt, ideoq́ externam præcipuam iudicãt: cumq́ hanc quosdam tenere conspiciunt, eorum institutionibus & doctrinæ obtemperant: commouenturq́ conuertere sese à scelerata & vitiosa vita sua ad agendam pœnitentiam. Et reuera qui externam hanc diligunt paupertatem, in eaq́ se strenuè exercent, copiosè interim à Deo spiritalibus diuitijs intus ditantur, vt nullam forinsecus afflictionem molestè ferant, quandoquidẽ in spiritu mul-

Regem & spiritu pauperẽ esse posse

Quanto paupertas externa interiori facilior.

multam percipiunt voluptatem: adeoq; quibusdam id penè impossibile videtur, vbi audiunt debere se ab huiusmodi internis delectationibus auerti, putántq; non magni pretij externam esse inopiam, sed longè huic præferunt internam, in qua seipsos immodicè diligunt, & naturæ suæ oblectamenta & voluptates in ipsa prosequuntur, credentes se Deo in huiusmodi voluptuosa vacatione seu otio seruituros. Nimirum vsuuenit hoc illis, charissimi, qui internas pressuras & angustias non sentiunt, & externam paupertatem fugiunt, vt sine intermissione decipiantur, & homines fiant admodum perniciosi. Qui verò eam, quæ in afflictione & miseria versatur, vitam experiuntur atque degustant, in eáq; vera cum resignatione rectè procedunt, multò illi maiores sentiunt pœnas & cruciatus, quàm qui externam tantummodò inopiam tenent: & si vel decem hominum vires habere possent, forent illis vtique necessariæ. Vnde, vt iam superius dixi, opus illis est, vt bene comedant & bibant: ne capitis incurrant debilitatem. Non enim ea nunc, quæ fuit olim, naturæ virtus ac fortitudo est: nec potest internam & externam simul paupertatem persequi, nisi quis singularem à Deo hac in parte gratiam adeptus sit. Cæterùm qui à Deo ad externam trahuntur paupertatem, diuino freti auxilio, ipsam arripiant: sentient haud dubiè gratiæ cælestis opem. Deinde totis se viribus internæ quoque tradant, vt vtramque possint apprehendere. Quòd si ambas adsequi nequeunt, seruent alteram: & non naturam, sed vitia sua disperdant, enecentqúe. Qui verò ad externam vocati non sunt, pro interna Dominum Deum precentur, illiqúe se tradant, vt in statu suo, qualis qualis ille fuerit, Deum semper timeant. *Non enim est personarum acceptor Deus*: sed qui timent eum & operantur iustitiam, chari & accepti sunt illi. Præstet nunc ipse nobis dilectissimi, vt in iustitia, & vitiorum omniumqúe sensuum voluptatum ac spiritalis dulcedinis abnegatione, illi seruiamus, vt veram possimus paupertatem spiritus obtinere. Ad hanc enim omnes hominum status vocati sunt: maximè verò Religiosi omnes & specialiter Sacerdotes, vti vita B. Ioannis Baptistæ testatur, qui rigidam vtique & austerã tenuit vitæ rationem, subtrahendo sibi forinsecus, quantum corporis imbecillitas ferre potuit: necnon & interna præditus fuit spiritûs paupertate, id est, humilitate profunda: despectus etiam fuit ab hominibus, nec seipsum quicquam in Christi comparatione reputauit: quod ea manifestissimè verba indicant, quibus ait: *Non sum dignus vt soluam corrigeam calceamenti eius*, & ea similiter, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quòd autem ab hominibus contemptui habitus fuerit, æquè manifestum est, cùm, vti Dominus inquit, quidam ob victûs parcitatem, à dæmonio eum possideri dixerint: ac tandem pro veritate in carcere decollatus sit, & latenter occisus, tanquam à Deo foret alienus: quod equidem nullam spiritalem sensibilem deuotionem illi adferebat, sed mortem pro DEI amore patienter excepit. Patet hoc similiter etiam in sanctissimo Papa Gregorio, qui minus capiebat solatij, tam in interiori, quam exteriori homine suo, ex omnibus diuitijs & honore suo, quam Eremita quidam ex fele suo. Præbetur etiam huius exemplum fœminis & laicis omnibus in beatissima & gloriosissima semper Virgine Maria, quæ nullum in terris temporale solatium habuit. Denique super hos omnes, ipse nobis Christus Iesus Deus ac Dominus noster, huius in seipso formam præbuit, qui pauper forinsecus, & in spiritu pauperior fuit, & à præsepi vsque ad crucem, nullam vnquam temporalem sensit consolationem.

Quibus cui bene & edendũ & bibendum.

Ad quam omnes vocati paupertatem.

Ioan. 1. Matth. 3. Matt. 1. & 14.

Maria cuius sit fœminis exemplum.

nem. Qua in parte secuti sunt eum pro viribus omnes Discipuli & Sancti illius, singuli in sua rigida & pœnosa vita, quantam & ipsi ferre poterant, & Deus ab æterno præordinârat. Itaque vt & nos hanc vitæ assequamur perfectionem, ille nobis præstare dignetur, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

IN FESTO D. CATHARINAE VIRGINIS ac Martyris.

De ingenti fructu, quem passio Christi præstat diligenter meditata & exercitata.

SERMO VNICVS.

Inuenta vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam. MATTH. XIII.



EA quæ audistis verba, dilectissimi, dupliciter possunt intelligi. Vno quidem modo, quòd Virgo Christi, ob castitatem, quæ lapidi pretioso comparatur, cuncta reliquerit, vt ipsam integram seruaret. Altero verò, quòd Virgo huius passionem inuenerit, eamq; sit imitata, & pro qualicunque gratiarum actione, omni temporali renuntiauerit voluptati. Compendiosior Deo seruiendi via seu ratio, charissimi, in duobus sita est. Primò, in communium sanctæ Ecclesiæ institutorum ac exercitiorum, in paupertatis item, castitatis ac obedientiæ, & aliarum bonarum consuetudinum obseruatione, quas nobis Christus in Euangelio seruare cõsuluit, aut quæ inde eliciuntur, quas sancti Patres instituêre, quæ certè impendio faciunt ad exteriorem hominem coercendum, & virtutibus applicandum. Secundò, in passionis Christi exercitatione, cum illius imitatione coniuncta, ita videlicet, vt eam quotidie semel totam meditemur, & iuxta singulos quosque illius articulos, quatenus fieri poterit, vitam nostram componamus, instituamusqúe: specialiter verò eas obseruemus occasiones, quæ ex diuina nobis dispositione obueniunt, vt in eis nos abnegemus, exeamus, & Dominum ac Deum nostrum imitemur. Quod quisquis studiosius fecerit, inueniet nimirum, Deum pijssimum ex immensa quadam misericordia sua tales sibi absque intermissione subministrare occasiones, per quas ad altiora possit conscendere, & Domino suo, tam in agendo quàm patiendo, conformari. Deinde, vt corde cuncta nostra perspiciamus opera, eademq; omnia ad Dei gloriam faciamus: sicq; nostros coerceamus ac refrænemus sensus, vt breui tempore mundi amor totus in nobis restinguatur. Vnde non immeritò Christi passio pretiosa dicitur margarita, quam virgo Christi seruare debeat, & ea sese exornare, ita vt quotidie totam hanc à Cœna vsque ad Ascensionem in cælos mente pertractet, ipsamq; omnibus quæ habet, quæq; vndecunque conquirere potest, vniuersis operibus, omni gratitudine, & toto desiderio suo sibi comparet. Enimuerò per huiusmodi studiosam illius meditationem facile omnes naturæ vitiosæ propensiones ac malæ phantasiæ vincuntur, citoqúe ad intimam & cordialem suæ quis infirmitatis ac defectuositatis notitiam, profundamq; potest humilitatem pertingere. Vnde deinde ad intimam erga Deum cunctosqúe homines ex

Dei seruitus in quibus duobus consistat.

Christi passio cur pretiosa sit margarita.

Cui sese nôsse difficile.

vera dilectione compassionem peruenitur. Et reuera quisquis hanc negligit Dominicæ passionis meditationem, non facilè potest seipsum intus nôsse discere, sed vt plurimum foris in externis hæret exercitijs. Et quamuis fortasse in externis actibus & laboribus plurimum exerceatur, illi tamen intus ipsum suauem non efficiunt, nisi etiam in hac sese Dominica passione strenuè ac viriliter exerceat. Ex hac namque pretiosa passionis huius margarita fructus optimi proueniunt, vt quòd gratiam obtinemus Deo nos resignandi & offerendi in aduersis & afflictionibus cunctis, Deoque absque dolo simpliciter confidendi. Qui tum haud dubiè regit nos, & onera nostra atque curas fert ipse pro nobis, atque ita nos veram discimus nostri resignationem: sicque Deus potens succurrere nobis, & opem ferre in defectibus nostris. Deinde hac charitate sua, quæ in passione maximè relucet, incipit ab amore nos creaturarum abstrahere: ac dehinc inter agenda & dimittenda veram incipimus habere discretionem, Deoque tanto magis confidimus, quòd iam intellectu percipimus, nihil nos de nobisipsis sentire, non confidere, nec inniti nobisipsis, sed in sola Dei gratia sperare, ipsique inniti debere, ita tamen, vt non negligamus facere quod in nobis est. Atque hinc securè iam fidenterque credimus minimè nos decipiendos: quandoquidem qui sibijpsis innituntur, fallendi sunt. Inde verò adhuc potior nobis gratia accedit, puta quòd iam intelligere incipimus atque discernere, quid gratia, quidve sensualis affectio seu motio sit. Enimuerò multi sunt, qui vitam ducunt sanctitatis præ se speciem ferentem, & sunt extrinsecus humiles ac simplices, intus verò nonnihil sibi videntur, & tamen vani & nihil sunt. Cæterùm quæcunque bonæ sunt Virgines, communes sanctæ Ecclesiæ & sacræ Scripturæ constitutiones & ordinationes intus & foris pro virilibus obseruant, semperque mẽte Deo adhærere nituntur, cui soli suas exponunt & queruntur miserias, non autem hominibus. Cumque sic ab hominibus sese auertunt, premuntur ab illis grauiter & cõfunduntur: ipsi nihilo minus, quælibet illis molesta ac tristia occurrant, tacent humiliter, & non hominibus, sed Deo ea queruntur. Ad hæc iugiter sese in vita & passionis Christi meditatione exercent: vnde etiam per eandem Christi passionem, virtutem & fortitudinem eis Deus subministrat, vt secum manere possint: quãquam & hoc vitio eis vertitur, & in eis contemptui habetur, quòd priuatam suam in hoc deuotionem sectentur. Faciunt autem ipsi hoc cum timore Dei & quadam coram Deo verecundia, quando homines hypocrysin & insaniam id arbitrantur. Sed quia Deum testem habent conscientiæ suæ, magnam concipiunt erga ipsum gratitudinem, ita vt præ amore illius, etiam gaudio & lætitia perfundantur. Et malignus quidem spiritus non facilè hos mala tristitia capere potest, eo quòd continuè sese introuertant, nec in lumine naturali, aut hominum locutionibus, vel rebus pulchram præ se speciem ferentibus sperent, nec suauibus introuersionibus aut sensibili deuotioni innitantur, quasi tunc rectè habeant, ac Deo vniti sint, quãdo intus omnia illis arrident ac prospere succedunt, (Qui enim sic sentiunt, illis vel maximè diabolus imponit) sed potius in ipso Deo & exercitijs, & diligenti suijpsorum foris & intus obseruatione, & pro viribus ad Deum recursu, quem nihil detineat, suum statuunt profectum. Et licet corpus interdum à bonis exercitijs forinsecus quiescat, cor tamen non cessat gratias agere Deo, honorare Deum, & vitijs omnibus & quicquid illius amori aduersatur, resistere. Denique orant Deum, vt is sua sibi peccata remittat,

Bonarum Virginum descriptio.

Quibus satan facile imponat.

non

non quo pœnas inferni euadant, aut cælestem obtineant beatitudinem, sed quia illi peccata displicent. Nec orant, vt ipsi peccata non displiceant, sed vt veniam tribuat, ne ea gratiam illius à se excludant, præpediántve, in qua discere poterunt in virtutibus progredi. Orāt etiam, vt Deus faciat secum, quicquid sibi placet: quo & hîc, & in seculo futuro honor eius in se perficiatur. Orant, inquam, non pœnæ, sed peccatorum, remissionem: pœnam verò diuino relinquunt arbitrio. Ecce charissimi, hi fructus proueniunt illis, qui Dominicam rectè meditantur & exercent passionem, si in hoc studio perseuerent. Sed heu, proh dolor, perpauci hodie Religiosi hos percipiunt fructus, cuius causa est, quòd nimium in solis externis propriæ voluntatis operibus occupentur, nec purè se ad Deum introuertant. Sic & multum dispar est hominum vita, hac vtique de causa, quòd vnus non potest absque externo labore & interno exercitio esse, alteri abundè sufficit externus famulatus. Ideoq́ & inæqualiter hanc homines margaritam accipiunt, atque inde fit, vt sese mutuò non capiant, & interdum alter affligat alterum. Et qui id aduertunt ex ignorantia fieri, debent ipsum ferre patienter, & cæcitatem huiusmodi hominum æquanimiter tolerare. Enimuerò per eiuscemodi pij cordis homines, plures alios Deus instruere, & ad veritatis vult iter reuocare, vbi satis ipsi intus versati fuerint. Quicunq; verò seipsos nō probè exeunt, antequam ingrediantur, aut qui non bene ingressi sunt, sæpe in multos labúntur errores, antequam ipsi sciant. Facilè enim tales reperiunt, quod naturam ipsorum delectet, & sensibus placeat: seq́ prorsus ab omni spiritali profectu retrahunt, deficiuntqúe. Et si fortè eueniat, vt ferat vtcunque Deus externum ipsorum famulatum, non tamen hîc satis est illi. Ingentium namque fructuum illorum, de quibus præfati sumus, & ipsi, & omnes, qui ex illis corrigi poterant, si priorem sensibilis deuotionis viam exissent, ac deinde ad sua se recepissent interiora, manent expertes. Et quia solo exteriori, qui per sensus exhibetur, seruitio perpetuò inhærent, interioribus suis neglectis, vix aliquos referunt fructus: expedit autem, immò & necessarium fuerit, vt sese tota virtute diuino submittant, resignent, tradant beneplacito, vt sic Deum honorent, & impendiò prosint hominibus, qui Deum offenderunt, & multos traxēre ad vitia & peccata. Sicuti ergo iam dictum est, vt margarita hæc, quæ primò in dulcedine, in cognitione, in amore, quibus potitur homo, illam inueniens in cunctis exercitijs suis, sita est, quandoque frugifera fiat, & prosit multis: rursus à dulcedine ad amaritudinem, ad derelictionem, ad passionum ex amore tolerantiam descendendum est, & omni omnino proprietati moriendum. Quanto enim quis à propria voluntate nudior, & à dulcedine seu delectatione derelictior est, tanto & à diaboli laqueis, & tentationibus, & tristitia mala in præsenti, & ab Inferno ac Purgatorio in vita futura liberior atq; immunior fit. Nec facile talis ex Dei gratia in peccata recidere potest, nisi sponte ac studiosè se ad peccata conuertat, quod difficulter atq; ægrè fit. Cæterùm vt prior deuotionis gradus virtutum est actibus cum dulcedine insistere: sic & iste posterior æquè est virtutum actus perficere, sed maiore cum labore, cum q́ conscientiæ remorsu & duris reprehensionibus, quæ patienter ferendæ sunt in fide simplici: prorsusq; confidendū, Deum nos minimè derelicturum. Et si videatur nobis, quòd ille nos relinquere velit, spes firmissima tenenda est, Deiq́ videndum, quicquid etiā nobiscū agere velit in tempore & æternitate. Ecce videtis, charissimi, quòd Christi passionis medi-

Qui quibus ex Christi passione proueniāt fructus.

Quid quibus sum mè necessarium.

Christi passionis meditatio

tio quibus quò conducat. tatio perducat, ad summam vtique perfectionem & vnionem tantam, vt vnus cum Deo spiritus simus. Præstet nobis idem ipse benignissimus Conditor noster, vti sic pretiosam hanc reperiamus margaritam, vt ipsa simul in nos omnem secum adducat Dei bonitatem, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

SEQVITVR COMMVNE SANCTORVM: ET primùm de Apostolis.

De omnis priuati amoris, propriæ voluntatis, & delectationis in rebus creatis extra Deum, mortificatione cum vera resignatione.

SERMO VNICVS.

Si diligitis me, mandata mea seruate. IOAN. XIV.



Ioan. 13. OMINVS noster Iesus Christus, dilectissimi, qui *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo*, vti D. Ioannes inquit in Euangelio suo, *in finem dilexit eos*: post multa consolatorij amoris sui signa & argumenta, quæ præcipuè in vltima illa Cœna, quam multo cum sui cordis desiderio peregit cum ipsis, eisdem dilectis Apostolis suis exhibuit, illius eos admonuit charitatis, quam pro tanto suo amore iure sibi vicissim debebant: asseuerans, quòd tum illam duntaxat rectissimè possent exhibere, si doctrinæ suæ & præceptis obtemperarent: promittensq; illis, rogaturum se *Patrem* suum, vt mitteret illis *alium Paracletum*, qui maneret cum eis *in æternum*, *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia neque vidit eum, neque scit eum.* Quamobrem & ipse, charissimi, iterum de dilectione dicere statui, quando de ea loqui dulce semper & iucundum est: experiri verò eam atq; sentire, multo suauius. Itaq; præcipit Deus amatoribus suis, vt diligant se per suorum obseruationem mandatorum. Quisquis enim mandata illius transgreditur, ipsum non amat. Manifestum autẽ est omnibus, odio habere Deũ omnes in peccatis permanẽtes. Vnde de his dicere supersedeo, de illorũ potius vita pro meo captu dicturus, qui Deo excellentissimo in amore seruiunt. Sanè quicunq; amare Deũ cupiũt, his mãdata illius seruãda sunt, id est, Deo obtẽperabunt, nec aliquid propriæ habebunt voluntatis, sed ex sententia dicent: Non mea Domine, sed *tua voluntas fiat*. Voluntas autem Dei, bonus amor est: & amor bonus priuatũ amorẽ nescit, sed diligit se propter eum quẽ amat. Ad hũc porrò amorem tria requirũtur. Primò, diligẽs externorum sensuum custodia, vt videlicet portas quinq; obseruare, & multa cum solicitudine custodire discamus, omni quoq; inordinato affectui seu desiderio absq; cessatione reluctemur, sensibus deniq; perpetuò inuigilemus, ne quẽ illis vnquam ad vitia præbeamus assensum. Secundò, vt internę discamus propriæ cõplacentiæ, & proprijs reprehensione dignis institutis ac viuẽdi rationib' emori, nec his vllo pacto cõsentire. Specialiter verò ab his quinque spiritalibus inferni portis nos custodire, vtpote voluntate propria, priuato amore ac delectatione, propria cõplacentia seu præsumptione, propria spiritali vsurpatione seu vendicatione, & iudicio proprio seu propria sapientia. Tertiò, vt quotidiana habeat amãs anima opera & exercitia sua erga Deũ & semetipsam, seseq; ex amore purissimo Deo hostiã viuam offerat in perfecto timore perseuerans coram cunctis etiã hominibus. Quod quidẽ tam admirabili fit ex amore, vt verbis exprimi difficulter & ægrè possit, quãuis gustare & experiri liceat. Sensus

Quos Deus odio habeat.

Matt. 26. Tria ad amorem requiri.

I. II. III.

nanque

nanque & vires naturæ omnes excedit. Imò & seipsam anima hic transcendit in spiritus libertatē, qua donata est, & ad Patrem vsque cælestem accedens, vt melius potest, illi se vnit cum intima suijpsius vilipensione seu annihilatione ad supremam & dignissimam illius laudem, totamqúe se illi tanquam immensum nihil in abysso diuinitatis eius subijcit, rogans eum, vt se fructuosam efficiat in seruitio suo, atque vti ab æterno se amauit & elegit, & ob quod sese creauit & omnia, vt hoc & in se & in creaturis omnibus, vti ipse nouit gratissimam esse voluntatem suam, qualecunque id sit, absque sua electione perficiat, impleatqúe. Aequè enim iustitiæ vt misericordiæ, si sic illi placet, exemplum esse parata est: non tamen quò damnationem suis velit prauis actibus mereri. Denique rogat Deum Patrem, vt virtutem sibi tribuat gratissimam suam exequendi voluntatem. Deinde à Patre transit ad Filium æternam sapientiam, eiqúe similiter se totam vera cum simplicitate, veluti quæ nihil sit, nil sciat, nihil cognoscat, nihil sapiat ex se, quid faciendum sibi, quidue dimittendum sit ad laudem ipsius, iuxta acceptissimam eius voluntatem: oratqúe vt ipse hoc & in se & in cæteris creaturis omnibus diuina sua perficiat sapientia, vt ipse nouit ad maximam esse laudem suam, & fructuosissimum hominibus vniuersis. Non enim ad seipsam respicit. Hic iam in vera simplicitate animo quieto, tranquillo, resignato est ad omnia, diuinamqúe expectat operationem: credens firmiter, & absque hæsitatione sperans ipsum facturum, & ab ipso venire quæcunque sibi eueniunt, eaque ad laudem ipsius de manu illius suscipit, nihil inquirens, nihil discutiens, nihil inuestigans, sed simpliciter id agit, quod eius credit esse voluntatem. Nec id certum habet, sed credit. Si nanque pro suo videre vel scire agere deberet, sæpenumerò eiusmodi rationi illius absurda viderentur. Sed id illi minimè permittitur: quin per fidem & amabilem in Deum fidutiam, eidem se relinquere cogitur & resignare. Itaque exaltatur hîc Deus in ea pro illius sapientia, & humiliatur ipsa pro suo intellectu. Ipsoque hoc exercitio eadem hæc amans anima etiam in paruis & vilibus actibus vtitur. Denique sic cum Dei sapientia anima in vera simplicitate vnitur, simulqúe in vastissimam & immensam pertingit diuinitatem, & illius incognitæ essentiæ caliginem, vbi creaturis omnibus exaltatur & incomprehensibilis est: quandoquidem nuda essentia est, quò vires hominum creatæ pertingere nequeunt, quanquam vniri illi possint per fidem, spem & charitatem. His verò peractis, amans hæc anima ad Spiritum sanctum, ex vtroque, id est, Patre & Filio, procedentem, accedit, ipsiqúe similiter ex toto se subijcit, tamque perfectè illi se vnit, vt rebus creatis omnibus superior fiat, spemqúe fidemque transcendens, per amorem transeat in Deum. Vbi iam idem amor cuncta charismatum atque donorum munera excedit, tamque profundè ac prope isthîc anima in abysso increatæ essentiæ Dei vnitur, vt nullus queat creatus intellectus consequi. Siquidem vnio & libertas, quas hic anima sentit, creaturis omnibus incomprehensibiles sunt. Atque ita nonnihil, vt sic dicam, transit homo in Christi humanitatem: ideoque non iam erubescit, sed liberè Christo se sociat, iungit & vnit. Cumque aliquem patitur defectum, Patrem pro illo rogaturus, Christum secum ducit Patrem exorantem: idque præcipuè in venerabilis perceptione Sacramenti, vbi se simul offerunt Patri æterno in eadem virtute, cum eodemque sanctæ Ecclesiæ fructu, quibus ipse se Christus obtulit in cruce, quando ait: *Pater, in manus tuas commendo* Luc. 23.

Qui Deus in anima exalteiur & anima humilietur.

 spiritum

spiritum meum. Dicitq; hîc anima secundò, anxio ex amore ad ipsum Christum. Obsecro mi Domine, ea in me libertate vtere, qua in te vsus est Pater tuus, mecumq; pariter ora, vt beatissimę Trinitatis voluntas pro modulo vilissimæ imperfectionis meæ, tam in me perfectè fiat & impleatur, quàm in te vnquam perfecta est: patiarisq; vnum me esse tecum pro salute Ecclesiæ tuæ. Ipse iam semel passus es, & mundū redemisti, nec poteris crebrius pati: ego verò adhuc tui loco pati possum. Vnde quęso ne mihi parcas, quomodo nec Pater tuus tibi pepercit. *Paratum* est enim *cor meum* ad omnia quæ placent tibi & in tempore & æternitate. Melius ipse nosti, in quo laudes tibi & grates præcipuas referre queam, & cūctis magis prodesse hominibus, & eò, quæso, vt dirigas me. Itaque iam Deo confidit, Dei gloriam & honorem in se perficienda. Cęterùm antequam eò pertingat anima, vt ita se totam Deo offerre queat, multas prius incognitas pœnosas mortes: desertasq; vias subire habet. Vbi verò priores duas absoluit vias, iam Deus ipse veniés, eam per seipsum introducit, docet eam tertium amoris iter. Ibi verò tota cum Deo vnitur, sicuti iam dictum est. Heu heu charissimi, quòd hodiè tam pauci verè spirituales reperiuntur, inde accidit, quòd has hisq; similes vias homines ingredi nôlunt, ideoq; non omnibus hominibus fructuosi efficiuntur. Si quis autem ad charitatis præcepta, ea, qua dictum est, ratione conuertere se vellet, maiorem ille fructum faceret, quàm plures alij, qui nihilominus Deo seruire volunt, sed cum incustodita sui ad impatientiam extrouersione, non in simplicitate, & in externo duntaxat actuoso famulatu, nō in amore introuerso, quomodo iam dictum est. Denique hoc pacto ex somno tenebrarum ad veram lucem peruenitur. Enimuerò gratia noua nunc nobis proponitur: quam si non apprehenderimus, fugiet nimirum & elabetur ex manibus nostris, vt nec ipsi sciamus quo pacto recesserit. Quamobrem omnes in commune, dilectissimi, Deum pro vera simplicitate ac humilitate inuocemus, quo nos ex verò corde profundè humiliemus, despiciamus, & omnium, quos mundus habet, minimos, abiectissimos, contemptissimos, indignissimos, arbitremur: vtq; omnes, qui viderint nos, moueant super nos capita sua, & irrideant ac despectui nos habeant: & vt demum in oculis omnium tam efficiamur viles, indigni, ac nihili, vt creaturæ omnes in nos insurgant: quo sic omni discamus propriæ mori voluntati, simulq; custodire nosipsos & foris & intus ab omni proprietate, ac deinde offerre nosipsos Deo ad honorem ipsius in gratissimum beneplacitum eius, absque nostri resumptione & electione omni in tempore & æternitate. Denique, vt hæc non ex propria assumptione, sed ex desiderio placendi Deo, de quo iam nonnihil diximus, faciamus: idem nobis præstet Deus sublimis & gloriosus, cui est omnis honor & imperium in secula seculorum. Amen.


Cur hodie tam pauci vere spirituales.

IN FESTO PLVRIMORVM Martyrum.

De duplici passione morientis ac desolati hominis, per quam spiritaliter Martyr fieri potest ad exemplum Christi.

SERMO VNICVS.

Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt.



ESTVM hodie diem celebramus, chariſſimi, ſanctorum Martyrum N. & N. quos Deus Pater cæleſtis ſingulari honore dignatus eſt atque donauit, *vt conformes* fierent *imagini vnigeniti Filij ſui*, per amaritudinem & pœnam pretioſi atque pulcherrimi calicis, qué ipſi, ſicut & idem Dei Filius, biberunt, dum cruciatus omnes pro confeſſione nominis eius libenti animo perpeſſi ſunt. Qui nimi. ũ ſingularis ipſorum honor eſt, quòd ad hanc potuêre dignitatem ex gratia pertingere, ad quam vnicus Dei Patris, per acerbæ paſſionis ac diræ mortis, quam & pro ipſis & pro nobis omnibus ſuſtinuit, calicem ſubleuatus eſt. Vnde & ſancta Eccleſia de imperterritis ac inuictiſſimis his Chriſti militibus & amicis Dei lógè chariſſimis, ita canit: *Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti ſunt*. Et quia de Martyribus loquimur, duplex eſt Martyrium, hoc eſt, paſſionem duplicem, vobis chariſſimi notandum eſt. Fit enim aliquis Martyr gladio extrinſecus, & amore mortificante intrinſecus, quemadmodum de B. Martino legitur: Quamuis perſecutoris eum gladius non abſtulit, non tamen honore martyrij fraudatus eſt. Cæterùm, dilectiſſimi, Chriſti paſſio vtcunque probanda ſeu experienda eſt per dignæ pœnitentiæ laborem in vita moriente, atque ita ad Dei amicitiam pertingendum. Quiſquis enim Dei cupit eſſe amicus, ad tolerandas cruces & afflictiones animo parato & imperterrito ſit pectore oporet. Duplex porrò vitæ morientis crux ſeu afflictio eſt. Prima externa eſt, dum quis voluptatibus ac vitijs ſuis reluctatur, de qua Apoſtolus loquitur: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*. Altera ſpiritalis quædam preſſura eſt, & macritudo, ſeu ariditas & ſenſibilis gratiæ priuatio, in qua vel maximè ſeſe perdit homo, cogiturq́; interdum per hanc magis, quàm per aliud aliquid, ad Deum ſe conuertere. Sunt nanque qui omnia tunc ſibi periſſe arbitrantur, quando non multa ſublimiter per intellectum capiunt, multamq́; intus deuotionèm & gratiam ſenſibilem non percipiunt, nec experiuntur multa. Quæ vt ad incipientes pertinent, eiſq́; permittuntur, ita minimè petenda ſunt illis, qui præclariſſimam amoris virtutem cupiunt apprehendere, cuius nimirum comparatione vix alicuius præcedentia momenti ſunt. Et licet vtcunque præparent hominem ad ſublimem illam dilectionem capeſſendam, in ſeipſis tamen perexigui pretij ſunt. Sanè perquàm raros hodie inuenire eſt, puros atque perfectos Dei amatores. Plures ſequi Deum volunt, ſed non niſi per dulcedinem. Quam ſi non ſentiant, ſi non amore vulnerante trahantur, Deum ſequi renuunt. Itaque vbi aduertit Deus non poſſe ſe adducere eiuſmodi vel trahere ad ſe imitandum, niſi per dulcia, amore vulnerante ipſos allicit, donec ad ligantem eos perducat amorem, vbi iam aufugere nequeunt. Deinde ad amentem ſeu inſanum perueniunt amorem, ibiq́; tantum accipiunt roboris & fortitudinis, vt parati ſint ad omnia, totoſq́; ſe ad Dei gloriam, ad omnem deſpectum, irriſionem, afflictionem offerant, quæ illis Deus occurrere volet. Simulq́; in occultam diuinitatis ſeſe abyſſum proijciunt offeruntq́ue, multa cum fiducia dicentes, Si nos, ô Deus piiſſime, vel ſeruare vel perdere volueris, poteſtas penes te eſt, *fiat de nobis ſanctiſſima voluntas tua*. Vbi verò huc pertigerunt, iam adepti ſunt, quod Dominus volebat, cui etiam perinde eſt, quibus modis quaq́; via huc perueniatur. Cæterùm vt quamlibet animam Deus, quæ pietas illius eſt, ad ſe trahere poſſit, ideò tam largè confert munera ſua, ſeruitq́ue nobis tam blandè ac familiariter gra-

Martyriũ duplex.

Crux duplex.

Gal. 5.

ter gratia sua, hoc solo fine, vt anima sese illi absque vlla vel contradictione vel subtractione totam in omni desolatione seu derelictione offerat & resignet. Cumqúe illi, vt prædictum est, ingentem gratiam dulcedinis sensibilem largitur perceptionem, ideo id agit, vt per hanc eam trahat extra semetipsam. Vbi verò a dulcedine abstractam ad ariditatem vocat, in alio eam gradu vult constituere. Iam enim ablaturus est omnia, quæ vnquam dedit. Quibus ablatis, in multa hominem paupertate ac mœrore inseipso relinquit, non alia vtique ex causa, quàm vt discere incipiat animo esse per omnia resignato, nec vspiam nisi in solo Deo quiescere. Ad hunc verum Dei amorem duplici via peruenitur.

Duplex ad amorem Dei via.

I. Prior est delectatio affluētis gratiæ Dei. Hîc iucundum est homini in bonis desudare exercitijs. Facit autem hoc ideò Deus, vt voluptas carnis in eo tanto citius restinguatur. Itaque vendit hîc seipsum homo ex amore, dum strenuo ac virili animo cuncta temporalia oblectamenta fastidit, adeò ea præ amoris magnitudine paruipendens despiciensqúe, vt in sui admirationem rapiat omnes, quos ipsum videre contingit. Quomodo & de Sanctis quibusdam legitur, quòd tam celeriter ab omnibus huius mundi gaudijs, solatijs, delectationibus se abstraxerint, tantaq́ue cum strenuitate auerterint, vt videre mirum fuerit. Facit hoc nimirum Spiritus sanctus potentissimo amore suo, qui instar mortis fortis est.

II. Altera via, resignationis & crucis seu afflictionis est. Hîc, vt præfati sumus, omni homo spiritali solatio priuatur. Hinc porrò spiritualis nascitur istorum Martyrum fortitudo: estq́ue hæc via ariditatis & siccitatis deuotionis. Quamuis autem spiritales Martyres isti diuersis abundent afflictionibus, amant nihilo minus Deum suum, nec minori veras virtutes studio & intentione, quàm præcedentes, prosequuntur. Habent autem curas & angustias multas in hac vita, adeò vt sæpe ignorent, quò se præ huiuscemodi mœroribus vertere debeant: & nudæ duntaxat fidei, spei, charitati in obscura quadam caligine innituntur. Cæterùm peccato consentire penitus nôlunt, quælibet iam ipsis eueniant. Semper nanque in pectore suo cor contritum & humile gerunt, multumqúe ex aliorum hominum gratia torquentur, non quo hanc illis inuideant, sed quod vitio fieri credant, quòd ipsi eandem gratiam non habent, nec satis se pro illa obtinenda exercitârunt. Cumqúe maius adhuc studium & conatum adhibent, multo adhuc intus aridiores & lapide duriores efficiuntur, ita vt nonnunquam vix ferant patienter, & magis magisqúe animo deijciantur excrucienturqúe. Hinc iam metuere incipiunt, inuidere se alijs gratiam ipsorum, atque ita dolorem super dolorem accipiunt. His verò seu similibus adeò plerunque fatigantur, vt quid agendum sibi sit, penitus animo dubij sint. Nôllent equidem Deo in virtutibus esse ingrati, nec tamen eas queunt apprehendere. Videtur autem illis non posse se non offendere Deum vel per impatientiam, vel per desperationem, vel animi grauitatem suu mœrorem. Id verò dolent ex animo, cùm odio habeant omnem iniquitatem, (quandoquidem solùm Deo peccatum displicet) quod ipsi non ignorant, cum Deum offendere nôlunt. Tandem, licet non absque graui labore & difficultate, totos se resignant, & omnia sufferant patienter, donec Deo placeat mutare. Vident enim nihil posse se amplius. Sic itaque docet eos Deus resignationem sui subiectionemqúe, vt videlicet ita se sub Deo relinquant, exeantq́ue in omnibus: iamq́ue illis prioribus gratia affluentibus fiunt similes, & quodam modo longè nobiliores excellentioresq́ue, cùm hic gradus multo sit Christo confor-

Quomodo aliorū gratia torqueantur etiam pij.

conformior, cuius omnis vita passionibus abundauit. Isti Martyres spiritales pro ipsorum iudicio omnium pauperrimi, sed coram Deo locupletissimi sunt. Sunt etiam, vt ipsis videtur, omnium à Deo remotissimi, sed reuera proximi sunt. Sic & omnium se credunt coram Deo abiectissimos esse, cùm sint electissimi. Omnium denique se Deo infidelissimos sentiunt, cùm tamen fidelissimi ac strenuissimi sint ad illius promouendum honorem, contemptumq; præpediendum, ob quæ & patiuntur hæc omnia. Varijs quoq; tentationibus ob hanc spiritûs paupertatem se sentiunt impugnari, quæ licet ipsa quoq, morte grauioribus ipsos doloribus excrucient, maximè quando pro ipsorum iudicio nonnihil ab his superantur, omninò tamen consensum præbere recusant. Vellent etiam & percuperent ex animo vitia sua extirpare ac vincere, & exercere virtutes, sed nō possunt. Quod ipsum & huic similia tantos interdum dolores, curas, angustias intus eis parit, vt sibi infernales pœnas pati videantur. Id verò ex ingenti cordis ipsorum erga Deum amore & fidelitate eis accidit, tametsi id ipsi de se ignorent. Vnde omnium, quos mundus habet, se sceleratissimos reputant, cùm tamen coram Deo purissimi sint. Offendunt autem sæpius Deum, quòd tantum, in his internis pressuris & afflictionibus dolent, & nonnunquam vindicat hoc in eis, vt ipsos quandoque in impatientiam, pluresq; alios defectus, puro cōtrarios amori, labi permittat, quos vtique haudquaquam inciderent vnquam, si in his verè essent resignati. Studerent nanque in his plena semper pace gaudere, idq; si facerent, mirum in modum supra cunctos in his proficerent homines: quo se profectu sua mœstitia inordinata & immodica animi grauitate priuant. Nascitur autem hîc in eis mœstitia & dolor, quòd necdum veros illos cognoscant fructus, qui hinc proueniunt: aut certè ex suijpsorum irresignatione, quòd ad patiendū minimè sint resignati, vel quòd nimium eis molestum ac diuturnum videatur, ad finem vsque istas pressuras & afflictiones tolerare. Sed certum habeant, nisi ad finem vsque pertulerint, se ipsas prolongare, multoque amplius exaggerare seu aggrauare, vero quoque fructu illo priuare semetipsos, qui hinc propediem exorietur, si tantum innocenter animoque voluntario sufferre & ex amore se resignare possent. Quod quò facerent simplicius, tantò nobilius fructum illum mererentur, longeq; excellentius illustrarentur. Enimuerò post hanc noctem obscuram ac tenebrosam, lux profectò clarissima succedit, (si tantum rectè se gerat homo) quæ vniuersum illius fundum intus æterna veritate illustrabit. Atque hinc non foris in oculis hominum, sed intus coram Deo certus efficietur, ad summum illum atque purissimum se posse amorem pertingere, vbi seipsum perdit homo, & abnegat atque relinquit propter Deum, cum omnibus, quæ sua sunt, simulque vnus cum Deo fit amor, quem nullus in ipso destruere, nullus vnquam poterit violare: quandoquidem Deus, in illo cum omnibus electis suis quiescit, & omne hîc velle & nôlle prorsus amittitur. De hac felicitate vlterius aliquid inuestigemus, age quæso meditare, & iterum atque iterum meditare, ô anima mea, quàm ingens, quamque ineffabile gaudium, beatitudinem, gloriam, honorem illi consequentur, qui sine medio perspicuè iucundissimum & amabilissimum Dei vultum contemplabuntur, summoq; illo & optimo bono, quod Deus ipse est, in quo omnis voluptas, potestas, gaudium, pulchritudo continetur, felicissimè perfruentur, in ipsoque quicquid bonum, quicquid appetibile est, perenni cum gaudio & securitate possidebunt, & in ipsum transmutabuntur,

Qui cur interno Deum offendant dolore.

nunquam ab illo separandi. O quàm ineffabiliter ingens erit gaudium illud, quo beatissimam cõspicient Trinitatem, Domini nostri Iesu Christi gloriosam humanitatem, beatissimam & gloriosissimam semper Virginem Mariam, eiusdem Dei ac Domini nostri Genetricem, cum omnibus sanctorum Angelorum agminibus, iuxta ordinem ipsorum, Patriarchas omnes atq; Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines cum omnibus Sanctis: quorum tanta concordia & vnanimitas est, vt si possibilitate foret, qui inter eos præcipuus & maximus est, libenter extremo & minimo sua vellet gaudia impartiri: & qui minimus est, sua ex animo gaudia, maximo ac excellentissimo ad ea, quæ is habet, gaudia cuperet superaddi. Cæterùm quàm vehementer & excessiuè diuino succendantur amore, haudquaquam cogitari, nedum verbis exprimi potest. Quàm igitur solidi, quàm obtusę prorsus emotæ mentis sunt homines illi, qui pro modica carnali delectatione, seu bono aliquo temporali vel honore vanissimo vsque adeò obliuiscuntur, amittunt & procul à se repellunt æternam beatitudinem? Cogita hæc anima mea, quàm potes seriò ac studiosè, dum adhuc in gratiæ tempore posita es. Age insiste, quæso, bonis actibus, ne perenni gaudio frauderis. Festina, propera absque mora virtutibus incumbere, nullius te tædeat laboris, sed labora fideliter, vt in hoc breuissimo tempore bonum æternum ac perenné lætitiam merearis. Nihil in hoc seculo tam tibi charum sit, ob quod sempiternã Dei amicitiam & amorem perdere velis. Estq; hoc summopere tibi animaduertendum, afflictiones omnes, tristitias, aduersitates, miserias seculi huius, prorsus non esse comparandas vel æstimandas ad futuræ vitæ & Sanctorum omnium gaudium ac beatitudinem, qui vtique Sancti per iustam & optimam vitam suam eò pertigêre, quos & ipsa tibi imprimes, & velut exemplar quod imiteris, vitam ipsorum tibi ob oculos propones, vt simul cum illis incomprehensibilis ac immensi præmij illius participem te facias. Cogita, quæso, anima mea, quantus honor, quantum gaudium, quanta dignitas est esse in cœlesti illa ciuitate Hierusalem, cum Sanctis omnibus illic congregatis, qui tutissimum sanè reperêre iter, per quod ex hoc fluxo ac deciduo exilio, ad vitam æternam ingressi sunt. Sed vt eò, vnde paulisper digressimus, redeamus: sciendum est, resignatos hos homines quinque, vt Dominus ait, subsequi signa. Primum est, quòd *dæmonia* eijciunt *in nomine* Saluatoris. Id nimirum faciunt omnes, quotquot mortalia sua peccata vero cum dolore & cordis contritione confitentur. Secundum, quòd *linguis* loquuntur *nouis*. Hoc agunt, quicunque vitiosa ac inutilia verba deuitantes, vtilia loquuntur, vt verbum Dei & sacrum Euangelium: quiq; deuotas fundunt orationes, peccantes corripiunt, instituunt insipientes. Tertium, quòd *serpentes tollũt*. Id faciunt illi, qui studiosè ac sedulò prauis cogitationibus resistunt, easque de corde extirpant. Quartum, quòd *mortiferum si quod bibant, non eis nocet*. Id ipsis rectè congruit, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*: qui dum in suî persecutione & opprobrijs patientiam tenent, nihil eis persecutionis venena nocent. Quintum & vltimum, quòd *super agros manus imponunt, & bene habent*. Id de omnibus illis rectè dicitur, qui inimicis suis, quæcunque aduersum se iniquè egerunt, ex toto eodemq; benigno corde remittunt, & eleemosynas pauperibus & egenis impertiuntur. Denique quoquot hæc quinque Euangelij signa in se reperiunt, de illis dici potest, quòd verè fideles siue credentes sint, à Christo ad æternam beatitudinem assumendi, quã nobis omnibus diuina largiatur clementia. Amen.

[Margin: Quãta fere omniũ stoliditas. ☞]

[Margin: Signa resignatorũ quinque. I. II. III. IV. V.]

IN FE-

IN FESTO VNIVS MARTYRIS.

De triplici spiritali tentatione, id est, triplici spiritali fornicatione, puta, luxu vel luxuria, auaritia, superbia: deque triplici aduersus has canone.

SERMO VNICVS.

Beatus vir, qui suffert tentationem. IACOB. I.



QVOD Diuus Iob ait, militiam seu tentationem esse vitam *hominis super terram*, adeò verum est, dilectissimi, vt Sancti vitam nostram, non vitam, sed tentationem appellent. Dum enim vna abscedit tentatio, mox aliam expectamus: cuius ratio est, quòd ea Domini voluntas sit, vt eamus, *& fructum* afferamus. Qui fructus est, vt progrediamur seu proficiamus in via Dei: idemq; in tentationibus situs est, ex quibus nimirum occultam spiritalem dulcedinem, tanquam mel è spineto cunctisq; generis floribus, sugere licet. Porrò *qui non est tentatus*, vt Salomon inquit, & deuotissimus Doctor D. Bernardus, *quid scit?* Adeoque plus mille in sacris literis de ingenti tentationum vtilitate testimonia reperiuntur. Et est planè singulare diuini erga hominem amoris indicium, tentari ipsum atque probari. Sic enim corona illi apprehendenda est, instar sancti Martyris huius, cuius hodie sancta Ecclesia memoriam celebrat, & canit de ipso, idcirco beatum eum esse, quòd tentationem sustulerit, in eaq; probatus, coronã vitæ adeptus sit, *quam repromisit Deus diligentibus se.* Notandum est autem, charissimi, duplicem esse tentationem. Prior carnalis est, & foris in sensualitatis regno aliquãdiu dominatur, dum videlicet tentatur homo secundúm sensus exteriores, delectationem quærere in creaturis, siue in amicis, siue cognatis, siue alijs mortalibus hominibus: siue etiam in curioso ornatu, in vestibus, in ornamentis, in codicibus, in instrumentis, iucundis habitationibus, cibo, potu, aut alia quauis mortali creatura. Sic enim miser homo varijs sæpe rebus sponte inhæret per amorem, & haud secus, quam lappæ vestibus, adhæret. Quandoque verò sensus ab omni huiusmodi viscosa adhæsione prorsus liberi sunt: sed rursus nõnunquam homo mirum in modũ in carne & sanguine, & per illicitas cogitationes impugnatur. Attamen quantũuis spurcæ ac sordidæ tentationes sint, & quãlibet horribiles videãtur, nihil tamen homini obesse queunt, vt D. Gregorius testis est, dũ ait: Tentatio nõ maculat hominem, nisi penitus negligens sit, & negligenter inde se auertat. Altera tentatio, spiritalis & interna est, & in regno intelligentiæ dominatur. Hîc aduertendum est, dilectissimi, opera spiritûs & carnis adeò permixta & sibijnuicem connexa, vt cuncta interna exercitia, & ad Deum conuersio, ipsaq; opera naturæ, quãdiu in hac vita sumus, simul in nobis agantur. Atq; interim in bonum nostrũ permittit omnipotens Deus, angelum *satanæ* intus ob animæ oculos, trãsformare *se in Angelũ lucis*: idq; potissimum, cũ quis vires suas in sui introuersione trahit ad operandum in Deo. Deinde & id vobis notandũ est, charissimi, D. Ioannẽ Apostolum peccata omnia in tres partes distinxisse, dum ait: *Omne quod est in mundo, concupiscẽtia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Vt autem tria hæc singularia peccata inter mundanos penè omnes dominantur in carne, ita & intus in spiritu sub habitu religioso plus satis regnãt. Et extrinsecus

Eccli 34.

Tentatio duplex.

I.

II.

2. Cor. 11.

1. Ioan. 2.

quidem si fiant, manifesta sunt, & nullo negotio dinoscuntur, modò quis ea in seipso obseruare velit: Spiritalia verò peccata magis latent in multis, & plerunque etiam sub illis, quæ specie bona sunt, ita vt vix aduerti possit, qui iam præ foribus adest, grauissimus casus siue lapsus. Enimuerò spiritalis fornicatio siue luxuria dicitur, cùm quis seipsum immodicè quærit, multoq; cum desiderio ad sensibilis deuotionis affluentiam inhiat, cupitq; perpetuò suo arbitrio, paci ac libertati relinqui, vt nemo ipsum ausit corripere, nec laborem debitum exequi cogatur, semperq; in priuatis quibusdam ac singularibus, quas ipse sibi absque bona intentione elegit, precibus & exercitijs permanere queat. Cumq; iste eiusmodi non potest dulcedine potiri, totus perturbatur ac malè habet, & impatiens est etiam in rebus modicis, quæ illi accidunt, tametsi nullius omnino momenti sint, queriturq; nihilo secius grauia damna & grandes tentationes se sustinere, quando pace sua intus pro suo voto ac delectatione frui non potest. Et de ista quidem sensibili gratia seu deuotione Bernardus ait, conferre eam Deum illis, qui nec meruerint eam, nec ipsa digni sint: facere autem hoc ipsum misericorditer, quo tanto eos facilius ad suum possit amorem pertrahere. Rursum verò quibusdam hanc ipsum denegare, qui tamen multum diuq; laboriosè exercitati, & ipsius impendiò capaces sint: immò talibus eum quandoq; omnibus vitæ ipsorum diebus hanc denegare, & postea in vita futura copiosissimè remunerari. Quare autem id faciat Deus, ita ratio est, quòd spiritalis noster fructus, supremaq; beatitudo, in eiuscemodi delectationibus internis minimè sita sunt, sed potius in interna fiducia & amorosa adhæsione ad Deum, & vt nosipsos neque in prosperis, neque in aduersis quæramus, sed Deo nos per aduersa & prospera mãcipemus, & vt pauperculos ac indignos seruulos exhibeamus, offeramusq; nostris nos illi sumptibus, si id nobis possibile foret, perpetuò libentissimè famulaturos. Quanquam iuueni & infirmo adhuc tyroni, & recèns inchoanti talem à pijssimo Deo gratiam petere permitti potest, si ideò petat, vt ipsum tanto virilius laudare, in eiusq; amore tanto fortius corroborari queat. Vbi verò deuotionem huiusmodi, pacemq; iucundam ac voluptuosam, quæ vtique dona Dei sunt, non merita nostra, nostri causa plus quàm ipsum datorem diligimus: luxuriam haud dubiè spiritualem, & ingentem incurrimus infidelitatem, quàm Deus pijssimus tam plenissima sui & foris & intus propter nos abnegatiõe, haudquam de nobis meritus est. Spiritalis porrò auaritia est, dum quis plura semper appetit, quàm sibi in huius temporalis peregrinationis itinere necessaria sint. Cur autem plura secum peregrinus in via deferre velit, quàm quibus ad propria commodè remeare queat? Ingens profectò, mihi credite, in exteriori paupertate macula est, aliquid vltra necessaria appetere. Idipsumqúe intrinsecus spiritûs paupertati labem non minimam aspergit. Quis, quæso, vnquam pauperior fuit, quàm is, qui ex vera nudaqùe paupertate, à rebus cælestibus & ab omnibus creaturis penitus fuit derelictus: Iesus Christus Dominus noster, in tanta miseria & desolatione relictus sibijpsi, cùm gemebundus ac voce lugubri diceret: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Idqùe haud dubiè ad nostri institutionem, vt in nostra paupertate animo semper resignato simus, & consolemur nosipsos. Sed aiunt quidam in hac positi paupertate: Nisi mea id culpa actum esset, nisi ipse Dei gratiam neglexissem aut minus curâssem, ferrem vtique mitius, nec esset quod quererer. At nunc omnia hæc meo vitio patior, totumqùe ipse destru-

Cur sensibilem gratiã Deus aliquibus vel det, vel auferat.

Auaritia spiritalis.

Matth. 27.

destruxi. Quibus ego: Nihil hoc, inquam, vos perturbet, nec vobis curæ sit. Nescitis scriptum esse, *septies in die* cadere iustum, & resurgere? Et vos semper stare vos posse cõfiditis? Equidem vnà vobiscum fateor culpam esse vestram, vosqúe Dei gratiam neglexisse, & meruisse satis hæc omnia: attamen multo adhuc præstiterit, benignissimum vos Deum ac Dominum vestrum, qui & agnoscit infirmitatem vestram, & peccata vestra vel *septuagies septies* per diem vobis remittere paratus est, firma cum fiducia pro gratia ac venia deprecari, quàm tali vos pusillanimitate à vestro profectu deijcere ac remorari. Si cecidistis, charissimi, iam resurgatis, ac filiali cum fiducia accedatis ad Patrem vestrum, instar filij illius prodigi, humiliterq́ue corde & ore dicatis: *Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex infimis mercenarijs tuis.* Et hîc quid putatis aliud facturum Patrem, quàm tunc fecit? Haud dubiè ob peccata vestra pro consueta benignitate sua non mutabit essentiam suam. Est tamen hic proprius illius profusissimus thesaurus, & parum est illi remittere vobis debita vestra, si tantùm id ipsi confidatis. Nec enim *abbreuiata est manus* illius, vt vos saluare nequeat. Itaque cauete, obsecro, spiritalem auaritiam charissimi. Quanto enim in vestris oculis pauperiores ad illius conspectum veneritis, tanto illi eritis gratiores acceptioresq́ue, & ipse ex bonis suis copiosius vos munerabitur ditabitq́ue. Spiritalis denique superbia est, cùm quis ob defectus & vitia sua in seipso confundi recusat, sed in omnibus sibi parcere, sese palpare & excusare, nunquam nec vlla in re succumbere vult. Inde verò vsuuenire solet ista superbia inflatis, vt pluribus nedum inutilibus, sed etiam noxijs verbis ad se excusandum vti cogantur, & ad omnia velint satisfacere, tanquam non sint ipsi, quibus hoc aut illud debeat imputari. Nec aduertunt miseri, nec attendunt, quòd cui veritas minimè suffragatur, ei nec mendacium, quod vt plurimum hîc sese admiscet, quidquam posse prodesse: quodq́ue verè humilis sub Deo multo melior ac potior sit superbo ac præsumptuoso iusto, qui sua se iustitia vbique defendere & excusare molitur. Et quid, obsecro, est omnis iustitia nostra? Dicat id Esaias Propheta: *Vniuersæ*, inquit, *iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Qui verò aut iusti vnquam fuimus aut esse poterimus, si secundùm iustitiam suam nos DEVS iudicare velit? Planè reos nos fateamur oportet, & omne bonum nostrum in illius gratia constituamus. Et sæpe Deus omnipotens præparat hominem per illius infirmitatem, dum in ea se humiliat, & procidit ad pedes illius, quandoquidem omne ille sibi genu curuari vult, & ex cunctis virtutibus solus gloriam & gratiarum actionem sibi vendicat iure suo. Itaque hinc aduertere licet, sæpenumerò occultam quandam intra nos superbiam versari, ex qua deinde multa incomposita & inordinata fiunt opera. Cæterùm quisquis tria hæc vitia, id est, spiritalem luxuriam seu fornicationem, spiritalem auaritiam, & superbiã spiritualem, studiosè deuitârit, nunquam poterit à via Dei exorbitare, nec errare intus in exercitijs suis. Vti verò peccata hæc & tentationes declinanda sint fugiendaqúe, tres illæ, quas subijcio, regulæ vos poterunt edocere. Prima est: Aduersitates omnes, quæ intus homini occurrunt, ipsumq́ue vrgent, trahunt, impellunt ad conformandum se humilimo Saluatoris nostri & Sanctorum eius exemplari, idq́ue non modò extrinsecus, sed etiam intus in intellectu, eas nec dæmon, nec natura potest excitare seu operari: sed citra dubium à Deo sunt, qui summum & excellentissimum est bonum. Ex summo autem bono nil nisi bo-

Prou. 24. | Matth. 18. | Luc. 15. | Superbia spiritalis. | Excusationis causæ in peccatis origo. | Humilis peccator superbo præstat iusto. | Esaiæ 64. | Tres fugiendorũ peccatorũ regulæ. 1.

Eccle. 1. num promanat, & quicquid inde largitur Deus, quod in ipsum reuertetur, id haud dubiè totum ab ipso procedit. *Ad locū* enim, vt Sapiens inquit, *vnde exeunt, flumina reuertuntur, & lætantur omnia in reuersione sua.* Contra verò, quæcunque nos ab huiusce modi conformatione ac similitudine retrahunt & auertunt, ea profectò ab iniquo spiritu procedunt, cuius perpetuum opus est, abstrahere
Lucæ 11. dispergereque. Sic enim Dominus ait: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.* Et iste Canon aduersus primū est spiritale vitium, quod
II. est luxuria seu fornicatio spiritualis, de qua supra diximus. Secunda regula est: Quicquid intus homini occurrit, per quod vicinius ac notabilius ad cor suum vrgetur atque compellitur, & ad mentis suæ colligitur simplicitatem seu vnitatem, ad constanter viriliterq́; amandum, & confidendum paternæ bonitati Dei sui, non autem vel proprijs potissimum operibus, vel proprio sentire seu experiri, id totum similiter ex Deo est. Cumq́; se iugiter pauperem & mendicum ex animo sentit, quamlibet alioqui pulchra videantur opera sua, quantoq́; magis accedit ad cor suum, fitq́; virtuosior, tanto se ab omni virtute reperit nudiorem, intraq́; semetipsum deprehendit non aliud esse se, quàm vas inane ac perditum, non ad honorem, sed ad æternam damnationem pertinens, quòd vas solus Deus gratia sua debeat & velit implere, atque illi denique adhæret, ipsumque in se operari permittit, nec seipsum seipso tuetur atque defendit: istud, inquam, opus cùm hinc ad suæ homo paupertatis agnitionem, velit nolit, intus pertrahatur, ex Deo esse minimè est ambigendum. Cæterùm per inspirationes diabolicas & naturæ, si illis consentiat, cunctis homo bonis & virtutibus suis despoliatur, exuiturque: quod fit, dum seipsum non cognoscit, creditque se habere quod non
Apoc. 3. habet, dicens illud Apocalypsis: *Diues sum & locupletatus, & nullius egeo:* sed au-
III. dit ibidem: *Et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Hic Canon aduersus spiritalem militat auaritiam. Tertia regula est: Quicquid homini occurrit, per quod internum sentire illius seu experiri humiliatur, ipsumque facit incuruare se ac humiliare *sub potenti manu Dei*, & sub omnibus creaturis per veram humilitatem, necnon & nihilipendere & deprimere semetipsum, id citra dubium ex Deo esse censendum est. Quomodo enim Lucifer, & cuncti complices illius, ob superbiam & mentis elationem è cælo detrusi sunt: ita nos per nostri humiliationem deiectionemq́; cælis inuehimur, vti de tribus
Matt. 2. Magis legimus, quòd *per aliam viam ad propria* remigrârint. Ita verissimum est, ☞ charissimi, quòd qualis cuiusque vita est, sic & faciat, sic doceat & ad sui similitudinem trahat omnia quæcunque potest. Vnde & malignus spiritus adeò in obstinato suo proposito intumuit, adeò per superbiæ suæ elationem in proprio rigidissimo sensu ac voluntate sua induratus est, vt neque pro regno cælorum recuperando, nec alia quauis ex causa velit aut possit se vel ad momentum humiliare: tam rigidè in suo proposito intensus est. Quem superbi omnes imitantes, vti ab ipso didicerunt, proprio sensui suo plus quàm omnium hominum vel sensui vel rationi confidunt tribuuntque: vnde fit vt aduersus proximos suos sine causa decertent, contendant, dimicentque: quod tum multam cordis inquietudinem & molestias parit, & fraternum dirumpit ac discindit amo-
☞ rem. Neque enim ab vllo se patiuntur reprehendi: adeoq́; in rigida ac inflexibili mala voluntate & proposito suo roborantur, vt & Dei omnipotentis & omnium amicorum illius admonitionibus audacter resistere nil vereantur:

quod ipsi Saluatori à Pharisæis & Principibus sacerdotum vsuuenisse legimus, & Propheta Esaias ex eiusdem persona satis queritur, dicens: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*, (& contradicentem mihi,) *qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Ediuerso Dominus ac Redemptor noster, mitis & humilis est: immò humilitas ipsa, ad quam sine intermissione omnes trahit, qui aut possunt aut volunt trahi. Ipsiusq; essentia, rerum omnium causa, essentia & origo seu principium est. Ipse vita est viuentium, ipse resurrectio mortuorum, ipse reparator destructorum, qui seipsos peccando perdiderunt: ipse reuocator eorum, qui ab ipso recesserunt, exciderunt qúe: ipse erector ac confirmator eorum, qui in tentationibus positi sunt: ipse stabilitas perseuerantium, ipse excitans manuductio omnium ad ipsum contendentium, ascendentiumqúe: ipse omnis lucis fons & exordium, ipse illuminatio omnium illuminatorum: ipse occultorum, quæ quidem nos scire expediat, reuelator: ipse denique omnis principij principium. Essentia eius incomprehensibilis, ineffabilis & absq; nomine est. Vnde & ipsam cæteraq; incomprehensibilia arcana illius, sancta cum modestia & silentio honorare atque laudare debemus, nec vnquam ea vel scrutari, vel gustare appetere, nisi quantum ipsi honorificum est, & nos decet, semperq; nos discreta cum modestia ac deuotione & verecunda cum reuerentia ad incontaminati lucidissimiq; speculi ipsius irradiationem pro viribus conuertere, ita tamen, vt illa semper verba metuamus, quæ per Mosen Dominus ait: *Bestia vel homo si tetigerit montem, lapidabitur*, quod est, sensus bestiales haudquaquam præsumere debere montem diuinæ essentiæ ascendere, sed potius inferius permanere, & locum vltimum petere, donec dicatur homini: *Amice ascende superius*. Tum verò montem non per seipsum ascendit, sed sursum duci se sinit, ipsiusqúe sensualitas Dei lumine purgatur atque donatur, in quo vtique lumine plus accipit luminis, quàm alioqui grandi consequeretur externo labore. Diuina siquidem Christi natura vis est attractiua mentium & cordium omnium ipsi similium, & quotidie per amorem se ipsi vnientium. Hinc Doctor quidam ait: Fidenter accipi Christum non in cruce tantùm, sed etiam in transfiguratione eius in Monte Thabor, vbi tamen non præsumo eum accipere, nisi Iacobum Petrum & Ioannem, Mosen & Heliam penes ipsum reperiam, qui mihi testimonium perhibeant, esse eum veraciter Christum: hoc est, in angustijs omnibus, omniqúe pœnali interna nuditate fidenter nobis credere licet, Christum illic adesse: si vero in monte internæ contemplationis appareat, isti nobis testes necessarij sunt, vt videlicet pro nostra voluptuosa concupiscentia, donis illius non fruamur per luxuriam seu superfluitatem, nec per auaritiam plus appetamus bonorum eius, quàm digerere possimus: semperqúe nos tam humiliter deprimamus, vt nullam incidamus spiritalem superbiam. Isti, inquam, veri testes sunt, posse nos Christum in claritate illius in vertice montis Thabor, liberè absque vllo impedimento & errore suscipere: & cuicunque hi adsunt testes, eum impostor angelus decipere non valet.

Esaiæ 65.
Rom. 10.
Exod. 9.
Luc 14.
Matt. 14.

Quod nobis omnibus præstet clementia
Saluatoris. Amen.

(:·:)

IN FE-

IN FESTO VNIVS CONFESSORIS & Pontificis.

Vt homo solùm Dei nomen honorare, suum verò proprium honorem & nomen vera cum humilitate ac sui resignatione despicere debeat. Quodq́ homines iuniores in isto ab exordio instituendi & exercendi sint.

SERMO VNICVS.

In nomine meo exaltabitur cornu eius. PSALM. LXXXVIII.

NOSTIS ipsi, dilectissimi, vt nullum æquè omnipotenti DEO peccatum displiceat, atque tumida superbia, & arrogans proprij nominis iactantia, quando hîc vilis homuncio honorem, qui soli debetur Deo Opt. Max. sibi asscribit, nec sui nominis contemptum ferre æquanimiter potest, quod vtique nomen & quicquid honoris habet vel dignitatis, ideo ipsi contulit Deus, vt multi per ipsum corrigerentur & prouocarentur ad meliora, dum cernerent ipsum prælatum seu superiorem suum, dignitate atq; dominio suo ad Dei duntaxat gloriam vti, nec quicquam omnino suum vel quærere vel desiderare. Quemadmodum sanctum hũc Pontificem, cuius hodie festa celebramus, fecisse, ex sancta vita ipsius, quam gessit in terris, apertissimè cernere atque addiscere licet. Vnde etiam sancta mater Ecclesia de ipso ex Psalterio canit: *In nomine meo exaltabitur corru eius.* Tanquam diceret de ipso Deus: Non in suo *nomine*, quando hoc nec quærere, nec appetere debet, sed *in meo exaltabitur cornu* honoris *eius.* Idem verò Propheta, vnde hæc verba desumpta sunt, alio loco sic dicit de Deo: *Exaltatum est nomen eius solius.* Itaque nihil tam displicet, nihil tam aduersum est Deo, quàm magni velle nominis esse. Quod tamen vitium in multis tam occultè dominatur, vt quanto in discrimine ac periculo versentur, vix queant agnoscere. Fitq; non rarò vt id homines floccipendant, persuadeantqúe sibi Prælati seu in dignitate constituti, iure id sibi deberi, vt de ipsis magnificè sentiatur: nec ferre valeant aliquid, vel dici, vel fieri, quod honorem ipsorum lædat, aut minuat existimationem. De huiuscemodi occultis vitijs Dauid loquitur, dicens: *Ab occultis meis munda me Domine*, id est, à magni nominis ambitione. Itemqúe: *Non veniat mihi pes superbiæ,* id est, desiderium seu procliuitas ad superbiam: *& manus peccatoris non moueat me.* Quoniam *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Credite mihi, nisi quis huic nomini & existimationi renuntiet, nihil cætera illius omnia, quamlibet alioqui bona sint, respicit Deus. Et Chrysostomus ait: Renuntia grandi nomini tuo, & facilè molestias & afflictiones omnes superabis. Sanè si id aliqua ratione ab homine Deus impetrare posset, vt tantum intus, tamq; amare ac ignominiosè deprimeretur, quantum foris, quamq; superbè ac petulanter se extulit & in sublime contendit, hoc nimirum esse quod maximè vellet Deus: & quæcunque homini accidunt vel occurrunt, per quæ flagellatur seu corripitur à DEO, ideo illi eueniunt, vt in seipso deprimatur, humilieturqúe. Quod si Deus huiuscemodi castigatione ac humiliatione consequi & efficere non valet, sæpius eiusmodi amicos suos in manifesta sinit probra & ignominiã, vel etiam in miseriam incidere, vt tales fiant, quorum misereat omnes, vt vel sic in semetipsis humilientur. Iam si quis ab hominibus nimium extollitur, plusq; illi virtutis

Psal. 148
Psal. 18.
Psal. 35.
Lapsus quorundã causa.

aut sanctitatis tribuitur, grandiorisq́ apud homines nominis est & opinionis, quàm sit in veritate coram Deo, fortè ob aliquod occultum vitium seu defectũ in ipso latentem, soli Deo cognitum, huic grandis hæc fama & existimatio damno fit & dedecori, & pœnam cumulat hîc vel in futuro. Spiritale siquidẽ hoc honoris impensi iniustum bonum, necesse est per opprobria, ignominiam, vel derisionem seu illusionem refundi restituiq́, si perire non debeat homo. Si quis verò de grandi opinione seu nomine non se extollit, nec id sibi placet (aliàs nãque grauius haud dubiè inde damnum acciperet, & diuina in ipso iustitia vindicaret) & multi inde non minorem vtilitatem, vitæ correctionem, seu felicitatem capiunt, non solum ipsi non nocet, sed purum etiam in ipso atque meritorium est illi, quamlibet alioqui grandis sit existimationis, si interim diuina fretus gratia, inde non intumescit, sed potius ex humilitate semper stat in timore, propriamq́ suam vtilitatem, infirmitatem & peccata agnoscit: nec se ex cunctis virtutibus suis, quas de ipso homines opinantur, aliud reputat quàm nuntium quendam seu ministrum indignum istorum Dei donorum, nec se propterea meliorem aut digniorem arbitratur, quàm fuerat ante: sed simpliciter ad Dei facit honorem, & vt salutem promoueat animarum, quod ratione officij sui ex obedientia Dei & sanctæ Ecclesiæ facere debet. Prorsus, inquam, magnum hoc coram Deo fructum facit, multamq́ in hominibus operatur vtilitatem. Et licet magnus habeatur ab hominibus secularibus, nihilominus coram Deo & in corde suo non alius est, quàm qui nouissimum petit & semper occupat locum. Et si fortasse id eueniret, vt à suo statu vel honore deijceretur, id ipse nihilipenderet: quandoquidem ad omnia resignatus est. Quamobrem, dilectissimi, grande spiritualis vitæ nomen seu opinio, periculosa admodum est, multumque fugienda, aut saltem despicienda. Si quis enim non ita viuit qualis ab hominibus optat haberi, de suoq́ nomine & honore indignus extollitur vel lætatur, hunc vel in isto, vel in futuro seculo per ignominiam vel tristitiam hæc diluere & expiare oportet, quanto grandioris fuit apud homines existimationis, quàm vitæ coram Deo. Cæterùm si qui interdum de magno suo nomine pusillanimes redduntur, vt dum timent, vel putant non satis puram esse intentionem suam, sæpiusque se nominis potius dignitatem, quàm obedientiæ iussionem spectare, hi propterea non minus boni facient. Semper enim bene agendum est: & si fortasse in principio non ita recta sit intentio, adhuc mutari poterit: & tũc virtutes meritoriæ fient. Quòd si cuiusquam fama longè lateq́ spargatur, & ipse iam hoc fine, vt hominibus placeat, aut alia peruersa intentione, bona sua faciat opera, hic iam superbus fit & tumidus, & à laudis appetitu seducitur, ita vt iam nihil facere vel exercere velit, nisi vnde magnum sibi comparet nomen: & in cunctis actibus suis hominum venatur laudẽ, & vt præ alijs in honore habeatur. Ideoque seriò & omni studio ad id contendit, vt spiritaliter ac religiosè se gerat, & moribus ac gestibus compositis sit, maximè apud homines, vt ab illis videatur. Nec iam aliquid facere consentit, nisi quod melius omnibus nôrit, vt palmam ipse ferat. Porrò quòd eiuscemodi homines nõ nisi hominibus ex vitioso quodam fundo placere cupiant, nec fidei, spei, & charitati Dei innitantur, id inde manifestè licet aduertere, quòd nihil diuinæ dilectioni confidant, nec credere Deo, neque confidere ausint, fidelissimum ipsum verjs seruis suis esse adiutorem. Vnde etiam facile in diffidentiam ac desperationem prolabuntur, & viuunt

Falsi honoris aut famæ periculum.

Intentio minus recta, qui rectè ficetur.

uunt certè periculosè: metuendumq́ue est, ad pessima quæque eos posse deuolui. Quod hinc euidentius probare licet, quòd quoties aliquid eis iniungitur vel mandatur, ad quod peragendum minus sunt idonei vel animo inuoluntario, minimè vt id faciant, possint adduci. Metuunt enim ab alijs suam ineptitudinem & inutilitatem notandam, & ob eam minori se in pretio habendos, paruosq́ue se ac modicos, quales & reuera sunt, fore in oculis hominum. Et nec scriptura quidem omnis immensam Dei fidelitatem, quam ille præstat sperantibus in se, eis satis potest exponere ac demonstrare, vt Deo se audeant credere ac resignare, ipsiq́ue confidere vt velint, & propter ipsum suam ineptitudinem patiantur manifestari. Certè si vel decem adhibeas concionatores, non hanc, Dei, inquam, fidelitatem, satis eis probare poterunt. Ideoq́ue in sua antiqua manent duritia & mentis elatione, nec cum aliquo pio ac beneuolo homine possunt familiariter & amicè viuere. Qua in parte si abnegarent semetipsos, forsitan e uestigio singulari quodam nouo diuino illustrarentur lumine, vnde omnis illa torua, quæ eos occupat, tristitia prorsus interiret, & iucundam quandam ad omnes homines quibuscum viuunt, aut aliquid habent commercij, animi benignitatem & dilectionem consequerētur. Quod cùm non faciant, semper in quadam amaritudine & cordis maleuolentia erga proximos suos maneant necesse est, adeò vt omnis fraterna dilectio, crux illis fiat, & ex cunctis bonis & ex amore procedentibus actibus, torqueantur excrucienturq́ue. Vnde etiam solitudinem coguntur expetere, & ab hominibus se segregare, quò nec videant, nec audiant, vnde tristitia ipsorum accipiat incrementum. Vitantq́ue diligenter, ne aliquid cum quouis commercij habeant, sperantes se ita ad pacem posse pertingere. Sed errant nimirum. Non enim hæc pacis via est. Quanto enim magis se ab omnibus abstrahunt remouentq́ue, & soli secum degere moliuntur, tanto minus pacis habent, eoq́ue magis pestifera inuidia, temerarijs iudicijs, & huiusmodi malis abundant. Diabolus namque in ipsorum superbo quiescit fundo, qui nunquam vllum paci ad ipsum permittet accessum. Cæterùm si ad veram vnquam pacem & gaudium pertingere velint, fundum suum nôsse, & ab omni superbia & propria æstimatione expurgare discant oportet: alijsq́ue, quatenus expedit & decet, sua manifestent vitia, suam vtilitatem, inutilitatemq́ue, talesque haberi velint & appetant, quales sunt, vtpote viles, inutiles, fragiles, vitijs ac defectibus pleni, atque in his tandiu se exerceant, quandiu in fundo suo vitiosam illam ad placendum hominibus propensionem repererint. In his nimirum si se exercuerint, ad veram pertingent pacem & dilectionem, & gratiam ac aptitudinem conuersandi cum illis, quibus cum viuere habent, obtinebunt, quam alioqui nunquam consequentur. Confiteantur licet quotidie tribus horis, nihil eis proderit: manebunt æquè inquieti, amari, tristes, & odio pleni erga proximos suos. Imò quanto plus confitentur, tanto maiorem odij, iræ, inuidiæ, tristitiæ, & animi rancoris, tam erga seipsos quàm alios, fomitem eis diabolus subministrat. Quæ enim ante decem, viginti, triginta annos dicta factáve sunt, interdum eis ad memoriam reducit, multoq́ue amplius per horum rememorationem eos subuertit atque seducit, quàm olim ipsis actibus facere potuit. Hæc verò tamdiu sustinere coguntur, quamdiu suam nôlunt agnoscere infirmitatem, sed de suis externis gestibus moribusq́ue, hominum laudes affectant. Sed consuetudo eis est dicere, debere se omnibus bonum præbere exemplum, nulli

præsta-

Nota.

Thre. 3.

Qui pacis amantes, eam minime assequātur.

præstare scandalum vel offendiculum. Quibus ego: Si vultis, inquam, eis, quibus cum viuitis, bonum præbere exemplum, nulli scandalum, tales velitis haberi quales estis, quantumque expedit, vos reddite manifestos, sitisq; modesti, patientes, compositi, & amicabili ex amore ab omnibus contemni, despici, reijci desideretis: atque ita melius quandoque habebitis. Heu, dilectissimi, istiusmodi homines in suæ conuersionis exordio negliguntur, dum non satis per irrisiones & aduersa multa exercitantur, sed nonnunquam etiam aduertere eis datur, placere hominibus quæcunque agant vel qualescunque appareant: vnde adeo plerunque indurantur & animo fiunt ita obstinato, vt postea nec velint, nec possint facere, nisi vnde laudem & opinionem expectent: nec quicquam ab eis, nisi rogando & blandiendo, potest obtineri. Heu heu quàm malè isti neglecti sunt, quàm negligenter instituti. Videre id, miseria est. Hi namque de illorum numero sunt, de quibus Dominus ait: *Receperunt mercedem suam.* Istos qui laudant, coram Deo latrones censentur: quandoquidem fallunt & seducunt simplices istos, satis alioqui aptos atq; propensos ad diuinum duntaxat in omnibus quærendum honorem, vt ad obstinatam quandam humanæ laudis appetitionem, propriam complacentiam, propriam existimationem, quæ semper ipsi animæ mortem inferūt, ipsamq; à vita beata & omnium Sanctorum consortio excludunt, repellunt, excommunicantque, miserabiliter deuoluantur. Quod ideo seductores isti faciunt, vt huiusce modi simplices homines per laudes vanas ad suam possint inflectere voluntatem, quo tanto studiosius rebus se temporalibus immisceant occupentque, priuati alicuius commodi sui contemplatione, quod hinc sperant, sibiq; promittunt. Heu, charissimi, temporalium rerum appetitio veram ab æternis rebus parit auersionem: sicq; deinde fit, vt vtraque simul & temporalia & æterna perdamus. Quòd si ea primùm quæreremus, quæ ad æterna nos proueherent, nostramq; salutem & beatitudinem promouerent, haud dubiè temporalia nobis omnipotens Deus non modò non subtraheret, sed etiam adijceret & cumularet. At nunc pro paruo quodam commodo perdimus seducimusque simplices homines ad pestifera humanæ laudis desideria, propriamque complacentiam, quæ pessimum superbiæ fundum est, cui Deus perpetuò aduersatur, nec vnquam eo infectos recipit in gratiam, sed à malignis spiritibus ad omnem sinit malitiam impelli. Vix enim aliquod tam inhumanum & abominabile scelus est, quo non impugnentur, quod totum ex hac diabolica propriæ superbæ complacentiæ radice procedit. Quæ, quia in principio illi non restiterunt, à teneris annis adeò profundas in ipsis radices diffudit, vt ad prouectiorem perducti ætatem, satis superq; negotij habeant, vt hoc possint vitium extirpare. Vnde diligenter satis in principio eiusmodi simplices ac incipientes homines & probandi forent & instituendi, vt pro nulla laude aliquid agerent, sed omnia pro solius Dei honore, qui nostra laude non indiget, sed pro nostra recuperanda salute, ad mortem vsque humiliauit semetipsum. Sic & vires corporis, scientiam, intellectum, seu rationem, pluraq; alia dona nobis contulit, vt per hæc mereamur ac operemur salutem nostram. Præstaret sanè, dilectissimi, istos benignè reprehendere, & in conspectu eorum aut parui eos, aut nihili pendere, in abiectaq; humiliatione sedulò exercere: ita sperari posset, in homines quandoque sanctissimos eos abituros. Laudibus verò, quas prædiximus, destruuntur ita, vt posteaquam grandioris fiunt ætatis, si tum

Irrisiones & aduersa quibus vtilia.

Matt. 6

Temporalia qui nobis facile adijcerentur.

Laudes quibus perniciosæ.

eos bene instituere velimus, adeo in hoc pestifero ac inordinato sint fundo obstinati, vt nullam possint informationem in bonam partem accipere. Si quis eos non laudat, odio se prosequi dicunt: atque ita sæpius turbantur, & animo fiunt amaro & aspero in superiores & Confessores suos, & perpetua quadam tristitia, rancore ac sinistris falsisque suspicionibus occupantur, se nihili pendi, se negligi credentes, sæpiusque graui cum exprobratione magna sua proferunt opera & labores, quos fecerunt, itemque studium ac diligentiam suam, aliaque similia multa, vt quantum profuerint, quàm vtiles fuerint, eaque ad alios referunt, & queritantur simul ac murmurant, se nullo in pretio haberi, se floccipendi. Ad hanc, inquam, charissimi, miseriam simplicis isti laudibus & adulationibus perducuntur, vt in magno salutis suæ discrimine viuant. Quisquis enim in hoc seculo cōcordi, amicabili, fraternæ erga proximos suos dilectioni, & erga superiores veræ obedientiæ ac resignationi se tradere & applicare non potest, in magno profectò æternæ salutis suæ periculo positus est. Qui enim ab his alienus, extraneus & expers est, illi nihil prosunt ieiunia, vigiliæ, labores, cantare, legere, genu flectere, inclinare, corpus castigare, & alia quælibet, quātumuis alioqui magna videantur. Per cuncta verò hæc foris relucentia opera exercitiaque, ante omnia veram humilis resignationis & dilectionis virtutem studere deberent adipisci, nec non & intentionis rectitudinem, vt pro solo Dei & proximi amore ea facerent. Cæterùm vbi quis in se non fallaciter deprehendit sublimem statum & grande nomen se nihilipendere, & semper cupere occultum & incognitum manere, omnem quoque se desiderare humiliationem ac simplicitatem, despici quoque & abijci inter homines, per illius nomen magna citra dubium Deus operaturus est. Cumque nullum venatur honorem, nec sublimem statum aut nomen appetit, & si nemo illi honorem exhibeat, id non accipit grauatè, sed semper infimus esse cupit, si id se deceret, iam grandis existimatio & celebre nomen illius inter homines nullum ei adfert detrimentum, sed in hoc potius vincere se habet, vt patienter audiat nomen suum celebrari, quo proximos suos lucrari queat. Enimuerò & hic gradus quidam internæ mortificationis est, vt in hac parte ferat æquanimiter, & propriam hîc abneget & resignet voluntatem. Et haud dubiè multo se maiorem inueniet in Deo, qui & singulariter diuino suo eum lumine transradiabit, illuminabitque. Ibi iam reperiet, quam nihil intelligēs seu rudis sit omniū illorum intellectus, qui hoc prius itinere non ambulârunt. Vt autem magnum quiddā est, non abnuere hîc honorem impensum, ita & periculosum valde est, si de suo nomine sibi cōplacere incipiat, in ipsoque delectetur. Cōsultissimum igitur fuerit, quādiu fieri poterit, omnem fugere honorē & dignitatē vitæ huius. Quē enim eò Deus perducturus est, varias easdemque incognitas & tenebrosas vias ingredi habet, vbi iam nudæ dūtaxat spei ac firmæ fidei innititur, dicens Domino: Tibi Deus æterne seruire statui: ideoque spero nihil habere fraudis vel deceptionis, quod ista mihi tam varijs ac miris modis eueniunt, in quibus, vt potero, etiam patiens perseuerare conabor. Interdum etiā spe, fide, & charitate sensibili destituitur, & sola iam intentio vtcunque eum sustentat. Nōnunquam in duabus inferiorib' sui partibus, vtpote in natura & ratione intellectuali, nihil sentit dilectionis, quæ tūc in illis partib' maximè latet occulta. Attamē quādiu aliqd habet erga Deū fidelitatis in sua derelictione, aduersus sensualitatē & rationē interiorē, in eademque sua derelictione quieto & resignato est animo, nec in desperationem,

Per quem Deus præcipue magna operetur.

Honorem aut dignitatē appetere, quale.

tionem, quam vitia vel sensus suggerunt, labitur, vt à molestia vel afflictione sua se excutiat, tamdiu adhuc bene se res habet. Sin verò in rebus sensibilibus delectationem quærat, aut ad externa se negotia & occupationes conuertat, etiamsi bonæ illæ sint ac spirituales, vt per hoc pressuram, quam sentit, euadat, charitatē haud dubiè discindit dilaceratque, atque ita de die in diem magis ac magis ab amore defluit deficitquè, licet id ipse ignoret. Porrò si fixus & immobilis perseueret, Deoq; in obscura ac tenebrosa sua derelictione fidelis permanere statuat, in supremo charitatis gradu, licet occultè, positus est, quanquam id ipse nesciat. Quumq; omnia prædicta finem habent, & ad extremum vsque ea sustinuit, iam fundum illius ab omni expurgatum est proprietate, & tunc magnos deinde etiam apud alios fructus facit, inuenitq; Deum in se suauiter quiescentem, & se in Deo in omnibus: quod experiri satius foret, quàm inde fari. Et quisquis id expertus non est, neque gustauit, nunquam rectè intelligere potest, quid sit Deum in veritate habere: qui nobis præstare dignetur, vt quomodo dictum est, non nostrum, sed suum duntaxat nomen exaltemus ac honoremus, nosipsos verò, vt oportet, vera cum resignatione humiliemus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

DE VNO CONFESSORE, NON Pontifice.

Vt nemo solis externis operibus, institutis ac gestibus seu moribus suis confidere debeat, cùm præterea necesse sit ante omnia, interius cordis fundum agnoscere, & vitiosas propensiones ad defectus mortificare.

SERMO VNICVS.

Lucerna corporis tui, est oculus tuus. LVC. XI.



MEMORIAM hodie celebramus, dilectissimi, sancti N. famuli Dei, qui Christiana vita sua laudem & dignitatem Christi Iesu, Dei ac Domini nostri, confessus est, demonstrauit, & longè lateque dilatauit, non modo per externa virtuosæ conuersationis ac vitæ suæ exempla optima, sed per hoc etiam, quòd intus cor, sensus & animus illius, in vera resignatione & puro mortificatæ sensualitatis fundo posita fuêre, cum fixa Deo studiosè famulandi, eiq; soli placendi, voluntate. Quæ nimirum verè spiritualis sanctaq; vita dicitur. Cæterùm aduertendum vobis est, charissimi, multos hodie esse, qui Religiosi vocentur, & religiosum circumferant habitum, qui inordinatè ac indiscretè magna quædam adsumant exercitia, per quæ alios se fieri posse sperant ex gratia, quàm sint ex natura: verbi gratia, ieiunia, vigilias, orationes, crebras confessiones, frequenter venerabile altaris percipere Sacramentum, dignissimam Christi vitam meditari, opera misericordiæ exercere, multas promereri indulgentias, & id genus alia facere multa, quæ quidem in seipsis bona & laudabilia sunt: at per ea nihilo fiunt meliores, sed suas duntaxat vires absumunt absque Dei laude, & suarum vtilitate animarum, immò etiam in salutis suæ discrimen veniunt, propter falsam vitiosamq; intentionem suam. Nimirum enim sese extrouertunt, nec cognoscunt semetipsos: vnde fit, vt vnde proficere deberent, inde potius deficiant, & reddantur deteriores. Existimant enim *se aliquid esse*, *quum nihil sint*:

Quales plerique hodie Religiosi.

multumque incircumspectè, & incautè Deo seruiunt. Putant namque Deum se quærere, sed secus se res habet. Cùm igitur semper pro suo appetitu cum propria quæsitione coniuncto, & sensualitatis sibijpsi placentis imaginatione viuant, ex cunctis operibus suis fieri nequeunt meliores. Imò quanto fiunt seniores, & tales diutius perseuerant, tanto & impatientiores redduntur, minusque se custodiunt à peccatis & defectibus, in verbis & actibus, etiam qui multum sibi placent, & grande aliquid se esse arbitrantur. Quod inde nimirum accidit, quòd Deo ex naturali quadam delectatione & inordinato affectu seruiant. Verbi gratia, quando voluptas quædam vel affectus bona opera peragendi eos inuadit, etiam supra vires, id est, plus quàm tandem ferre queant, sæpius bonis actibus insistunt: & nunc hoc, nunc illud eis placet: iam hoc impedire, aliud sibi prodesse videtur: sicque incautè de vno exercitio se ad aliud tranferunt, putantes omnia sibi intus prodesse, quæque eis pro sensualitatis affectibus facere libet, ea & impendio eis placent. Quæ verò intus non delectant, ea nec expedire sibi arbitrantur. Ideoque instabiles sunt, & nulla eis diu placent exercitia: quantoque amplius sic pergunt, verum tamen fundum nequeunt adipisci. Quicquid enim tam inordinatè assumitur, quantumlibet bona sit propensio ad illud, fallit hominem, licet isti persuasum sibi habeant, solùm Deum se intendere & velle. Et quis est, obsecro, qui diabolo velit famulari? Nemo vtique, nemo. Non est mentis nostræ, vt eum velimus habere dominum, & tamen eius facimus voluntatem. Quandiu enim externis tantùm operibus, absque pura Dei intentione, Deo seruimus, necdum Deo in veritate vera cum deuotione seruire incepimus. Ipsum namque Christianæ perfectæque vitæ fundum, non in externis duntaxat exercitijs, licet hæc aliquod ad ipsam consequendam adferant adiumentum, sed multo magis in internis bonis operibus situm est, per quæ vitantur peccata, & virtutes oriuntur. Præterea inueniuntur in Monasterijs, qui Ordinis sui rigorem in externis corporalibus rebus teneant: reperiuntur & in seculo, qui corpus ieiunijs, vigilijs, & id genus alijs, pijs vtique & bonis exercitijs, affligant, qui eleemosynas faciant, & nullam penitus fundi sui interioris habeant curam, vt is à vitijs expurgetur: sed in omnibus his, magnis quidem, externis operibus æquè sint iracundi, inuidi, superbi, detractores, vanæ gloriæ & magni nominis atque similium cupidi: quæ nunc vitia nimium, proh dolor & inter religiosos & seculares abundant, per quæ diaboli irretiuntur funibus: & hi omnes desipiunt miserè, falluntque semetipsos. Credunt namque se ob sola externa opera iustificari & saluari posse, quod vtique fieri non potest: etiam cor exigit Deus. Istos nimirum haudquaquam absurde imaginibus forinsecus inauratis, intus verò vel lapideis vel ligneis compararimus: & Christus *dealbatis* eos mortuorum *sepulchris similes* esse dicit, *quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.* Ita, inquam, non sufficit ieiunare, vigilare, cæteraque spiritalia opera facere, nisi & mens à malitia expurgetur. Rarum, proh dolor, hodie est, vt quis bene viuat, cùm tamen id adeò impossibile non sit, si modicum saltem adhiberemus conatum. Verùm quod maximè conferret sanctitatem, id negligimus nec tale iudicamus: quæ verò minus conferunt, ex illis magnam speramus salutem consequi, & in eis laboramus ac desudamus plurimum, & multum diu quærimus Deum, & rarò, vti oportebat, ipsum reperimus. Hoc est, quod defectus seu verius indispositiones quasdam naturales, quæ intus nos molestant, abijcere

Qui diabolo etiam nolentibus seruiunt.

Quæ hodie vitia dominentur.

Matt. 23.

abijcere conamur, cum id per è impossibile sit. Quæ verò facile fieri possent, nec aliquem impedirent, ea nolumus, ea penitus non libent: at impossibilia quærimus, & ad ea inhiamus: vtq; vel amamus ea vel odimus, iuxta hoc etiam cum inordinato amore ac desiderio, maximè secundùm exterioris hominis motus, gerimus nos: & dicunt quidam ideo sic se habere, quòd nesciant quid faciendum, quidve dimittendum sibi sit. Sed hoc scirent, vtique & addiscerent, si, vt oportet, viam veritatis & iustitiæ tenerent. Nec ex sola ignorantia id accidit. Si enim ea potior causa esset, non eos reprehenderet conscientia ipsorum de negligentia, si id omne facerent quod intelligunt faciendum: quod siue parum, siue multum foret, nihil amplius exigeret ab eis Deus, nisi & plura daret intelligere. Aduertite, quæso, charissimi, quæ dicturus sum. Quisquis alius fieri cupit per gratiam, quàm est per naturam, huic summoperè studendum est, vt Deum ex fundo cordis sui quærat, amet, intendat, nihil verò prorsus semetipsum. Et hæc est iustitia, veraquè deuotio ad omnem pertinens Christianum. Et quid est vera deuotio? Sunt enim qui putent dulcem esse affectum. Quod licet interdum verum sit, sæpius tamen secus se habet, cùm non rarò talis dulcedo purè naturalis sit: ideoq; multi errant & decipiuntur. Vera autem deuotio, voluntatis est promptitudo ad ea, quæ diuini sunt cultus. Deinde & hoc ad vitam verè spiritualem pertinet, vt quis semel ad minus in die vel nocte intro in semetipsum se recipiat, diligenterq; cogitationes, verba, actus, & omnem denique vitam suam examinet & obseruet, vitiaquè sua & defectus agnoscere discat. Vix enim fieri potest, quin semper aliquid inueniatur, quale quale illud sit. Quòd si à vitijs & defectibus cupimus liberari & expediri, prius ea noscamus oportet: ac deinde talem cognitionem dolor & contritio sequitur de peccatis sic agnitis. Deinde summopere curandum est homini, vt à veteri sua vita expediatur, vitia in se mortificet, mandatis Dei strenuè viriliterq; adhæreat, quæ quidem mandata non eadem ratione Religiosis & secularibus idiotis data sunt, sed multo ad ea magis obligantur Religiosi, quam simplices laici homines. Sponte etiam sese per vitam actiuam sanctæ Ecclesiæ vniet, secundùm regulam & instituta Ordinis sui. Hæc ante omnia in cunctis exercitijs necessaria sunt, vtpote in ieiunijs, vigilijs, laboribus & hisce similibus, quæ omnia sunt velut baculus quidam, vel manuductio ad vitam spiritalem inchoãdam: sed in seipsis perfecta spiritalitas non sunt. Est enim complures inuenire, qui in his se exerceant, & nihilo secius omnibus maneant vitijs pleni, puta voluntate propria, inobedientia, superbia, iracũdia, & his similibus. Præstet nobis Dominus Deus, vt ea, qua dictum est, ratione omnes nos verę deuotioni tradamus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Vera deuotio quid. Quid maxime intersit hominis deuoti.

DE VIRGINIBVS.

Vt prudentes Virgines foris & intus ornare se debeant, quò ad æternas mereantur nuptias introduci. De vera quoque humilitate & amore, ad quæ non nisi per resignare, pati & diligere, peruenire licet.

SERMO VNICVS.

Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. MATT. XXV.

DOMI-



OMINVS noster Iesus Christus *regnum cælorum decem* comparat *virginibus* exornantibus, *lampades suas*, & exeuntibus *obuiam sponso & sponsæ*, ex quibus *quinq; prudentes, quinque* stultas fuisse dicit. Ipsæque multum inter se dissimiles fuêre: quandoquidem stultæ carni secundùm seculum & tentationes viuunt, prudentes verò omnia hæc deuitantes, secundùm spiritum viuere adnituntur. Prudentes, inquã in omnibus & foris & intus se refrænant & coercent, quod stultæ nihil pendunt. Cæterùm ad exterioris hominis moderationem vel regimen quinque pertinent, Virginibus obseruatu necessaria, si prudentes esse velint. Primum est, vt modum obseruent, & temperantiæ metas non excedant, in edendo ac bibendo, in vestibus, in vigilando, in ieiunando & in cæteris omnibus naturæ necessarijs, sed ea ita capiant, vt natura sustentetur, non autem ad vitia & peccata nutriatur corroboreturq;. Secundum est, vt in omnibus simplicitatem sectentur, vestes gerant simplices & asperas, in eundo & stando simplices sint, graues quoque seu maturos & simplices gestus siue mores præ se ferant, & in omnibus denique anxij sint. Tertium est, vt omnem fugiant vanam societatem, maximè eorum omnium, qui verbis futilibus & inanibus abundant: & in rebus suis soliciti sint. Quartum est, vt manibus suis victum sibi parent, nunquam vacent otio, etiamsi diuites sint: quando otium omnis impuritatis ianua est. Quintum est, vt perpetuo quodam studio, labore, diligentia omnia sua membra ac sensus coerceant, contineant, & auertant ab omnibus, quæ fortè sibi occurrunt, tentationibus, ijsque viriliter ac seriò resistant, nec vnquam illis velint præbere consensum. Quò nihil æquè contulerit, quàm vt tentationes suas radicitus humiliterque sancto cuidam homini reuelent, & iuxta consilium illius corpus suum discretè ac rationabiliter castigent, & deuotis vacent precibus ad Deum. Sanè quæcunque ita se secundum exteriorem hominem non gerunt, coram Deo fatuæ virgines censentur. Deinde & hoc ad prudentes spectat virgines, vt & secundum interiorem sese ornent hominem, cuius ornatus fundamentum, cordis humilitas est. Eruntq; sorores Dei, per hoc videlicet, vt faciant voluntatem eius: nec iudicabunt eas quæ malè viuunt in matrimonio. Nulli præterquam soli Deo in spiritalibus virtutibus suis placere velle debebunt: alioqui Pharisæis similes forant. Virginitas quidem præcepta non est, humilitas omnino præcepta est. Vnde superba virgo plus quàm centuplo peior & putentior est coram Deo, quã vxor humilis. Neminem præterea odio habebunt, sed amore prosequentur omnes: nec magnificè de se sentient, sed semper in metu & tremore erunt. Vbi enim peccata crescere & placare incipiunt, tepescit amor, tepescunt & reliquæ virtutes omnes. Quæ verè virgines sunt, solæ *Agnum sequuntur quocunque ierit*, si castitate simul & humilitate vera præditæ sint. Si enim superbia vel alijs grauibus pecaatis infectæ sint, probi seculares in matrimonio positi, longè illas præcedunt, multoq; sunt eis superiores. Trahit autem virginitas originem ex ipso Deo, à quo eam didicerunt Angeli: quandoquidem in cælestibus reperta est, & ibi perpetuò perseuerabit post extremi iudicij diem, vbi corpora resurrexerint à mortuis: neque enim ibi nuptiæ celebrabuntur: sed *erunt omnes sicut Angeli Dei*, & nuptias ibi perennes celebrabunt virgines cum Deo. Ab omnibus nanque hominibus absolutæ, soli Deo coniunctæ & copulatę sunt, & æternos proferunt fructus. Multam quoque in dæmones habent potestatem: solæque cantant

Marginalia: Virginibus seruatu necessaria 5. — I. — II. — III. — IV. — V. — Humilitas quãto præstet virginitati. — Apoc. 14. — Nota. virginitatis origo. — Matt. 22.

canti-

canticum nouum, quod nemo alius cantare potest. Denique in his delicatis filiabus Deus posuit thronum suum, *deliciaeq́;* illius *sunt esse cum* eis, si tamen secundùm intimum suum hominem viuant in humilitate, pietate, resignatione, & corde ad Dei amorem inclinato atque submisso. Ad Dei nanque amorem nemo, nisi per humilitatem, peruenire potest, quæ quidem humilitas donum Dei est, cuncta præcellens temporalia dona. Ipsa nanque cor hominis in vera constituit pace: nec aliquis pacis expers est, vel defectuosus, nisi qui humilitate caret. Si quis enim verè humilis esset, nullum vnquam peccatum admitteret. Ideoque beatissima semper Virgo Maria peccatum nullum committere potuit, quòd verè humilis esset. Et vbi veram Deus humilitatem reperit, ibi mira & magna operatur. Denique Diuus Augustinus ait, eum esse sanctissimum, qui humilimus sit. Signa porrò verè humilis hominis ista sunt, quòd semper primùm respicit semetipsum, & omnibus se donis indignum iudicat. Imò indignum se sentit, de quo Deus cogitet, vel qui homo ab illo credatur, qui pascatur & sustentetur à Deo sine intermissione: at nihilo minus pro cunctis his beneficijs multa cum humilitate sine cessatione Deo gratias agit. Adhæc, de nulla se re, qualis qualis ea sit, extollit, iactat, prædicat, laudat, sed Deo se potius debitorem fatetur pro omnibus donis illius: eundemq́; finem habet & scopum vltimum in omnibus. Decet enim, vt virgo prudens non sibi duos statuat fines & intentiones in rebus suis: vt quòd Deum intendat & etiam seipsam, aut aliquid temporale simul: sed si quid diligit cum Deo, adminiculo ei esse debet ad perueniendum ad Deum, ipsumq́; ad Dei gloriam referet ordinabitq́;, & habebit infra Deum. Tales nimirum dilectissimi, prudentes sunt virgines, non aliæ omninò. Magis enim Dominus diligendus est, quàm nũtij omnes, quos ille mittit, quos nos dona vocamus. Insuper virgo prudens quantislibet polleat donis, nõ pluris inde se facit, quàm erat cum necdum nata esset. Et quæcunqúe huic Deus dona largitur, cum ei pariter dat semetipsum: neque enim aliquod in ea patitur obstaculum vel impedimentum: ideoqùe operari in ea potest, quomodo sibi placet. Vnde & perfectissimam eam facit. Neque enim præ bonitate sua continere se potest Deus, quin id faciat, vbi nos fideles reperit, locumq́; illi prębemus, & patimur ac sequimur ipsum, & absq́; omni amore priuato operamur cum ipso. Verus præterea humilis, loco illo, in quo est, & contubernio illorum, quibuscum viuit, indignum se iudicat: semperq́; locum nouissimum quærit, & vilissimam ex omnibus in necessarijs omnibus sibi petit portionem. Nulli suas quæritur afflictiones, sed nec apud Deum vlla in re vel qualibet afflictione, nisi multo cũ metu & tremore, puta dũ nimium crux eius inualescit, conqueri audet. Cuncta siquidem de manu Domini accipit: vnde nihil habet, quod de vlla creatura queratur, quãtalibet ipsum iniuria afficiat, nec alicui imputare nouit, si quid ei irrogetur: quãdoquidem cuncta, vt dixi, de manu iusti iudicis Dei accipit, certus quòd nihil Deus cuiquam euenire permittat, nisi quod optimum illi sit. Sic itaque virgines istæ, dilectissimi, absque tædio vitam agunt & moriuntur. Et istud compendiosius est iter, quo ad Deum perueniatur & prudentum virginum agmen. Qui verò talis non est, aut esse laborat, ad stultarum pertinet virginum turbas, licet id ipse ignoret. Quisquis enim veraciter vult esse in Deo, & in suis & in omnium hominum oculis stultus fiat oportet. Nam qui *seruare* cupit *animam suam*, hic eam perdere debebit per vanæ gloriæ repudiationem exibilationemq́;. Denique ad veram quicunq́;

Apoc. 14. Prou. 8.

Hominis verè humilis signa.

Ioan. 12.

Quæ tria ad humilitatem conducãt.

cunque humilitatem pertingere exoptat, tria illi obseruanda sunt, humilis videlicet resignatio, pati, & amare. Cæterùm qui resignationem voluerit addiscere, non modo grauia foris & intus peccata vitabit, sed etiam intus in rebus internis ac spiritalibus nullam cum proprietate quæret delectationem: sed omnia bona exercitia sua, verbi gratia, vigilare, ieiunare, precibus ac lectioni meditationiq; insistere, consolationes internas, dulcedinem, lumina interna, gustare, cognoscere, sitire & appetere mercedem, ad venerabile Sacramentum adspirare, iubilare, contemplari, & id genus alia semper relinquere, paratus esse debebit, quoties Deus voluerit: prorsusq; ue in animum inducet, nullum viliorem, ineptiorem, tepidiorem, neglectiorem, quàm sit ipse, hominem superesse ac nihilo minus sciens nihil negliget, nec otio vacabit in cunctis actibus suis. Hac ratione, charissimi, nihil fit seu annihilatur homo in semetipso: quandoquidem propria voluntas, priuatus amor, proprium sapere & videre, propria (id est, ex propria voluntate & sensu assumpta) instituta & omnis denique in bonis actibus sui complacentia, hic prorsus intereunt & amittuntur. Quantoq; ista sui annihilatio, seu in ima depressio, abyssalior est, tanto & verior in se est, adducitq; hominem ad ipsum Deum, quãdo Deus humilitatis abyssus est, ibiq; anima illius Deum profunda cum humilitate complectitur, & vnitur cum Deo. Sicq; totus transformatur in Deum, quasi iam alius homo effectus sit: quod vtiq; facit Spiritus sanctus, qui viuit in eo, ipsumq; gubernat & regit. Alterum, quod obseruandũ diximus,

II. pati est. Et hoc maximè est necessarium ad humilitatem, vt patienter ac trãquillo corde (vti melius possumus) feramus irrisionem omnem, grata & inuisa omnia, tam quæ contra nos, quàm quæ pro nobis sunt, prospera cuncta & aduersa, despectum omnem, vilipensionem, lucrum & dispendium, & eiusmodi alia queque: quoquo modo res fiant, siue foris, siue intus, aut à quocunq; nobis quælibet irrogentur, etiamsi interdum nobis videantur non esse ea optima, vel etiã mala pro iudicio nostro, aut certè à virtutibus & salute animæ nos præpedientia pro videre nostro. In his, inquam, & id genus alijs curandum nobis est vt ea omnia simpliciter ac libenti animo (vt melius possumus) feramus, Deoq; cõfidamus: & si necdum capere valemus, quare sic euenerint, feramus nihilo minus, certi quod magnos hoc humilitatis nobis proferet fructus. Propriũ nanq; sapere & videre nostrũ, hic exarescet, & cuncta nobis cedent in bonum, si tantũ patienter sustinuerimus. Et si interdum videatur nobis, damnũ nos hinc passuros, siue in temporalibus, siue spiritualibus rebus, quas propria ex volũtate & sensu assumpsimus, contemnendum id est, & pro certo habendũ, centuplo maiorem nos in Deo verisq; virtutibus per huiusmodi humilem patientemq; resignationem fructum facturos, quàm si propria instituta, Dei beneplacito neglecto, prosequeremur.

III. Tertium denique nobis obseruandum, amor est, qui & ipse impendio facit ad humilitatem. Neque enim vsquam tam excellenter amor exercetur, vt in resignando se patiendoq;. Nam tametsi verum sit, adeò nos in amore posse proficere in sublime, vt Deum per voluntatis vnionem amplexemur, nihilo secius tamen verum est, Deum totum cum vniuersa essentia sua in resignatum ac patientem hominem descendere. Ibi verò amplexatur eũ eiuscemodi amans anima, & ipse eam vicissim complectitur, totamq; in se absorbet. Sicq; ũ. amittit semetipsam, & reuertitur in originem suam vnde profluxit: adeoq; secura efficitur, quatenus in hac vita fieri potest, se post hanc vitam æternaliter Deo suo fruituram. Quod

certè

certè cuicunque veraciter obtingere debet, illi vera humilitas impendio necessaria est, vt & hîc Deum contemplari discat, quatenus fas est. Ad hanc porrò contemplationem tria necessaria sunt. Primum est, vt puram habeamus intentionem, vt videlicet nil nisi Deum desideremus, nihil diligamus nisi Deum, ipsique soli placere, ipsumq; solum amare studeamus. Qui tales sunt, illi Deum hîc verè contemplantur. Alterum est, vt Dei beneficia contemplemur, aduersa omnia humiliter sufferamus, Deo nos funditus ex amore resignemus, & quælibet demum ex Dei munere intelligamus, quamlibet etiam illa occulta & abdita sint, ex ipso cordis fundo nos humiliemus, nec quicquam omninò erigamur in sublime. Tertium est, vt in exercitijs spiritualibus strenui, serij, studiosi simus, cordaq; nostra ad Deum erigamus, per materiam quamcunque vel quamlibet speciem siue modum, quæ magis nobis sapiant, magis arrideant, & quam maximè nos trahant, siue sint ea de Christi humanitate, siue diuinitate eiusdem, siue de beatissima Trinitate, siue de vita & passione Saluatoris, vel Virginis gloriosæ, aut aliorum Sāctorum, cōtemplando videlicet, vnde omnia illi fecerint. Quodlibet nanque sacræ Scripturæ punctum, diuinum quendam sensum continet, qui deinde in affectum trahendus est. Sanè consequeretur quis à Deo quæcunque vellet, si his tribus præditus esset: puta, intentione vera, patientia, resignatione ex amore & humilitate ac strenuitate in exercitijs spiritualibus. Quò certè non parū conferunt natura bona, caput forte, & sensus apti atque subtiles. Quæ quisquis ex diuina gratia adeptus est, multum in vita spiritali proficere poterit. Denique virtutes omnes, cunctaq; virtuosa opera in his sex posita sunt: Primū est, humilitas vera. Secundum, pati æquanimiter: Tertium, resignatum esse in omnibus: Quartum vero amore præditum esse: Quintum, diuinam in cunctis habere intentionem: Sextum, strenuum ac serium esse in exercitijs spiritualibus. Præstet nobis Dominus Deus, vt omnes de prudentum Virginum numero simus, ad laudem & gloriam ipsius. Amen.

Quę tria cui contēplationi necessaria. I. II. III.

Quomodo quis omnia quę vellet à Deo obtineret. In quibus sex omnes positę sint virtutes.




IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

De renouatione exterioris interiorisq; hominis: Vtq; natura abnegare seipsam, & mori sibijpsi debeat, in omni vitiosa ad creaturas vel qualibet creata extra Deum adhæsione, & vti deinde Deus suum in homine locum sibi statuat, sumpta comparatione vel similitudine à triplici genere pennarum, super quas (teste Propheta) Dominus ambulat: & arbore sycomoro, quam omnes ascendere habent, qui Deum excellentissimo videre modo velint. Psal. 103. Luc. 19.

SERMO I.

In domo tua oportet me manere. LVCAE XIX.



FESTVM hodie Dedicationis templi huius agimus, dilectissimi. Itaque ritus omnes & exercitia externa sanctæ Ecclesiæ, quæ in huiuscemodi festis obseruat, omnia nos ad interiorem remittunt diriguntq; hominem, vbi vera semper dedicatio & innouatio vera perpetuò esse deberet: simulque inuitant nos & adhortantur ad veram nostri præparationē, vt Deus omnipotens perfectè in nobis cōuiuium seu nuptias celebrare queat. Iam quod ad vocabulum Dedicationis attinet, per ipsum nobis innouatio significatur. Hæc autem innouatio vbi fieri debet, natu-

ram semetipsam abnegare & deprimi prorsus oportet in omnibus viscosis affectionibus & adhesionibus suis ad quælibet creata extra Deum, vbicunque id notatur & deprehenditur, siue id amici sint, siue cognati: necnon & ea omnia prorsus abdicari necesse est, quæ extrinsecus naturæ immodicè placent, & in quibus ea delectationem capit in quibusuis sensibus ac viribus, & quibuslibet institutis & operibus suis. Huc porrò faciunt non minimum exercitia corporalia, vt sunt ieiunia & vigiliæ, si ea natura sufferre queat. Certè non aduertitis neque probatis, charissimi, quam occultè, quàm latenter natura quod suum est quærat, sæpiusq; suam capiat delectationem & voluptatem, vbi nos necessaria sumere credimus. Itaque id agendum est, vt homo noster rationalis studiosè bestialem hominem contineat in officio, ipsiq; in omnibus dominetur, moderetur que. Idqúe multo cum studio comparandum est. Et in principio quidem valde molestum est & dolet plurimum, moris cunctis oblectationibus inordinatis in cibo & potu, in videndo, audiendo, stando, eundo, in verbis & operibus. Verùm si inimicæ hæ, fœtidæq; ac bestiales voluptates delectationesq;, quatenus inordinatæ sunt, in nobis mortificatę forent, optimus profectò *Christi odor* efficeremur, quomodo Apostolus inquit: *Bonus odor Christi sumus*. Vbi enim hęc naturæ impedimenta abiecta & eliminata sunt in homine, fit illi quod in Psalmo quodam legitur: *Qui ponis nubem ascensum tuum qui ambulas super pennas ventorum.* Hoc est, posteaquam terrenas in se affectiones seu propensiones homo mortificauit, locum suum Deus in ipso constituit. Triplex verò genus quoddam pennarum in Scripturis reperimus, super quas Deus ambulat. Primæ sunt columbæ. Secundæ aquilæ, Tertiæ ventorum. Pennæ columbæ, homines puros significant, sancta simplicitate præditos, absque felle temerariorum iudiciorum, prauarum suspicionum, & in peius interpretationum omniũ quæ in alijs sunt: mites quoque & modestos, quietos ac patiens, mansuetissimam Domini nostri Iesu Christi vitam & conuersationem imitantes. Super horum pennas, cunctosqúe ascensus eorum, id est, super intentionem, amorem, desiderium ipsorum ambulat Deus. Secundò ambulat idem super aquilæ pennas. Aquila, quod notum est omnibus, in tam sublime fertur, vt videri nequeat. Itaque hominem designat, qui cum vniuersis viribus suis intus in sublime euolat, quiq; & interiorem & exteriorem hominem suum pro viribus intendit siue extendit, sursumq; ad superiora contendit per cognitionem & amorem siue cognoscens & amens, vt nulla eum vis sensibilis consequi possit. Et super horum pennas similiter ambulat Deus. Tertiò & super ventorum pennas ambulat. Ventus celer, velox, & subtilis est, ita vt sciri non possit, *vnde veniat, aut quò vadat*. Per hos igitur ventos homo intimus, occultus, supremus, deiformis, Dei imagine insignitus, accipitur: qui omnem omnino excedit intellectum, & quocunque ratio sua operatione pertingere potest: & omnes quoque superat sensus: reuolatque in originem suam, & in esse suum non creatum, siue ideam: ibiqúe lumen efficitur in lumine, in quo lumine restinguuntur modo quodam, & velut tenebræ fiunt cuncta naturalia & infusa lumina, quæ infra hoc lumen vnquam emicuerunt, haud secus quàm ad splendorem Solis lucidi, omne stellarum lumen obtenebratur. Et quomodo stellarum splendorem, qui vix vnquam tantus fuit, quantus hac nocte elapsa, ingens Solis lumen obcæcauit: ita & hoc lumen, quod in isto fundo lucet, cuncta naturalia, quæ vnquã apparu-

[Marginal notes: 2. Cor. 2. — Psal. 103. — Triplex pennarũ genus. — Pennæ columbæ. — II. Aquila. — III. Ioan. 3.]

apparuêre, obſcurat lumina: adeoq; in eodem fundo ſplendor illius inualeſcit, vt adeò ſpiritum excedat ſuperetque, vt in comparatione illius, ſpiritus tenebræ videatur, ob luminis illius immenſitatem & excellentiam, cùm id & ipſi & creaturis omnibus incomprehenſibile ſit. Ita enim creaturarum omnium intellectus ad hoc ſeſe lumen habent, vt hirundinis oculi ad lucidiſſimum Solem: & quomodo ſi quis infirma acie in Solis axem intendere velit, Sol ipſe tenebræ oculis eius videtur, tum ob luminis fulgorem nimium, tum ob imbecillitatem adſpectûs. Hinc gentilis quidam rex ait, Deum tenebras eſſe poſt omne lumen, ipſumq; mentis ignorantia cognoſci. Hoc verò nobis, qui Chriſtiani dicimur, non parum dedecori & probro eſt, potuiſſe hoc gentilem, & inſuper regem, intelligere: cùm nos tam nihil inde ſciamus. Heu quid agimus miſeri? quæ ſtudia, quæ occupationes noſtræ ſunt? Cæterùm vti in hoc Dedicationis feſto de Zachæo legimus, magnopere eum deſideràſſe videre Dominum, ſed non potuiſſe, quòd *ſtatura puſillus* eſſet, ideoque *arborem ſycomorum* aſcendiſſet: ita nimirum & homo iſte intimus videre appetit eum, qui hæc in ipſo mira tempeſtatesq; excitauit: ſed ad hoc ſtatura breuior eſt & minor. Quid ergo faciet? Nimirum *arborem* aſcendet *ſycomorum*, hoc eſt, omnia ea faciet, quæ iam ante diximus, puta, ſenſus naturamq; mortificabit, & homini interiori viuet, ſuper quẽ, vt audiſtis, Deus ambulat. Hoc verò maxima eſt ſtultitia apud ſeculi huius ſapientes, quam vnquam audierint: immò inſania quædam eis videtur, & mera quædam fatuitas: idque illis etiam, qui fortè tot libris, quot centum marcis vix comparentur, abundant, eorumq; lectioni ſtudioſiſſimè vacant: qui vtique meram id ſtultitiam ducunt. At certum habetote, chariſſimi, hanc eſſe ſtultitiam, quam Deus elegit. Audi ipſum Dominum dicentem: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terra, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelâſti ea paruulis.* Fuit hinc reuelatum quiddam admirabili virgini S. Hildegardi ſub iucundiſſimis quibuſdam ſpeciebus, quæ in eiuſdem ſanctæ virginis libro & in Monialium noſtrarum refectorio depictæ cernuntur, in hunc modum: Duæ quædam imagunculæ ſunt: Harum altera cærulei coloris veſtimento obuoluta eſt, & nullos in ſe oculos habet: ſed veſtis eius vndique plena eſt oculis, ſignificatque ſanctum Dei timorem, non quomodo vos timorem dicere conſueuiſtis, ſed timorem illum, qui hominem facit ſolicitè ac ſtudioſè obſeruare ſeipſum in locis, inſtitutis ſiue modis, verbis & operibus cunctis: qui idcirco faciem & oculos non habet, quòd obliuiſcatur ſuijpſius, pro eodem ducens, ſiue ametur, ſiue odio habeatur, laudetur an vituperetur: & abſque manibus, quòd nihil omnino ſibi aſſumat arrogetque, ſed in omnibus ſemper ex animo ſe reſignet & omnia. Iuxta hanc altera poſita eſt imaguncula, veſte pallida operta, manibus surſum erectis, & ambæ nudis ſtant pedibus: iſtaq; poſterior caput non habet. Nam deſuper diuinitas poſita eſt ſub auri puriſſimi ſpecie, quæ faciem omnino non habet, ſed purum dũtaxat aurum eſt, & incognitam ſignat diuinitatem, ipſumq; aurum in hanc deorſum manat imaginem, capitis in ea locum occupans, ſicque diuinitas caput illius eſt. Imago quidem hæc, veram nudamq; ſpiritûs paupertatem ſignificat, cuius caput propriè Deus eſt. Pallida verò veſtis illius, conuerſationis deſignat ſimplicitatẽ, quodq; nihil ſibi arroget vel vſurpet, & expeditã puriſſimamq; reſignationem. Quod autem vtraq; nudis ſtat pedibus, nudam exprimit veriſſimæ Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti vitæ & conuerſationis imitationem.

Lucæ 19.

Matt. 11. Luc. 10.

Viſio quædam S. Hildegardis.

Imaguncularum duarum ſignificatio.

tionem. Porrò cærulea vestis imagunculæ prioris immutabilitatem significat, hanc videlicet, vt non hodie te exerceas, & cras intermittas, sed continuè ac immutabiliter ad finem vsque perseueres. Denique manus erectæ id notant, vt ad omnem simus Dei voluntatem, siue agendum siue patiendum sit, prompti atque parati. Ista planè, dilectissimi, arbor illa sycomorus est, quã omnes illos ascendere oportet, qui Deum & in præsenti & in futura vita modo excellentissimo visuri sunt. Sed iam in arbore posito Zachæo, videamus quid Dominus dixerit: *Zachae*, inquit, *festinans descende*. Ita prorsus descendas hinc oportet, id est, ex omnibus his nec pilum tibi reserues, sed descendas in merissimum nihil tuum, nil posse, nil valere tuum. *Quia*, inquit, *hodie in domo tua oportet me manere*. Id enim necessarium est mihi. Iam si fortasse ascendit quis in arborem, & quandam veritatis percepit irradiationem, eamq; non possedit, nec propriè tamen percepit, id ideò factum est, quòd adhuc quãdam naturalem habeat ad eiusmodi affectionem seu adhęsionẽ, & natura ac gratia simul adhuc in ipso operentur, & necdum veram resignationem adeptus sit. Quicquid verò natura operatur, semper quandam maculam habet, nec perfectè purum est. Huic igitur dicit Deus vt descendat, id est, perfectè abneget, exeat, mortificet naturam in modis omnibus, in quibus aliquid habet proprietatis. *Quia*, inquit, *hodie in domo tua oportet me manere*. Hoc est hodie sempiternum. Sic & postea dicit: *Hodie domui huic salus facta est*, quam nobis omnibus præstet benignitas & clementia Conditoris nostri, qui est in secula benedictus. Amen.


Luc. 19.

IN EODEM FESTO.

Vt interiora hominis munda valeant domus orationis fieri. De negotiatoribus, id est prauis incidentibus cogitationibus, quæ in hoc templo negotiantur, & bonus ingentem adferunt fructum. Quid oratio & deuotio sit. De tribus denique, per quæ ad internum perueniatur regnum, quæ sunt, vera fides, rationalis Dei cognitio, & oratio deuota.

SERMO II.

Domus mea, domus orationis vocabitur. MATTH. XXI.



IN Euangelio illo, dilectissimi, vnde hæc, quæ iamiam audistis, verba desumpta sunt, ipse nos Dominus ac Redemptor noster instituit, edocuitq;, quid factu opus sit, vt eò pertingamus, quò interiora nostra domus orationis fiant. *Templum* enim *Dei sanctum est*, ait Apostolus, *quod estis vos*. Nimirum *ementes & vendentes* primùm ex hoc templo expellendi sunt, id est, imagines, phantasiæ, & delectationes omnes creaturarum, propriaq; voluntas: necnon & lachrymis abluendum est, vt mundum sit. Sanè quæcunque sunt templa, siue istud, in quo nos sumus, siue quæ Romæ sunt, siue alio quouis loco, non ideo sancta sunt, quòd domus sint, sed ob inhabitantem in eis Deum. Sic anima templum est gratissimum & amabilissimum Dei, in quo in veritate idem ipse moratur, cùm omnis inde difformitas expulsa & eliminata est. Nam quæ illic Dei habitatio esse queat, vbi prinsquam vna de Deo, quadraginta de alijs friuolis rebus cogitationes habentur? Itaque & hoc diligenter expositum est, qui *ementes vel vendentes*

1. Cor. 3. Ementes ac vendentes.

Anima quale sit Dei templum.

dentes fuerint, quæque eorum negotiatio, ea videlicet, quòd in propria voluntate sua, & voluptatibus ac oblectamentis creaturarum vixerint. Atqui extra omnem id controuersiam est, quisquis Deum intra se habitare & operari voluerit, cuncta rũ necessariò extra se media omnemq; difformitatem, id est, amorem omnem & delectationem mortalium creaturarum, quarum Deus ipsissima causa non est, expellere debere. Iam si quis diceret, decem media minus quàm vnum nocere, vt verbi gratia, decem hominum familiaritatem, amorem, amicitiam minus adferre damni, quàm vnius, stultus ille censeretur, & quiuis etiam puer facile aduerteret, non rectè illum sentire, faciliusq; vnum vinci & expelli, quàm decem. Attamen sciendum est, charissimi, decem vitia, quæ quis credit & certò cognoscit esse vitia, non perinde periculosa perniciosaq; esse, vt vnũ, quod quis cognosceret recusat aut habere pro vitio, & in eo semper pertinaciter & obstinato animo perseuerat. Enimuerò humiliter nos occulta nostra peccata timere oportet. Vnde cùm se quis diuinæ misericordiæ humiliter prosternit, vitiosumq; agnoscit & confitetur, facile illi remedium præstari potest. Si verò pertinax sit, semperq; se excusare velit, nunquam illi medicina adhiberi poterit, sicut nec illis facile succurri potest, quibus omnia sua recta iustaq; videntur. Quamobrem cauete hæc, quæso, charissimi, haud secus, quàm infernum ipsum seu mortem nunquam finiendam. Quòd si quis sanctissimum totius orbis hominem sciscitaretur, tantúmne plorauerit, quantum plorare debuisset: responderet haud dubiè minimè se id fecisse, sed necdum millesimam se, quàm debuisset, fudisse lacrymam: iam verò se primùm incipere. Si ergo sic sanctissimi quique sentiunt, vobisipsis quæso cauete charissimi. Cæterùm quærat hîc forsasse aliquis, quandoquidẽ ita de se semper sentiunt boni, quasi nunc primum plorare incipere debeant, vtrum semper plorandum sit. Cui respondemus, flendum esse, & non flendum. Nec quisquam in animum suum inducere debet, aliquid se, quamlibet minimum, superâsse vel excessisse. Deinde verò vbi sic templum animæ mundatum est, negotiatoresq; inde profligati, id est, vbi omnes creaturarum imagines & oblectamenta eliminata sunt, ita vt plena voluntate, plenoq; cum consensu seu permissu ea minimè rursum intro recipias retineasque, tum si nihilo minus hi peruersi negotiatores rursum suis cum mercibus irrumpant, euestigio abscedere coguntur: & licet fortasse aliquam ibi præter voluntatem tuam permissumq; tuum moram faciant, nil tibi nocent: sed quantumlibet diu sic ibi hæreant, per idem ostium, quo ingressi sunt, rursus exire compelluntur: & quod plus est, si quæ mala, si quem fimum ibi reperiant, qui etiam vel viginti illic annis hæserit, vnà secum absportare templumque tuum mundare coguntur, si tantùm, vt dixi, absq; tuo consensu & permissu ibi moram faciant. Siue enim id sit, verbi gratia, superbia, siue auaritia, siue luxuria, siue alia quæuis, quandiu contra voluntatem tuam sunt, non modò non maculant, sed etiam mundant te purificantque. *Scimus enim*, ait Apostolus, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Deinde Dominus inquit: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ad orationem deuotio requiritur. Et quid est deuotio? Deuotio est, quasi vouere se Deo, & intus obligare cum intentione vel affectu æternitatis. Dum ergo sic te Deo deuoues & obligas, deuotionem habes, vbicunque etiam sis, aut quæcunque bona opera agas, cuiuscunque illa generis sint. Neque necessarium est ad deuotionem, vt semper iubiles, aut magnam dulcedinem experiaris.

An semper lugendum.

Rom. 8.

Deuotio quid.

Deuotionis substantia vbi sita. riaris. Sunt ea quidem accidentia quædam. Sed substantia vel essentia deuotionis in hac interna sui oblatione, vel vnitione, vel obligatione cum Deo, sita est. Hæc deuotio multæ virtutis & efficaciæ est: per ipsamq; arietes ad murum applicantur: iamq; in proximo est, vt homini pateat ingressus in *regnum Dei*, quod *intra nos est*: è vicino muri collabentur. Apud Diuum Hilarium tria leguntur, per quæ compendio ad hoc regnum peruenitur. Primum est, fides vera: Secundum, intellectualis seu rationalis Dei cognitio: Tertium, oratio. Et quid est fides? Sanè non omnes Christiani fideles sunt. Imò vt in cœmeterio multi mortui iacent, ita intra sanctam Ecclesiam perplures sunt, qui viuere videntur, & reuera mortui sunt. Quid ergo est, inquam, viua fides? Non aliud prorsus, quàm viuus quidam fauor ex interioribus procedens, erga Deum & quæcunque diuina sunt. Videat interim aliquis vel audiat quælibet ad fidem pertinentia, vt vel de diuinitate, vel humanitate Christi, vel supergloriosissima venerandaq; Trinitate, vel alijs quibuscunque, si viuam intra se fidem habet, hæc eadem multo ei melius ostendit esse Deum, eundemq; longè sibi lucidius apertiusq; inesse per illam intelligit, quam omnes illi Theologi suis rationibus probare possent. Viuit namque & commoratur in intimo illo regno, vbi vita hæc erumpit scaturitq; ex ipsissimo fonte suo. Cæteri homines, quorum heu maxima multitudo est, adhærent quidem vitæ, sed facile fieri poterit, vt nubecula, quamuis parua, eam operiat & abscondat. Vt si splendor Solaris viua quædam res foret, quæ moueret semetipsam, & nubes hūc interciperet, vita haud dubiè interiret: Sic & facile accidere potest, vt aliqua peccati nubes hanc in eis vitam prorsus operiat & extinguat, quòd admodum fragilis sit in eis. Sin verò illos, qui verè viuunt, & fide sunt viua prædíti, aliqua peccati nubecula inuoluat, quum omnes defectuosi & ad vitia procliues sumus, sol ipse seu vita ipsa nubem illam perrumpit penetratque, celeriterq; reuertuntur, eò quòd vita in eis radices stabiles miserit. Vnde & redit & penetrat nubem huiuscemodi, citiusque inde se auertit. Cumq; illi alij collabuntur, isti perseuerant. Cur autem alij excidant, ratio est, quòd ad interiora sua minimè pertingant: si verò eò se recipiant, mortuum ibi quendam reperiunt, & quidem canem mortuum, etiam putentem. Ah efferant eum, quia mortuus est: hominem, inquam reperiunt tepidum, frigidum, aridumq; extinctum, cui graue est ac onerosum, quicquid diuinum est, & ad Deum pertinet. Faciles nimirum forent, si vitæ stabiles, quamuis alioqui tenuiter, adhærerent: saluarentur vtique si tales decederent, & tandem, licet tardè admodum, beatitudinem consequerentur. At facile euenire poterit vt decidant: quandoquidem nullam neque viam neque modum habent ad sua interiora pertingendi, sed semper in his exterioribus versantur, prorsusque steriles, inanes, aridi, ac sibijpsis nimium extranei, ignoti, peregrini fiunt. Cæterùm præclari illi viuiq; homines in vita habitant, eandemq; intus sentiunt: ipsiq; rerum internarum & veritatis notitiam habent: & quicquid eis forinsecus occurrit, quod diuinum sit, vitam interiorem excitat cum quadam ad hoc propensione, cum amore, cum complacentia. Et hæc in istis sunt, non in alijs. Enimuerò in interiori regno commorantur, ipsumque gustu contingunt: quod omnino abditum & occultum est illis, qui in ipsum minimè perueniunt. Secundum est intellectualis seu rationalis cognitio Dei. Et hæc istic in hoc regno inuenitur. Non est quò te extendas, vel hanc longius inquiras, ô homo. Istic eam inuenire est.

Lucæ 17.

Tria quædam notanda.

I.

Viua fides quid.


II.

seipsam-

ſeipſamqúe reuelat detegitqúe: hîc lux ipſa lucet: hîc ad regnum iſtud per dextrum oſtium viamq́ rectam, non per poſticum intratur. Qui huc pertigerunt, de illis veriſſimè dici poteſt: *Regnum Dei intra vos eſt*: & ipſi veritatem reperiunt, omnibus illis incognitam, qui ſecum domi non morantur, illiſqúe duntaxat notam, qui illic habitant. Inueniunt, inquam, hîc, quod Dionyſius ait, quod rationem, cogitationem, intellectum omnem longè lateqúe excedit, lumen ipſum in lumine. Pariſienſes quidem Theologi inſignes, ingentia legunt volumina, & folia vòlunt: quod equidem non abnuo factum bene: ſed iſti librum vitæ legunt, in quo omnia viuunt: peragrantq́ cælum & terram, & in ipſis ſtupenda legunt opera Dei: ac vlterius ad Angelorum procedunt diſcretos Ordines, & deinde ad ſupremam & excellentiſſimam literam venerandæ ſemper Trinitatis perueniunt, contemplantes ibi, vti Pater Filium ab æterno genuerit, vti Verbum æternum perenniter luſerit in corde Patris, vti ſanctus Spiritus ab vtroque promanet, vti beatiſſima Trinitas in omnes ſe beatos ſpiritus effundat, vtq́ hi rurſum mirabili cum beatitudine in ipſam ſe refundant. Et hæc eſt beatitudo, de qua Dominus ait: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Hæc prorſus vera eſt in hoc templo vita: hic verus ac præclariſſimus ludus eſt, hîc ſummus Pontifex in proprio ſuo palatio eſt: hîc denique regnum iſtud adeptum eſt & apprehenſum: quandoquidem hîc præſentiſſimus Deus habetur, ad cuius præſentiam moleſtiæ, dolores, miſeriæ, afflictiones omnes euaneſcunt: quod ſoli experti ſatis nouerunt. Non nôrunt hoc, iuxta hunc modum, omnes etiam eruditiſſimi Doctores, qui non ipſum experientia aſſecuti ſunt. Quiſquis autem plus inde percipit, viciniuſqúe ad ipſum pertingit in hac vita, ille & in futuro ſeculo Deo vicinior erit, magiſqúe id in eo detegetur: & Deus in eo magis laudabitur, & omnium ſemper beatiſſimus erit. Tertium, quod hic ſanctus commemorat, oratio eſt. Quid autem eſt oratio? Primùm quidem, vt alij tradidêre, mentis eſt aſcenſus in Deum: ſed iuxta ſpiritaliorem ſeu viciniorem quendam ſenſum, oratio eſt vnitiua ſpiritûs creati in increatum Dei ſpiritum introuerſio cum propoſito, quod à diuinitatis æternitate mouetur. Qui ſic orant, *veri ſunt adoratores, Patrem in ſpiritu & veritate adorantes*: quales & petit Pater, qui ſic eum adorent, vti Dominus inquit. Iſti quæcunque petunt, accipiunt: & inueniunt quicquid quærunt. In hac oratione & inuenitur aliquid, & amittitur. Quid, inquis, amittitur? Templum, & ſpiritus, & omnia ea, de quibus ſupra diximus. Quò autem iſta abeunt? Nimirum in Deum profluxêre, & vnus cum illo ſpiritus facta ſunt, vti beatus Apoſtolus inquit: *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* Quod quid ſit, quáve ratione fiat, melius ſentiri, quàm dici poteſt. Et quæcunq́ hinc dicta ſunt, minus ſunt ad rei veritatem, quàm acies acûs vnius ad vaſtiſſimum cæli orbem. Experiri id magis faciat nos Deus. Quod nobis præſtare dignetur ſublimis & adoranda Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

Luc. 17.
Ioan. 17.
III. Oratio quid.
Ioan. 4.
1 Cor. 6.

VTI SIMPLICITER ET RECTE CONFITENDUM sit, & fundum interius obseruandum, optima D. Thauleri institutio exhortatioque.



HORTOR & obsecro vos, & consulo vobis, dilectissimi, vt antequam sacerdotem confessuri accedatis, Deo discatis intrinsecus ac purè confiteri omnes defectus & vitia vestra, eique vos ex imo cordis reos fateamini, & intus coram ipso grauiter exaggeretis ac ponderetis defectus vestros cum dolore & contritione cordis: nec in consuetudinem trahatis forinsecus minores defectus prolixius confiteri, & scrupulosius ac distinctè quotidianas exprimere culpas vestras: quandoquidem per quædam minima, aut fortè superuacanea, & ad Confessionem non pertinentia, quæ Confessioni intermisceri solent, illis qui audiunt Confessiones vestras, pretiosum tempus perditis, & tædium ac nauseam ingeritis. Cæterùm diffusa & inordinata huiuscemodi Confessio defectus non tollit, nec (quod sæpius dixi) Confessores, immò nec Pontifex ipse, in eiusmodi defectus, quos corrigere non vultis, authoritatem habent. Vnde ad vosipsos intro vos recipite cum vestrijpsorum cognitione. Externa siquidem hæc prolixa & inordinata enarratio, absque interna confessione, perexiguos parit fructus in illis, quæ mortalia peccata non sunt: estque indicium, negligere hominem vel minus studiosè facere internam cōfessionem. Quam si, vt oportet, faceret: adeò quotidiana hæc incidentia vitia vel defectus intus abolerentur, vt vbi ad Confessionem perueniret, aut parum, aut fortasse nihil omnino, quod inde distinctè diceret, memoria complecteretur. Cui tum facile remedium foret, vbi sic prius causam suam cum Deo complanâsset. Hæc autem omnia de venialibus culpis dicta sunt: à mortalibus custodiat vos Deus. Cæterùm interna sui obseruatio maximopere homini necessaria est. Multas siquidem pelles intus habet, fundum eius operientes, quæ desuper excreuerunt. Vnde fit vt sibijpsi abditus & ignotus maneat, & veritatem similiter non cognoscat, licet id ipse ignoret: & cum alia multa sciat, seipsum nesciat. Habent quidam vel triginta, vel quadraginta eiusmodi pelles instar bouinarum pellium crassas ac duras, ita alias alijs adhærentes, vt in cepa sibi mutuò iunguntur atque succedunt tunicæ illæ siue pelliculæ ad intima vsque illius. Hæ verò non confitendo tantùm, vti vos arbitramini, deponi queunt. Quòd si quæras, quænam istæ pelles sint, nimirum omnia illa sunt, in quibus teipsum & aliquid tuum habes, intendis, capis, quæris, vteris, quorum Deus vera causa & finis non est. Quæ omnia, idola sunt: vt verbi gratia, imagines rerum, propria delectatio seu voluptas, propria volūtas, oblectamenta sensuum ac naturæ, quę haud secus possidet homo, quàm Rachel idola patris sui, quibus desuper insidebat. Ad horum numerum pertinent & ista, videlicet præsumptio seu iactantia, irresignatio, negligentia, & incuria omnium rerum diuinarum. Ista has omnes faciunt pelles: quæ quidem omnia in Confessione dici non possunt: sed intus ea homo diligenter obseruabit, & humiliter agnoscet coram Deo, simulque ex toto corde se pedibus illius prosternet. Quod dum facit, dum sic omnino se reum illi fatetur, facile illi remedium est, si tamen pro viribus inde se per Dei gratiam auertere velit.


Quę Confessio nō prosit.

Obseruatio interna quàm necessaria.

Gen. 31.

BREVIS


BREVIS QVAEDAM RATIO SEV FORMVLA generales culpas confitendi, pro illis, qui in Religione aliqua degunt: & vt indulgentiæ promerendæ sint.



AETERVM his verbis quotidianas generatim culpas in confessione exponere licebit: Confiteor me peccâsse vanis & inutilibus cogitationibus, etiam sub Horis & precibus meis, quas me bonis cogitationibus præuenire oportuit, quod per incuriam meã mihi accidit. Confiteor quoque me verbis peccâsse inutilibus & infructuosis, frangendo silentium meum locis & temporibus prohibitis paucis verbis: peccaui etiam otiosis, nimijs, duris, scommaticis, incautis, dubijs, imperfectis, & minus pacificis verbis. Confiteor præterea me operibus peccâsse, negligendo seu minus studiosè obseruando meipsum, Ordinem meum, chorum, statuta: itemq; inobedientia & ingratitudine. Confiteor me non amare & laudare Deum meum, non obedire inspirationibus & admonitionibus illius, confratribus & consororibus meis non bonum me præbuisse exemplum, vt meritò debui, castitatem denique, paupertatem, obedientiam & quæcunque DEO & Ordini promisi, non me obseruâsse. De his igitur & alijs omnibus dico culpam meam. Porrò indulgentias hoc pacto petere licebit, vt mente vel ore dicas: O Domine Deus meus, si eò peruenire possem, & mei iuris essem, quærerem & mererer Indulgentias illas vel illas, etiam per pluuias, per niues, per gelu, per frigora. At nunc prædulcissime & amantissime Pater, cùm id non possim, pergo illuc affectu seu desiderio, orans & obsecrans, vt largas mihi præbeas eleemosynas indulgentiarum illarum, bonorumque omnium, quæ in illo templo & quibuslibet alijs locis fiunt, cunctorumq; mihi ex amore manantibus vulneribus tuis, ex quibus gratia omnis profluxit, peccatorum meorum veniam & indulgentiam largiaris. Sanè posset quis ea hæc fide & confidentia desiderare, vt tantum acciperet, quòd etiam totum mundum posset locupletare. Præstet nobis omnipotens Deus, vt ita ipsum cognoscamus, & diligenter obseruemus fundum nostrum. Amen.

Qui Confessio generatim facienda.

VTI PROFICERE DEBEAMVS EX SINGVLAribus proprietatibus & distinctis nominibus illis, quæ Deo attribuuntur.



OSES inquit: *Audi ô Israel, Deus tuus, Deus vnus est. Deus*, inquit, *vnus est* solus & simplex Deus. Quod tametsi verum sit, nihilominus multum nos profectum facere possumus in singularibus, proprijs, distinctis nominibus illis, quę ei attribuũtur, in essentiaq; ipsius, quibus nos nihil nostrũ opponere debemus. Vt enim aliás dixisse me memini, sicuti olim ea, quæ temporalia sunt in Christo, vtpote natiuitatem, opera, instituta, vitam deniq; illius omnem, meditari consueuimus: ita nunc mẽtem nostram semper ad superiora subleuare, supraq; tempus ad æternam essentiam & modum nos rapere debemus. Potest autem in his proprietatibus mẽtem suam homo velut in speculo contueri actiuo quodam modo, vt videlicet adspiciat Deum esse essentiam puram, quæ omnis essentiæ essentia sit, & tamen rerum

Deut. 6.

Quidnam Deus sit, comprehendi nõ posse.

omnium nihil sit. Enimuerò quicquid est, & quod esse habet, & quicquid essentia quædam est, & bonum est, Deum in se habet. Vnde Augustinus ait: Si videris bonum Angelum, bonum hominem, bonum cælum, tolle Angelum, hominem, cælum: & quod reliquum est, bonorum essentia est, id est, Deus. Ipse namque est omnia in omnibus, & tamen longè supra omnia. Habent quidem creaturæ omnes bonitatem quandam, habent quendam amorem, sed nec bonitas, nec charitas sunt, &c. sed solus Deus bonitatis, amoris, & omnium, quæ essentia dici queant, essentia est. Huic iam sese opponet homo, in ipsamq; totis viribus, actiuo, sensibili, & contẽplatiuo modo immerget semetipsum, suum videlicet omnimodum nihil, vt ipsum accendatur, renouetur, &, vt ita dicam, essentietur in essentia diuina, quæ sola essentia, vita & actio est omnium rerum creatarum: deinde vnicæ vnitatis essentiæ huius proprietatem contemplетur. Deus namque in vltimo est simplicitatis seu vnitatis termino, in ipsoq; multiplicitas omnis vnitur, & ad simplicitatem redigitur in vnicè vna essentia ipsius. Cæterùm essentia eius, illius operatio, illius cognitio, illius præmium, illius iudicium, iustitia, misericordia est, quæ omnia in ipso vnum sunt. Cui ediuerso opponat homo incõprehensibilem multiplicitatem suam, vt hanc in illius simplici essentia simplicem reddat, & ad vnum reducat. Hinc iam quàm ineffabiliter occultus sit Deus adspiciat, quemadmodum Esaias inquit: *Verè tu es Deus absconditus.* Cunctis namq; rebus secretissimè inest, multo magis quàm sint ipsæ sibi: & in ipso quoque animæ fundo omnibus manet sensibus occultus, prorsusq; ignotus. Huc verò totis viribus longè supra cogitationes omnes introducat homo pertrahatq; omnem suã exteriorem externitatem, haud secus remotam, extraneamque, & sibijpsi & vniuersæ interiori internitati, atque animal brutum, quod sensibus viuit: simulque immergat se & abscondat in abditis Dei sui à creaturis omnibus, & quæcunque huic essentiæ peregrina seu extranea & dissimilia sunt. Hoc verò totum non imaginaria tantummodo ratione, vel per modum cogitandi, sed essentiali & actuali, atque etiam sensibili seu perceptibili modo, totis viribus, totoque desiderio supra sensus fiet. Post hæc proprietatem licebit diuinæ solitudinis in silenti seu tranquilla vnitate contueri, in qua nimirum nullum vnquam verbum in ipsa essentia modo essentiali dictum, nullum opus actum est: sed quietissimum ibi silentium est, omnia ibi maximè secreta sunt, & ineffabilis quædam solitudo siue desertum: denique nihil ibi nisi solus idemque purissimus Deus est, nec eò aliquid vnquam extraneum seu peregrinum, nulla creaturæ imago seu modus peruenit. De hac solitudine loquitur Dominus, vbi per Prophetam Osee dicit: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Non enim aliud ista solitudo est, quàm tranquilla, silens, deserta diuinitas illius, ad quam perducit omnes, qui huius diuinæ inspirationis seu internæ allocutionis eius, & in præsenti & in futuro seculo perenniter capaces erunt. Ad hanc desertam, silentem, ab omnibus liberrimam diuinitatem, suum homo inane fundum, desertumq; seu vacuum à Deo & bonis omnibus, atque vndique zizanijs opertum, plenumq; feris bestialium sensuum viriumque suarum perducat pertrahatq;. Dehinc diuinam caliginem contempletur: quæ nimirum præ nimia sua claritate, omni tum Angelico, tum humano intellectui obscura est ac tenebrosa, haud secus quàm ad aspectum orbis solaris, radiorumq; illius infirma acies caligat. Omnis nanque creata intelligentia ita se ad hanc habet ex natura


Esaiæ 45.

Osee 2.

cla-

claritatem, vt oculi hirundinis ad aspectum solis radiantis. Vnde non possunt non reuerberari & repelli ad ignorantiam & cæcitatem suam, quatenus quidem creatæ sunt, siue creaturæ. Huic iam opponat suas abyssales tenebras omnis veri luminis expertes, quò sua abyssus, tenebrarum videlicet suarum, & omnis luminis inopiæ seu egestatis, diuinæ inuocet caliginis abyssum, sibi duntaxat notam, & creaturis omnibus incognitam: quæ incognita & innominabilis abyssus, beatitudo est, magisq́ue amatur, plusq́ue allicit & prouocat animam, quàm alia quæcunq; in æterna beatitudine in diuina essentia cognoscere queat.

D. ECKARDI NOTABILES ALIQVOT *Institutiones.*



TANTO Deus optimus maximus hominis amore tenetur, vt haud secus se gesserit, quam si ex illius salute tota sua diuinitas pendeat. Hinc seipsum totum impendit & tradidit pro homine, nihil aliud ab eo requirens, nisi vt sese vicaria dilectione totum voluntariè tradat & resignet pro Deo, idq́ue non pro Dei, sed ipsius hominis salute, cui nihil acceptius offerre potest suæ propriæ voluntatis abnegatione. Nam si duo vno eodemq; pergentes itinere, flosculum in ipsa ostenderent via, cogitaretq; alter: Decerpe eum, quia miræ elegantiæ est: sed melius deliberans, Eia diceret, dimitte illum propter Deum: alter verò nihil præmeditatus, illum carperet florem: iste quidem non peccaret, sed prior ille, qui propter Deum illum dimisisset, tantum præ isto decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terra. Quòd si pro tam minutis operibus tantam Deus mercedem restituet, quantum ergo illis daturus est, qui & se & omnia, illius amore, contemnunt & abijciunt? Cæterùm qui nunquam à Deo separari vult, hæc tria seruabit. (Tria, ne separeris à Deo, seruanda.) Primum, vt puritati animæ Christi adeò sese conformare studeat, vt nullam vel leuem peccati maculam in se ferre queat, vt spiritus eius, Christi exemplo, perpetuò diuinam bonitatem contempletur, & mente ad Deum liberè transeat, illiq; semper adhæreat. (I.) Sicq́ue fiet, vt non tam crebrò in vitia sit lapsurus. Secundum est, vt tam simplex sit, vt omnia verba ipsius non aliud sonent, quàm Ita & Non. (II.) Tertium est, vt tam perfectus sit, vt si plures in eum, quemadmodum olim Pharisæi in Christum, oculos intenderent, nihil aliud in eo cernerent, si tantùm intelligere valerent, quàm vitam deiformem siue diuinam. (III.) Hæc tria quisquis in se habet, vix vnquam posset à Deo excidere. Quòd autem diuus Paulus ait, vnum nos debere fieri spiritum cum Deo, (1. Cor. 5. Ephes. 4.) hoc nimirum tum fit, quando anima nullum medium, nec imaginem vllam sustinere potest. Tum verò anima in spiritum transisse dicitur, quãdo nulla delectatio vel amor sensibilis in ea durare potest. Denique sciendum est, in verissima omnium rerum creaturarum morte seu extinctione in nobis, amabilissimam ac naturalissimam in Deo vitam latere. Neque enim aliquid est, quod naturalius, verius, ac magis propriè vitam operetur æternam, quàm mentem semper gerere morientem erga quælibet creata, & seipsum subtus creaturas omnes nihilpendere, deprimere, annihilare. Et quisquis semper moritur in seipso, semper in Deo à nouo viuere incipit.

ALIA EIVSDEM INSTITVTIO.

D. Eckardus in extremis constitutus, rogatus à quibusdam amicis suis, vt aliquod monimentum recessus sui illis relinqueret, quandoquidem iam ab eis discessurus esset, ita ait: Equidem modum quendam dicam vobis, qui epilogus sit omnium, quæ vnquam dixi, & in quo veritas omnis, quæ vel dici vel vita exprimi queat, suo quodam modo contineatur. Fit sæpenumerò, vt per exiguum nobis videatur, quod tamen coram Deo maius sit, quàm quæ nobis prægrandia videntur. Ideoque cuncta, quæ nobis Deus euenire permittit, de illius manu æqualiter suscipere deberemus, nec vnquam vel cogitare, quodnam maius, vel sublimius, vel melius sit: id tātummodò obseruaremus, ipsumque sequeremur, quò nos vocat Deus. Id verò illud est, ad quod crebrius ab eodem intus commonemur. Hoc si sequeremur, Deus vtique maximum in minimo nobis largiretur, nec posset id vnquam non facere. Cæterùm fit plerunque, vt maximum homo repellat, & à maximis sese impediat in minimis: quod vtique non rectè fit. Deus nanque modus omnis est, & modis omnibus æqualiter inest, si tantùm æqualiter eum capere quis sciat. Sæpe quoque dubium incidit homini, vtrum propensio sua à Deo sit, an non. Id verò hinc notare debebit: Si in omnibus ita se affectum sentit, vt si Dei voluntatem perspectam haberet, illam præ omnibus sequeretur, quò tunc sæpius se trahi, vel vnde se crebrius intus cōmoneri sentit, id esse sciat à Deo: modò à sacris literis & Ecclesiæ dogmatibus non discordet. Et certè præstat, in rebus grauioribus ab expertis consilium petere & humiliter sequi, ob fallacias dæmonis, sese non rarò *in Angelum lucis* transfigurantis. Quosdam etiam inuenire est, qui Deum suscipere volunt, dum eis lucet & sapit: sed hi lumen & saporem capiunt, non autem Deum. At Scriptura quędam dicit: *Deus in tenebris lucet*, vbi plerunque minus cognoscitur. Et vbi minimè lucet, ibi sępenumerò maximè pręsens adest. Itaque in modis & rebus omnibus, æqualiter ipsum accipere deberemus. Sed dicat fortè aliquis: Equidem accipio Deum æqualiter in modis & rebus omnibus, sed mens mea non ita habet in isto vel illo modo, vt in illo. Cui ego: Non rectè, inquam, id se habet. Deus nanque modus omnis est, & modis omnibus æqualiter inest, si tantùm æqualiter eum capere quis sciat. Quod si plus Dei capias in vno quàm alio modo, laudo id quidem, sed non id optimum est. Cęterùm qui modum accipit, quiquis hoc capit aut illud, non ipsum Deus est. Sic qui hoc aut illud capit, non Deum accipit. Deus nanque modus omnis est, & modis omnibus æqualiter inest, si tantùm æqualiter eum capere quis sciat. Atqui dicat fortasse quispiam: Si Deum in cunctis modis & rebus capere debeo, nullóne ergo adhoc peculiari seu singulari modo opus est mihi? Et hoc notandum venit. Dico ergo: Illum quisque modum teneat & sequatur, in quo plus Deum sentit & sæpius experitur. Quod si aliquis ei alius modus occurrat, huic omnino contrarius, si tum hunc modum deserat, & Deum in illo sibi occurrente æquè capiat, vt in isto, quem relinquit, iam rectè habet. Sanè & excellentissimum & optimum id foret, si quis in hac æqualitate seu indifferentia ad tantam quietem & securitatem pertigisset, vt Deum in modis & rebus omnibus capere, ipsoq; in eisdem frui posset, nec opus haberet vel expectare, vel persequi quiddam. Is nimirum apprimè mihi placeret. Denique ob hoc & propter hoc cuncta fiunt opera, & ea omnia huc faciunt: quæ verò huc non faciunt, ea suo modo dimittere licet. Gratias agimus tibi Deus Pater cælestis,

2. Cor. 11.

2. Cor. 4.

quòd

quòd vnicum nobis dedisti Filium tuum, in quo & teipsum largiris & omnia. Sed & obsecramus te Pater cælestis per eundem vnigenitum tuum Dominum nostrum Iesum Christum, per quem, & in quo cuipiam denegare aliquid neque vis, neque potes, exaudi nos in ipso, & libera nos, solue nos, euacua & nuda nos ab vniuersis multiplicibus vitijs ac defectibus nostris, & vni nos tecum in ipso. Cæterùm quoties homo ad eam cum Deo voluntatis conformitatem pertingit, quòd tam illi charus Deus efficitur, vt funditus pro amore illius abneget semetipsum, & quod suum est, nec in tempore nec in æternitate quærat, toties ab omnibus peccatis suis, ab omni quoque purgatorio totus fit liber & immunis etiam si omnia cunctorum solus hominum peccata commisisset. Quod enim gutta vna est ad vniuersum mare, hoc sunt peccata omnia mortalium omnium ad immẽsam & infinitam Dei bonitatem. Quanquam tam perfectam sui abnegationem nemo sibi promittere debet, quandiu vel vnam habet sanguinis guttam, necdum in vera sui mortificatione & diuini amoris igne, necnon acri, vario ac diuturno contra vitia certamine decoctam & concrematam. Deus superessentiale quoddam bonum est, quod singulis quibusque creaturis interius ac præsentius est, quàm sit ipsæ sibi: contra voluntatem illius res nulla vel ad momentum subsistere potest. Vnde vę illis est, qui semper diuinæ reluctantur voluntati, suamq; propriam percuperent semper voluntatem facere, si possent. Hi pacem habent, qualé illi, qui in inferno sunt. Denudato verò spiritui Deus & pax semper præsentialiter respondent in aduersis & prosperis: quandoquidem reuera ille præsens adest, qui facit seu permittit omnia, & est omnia. Quî verò fieri possit, vt ingruens aliquis dolor vel molestia siue afflictio grauis illis sit, quando in his Deũ cernit, Deum inuenit, Dei voluntate fruitur, & propriam suam ignorat voluntatem? Qui tales sunt, regnum cœlorum & hic & in futuro seculo habent, multamq; à Deo secretam percipiunt consolationem. Denique quicquid illis fit vel non fit, quæcunque Deus in creaturis omnibus facit vel non facit, ea omnia illis cedunt in bonum. Vnde laus, honor, virtus & gloria summo sit & altissimo Deo in infinita seculorum secula. Amen, Amen, Amen.

FINIVNT Sermones D. Ioannis Thauleri de Festis & Sanctis. Si quis plures Conciones, siue de Tempore, siue de Sanctis desiderat, ex sequentibus petat, vbi salubria multa & vtilia offendet.

AD LECTOREM.

EA quæ sequuntur, non eo, quo hic conspiciuntur, ordine ab ipso Authore tradita atque conscripta sunt, sed per nos ex diuersis illius scriptis vndecunque corrasis collecta & consarcinata, atque in hunc digesta ordinem: quibus nihilo minus & aliorum æquè illustrium virorum quędam hinc inde admixta sunt, quę certè legisse iuuabit. Vale.


D. IO-

D. IOAN. THAVLERI, SVBLIMIS ET ILLVMINATI THEOLOGI, SALVBERRIMAE AC PLANE DIVINAE INSTITVTIONES AVT DOCTRINAE, RECENS INVENTę: quibus instruimur, vti per spiritales exercitationes virtutesq́ue, ad amabilem Dei vnionem pertingatur.

De enormitate peccati, & quomodo per veram essentialem pœnitentiam, ad amorosam Dei vnionem perueniendum sit.

CAPVT I.

Matth 3. & 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum. MATT. IV.



Pœnitētia quàm sit necessaria.

FIDELISSIMVS Deus ac Dominus noster Iesus Christus, qui nobis compendiosiorem ad ęternam beatitudinem viam sanctissima vita, præceptis, consilijsq́ suis diuinis, satis superq́ in Euangelio demonstrauit, sacram prędicationem suam hoc pacto exorsus est: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum calorum.* Hoc enim nobis omnibus ante omnia perquàm necessarium est, si vnquam saluari velimus, vt pœnitentiam agamus, & à pœnitentiæ actibus, dum vita superest, nūquam recedamus, quippe qui nec sine peccato viuimus, & *in multis offendimus omnes.* Porrò sciendum est, veram nos pœnitentiam agere non posse, nisi prius peccati enormitatem rectè expendere ac ponderare sciamus. Quilibet enim peccator tantam omnipotenti Deo iniuriam & contemptum, sibijpsi verò tam incomparabile damnum irrogat, vt si hæc plenè cognosceret, sciens & prudens, nec minimum peccatum, neque pro cælo, neque pro terra, neque pro omnibus, quæ in eis sunt, perpetraret: imò mortem potiùs quotidie subiret nouam, quàm aliquod peccatum admitteret. Peccatum nanque est separatio à Deo, & conuersio ad vanissimas creeturas, nænus siue macula animæ, mors spiritûs, laqueus diaboli, temporis amissio, diuinæ gratiæ omniumq́ virtutum ac æternæ felicitatis priuatio. Peccatum est mœror conscientiæ, intellectus obfuscatio, voluntatis peruersio, cordis perturbatio, & sensuum inquietudo. Peccatum est idolorum seruitus, fidei abnegatio, inimici exaltatio, dulce venenum, dāmnationis initium, pluriū peccatorum occasio, breue gaudium, pœna protractior, perennis confusio, mundo quidem amabile, Deo verò cunctisq́ amicis eius odibile ac detestabile. Quid multa? Nullis verbis peccati enormitas exprimi potest. Damnum eius incomprehensibile, confusio indelebilis, & pœna intolerabilis est. Et quia quisq́ peccator per peccatum eligit adamatq́ bonum vile & caducum, propriamq́ue voluptatem suam præ summo ac incommutabili bono, Deo videlicet Opt. Max. suamq́ voluntatem Dei voluntati præponit, quo vtique Deo supergloriosa infinitam

Peccati descriptio.

finitam ac ineffabilem irreuerentiam contemptumq; irrogat:(quanto hic vilissima huiuscemodi voluptate, vanissimaq; creatura, melior est præstantiorque) vnde etiam non minoris quàm æternę damnationis reum se facit: ideoq; ad veram pœnitentiam exigitur, vt peccator pro tanta Dei reuerentia atque contemptu coram Deo se funditus recognoscat, humiliter reum fateatur, gratiam precatur & veniam, Deum ex imo cordis sui laudet, glorificetque, seipsum sub vniuersos homines deprimat atque submittat, & in gratissimam Dei voluntatem pleno se corde resignet. Et quia malam in creaturis voluptatem ac delectationē quęsiuit, quam in solo Conditore quærere debuisset, ideo cum amara cordis cōtritione peccata sua deflere, & cum vero dolore, veroq; se emendandi proposito, coram sacerdote (qui soluendi ligandiq; habet authoritatem) loco Dei in Confessione sese accusare, & iuxta sanctæ Ecclesiæ institutionem , pœnitentiæ & satisfactionis iniunctionem suscipere, & dignos pœnitentiæ fructus facere debet. Ceterùm dolor iste siue contritio, non ex seruili quodam timore, pœnarum videlicet Inferni siue Purgatorij, neque ex sensuali dolore, cum amaritudine seipsum & damnum suum plus, quam Dei iniuriam & offensam, lugente, procedet. (Talis enim dolor hominem in quandam desperationem adducit , quasi non sit Deo cura de ipso, nec vnius saltem peccati meretur veniam, quantumlibet etiam magnus sit, eo quod ex verò Dei amore, qui omnis veræ Contritionis causa est & origo, minimè procedat.) Sed dolor noster atque Contritio , diuina prorsus ac supernaturalis erit, quia videlicet homo pro peccatis suis dolens, plus omnipotentis, Dei fidelissimi patris sui (qui ipsum creauit, redemit, ac innumera ei beneficia exhibuit exhibetq;) tam grauem multiplicemq; inhonorationem, contemptum & offensam, quàm suum ipsius damnum , ponderet atque deploret. Dum autem minimum quodq; peccatum in Deum admissum, plus omni damno, pœna, confusione, quæ ipsi inde euenire poterant, deplangit ponderatque, inde vera ad Deum confidentia in ipso exoritur, quod videlicet omnipotens Deus libens ei peccata sua dimittere velit. Ista nanque contritio ex amore nascitur, qui nunquam absque dulci quodam gustu & consolatione est. Dum verò consequenter pro magno ducit, quòd Deus excelsus, altissimus vtique & maximus Dominus, peccata sua non solum sibi dimittere, sed ipsum quoque tam vilissimum peccatorem ex immensa bonitate sua consolari dignatur, inde tanta Contritione accenditur, vt nunquam se satis dolere posse credat: rogatq; Deum, non solum vt per misericordiam suam peccata sua sibi dimittat, sed vt etiam ea per iustitiam suam in se vindicet ac vlciscatur, si hoc sibi laudabilius sit. Quāto enim maiorem in se Dei bonitatem experitur, tanto magis ponderat, quicquid aduersus eum se meminit deliquisse. Quisquis autem hucusque pertingit, vt Dei iustitiam ęquè, vt eius misericordiam, amet ac veneretur, ei peccata omnia simul cum pœna extemplò remittuntur. Et reuera plus solatij adfert, diuinæ se iustitiæ quàm misericordiæ resignare, eò quòd plus in illo, quam in isto mortificationis sit. Vbi autem mortificatio maior, ibi & diuina consolatio abundantior. Quanto verò seipsum quisque defectuosiorem inuenit, tanto fortius atque feruentius cum inseparabili amore, ac perpetuo nunquam peccandi proposito, sese cum Deo vnire ac confœderare debet. Si quis autem fortassis tantum adhuc dolorem minimè sentit, aut habere potest, ille de peccatis suis doleat: desideretque veraciter velle perfectum se pro peccatis suis dolorem habere, magis videlicet

Quid ad veram pœnitentiam requiratur.

Dolor noster vnde procedere debeat.

Iustitiæ & misericordiæ consolatio.

licet ob omnipotentis Dei iniuriam, quàm proprium damnum suum: sicq; pi-
cum fiducia speret, Deum omnipotentem per misericordiam suam, quæ finem
non habet, peccata omnia sibi remissurum. Adspiciet igitur talis peccata sua, & ad
pedes Domini prouolutus, cum amara contritione, magna cum eorum ponde-
ratione, firmaq; fiducia, coram eodem ea ipsa accusabit: qui quanto magis ea pō-
Esaiæ 49. derauerit, tanto citius eorundem à Domino veniam obtinebit. Licet enim mater
obliuiscatur interdum vnici sui, Dominus tamen, prout ipse testatur, haudqua-
quam nostri potest obliuisci. Tanta siquidem eius misericordia est, vt stuppa a-
liqua, siue linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit, quàm
ipse peccatori veraciter dolenti peccata omnia donare paratus est. Enimuerò in-
ter Dei bonitatem & pœnitentem peccatorem neque tempus, neque medium vl-
lum interest. Deinceps autem inter Deum & huiusmodi pœnitentem tam perfe-
cta suboritur fidelitas, ac si peccata commissa non essent: tamq; bonus & super o-
mnem æstimationem pius est Dominus, vt quæ semel condonauit, nunquam ei
improperare, nec vllum propter ea dispendium, siue pœnam eum sustinere ve-
lit, si tamen in vita correctiore persistat. Porrò fundus veræ pœnitētiæ, qua Deo
quàm proximè reconciliamur, hic est, vt homo pœnitens, verè ac amorosè de
omnibus & singulis peccatis suis dolens, ad Deum, cunctasq; virtutes propter De-
um, sese conuertat, perpetuoq; & viriliter ab omnibus Deo contrarijs auertat,
cum firmo & inconcusso proposito nunquam ea nec pro morte, nec pro omnibus
quæ accidere possint, committendi: totoq; corde diuinæ bonitati confidat, & in
meritis sanctissimæ vitæ & amaræ mortis illius spem suam constituat: ardentis-
simumq; feruorem, perpetuumq; Dei laudandi assumat exercitium, gratias ei im-
mensas agens, quòd sibi in peccatis pepercerit, veram contritionem, bonumque
deinceps à peccatis abstinendi propositum contulerit, cùm tamen interim plu-
rimos iusto quidem & æquissimo iudicio tartareis flammis immerserit, qui tot
haudquaquam scelera, quot ipse, commiserunt, seque meliores multo fuere. Ex
hoc deinde fundo exteriores pœnitentiæ actus & opera procedunt, vt sunt, ieiu-
nia, vigiliæ, orationes, eleemosynarum largitiones, atque similia: quæ tāto sunt
Deo acceptiora, quanto plus de hac amabili ad Deum conuersione sortiuntur,
habentque. Proinde quæcunque opera diuinam tibi bonitatem magis insinuāt
teq; ad plagenda peccata, eaque magis ponderanda, & Deo amplius confidendum
aptiorem efficiunt, ea sectare, & in his esto: quæ quanto plura feceris, tanto plus
veræ pœnitentiæ facis. Ad veram siquidem pœnitentiam spectat, vt Dei boni-
tatem & incomparabilem illius erga nos fidelitatem plurimum ponderemus,
nosq; ipsos cum magna nostri aspernatione deprimamus, & bona opera nostra
habeamus pro nihilo, nosq; planè indignos tanta Dei misericordia, quam no-
bis exhibuit exhibetque, nec pro minimo illius beneficio dignas ei vnquam
grates rependere posse fateamur. Et quid ei pro inæstimabili infidelitate nostra,
quam pro tanta fidelitate sua ei exhibuimus, respondere poterimus? Ideo, sicut
dixi, bona opera nostra nihili facere debemus, etiam si tot ageremus & tanta,
quot & quanta creaturę faciunt vniuersę: cunctaq; illa, quæ nobis adhuc desunt
bona, pro magnis ducemus, Deumq; in multo semper honore ac reuerentia, nos
verò in magna dedignatione ac despectu habebimus. Quanquam nunquam no-
bis intermittere liceat quicquid boni facere potuerimus, id tamen soli Deo, qui
illud in nobis operatur, acceptum purè referendum est. Et certè nullū, hoc exer-
citio

citio ad delendam pœnam omnem simul cum culpa, efficacius est. Immò posset quis breui spatio ex verò Dei amore cum tanta displicentia ac suijpsius dedignatione seu aspernatione, purè ad Dei gloriam seipsum ab omni peccato tam strenuè ac fortiter auertere, vt cuncta ei peccata sua etiam cum pœna dimitterentur, ita vt si sic mori eum contingeret, ad Deum sine medio euolaret, licet etiam totius mundi peccata solus admisisset. Quod enim parum nobis sępe de pœna etiam post absolutionem à culpa remittitur, inde accidit, quòd nostra contritio, & ab omni peccato auersio, atque ad Deum conuersio, & amor noster *ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, cunctisq; viribus* nostris minimè procedunt, sicut à Deo præceptum habemus. Verus etenim amor, veráq; ad Deum confidentia, perfecto odio, displicentiæ, ac nostrijpsorum despectui coniuncta, pretiosissimus est thesaurus, quo facile quicquid desideramus, imò plus quàm desideramus, mercari ac obtinere valemus. Non enim continere sese Deus potest, quin det nobis quicquid appetimus, sauciatus videlicet hinc in latere illo, vbi se defendere non valet. Porrò hanc pœnitentiã nemo verius assequitur, quàm is, qui ad sacratissimã passionem, amarissimos dolores, ignominiosissimam mortem, sanctissimam & omni fidelitate plenissimã Domini nostri Iesu Christi vitã, sese conuertit. Quam nimirum passionẽ quanto melius propiusq; poterit, sibi quisque attrahere & imprimere studebit, simulq́ue recogitare, quis sit ille, qui eam pro nobis subire dignatus est: idq; altius profũdiusque, quàm hîc scribi queat. Et reuera suauissimum est iucundissimumq́ue, eam animo reuoluere: & plus satis mirum est, nos vel ad momentum obliuisci posse excellentissimã Dei maiestatem fidelitatemque, & nostram econtra paruitatem & infidelitatem, vel aliud aliquid præter hæc, audire siue loqui. Horum enim attenta frequensq; consideratio, vtilissimũ, quod haberi possit, exercitium est, ad obtinendum nostrijpsorum contemptum, veramque de omnibus peccatis, omnique inordinatione nostra, contritionem. Sẽper itaque in Domini nostri passione nos exercere curemus, ita tamen, vt plus eius ad nos immensum amorem ac fidelitatem, quàm ea, quæ passus est, ponderemus. Sed & in omni actione ac dimissione sua quisque fidelissimũ amorem, vitam ac passionem Domini nostri Iesu Christi imitari studebit, & in afflictione constitutus, quicquid ei acciderit, hoc pacto orabit: O amantissime ac fidelissime Domine Deus meus, sicut ab æterno & priusquam ego essem, istud fieri voluisti, ita quæso fiat, non iuxta meam, sed secundum acceptissimam voluntatem tuam, quæ mihi in omnibus nunc & æternaliter charior est, quæcunq; vellem eligendi potestate. Optima demum pęnitentia est, eleuatam ab omnibus, quæ nos impedire possent, Deoq; prorsus vnitam mentem habere: ad quod obtinendum quæcunque opera te magis promouerint, ea libentius agas: quæ verò in eo te impedierint, diligenter euita, hoc interim maximopere curans, vt in his nullo pacto teipsum quęras. Denique securissimum est, semper Christi & Sanctorum vestigijs inhærere & via, qua nos ipsi præcesserunt, ambulare. Si quis autem ita infirmus est, vt eos per dura exercitia sequi non possit, ille faciat quod potest, & sufficit Deo, qui non tam opera pensat, quàm amorem, intentionem & fundum, quanta scilicet illa sint erga se & ad se in cunctis operibus nostris, eaque super omnia petit desideratque. Resigna proinde & offer teipsum totum Deo tuo, permittens eum facere tecum, quod ipse volet, & sic absque dubio reformabit in te, quod peccatis tuis ipse destruxisti. Cùm enim

Nota.

Cur non pęna semper cum culpa remittatur.

Nota.

Pœnitentia optima quæ.

enim corpus, animam, sensus, vires, & omnia, quæ in te sunt, destruxeris, idcirco fuge confidenter in ipsum, qui defectum nullum nouit, qui te magis diligit quàm tu teipsum, immò & tunc dilexit, quando tu teipsum odiens destruebas. Si ergo etiam tunc, cum per inobedientiam ei rebellares, te dilexit, multo magis confidere potes cum te dilecturum, adiuturum, necessaria præstiturum, si ei obedire volueris. Fuit quidam Dei amicus, cui Deus per internam illuminationem totam sacram Scripturam, omnesque sensus ac intentiones illius reuelabat, edocebatque: insuper & quomodo viuerent eo tempore homines, & vt aliquorum opera coram hominibus magna apparerent, quæ coram Deo nulla essent: quomodo item homines morerentur, vtque nonnulli, qui hîc ducebantur pro nihilo, sicut & adhuc vt plurimum bonis euenire solet, apud Deum cunctis illis, qui magni videbantur, maiores essent. Sed & alia mira ac magna Deus omnipotens interdum ei præstabat. Rogabat itaque Dominum, dicens: Domine, nec hæc, nec illa volo. Aufer ista, obsecro à me, quia me vehementer cruciant. Subtraxit itaque Deus ei præfata omnia, & per quinquennium absque omni consolatione in magnis tentationibus, angustijs, calamitatibus eum dereliquit. Contigit ergo, vt vice quadam vehementer fleret, & Angelis duobus eum consolari volentibus, dixit ad Dominum: O Dominus Deus meus, nullam consolationem peto, sed abundè sufficit mihi, vt custodiam locum tuum, vbi tu ipse habitas in anima mea, ne quid aliud in eo appareat, illumve ingrediatur. Quo dicto, tanta eum lux subitò circumfulsit, vt nec verbis exprimi possit, & cœlestis Pater ad eum: Filium, ait, meum dabo tibi, vt vbicunque fueris, ipse tibi comes indiuiduus adsit. Et ille: Non, inquit, Pater, sed in te, in ipsa essentia tua esse desidero. Tunc Pater cælestis respondit: *Filius meus es tu in quo mihi bene complacui*. Hic idem amicus Dei interrogatus quid facere vellet, si vt multi peccatores, omnibus diebus vitæ suæ in magnis iniquitatibus vixisset, respondit: Si omnia, quæ sapiens & discretus Confessor mihi iniunxisset, fecissem, & peccata, sicut oportet, dimisissem, nunquam deinceps vellem inde cogitare, nec cor meum eis contaminare: sed tam purè deinde conarer viuere, & omnium eorum peccatorum in me Deus penitus obliuisceretur. Peccatum enim nihil est, nec essentiam vllam habet, nec operatur aliquid, nisi malum. Eos autem, qui ipsum faciunt, nihil efficit. Quando igitur illud amplius nec volumus, nec perpetramus, prorsusque ab eo auertimur, *dignos pœnitentiæ fructus* facientes, tunc & Deus ipsum obliuioni tradit. Si enim nos illud nunquam agimus, tunc & Deus ipsum nunquam cernit, quia & ipsum nunquam est. Vbi verò extra Dei notitiam excidit, tunc anima perfectam recepit sanitatem. Et idem ipse addidit adhuc: Si quadraginta, inquit, annis in peccatis vixissem, & iam tempus resolutionis meæ instaret, si peccata mea purè confessus essem, meque ipsum sum perfectò amore ita ex fundo cordis mei, saltem vnius Angelicæ salutationis spatio, in Deum recipere & conuertere possem, vt totus ad ipsum conuersus, & ab omni peccato auersus essem, tunc planè sicut purus & innocens homo ex hac luce migrarem. Si verò non nisi vnum peccatum admisissem, & in dolore, contritione, mœrore hinc exirem, tunc vtique sicut pœnitens morerer. Nolo, inquit laborare, vt cognoscam Deum meum. Hoc enim in hac miseria excedit vires meas, sed me potius præparari sinam, vt totus illius efficiar, & tunc meum in eo, quod

Paradigma.

Consolatoris a verè confitentium sententia.

Peccatum quid sit.


Alia non minus cōsolatoria sententia.

Noscere & amare quàm differant.

quod illius est, cum eo, quod illius est, absq; meo accipio. Resignare, meum est: Illuminare, suum. Cognitio & amor, bona sunt: sed vnio vera animæ cum Deo, multo melior est. Quando dormio, nihil equidem ago: sum tamen. Cùm autem Deo me totum resigno, ad eius felicem pertingo vnionem. Quando verò vnum cum ipso per gratiam effectus sum, nemo tunc mihi nocere potest. Qui enim Christo vnitus est, ille absq; dolore ab omnibus se elongat abstrahitque. Quisquis autem hucusque peruenit, ille seipsum in omnibus diligenter obseruet, ne hinc excidat, nec vlli creaturæ cum amore ac delectatione inhæreat. Sanè quicquid cum Deo possidemus, absque dolore relinquimus. Quod verò dolentes amittimus, signum est, quòd contra Dei beneplacitum possideamus. Denique vera pœnitentia nemo dignus est, nisi qui eam ex corde desiderat, idq; Deus donare habet. Deus enim donum est, quod seipsum largiri: & lux, quæ seipsam in nobis accendere habet: Estq; gratiæ operatio, vita in seipso, omnisq; essentia creaturæ. Ipse nobis præstet, vt iuxta eas, quas diximus, institutiones, doctrinas, exempla, veram essentialem pœnitentiam obtineamus. Amen. Notioni amorem lõgè præstare.

De nocumentis venialium peccatorum, & quibus modis omne peccatum euitare possimus.

CAPVT II.



QVANVIS omnia peccata venialia euitare non possimus, ita tamẽ nosipsos ex gratia Dei & possumus & debemus solicitè custodire ac obseruare, vt rarò ex improuiso, ex proposito verò nunquam, etiam pro morte euitanda illa incidamus. Sicut enim densa nebula oculos carnis impedit, sic peccata venialia mentis oculum obfuscant, vt Deum inspicere nequeamus: diuinæ quoq; dilectionis feruorem extinguunt: orationes nostras difficilius, quàm si ea non admitteremus, exaudiri faciunt: animam deturpant, atque commaculant: vnde Spiritus sanctus contristatur, malignus verò spiritus exultat: Dei ab anima familiaritatem, quandiu non emendantur, excludunt: ad maiora grauioraq; peccata hominem pertrahunt: vires animæ, ad resistendum prauis inclinationibus, debiliores reddunt: hominem ad bene agendum pigrum & acediosum efficiunt, desideriaque ad temporalia inclinant: Purgatorij cruciatus prolongant, & à Dei præsentis intuitu diutissimè retardant. Perpendat iam quisque, vtrum parua sint hæc detrimenta, maximè si ex proposito vel praua consuetudine peccata huiuscemodi fiant. Porrò sex sunt modi, quibus homo, gratia Dei fretus, absque omni tam veniali quàm mortali peccato potest viuere, quandiu in his perseuerat. Primus est, quando Dei virtute protegitur, omnesque vires illius diuina virtute roborantur: hoc est, cùm Deus Pater vnicum Filium suum in animæ eius essentia gignit, tum gratia diuina omnes penetrat animæ vires, ita vt vis quælibet animæ diuinã quãdam virtutem percipiat ad resistendum omnibus, quæ vel DEVS non sunt, vel Deo aduersantur. Secundus est quando vires infimæ semper in vires supremas erectæ sunt, quod quidem hominem in rectitudine iustitiaq; conseruat: sicque Protoplastum Deus creauerat, cuius cum vires inferiores a superioribus auerterentur, ipse statim in culpam cecidit. Sic & nos quando sine superioris rationis permissu, ad sensualitatem conuertimur, necesse est vt corruamus.

Peccata etiam venialia, quid incõmodi ferant.

Sex, vt sine peccato viuas, modi.

I.

II.

Gen. 3.

mus. Quando verò cum rectæ rationis permissu extrouertimur siue aliquid agimus, à lapsu securi sumus. Sed hîc multa diuina illuminatio magnaq; necessaria humilitas est, ne ab inimico decipiamur. Tertius est, quando voluntas hominis tota in diuinam voluntatem resignatur, & continetur in illa: ratioque diuinam semper voluntatem obseruans, secundum eam absque propria voluntate viuere curat. Tunc enim homo peccare non potest. Quartus est, quando quis in omnibus medium tenet. Qui enim in cunctis actibus suis medium potest attingere, absque vitio est. Vitia nanque ex inordinatione procedunt, quòd videlicet aut plus, aut minus, quàm oportet, faciamus. Qui verò & quod faciendum est facit, & quod dimittendum est dimittit, ei Deus semper respõdet. Quintus est, quando homo spontaneam intus & foris paupertatem sectatur. Pauperes enim in perpetua quadam afflictione positi sunt. Dum ergo forte aliquod vitium ab eis committitur, illicò pœna adest, quæ illud ipsum in ardenti paupertatis camino consumit. Sextus est, dum cor hominis viuax cõcremauit flamma Spiritus sancti. Magna quippe Dei dilectio omnia hominis peccata absumit, eumq; ab omni reddit peccato immunem & mundum, adeò vt si quis semper hoc igni arderet, semper etiam absque peccato viueret. Amor enim & odium simul in eodem subsistere non possunt. Qui ergo Deum perfectè diligit, omnia Deo contraria vitare compellitur. Denique quisquis verba & actus suos præuia consideratione discutiens, ea, quæ nihil vtilitatis afferre posse conspicit, ad Dei gloriam dimittit, seq; pro viribus modo supradicto ab omni peccato custodit, ille ab Angelis omniq; cælesti exercitu honoratur atque defenditur: Oratio eius munda est, & à Deo citius exauditur: Liberum ipse ad Deum accessum, Deiq; familiaritatem adipiscitur: & pro temporali delectatione, quam cõtempsit, internam pacem atque consolationem inuenit in Deo: Cor eius & vires adeò confortantur, vt malæ cogitationes eum nequaquam superare, nec ad magna peccata pertrahere queant: & si sic mortuus fuerit, absque Purgatorio ad cælestis patriæ gaudia intromittitur.

III.

IV.

Medium seruare.

V.

VI.

Quid præcipuè peccata prohibeat.

De duobus fundis, vno falsò, altero bono, & quomodo falsum fundum iugiter obseruare & cognoscere, eiq; resistere & mori debeamus.

CAPVT III.



QVANDOQVIDEM omnia tam bona quàm mala opera, virtutem & præmium ex ipso fundo, intentione & amore, ex quibus extrorsum procedunt atque perficiuntur, accipiant, totaque salus nostra in bono fundo, & bona ac Deum quærente, seq; ipsam abnegante intentione (quam tamen paucissimi habent) sita sit: cuncta quoque peccata, & mala omnia, perpetuaq; damnatio, ex malo, falso, seipsum quærente, ac irresignato fundo procedant: idcirco Deo nos adiuuante, qualiter hæc duo funda, malum scilicet & bonum, ab inuicem discerni queant, aperire conabimur. Sanè ipsa Veritas dicit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Hæc, inquam, ipsius os Veritatis, æterna sapientia Dei Patris, in quadam similitudine proferens, hoc insinuare voluit, nos omnino mori

Ioan. 12.

mori

mori debere, ſi vnquam in virtutibus fœcundi perfectíq́; eſſe velimus. Sicut enim granum frumenti, vel quælibet alia res formam aliam recipere non poteſt, niſi prius in ſeipſa prorſus moriatur ac pereat formæ illi, quam impræſentiarum habet: ſic & nos Chriſto Ieſu incorporari ac vniri, eiuſq́ue virtutibus exornari non valemus, niſi prius deponamus ac mortificemus in nobis defectus, & vitia vniuerſa, noſq́; ipſos penitus reſignemus & abnegemus in omnib*, in quibus noſipſos quærere, amare, intendere, tam in ſpiritu, quàm in natura inuenimus. Iſtud autem facere nemo poteſt, niſi prius agnoſcat, quænam ſint illa, quibus inhæret, quæq́; inter Deum & ipſum media intercedunt, vti ſic ea deponere, eiſq́ue mori poſſit. Quantum enim ſeipſum quiſque cognoſcit, tantum mortificare ſeſe & abnegare valet. Et quia multi, proh dolor, in his errant, pauca quædam de totius malitiæ fundo dicam: ex quo nimirum omnia inter Deum & hominem media trahunt originem. Et reuera fundi iſtius cognitio multo homini vtilior fuerit, quàm ſine hac vel Angelico pollere intellectu, vel quantum omnes beati ſpiritus intelligunt, nôſſe. Fundum igitur iſtud vitioſum, neque Deum, neque creaturam diligit, vel intendit, niſi propter ſemetipſum. Et licet interdum aliquem erga Deum & proximum amorem præ ſe ferat, reuera tamen non niſi immenſa quædam fraus & deceptio eſt, & quilibet ex eo damnum patitur, decipiturq́ue. Fundum iſtud iuſtum & bonum ſibi eſſe videtur, de ſuis actibus ac dimiſſionibus ſæpe gloriatur, de illis præſertim, quæ virtutis ac bonitatis quandam ſpeciem habent, de quibus ita in ſeipſo extollitur, ac ſi præclaræ virtutes forent, fallens in hoc ſemetipſum, ſibiq́; & non Deo bona ſua omnia aſcribit: & licet virtutes non amet, de virtutibus tamen laudari & honorari appetit. Alios quoque ob defectus eorum, ſæpe etiam propter bona opera iudicat, quod inde illi vſuuenit, quia neminem ſe putat meliorem, & aliorum infirmitatem & ad mala pronitatem attendere recuſat, ſemper aliquid videri cupiens, cùm tamen reuera totius malitiæ fundo ſit prægrauatus. Peccata nulla grauia vel magna reputat, imò quaſi nihili facit, quod euidentiſſimum argumentum eſt, multum adhuc illic deeſſe, quippe quod ſic eſt omni vero lumine deſtitutum, adeóq́; excæcatum, vt neque quid ſit peccatum, agnoſcat. Si enim peccatum eſſe auerſionem à Deo ſummo bono intelligeret, fortè cor eius citius rumperetur, quàm illi præberet aſſenſum. Inſuper & bona opera, de quibus aliquod ſuæ opinionis ſeu exiſtimationis ſperat incrementum, citra difficultatem perficit: qui ſi pro ſolius Dei gloria, nullo ſciente, eadem deberet facere, præ infirmitate facere non poſſet. Quòd autem voluntas tam facile amore vel odio labentium creaturarum, ſiue vndecunque accidentium rerum permouetur, totum ex falſo & ſeipſum quærente fundo oritur. Porrò quiſquis opera ſua magna reputat, & ex modica virtute grande conatur opus efficere, ille hoc ipſo ſic excæcatur, vt dum *pauper & miſer & miſerabilis eſt*, diuitem ſe nihilominus eſſe arbitretur. Fundum etiam iſtud ſemper bonum videri appetit, quamlibet multa mala peregerit, nec vlla ei malitia poſſit imputari, quam vel non commiſerit, vel ſi diuina bonitate protectus non eſſet, committere non potuerit. Ex hoc fundo accidit, quòd multi nec verbis nec operibus aliquem contriſtare audent, quòd ferre nequeant, vt ſibi reſpondeatur, vel vt ipſi viciſſim ab alijs corripiantur. Præterea fundum iſtud tantum ſibi Deum diligere videtur, vt quæ contra illius honorem ſunt, in proximis ferre non poſſit: ideóq́; eos pro defectibus

Cuius fundi cognitio, quàm ſit vtilis.

Quis cur ad iudicandum alios tam ſit pronus.

Peccati deſcriptio.

Apoc. 3.

fectibus eorum multa cum asperitate reprehendit: sed si defectus proprios rectè agnosceret, defectus aliorum, quamlibet etiam magnos, facilè obliuisceretur, & sui indefessam curam agens, vitia propria prius extirpare neruis omnibus contenderet. Insuper hoc fundum quoties reprehenditur, absque fine & modo seipsum defendere & excusare conatur, nec se deprimi dirigive permittit, sed ait: Etiam alij defectuosi sunt, & ego ex pia intentione, siue ignorantia, siue infirmitate hoc feci. Verùm id pro comperto habendum est, quòd vbicunque fundum nostrum à vera humilitate, ac abyssali nostrijpsorum extenuatione ac vilipensione nos abducit, ibi etiam, nobis licet ignorantibus, nos iugulet, perimatque. Præterea fundum istud in omnibus, quæ diligit, speciem seu apparentiam solam diligit, vt videlicet homo iste ab omnibus magnus habeatur. Vnde etiam quandoque accusat sese, vt inde laudetur, & humilis videatur. At vero si alij eum accusent, præ superbia ferre non potest. Hominibus se placidum & amabilem exhibet, quò ab ijs diligatur, ac præferatur alijs: correptus verò ob culpas suas, ne fundum istud vitiolum in ipso notetur, iniuriam sibi fieri queritur. Sed & aliàs quoquo modo lacessitus vel offensus, dúmve ei resistitur, per iram se ferociter erigit, bonorumque omnium tam à Deo quàm ab hominibus ipsi collatorum, obliuiscitur: qui tamen eundem in alijs motum gestusque considerans, citò aduertit iudicatque, haud secus quàm si ipse à talibus immunis sit. Denique quantumuis fundum istud supprimatur, nunquam tamen perfectè in hac vita emoritur. Quamlibet enim sæpe seipsum quis exeat & resignet, adhuc tamen inuenit, in quo seipsum denuò mortificare ac resignare debeat. Fundum namque istud sese in omnibus quærit. Enimuerò si corporalia ei subtrahantur, ad spiritalia bonaque exercitia conuersum, eisdem inordinate cum delectatione inhæret: virtutes cum proprietate possidet, & non purè in Deo bonorum omnium largitore, sed in ipsis potius donis requiescit. Sin autem fundo isti quis intus moriatur, & eum grauiora quæque opere admittere non sinat, tunc ita subtile & aptum sese exhibet, vt satis bene secum agi putet, qui eo præditus est: Deumque se in omnibus dilexisse, & seipsum funditus exisse credat, cùm tamen vix vnquam ad passum pedis sese exierit: Deumque in omnibus sese quæsisse arbitretur, cùm tamen nunquam vel ad momentum verum amorem habuerit. Omnes isti, & alij innumeri defectus, ex falso fundo trahunt originem, quod per peccata corruptum, cum priuato amore, propria voluntate atque sui reputatione & complacentia propria, ad seipsum reflectitur & inclinatur, suamque delectationem & commodum quærit in omnibus: idque in centum modis, in bonis temporalibus atque caducis, in cibo & potu, in vestibus & quiete, in recreationibus vanis, in percipiendis rumoribus, ac leui societate, in solatio & amore hominum: sed & in interna deuotione, suauitate, oratione, ac diuina consolatione, in quiescendo in donis Dei intus aut foris, in regno quoque cælorum, & in ipso Deo, alijsque modis innumeris, vt satis defleri non possit. Et si fortè vnum aliquod ei subtrahatur, aliud statim obiectum quærit, in quo cum delectatione quiescat.

Humilitatis fictæ depictio.

Cæterùm quisquis hoc fundum vitiosum intelligere & cognoscere cupit, ea quæ sequuntur, obseruare studebit, & cùm Deo placuerit, & opportunum ei videbitur, seipsum in hoc fundo manifestabit. Primò itaque seipsum, sensusque suos interiores & exteriores, viresque suas diligenter obseruabit, vt videlicet nihil

Quæ fundum suũ sedulò per cruciantes obseruanda.

nihil videat, audiat, loquatur, tangat, siue desideret, quod ei necessarium non sit: totaq; virium suarum facultate sensus suos interiores custodiet, ne qua exterior imago illos occupet siue depingat. Solitarium, occultum, & abstractum ab omnibus se seruabit hominibus, seq; iugiter intra seipsum recipiet, nec sensus suus ad creaturas effluere & euagari patietur. Omnem seculi huius vanam recreationem ac voluptatem euitabit diligenter, omnibusque creaturis incognitum & occultum se seruabit: quo tanto minus creaturarum imaginibus depingatur. Vitam quoque & passionem Domini nostri Iesu Christi iugi meditatione, cum voluntate ac proposito ipsam imitandi, ob oculos versabit animæ suæ, omneq; agere ac dimittere suum iuxta perfectissimam vitam ipsius instituet, dirigetque: solicitè attendens, quàm illi similis sit in agendo, in dimittendo, in patientia, in humilitate, in resignatione, in maturitate, in temperantia, in iustitia, in veritate ac cæteris virtutibus vniuersis: & vbi seipsum illi dissimilem inuenerit, in profundam se humilitatem demittet, suamque paruitatem ac nihilum agnoscens, cum ingenti resignatione diuinæ se misericordiæ prosterneret, rogans Deum, vt sibi tanquam verè pauperi ac egeno succurrat. Interim etiam quicquid potest, & quod in se est, adhibere satager, vt huic fundo vitioso possit mori in cunctis vitijs, in amore scilicet priuato, in propria voluntate, propria delectatione, priuato commodo, & proprio iudicio ac reputatione sui. Quanto autem hoc fundum citius mortificatur, tanto etiam celerius nobile illud fundum, quod Deus inhabitat, in anima detegitur. Cæterùm fundum hoc vitiosum nemo cognoscere potest, quandiu ipsi vnitus ac fœderatus est, seq; ab ipso moueri ducíq; in agendo ac dimittendo permittit, & seipsum in omnibus tam in spiritu quàm in natura quærit diligitque. Omnino enim necessarium est, vt seipsum quisque semper diligenter obseruet, & vbicunque se quærere ac amare seipsum inuenerit, verbi gratia, in eundo, in stando, edendo, bibendo, cogitando quiescẽdo, in verbis aut operibus, ibi in his alijsq; similibus se semper continuò resignet, mortificet, exeat, solumq; Deum ac eius honorem & beneplacitum in omnibus purè quærere discat. Sed dicet aliquis: Si ergo meipsum debeo in omnibus relinquere, quomodo Deum meũ amare potero? O si te Deo tuo in omnibus relinquere velles, absque dubio citò te eò perduceret, vt ipsum quoque amares in omnibus. Quando enim omnem tibi spiritalem ac corporalem consolationem atque dulcedinem subtrahit, putasque tunc omne agere ac dimittere tuum Deo acceptum non esse, nec aliquod mereri præmium, ac pro cunctis operibus tuis nihil tibi restituendum, teque omnium hominum vilissimum & pessimum esse, & Deum ac creaturas omnes iure tui odio succendi, tequè condemnare debere, & denique te à Deo & Sanctis omnibus esse derelictum, si in hoc casu siue obiecto cum humili resignatione sub Deo cuncta hæc patienter sufferre posses, tuamq; paruitatem funditus agnosceres, vt videlicet nihil nisi defectus & peccata habeas ex te ipso, & consueta tua virtutum exercitia & charitatis opera continuares, nec propter inopiam & afflictionem tuam vllum virtutis intermitteres opus: nimirũ eò te Dominus quàm citissimè perduceret, vt in omnibus ipsum diligere, te verò abnegare disceres. Quandiu verò teipsum quæris, diligis, intendis, ac pro operibus tuis mercedem appetis, nec qualis es, ab alijs haberi æquanimiter suffers, tam diu nihil nisi infinita in te falsitas est. Sic & quandiu aliquem ob defectus eius despicis, nec DEVS tibi ita charus est in

Quis quomodo facile Deũ amet.

ariditate, vt in dulcedine, teq́ aliquid esse putas, & ob vitam tuam aut intellectus tui perspicacitatem alijs præferri cupis, qui vel tuo more non viuunt, neq́ faciunt, neq́ intelligunt ea, quæ tu facis & intelligis: tandiu profectò nunquam bene habes, sed tibiipsi manes incognitus, teq́ue falsum istud fundum possidet & excæcat: quod nimirum omnia bona opera ac exercitia tua corrumpit, teq́ in morte in magnas adducet calamitates & angustias, cùm iam illud tibi detectum ac reuelatum fuerit: & fortè mortis æternæ periculis inuoluet. Dum igitur tempus gratiæ tibi præsto est, ipsum euellere ac funditus cum Dei auxilio mortificare disce: quæ quidem optima ars ac potior sapientia est, quam in hac vita discere possis: in cuius etiam comparatione, omnis alia sapientia non nisi mera stultitia in veritate censenda est.

De mortificati hominis humilitate, patientia, resignatione: & de signis quibusdam, quæ in se habere debet, ne decipiatur.

CAPVT IV.

Quæ tria mortuo conueniant.



MORTVO homini tria conueniunt. Primum est, quòd in terra sepelitur. Secundum, quòd vsque ad extremi iudicij diem pedibus ipsum calcare licet. Tertium est, quòd corpus illius in puluerem redigitur. In his ergo cognosci potest verè diuinus ac perfectè mortuus homo. Primò namque cum profundissima humilitate

I. seipsum suo Deo ac hominibus adeò profundè demittit, vt nunquam in animo suo erga quencunq́ proximum sese extollat: magis autem omnes se multo corā Deo meliores sanctioresque, se verò omnium hominum vilissimum ex animo

II. arbitratur iudicatq́. Secundò æquanimiter tolerat cum patienti resignatione, vt ab omnibus ad vltimi vsque iudicij diem conculcetur: hoc est, ad mortē vsq́ simplici quodam modo libenter sustinet omnem aduersitatem, omnem confusionem, dedecus & ignominiam, omnem pœnam & cruciatum, vndecunq́ ei eueniant, siue à Deo, siue à creaturis, iure vel iniuria: nec quicquam se excusare, defendere, vel lugere aut vindicare conatur: sed omnibus, instar alicuius in sepulcro conditi, se subijcit atq́ substernit. Quicquid ei accidat, vel ab aliquo fiat, siue bonum, siue malum, charum siue aduersum, laus vel vituperium, omnia æqualiter suscipit, & absq́ omni vindictæ appetitu immotus ac imperturbatus

III. permanet. Tertiò omnibus illis, quæ Deus non est, penitus annihilatus, ardēter ac strenuè in Deum sese recipit, omnemq́ temporalium siue corporalium rerum concupiscentiam desideriumq́ extinxit in seipso: ita vt siue det, siue auferat ei Deus, in solo Deo perfectè & omnino stet resignatus. Necessaria, & quibus natura carere non potest, ex creaturis accipit: seq́ cum sua voluntate diuinæ captiuū tradit voluntati, seq́ ipsum & quicquid habere potest, deserens ac exiens, omnibus illis, in quibus sese habere, quærere, inuenire posset, nihil fit, quo diuina in ipso voluntas absque omni perficiatur impedimento. Cæterùm est adhuc alia

Mors spiritalis. quædam mors spiritalis, quæ est formæ nescia illa afflictio, quæ neq́ viam, neq́ fundum, neq́ modum habet: & desertæ ac aridæ semitæ illæ, in quibus Deus omnipotens amicos suos probare consueuit: quos dum in nobis sentimus: nosipsos in eis mortificare debemus, non foras erumpere, nec vllum solatium, gaudium,

dium, delectationem foris expetere: sed obseruare iugiter, quid per hanc pressuram Deus parere velit, & ad eam nosipsos offerre voluntarios, ita vt nobis conscientia nostra testimonium reddere queat, nos cum Christo veraciter in cruce mortuos esse: qui absque omni ope atque solatio intus & foris in maxima angustia & afflictione sua desolatus pendebat, & in manus æterni Patris sui exhalabat spiritum suum. De istiusmodi hominibus Paulus ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* Laudabile sanè bonumque satis est, Christi passionem meditari, & orationem Dominicam cum multis lachrymis sæpius iterare: sed Christum humiliter sequi, Deo acceptissimum est. Eas, eas quocunque voles: ad sequendum Deum ab ipso vocatus es: & ideo crux aliqua, quæcunque sit illa, post ipsum ferenda est tibi. Si vnam fugere volueris, in aliam incurres, multo fortasse grauiorem. Nemo vnquam tam sapiens, aut ita facundus fuit, qui hanc eloquentia sua crucem à te potuisset auertere. Si Christi discipulus esse cupis, patiaris oportet. *Non enim est seruus maior Domino suo, nec filius patre, nec discipulus magistro. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Hæc est summa omnium, quæ scribi vel dici queant: & in hoc omnis consistit sapientia, vt pati discas & aduersa sufferre. S. Petrus verus Christi imitator: *Christus*, inquit, *qui peccatum non fecit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Hæc ergo est verior, securior, compendiosior via, quam habere possimus, quam summus ille totius veritatis magister inuenit, & per seipsum ambulauit, nosque illam edocuit: nec aliqua melior laudabiliórve via esse credenda est, quàm ea, per quam cum Filio reuertimur ad Patrem. Verùm ne quis in hac via seducatur, vtque natura & gratia simul concorditer operentur, eò tria exiguntur signa, quæ quisquis in se inuenerit, ille nec à falsa libertate, nec à lumine naturali, nec à pseudoprophetis decipietur. Poterunt quidem, Deo permittente, fundum illius impugnare: sed hoc non ad aliquod incommodum, sed æternam potius salutem ipsius. Primum signum est quod homo multum seriò veram omnium peccatorum suorum cognitionem, cum debita contritione ac integra omnium peccatorum confessione, à DEO postulabit: & in hac voluntate sine cessatione persistet, quòd videlicet libenter iuxta Catholicæ Ecclesiæ constitutionem satisfacere pro peccatis suis, omnemque peccandi occasionem pro viribus euitare velit: in hac, inquam, voluntate ac desiderio continuè perseuerabit. Deus autem cum gratia sua per ipsum opera perficere habet. Et sic homo ambulat extra omnem malam libertatem, quòd ad peccata attinet. Secundum est, quòd proximi sui æquè, vt suam, salutem ac beatitudinem desiderabit, eique tam corporaliter quàm spiritaliter propter Deum, ad placendum videlicet illi, succurret pro viribus, & opem auxiliumque impendet, Deumque fideliter tam pro inimicis, quàm amicis suis, omnibusque illis, pro quibus Deus rogari vult, deprecabitur. Et hæc vera est ratio proximum vt seipsum diligendi, atque per hoc à naturali lumine haudquaquam decipietur. Tertium est, quòd omninò seriò desiderabit amabilem Domini nostri vitam & conuersationem intus & foris imitari: Patremque cælestem rogabit, vt se tam perfectè secum vnire dignetur, vt in fundo suo nihil inuenire vel agnoscere possit, *nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum*: qui se per sanctissimam vitam & passionem suam ad Patrem deducat, cuehatque. Non enim alia via est ad vitam, nisi per Filiũ, sicut

Col. 3.

Vsse omnino aliquid ferendum.

Ioan. 13. Luc. 6.

1. Pet. 2.

Signa quædam tria, ne te seducant, exigi.

I.

II.

III.

1. Cor. 2.

Ioan. 14. & 10. ipse ait: *Ego sum via. Per me si quis introierit, saluabitur.* In hac via nullus nobis pseudopropheta, nulla falsa libertas, nullum lumen naturale nocere potest.

Alia adhuc tria signa. Denique sunt adhuc alia tria signa, quæ quisquis in se habet, in gratia Dei est supernaturaliter. Primum est, quòd homo diligit inimicum suum, eique beneface-

I. cere studet, qui ipsi malum optat: quod vtique supra naturam est, eique penitus contrarium: ideoque seipsam in hoc exire sub gratiam compellitur. Hanc inimi-

Matt. 5. Luc 23. corum dilectionem Christus verbo nos docuit, & exemplo demonstrauit, cùm pro suis crucifixoribus orans, dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid*

II. *faciunt.* Secūdum est, quòd homo Deum suum tam fideliter diligit, quòd ex imò animæ suæ desiderat omnes homines tanto Creatorem suum amore prosequi, vt is in eis acceptissimam voluntatem suam perficere possit, sicut hoc ab æterno in nobis omnibus intendit ac desiderauit, vti sic nomen eius sanctificaretur, *sicut in cælo & in terra*: quòd etiam voluntati ac naturæ hominis aduersatur. Quicquid enim natura diligit, libenter sibi soli reseruat, nec alteri idipsum fauet. Gratia verò haudquaquam amore suo sola vult perfrui, sed in cunctis operibus suis communis est Gentibus, Iudæis, & Christianis: nec aliud desiderat, quàm vti Deo placet. Hîc natura succumbit penitus, nec quidquam proprieta-

III. tis seruare potest. Tertium est, quòd homo ita seriò Deum suum diligit ac in-

Phil 1. tendit, quod cum Apostolo *dissolui* cupit, vt Deo sine medio possit vniri. Nouit enim, quòd vnio hæc immediata neque fieri, neque stabilis esse queat, nisi per mortem corporalem. Quisquis ergo hoc in se desiderium deprehendit, gratiam supernaturalem esse non dubitet. Gratia enim naturā superat, dum se vltro

Rom. 7. ad moriendum offert, cupitque in nihilum redigi, sicut Apostolus ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit à morte corporis huius?* Cum autem multi per internas commotiones siue instinctus decipiantur, existimantes se à DEO moueri ad hæc vel illa facienda, dimittendaque, cum tamen vel à natura, vel à maligno spiritu moueantur: (neque enim bona intentio sufficit) ideo omnibus illis, qui boni esse videntur, summopere necessarium est, vt diligenter explorent atque obseruent, vtrum in diuino, an naturali, an alio quouis fallaci lumine am-

Instinctus naturæ. bulent. Cuncta namque opera, quæ ex sola natura absque gratia fiunt, non sunt meritoria vitæ æternæ. Sciendum est itaque, quòd instinctus siue lumen naturæ, quod in intellectu exoritur, commouet ac mittit nos ad formas & i-

Instinctus Angelicus. magines, & ad quærendum possidendumque in omnibus delectationem, complacentiam ac laudem nostrijpsorum. Lumen verò atque consilium boni Angeli, suggerit ac dirigit nos ad nostri & naturæ mortificationem in omni-

Instinctus Diabolicus. bus, cum vera discretione. Mali spiritûs consilium atque lumen, commouet ac ducit nos ad extremum in superbiam, vt aliquid simus, aliquid sciamus, aliquid habeamus, aliquid possimus: ad vanam quoque complacentiam, propriam reputationem, ad alta sublimiaque subtiliter comprehendendum, sciendumque: necnon ad vanam gloriam, ad amaritudines, aliaque peccata omnia, ea præsertim, ad quæ natura proclinior est, quibus etiam robur addit & vires. Diuinum lumen instigat nos ad humilitatem, resignationem, castitatem, nuditatem ac vnitatem. Ex his iam perpendat quisque, quo agatur spiritu, & ex cuius operetur instinctu. Omne namque lumen, omnis cognitio atque commotio, quibus homo intus & foris mouetur, totius Sacræ Scripturę excellens scientia, vniuersa

vniuersa rationalis sapientia ac subtilitas intellectus, hominem in vera pace & tranquillitate in intimis eius constituere non possunt. Sola duntaxat lux diuina hoc valet, cum profunda humilitate ac amore diuino suscepta, quę est lux gratiæ Dei. Vt autem melius natura à gratia discernatur, sciendum est, quòd Ego, me, meum, mihi, hoc & illud, formæ & imagines, voluptates, propria voluntas, subtilitas, seipsum quærere ac possidere, omnia hæc naturæ ac naturalia sint. Iam ex his, quæ sequuntur, obserua & agnosce operum illorum quæ ex natura, & eorum quæ ex gratia Dei fiunt, discrimen atque differentiam. Natura corruptibilibus vult viuere creaturis: Gratia verò desiderat, vt homo eisdem moriatur. Natura omnes actus & opera sua cunctis optat innotescere, atque ob ea appetit honorari: Gratia verò semper latere, nesciri, ac negligi petit. Natura diu viuere cupit, mortemq; veretur: Gratia ab omnibus expediri, dissolui, & per mortem ad Christum peruenire concupiscit. Natura pro temporalibus multa tenetur solicitudine: Gratia temporalium curam non habet, quippe quæ per amorem summo bono firmiter inhæret. Natura in bonis operibus instabilis est: Gratia tam in aduersis, quam prosperis constans perseuerat. Natura delectatur in seipsa, in rumoribus seculi, in deductione temporis, atque in labentibus creaturis: Gratia non suijpsius vel creaturarum, sed Dei sanctæque vitæ tenetur desiderio. Gratia hominem facit humilem, patientem, & iustum absque illius scitu vel experientia: Natura verò omnia scire appetit, gustumq; internum, & consolationem percipere exoptat. Itaq; in hoc omnis vita spiritualis consistit, vt opera naturæ à gratiæ operibus discernere scias. Natura enim & quicquid naturale est, sicut paulo ante iam diximus, in omnibus dicit: Ego & me, mihi & meum, libenter & inuitè: quæritq; seipsum, & in sua immortificatione permanet. Deus autem & gratia illius semper excludunt. Ego, me, mihi & meum. Vnde fit, vt homo in humili resignatione & suijpsius mortificatione in omnibus persistat. Verùm cum lumen siue instinctus naturę ac maligni spiritus, ob sui subtilitatem sancti Spiritus inspirationi valde similes sint: idcirco Deum humili cum resignatione pro veri luminis agnitione inuocare, & in causis grauiorib' à superiori vel Confessore consilium petere, nec in aliquo nostræ prudentiæ inniti debemus, ne circumueniamur à satana.

Gratiam à natura qui discernas.

Quibus technis satã incautis imponat.

Demum & in hoc agnoscere licebit, si institutum siue propositum tuum malum vel bonum sit. Si enim propriæ delectationis, propensionis, voluntatis tuæ mortificationem ac depressionem quærit, hoc vt plurimum ex gratia est. Natura enim semper solatium ac delectationem quærit, sibijpsi iugiter inniti desiderans: quicquid autem ad sui depressionem eam instigat, ei suas semper excusationes opponit. Idem facit & diabolus. Dei verò sanctique Angeli instinctus cõtinuè ad sui depressionem ac humiliationem hominem inuitat, nec vllam excusationem prætendit. Secundum signum est, quòd inspiratio sancti Spiritus nos ad diuina præcepta & Christi consilia adimplenda hortatur, eademque nobis cum dilucida discretione, bonoque medio, ne quid plus minúsve faciamus, inspirat. Natura verò & diabolus, discretionis excedunt limites. Sed quia etiam huic natura subtiliter sese conformare posset, si adhuc penitus cognoscere cupis, vtrum sit vel non sit natura, super vlteriori inspiratione huiuscemodi aliquid delectabile tibi assume: & si hoc suauiter blandeq; ingreditur, signum est, primum instinctum tuum naturæ fuisse, ipsamque sese quæsijsse. Simile nanque

Instituti boni discernendi signum primum.

II.

ſui ſimile diligit: & ſimilium coniunctio: delectationem parit. Si verò ipſum
III. cum amaritudine recipis, prior inſpiratio ſancti Spiritus fuit. Tertium ſignum eſt, ſi inſtinctus non ilicò perit, ſed in eodem diu modo perſeuerat. Natura namque cum ex ſuo genere ſit inſtabilis, ſi aliquo modo illi reſiſtatur, non diu in eodem ſtatu perſiſtit. Idem etiam accidit inimico, cui ſi obſtatur, facile vincitur, & ad aliud ſe transferre compellitur. Gratia verò ſtabilis permanet, ſi eam obſerues, locumque ei præbeas. Poſtremò cum nemo in hac vita in omnibus propriè certa ex ſcientia inter naturam & gratiam diſcernere poſſit, ideo ſiue natura ſit, ſiue gratia, ſi quid amabile vel iucundum, proſperum ſiue aduerſum in animo vel corpore tuo ſenſeris, citò ſubtiliter teipſum cum relatione illius in Deum introuertens, roga ipſum, vt totum in illius laude conſumatur, cum ſit ipſe Dominus tam naturæ quàm gratiæ. Sicq; natura fiet tibi ſupra naturam, per cui videlicet humilem reſignationem, qua libentiſſimè gratiſſimam Dei voluntatē, ſi tibi perſpecta foret, exequereris. Veruntamen vbi dubitare contingit, quod ſit maius beneplacitum Dei: illud eligere tutius eſt, quod natura magis abhorret, modo illud cum ſacra Scriptura & vita Domini Saluatoris conueniat. Denique hoc modo etiam naturalia opera recta intentione deaurare, & cum reſignatione Deo offerre poteris, ea præſertim, in quibus diuinum tibi beneplacitum non conſtat.

In dubijs quid maximè eligendum.

De quibuſdam impedimentis, & econtra de aliquibus ad magnam perfectionem perducentibus.

CAPVT V.

Impedimentorum. I.

PRIMVM quod Deo & gratiæ illius in nobis obicem ponit, natura eſt immortificata & inordinata, quæ cum amore & delectatione rebus creatis inordinatè inhæret. Hac qui præditi ſunt, citò temporalium ſiue vndecunque accidentium rerum odio vel amore permouentur: ſicque Dei dilectionem amittunt, & in ſuis vitijs ac paſ-
II. ſionibus immortificati perſeuerant. Secundum eſt amor priuatus, propria voluntas, proprius ſenſus, & propria quæſitio, quæ ſæpe pacem auferunt, & corda diuidunt. Quiſquis enim Deum ſuper omnia, etiam ſupra ſeipſum, non diligit nec intendit, ille diuini honoris, virtutum omnium, ac ipſius Dei incurioſus, ad ſe ipſum, ad ſuum videlicet commodum, honorem, delectationem ſemper reflectitur, atque à diuerſis tentationibus erroribusque nullo negotio ſuperatur.
III. Tertium eſt, quòd per ſenſus nimis facilè extrouertimur, humana ſocietate delectamur, in verbis ſuperflui ſumus, & abſque neceſſitate multis nos ingerimus ac immiſcemus, quæ vtique ſecreta Dei familiaritate ac dulcedine nos
IV. priuant. Quartum eſt, quòd vehementes, impetuoſi, audaces ſumus, minoreſque culpas atque defectus paruipendimus, per quæ cordis puritatem & pacem a-
V. mittimus. Quintum eſt, quòd de virtutibus ac bonis operibus, quæ tamen reuera noſtra non ſunt, citò nimis cum vana complacentia ac propria reputatione extollimur, & ex ſuperbo fundo ab alijs quoque in pretio haberi appetimus: quo ſanè veram humilitatem perdimus, & à Deo ſæpe relinqui meremur. Sex-
VI. tum eſt, quòd ad iudicandum viſa vel audita, ad ſuſpiciones quoque malas & inuidiam, nimis proni ſumus: quod fraternam in nobis deſtruit charitatem.

Septimum

Septimum est, quòd in oratione pigri ac tepidi sumus: & per hoc intima ad Deum suspiria desideriaqúe amittimus. VII. Octauum est, quod fundum nostrum intus minimè obseruamus, neque diuinis instinctibus per nostrijpsorum abnegationem conamur satisfacere, nec viua quadam cum strenuitate diuinæ præsentiæ assistimus. VIII. Et quia mentem nostram à simplici illo lumine, quod in nobis est, auertentes, ad multiplicitatem extrouertimus, idcirco nec à Deo illuminamur, nec nobisipsis innotescimus, intusq́ multiplices ac instabiles, foris autem in sensibus inexplebiles permanemus. IX. Nonum est, quòd cuncta opera nostra magis ex bona consuetudine, quàm interno affectu siue sentire interno perficimus: plurisq́ æstimamus singulares quosdam modos siue instituta, bonorumque operum magnitudinem ac multiplicitatem, quàm puram intentionem ac Dei feruentem amorem: ideoq́ nec experimur, quomodo Deus ipse cum plenitudine gratiæ suæ commoretur in nobis. X. Decimum est, quòd ea, quæ à solo Deo accipere deberemus, à creaturis suscipimus: multaqúe in huiusmodi electione ac solicitudine distendimur, nec Deo vera cum fiducia innitimur: quòd sanè fit, vt nunquam veram resignationem, nunquam veram pacem cordis obtineamus. Puncta aliquod perfectionis. Econtra sunt quædam magnæ perfectionis puncta: quæ quisquis viuendo & exercendo seruare contenderit, fructum non contemnendum, imò immensum reportabit. I. Primum est, quod homo in omnibus purè Deum suum intendet, sese omni tempore abnegabit, nec in vlla re quæret seipsum. II. Secundum est, quod omnia in melius interpretabitur, & ex cunctis quæ videre vel audire contigerit, suæ capiet salutis augmenta. III. Tertium est, quòd omnes homines communi dilectione prosequetur, omnes fratrum habebit loco, nec aliud absens quàm præsens de vllo loquetur. IV. Quartum est, quòd omnia de sola manu Domini suscipiet, eiqùe se cum creaturis omnibus offerens, cuncta in illum in perenne sacrificium perpetuamq́ referet laudem: sicqúe Deus ei vicem reddet, & ipse in omnibus pacem inueniet. V. Quintum est, quod pacificus erit & patiens in his, quæ Deus ei toleranda miserit, ita vt nec de Deo, nec de hominibus vllo pacto queratur sibi aliquid minus aut grauius obtigisse: sed in omnibus contentus sine vlla intrinsecus electione, in eisdem æquanimis persistet: & ita pace ac gaudio perfruetur. VI. Sextum est, quòd sic intus dispositus ac ordinatus erit, vt ipse Dei sit totus in omnibus, & Deus illi vicissim sit omnia in omnibus: Deumqùe in cunctis creaturis, & creata omnia in Deo cognoscat diligatqúe: creaturas quoque omnes nobilissimo modo adspiciet capietqúe, sicut videlicet ex Deo sua profluxêre origine. VII. Septimum est, quòd puram, expeditam, incommutabilem mentem super omnia caduca ac transitoria in Deum subleuatam habebit, semperq́ solus, vnicus, indiuisus in seipso, & constans ac deuotus perseuerabit in exercitijs suis: Deoqùe omnipotenti cum amore cunctisqùe viribus suis intus inhærebit, ita vt omnibus hominibus virtutũ ac sanctæ vitæ exempla præbeat in seipso, & vniuersos ad Deum verbis, operibus modis ac vita reducat dirigatqúe. Erit præterea spontaneè pauper, in aduersis patiens, volũtatem propriam abnegabit, Deo sine medio obediet, & amore prosequetur etiam inimicos. Hæc enim diuinum amorem, omnemque spiritalem vitam in homine latentem, manifestant.

Quis in quibus exercendus. Quò autem prædictas virtutes melius obtinere simul & conseruare possit, in his quæ sequuntur, sese exercere curabit: Cor suum frequenter ad Deum eriget.


cum

cum feruentissima oratione pro diuina gratia & ope illius, eò quòd ex seipso nihil boni possit. Lapsus verò etiam in minima peccata, statim diligentissimè cum magna cordis contritione sese intra se recipiet, atque ad Deum suum reuertetur cum firmo confitendi proposito, seque pro viribus emendandi. Insuper omni die Sacrum vnum siue Missam deuotissimè ingenti cum gratitudine audire non intermittet. In illo nanque Sacrificio stupenda charitas illa quotidie renouatur, ex qua seipsum Dominus verè suauissimus nobis pauperculis reliquit. Ibi verò, cum actuali ad hoc mentis conuersione puraque intentione, dignissimũ Christi corpus omni die toto corde suscipere desiderabit, per omnia omniũ totius orbis sacerdotum exercitia, illudq; simul cum sacerdotibus ipsis Deo Patri tam pro se, quàm pro viuis ac mortuis, illis præsertim, pro quibus desiderat, offeret, immensum inde fructum reportaturus. A cunctis nanque sacerdotibus vltra citraq; mare constitutis, ipsi idem corpus Dominicum præbetur spiritaliter, & fortè multo excellentius vtiliusque, quàm sacerdotibus ipsis. Sæpe quoque (præsertim Festis diebus) ad dignissimi Sacramenti Communionem sese præparabit: & si fortè obtinere non potuerit, in vera resignatione tranquillus maneat ac imperturbatus, & in proprium sese nihil demittat, præparans nihilo minus sese ad spiritalem eiusdem susceptionem, quo immensæ illi Dei sui dilectioni vel tenuiter pro suo modulo viribusq; respondeat. Præterea summo cum desiderio verbum Dei secundum communem sanctæ Ecclesiæ expositionem in Cõcionibus auscultabit, & per seipsum, tam sciendi studio, quàm imitandi affectu, leget: ac deinde aliquandiu secum morabitur, ac si sacratissimum Domini corpus percepisset, quo verbum Dei, quod cibus est animæ, in ipso operari queat. Omnem denique societatem, quamlibet sanctam, quæ ei prædictas virtutes negligendi, siue peccata quælibet incurrendi occasionem præbere posset, toto studio deuitabit.

Lapso in peccata, quid agẽdum. Missa quotidie audienda. Quotidie spiritaliter cõmunicandũ. ☞ Quoties & quando præcipuè Domini corpus sumendi. Verbum Dei quomodo audiendum.

Virtutum vitiorumque radix siue catena.

CAPVT VI.




VM Deus omnipotens, prout certa fide tenemus, intra nos sit, imò etiam vicinior nobis, quàm nos ipsi simus, quid causæ est, quòd ipsum minimè sentimus? Quia scilicet gratia illius in nobis operari non potest. Cur gratia in nobis non operatur? Quòd hanc humili corde, deuotè ac intimè, non desideremus. Quare eam humili corde nõ apperimus? Quia Deũ toto corde cunctisq; sensibus nõ amamus. Quare Deũ toto corde sensibusq; nõ diligimus? Quod ipsum non cognoscamus. Cur eũ non nouimus? Quia & nosipsi nobis incogniti sumus. Quare nosipsos nõ cognoscimus? Quod vitã nostrã attẽdere ac obseruare dissimulemus. Cur vitã nostram nec attendimus, nec obseruamus? Quia oculus intelligẽtiæ nostræ excæcatus est. Quamobrem intelligentiæ oculus est obcæcatus? Quòd pulueribs ac luto rerum trãseuntium plenus sit. (Pulueres dico, amorem ac delectationem inordinata ad nosipsos, ad creaturas, ad mundum, & ad propriam carnem.) Cur oculus intelligentiæ luto pulueribusq; respersus est? Quia sensualitati nostræ emori, atque ad Deum toto corde conuerti nolumus. Ideo nimirum lumen gratiæ diuinæ in nobis haudquaquam operatur. Iam econtra etiam virtutum (agedum) catenam attenda-

Pulueres mystice quid.

attendamus. Quisquis luce gratiæ veræque discretionis à Deo perfundi appetit ac illustrari, mundi amorem, delectationem, prudentiam contemnat, atque deuitet. Quantum enim diuinæ discretionis adeptus sum, tantum & meipsum abnegans, mundi amaritudinem diligo. Quantum mundi amaritudinem diligo, tantum Deo meo obtempero. Quantum Deo obedio, tantum pace cordis & conscientiæ serenitate gaudeo. Quantum internæ pacis & conscientiæ puræ possideo, tantum sensus sapiens, & intellectus meus purus est. Quantum intellectus meus puritatis habet, tantum quoque cognosco Deum meum. Quantum de Dei mei cognitione habeo, tantum in illius timore casto ambulo. Quantum in timore casto coram Deo ambulo, tantum eius amore perfundor. Quantum Deum meum diligo, tantum illius obseruo præcepta, doctrinam, institutiones. Quantum illius institutiones & præcepta custodio, tantum etiam peccata deuito. Quantum à peccatis abstineo, tantum & mecum permaneo. Quantum mecum sum & maneo, tantum & meipsum cognosco. Quantum in mei cognitione proficio, tantum & despicio memetipsum. Quantum meipsum despicio, tantum ab honoris ac quarumlibet rerum ambitu alienus sum. Quantum honorem ac bona quælibet non ambio, tantum voluntariè sum paupertatis adeptus. Quantum spontaneè pauper sum, tantum à querimonia eorum, quæ mihi desunt, abstineo. Quantum à querelis mihi tempero, tantum & patiens sum. Quantum patiens sum, tantum & humilis sum. Quantum humilitatis habeo, tantum à contemptu eorum, qui me spernunt, me cohibeo. Quantum à contemptu me spernẽtium mihi caueo, tantum & spiritu pauper sum. Quantum pauper sum spiritu, tantum omnis propriæ sum expers voluntatis. Quantum omni propria voluntate careo, tantum hoc solum volo quod vult Deus. Quantum hoc solum volo quod vult Deus, tãtum ipse Deus vult quod ego: sicq; illuminor atque illustror, vnusq; cum Deo spiritus efficior. Sed huc expedita nudaq; ab omni creatura abstractio exigitur. Certè homo ex tempore & æternitate compositus est. Quanto igitur temporalibus [illegible]bus magis inhæret, & quiescit in eis, tanto ab æternis amplius elongatur, qua[illegible] nunc ei parua videntur: sicut res aliqua longè posita, procul intuenti modica apparet: nec vnquam ad veram potest pacem pertingere: quin potius excæcatur, ac in diuino tepescit amore, & instabilis ac insatiabilis simul cum ipsis instabilibus rebus, ad quas sese conuertit, efficitur. Proinde quisquis ab omni vitio siue defectu cupit absolui ac liberari, ille prius ab amore & affectu quarunlibet rerum labentium & creatarum sese exoneret oportet. Aegrè se simul in eodem patiuntur amor Dei, & abundantia temporalis. Amor quippe ignis est, cuncta temporalia consumens, & vacuitatem in homine efficiens. Cunctorum igitur temporalium desertio, in æterna ac diuina introitus est.

Vt in originem istam, quæ Deus est, quisque reuerti, cunctaque vitia sua debeat superare.

CAPVT VII.



VISQVIS à peccatis eximi, atque in viam virtutum suæque salutis pertingere, in eademq; proficere voluerit: diligenter ea quæ sequuntur, obseruare, seque in eis exercere curabit. Primum, in quo se exercere debeat, est libera quędam ac expedita auersio à seculi voluptate & vitijs vniuersis, eademque vitia in seipso sæpius stu- Quis in quibus exercendus. 1.

ter. Et licet misericordissimus Deus istiusmodi homini, quando cum dolorosa suiipsius cognitione ad sese reuertitur, amabilem restituat pacem suam, fundum tamen virtutum omnium, perfectum'q; proximæ veritatis gustum non attingit, dum sic quod suum est retinet. Humiles verò ac resignati homines, seipsos Deo, cunctisque creaturis ob Dei voluntatem, in vera resignatione subiecerunt. Attamen paucissimi sunt, qui non in aduersis primos saltem patiantur motus, imò & Deus hos ipsos primos motus in hominibus istis sæpenumerò multo etiam tempore durare permittit, quo per hoc funditus humilientur, prouidens nihilo minus eis in hoc etiam alia plura bona. Tamen quicquid eis siue in corpore, siue in spiritu eueniat, mox vt in fundum suum sese recipiunt amabiles, pij, patientes efficiuntur: ac spe bona in Deum erecti, ex vero amore cunctis resistunt vitijs, sensuum inordinationi moriuntur in omnibus, ac seipsos in pium, patientem, amarosum, humilem fundum suum immergunt atque demittunt: vbi tunc à Spiritu sancto sapida scientia siue sapientia perfunduntur, quæ eis auxilium, ducatum, directionemque præstat ad omnem perfectam veritatem, instituens eos, qualiter sese ad Deum, ad seipsos, & ad creaturas omnes tum bonas tum malas habere debeant. Ipsi verò adeò in profunda sunt humilitate radicati, vt aliqua vanæ gloriæ cogitatio siue incidẽtia eis facilè nocere non possit. Statim nanque in suum sese demittentes nihilum, eam penitus extinguunt, paruo quoque negotio in omnibus superant. Cùm enim purè pro veritate decertent, Deus ipse pugnat pro eis. Seipsos in nouissimo loco constituunt, vnde nec ab aliquo inferius deijci possunt: quibus assurgere siue ascendere, quàm descendere siue labi, vicinius est. De seipsis tenuiter sentiunt: ideoq; multas acres tentationes & laqueos diaboli euadunt subtiliter, instar pisciculorum, qui de reti facilè elabuntur, dum maiores interim pisces rete conclusos tenet. Omnibus quoque naturæ vitijs & propensionibus ad peccata, ad delectationem, ad commoda carnis inordinata, moriuntur atque resistunt, omnem vitam suam ad omnimodam suiipsorum mortificationem, resignationem, abnegationem referentes: sicque potissimum per hæc tria subiecta superant, & victores euadunt in omnibus. Primum est, quod diligentem sensuum suorum curam habentes, eis libertatem aliquam non permittunt: sed fræno quodam perpetuo eos constringunt atque concludunt, nisi quando Dei honor aliud fortasse exigit. Secundum est, quòd in continua feruidaque sese oratione exercent, quæ profectò instar aquæ purissimæ fundum ipsorum abluit & emundat. Tertium est, quod in Christi se passionem introuertunt, spiritumque suum illius amorosissimo imprimunt cordi: atque per hoc omnes malas occidunt cogitationes, prauaque carnis desideria. Mox enim vt aliquam sensualem affectionem siue desiderium sentiunt, ad Christum confugientes, eius se vulneribus imprimere festinant: ibique omnia mala coguntur desideria cedere, nec aliquid eis officere queunt. Atque hoc modo cunctis imaginibus & formis expediuntur, & cum munda conscientia veram obtinent pacem, atque à summo bono circundantur simplici quodam, occulto & superessentiali modo, in libera, resignata, & ab vniuersis imaginibus nuda caligine, ad quam seipsos iuxta supremum Dei beneplacitum resignârũt, in perfecta suiipsorum abnegatione in tempore & æternitate. Semper itaque nosipsos in cruenta Domini Saluatoris vulnera immergamus: & intus quidem eius immensos cruciatus, pœnam, amorem nostris im-

Mortuum primorũ vis quãta.

Qui per quæ & quot vincant.

I.

II.

III.


Ad vulnera Domini quibus confugiẽdum.

primamus cordibus: foris autem salutiferæ signo crucis frontem & pectora muniamus. Nulla enim potentiora arma, ad vniuersa pericula tentationesque superandas, in hac vita vel haberi vel excogitari possunt.

Quomodo donis Dei vti, gratiamque deperditam recuperare debeamus. Et de nuda fide.

CAPVT VIII.

Dona [illegible] sua [illegible] Deus. [illegible]



DEVS omnipotens ac immensus nunquam dona sua in hoc solùm largitur, vt ea habeamus, sed vt operemur cum eis, perspiamusque cui vsui, vtilitati siue profectui dona nobis concessa deseruire possint, & quid cum eis Deus fieri velit. Semper enim semen ille suum propter fructum seminat. Neque etiam consolationem aliquam propter consolationem largitur, sed vt per eam alliciat hominem, & tam seipsum quam cuncta deserere faciat, quo seipsum illi donare possit. Si quis autem ita fidelis esset & Deo & sibijpsi, vt omnia absque solatio & releuamine faceret, hoc vtique & Deo gloriosius, & ipsi homini multo foret vtilius amabiliusque, & maius sibi præmium compararet & meritum. Gaudio nanque & solatio perfundi, non huius est temporis, sed præmij illius, quod in futuro seculo speramus. Hic potius recusanda & abijcienda merces est, cùm nihil ad exilium istud pertineat, nisi desolatio, aduersitas siue afflictio. Mundus siquidem iste, non consolationis, sed lachrymarum vallis est. Cæterùm perfacilè contingere posset, vt per consolationem bona nostra destruerentur. Quinimò hoc ipsum quod Deus pijssimus consolationem infundit, sæpè ob humanam fragilitatem ac pusillanitatem facit. Certum est enim, quisquis hîc à Deo continuè consolari appetit, eum in futuro seculo minus consolationis habiturum, Tales enim irresignati sunt, qui suis sumptibus Deo militare recusant, quorum merces est scire, sentire, experiri aliquid: qui tamen meritò gaudere deberent, quòd saltem nudam ac puram fidem absque omni cognitione habere possent. Nam quò fides purior, simplicior, nudior est, eò vel centuplo laudabilior, nobilior, magisque meritoria est. Fides ista Deum ipsum miris modis in seipso, in sua admirabili essentia, sibi manifestari meretur. Nuda puraque fides, huius est exilij: Scire verò & intelligere, futuro seculo debentur. Omnis itaque salus & actio nostra, ex fide trahit originem. Si quæras aliquem de parentibus suis, dicitur ei ab alijs, illos vel illos esse. Credit ille quod dicitur. Similiter audit ab alijs, hos vel illos mortem obijsse. Dictis adhibet fidem, & tamen quæ dicuntur, ignorat. Sic sunt & Sacramenta Ecclesiæ. Credas illa oportet. Quam ergo verè præclara res est fides nuda? Nuda, inquam, non quæ donis operibus destituta sit, sed quæ nihil scire, nihil sensibilis consolationis experiri appetat. Quòd autem in consolatione & reuelatione nulla verá perfectio sita sit, inde constare potest. Fit enim sæpenumero, vt consolatione deuotioneque recedente, ac deserente quempiam, magis quam aliâs ad vitia sit procliuis atque defectuosus Vt plurimum etiam nouellis plantationibus ac incipiẽtibus hęc cõtingere solent. Qui cum ad meliora proficiunt, nõ aliud remedium solatiumve inueniunt, quàm nudæ simpliciter fidei inhæreant: & licet rariores Dei percipiant illuminationes, ipsum tamen Deum nunc vberius habent. Proinde qui seipsos virili[illegible]

Vbi merces speranda.

Suo qui sumptu Deo militare nolint.

Fides & scientia quorum sint.

& in prosperis & in aduersis mortificare student, & frangere, illi multo citius per veram resignationem in fide simplici ad magnam perfectionem, quam omnes alij pertingunt. Veruntamen & imperfectis ac incipientibus Deus dulcem illam sensibilem deuotionem & gratiam sæpe subtrahere solet, vt sic humiliari discant, priorem'q; illum deuotionis feruorem & affectum ad Deum, se non à seipsis habuisse cognoscant: simulq; vt per hoc probentur, vtrum ob amorem Dei in vera sint patientia perseueraturi. Sed & ea de causa nonnunquam deuotio illa subtrahitur, quia fortassis in donis acceptis homo gratitudinis immemor, seipsum in bonis desiderijs exercere neglexit. Subtrahuntur itaque ei dona, vt per hoc purgatus, ad maiora suscipienda reddatur aptior, gratiam'q; DEI deinceps grato accipiat animo, & sapienter expendat, solum'q; Deum pure in omnibus illius donis quærere discat. Cæterùm quæstio hic incidere potest, quo pacto gratiam amissam homo recuperare, eiusque denuò valeat esse capax. Hoc iam edocebo. Ingenti quidem multaq; cum humilitate coram DEO se gratiæ illius ingratum fuisse confitebitur, nec illam recipere dignum se esse: atq; in vera resignatione seipsum offeret ad permanendum absque omni deuotione sensibili ac desiderio, quandiu Deo visum fuerit. Deinde magna cum diligentia omnem sensualem delectationem atque solatium, velut ipsam deuitabit mortem, seq; introrecipiet, & etiam vi quadam bonis exercitijs applicabit, atque in Dei cultu & seruitio fixus permanebit & stabilis. Christi quoque passionem simplici meditatione pertractans, eidem etiam violenter inhærebit, siue sapiat, siue non sapiat. Adhæc ingenti cum humilitate dignissimum corporis Dominici percipiet Sacramentum: quo æterna Dei dilectio per sanctissimi virtutem Sacramenti in ipso accendatur, omnis aboleatur dissimilitudo, ipseq; totus felicissimè transformetur in Deum. Certè quisquis in his omnibus, siue aliquibus ex eis, exercere sese curauerit, ille gratiam Dei haud dubiè recuperabit: nisi fortè ob maiorem illius salutem ad tempus eum Deus carere, & inopia premi permittere velit: sicut & charissimos amicos suos in hac vita in paupertate & consolationis inopia intus & foris esse, seq; totos in tempore & æternitate iuxta suũ beneplacitum, ad ignem vult amoris offerre.

Qui potissimum in fide proficiat.

Cur sua quibusdā subtrahātur dona.

Gratia perdita qui recuperanda.

Vt veram humilitatem & charitatem obtinere ac exercere, Deiq́; bonitatem & nostram malitiam funditus agnoscere possimus.

CAPVT IX.



HVMILITAS fundamentum est custosq; virtutum omnium: quã etiam Dominus noster Iesus Christus (qui essentia est & speculum virtutum omnium) ad debellendam & expugnandam diaboli superbiam specialiter elegit, nobisque velut charissimum pignus, viamq; securissimam æternæ salutis obseruare præcepit, dum ait: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Quam & Apostolus Christi virtutem nuncupat, dicens: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Non est igitur, cur quisquam de sui contemptu vel de humilibus operibus erubescat, cùm per hæc ipsi Regi gloriæ conformetur. Cæterùm absque humilitate omnes aliæ virtutes abeunt in vitia. Quid est autem vera humilitas?

Fundamentum virtutum quod.

Matt. 11. 2. Cor. 12.

Humilitas vera quid. Humilitas quotuplex

Profectò nil aliud, quàm profunda cordis & mentis in conspectu diuinæ maiestatis demissio ac inclinatio. Quam quidem & iustitia imperat, & ad eam nos amor impellit. Est autem duplex humilitas: Vna clara, & non feruida: Altera clara, & feruida. Clara humilitas magis ex ratione, quàm ex amore exercetur. Cùm enim adipiscit homo Dei magnitudinem, suamq́ue paruitatem: DEI fidelitatem, suamque infidelitatem: quid item sit Deus, & quanta sibi beneficia

I. contulerit: & ediuerso quid sit ipse, quidq́ue Deo mali fecerit: multas vtique & certè pulcherrimas, si volet attendere, rationes illi inuenire licebit, quòd se meritò deprimere debeat ac humiliare. Sed quia homo iste magis secundùm rationem quàm amorem sese exercet, ideò humilitas ista clara magis quàm feruida est. Licet enim ex his seipsum iure meritoq́ue contemnat, non tamen æquanimiter ferre potest, si ab alijs contemptui habeatur. Dum enim ab alijs despicitur, facile commouetur, ratio illius obfuscatur: quodq́ue prius ratio illi demonstrârat, obliuiscitur, quomodo videlicet dignè ab omnibus contemni deberet. Sanè humilitas ipsa cæteræq́ue virtutes omnes, actus sunt voluntatis, & sicut per rationem virtutes cognoscimus, ita nobis sapiunt per amorem. Nam sine cha-

II. ritate nulla virtus sapit supernaturaliter. Altera humilitas, quam claram & feruidam esse diximus, magis ex amore, quàm ex ratione, non tamen absque ratione, exercitatur. Cùm enim verus humilis omnes vires suas per amorem colligens, seipsum ex toto ad Deum conuertit, atque à Deo impellitur ac mouetur ad considerandum quid sit Deus, quodq́ue tam ineffabiliter magnus sit & admirabilis, vt omnes eum creaturæ capere non sufficiant: quòd item solus tam celsus ac potens sit, vt creaturas omnes fecerit ex nihilo, & quicquid velit, possit, quòd insuper nos ad tam sublimem condiderit & elegerit dignitatem, vt nulla creatura saltem cogitare præsumeret, Deum altissimum ad tantam ipsam nobilitatem electurum: sed neque nosipsi excogitare possimus, qua ratione maiores nos facere potuisset. Cùm enim, vt ex natura Deus essemus, facere non posset, (hoc enim ipsi soli competit) fecit vt Deus essemus ex gratia, ad possidendum simul cum ipso in perpetua dilectione vnam beatitudinem, vnum gaudium, idemq́ue regnum. Ideoq́ue fecit nos ad imaginem & similitudinem suam, quo videlicet in illa imagine ipsius capaces essemus, & in virtutibus ipsi, quantum humana sinit conditio, similes efficeremur. Cælum quoque & terram, & quicquid cæli ambitu continetur, in nostrum creauit vsum & obsequium, vt sibi soli seruiremus, suaq́ue colendo præcepta, secum æterna perfrueremur beatitudine. Quãdo verò ipsius per inobedientiam ex propria malitia sponte scientesq́ue præcepta transgressi sumus, eo ipso beatitudine superna priuari, & perennes infernalis incendij titiones esse meruimus. Id verò magnus ille Dominus considerans, nos videlicet perpetuæ damnationi addictos, nec ab vlla nos creatura posse redimi, misericordia tactus, proprio & vnico Filio suo, qui est incomprehensibilis illa claritas, in qua & seipsum & omnia Deus Pater perfectissimè cognoscit, & per quam *facta sunt omnia*, quiq́ue est vnum cum ipso in essentia & natura, exemplar omnium creaturarum, & speculum sine macula Dei maiestatis: huic, inquam, tali ac tanto *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum vsque ad mortem crucis*, quo nos ad æternam illam postliminio reduceret felicitatem, ad quam ab initio nos creârat. Cùm igitur, vt dicere cœpi, humilis & DEI amore flagrans homo, oculis amoris considerat tantam Dei sui magnitudinem & fidelitatem,

Ex gratia dij esse qui possunt.

Rom. 8

litatem, quidq́ sit idem Deus, quantaq́ fecerit pro nobis, & quare fecerit, quodque ex amore purissimo fecerit, cùm nihil inde ipsi felicitatis accedat: & econtra seipsum, quidnam sit ipse, quantaq́ in fidelissimum ac immensum illum Dominum peccata commiserit, ex hac consideratione seipsum ad seipsum, cum tanta suiipsius dedignatione & aspernatione, conuertit, vt ignoret quid cogitare debeat. Nullum enim locum tam humilem aut abiectum, nullam vilitatem tam extremam nouit, quin se & locum abiectiorem, & maiorem fateatur meruisse vilitatem: multumq́ mirari non desinit, quòd se non magis queat despicere, & quid ad hæc faciendum sibi sit, animi dubius est. Dumq́ perpendit omnia, nullum ei rectius consilium occurrit, quàm vt hæc ipsa fidelissimo amico suo Domino Deo suo queratur: eique iam in acceptissimam illius voluntatem ex toto se resignans, seipsum funditus abnegat, Deumque tam de se quàm alijs creaturis omnibus, quod volet, facere permittit. Atque in isto veram inuenit pacem, quam nulla creatura turbare potest. Adeo namque se demisit in ima, vt aliquis eum inuenire non possit. Si tamen fortè contingeret, vt ab aliqua creatura inueniri posset, quæ & inuentum deprimeret & aspernaretur, atque ille hinc moueri inciperet, (paucissimi namque sunt, quos dolor siue tristicia non interdum afficiat) id non ab homine fragili suscipere, nec ob hoc aduersus illum ira succendi, sed potius de manu Domini tanquam sibi optimum, quod in hoc per illum hominem velut per instrumentum suum Deus operetur, recipere deberet, magnasque pro huiusmodi Deo omnipotenti humili corde gratias agere, multumque gaudere, quòd Deus æternus sui memor esse dignatus fuerit. Reuera nanque in mundo sentire pressuram, & aduersitatibus exerceri tutius est, quàm afflictionibus carere. *Iuxta est enim Dominus his qui tribulato sunt corde*: & aduersa citius ad nostri nos cognitionem perducũt: quod nobis vtilius est, quàm cæli motũ, & quicquid sub cælo est, nôsse. Vbi verò humilis ille ac Deum amans homo, rursus ab eodem mouetur ad laudãdum ipsum, eiq́ gratias agendum, hæcq́ obseruans, eisdem totis viribus satisfacere instituit, diuinoque amore succenditur: tunc multa cum diligentia quæ Dominus maiestatis in humana natura patrare dignatus est, considerando percurrit, attendens videlicet, vt ille nostri causa omnium pauperrimus, abiectissimus, despectissimus fuerit. Ac deinceps omnem illius humilimam, fidelissimam, veritate ac pietate plenissimam inspicit vitam, obseruans vt nullius vnquam ipsum desiderantis voluerit petitioni deesse. In qua sanè vita mirabilia multa, imò plura quàm scribi queat, inuenire licebit, si tantum ipsam attendere & oculis amorosis inspicere non pigeat. Deinde iam diligentissimè considerat, vti fidelissimus idem Dominus Deus suus, turpissima, ignominiosissima, acerbissima præ omnibus morte vitam finierit, adeo vt vix vna cruoris guttula illius in corpore remaneret: vtique idem eius tenerrimum corpus adeo vulneribus confectum vndique atque discerptum fuerit, vt penè nec tantum integræ carnis, quantum acus acies occuparet, in eo posset reperiri: quodq́ hæc omnia ab eis perpessus fuerit, quos ex nihilo ad ineffabilem creârat dignitatem, quò eadem secum beatitudine fruerentur: quòd item vniuersa hæc ex immenso amore pro eorundem sustinuerit peccatis: vt præterea ingenti erga ipsos fidelitate plenissimus, in cruce pependerit in magna acerbissimaq́ confusione, cum expansis brachijs ad suscipiendum inimicos suos: cum inclinato capite, ad deosculandum eosdem: cum aperto

Indolentiam rarò esse.

Tristari hic quàm gaudere, felicius.

Psalm. 33.

Vita Iesu quantis abundet mirabilibus.

Christi passio quã renouanda.

corde, vt in illo commorari possemus: & cum profuso sanguine, quo nos in illo candidaret, ablueretque: nec non cum alijs pluribus signis amoris, quæ hic latius cogitare satagit. Econtra verò solicitè attendit, quomodo pro his omnibus miris atque stupendis, quæ in humana natura facere ac pati dignatus est, amantissimo Domino suo non solum gratias non reddiderit, sed totus ingratus permanens, eundem sæpenumerò peccatis ac sceleribus suis denuò crucifixerit: quodq; nihilominus ipse talia facienti pepercerit misericorditer, crebērrimosq; bonarum admonitionum, exemplorum, institutionum nuntios ei mittere dignatus fuerit: quos tamen omnes, vt suis inordinatis voluptatibus deseruiret, suis indulgeret affectibus, contumelia affectos trucidârit. Cùm igitur hæc omnia mira atque stupenda humilis ac amans anima in seipsa deprehendens, vlterius Dei maiestatem atque erga nos fidelitatem, & ediuerso nostram exiguitatem atq; erga ipsum infidelitatem intuetur, quanquam omnis fidelitas, quam nos de Deo æstimare siue intelligere possimus, nihil sit, si ad ipsam veritatem spectes. Dei enim fidelitas tanta est, quantus est ipse Deus: imo est ipse Deus. Noster verò intellectus, creatus est. Et licet magna sint opera redemptionis nostræ, parua tamen sunt, si componantur cum immensa fidelitate & dilectione illius, quæ hæc ipsum coegerunt perficere. Dum ergo his ediuerso humilis anima suam exiguitatem opponit, eamq; simul & multiplicia peccata sua aduertit, quodq; omnia illa, quæ de sua paruitate comprehendere potest, longè sint infra rei veritatem, imò nihil sint, ad id, quod illa reuera est, attentè considerat: tanta in ipsa despectio, ac suijpsius designatio aspernatioq; exurgit, vt nesciat quidnam cogitare debeat: miraturq; quòd & Deum suum in maiori habere reuerentia, & seipsam magis contemnere non studeat. Licet enim omnipotenti Deo tantum singulis quibusque momentis, quantum omnes possent creaturæ, honorem exhiberemus, hoc ipsum tamen nihil nobis videri deberet: sicut & econtra si nosipsos tantum despiceremus, quantum omnes possent creaturæ, etiam nobis parum videri deberet ad hoc, quod meruimus, eò quòd modici ac fœtidissimi vermiculi, tantum tamqúe pijssimum Patrem (qui nos tam purè dilexit) toties tam graui iniuria affecerimus & contemptu. Planè si hæc fideliter inspexerimus, tanta hinc & erga Deum in nobis reuerentia, & ad nosipsos dedignatio orietur, quòd nihil aliud cogitare poterimus, quàm vt nos ex integro resignemus, funditus abnegemus, atque in Domino moriamur. In his enim tunc vitam beatam diuinumqúe percipimus saporem, quem nemo vnquam obtinere potuit, nisi qui seipsum funditus abnegando, omnibus vitijs ac defectibus in Domino mortuus fuit. Hîc per amorem in Deum subleuamur, vnumqúe cum ipso efficimur, nosipsos per humilitatem in Deum demittimus immergimusqúe, ibiq; perfectè morimur in Deo nobisipsis: non quòd creatura esse desinamus, sed per gratiam vna cum Deo vita efficimur, vbi nosipsos supra nosipsos per amorem in Deum erigimus, funditusq; morimur, & per humilitatem immergimus in Deum: quod totum vna est altitudo, & est ipse Deus. Tantum enim infra nos, quantum supra nos, Deus existit, licet diuersa sint exercitia & actiones, quæ ducunt ad ipsum. Hæc verò diuinæ maiestatis atque fidelitatis, nostræqúe paruitatis & infidelitatis consideratio, tam amabile, sapidũ probatumq; est exercitium, vt mirum sit, eius nos vnquam posse obliuisci. Semper igitur in eo nos occupare curemus. Nullum etenim, quod equidem sciam, melius exercitiũ

haberi

haberi potest, ad obtinendum celeriter tam humilitatem ipsam, quàm cæteras virtutes omnes. Et licet in principio ægrè, nec absque difficultate nosipsos contemnamus, per istud tamen exercitium & Dei gratiam ad nostri resignationem aptiores propensioresqúe efficimur, neque tam vehementer aduersum eos, qui nos iniuria afficiunt, commouemur, neque vsque adeò dedignamur eos, vt faceremus si hoc exercitium non vsitaremus. Dum namque tentati mentem nostram ad Deum conuertentes, quanta passus sit ipse, & quomodo instar vermiculi pedibus omnium calcati, despectus & abiectus fuerit, adspicimus: multum despicimus nosipsos, quòd pro amore illius vel modica pati graue nobis sit, qui propter nos tanta facere patiq; voluerit. Atque hinc tantam erga nosipsos dedignationem concipimus, vt vix nos tolerare queamus. Et inde fit, vt aduersum eos, qui mala nobis irrogant, nullo dolore mordeamur. Istud autem exercitium purè ad Dei honorem, ex vera dilectione magis, quàm ob virtutis fructum, continuandum est. Amorem namque exercere in Deo nobilius est, quàm virtutes exercere propter Deum. Siquidem amor compendiosissima ad Deum via est, per quem celerius in Deum pertingitur. Nec aliqua virtus absque amore supernaturaliter sapit. Amor namque virtutum forma est. Atque per hoc amoris exercitium tantam homo suijpsius acquirit dedignationem, vt iam non modo ipse se despicere, sed etiam ab alijs se despici patienter ferre queat: imò & se contemni gaudeat non minimum, si absque sua id culpa fiat: omnem quoque afflictionem siue dolorem, qui illi inferri possit, ob æternum Dei sui honorem ducit pro nihilo: & quò grauius est quod patitur, eò melius ipsi sapit, magisq; consolatur. Inde namq; & Deo fit similimus, & placet ei plurimum, cùm nihil sub sole nobilius sit, quàm ex amore propter Deum patienter aduersa perpeti. Si enim melius aliquid fuisset, Deus omnipotens vnico Filio suo sine dubio hoc ipsum præstitisset. Quò igitur fidelissimo Deo Redemptori nostro conformes esse possimus, libenter sufferamus aduersa: imò hoc ipsum, quòd patimur deprimimurqúe, paruifacientes, illud potius pro magno habeamus, quod Deus nos dignos iudicat, qui pro amore suo aduersa patiamur. Hinc quidem veram nostrijpsorum cognitionem assequimur, præteritamq; vitiosam atq; fallacem vitam nostram plangimus, & quàm nihil vel nos, vel alia omnia sint extra Deum, quæ magna quandoque reputauimus ac dileximus, liquidò videmus: in quo nimirum vera consistit humilitas. Quisquis autem sui contemptum æquanimiter ferre non potest, & de oblato sibi honore hilarescit: sibijpsi necdum verè displicet, nec perfectè humilis est, sed adhuc superbiæ radices intra se gerit. Verus insuper humilis, non humilis, sed vilis & indignus appetit haberi: lætatur dum despicitur, dolet dum honoratur. Et sicut mundo deditи homines, odio habent aduersarios suos: ita hic odit semetipsum, dum nullum sibi seipso capitaliorē perniciosioremq; fuisse hostē intelligit. Mundus enim & satanas, non nisi nobisipsis nos impugnant. Dum ergo nosipsos vincimus, omnes haud dubiè superamus hostes nostros. Denique si quis virtutem humilitatis perfectè possidere desiderat, discat ardentissimè diligere DEVM, & hoc ipsum continuis feruidisq; desiderijs à Deo petat. Virtutem namque dilectionis nobilissimam Deus ipse specialiter donare habet. Amor autem, humilitatis est parens. Quantum enim in nobis Dei crescit dilectio, tantum etiam nostri sanctum odium augetur. Amor quippe, & quàm iniustè nos ante dilexerimus, & vt deinceps nos amare

Amoris diuini præconiũ.

debeamus, intelligere nos facit. Tantum enim nosipsos verè diligimus, quantum coram diuina maiestate nos humiliamus despicimusqúe: quantum verò pro Deo nos deijcere valemus, tantum ipse Deus in nobis extollitur ac subleuatur. Et sic exaltare, est deijcere: & deijcere, exaltare. Quantum enim per superbiam ac priuatum amorem extollimur, tantum Deus in nobis, quod ad gratiam & virtutem attinet, imminuitur: & quantum nosipsos pro Deo deijcimus despicimusq́; tantum ipse in nobis cum gratia sua augetur. Verus quoque & probè exercitatus humilis, quandam ad ima in se sentit propensionem: nec quiescere potest, donec infimo loco potitus sit. Ibi iam contentus est: sicq́; virtus humilitatis in ipso vertitur in habitum. Infimus autē locus est, nil proprium retinere. Et quia quandiu mortales sumus, multa nobis deponenda & abijcienda supersunt, ideo infimum semper locum inquirere debemus. Nec tamen quisquam ita humilis est, quin esse possit humilior: nec tanto quis Deum amore prosequitur, quin magis diligere queat. Nunquam igitur profundè satis locum infimum inquirere valemus: nec vnquam ab vlteriori profundioriq́; nostri humiliatione ac deiectione nobis cessandum est. Reuera namque fundus humilis aptissimum vas est, cui Deus gratiam suam virtutesq́; copiosè infundat. Humilitas quoque tantæ nobilitatis est, vt à Deo doceri mereatur, percipiatqúe quod nullis potest verbis exprimi. Itaque vbi Deum nostris peccatis offendimus, eiusqúe perdidimus læsimusq́; charitatem, humilitas sola ipsum reconciliare aptissima est. Humilis namq́; peccati nostri agnitio tam grata est Deo, vt omnia nobis delicta omnino remittat. Verus humilis quantum crescit in virtutibus, tanto se minorē, defectusq́; suos maiores reputat. Denique in omnibus lucrum facit. Si aduersa laborat valetudine, cum gratiarum actione de manu Domini suscipit. Si sanus & incolumis est, gratias agit Deo, tantoq́; in diuino obsequio studiosior esse conatur. Si despicitur, similiter Deo gratias agit, sciens se multo maiora meruisse. Si honore afficitur, indignum se sentit: sicq́; tanto amplius aspernatur. Omnes in se aliquid habere iuris putat, se verò in neminem. Et vt breui expediam, ad seipsum callidus est & astutus, ad extenuandum & occultandum bona sua, exaggerandumq́; peccata sua: erga proximum verò benignus & misericors est, ad exaltandum etiam minimam illius virtutem, ad extenuandum defectus eius, excusandumq́; pro viribus, quòd videlicet vel ex infirmitate, vel ex bona intentione, vel certè ex ignorantia fecerit, & iam seipsum fortassis correxerit.

Humilitatis natura quæ.

Rursus de vera humilitate.

CAPVT X.

PROINDE quisquis veram humilitatem, quæ ad omnem sanctitatem ac DEI amorem rectissima via est, obtinere appetit, ille (sicut iam ante dictum est) agnoscere debet, se sine gratia DEI nil posse, potiusqúe DEI magnitudinem atque erga se fidelitatem, suam verò econtra paruitatem & erga DEVM infidelitatem attendet, sese funditus despicere discet, sibiq́; persuasum habebit, neminem se satis despicere vel affligere posse, etiam si solus tanta pateretur, quanta simul omnes creaturæ vnquā perpessæ sunt. Hinc verò magna quædam libertas & fiducia ad Deum

Rectissima ad sanctitatē via quæ.

in ipso

in ipso orietur. Quanto enim humilitas profundior, tanto libertas copiosior. Mentem quoque suam cum vniuersis viribus ad laudandum Deum, ipsiq; pro omnibus gratias agendum, subleuabit erigetqúe. Et licet Deum suum etiam singulis momentis tantum laudare, tantasq; illi gratias agere posset, quantas simul omnes ei vnquam creaturæ egerunt, parum tamen aut nihil ipsi videri debet. Atque ita nec seipsum satis despicere, nec Deum suum satis laudare ac honorare se posse videbit. Quòd autem in his omnibus ob Dei maiestatem ac dignitatem deficit, hoc ipsi erit dulcissimum. Neque enim vllum saporem siue consolationem in quouis exercitio quærere, sed cuncta quæ agit, pure ad Dei honorem facere, debet. Cumq; in Dei seruitio grauamen aliquod vel aduersitatem experitur patiturqúe, & hoc quoque de manu Domini suscipiet, credens eum hoc idcirco permittere, vt humilis sit maneatqúe: & ex vera humilitate, omni spirituali sapore siue diuina consolatione se iudicabit indignum, Deumqúe sicut voluerit in tempore & æternitate secum facere permittet: atque hoc ipsum gratius sibi erit, quàm vel æternaliter eligendi habere libertatem. Quanuis enim super omnia opera iucundum sit Deum laudare, multo tamen iucundius est Dei esse proprium. Hoc siquidem hominem altius in Deum deducit: magisqúe Dei passio, vt sic dicam, quàm actio est. Porrò si hæc humilitas vnquam transire debeat in habitum, satis eam exercitari oportet. Assidua namque exercitatio facit alteram naturam, id est, naturæ inclinationes immutat. Et si hoc sola potest exercitatio, quanto magis gratia, quæ in exercitatione operatur? Denique in istiusmodi hominem micantes radios suos Sol diuinus absque medio diffundere potest, quòd ille seipsum altissimè demerserit, atque sub Deo collocârit, non iam retro se, nec ante se, sed Deum duntaxat supra se adspiciens intuensq;. Huc verò solitudo tam corporis quam animi, deuotumq; silentiũ conferunt nõ minimũ. Insuper homo iste tam sub Deo, quàm creaturis omnibus ad minimum vsq; vermiculum, qui nec Deum vnquã offendit, nec tanta sicut ipse beneficia ab eo recepit, collocat constituitqúe: Deumq; Creatorem suum, & quicquid in illo viuit, dignissimam videlicet Christi matrem, omnes Angelos & Sanctos, Ecclesiam sanctam, & omnia Dei Sacramenta in multo semper honore, magnaqúe habet reuerentia. Humilitas omnem cordis dolorem pellit & angustiam: nec vllus vnquam dolorem vel pœnam incurrit, nisi qui veræ fuit expers humilitatis. Pœna siquidem & dolor ex superbia nascuntur. Si nanque Lucifer humilitate fuisset præditus, nunquam in diabolum versus esset. Quòd autem cecidit, superbia illius in causa fuit. Maria verò dignissima Dei Genitrix, quia perfectè humilis erat, ideo nullam vel minimi peccati contraxit maculam. Et reuera si quis verè humilis esset, nec ille peccatum vllum admitteret: & Deus, quicquid vellet, absque impedimento in ipso operari posset & perficere. Ideoq; sanctus ait Augustinus. Si quis ex me percontaretur, quisnam omnium sit optimus: responderem, humilimus. Et si centies quæreret, semper idem responderem. Sed iam nunc gestus ac mores veri humilis, id est, quomodo se in omnibus habeat, attendamus. Primò à seipso incipiens, propriam indignitatem, vilitatem, nihilq; suum funditus agnoscit: quomodo videlicet seipsum per peccata sua indignum fecerit omni gratia ac beneficijs, quæ à Deo possit recipere, cunctisq; pœnis, afflictionibus, pressuris illis adstrinxerit, dignumq; se fecerit, quas illi Deus ipse cum creaturis omnibus infligere queat. Indignum se fatetur quem Deus crearet, eidem-

Quis qua conditione non peccaret.

Optimus omnium quis.


eidemque pro refectionis ac sustentationis beneficijs, quantum potest, gratias humiliter referre non obliuiscitur. Dona quoque gratiarum & bona omnia, quæ Deus illi contulit, nulla ex parte se meruisse fatetur. Omnia igitur & seipsum quoque Deo omnipotenti ad illius offert honorem, vtpote quæ purè ex ipsius pijssima misericordia promanârunt. Nec ex aliquo Dei dono siue gratia extollitur, siue sit scientia, siue sapientia, fortitudo, pulchritudo, diuitiæ, siue quiduis aliud, sed se omnibus DEI donis censet indignum, eaqúe hac tantùm ratione accepit, quòd videlicet Deus bonus est, absque alia causa. Constanter itaque affirmarim, in istiusmodi homine, Deum in omnibus donis & operibus suis nullum pati impedimentum: ideoque & ad summam vsque perfectionem ipsum perducere. Dum enim in ipso Deo operari placet, liber est & expeditus, Deum patiens, Deum sequens, eique cooperans velut instrumentum. Omni præterea loco, quem vel sedendo, vel stando, vel etiam iacendo occupat, se indignum semper confitetur. Nihil enim aliud sibi tribuit, quàm quod ex seipso habet, peccata scilicet, multiplicesqúe defectus. Et licet multum se humiliet, nihil tamen aut parum sibi fecisse videtur. Siue ergo comedat, siue bibat, siue quiduis aliud agat, locum vilissimum in domo, postremum in mensa, & minimam cibi potusqúe portionem capit eligitqúe: & breuiter, in omnibus ipsi necessarijs minimam abiectissimamque sibi partem optat cedere: quodque vel alijs superest, vel ab alijs fastiditur, ipse lætus suscipit, nec ei parum nimis esse videtur: sed eo ipso indignum se reputans, illud nec meruisse, nec mereri se posse fatetur à Deo. Adhæc, in verbis humilis, breuis & mitis: in respondendo simplex & verax, in conuersatione & vestitu similiter simplex, omnibus sine fictione seruire paratus, in cunctis exercitijs operibusque suis, intus & foris, tam coram Deo quàm hominibus vniuersis, humilitatem obseruat, ita vt nemo in ipso vllum queat capere offendiculum. Atque hoc modo superbiam totius iniquitatis fontem, originem, & causam, euincit, superat, depellit. Per humilitatem namque retia & laquei omnes, siue dæmonis, siue mundi, siue peccati, dirimuntur ac dissipantur, & homo in seipso ordinatus efficitur, ac in proprio suo virtutis constituitur loco, eique cælestia regna panduntur: & orationes illius Deus libenter exaudiens, gratia sua ipsum copiosè perfundit & implet. Et ipse Dominus Iesus Christus lapis angularis, fundamentum eius est, super quo virtutes omnes profunda cum humilitate construit: nec facile corruere potest. Denique homo iste in omnibus sine querela est, & absque dolore. Cuncta nanque de manu Domini suscipiens, de nulla creatura queritur, quanlibet indignè vel iniuriosè tractetur ab alijs, imò si etiam perturbarent, expellerent, cæderent, transfoderent, & morte demum ipsum afficerent, nunquam sibi ab eis cogitaret iniuriam fieri, nec alicui parum vel multum de qualibet iniuria vel de re quacunque sibi illata imputaret: & sic absque pœna moreretur. Dum enim cuncta de manu Domini suscipit, eadem sibi optima & vtilissima esse intelligit. Nulli enim aliquid Deus largitur, nisi quod ei optimum sit: quod ita certum est, sicut viuere Deum. Hæc igitur compendiosior, rectior, melior reuera via est ad diuinæ charitatis, omniumque virtutum perfectionem, nullo negotio obtinendam.

(.·.)

De exter-

De externa patienti resignatione in omne afflictione tentationeque.

CAPVT XI.



X humilitate porrò resignatio patiens, obedientia, cæteręque virtutes omnes trahunt originem. Patiens autem resignatio, duplex est. Vna externa, interna altera. Externam resignationem ita obseruabis. Quicquid tibi in exterioribus quibuscunque occurrerit, totum de manu Dei omnipotentis velut ex æterna paterni cordis eius dilectione tibi transmissum, non autem à creaturis, accipies. Atque hoc modo breui spatio perfectè cum Dei voluntate vniêris, & electis amicis eius sociaberis: cunctáq; aduersa, quæ tibi euenerint, ex paterno illius fauore nasci, & ex suprema illa dilectione, qua te vel prosequutus est, vel vnquam prosequetur, imò etiam ex qua dilectissimo Filio suo dura & aspera quæque in hoc mundo degenti patienda transmisit, tibi euenire ipsum permittere cognosces. Neque enim alia ratione tibi aduersa quælibet euenire permittit. Nec tibi vel afflictionis, vel iniuriæ indignitatem, resignationis patiaris eripere fructum. Neque dicas intra te, hæc atque ista mala faciunt mihi peruersi & obcæcati homines illi. Quin potius ita dicas, hæc & hæc bona facit mihi pijssimus Deus per amabilia instrumenta sua, ex paterno beneplacito suo, ad supremam vtilitatem meam: quæ licet incognita sit mihi, nota tamen est illi. Ideoqúe & libens ista patiar, & eius in hac afflictione beneplacitum præstolabor: qui etiamsi per instrumenta sua me occidat, in paterno tamen fauore illius, qui semper viuit, nec mori poterit, sperabo. Sic faciebat sanctus Iob patientię exemplum, qui bonorum suorum direptionem non imputabat prædonibus, sed ita potius aiebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Cæterùm plerosqúe inuenire est, qui ex naturæ vel complexionis bonitate, ita modesti & quieti sint, vt exigua cum gratia Dei in qualibet aduersitate resignati sint & patientes. Elementa siquidem in eis satis temperata sunt. Sanguis eorum resignationi deditus, & vis irascibilis quieta & tranquilla est. Ideoqúe citra difficultatem erga omnes, & cum omnibus resignatam & tranquillam vitam ducere possunt. Et istud quidem laudabile & bonum est, sed parui meriti apud Deum, nisi locupleti gratia deauretur. Muliebris est enim ista resignatio. At bonus quisque virili resignatione præditus erit, quæ æternæ vitæ meritoria est, per quam ratio virilis vim irascibilem deifica resignatione moderatur. Et licet etiam sanguis ipse ira præferuida ex rerum externarum aduersitate incandescat, ignem hunc iræ efferuescentis aqua gratiæ cælestis restringuere debet: atque ita natura in illo suo ordine constituitur, in quo olim à Deo condita est & collocata. Vis nanqua animæ irascibilis, modò virilis sit, præclara certè vis est. Magnum siquidem rationi subsidium præstat ad altissima quæque capessenda, ad quæ anima secundum optimam ad supremam sui partem, indesinenter adspirat. Inuenire est canes quosdam venaticos ita generosos, vt ex naturæ suæ nobilitate omnes vires suas pro nobilioris bestiæ alicuius captione extendant: quæ verò deiectioris sunt generis animalia, ea penitus ingenita nobilitate nullo insequendi studio dignentur. Hi canes raros edunt latratus: sed tacitè ac sub silentio magnam ex venatione prædam referunt. Econtra, qui ex natura ignobiliores sunt canes, multos habent latratus, & capiunt

Resignatio duplex.

Iob 1.

Similitudo venusta à canibus venaticis sumpta.

parum. Istis similes sunt homines, sese vindicare, rixari, irasci faciles & assueti: qui profectò non virile, sed muliebre cor habere probantur. Tu verò, ô anima nobilis, viliores quosque expellendo, eos tantum, qui generosiores sunt, tibi serua canes venaticos, viresq; tuas inferiores, irascibilem scilicet, concupiscibilem, rationalem, ita instítue, vt in quodam interno silentio: in Spiritus solitudine clam nobilioris feræ vestigia explorent, æterni videlicet Verbi Dei, intima spiritûs inhabitantis, quod totis viribus ac omni facultate sua insequentur; donec ipsum apprehendant: de quo vescentur rationabiliter, & pascentur ac cibabuntur delectabiliter in beata ac essentiali fruitione ex diuina natura ipsius. Omnem verò bestialem vsum siue fruitionem vilioribus illis canibus pro eorum necessitate relinque, ad sedandum latratum atque bilem ipsorum: sicque bene ordinata, tranquilla, sedata intus, & pacata ac benigna foris esse coneris. Quòd si forrasse aliqua in aduersis impatientia te moueri sentias, resiste quantum potes, & sustine: sicut & omnium hominum perfectissimus Christus Iesus, adeò ab imminentis ei passionis præmeditatione pulsabatur, vt in multa

Math 26. cordis angustia diceret: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. E. quid dicam? Pa-*

Ioan. 12. *ter, saluifica me ex hac hora.* O quantum pulsabat animum eius imminens passio,

Lucæ 22. vt in agonia positus, etiam sanguinem sudaret. Ita ergo & tu in afflictione constituta, sub quanta potes celeritate, vires omnes recollige, ipsamq; afflictionem in sua origine regenerans, (Ex amore siquidem illo, qui Deus ipse est, originem duxit) ipsam velut auream oblationem offerre rationabiliter, Patrique cælesti exhibere humiliter contende, sic dicens. O omnis paternitatis Pater, en ego pauper & infirma filia tua, afflictionem hanc hodie de paterna manu tua velut nobilissimum pretiosissimumq; dilectionis munus suscipio. O Pater dilectissime, si me passionis huius calicem bibere oportet instar infirmi alicuius, qui pro ægrotationis molestia releuanda amarum poculum sumere compellitur, non mea, sed tua voluntas fiat. Hoc tantúm rogo & obsecro amantissime Pater, vt quia sine te nihil possum, virtutem & gratiam mihi tribuas, eam iuxta tuum beneplacitum sufferendi. Dumq; istud feceris, certa esto, æterni ac clementissimi Patris oculos apertos atque directos esse ad respiciendum angustias tuas, tibiqúe oportuno tempore succurrendum, si saltem expectare voles: sicut pater aliquis prædilectum filium suum diu in pœnis & angustijs relinquere non potest, quin ei succurrat, ipsum in eius afflictione, paterna pietate foueat recreetque. Præterea in aduersitate posita, neque desperare, neque de paterno corde diffidere debes, dicendo: Oblitus est mei Deus, reliquit me Dominus. Cogita potius, quia *quem diligit Deus, castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit.* E-

Hebr. 12. nimuerò videbat ipse dilectissimum Filium suum præ angustia sanguinem sudare, ad columnam ligatum, flagellis atrocissimè cædi, & demum in cruce velut fœnum arescere: nec tamen in tanta passione constitutum, minus eum amabat: imò tam ei tunc charus erat in cruce suspensus, quàm modò in cælis in pa-

Heb. 12. terno ipsius sinu constitutus. Et eodem planè modo omnibus eius charis amicis accidisse constat: quorum alij assati, alij decocti, alij in cinerem, alij in puluerem redacti sunt. Et ita demum etiam tecum agitur ô anima nobilis. Si enim Domino Deo tuo singulariter complacere, & ab eo familiariter diligi cupis, ab

Matt. 10. & 24. ipso quoque singulari dilectione singularem haud grauatè passionem suscipe. Quæ si in finé vsq; perseueraueris, perfecta & salua eris, sicut ipsum Veritatis os Chri-

Christus Dominus testatur. In afflictione nanque, animi resignatio est ante Deum velut cithara dulcisona, vel suauis harmonia. In eius siquidem chordis, id est animæ viribus, tam dulciter in intima deuotione canit ipse Spiritus sanctus, vt suauiter earum voces, cælestis Patris aures occulto quodam & interno silentio penetrent. Duplex enim in hac cithara vox siue cantus auditur. Grossiores siue bassæ fides, bassum: exiles verò, acutum sonum faciunt. Dum enim corporis vires vndique dolor occupat, velut bassum ac lugubrem sonum faciunt. Porrò animæ vires, quia plena deuotione in spontanea patientiæ resignatione persistunt, suauem sonum efficiunt. In hac autem dulcissima diuersarum vocum melodia, sanctus Spiritus organistæ gerit officium: & animæ vires, grossæ tenuesque sunt fistulæ: Angeli verò sancti, huius organi folles calcant: qui etiam spiritalē sanctæ deuotionis delectationem in viribus tam animæ quàm corporis excitant commouentque, quoties in eis Spiritui sancto altissimum intimæ deuotionis cantum canere placet. Et quis suauitatem cantus Spiritus sancti explicet? Sanè quisquis hunc audire potest, intus Angelico quodam gaudio perfusus, velut nuptijs cælestibus interesse sibi videtur. Atque illud est sancti Spiritus præludium quoddam, & in hoc seculo purissimi perpetuique gaudij illius, quod in futura vita expectamus, prælibatio felix atque iucunda. Iam verò deinceps attēde, quomodo verè resignati ac patiētes homines diuini planè dignissimique sint milites Christi. Quis enim æstimare sufficiat, quàm ineffabilem in corde suo delectationem Rex ille cęlestis concipiebat ex adspectu noui illius purpurei ac militaris habitûs dilectissimi filij sui, quo ille recenter vestitus fuit, omnium iam inde ab illo tempore & internorum & externorum Martyrum factus signifer? Qui quidem habitus militaris, eidem ex tempore ob illius millitarem cessit strenuitatem. In æternitate nanque sua constitutus, hunc sibi habitum deesse perspiciens, de regali sede palatioque cælesti descendit, non vt rex aliquis, sed vt humilis seruus: atque in militari certamine arma hæc & insignia militaria fortiter dimicando sibi comparauit, quæ eum vltra quàm dici possit, in oculis æterni Patris totiusque cælestis exercitus exornant, qui eum vtique iam plus quam quinque millibus annorum elapsis, haud dum in eiusmodi purpureo ac militari conspexerant habitu. Vnde & ipse plurimum delectabatur in eo, quòd amantissimos electosque amicos suos simili habitu conspiciebat exornari, gaudebatque vehementer, cælestem Patrem suum coram intueri pœnosam militiam & agonem patientium Martyrum suorum, qui modò tam multiplici ex eorum gloriosis corporibus micante gloria refulgent. Omnia nanque cæli regna, singularemque claritatem, decoramque gloriam illam pro ipsorum patientia Deus eis omnipotens contulit atque donauit. Hunc autem militarem habitum & Martyrum aureolam Angeli sibi vsurpare nequeunt: quippe qui in sublimi illa Angelica natura virtutem resignationis in patienti sufferentia haudquaquam exercuêre. Porrò ob ineffabilem gloriam illam, quam supra Angelos anima in corpore per temporales afflictiones mereri potest, cor illud paternum adeò illi fauet & cupit, vt si electus aliquis amarissimam illam passionem sustinere posset, quæ ipsum quoque cordis fundum attingat, vitæque naturalis radicem arefaciat, suffocetque (quæ quanto est pœnalior, tanto & Deo gratior est) si, inquam, afflictionem hanc absque interno externoque solatio ferre posset, Deus eam illi ex summo fauore largiretur: sicut & dilectissimo Filio suo eam largitus est in cruce penden-

Fidium grossarū aut exiliū sonus quis.
Organistæ.
Fistulę.
Folles.
Mat. 27.

Matt 27. Marc.15. pendenti, atque dicenti: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* In qua quidem resignatione & ipse Deus Pater, & totus cælestis exercitus quoddam perennis gloriæ habuit responsum. In vera nanque resignatione desolatæ afflictionis, quæ vel vnius duntaxat horæ spatio duraret: fieri posset, animam patientem gradum perfectiorem assequi, quàm bonis actibus insistens, etiam vnius integri anni spatio obtineret. Quisquis igitur in afflictione resignatior est, ille Christo similior est. Christus enim nunquam verbis passioni restitit: nunquam, siue nutu oculorum, siue quouis gestu, aliquid irresignationis exhibuit. Manus & pedes clauis perforari, & caput spinis atrocissimè configi permisit. Seipsum denique & omne naturale solatium deserens, per passionem, vt Propheta ait, *in* Psalm. 21. *puluerem mortis* deduci se passus est. O quàm necessaria erant rationalia illa instrumenta, & ferocia ac immitia corda, quę Christum fixêre cruci, dum per illorum crudeles actus, & ipsi & nobis plena est & consummata gloria. Sed & ad extremũ vsque iudicij diem huiuscemodi instrumenta & amara atque ferocia corda, ad electorum præparationem necessaria sunt. Sicut enim (vt Euangelium ait) *Christum* Luc.24. *oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*: ita & sancta electaqúe membra illius, patiendo venire oportet in gloriam suam. Veruntamen ô anima nobilis, in afflictione qualibet constituta, ad memoriam reuocare studebis omnia Christi Ioan. 15. suauia dicta pro confortatione tui, vt est illud: *Sicut dilexit me Pater, & ego dile-* Luc 21. *xi vos.* Et sanctissima promissa illius, vt verbi gratia: *Omnes capilli capitis vestri* Matt 10. *numerati sunt.* Et: *Capillus de capite vestro non peribit.* Et: *Fulgebunt iusti sicut sol in* Matt 13. Luc 21. *regno Patris eorum.* Et: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Et: *In afflictione & mortis angustia suspicite, & leuate capita animarum vestrarum in gaudio, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Denique quicunque tales sunt mi-Philip. 4 lites Christi, cum Apostolo fidenter dicunt: *Gaudete in Domino semper: Iterum dico, Gaudete.* Si verò, ô amans anima, non ilicò sub oratione tua, in qua crucem & afflictionem tuam Deo obtulisti, diuinam tibi sentis adesse consolationem, ne quæso mireris. Magis enim ille vas tuum adhuc expurgare constituit, antequam in illud diuinæ consolationis suę infundat balsamum. Secura tamen esto, si in orationis ac deuotionis instantia persiteris: diues ac liberalis est rex tuus: si non ilicò fortè tibi præbuerit merum, ad minus certè vinum dilutum siue infirmorum, id est, solatium internum in lachrymis compunctionis per ministros suos, id est, Angelos sanctos, etiam te ignorante, tibi præstabit atque miscebit. Quòd si fortè Deus omnipotens aduersa tibi infligere dissimulat, non hoc ob tuam siue probitatem, siue strenuitatem facit: sed quia satis ipse nouit, quàm indigna sis miles esse Christi, qui cum rex dignissimus sit, indignum ac pauidum habere militem non debet. Veruntamen amplum & angustum est re-Ioan. 14. gale palatium eius, diuersasque *mansiones* habet. Si igitur inter nobiles ac generosos milites annumerari constituique recusas, saltem in curia eius stabularius, aut ignis sufflator, aut certè cocus esse coneris: ignemque sufflare, id est, oratione deuotionem tuam excitare, cibumque deuotionis excoquere, & in operibus misericordiæ te excere contendas. Omnibus perfectionis & sanctitatis exemplum præbe, & vultum placidum, conuersationemque honestam exhibe. In conuersatione tua medium obserua, vt nec dissolutus nimium, nec plus quàm oportet serius sis: non in lætitia, non in tristitia excedas modum. Cuncta opera & Matt. 5. verba tua ita temperata sint & moderata, vt in eis *honorificent omnes Patrem* tuũ

qui in cælis est. Quodlibet opus bonum tanta cordis tranquillitate facere stude, ac si ipso facto statim cælestia regna sis petiturus. Intentio tua in cunctis operibus tuis ita inter te & Deum tuum sit directa, vt purè omnia pro honore & beneplacito ipsius, non ad hominibus complacendum, facias. Nam secundùm intentionem cordis tui iudicabit ac remunerabit Deus cuncta opera tua. Si ergo intentio tua pura est, omnia quoque opera tua, pura & in ordine bona sunt: Si verò peruersa est intentio tua, cuncta quoque opera tua impura sunt, siue ea ordinata sint, siue inordinata. Intentio nanque peruersa, fel quoddam pestiferum est, quæ omnia felleo humore inficit destruitque. Vbi verò, quod ad tuam attinet personam, omnia tibi eueniunt ex sententia, vt & sanus sis, & necessarijs abundes, atque hominum laudibus extollaris, cunctaq; eis placeant opera tua, beneque te geras cum proximo tuo, cunctaque tibi cedant prosperè: ex his omnibus virtutem tibi elice, naturā in gratiam commuta, & in fundo tuo excidens tibijpsi ita loquere in corde tuo: O Pater pijssime, en dilectissimi milites tui inter spinas & tribulos per viam angustam incedunt. Ego verò extremus omnium seruientium tibi, totus immundus, in palatio tuo inter rosas & lilia, per viam latam & mollem iter facio. Satis aduerto Domine, ideo te mihi ex paterna prouidentia tua temporalem impartiri sufficientiam, quia me infirmum seruulum tuum, ita fragilem cognoscis, vt nisi me pomis, paruulorumque tuorum temporalis sufficientiæ donis alliceres, facile à te ad perpetuum damnum meum exciderem, dilaberérque. Nunc igitur meipsum tibi offero Deus meus, cum omnibus quæ possum per gratiam tuam, paratus omnem perpeti miseriam, crucem, afflictionem, quam mihi euenire volueris: tibiq; laudis cantica persoluens de omnibus donis tuis, psallo cum puerulis illis Israeliticæ plebis in corde meo: *Osanna in excelsis.* Atque hoc modo rationabiliter etiam ipsam prosperitatem tuam, profunda cum humilitate offer cælesti Patri tuo. Nam & ista quædam resignatio est, per quam etiam adeo acceptus Deo fieri poteris, vt ex paterno fauore suo de ancilla reginam gratissimam, id est, intimam ac secretam in copiosa deuotione amicam te suam efficiat. Attamen reuera si sine multa tribulatione Deus vitam ducere te permittit, verisimile est, te necdum ex charissimis eius reginis esse. Quæcunque enim anima æterni sponsi illius prædilecta ac specialis regina esse voluerit, hoc omninò fieri habet per ardentes ac ignitas afflictiones siue aduersitates, ipsam ossium medullam deuastantes, quæ ipsam haud secus præparant, quam ignis ceram, vt capere possit formam, quamcunque ei artifex imprimere volet. Si enim supremus ille artifex nobilissimam gaudiosæ perpetuæque essentiæ suæ imaginem ei imprimere debeat, necesse procul dubio est, vt vetusta illius aboleatur imago, atque ex propria ratione sublimis illius transformationis in supernaturali operatione vetustam formam suam penitus deponat. Nam & secundùm naturam & secundùm gratiam impossibile est, vt res aliqua nouam & præclaram accipiat formam, nisi prius antiqua ignobilis forma exuatur. Huic igitur iam dictæ formæ immutationi in animæ transformatione Deus omnipotens puram quandam præparationem prædisposuit ac destinauit, per intensissimas videlicet & intimas vitæ medullas attingentes afflictiones. Quam enim animam cælestis ille Pater donis potioribus exornare, & sublimiter transformare decreuit, eam non lauare molliter, sed balneare etiam, & submergere ac immergere in mare consueuit amaritudinis.

Opera omnia secundùm quid iudicanda.

Matth 21

Index amicorum aut inimicorũ Dei quis sit.

Sicut & Ionam Prophetam in mare præcipitari fecit. Et Dauid ait: *Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt.* In veritate dico, priusquam Deus impræparatam relinqueret animam, quam tam sublimiter elegit, sibique tam singulari cordis fauore segregauit, citius vel centum millia hominum ex huius animæ occasione damnum aliquod incurrere permitteret: imò etiam potius mille sanctis hominibus occluderet interim oculos, vt vel ignoranter vas istud electionis grauibus iudicijs suis præpararent. Qui tamen, sancto vase isto iam expurgato, ab oculis eorum velamen aufert, eorumq; defectus mitius ponderat, eò quòd ex occulto consilio suo miro quodam modo factum fuerit. Qui tum perspicuè in diuino lumine vas istud deauratum, & pretiosis lapidibus opertum esse cognoscunt. Plus aliquid dico, priusquam Deus vas istud nobile impurum relinqueret, citius è cœlo Angelum suum huius vasis per tribulationes præparationi destinaret, sicut beato illi Patriarchæ Iacob legimus contigisse. Sanè electorum hominum passio, non semper vulgaris est passio: sed frequenter ita insolita ac inaudita est passio, quam eis etiam improuisè Deus euenire permittit, vt nihil tale vnquam cogitârint, nec quicquam inde vel suspicati sint. Veruntamen æquanimis ac bono animo esto ô anima patiens. In cunctis nanque amaritudinibus istis Christus electus cordis tui ex millibus, clausis ianuis (id est, cunctis viribus tuis duritia conclusis) introire, tibique nouam quandam & inexpertam nouit infundere suauitatem. Amaritudinem verò, quam sentis, pro inferno & purgatorio tuo suffer patienter. Verè nanque pura, resignata, patiens anima, nuda ac munda de ore ad regni cælestis palatia, vbi mille anni die vno breuiores sunt, euolat atque conscendit. Attamen nullam crucem infructuosam abire fines, sed ita in corde tuo dicas: O Domine Deus meus, en offero tibi meritam quidem, sed inuoluntariam afflictionem meam, ipsamq; hodie tuæ sanctissimæ passioni admisceo inseroque, quo eius virtuti vnita, cælesti Patri tuo reddatur accepta, sicut & latronis illius tecum crucifixi passionem tua passio fecit fructuosam. Porrò in aduersitate constitutus, omnem inordinationem deuita. Vna siquidem inordinatio parit aliam, & vt plurimum inordinatio turbulentum reddit animum. Animus verò inordinatus, grauior animæ crux intus est, quàm ipsa passio foris. In qualibet igitur aduersitate ordinatus esse coneris: quoniam quidem hac ratione Deus electos suos præparat, qui dum sæpenumerò nihil aliud, quàm passionis molestiam foris, & intolerabilem amaritudinem intus sentiunt, tunc vlterius diuina in eis gratia in virtute passionis operatur: & foris quidem vetustam peccati deponit abraditq; rubiginem, intus verò animam ab immundo bestialium inclinationum mucore purgat & emundat. Interim quoque spiritus Dei faciē animæ reuelans, ipsam in eandem trāsformat imaginē à claritate in claritatem. Denique & ipsius fœdæ ac putridæ carnis, dæmonis quoque maligni tentationes, animæ quædam sunt præparatio: in quibus nimirum posita, constanter deificę resignationi inhærebit. Quanlibet enim multæ peruersæ & iniquæ cogitationes suboriantur in anima, si vel sub ipsis, vel post eas anima per bonas cogitationes ad Deum sese conuertit, peruersæ illæ cogitationes depelluntur deciduntque: quæ, quanlibet sordidæ sint & immundæ, nihil animæ contagionis siue maculæ ingerunt, quandiu voluntas rationalis consentire recusat. Vnde sanctus ait Augustinus: Caro ipsa carnales parit concupiscentias, sed non nocet, quando ratio consentire non vult, sed eis potius resistit, malens in puritate simi-

lari

Marginal notes: Ioan 1. — Psal. 4. — Gen. 32. — Luc. 23. — Concupiscentiæ quousque non nocent.


lari Angelis in cœlo, quã in immunditia iumentis in cœno, siue dæmonibus in inferno. Idque satis approbat iustissimus ille iudex Deus, nec vnquam irremuneratum abire sinit, quòd anima pro illius amore, quem non videt, abnegat, & deserit proximum amicum suum, quem videt, quiq; ei iugiter adhæret, corpus videlicet suum, quod pro amore Dei arescere, in spurcisque desiderijs suis velut perire facit. Vult igitur & exigit iustitia illius, vt hoc ei centuplum in purissima delectatione æternaliter in gloria, & in hoc seculo in gratia restituatur. Nunc igitur, ô anima, dum immundis pulsaris tentationibus, teipsam Deo in vera resignatione offerens, ita in corde tuo dicas: O Domine Deus meus, qui intima cordium omnium intueris, & nôsti intentiones omnes, tu scis quia libenter tibi cælestem ac puram exhiberem animam. Iam verò non nisi immundum vas habeo, quod licet spurcis plenum sit tentationibus, ipsum tamen tibi offero, quale illud habeo. Si melius haberem, melius vtique offerrem. Rogo igitur te Deus meus, munda illud sanctissimo sanguine tuo, vt diuini influxûs tui capax efficiatur, tibique in gratia acceptum fiat, ipsumq; omni illo diuino dignare ornatu, ad quem me & elegisti & præordinasti in paterno fauore, æternaq; prouidentia tua, *priusquam cæli fierent, & formaretur terra & orbis*. Postremò adhuc alia quædam est resignatio. Hæc est, qua cor bonæ voluntatis adeo se ad obedientiam inclinat, vt Psal. 89. ex seipso viuere nôlit: viuit autem, & cuncta opera sua ex salubri sanctoque spiritalis ac illuminati cuiusdam Confessoris agit consilio. Hæc planè via ad cælum tutissima est, per quam facillimè ac simplicissimè retia diaboli euaduntur. In hac siquidem resignatione cuncta opera gratia abundant. Ea verò opera, quæ homo bonus ex proprio facit iudicio, difficile est discernere, vtrum ex natura, an gratia fiant. Ei autem qui voluntatem propriam abdicauit, inferni iter præclusum est. Vnde sanctus Bernardus ait: In inferno nihil nisi propria voluntas ardebit. Tolle hinc, & infernus non erit. Vbi enim seipsum homo deserit & exit, ibi Deus ingreditur. O quam multi Religiosi, infructuosi sunt Martyres, dum propria voluntate repleti, sibijpsis in propria quæsitione & iudicio duces sunt, paruamq; aut nullam magnis suis exercitijs merentur beatitudinem: qui si omnia opera sua in obedienti resignatione perficerent, insignes nimirùm apud Deum Sancti efficerentur.

Via ad cælũ tutissima, quæ.

Quid solũ in gehenna ardeat.

De interiori suprema resignatione & excessu in Deum, per quem spiritus omnino in Deum immergitur, vnumque cum illo efficitur, in vera paupertate & suijpsius nihilipensione.

CAPVT XII.



HVCVSQVE de illa resignatione dictum est, quæ ad animam pertinet, quatenus illa vitam subministrat corpori, quæ & exterior resignatio nuncupatur. Iam verò de illa vlterius interna resignatione dicendũ est, quæ ad spiritum refertur, qui in suo opere, corporeo non vtitur instrumẽto: sed eius opera, pura, incorporea, & supra tempus sunt, erecta ad incorporeum increatumq; bonum illud, quod est ipse Deus, vt nimirum spiritus sursum attractus, & cum omnibus viribus suis intensus quadam vi supernaturali operatur, in lumine supernaturali cõtẽplatur, supernaturali dilectione feruet & ardet, purissimæq; illi & abstractę inhæret substantiæ: nõ lucens tẽpori, sed inhians æternitati, sibijpsi omninò excidens, ac

deferens pure ac nudè quicquid est, potest, scit, præualet, amat, possidet, contemplatur & fruitur. Hæc, inquam, omnia illi in hac intima sui resignatione & inexhausta diuinitatis abysso exciderunt: submersa, deperdita, abnegata sunt nudè in quoddam non moueri, non viuere, non valere, non posse. De hac altissima interna resignatione dignam aliquid dicere nulla sufficit lingua, quin &
Hier. 1. cum Hieremia fateri cogitur omnis: *A, a, a Domine, nescio loqui, quia puer sum ego*
Luc. 1. Attamen ex infinita Dei potentia possibile est hanc obtinere, cum *nihil ei sit impossibile*. Cæterùm cùm multi sint sanctioris vitæ modi, paucissimi tamen sunt homines, qui verò absque deceptione tractu huc intrahantur. Cuius equidem ratio est, quia ferè omnes propriç complacentiæ proprioqùe sensui innituntur, & priuato ducuntur amore. Quisquis autem hunc purissimum fundum ingredi voluerit, omnem priuatum amorem antè omnia necessariò debebit abijcere. Amor nanque priuatus, ingens quoddam & incompositum onus est, quod resistendo impedit omninò, nec penetrare finit spiritum angustam Christi portam, id est, priorem illam iam antedictam externam resignationem, quæ via quædam est, ad hanc sublimem internam resignationem perducens. Denique sunt nonnulli sola specie spirituales, qui adeò sibijpsis placent, vt tanta tamqúe multa, de se sentiant, vt sibi in ea, quam cum proprietate quadam possident, sanctitate sua primam illam viam pertransisse videantur: qui tamen intus & foris multa proprietate & suijpsorum immortificatione plus satis abundant. Hi planè ad hanc proximam introuersionis viam sunt inepti, ad quam tamen falso quodam lumine introducti, in suprema se perfectione consistere arbitrantur: quibus reuera multo foret melius, rudes adhuc & incipientes esse. Maligni nanque spiritus, qui à gratia exciderunt, quorum ipsi ludus sunt, in eis & cum eis falsum ac perniciosum spiritûs ludum in ficto atque phantastico exercent lumine: quod tamen miseri intus pro suo Deo habent, colunt, adorant: qui quidem casus est perniciosissimus, dum in hoc falso lumine diabolum adorant, quod maximum esse peccatum, in confesso est. Ex centum nanque latrocinijs facilius quis emergere atque resurgere posset, quam ex hoc grauissimo lapsu. Fit tamen iusto Dei iudicio, quod nemo capere potest, vt aliqui in hoc summo perfectionis gradu constituti cum summis nihilo minus spiritibus cadant excidantqúe, aliqui etiam cum supremis Angelis summam assequantur obtineantque beatitudinem. Et hoc est quod Christus ait, *In tempore illo erunt duo in lecto vno*:
Ioe 1.7. Ma. 24. qui lectus est quieta, dulcis, delectabilis vita contemplatiua: *& vnus assumetur, & alter relinquetur*, deletus nimirum de libro vitæ, & ridens ad æterna lamenta procedens. Huius igitur tam periculosæ atque grauissimæ rei gratia cor bonum ac pium tractui Spiritus sancti resistere caueat. Sicut enim almus isteSpiritus sublimis artis huius magister est: sic Deus Pater fidelis conseruator, & Deus Filius
Zach. 2. verus dux & moderator est horum charissimorum discipulorum suorum, quos velut *pupillam oculi* sui custodit, sicut ipse per Prophetam dicit. Cor igitur illud, quod à Spiritu Dei in hoc interno ac sublimi opere agitur, amorosum quédam, feruidum ac diuinum timorem habere debet omnium verborum Dei, quæ & tanti faciet, vt cœlum & terra citius ei in obliuionem abeant, quàm aliquod Dei
Esa 66. Verbum paruipendat. Ad neminem enim Domini spiritus respiciet, nisi *ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones eius*, sicut ipse per Prophetam attestatur. Sanè contra errores omnes pijssimus Deus primò quidem purissi-

purissimam Christi doctrinam & Apostolorum, omnemq; sacram Scripturam, dehinc lucidissima exempla institutionesq; Sanctorum nobis sua concessit prouidentia, in quibus omnibus velut in tutissima via securissimè ambulatur. Præter quæ si quis fortè mundo cordi sensus rarus ac sublimis, aut reuelatio, aut phantasia incidat & occurrat, non ea cum proprietate possidebit, sed bonum amicorum Dei vel Confessoris sui consilium ac testimonium quæret atque sequetur, sicq; securus erit. Sed & hæc optima quædam cautela, verusque in spiritu profectus est, vt Dei magnitudo & excellentia in fundo tuo crescat, vt videlicet spiritus in intellectuali sua cōsideratione atque in ipso fundo suo Deum magis ac magis magnum, abyssalem, immensum apprehendat & intelligat: idque non cum opinione, sed re ipsa ita esse sentiat: atque iuxta hoc suum dirigat intellectum siue captum, quantum potest, & quantum Deus illi in hac caliginosa luce, & lucida caligine seipsum cum actuali seu existēte bonitate exhibere dignabitur In hoc interiori spiritûs incremento omnis externa creaturarū cedit consideratio. Quanto nanque Deus spiritui fit magnus, tanto omnes ei creaturæ decrescunt ac euanescunt. Denique in hac luce gloriosus Pater Benedictus totum mundum, velut sub vno solis radio, ante se adductum vidit. Hîc amor omnis creaturarum exuitur: atque in hoc supermirabili spiritûs miraculo, vbi ipse supra omnem sensuum ac intellectûs capacitatem, à Deo in admirabilem lucem suam deducitur, rapiturque, ita vt supra naturam & etiam supra seipsum, extra id quod factus est, in quandam deiformitatem eleuetur: ibi planè spiritus præ lumine absque luce, præ cognitione absque cognitione, & præ amore absq; dilectione efficitur: non quòd absque dilectione fit, sed in sua cognitione, vbi contemplationis oculum ad sese reflectit, omnis ei essentia, vita, vires, cognitio, amorq; suus, nimis parua videntur ad summum Deum comprehendendum. Sicut enim culex modicus ad vastissimam cæli molem, intra se comprehendendam, omnino impar est: sic & iste Spiritus ad Deum comprehendēdum nimis agnoscit se ducitq; imparem: sicq; in Dei celsitudinem sustollitur attrahiturque, quòd seipsum in suam demittat paruitatem, dum naturalem in se facultatem non inuenit, quæ ad Dei comprehensionem possit pertingere. Nec tamen hanc omnipotentis Dei immenso prorsusq; infinito honori iniuriam facere præsumit, vt eum hoc supernaturaliter efficere posse diffidat denegetque. Atque hoc modo perfectè stat resignatus in propria imperfectione suiipsius, confitens Domino omnem paternum honorem, infinitamq; illius dominationem. Hîc iam internum quoddam mutumque silentium fit, nec vllum hic verbum eloqui licet. Sed nec intus, nec foris quicquam hic operari permittitur: sed ipse spiritus patitur dulcem quandam insensibilem & ineffabilem passionem in supermirabili miraculo lucidissimæ, supersplendentis, ac abyssalis deitatis. Hîc planè felix ac stupendus est Dei ludus, qui spiritus capacitatem ad suprema illius pascua coaptat præparatque. Quanto nanque seipsum Deus magis ac magis purè in hoc sublimi coruscoq; manifestat lumine, tanto amplius Spiritus diuinitatem esurit sciens nesciensque: quanto autem Deitatem plus esurit, tanto Deus vacuam eius capacitatem amplius implere desiderat appetitq;. Et sic infinitus quidam hic circulus est, dum & spiritus capacitas ex repletione famescit, & esuriens impletur; ac vndique pascua inuenit, in quibus & esuriens & repletus pascitur. Est præterea mirus quidam hic intellectualis circulus in circulo. Nam & ipse

Cautela siue profectus optimus quis.

Quædā S. Benedicti visio.

Silentiū spirituale

Circulus in circulo

Deus sponte spiritui se comprehensibilem reddit, dum se illius capacitati in supernaturali quadam contemplabili luce temperat, sicque per contemplationem in intellectuali illo circulo, id est, in circulari siue ambiente spiritus capacitate, comprehendi sinit. Est præterea Deus ipse verus, immensus ac interminabilis circulus, qui amplissimum hominis spiritum (qui in sua comprehensione cælo terraque latior est) in se velut punctum includit, qui tamen spiritus ad illius maximæ ac incomprehensibilis immensitatis Dei comparationem, ita paruus censetur & exiguus, vt vix aliquid dici possit. Ideoque hic ipse spiritus suo rursus nihilo sete immergit, manet tamen sua illi creata essentia, atque in illo duntaxat excessu & eleuatione, in incomprehensibilem ac immensam infinitæ diuinitatis claritatem liquescit profluitque: in qua etiam vicinius ineffabiliter vnitur, quàm ipse purus aer Solari lumini, dum ab eo in meridie perfunditur ac illustratur: vbi licet splendor solis & aer ipse sine medio sint vnita, non tamen splendor aerem sua natura & essentia priuat, sed ipsum purgat, illustrat, nobilitat, transformat. Eodem sanè modo & hominis spiritui contingit. In Deo siquidem purissimè illustratur, nobilitatur, & in diuinæ conformitatis transformatur similitudinem, nec tamen in sublimi illa ad Deum vicinitate vel propinquitate creatam essentiam suam amittit. Deo quippe suum tribuens honorem, creatam essentiam suam ex illius increata essentia originem traxisse, deque nihilo factam esse, & naturali quodam exitu ex Deo profluxisse, ac supernaturali introitu in Deum remeâsse ac refluxisse fatetur. Hicque iam in abyssali diuinitatis pelago spiritus ipse submergitur & absorbetur, ita vt dicere possit: Intra me Deus, extra me Deus, & vndique circa me Deus. Totum mihi Deus, nec quicquam noui nisi Deum. Porrò bonæ voluntatis ac virtuosum cor, quod ista diligit, nec tamen ea quandoque gustat vel experitur, nihilo minus ex intimo sui altissimas Dei diuitias, quas ipsis exhibet electis, fideliter laudare studebit: sicque horum omnium erit particeps, & desiderium ipsius pro eius capacitate implebitur. Sanè si pater aliquis nouem dilectas sibi haberet filias, & vna saltem ex eis ad regni fastigium sublimaretur, & diatemate conaretur regio, octo reliquæ sorores meritò pro coronatæ illius amore & patris honore, magnificè exultare ac gratulari deberent, quamuis illa vna duntaxat regiæ celsitudinis coronam perciperet. Ita planè & hac in parte munda quæque corda facere debebunt. Hanc autem viam altissimam, introitum suauissimum, scientiam excellentissimam, abyssalem sapientiam, illi soli docendam relinquimus, prout ante diximus, qui omnium supremus Doctor atque Magister est. Nec tamen ignorandum est, altissimos, deuotissimos, maximeque spiritales homines istos, tantam interdum intrinsecus paupertatem experiri, vt nulla sit mors temporalis tam acerba, quam non libentissimè, si Deo placeret, pro desolata illa interna paupertate exciperent. Reuera namque interior illa afflictio siue crux, ipsam quoque in eis ossium medullam deuastat. Magna planè est afflictio eorum, dum eos velut in suspendio tabescere, & viuos in mortis angustia emori oportet. Nec vlla eos vel in tempore vel æternitate creatura solari potest. Sed inter tempus ac æternitatem velut suffocari ac strangulari eos oportet, donec ab hoc suspendio Deus eos pijssimus absoluat. Horum dolorem creaturæ non alleuiant, sed graui eis sunt oneri. Generoso namque spiritui ex naturæ suæ ingenita nobilitate, gratiæque proprietate, pœna non modica est, quòd creaturis habeat

Abstratio spiritualis

Comparatio pulchra.

Quanta subinde spiritualium hominum paupertas.

beat implicari, quippe qui non ignorat se, si ab omni materia denudatus, abstractus, absolutus esset, tum demum nudè ac purè sine medio & accidentibus in nobilissimo statu suo posse consistere. Vnde ipsum corpus, quod anima vegetat viuificatq́; , spiritui tenebrosus, horridus, pœnalis carcer est. Argentum quoque, aurum & diuitias omnes, ceu fimum ducit, vtpote in quibus nullam delectationem, nihil quod suo sapiat palato, inuenire potest. Certe generosa aquila fœno non delectatur, nec pascitur, sicut bos aut equus. Et Propheta ait: *Omnis caro fœnum*. Omnis deniq́; temporalis delectatio ei amaritudo amarissima est, sicut valde sitibundum, acetum amarum refrigerare non potest, quando is vinum forte purumq́; appetit. Porrò in omni hac amaritudine regula diuina internæ resignationis deuotum spiritum in quadam æqualitate consistere, diuinumq́; beneplacitum in pace præstolari cogit, vt quomodo Deus vult, ita & ipse velit. Et quia iam Deo placet vt patiatur, vt similiter & ipse hoc absq́; tædio velit: imò vt penitus omnis sit expers volũtatis, paratus etiam sustinere quod ipse Dominus, in omni hac sublimi resignatione ita se illi exhibeat, ac si diceret: Non te noui, nescio quis sis: omnis vita tua extranea & incognita est mihi, quæ quidem ingens probatio atq́; tentatio est. Hîc planè probatur, quis seruus, quisue filius sit. Dum enim aduersitas imminet & vrget, seruus retrocedit. Filius autẽ patri tam in aduersis quàm prosperis adhæret immobiliter: adeò vt si etiam pater irascatur, paternumq́; ei solatium subtrahat denegetq́;, ipsumq́; verberibus afficiat, nequaquam tamen ab ipso auertatur, sed ei perpetuò fixus adhæreat. Talis nimirum Apostolus erat, altissimæ viæ huius verus calcator, qui dum à Deo fœdissimæ ac immundissimæ tentationi traderetur, acceptissimum Dei beneplacitum studebat exequi: simulq́; in seipso, vase vtiq́; rationali, & tentationem impurissimam, & lucidissimum gratiæ lumen circunferebat: nec minus Deo charus in immunda illa tentatione, quàm in tertij cæli raptu, fuit. Et iuxta hunc modum etiam in alijs suis amicis Deus operatur. Sæpius namq́; in interiori quadam penuria & inopia eos derelinquit, adeo vt videatur eis, nullum Christianum tam parum gratiæ, fidei, dilectionis, omnisq́; boni habere, vt ipsi. Attamen ipsis ignorantibus, latenter eos in fundo ipsorum Deus conseruat, atque in hoc paupertatis graui cruce præparat in quo sæpius ipsi multo cum desiderio mortem suspirant, & ea longius fugit ab eis: atq́; in hac cruce pro gratissimo suo beneplacito Deus eos perficiens, ad summam eorum felicitatem ipsos perducit. Semper igitur ô anima nobilis, huius institutionis atq́; doctrinæ memor esto, vt in vera iugiter resignatione persistas, veram quoq́; proinde perfectionem semper habitura in Christo Iesu Domino nostro. Amen.


Esaiæ 40.

Quomodo seruus à filio discernatur.

2. Cor. 12.

De obedientia sub Deo, sub superioribus, & hominibus vniuersis: de laude ipsius, & quomodo eam obtinere & exercere debeamus.

CAPVT XIII.



VM in confesso sit, omnes ex humilitate virtutes oriri: ipsáq́; obedientia, prima humilitatis filia siue virtus sit, de ea iam consequenter dicturi sumus. Est igitur obedientia virtus, qua homo propriã voluntatem suam abnegans exuensq́;, quod et in Deo & secundum Deum præcipitur, facere statuit eligitq́;. Item: Obedientia est sub-

Quid obedientia virtus sit.

submissæ flexibilitas voluntatis & ad omne bonum infatigabilis animi promptitudo. Obedientia præceptis ac vetitis, Deiq; voluntati hominem subditum facit, sensusq; & vires sensitiuas rationi subijcit superiori, ita vt homo modestè ac rationabiliter viuat. Insuper & Ecclesiæ & Ecclesiasticis hominem subdit Sacramentis ac superioribus eius cunctisq; Ecclesiæ dogmatibus, institutionibus, præceptis, consilijs, institutis, consuetudinibus vniuersis: omnibusque hominibus in dandis consilijs, auxilijs, obsequijs tam corporalibus quàm spiritualibus, secundùm discretionem & cuiusque necessitatem, promptum atque flexibilem reddit. Ipsa in congregatione pace continua fœderat vniuersos. Neque enim potest aliquis verè pacificus esse, nisi qui veraciter obediens est. Talis autem diligitur ab omnibus, quibus cum viuit. Omni namque velle & nolle prorsus abnegato, præceptum neque expectat, neque in exequendo moras facit: sed mox vbi aliquid ei iniungitur, promptus atque paratus est omnibus. Sed ô quã pauci verè & perfectè obedientes nunc inueniuntur, qui omni propria voluntate abdicata, non Deum & creaturas sibi obtemperare cupiant, sed ipsi magis alterius velint facere voluntatem, dicentes sine cessatione cum Apostolo: *Domine quid me vis facere?* Sanè obedientia tanta virtus est, vt vel minimum aliquod opus ex ipsa factum, qualecunque illud fuerit, multo melius Deoq; acceptius sit, alio quamlibet magnopere sine ipsa perpetrato, siue sit Sacræ Missæ auscultatio, siue lectio, oratio, contemplatio, seu quodlibet aliud opus, quod excogitari possit. Ipsa omni tempore quod optimum est, in omnibus & ante omnia operatur, Ipsa errare non potest. Nec negligit quicquam. Opera illius correctione non egent, nec aliquod ei bonum deest. Quantum enim per obedientiam seipsum quisque non quærit, seipsum & quod suum est, deserit abnegatque, vitijsq; moritur, tantum quoque Deum ipsum cum gratia virtutibusq; suis ingredi oportet. Et quanto in vitijs nostris magis ac magis abnegamus nosipsos, tanto quoque nostri potentiores efficimur. Quis enim magis suus est, quàm qui suijpsius potens ac liber, animam suam habet in manibus suis, dare eam valens cuicunq; voluerit? Hic nimirum absque impedimento ex integro cor suum ad Deum potest erigere, (quod profectò nemo facere potest, nisi qui sibijpsi in Deo mortuus est) nec perire potest, quia à Deo per gratiam illius liberatus est: dumque seipsum non vult, Deus ipsum vult. Siquidem in homine obediente penitus morari, imò nec offendi debent. Volo & nolo, sic vel sic, hoc atque illud, sed seipsum omnino purè exire studebit: & ibi quicquid optat, assequitur: dum videlicet Dei beneplacitum omnibus illis, quæ Deus dare possit, amplius amat. Ideoq; & hæc optima oratio est: Da mihi Domine Deus meus quicquid volueris, & fac mecum in omnibus secundùm gratissimam voluntatem tuam. Ista oratio, quàm cælum terra, celsior est. Quanuis enim dum pro gratia & virtutibus oramus, à Deo in precibus nostris exaudiri iucundum sit: multo tamen delectabilius est, potissimo se Dei beneplacito resignare, eiusq; ante omnia, in omnibus, & post omnia voluntatem appetere. Inter omnes namque Christi orationes, quas in hoc seculo fudit, illa summa fuit & excellentissima, quam imminente passione fundebat, dicens: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Hæc quippe oratio præ omnibus, quæ vnquam dixit, & Deo Patri acceptissima honorabilissimaq;, & nobis vtilissima, & dæmoni terribilissima fuit. Per illam siquidem voluntatis suæ, secundùm humanitatem eius, resignationem nos omnes, si tamen

Quis tantum verè pacificus.

Actor 9.

Nota.

Qui optime oretur.

Matt 26. Mat. 4.

tamen

tamen velimus, seruati sumus. Atque hoc modo gratissima Dei voluntas verè humilium summum præcipuumq́ gaudium est. In isto namque & natura extremè deprimitur, & Deus altissimè extollitur, diuinorumq́ charismatum homo capax efficitur, vtpote qui omnia pro omnibus dedit, ac seipsum abnegauit funditus: nec tamen pro hoc aliud aliquid requirit, quàm quod velit Deus. Dum ergo nosipsos diuino beneplacito resignamus, in Spiritu sancto baptizamur, filijque Dei constituimur: dumq́ huc orationem nostram referimus, satis bene precati sumus. Vnde & Augustinus ait: Fidelis Dei seruus non affectat, vt sibi dicatur præcipiatúrve, quod libenter audit: sed potius, quid sibi dicatur præcipiatúrve, eum audire delectat. Sciendum est autem, ad obedientiam veram atque perfectam multa requiri. Primò namque prudens & discreta esse debet, vt videlicet intelligat, nihil sibi contra Deum vel eius præcepta præcipi vel prohiberi posse. In alijs verò omnibus, siue sit orare, vigilare, ieiunare, laborare, siue quodlibet aliud, in his, inquam, quanto obedientia simplicior, tãto & fructuosior erit. Secundò simplex erit, vt pro solius Dei gloria & honore, non aliquo priuato commodo, hîc vel in futuro percipiendo, fiat. Licet enim vitam æternam appetere sit concessum, quo tamen obedientia purius pro DEI exhibetur gloria, eo melior atque suauior est. Purè namque ad Dei gloriam obedire, non seruorum aut mercenariorum, sed filiorum est, quibus nimirum ipse Patris honor qualibet mercede dulcius sapit: ideoque vel in vno saltem opere maiora virtutis incrementa percipiunt, quàm mercenarij, qui Deo pro mercede seruiunt annis etiam mille. Tertiò hilaris erit. *Hilarem* quippe *datorem diligit Deus*, & parum aut nihil illi coacta placent seruitia. Vt igitur cum hilaritate obedire queas, multum amare discas. Amor siquidem omnia reddit facilia, ita vt quælibet etiam opera, ad offerendum dilecto suo parua ipsi videantur. Quartò velox esse debet. Non enim moras nouit vera obedientia, sed ad omnia prompta atque parata est: magisq́ se inclinari sentit ad exequendũ ea quæ sibi præcipiuntur, quàm quæ sua voluntate susceperat. Dum enim paruum aliquod obedientiæ opus magis etiam magno propriæ voluntatis actu dilecto suo placere sentit, ea de causa seipsam semper exire & abnegare desiderat, vt tota fiat Dei. Quintò virilis erit, ita vt quicquid ei præcipitur, forti animo aggrediatur, & vix quicquam impossibile vel nimis difficile ducat. Quòd si etiam omnia, quæ vnquam facta sunt, vel sola facere posset, hoc ipsum tamen suo iudicio ducet pro nihilo. Talis nimirum obedientia, tam virtuosa, tamque honesta est, vt omnium, quæ vel fecit, vel facere posset, oblita, hoc solùm spectet, quid illi debeat, propter quem omnia facit: sicq́ plura adhuc facere desiderat, paratior ad obediendum, quàm alius ad præcipiendum. Sextò deuota esse debet. Vera namq́ obedientia quicquid agit, ex recta intentione pro sola Dei gloria, non ad placendum hominibus, facit: & quicquid ei præcipitur, totum de manu Domini suscipit reuerenter: vnde etsi forcassis ex se ipsa melius aliquod opus inchoâsset, citra tamen difficultatem ipsum intermittit, dum ei aliud imperatur. Plus enim ei obedientia in paruo, quàm proprietas in opere magno sapit. Quisquis igitur obedientiam difficilem esse causatur, necdum quid sit obedientia, gustauit. Quanto enim sapor diuinus omnem naturalem saporem excedit, tanto etiam obedientia omni propriet[illegible] melius [illegible] quæ pro Deo fiunt vel dimitt[illegible] habet reddere. Nihil itaq́,

Quot ad veram obedientiã requirantur.

I. II. III. 2. Cor. 9. IV. V. VI.

quanlibet magnum, cum tali proprietate possideamus, quin illud, Deo vel hominibus aliud exigentibus, hilariter dimittere possimus: in quo sanè non modò nullam facimus iacturam, sed etiam meremur plurimum. Intentionem quippe diuini honoris, quam in maiori opere habuimus, & si bonum esse debeat, habere in quolibet opere tenemur, nihilo minus retinemus, dùm ad aliud nos opus ex obedientia conuertimus, alterisq; nos subdimus subijcimusq;: & insuper virtutem lucramur obedientiæ, quæ Deo procul dubio multo gratior est omni opere, quod ex propria voluntate facere potuissemus. Septimò vera obe-
VII. dientia etiam humilis erit, cùm sit ipsa humilitatis filia. Dum enim humilis obediens, Sanctos quosque considerans, aduertit, quomodo illi concorditer magno desiderio ad hoc peruenire contenderint, vt verè obediētes essent, propriumq; sensum totaliter obliuisci & extinguere possent: ac vbi propriā fortassis quæsitionem deprehenderent, seipsos continuò abnegârint specialiter verò dum fi-
1. Tim 6. delissimi amatoris sui perpendit obedientiam, attendens qualiter ille, cùm *Rex regum* esset *& Dominus dominantium*, *ad mortem vsque crucis* obediens ac resignatus fuerit: inde nimirum æstuanti obedientiæ desiderio succensus, ad omnia bona promptus, alacer, paratus efficitur: idqúe non tantum sub Deo & superioribus suis, verùm etiam sub omni humana creatura, hominibusq; vniuersis, qui etiam quanto inferiores sunt, tanto ei subiectio amplius sapit, libentiusq; obedit: cùm maior vtique mortificatio sit in isto, quàm sub superioribus inclinari. Quanto autem nosipsos magis ac magis abnegamus, tanto similiores efficimur ei, qui propter nos nō tantum cælesti Patri suo obediuit, sed etiam *in manus peccatorum tradidit semetipsum*, liberè eis sine querela, quicquid vellent, secum facere permittens. Porrò quanto ei similiores sumus, tanto & eidem amplius placemus. Denique licet magnum sit atque laudabile, superioribus propter Deum obedire: multo tamen maius est, æqualibus: maximum autem, inferioribus Dei intuitu obtemperare. Istud quippe mortificationem ac humilitatem maiorem exigit. Nec tamen ita hoc accipiendum est, quasi inferioribus contra superiorum iussa parere debeamus: aut quasi verus humilis, aliquem se minorem vel inferiorem debeat ducere. Attamen pro statûs dignitate, sacerdos maior est homine plebeio: & subdiaconus Prælato, ac sene iuuenis, inferiores sunt. Neque enim scire possum, quo pacto aliâs verè humilis, aliquem se viliorem inferiorémve posset credere, nisi pro statuum conditione. Demum, quoniam exempla fortius mouent quàm verba, quanta per obedientiam Sancti miracula fecerint, multis est codicibus posterorum memoriæ commendatum, & inter cætera, vt frater quidam iunior, ex obedientia longius allata aqua, tamdiu lignum aridum fixum irrigârit, vt fructum ex se produceret. Ita planè nec modò quisquam adeò aridus, & diuina gratia vacuus est, quin si obedientiæ iugo suaui colla submittere velit, virere ac florere, copiosumq; fructum producere possit. Obedientia nanque ad omnis gratiæ susceptionem locus est aptissimus capacissimusq;. Quisquis igitur ea, quæ hîc scripta sunt, æquo perpenderit iudicio, & sanctam obedientiam amauerit, non grauatè feret eius iugum, sed voluntariè & cum ingenti gaudio, aliorum parebit voluntati, sentietq; in obdientia duriori gustum spiritûs dulciorem, fietq; ad obediendum pro DEI honore promptior, quàm quiuis esse possit ad præcipiendum.

Qui seu qua in re Christo maximè similemur.

De pro-

De propriæ voluntatis abnegatione, atque vt rebus temporalibus vti, exteriora opera ex fundo bono & sancto peragere, ac spiritu pauperes esse debeamus.

CAPVT XIIII.

PORRÒ ex obedientia propriæ voluntatis ac sensus proprij nascitur abnegatio. Non enim potest aliquis nisi verè obediens propriam voluntatem suam in omnibus alterius resignare ac subdere voluntati, quamuis externa opera etiam cum propriæ voluntatis retentione perfici queant. Hæc autem propriæ voluntatis abnegatio siue resignatio, (de qua iam ante plura dicta sunt) hominem sine electione huius aut illius in agendo & dimittendo, ad DEI honorem iuxta superiorum voluntatem, omniumq; bonorum hominum, quibuscum viuit, consilium, cum vera discretione viuere facit. Quis igitur in proprietate viuit, nisi qui Deo bonisq; omnibus communis non est? Hic quicquid animo concipit siue proponit, tam tenaciter ac mordicus, tantaq; cum proprietate tenet, vt vix aliquis inde eum possit abducere: adeoque de se magnificè sentit, vt se difficulter relinquere possit, quod profecto totum venire ex superbia, dubium non est. Vnde nec pacem aliquando habet, nec opera bona, quæcunque tandem agat, sapiunt ei, eò quod ad diuinæ gratiæ susceptionem inidoneus sit. Vnde etiam nūc hoc, nunc illud eligit appetitque. Quandoq; enim multa libenter experiri, cum Deo pacem ac fortem ad Deum conuersionem habere percuperet: Iam verò libens pauper & mendicus esset: Aliâs vel eremitorium, vel meliorem optat congregationem accedere. Et in his omnibus bene secum agi arbitratur. Sed reuera non nisi à seipso mouetur, nec quicquam hîc est nisi propria voluntas, licet ipse hoc neque sciat, neque cogitet, sentiátve. Rarò siquidem vel nunquam aliqua in homine suboritur perturbatio, nisi ex propria voluntate, siue aduertat ipse, siue non. Amor etenim inter homines pacis seminarium est: cuius dilectionis venenum propria voluntas est, eiq; è diametro repugnat. Nec quicquam Deus ita odit, sicut propriam voluntatem. Cesset voluntas propria, (ait Bernardus) & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem? Cæterùm sunt plerique, qui multa quidem fugiāt, & singulares quosdam viuendi modos, loca & opera inquirant. Sed his non res ipsæ impedimento sunt, sed ipsi potius seipsos impediunt in rebus, dum eas inordinato amore prosequuntur. Quisquis igitur talis es, incipe primum à teipso, & abnega temetipsum. Reuera enim nisi tuijpsius inordinatum ac priuatum in rebus amorem euulseris & abieceris, quocunq; etiam pergas fugiásve, quod te impediat, quodqúe perturbet, inuenies. Qui enim seipsum non abnegat, nec abnegare conatur, quò longius fugerit, eò minus, quod quærit, inueniet: (haud secus quàm is, qui à recto aberrauit itinere) quantoq; magis hoc aut illud eligit, tanto plus proprietatis habet, & aberrat amplius. Quid ergo faciendum est in istis? Hoc nimirum, vt quamprimum aliquid nobis occurrit, in quo nosipsos inordinato cum amore quærimus, ibi statim nosipsos abnegemus & exeamus: & tunc reliquimus omnia. Sed iam quid sit amor inordinatus, explicemus. Si qua mihi cōfusio occurrat, vel incommodū, si res meæ mihi auferantur, aut alia quæuis accidant mala,

In proprietate viuere.

Vnde ferè turbatio omnis oriatur.

Quod sit amoris venenum.

Amor inordinatus

& hæc me multo dolore ac tædio perturbent: signum est euidens, me [illegible] meijpsius amore teneri. Si enim alteri hæc fortasse contingerent, quem minus amarem, non me tanto dolore vel tædio afficerent, etiamsi ille me multo esset melior. Et hoc totum vtique ex inordinato, falso, priuatoque amore procedit. Qui enim melior est, hunc iure plus quã nosipsos amare debemus, cũ & Deo charior sit & acceptior: maioremque ad ipsum compassionẽ habebimus. Quæ namque Deus [illegible]git, ea & nos amplius diligemus: nec quicquam in nobis diligere debe- remus, nisi quę Deus amat in nobis: & odire, quę ipse odit in nobis. Si igitur nos- ipsos inordinato non prosequeremur amore, gauderemus nimirũ, si persecutio [illegible]pressio nos aliqua molestaret. Ille nanque deprimitur, & persecutionem su- [illegible] in nobis, qui & nobis quàm maximè aduersatur, & à nobis meritò odiri [illegible]et. Et quis, quæso, molestè ferret, si capitalem eius hostem aliquis cum illo [illegible] qui conaretur? Planè igitur insipientes sumus, si dum ea, quæ cum proprie- tate possidemus, nobis auferuntur, ira succendimur ac perturbamur. Et quid, quæso, magis odiri potest, quàm ipsa nostra proprietas, quæ nobis tot læta & ad- uersa, tantumque tædij & molestiæ irrogat, vt corda mentesque nostras pro nostro desiderio ad Deum liberè non queamus erigere? Quid autem Deus ipse magis di- ligit in nobis, quàm ipsam nostri, vt sic dicam, totalitatem, vt videlicet ipse si- ne impedimento gratissimam in nobis queat perficere voluntatem suam? Quis- quis igitur minus proprietatis habet, hunc Deus amplius amat, isque Deo simili- mus, & ad gratissimæ voluntatis illius executionem aptissimus, sed & sapientis- simus, & tam Dei quàm suipsius, iuxta ordinatæ dilectionis rationem, maximè proprius est. Quanto enim plus Deum diligimus, eique placemus, tanto & nosipsos verius amamus. Vbi notandum, quòd licet omni inordinatę proprietati renun- tiare simus adstricti, ordinatam tamen proprietatẽ, Deum videlicet laudandi, amandi, ei in perpetuum seruiẽdi, omnino retinere debemus: nec hanc abnegare licet, cùm sit ipsa vita nostra æterna. Semper nanque & æternaliter Deum nostrũ amabimus, laudabimus, & in illius obsequio corã ipso assistemus. Et hãc vitam intra nosipsos habebimus, & per gloriã suam in nobis Deus ipse regnabit. Porrò quando per amorem Dei laude deficimus, nescientes quo pacto satis illum præ excellẽtia maiestatis eius laudare, satisque diligere possimus, & nosipsos in Deum excedimus: ibi sanè magis patimur, quàm agamus, vnaque cum Deo vita effici- mur supra nosipsos, atque in Deo morimur nobisipsis. Vbi verò per amorem in Deum excessimus ac mortui sumus, ibi vna vita & vnus amor sumus cum Deo. Huncque triplicem vitæ modum perenniter experiemur, ac sine cessatione habituri sumus. Nec vnus modus impediet alium. Vbi nanque Deum per gratiã vel gloriam amamus siue laudamus, ibi actualiter coram ipso semper assistem[9], perpetuam quandam famem ac desiderium sentientes. Vbi verò per amorem nos excedimus, ibi magis patimur quàm agamus. Opus nanque quod hic agimus, simplex quædam & amorosa est inclinatio in illum æternum amorẽ, qui Deus ipse est, & hoc supra actionem & desiderium virtutis amatiuæ. At vbi per amorẽ hoc ipsum, quod sumus, excessimus: ibi planè satiamur, nec quicquam deficit nobis. Sed iam vlterius de proprietate dicamus. Sicut is, qui in proprietate viuit, difficulter abnegat seipsum, quin semper mãlit alterum sibi obtemperare, quàm ipse velit (superbus quippe est) acquiescere alteri: ita econtrario is, qui propriam voluntatem studuit abnegare in omnibus tam in agendo, quàm dimittendo,

Qu[illegible] D[illegible]s maximè am[illegible].

Qui sem- per corã Deo assi- stamus.

vel

vel etiam patiendo, pronior est obedire alteri, quàm velit alterum obedire sibi. Atque per hoc omnis superbiæ causa & materia profligatur penitus, humilitas in supremo suo gradu perficitur, Deus pro suo beneplacito hominis fit potens: hominisq́ voluntas sic diuinæ copulatur voluntati, vt nihil aliud, quàm Deus velit, velle queat vel appetere. Hic planè veterem exuit hominem, & nouum induit, qui iuxta Dei gratissimam creatus est voluntatem. Sanè si quis augustum imperium, aut etiam totius orbis abdicaret à se dominium, & reliqui...deret possessionem, seipso retento, nihil aut parum ille relinqueret. Qui verò seipsum funditus abneget & relinquit, quanlibet multa sibi retineat, siue sint diuitiæ, siue honores, seu alia quæuis, quæ sibi reseruare cogitur, omnia tamen dereliquit. Omnibus nanque ad Dei gloriam pro sua stricta necessitate, vti nouit, tanquam is, cui mutuò data sunt atque commissa velut seruo, ad impertiendum, quòd superest, egenis & pauperibus, non ad inordinato cum amore possidendum. Denique alium rebus, quas possidet, plusquàm seipsum indigere considerat, illum ad bona sua seipso quoque plus aliquid iuris habere arbitratur. Ex ipso autem cordis fundo ab omni re & negotio temporali penitus auersus, magis contemni quàm honorari, & subesse potius quàm præesse appetit. Mundus siquidem iste crux illi est, dum quod mundus amat, ipse non quærit: quod autem ipse diligit, mundus auersatur. Verùm cùm aliquem in externis operibus fructum sibi facere posse videtur, siue promouendo aliquem ad Deum, siue infirmis ministrando, siue alijs quibuslibet actibus charitatis, tunc quamlibet solitudini deditus sit, seipsum hilariter extrouertit. *Charitas enim non quærit quæ sua sunt*: nec est vlla vita præclarior vita communi cum vera dilectione cõiuncta. Et quia ad interiora propensior est, ideo seipsum tutius ac minori cum impedimento extrouertit, quàm alij qui ad exteriora sunt faciles ac proni. Ad hoc autem, vt exterioribus quibusque per amorem ac delectationem homo nõ inhæreat, omnis omnino diligentia ipsi possibilis exigitur, quo ab omnibus fluxis ac transitorijs rebus alienus intactusq́ permaneat. Non enim vel tantillum nos habere proprij vult Deus, quantum oculus possit capere. Ea propter quod modò aufert nobis modò largitur: quodqúe diuersis nos vrget & exercet molestijs, totum ideò facit, vt ab omnibus prorsus nudi & pauperes efficiamur, sicqúe nostram ipse in nobis valeat salutem operari. Quando igitur homo resignatus & mortuus, seipsum extrouertit, tunc nihilo minus & in intimis permanere, & oculos suos interiores semper ad Dominum directos habere conatur: cumqúe aduertit inutiliter se extrouersum, ilicò ad Deum sese conuertens, cum ingenti seipsum ob suam instabilitatem dedignatione considerat. Et quia nihil possidet per amorem, ideo nullo se negotio & extrouertit, & recipit intro. Sanè Petrus Apostolus ait: *Domine, ecce nos reliquimus omnia*, cùm tamen non nisi nauẽ vnam & retia reliquisset. Quod S. Gregorius exponens, ait: Multum dimisit, qui cum re possessa, etiam concupiscentijs renuntiauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Qui enim voluntatem suam & seipsum derelinquit, omnia tam verè reliquit, ac si sua fuissent propria, & in sua ea potestate habuisset. Cuncta siquidem quæ propter Deum non vis concupiscere, reliquisti. Ideò Dominus ipse dicebat: *Beati pauperes spiritu*, id est, voluntate. Reuera si via alia hac ipsa fuisset melior, eam nobis haud dubiè fidelis Dominus indicâsset. Nam & alio loco dicit: *Qui vult venire post me, abneget*

Quis omnia relinquat.

Cuinam mundus crux sit.

1. Cor. 13.

Matt. 19.

Matt. 5.

Matt. 16.

deserens pure ac nudè quicquid est, potest, scit, præualet, amat, possidet, contemplatur & fruitur. Hæc, inquam, omnia illi in hac intima sui resignatione & inexhausta diuinitatis abysso exciderunt: submersa, deperdita, abnegata sunt nudè in quoddam non moueri, non viuere, non valere, non posse. De hac altis-
Hier. 1. sima interna resignatione dignam aliquid dicere nulla sufficit lingua, quin & cum Hieremia fateri cogitur omnis: *A, a, a Domine, nescio loqui, quia puer sum ego*
Luc. 1. Attamen ex infinita Dei potentia possibile est hanc obtinere, cum *nihil* ei *sit impossibile*. Cæterùm cùm multi sint sanctioris vitæ modi, paucissimi tamen sunt homines, qui verò absque deceptione tractu huc intrahantur. Cuius equidem ratio est, quia ferè omnes propriæ complacentiæ proprioquè sensui innituntur, & priuato ducuntur amore. Quisquis autem hunc purissimum fundum ingredi voluerit, omnem priuatum amorem antè omnia necessariò debebit abijcere. Amor nanque priuatus, ingens quoddam & incompositum onus est, quod resistendo impedit omninò, nec penetrare sinit spiritum angustam Christi portam, id est, priorem illam iam antedictam externam resignationem, quæ via quædam est, ad hanc sublimem internam resignationem perducens. Denique sunt nonnulli sola specie spirituales, qui adeò sibijpsis placent, vt tanta tamque multa, de se sentiant, vt sibi in ea, quam cum proprietate quadam possident, sanctitate sua primam illam viam pertransisse videantur: qui tamen intus & foris multa proprietate & suipsorum immortificatione plus satis abundant. Hi planè ad hanc proximam introuersionis viam sunt inepti, ad quam tamen falso quodam lumine introducti, in suprema se perfectione consistere arbitrantur: quibus reuera multo foret melius, rudes adhuc & incipientes esse. Maligni nanque spiritus, qui à gratia exciderunt, quorum ipsi ludus sunt, in eis & cum eis falsum ac perniciosum spiritûs ludum in ficto atque phantastico exercent lumine: quod tamen miseri intus pro suo Deo habent, colunt, adorant: qui quidem casus est perniciosissimus, dum in hoc falso lumine diabolum adorant, quod maximum esse peccatum, in confesso est. Ex centum nanque latrocinijs facilius quis emergere atque resurgere posset, quam ex hoc grauissimo lapsu. Fit tamen iusto Dei iudicio, quod nemo capere potest, vt aliqui in hoc summo perfectionis gradu constituti cum summis nihilo minus spiritibus cadant excidantqúe, aliqui etiam cum supremis Angelis summam assequantur obtineant-
Luc 17. que beatitudinem. Et hoc est quod Christus ait, *In tempore illo erunt duo in lecto vno:*
Matt. 24. qui lectus est quieta, dulcis, delectabilis vita contemplatiua: *& vnus assumetur, & alter relinquetur*, deletus nimirum de libro vitæ, & ridens ad æterna lamenta procedens. Huius igitur tam periculosæ atque grauissimæ rei gratia cor bonum ac pium tractui Spiritus sancti resistere caueat. Sicut enim almus iste Spiritus sublimis artis huius magister est: sic Deus Pater fidelis conseruator, & Deus Filius
Zach. 2. verus dux & moderator est horum charissimorum discipulorum suorum, quos velut *pupillam oculi* sui custodit, sicut ipse per Prophetam dicit. Cor igitur illud, quod à Spiritu Dei in hoc interno ac sublimi opere agitur, amorosum quédam, feruidum ac diuinum timorem habere debet omnium verborum Dei, quæ & tanti faciet, vt cœlum & terra citius ei in obliuionem abeant, quàm aliquod Dei
Esa 66. Verbum paruipendat. Ad neminem enim Domini spiritus respiciet, nisi *ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones eius*, sicut ipse per Prophetam attestatur. Sanè contra errores omnes pijssimus Deus primò quidem purissi-

purissimam Christi doctrinam & Apostolorum, omnemq; sacram Scripturam, dehinc lucidissima exempla institutionesq; Sanctorum nobis sua concessit prouidentia, in quibus omnibus velut in tutissima via securissimè ambulatur. Præter quæ si quis fortè mundo cordi sensus rarus ac sublimis, aut reuelatio, aut phantasia incidat & occurrat, non ea cum proprietate possidebit, sed bonum amicorum Dei vel Confessoris sui consilium ac testimonium quæret atque sequetur, sicq; securus erit. Sed & hæc optima quædam cautela, verusque in spiritu profectus est, vt Dei magnitudo & excellentia in fundo tuo crescat, vt videlicet spiritus in intellectuali sua cõsideratione atque in ipso fundo suo Deum magis ac magis magnum, abyssalem, immensum apprehendat & intelligat: idque non cum opinione, sed re ipsa ita esse sentiat: atque iuxta hoc suum dirigat intellectum siue captum, quantum potest, & quantum Deus illi in hac caliginosa luce, & lucida caligine seipsum cum actuali seu existẽte bonitate exhibere dignabitur. In hoc interiori spiritûs incremento omnis externa creaturarũ cedit consideratio. Quanto nanque Deus spiritui fit magnus, tanto omnes ei creaturæ decrescunt ac euanescunt. Denique in hac luce gloriosus Pater Benedictus totum mundum, velut sub vno solis radio, ante se adductum vidit. Hîc amor omnis creaturarum exuitur: atque in hoc supermirabili spiritûs miraculo, vbi ipse supra omnem sensuum ac intellectûs capacitatem, à Deo in admirabilem lucem suam deducitur, rapiturque, ita vt supra naturam & etiam supra seipsum, extra id quod factus est, in quandam deiformitatem eleuetur: ibi planè spiritus præ lumine absque luce, præ cognitione absque cognitione, & præ amore absq; dilectione efficitur: non quòd absque dilectione sit, sed in sua cognitione, vbi contemplationis oculum ad sese reflectit, omnis ei essentia, vita, vires, cognitio, amorq; suus, nimis parua videntur ad summum Deum comprehendendum. Sicut enim culex modicus ad vastissimam cæli molem, intra se comprehendendam, omnino impar est: sic & iste Spiritus ad Deum comprehendẽdum nimis agnoscit se ducitq; imparem: sicq; in Dei celsitudinem sustollitur attrahiturque, quòd seipsum in suam demittat paruitatem, dum naturalem in se facultatem non inuenit, quæ ad Dei comprehensionem possit pertingere. Nec tamen hanc omnipotentis Dei immenso prorsusq; infinito honori iniuriam facere præsumit, vt eum hoc supernaturaliter efficere posse diffidat denegetque. Atque hoc modo perfectè stat resignatus in propria imperfectione suiipsius, confitens Domino omnem paternum honorem, infinitamq; illius dominationem. Hîc iam internum quoddam mutumque silentium fit, nec vllum hîc verbum eloqui licet. Sed nec intus, nec foris quicquam hîc operari permittitur: sed ipse spiritus patitur dulcem quandam insensibilem & ineffabilem passionem in supermirabili miraculo lucidissimæ, supersplendentis, ac abyssalis deitatis. Hîc planè felix ac stupendus est Dei ludus, qui spiritus capacitatem ad suprema illius pascua coaptat præparatque. Quanto nanque seipsum Deus magis ac magis purè in hoc sublimi coruscoq; manifestat lumine, tanto amplius Spiritus diuinitatem esurit sciens nesciensque: quanto autem Deitatem plus esurit, tanto Deus vacuam eius capacitatem amplius implere desiderat appetitq;. Et sic infinitus quidam hîc circulus est, dum & spiritus capacitas ex repletione famescit, & esuriens impletur: ac vndique pascua inuenit, in quibus & esuriens & repletus pascitur. Est præterea mirus quidam hîc intellectualis circulus in circulo. Nam & ipse

Cautela sine profectus optimus quis.

Quædã S. Benedicti visio.

Silentiũ spirituale.

Circulus in circulo

Deus sponte spiritui se comprehensibilem reddit, dum se illius capacitati in supernaturali quadam contemplabili luce temperat, sicque per contemplationem in intellectuali illo circulo, id est, in circulari siue ambiente spiritus capacitate, comprehendi sinit. Est præterea Deus ipse verus, immensus ac interminabilis circulus, qui amplissimum hominis spiritum (qui in sua comprehensione cælo terráque latior est) in se velut punctum includit, qui tamen spiritus ad illius maximæ ac incomprehensibilis immensitatis Dei comparationem, ita paruus censetur & exiguus, vt vix aliquid dici possit. Ideóque hic ipse spiritus suo rursus nihilo sese immergit, manet tamen sua illi creata essentia, atque in illo duntaxat excessu & eleuatione, in incomprehensibilem ac immensam infinitæ diuinitatis claritatem liquescit profluitque: in qua etiam vicinius ineffabiliter vnitur, quàm ipse purus aer Solari lumini, dum ab eo in meridie perfunditur ac illustratur: vbi licet splendor solis & aer ipse sine medio sint vnita, non tamen splendor aerem sua natura & essentia priuat, sed ipsum purgat, illustrat, nobilitat, transformat. Eodem sanè modo & hominis spiritui contingit. In Deo siquidem purissimè illustratur, nobilitatur, & in diuinæ conformitatis transformatur similitudinem, nec tamen in sublimi illa ad Deum vicinitate vel propinquitate creatam essentiam suam amittit. Deo quippe suum tribuens honorem, creatam essentiam suam ex illius increata essentia originem traxisse, déque nihilo factam esse, & naturali quodam exitu ex Deo profluxisse, ac supernaturali introitu in Deum remeâsse ac refluxisse fatetur. Hicque tam in abyssali diuinitatis pelago spiritus ipse submergitur & absorbetur, ita vt dicere possit: Intra me Deus, extra me Deus, & vndique circa me Deus. Totum mihi Deus, nec quicquam noui nisi Deum. Porrò bonæ voluntatis ac virtuosum cor, quod illa diligit, nec tamen ea quandoque gustat vel experitur, nihilo minus ex intimo sui altissimas Dei diuitias, quas ille exhibet electis, fideliter laudare studebit: sicque horum omnium erit particeps, & desiderium ipsius pro eius capacitate implebitur. Sanè si pater aliquis nouem dilectas sibi haberet filias, & vna saltem ex eis ad regni fastigium sublimaretur, & diatemate conaretur regio, octo reliquæ sorores meritò pro coronatæ illius amore & patris honore, magnificè exultare ac gratulari deberent, quamuis illa vna duntaxat regiæ celsitudinis coronam perciperet. Ita planè & hac in parte munda quæque corda facere debebunt. Hanc autem viam altissimam, introitum suauissimum, scientiam excellentissimam, abyssalem sapientiam, illi soli docendam relinquimus, prout ante diximus, qui omnium supremus Doctor atque Magister est. Nec tamen ignorandum est, altissimos, deuotissimos, maximéque spiritales homines istos, tantam interdum intrinsecus paupertatem experiri, vt nulla sit mors temporalis tam acerba, quam non libentissimè, si Deo placeret, pro desolata illa interna paupertate exciperent. Reuera namque interior illa afflictio siue crux, ipsam quoque in eis ossium medullam deuastat. Magna planè est afflictio eorum, dum eos velut in suspendio tabescere, & viuos in mortis angustia emori oportet. Nec vlla eos vel in tempore vel æternitate creatura solari potest. Sed inter tempus ac æternitatem velut suffocari ac strangulari eos oportet, donec ab hoc suspendio Deus eos pijssimus absoluat. Horum dolorem creaturæ non alleuiant, sed graui eis sunt oneri. Generoso namque spiritui ex naturæ suæ ingenita nobilitate, gratiæque proprietate, pœna non modica est, quòd creaturis habeat

Absorptio spiritualis (margin)

Comparatio pulchra. (margin)

Quanta subinde spiritualium hominum paupertas. (margin)

beat implicari, quippe qui non ignorat se, si ab omni materia denudatus, abstractus, absolutus esset, tum demum nudè ac purè sine medio & accidentibus in nobilissimo statu suo posse consistere. Vnde ipsum corpus, quod anima vegetat viuificatq́;, spiritui tenebrosus, horridus, pœnalis carcer est. Argentum quoque, aurum & diuitias omnes, ceu fimum ducit, vtpote in quibus nullam delectationem, nihil quod suo sapiat palato, inuenire potest. Certe generosa aquila fœno non delectatur, nec pascitur, sicut bos aut equus. Et Propheta ait: *Omnis caro fœnum*. Omnis denique temporalis delectatio ei amaritudo amarissima est, sicut valde sitibundum, acetum amarum refrigerare non potest, quando is vinum forte purumq́; appetit. Porrò in omni hac amaritudine regula diuina internæ resignationis deuotum spiritum in quadam æqualitate consistere, diuinumq́; beneplacitum in pace præstolari cogit, vt quomodo Deus vult, ita & ipse velit. Et quia iam Deo placet vt patiatur, vt similiter & ipse hoc absq; tædio velit: imò vt penitus omnis sit expers volũtatis, paratus etiam sustinere quod ipse Dominus, in omni hac sublimi resignatione ita se illi exhibeat, ac si diceret: Non te noui, nescio quis sis: omnis vita tua extranea & incognita est mihi, quæ quidem ingens probatio atq; tentatio est. Hîc planè probatur, quis seruus, quisue filius sit. Dum enim aduersitas imminet & vrget, seruus retrocedit. Filius autẽ patri tam in aduersis quàm prosperis adhæret immobiliter: adeò vt si etiam pater irascatur, paternumq́; ei solatium subtrahat denegetq́;, ipsumq́; verberibus afficiat, nequaquam tamen ab ipso auertatur, sed ei perpetuò fixus adhæreat. Talis nimirum Apostolus erat, altissimæ viæ huius verus calcator, qui dum à Deo fœdissimæ ac immundissimæ tentationi traderetur, acceptissimum Dei beneplacitum studebat exequi: simulq́; in seipso, vase vtiq; rationali, & tentationem impurissimam, & lucidissimum gratiæ lumen circunferebat: nec minus Deo charus in immunda illa tentatione, quàm in tertij cæli raptu, fuit. Et iuxta hunc modum etiam in alijs suis amicis Deus operatur. Sæpius namq́; in interiori quadam penuria & inopia eos derelinquit, adeo vt videatur eis, nullum Christianum tam parum gratiæ, fidei, dilectionis, omnisq́; boni habere, vt ipsi. Attamen ipsis ignorantibus, latenter eos in fundo ipsorum Deus conseruat, atque in hoc paupertatis graui cruce præparat in quo sæpius ipsi multo cum desiderio mortem suspirant, & ea longius fugit ab eis: atq; in hac cruce pro gratissimo suo beneplacito Deus eos perficiens, ad summam eorum felicitatem ipsos perducit. Semper igitur ô anima nobilis, huius institutionis atq; doctrinæ memor esto, vt in vera iugiter resignatione persistas, veram quoq; proinde perfectionem semper habitura in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

Esaiæ 40.

Quomodo seruus à filio discernatur.

2. Cor. 12.

De obedientia sub Deo, sub superioribus, & hominibus vniuersis: de laude ipsius, & quomodo eam obtinere & exercere debeamus.

CAPVT XIII.



VM in confesso sit, omnes ex humilitate virtutes oriri: ipsaq́; obedientia, prima humilitatis filia siue virtus sit, de ea iam consequenter dicturi sumus. Est igitur obedientia virtus, qua homo propriã voluntatem suam abnegans exuensq́;, quod et in Deo & secundũm Deum præcipitur, facere statuit eligitq́;. Item: Obedientia est sub-

Quid obedientia virtus sit.

submissæ flexibilitas voluntatis & ad omne bonum infatigabilis animi promptitudo. Obedientia præceptis ac vetitis, Deiq; voluntati hominem subditum facit, sensusq; & vires sensitiuas rationi subijcit superiori, ita vt homo modestè ac rationabiliter viuat. Insuper & Ecclesiæ & Ecclesiasticis hominem subdit Sacramentis ac superioribus eius cunctisq; Ecclesiæ dogmatibus, institutionibus, præceptis, consilijs, institutis, consuetudinibus vniuersis: omnibusque hominibus in dandis consilijs, auxilijs, obsequijs tam corporalibus quàm spiritualibus, secundùm discretionem & cuiusque necessitatem, promptum atque flexibilem reddit. Ipsa in congregatione pace continua fœderat vniuersos. Neque enim potest aliquis verè pacificus esse, nisi qui veraciter obediens est. Talis autem diligitur ab omnibus, quibus cum viuit. Omni namque velle & nôlle prorsus abnegato, præceptum neque expectat, neque in exequendo moras facit: sed mox vbi aliquid ei iniungitur, promptus atque paratus est omnibus. Sed ô quàm pauci verè & perfectè obedientes nunc inueniuntur, qui omni propria voluntate abdicata, non Deum & creaturas sibi obtemperare cupiant, sed ipsi magis alterius velint facere voluntatem, dicentes sine cessatione cum Apostolo: *Domine quid me vis facere?* Sanè obedientia tanta virtus est, vt vel minimum aliquod opus ex ipsa factum, qualecunque illud fuerit, multo melius Deoq; acceptius sit, alio quamlibet magnopere sine ipsa perpetrato, siue sit Sacræ Missæ auscultatio, siue lectio, oratio, contemplatio, seu quodlibet aliud opus, quod excogitari possit. Ipsa omni tempore quod optimum est, in omnibus & ante omnia operatur, Ipsa errare non potest. Nec negligit quicquam. Opera illius correctione non egent, nec aliquod ei bonum deest. Quantum enim per obedientiam seipsum quisque non quærit, seipsum & quod suum est, deserit abnegatque, vitijsq; moritur, tantum quoque Deum ipsum cum gratia virtutibusq; suis ingredi oportet. Et quanto in vitijs nostris magis ac magis abnegamus nosipsos, tanto quoque nostri potentiores efficimur. Quis enim magis suus est, quàm qui suijpsius potens ac liber, animam suam habet in manibus suis, dare eam valens cuicunq; voluerit? Hic nimirum absque impedimento ex integro cor suum ad Deum potest erigere, (quod profectò nemo facere potest, nisi qui sibijpsi in Deo mortuus est) nec perire potest, quia à Deo per gratiam illius liberatus est: dumque seipsum non vult, Deus ipsum vult. Siquidem in homine obediente penitus morari, imò nec offendi debent. Volo & nolo, sic vel sic, hoc atque illud, sed seipsum omnino purè exire studebit: & ibi quicquid optat, assequitur: dum videlicet Dei beneplacitum omnibus illis, quæ Deus dare possit, amplius amat. Ideoq; & hæc optima oratio est: Da mihi Domine Deus meus quicquid volueris, & fac mecum in omnibus secundùm gratissimam voluntatem tuam. Ista oratio, quàm cælum terra, celsior est. Quanuis enim dum pro gratia & virtutibus oramus, à Deo in precibus nostris exaudiri iucundum sit: multo tamen delectabilius est, potissimo se Dei beneplacito resignare, eiusq; ante omnia, in omnibus, & post omnia voluntatem appetere. Inter omnes namque Christi orationes, quas in hoc seculo fudit, illa summa fuit & excellentissima, quam imminente passione fundebat, dicens: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Hæc quippe oratio præ omnibus, quæ vnquam dixit, & Deo Patri acceptissima honorabilissimaq;, & nobis vtilissima, & dæmoni terribilissima fuit. Per illam siquidem voluntatis suæ, secundùm humanitatem eius, resignationem nos omnes, si tamen

Quis tantum verè pacificus.

Actor 9.

Nota.

Qui optime oretur.

Matt 26.
Mat. 4

tamen velimus, seruati sumus. Atque hoc modo gratissima Dei voluntas verè humilium summum præcipuumq́ue gaudium est. In isto namque & natura extremè deprimitur, & Deus altissimè extollitur, diuinorumq́ue charismatum homo capax efficitur, vtpote qui omnia pro omnibus dedit, ac seipsum abnegauit funditus: nec tamen pro hoc aliud aliquid requirit, quàm quod velit Deus. Dum ergo nosipsos diuino beneplacito resignamus, in Spiritu sancto baptizamur, filijque Dei constituimur: dumq́ue huc orationem nostram referimus, satis bene precati sumus. Vnde & Augustinus ait: Fidelis Dei seruus non affectat, vt sibi dicatur præcipiatúrve, quod libenter audit: sed potius, quid sibi dicatur præcipiatúrve, eum audire delectat. Sciendum est autem, ad obedientiam veram atque perfectam multa requiri. Primò namque prudens & discreta esse debet, vt videlicet intelligat, nihil sibi contra Deum vel eius præcepta præcipi vel prohiberi posse. In alijs verò omnibus, siue sit orare, vigilare, ieiunare, laborare, siue quodlibet aliud, in his, inquam, quanto obedientia simplicior, tãto & fructuosior erit. Secundò simplex erit, vt pro solius Dei gloria & honore, non aliquo priuato commodo, hîc vel in futuro percipiendo, fiat. Licet enim vitam æternam appetere sit concessum, quo tamen obedientia purius pro DEI exhibetur gloria, eo melior atque suauior est. Purè namque ad Dei gloriam obedire, non seruorum aut mercenariorum, sed filiorum est, quibus nimirum ipse Patris honor qualibet mercede dulcius sapit: ideoque vel in vno saltem opere maiora virtutis incrementa percipiunt, quàm mercenarij, qui Deo pro mercede seruiunt annis etiam mille. Tertiò hilaris erit. *Hilarem* quippe *datorem diligit Deus*, & parum aut nihil illi coacta placent seruitia. Vt igitur cum hilaritate obedire queas, multum amare discas. Amor siquidem omnia reddit facilia, ita vt quælibet etiam opera, ad offerendum dilecto suo parua ipsi videantur. Quartò velox esse debet. Non enim moras nouit vera obedientia, sed ad omnia prompta atque parata est: magisq́ue se inclinari sentit ad exequendũ ea quæ sibi præcipiuntur, quàm quæ sua voluntate susceperat. Dum enim paruum aliquod obedientiæ opus magis etiam magno propriæ voluntatis actu dilecto suo placere sentit, ea de causa seipsam semper exire & abnegare desiderat, vt tota fiat Dei. Quintò virilis erit, ita vt quicquid ei præcipitur, forti animo aggrediatur, & vix quicquam impossibile vel nimis difficile ducat. Quòd si etiam omnia, quæ vnquam facta sunt, vel sola facere posset, hoc ipsum tamen suo iudicio ducet pro nihilo. Talis nimirum obedientia, tam virtuosa, tamque honesta est, vt omnium, quæ vel fecit, vel facere posset, oblita, hoc solùm spectet, quid illi debeat, propter quem omnia facit: sicq́ue plura adhuc facere desiderat, paratior ad obediendum, quàm alius ad præcipiendum. Sextò deuota esse debet. Vera namq́ue obedientia quicquid agit, ex recta intentione pro sola Dei gloria, non ad placendum hominibus, facit: & quicquid ei præcipitur, totum de manu Domini suscipit reuerenter: vnde etsi fortassis ex se ipsa melius aliquod opus inchoâsset, citra tamen difficultatem ipsum intermittit, dum ei aliud imperatur. Plus enim ei obedientia in paruo, quàm proprietas in opere magno sapit. Quisquis igitur obedientiam difficilem esse causatur, necdum quid sit obedientia, gustauit. Quanto enim sapor diuinus omnem naturalem saporem excedit, tanto etiam obedientia omni proprie[illegible] quæ pro Deo fiunt vel dimitt[illegible] habet reddere. Nihil itaq́ue, quanli-

Quot ad veram obedientiã requirantur.

I.

II.

III.

2. Cor. 9.

IV.

V.

VI.

quanlibet magnum, cum tali proprietate possideamus, quin illud, Deo [illegible] hominibus aliud exigentibus, hilariter dimittere possimus: in quo sanè [illegible] dò nullam facimus iacturam, sed etiam meremur plurimum. [illegible] quippe diuini honoris, quam in maiori opere habuimus, & si bonum [illegible] beat, habere in quolibet opere tenemur, nihilo minus retinemus, dùm [illegible] nos opus ex obedientia conuertimus, alterique nos subdimus subijcimusque [illegible] super virtutem lucramur obedientiæ, quæ Deo procul dubio multo gratior est omni opere, quod ex propria voluntate facere potuissemus.

VII. Septimò vera obedientia etiam humilis erit, cùm sit ipsa humilitatis filia. Dum enim humilis obediens, Sanctos quosque considerans, aduertit, quomodo illi concorditer magno desiderio ad hoc peruenire contenderint, vt verè obedientes essent, propriumque sensum totaliter obliuisci & extinguere possent: ac vbi propriã fortassis quæsitionem deprehenderent, seipsos continuò abnegârint specialiter verò dum fidelissimi amatoris sui perpendit obedientiam, attendens qualiter ille, cùm *Rex regum* esset *& Dominus dominantium, ad mortem vsque crucis* obediens ac resignatus fuerit: inde nimirum æstuanti obedientiæ desiderio succensus, ad omnia bona promptus, alacer, paratus efficitur: idqúe non tantum sub Deo & superioribus suis, verùm etiam sub omni humana creatura, hominibusque vniuersis, qui etiam quanto inferiores sunt, tanto ei subiectio amplius sapit, libentiusque obedit: cùm maior vtique mortificatio sit in isto, quàm sub superioribus inclinari. Quanto autem nosipsos magis ac magis abnegamus, tanto similiores efficimur ei, qui propter nos nõ tantum cælesti Patri suo obediuit, sed etiam *in manus peccatorum tradidit semetipsum*, liberè eis sine querela, quicquid vellent, secum facere permittens. Porrò quanto ei similiores sumus, tanto & eidem amplius placemus. Denique licet magnum sit atque laudabile, superioribus propter Deum obedire: multo tamen maius est, æqualibus: maximum autem, inferioribus Dei intuitu obtemperare. Istud quippe mortificationem ac humilitatem maiorem exigit. Nec tamen ita hoc accipiendum est, quasi inferioribus contra superiorum iussa parere debeamus: aut quasi verus humilis, aliquem se minorem vel inferiorem debeat ducere. Attamen pro statûs dignitate, sacerdos maior est homine plebeio: & subdiaconus Prælato, ac sene iuuenis, inferiores sunt. Neque enim scire possum, quo pacto aliàs verè humilis, aliquem se viliorem inferiorémve posset credere, nisi pro statuum conditione. Demum, quoniam exempla fortius mouent quàm verba, quanta per obedientiam Sancti miracula fecerint, multis est codicibus posterorum memoriæ commendatum, & inter cætera, vt frater quidam iunior, ex obedientia longius allata aqua, tamdiu lignum aridum fixum irrigârit, vt fructum ex se produceret. Ita planè nec modò quisquam adeò aridus, & diuina gratia vacuus est, quin si obedientiæ iugo suaui colla submittere velit, virere ac florere, copiosumque fructum producere possit. Obedientia nanque ad omnis gratiæ susceptionem locus est aptissimus capacissimusque. Quisquis igitur ea, quæ hîc scripta sunt, æquo perpenderit iudicio, & sanctam obedientiam amauerit, non grauatè feret eius iugum, sed voluntariè & cum ingenti gaudio, aliorum parebit voluntati, sentietque in obdientia duriori gustum spiritûs dulciorem, fietque ad obediendum pro DEI honore promptior, quàm quiuis esse possit ad præcipiendum.

1. Tim 6.

Qui seu quã in re Christo maximè similemur.

De pre-

De propria voluntatis abnegatione, atque vt rebus temporalibus vti, exteriora opera ex fundo bono & sancto peragere, ac spiritu pauperes esse debeamus.

CAPVT XIIII.

PORRò ex obedientia propriæ voluntatis ac sensus proprij nascitur abnegatio. Non enim potest aliquis nisi verè obediens propriam voluntatem suam in omnibus alterius resignare ac subdere voluntati, quamuis externa opera etiam cum propriæ voluntatis retentione perfici queant. Hæc autem propriæ voluntatis abnegatio siue resignatio, (de qua iam ante plura dicta sunt) hominem sine electione huius aut illius in agendo & dimittendo, ad DEI honorem iuxta superiorum voluntatem, omniumq; bonorum hominum, quibuscum viuit, consilium, cum vera discretione viuere facit. Quis igitur in proprietate viuit, nisi qui Deo bonisq; omnibus communis non est? Hic quicquid animo concipit siue proponit, tam tenaciter ac mordicus, tantaq; cum proprietate tenet, vt vix aliquis inde eum possit abducere: adeoque de se magnificè sentit, vt se difficulter relinquere possit, quod profecto totum venire ex superbia, dubium non est. Vnde nec pacem aliquando habet, nec opera bona, quæcunque tandem agat, sapiunt ei, eò quod ad diuinæ gratiæ susceptionem inidoneus sit. Vnde et iam nūc hoc, nunc illud eligit appetitque. Quandoq; enim multa libenter experiri, cum Deo pacem ac fortem ad Deum conuersionem habere perciperet: Iam verò libens pauper & mendicus esset: Aliàs vel eremitorium, vel meliorem optat congregationem accedere. Et in his omnibus bene secum agi arbitratur. Sed reuera non nisi à seipso mouetur, nec quicquam hîc est nisi propria voluntas, licet ipse hoc neque sciat, neque cogitet, sentiátve. Raró siquidem vel nunquam aliqua in homine suboritur perturbatio, nisi ex propria voluntate, siue aduertat ipse, siue non. Amor etenim inter homines pacis seminarium est: cuius dilectionis venenum propria voluntas est, eiq; è diametro repugnat. Nec quicquam Deus ita odit, sicut propriam voluntatem. Cesset voluntas propria, (ait Bernardus) & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem? Cæterùm sunt plerique, qui multa quidem fugiāt, & singulares quosdam viuendi modos, loca & opera inquirant. Sed his non res ipsæ impedimento sunt, sed ipsi potius seipsos impediunt in rebus, dum eas inordinato amore prosequuntur. Quisquis igitur talis es, incipe primum à teipso, & abnega temetipsum. Reuera enim nisi tuijpsius inordinatum ac priuatum in rebus amorem euulseris & abieceris, quocunq; etiam pergas fugiásve, quod te impediat, quodqúe perturbet, inuenies. Qui enim seipsum non abnegat, nec abnegare conatur, quò longius fugerit, eò minus, quod quærit, inueniet: (haud secus quàm is, qui à recto aberrauit itinere) quantoq; magis hoc aut illud eligit, tanto plus proprietatis habet, & aberrat amplius. Quid ergo faciendum est in istis? Hoc nimirum, vt quamprimum aliquid nobis occurrit, in quo nosipsos inordinato cum amore quærimus, ibi statim nosipsos abnegemus & exeamus: & tunc reliquimus omnia. Sed iam quid sit amor inordinatus, explicemus. Si qua mihi cōfusio occurrat, vel incommodū, si res meæ mihi auferantur, aut alia quæuis accidant mala,

In proprietate viuere.

Vnde ferè turbatio omnis oriatur.

Quod sit amoris venenum.

Amor inordinatus

& hæc me multo dolore ac tædio perturbent: signum est euidens, me priuato meiipsius amore teneri. Si enim alteri hæc fortasse contingerent, quem minus amarem, non me tanto dolore vel tædio afficerent, etiamsi ille me multo esset melior. Et hoc totum vtique ex inordinato, falso, priuatoque amore procedit. Qui enim [illegible] est, hunc iure plus quã nosipsos amare debemus, cũ & Deo charior sit & acceptior: maioremque ad ipsum compassionẽ habebimus. Quæ namque Deus [illegible], ea & nos amplius diligemus: nec quicquam in nobis diligere debe[illegible]ti quę Deus amat in nobis: & odire, quę ipse odit in nobis. Si igitur nos[illegible] inordinato non prosequeremur amore, gauderemus nimirũ, si persecutio [illegible]pressio nos aliqua molestaret. Ille nanque deprimitur, & persecutionem [illegible] in nobis, qui & nobis quàm maximè aduersatur, & à nobis meritò odiri [illegible]et. Et quis, quæso, molestè ferret, si capitalem eius hostem aliquis cum illo [illegible]qui conaretur? Planè igitur insipientes sumus, si dum ea, quæ cum proprietate possidemus, nobis auferuntur, ira succendimur ac perturbamur. Et quid, quæso, magis odiri possit, quàm ipsa nostra proprietas, quæ nobis tot læta & aduersa, tantumque tædij & molestiæ irrogat, vt corda mentesque nostras pro nostro desiderio ad Deum liberè non queamus erigere? Quid autem Deus ipse magis diligit in nobis, quàm ipsam nostri, vt sic dicam, totalitatem, vt videlicet ipse sine impedimento gratissimam in nobis queat perficere voluntatem suam? Quisquis igitur minus proprietatis habet, hunc Deus amplius amat, isque Deo similimus, & ad gratissimæ voluntatis illius executionem aptissimus, sed & sapientissimus, & tam Dei quàm suiipsius, iuxta ordinatæ dilectionis rationem, maximè proprius est. Quanto enim plus Deum diligimus, eique placemus, tanto & nosipsos verius amamus. Vbi notandum, quòd licet omni inordinatę proprietati renuntiare simus adstricti, ordinatam tamen proprietatẽ, Deum videlicet laudandi, amandi, ei in perpetuum seruiẽdi, omnino retinere debemus: nec hanc abnegare licet, cùm sit ipsa vita nostra æterna. Semper nanque & æternaliter Deum nostrũ amabimus, laudabimus, & in illius obsequio corã ipso assistemus. Et hãc vitam intra nosipsos habebimus, & per gloriã suam in nobis Deus ipse regnabit. Porrò quando per amorem Dei laude deficimus, nescientes quo pacto satis illum præ excellẽtia maiestatis eius laudare, satisque diligere possimus, & nosipsos in Deum excedimus: ibi sanè magis patimur, quàm agamus, vnaque cum Deo vita efficimur supra nosipsos, atque in Deo morimur nobisipsis. Vbi verò per amorem in Deum excessimus ac mortui sumus, ibi vna vita & vnus amor sumus cum Deo. Huncque triplicem vitæ modum perenniter experiemur, ac sine cessatione habituri sumus. Nec vnus modus impediet alium. Vbi nanque Deum per gratiã vel gloriam amamus siue laudamus, ibi actualiter coram ipso semper assistemus, perpetuam quandam famem ac desiderium sentientes. Vbi verò per amorem nos excedimus, ibi magis patimur quàm agamus. Opus nanque quod hîc agimus, simplex quædam & amorosa est inclinatio in illum æternum amorẽ, qui Deus ipse est, & hoc supra actionem & desiderium virtutis amatiuæ. At vbi per amorẽ hoc ipsum, quod sumus, excessimus: ibi planè satiamur, nec quicquam deficit nobis. Sed iam vlterius de proprietate dicamus. Sicut is, qui in proprietate viuit, difficulter abnegat seipsum, quin semper mâlit alterum sibi obtemperare, quàm ipse velit (superbus quippe est) acquiescere alteri: ita econtrario is, qui propriam voluntatem studuit abnegare in omnibus tam in agendo, quàm dimittendo, vel

Qu[illegible] D[illegible] maximè am[illegible].

Qui semper corã Deo assistamus.

vel etiam patiendo, pronior est obedire alteri, quàm velit alterum obedire sibi. Atque per hoc omnis superbiæ causa & materia profligatur penitus, humilitas in supremo suo gradu perficitur, Deus pro suo beneplacito hominis fit potens: hominisque voluntas sic diuinæ copulatur voluntati, vt nihil aliud, quàm Deus velit, velle queat vel appetere. Hic planè veterem exuit hominem, & nouum induit, qui iuxta Dei gratissimam creatus est voluntatem. Sanè si quis augustum imperium, aut etiam totius orbis abdicaret à se dominium, & relinqueret possessionem, seipso retento, nihil aut parum ille relinqueret. Qui verò seipsum funditus abneget & relinquit, quanlibet multa sibi retineat, siue sint diuitiæ, siue honores, seu alia quæuis, quæ sibi reseruare cogitur, omnia tamen dereliquit. Omnibus nanque ad Dei gloriam pro sua stricta necessitate, vti nouit, tanquam is, cui mutuò data sunt atque commissa velut seruo, ad impertiendum, quòd superest, egenis & pauperibus, non ad inordinato cum amore possidendum. Dumque alium rebus, quas possidet, plusquàm seipsum indigere considerat, illum ad bona sua seipso quoque plus aliquid iuris habere arbitratur. Ex ipso autem cordis fundo ab omni re & negotio temporali penitus auersus, magis contemni quàm honorari, & subesse potius quàm præesse appetit. Mundus siquidem iste crux illi est, dum quod mundus amat, ipse non quærit: quod autem ipse diligit, mundus auersatur. Verùm cùm aliquem in externis operibus fructum sibi facere posse videtur, siue promouendo aliquem ad Deum, siue infirmis ministrando, siue alijs quibuslibet actibus charitatis, tunc quamlibet solitudini deditus sit, seipsum hilariter extrouertit. *Charitas* enim *non quærit quæ sua sunt*: nec est vlla vita præclarior vita communi cum vera dilectione coniuncta. Et quia ad interiora propensior est, ideo seipsum tutius ac minori cum impedimento extrouertit, quàm alij qui ad exteriora sunt faciles ac proni. Ad hoc autem, vt exterioribus quibusque per amorem ac delectationem homo nõ inhæreat, omnis omnino diligentia ipsi possibilis exigitur, quo ab omnibus fluxis ac transitorijs rebus alienus intactusque permaneat. Non enim vel tantillum nos habere proprij vult Deus, quantum oculus possit capere. Ea propter quod modò aufert nobis modò largitur: quodque diuersis nos vrget & exercet molestijs, totum ideò facit, vt ab omnibus prorsus nudi & pauperes efficiamur, sicque nostram ipse in nobis valeat salutem operari. Quando igitur homo resignatus & mortuus, seipsum extrouertit, tunc nihilo minus & in intimis permanere, & oculos suos interiores semper ad Dominum directos habere conatur: cumque aduertit inutiliter se extrouersum, ilicò ad Deum sese conuertens, cum ingenti seipsum ob suam instabilitatem dedignatione considerat. Et quia nihil possidet per amorem, ideo nullo se negotio & extrouertit, & recipit intro. Sanè Petrus Apostolus ait: *Domine, ecce nos reliquimus omnia*, cùm tamen non nisi nauē vnam & retia reliquisset. Quod S. Gregorius exponens, ait: Multum dimisit, qui cum re possessa, etiam concupiscentijs renuntiauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Qui enim voluntatem suam & seipsum derelinquit, omnia tam verè reliquit, ac si sua fuissent propria, & in sua ea potestate habuisset. Cuncta siquidem quæ propter Deum non vis concupiscere, reliquisti. Ideo Dominus ipse dicebat: *Beati pauperes spiritu*, id est, voluntate. Reuera si via alia hac ipsa fuisset melior, eam nobis haud dubiè fidelis Dominus indicasset. Nam & alio loco dicit: *Qui vult venire post me, abneget*

Quis omnia relinquat.

Cuinam mundus crux sit.

1. Cor. 13.

Matt. 19.

Matt. 5.

Matt. 16.

primò *semet ipsum*: quippe cum in hoc sita sint omnia. Teipsum igitur diligenter obserua,& sicubi propriæ quæsitionis aliquid inueneris, ibi confestim abnega temetipsum. Quanto enim celerius teipsum reliqueris, tanto & tac [illegible] facere poteris: quantoque sępius te abnegaueris, tanto ad tui abnegationem magis ac magis redderis idoneus. Quoties autem in hoc te abnegationis studio exercueris, magis id pro Dei gloria, quàm pro ipsa virtute facies. Attamen sciendu est, neminem in hac vita ita penitus in omnibus abnegatum, quin iterum aliquid inueniat, in quo se debeat abnegare. Sed pauci diligenter obseruant, vt ab isto incipiant, cum tamen æqua sit in hac parte pretij & rei emptæ conditio valorq́ue. Quantum enim teipsum & omnia deseris & exis, tantum (& non plus neque minus) Deus cum omnibus diuitijs suis intima tua ingreditur: quantumq́ue moreris tibijpsi, tantum intra te viuit Deus. Quicquid igitur habes & potes, totum pro tui abnegatione impende: sicq́ue, & non aliter, vera pace frueris, quam etiam, vtpote in Deo firmatam atque fundatam, nemo facile turbare poterit. Planè non tam quid faciant, quàm quid sint, homines attendere deberent. Si enim in fundo suo boni essent, & opera ipsorum facile bona forent. Si in fundo suo iusti essent & recti, & opera ipsorum iusta rectaq́ue forent. Multi sanctitatem suam in agendo constituunt: sed hoc optimum non est: quippe cum in essendo, vt sic dicam, sanctitas sit constituenda. Quanlibet enim sancta sint opera nostra, non tamen nos sanctificant, quatenus opera: sed quantum nosipsi sancti sumus, & fundum sanctum habemus, tantum etiam omnia opera nostra sanctificamus, siue sit edere, siue bibere, vigilare, dormire, orare, loqui, carnem ieiunijs afficere, & alia quæuis: quæ omnia, quantum ex amore abundantiori ad perpetuum Dei honorem fiunt, tantum etiam magna sunt. Qui enim Deum maiori amore prosequitur fundum quoque sanctiorem habet. Hoc igitur tota nobis diligentia curandum est, vt bonum ac magnum habeamus fundum, & ex illo, quantum possumus, bona operemur. In ipso nanque animæ fundo, & essentia & beatitudo hominis sita est: omniaq́ue opera illius inde virtuosa redduntur, quod animus ipse bonus est, ac per amorem in Deum impendio sublеuatus. Porrò huc omnia studia totusque conatus noster sine cessatione referenda sunt, & in hunc finem quicquid agimus vel omittimus, facere ac dimittere debemus, vt Deus nobis magnificetur, id est, magnus fiat. Quot quanto plus adepti fuerimus, tanto etiam omnia opera nostra, quæcunque tandem illa fuerint, maiora diuinoraq́ue erunt. Nunc igitur, ô fidelis anima, inhæreas Deo tuo, & cuncta tibi bona vicissim adhærebunt. Si solum Deum quæsieris, omnia simul bona in ipso reperies. Qui enim deserit omnia, nec quicquam sibi Dei amore reseruat cuncta procul dubio in Deo habet, sicut Apostolus ait. Nec quicquam Deo acceptius, & nobis vtilius aut iucundius est, quam omnia quæ vel agimus, vel dimittimus, vel sustinemus, purè pro Dei gloria facere, dimittere, sustinere. Hoc siquidem nunquam absque ingenti fructu fieri potest, nec vllum aptius ad virtutes perfectè obtinendas opus est. Ei quippe, qui Deo per amorem & laudem inhæret, cùm ad diuinæ gratiæ susceptionem sit aptissimus, Deus omne bonum copiosè infundit. Huc igitur vbi peruenimus, quod prius, cum adhuc nosipsos intenderemus, magno cum labore ac dolore quærebamus, nunc ingenti cum gaudio nobis præstatur, dum videlicet nosipsos abnegantes, Deum obseruamus, eiq́ue per amorem continuè adhæremus. Et tunc *omnia nobis cooperantur in bonum*. Liben-

Quid hominibus maximè attendendum.

2.Cor.6.

ter igitur omni proprietati renuntiare debemus, cùm nihil hac peste virulentius ac perniciosius sit. Quantum enim in ipsa est, Deum fidelissimum omnipotentia sapientia, iustitia illius spoliare cuperet, quippe cui gratissimum foret, Deum nec velle, nec scire peccata sua vlcisci, sicqúe vellet eum nec potentem, nec sapientem esse: & quia pro peccatis suis pœnam sentire nôllet, eo ipso nec iustum eum esse appeteret. Sicut enim amans anima omnem potius difficultatem ac pœnam subire vellet, quàm Deo supergloriosо minima eius, gloriæ decederet portio: ita fundus propriæ voluntatis lepra infectus, Deum sua excellentia priuare vellet, vt suam posset seruare proprietatem. Quod procul à nobis auertat ille, qui propter nos ad mortem vsque crucis obediens factus est. Amen. Quid pestis sit proprietas.

De patientia in omni aduersitate, ad exemplum Christi & omnium Sanctorum.

CAPVT XV.



EX ipsa autem, de qua iam diximus, propriæ voluntatis abnegatione, patientia oritur, de qua & ante iam dictum est, vbi de patienti resignatione disseruimus. Estqúe patientia virtus, quæ omnem aduersitatem & omnium persecutionum ac contumeliarum perturbationem æquanimiter ferre potest. Patiêtia quippe quasi pacis opus dicitur, cùm sine hac nemo veram pacem habere queat. Ipsa nimirum ægritudinum omnium vera medicina est. Quanlibet enim caro diuersis afficiatur cruciatibus, spiritus tamen verè patiens, in sua quiete & tranquillitate perseuerat. Vnde & Dominus ait: *In patientia* (corporis vestri) *possidebitis animas vestras.* Luc. 21. Nam ipsa patientia multum etiam dolores ac pœnas corporis mitigat alleuiatqúe. Quanto enim quisque in anima impatientior, magisqúe inuoluntarius est, tanto & in corpore amplius cruciatur. Qui igitur virtute patientiæ magis abundaret, ille vel in maxima persecutione & contumelia, gaudio maiori diuinoriq; sapore perfrueretur. Pro æterno siquidem Dei honore etiam aduersa quælibet ipsi placent, sapiuntqúe. Reuera si Sanctorum grauissimas libêret afflictiones inspicere, non solùm patienter, sed gaudenter etiam aduersa quælibet sustineremus, considerantes qualiter ipsi in maximis pœnis atq; pressuris præcipuè exultârint. Nonne gloriosissimus Christi Apostolus Andreas, visa cruce, in qua suspendi debebat, in hæc verba prorupit? Salue crux, quæ in Christi corpore dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata: gaudens venio ad te, vt & tu exultans suscipias me, accipiẽs me ab hominibus, & reddens me magistro meo, &c. Quantũ S. Andreę ad crucẽ desideriũ. Item S. Vincentius in grauissimis doloribus constitutus, ita subridens Iudicem alloquebatur: Insurge miser, & toto malignitatis spiritu debacchare: Videbis me Dei virtute plus posse dũ torqueor, quã te qui torques. Quo enim putas te grauius irasci, eo melius mihi incipis misereri. S. Vincẽtij patientia fortis. Planè si & nos verè patientes essemus, nihil nobis magis ex vsu nostro esse posset, quã vt oẽs nos persequerentur despicerẽtq;: & quo tunc nobis alij plura inferrent mala, eo nobis reuera vtiliores benigniores'q; forent. Enimuerò nihil vnquã, quanlibet paruũ, pro Dei honore patimur, quin nobis longè sit vtilius, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quanlibet enim exiguum sit, quod ad Dei sustinemus,

primò *semetipsum*: quippe cum in hoc sita sint omnia. Teipsum igitur diligenter obserua, & sicubi propriæ quæsitionis aliquid inueneris, ibi confestim abnega temetipsum. Quanto enim celerius teipsum reliqueris, tanto & facilius id facere poteris: quantoque sępius te abnegaueris, tanto ad tui abnegationem magis ac magis redderis idoneus. Quoties autem in hoc te abnegationis studio exercueris, magis id pro Dei gloria, quàm pro ipsa virtute facies. Attamen sciendum est, neminem in hac vita ita penitus in omnibus abnegatum, quin iterum aliquid inueniat, in quo se debeat abnegare. Sed pauci diligenter obseruant, vt ab isto incipiant, cum tamen æqua sit in hac parte pretij & rei emptæ conditio valorque. Quantum enim teipsum & omnia deseris & exis, tantum (& non plus neque minus) Deus cum omnibus diuitijs suis intima tua ingreditur: quantumque moreris tibijpsi, tantum intra te viuit Deus. Quicquid igitur habes & potes, totum pro tui abnegatione impende: sicqúe, & non aliter, vera pace frueris, quam etiam, vtpote in Deo firmatam atque fundatam, nemo facile turbare poterit. Planè non tam quid faciant, quàm quid sint, homines attendere deberent. Si enim in fundo suo boni essent, & opera ipsorum facile bona forent. Si in fundo suo iusti essent & recti, & opera ipsorum iusta rectáque forent. Multi sanctitatem suam in agendo constituunt: sed hoc optimum non est: quippe cum in essendo, vt sic dicam, sanctitas sit constituenda. Quanlibet enim sancta sint opera nostra, non tamen nos sanctificant, quatenus opera: sed quantum nosipsi sancti sumus, & fundum sanctum habemus, tantum etiam omnia opera nostra sanctificamus, siue sit edere, siue bibere, vigilare, dormire, orare, loqui, carnem ieiunijs afficere, & alia quæuis: quæ omnia, quantum ex amore abundantiori ad perpetuum Dei honorem fiunt, tantum etiam magna sunt. Qui enim Deum maiori amore prosequitur fundum quoque sanctiorem habet. Huc igitur tota nobis diligentia curandum est, vt bonum ac magnum habeamus fundum, & ex illo, quantum possumus, bona operemur. In ipso nanque animæ fundo, & essentia & beatitudo hominis sita est: omniáque opera illius inde virtuosa redduntur, quod animus ipse bonus est, ac per amorem in Deum impendio subleuatus. Porrò huc omnia studia totusque conatus noster sine cessatione referenda sunt, & in hunc finem quicquid agimus vel omittimus, facere ac dimittere debemus, vt Deus nobis magnificetur, id est, magnus fiat. Quot quanto plus adepti fuerimus, tanto etiam omnia opera nostra, quæcunque tandem illa fuerint, maiora diuinoráque erunt. Nunc igitur, ô fidelis anima, inhæreas Deo tuo, & cuncta tibi bona vicissim adhærebunt. Si solum Deum quæsieris, omnia simul bona in ipso reperies. Qui enim deserit omnia, nec quicquam sibi Dei amore reseruat cuncta procul dubio in Deo habet, sicut Apostolus ait. Nec quicquam Deo acceptius, & nobis vtilius aut iucundius est, quam omnia quæ vel agimus, vel dimittimus, vel sustinemus, purè pro Dei gloria facere, dimittere, sustinere. Hoc siquidem nunquam absque ingenti fructu fieri potest, nec vllum aptius ad virtutes perfectè obtinendas opus est. Ei quippe, qui Deo per amorem & laudem inhæret, cùm ad diuinæ gratiæ susceptionem sit aptissimus, Deus omne bonum copiosè infundit. Huc igitur vbi peruenimus, quod prius, cum adhuc nosipsos intenderemus, magno cum labore ac dolore quærebamus, nunc ingenti cum gaudio nobis præstatur, dum videlicet nosipsos abnegantes, Deum obseruamus, eíque per amorem continuè adhæremus. Et tunc *omnia nobis cooperantur in bonum*. Libenter igi-

Quid hominibus maximè attendendum.

2. Cor. 6.

ter igitur omni proprietati renuntiare debemus, cùm nihil hac peste virulentius ac perniciosius sit. Quantum enim in ipsa est, Deum fidelissimum omnipotentia sapientia, iustitia illius spoliare cuperet, quippe cui gratissimum foret, Deum nec velle, nec scire peccata sua vlcisci, sicque vellet eum nec potentem, nec sapientem esse: & quia pro peccatis suis pœnam sentire nôllet, eo ipso nec iustum eum esse appeteret. Sicut enim amans anima omnem potius difficultatem ac pœnam subire vellet, quàm Deo supergloriosо minima eius, gloriæ decederet portio: ita fundus propriæ voluntatis lepra infectus, Deum sua excellentia priuare vellet, vt suam posset seruare proprietatem. Quod procul à nobis auertat ille, qui propter nos ad mortem vsque crucis obediens factus est. Amen.

Quid pestis sit proprietas.

De patientia in omni aduersitate, ad exemplum Christi & omnium Sanctorum.

CAPVT XV.



EX ipsa autem, de qua iam diximus, proprię voluntatis abnegatione, patientia oritur, de qua & ante iam dictum est, vbi de patienti resignatione disseruimus. Estque patientia virtus, quæ omnem aduersitatem & omnium persecutionum ac contumeliarum perturbationem æquanimiter ferre potest. Patiẽtia quippe quasi pacis opus dicitur, cùm sine hac nemo veram pacem habere queat. Ipsa nimirum ægritudinum omnium vera medicina est. Quanlibet enim caro diuersis afficiatur cruciatibus, spiritus tamen verè patiens, in sua quiete & tranquillitate perseuerat. Vnde & Dominus ait: *In patientia* (corporis vestri) *possidebitis animas vestras*. Nam ipsa patientia multum etiam dolores ac pœnas corporis mitigat alleuiatque. Quanto enim quisque in anima impatientior, magisque inuoluntarius est, tanto & in corpore amplius cruciatur. Qui igitur virtute patientiæ magis abundaret, ille vel in maxima persecutione & contumelia, gaudio maiori diuinoriq; sapore perfrueretur. Pro æterno siquidem Dei honore etiam aduersa quælibet ipsi placent, sapiuntque. Reuera si Sanctorum grauissimas libêret afflictiones inspicere, non solùm patienter, sed gaudenter etiam aduersa quælibet sustineremus, considerantes qualiter ipsi in maximis pœnis atq; pressuris pręcipuè exultârint. Nonne gloriosissimus Christi Apostolus Andreas, visa cruce, in qua suspendi debebat, in hæc verba prorupit? Salue crux, quæ in Christi corpore dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata: gaudens venio ad te, vt & tu exultans suscipias me, accipiẽs me ab hominibus, & reddens me magistro meo, &c. Item S. Vincentius in grauissimis doloribus constitutus, ita subridens Iudicem alloquebatur: Insurge miser, & toto malignitatis spiritu debacchare: Videbis me Dei virtute plus posse dũ torqueor, quã te qui torques. Quo enim putas te grauius irasci, eo melius mihi incipis misereri. Planè si & nos verè patientes essemus, nihil nobis magis ex vsu nostro esse posset, quã vt oẽs nos persequerentur despicerẽtq;: & quo tunc nobis alij plura inferrent mala, eo nobis reuera vtiliores benigniores q; forent. Enimuerò nihil vnquã, quanlibet paruũ, pro Dei honore patimur, quin nobis longè sit vtilius, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quanlibet enim exiguum sit, quod ad Dei sustinemus

Luc. 21.

Quantũ Andreę ad crucẽ desideriũ.

S. Vincẽtij patientia fortis.

nemus gloriam, pro illo tamen non minus nobis, quàm si ipsum, Deus retribuet restituetqúe. Si igitur Sanctos quosque considerare velimus, quanta videlicet ipsi pro Deo perpessi sint, qui tamen, sicut & nos, fragiles vtique homines fuêre: & attendere nihilo minus, quomodo non sit abbreuiata manus Dei, sed idem nobis, quod & illis, auxilium gratiæ suæ impendat: meritò sanè in nobisipsis confundimur, quòd non solùm non possumus, sed nec volumus quicquam pro Deo sustinere, qui non minus nunc nobis, quàm olim illis, est potens & paratus auxiliari. Cæterùm quando non solùm quid Sancti pertulerint, sed ipsam quoque Domini passionem omnis solatij expertem, mortemq; ignominiosissimam, durissimumq; cruciatum, qualem nemo vnquam expertus est, considerامus, attendentes qualiter ipse cum sceleratis deputatus fuit, & nec vnam quidem sanguinis in corpore suo seruauit guttulam, nec quicquam in ipso non lacerum atque discerptum extitit: perpendentes etiam quisnam ipse sit, quodque hæc omnia ex amore purissimo sustinuit pro illis etiam peccatis, quæ ipsius tortores in eum commiserât, quos ipse de nihilo ad magnam fecerat gloriam: quòd insuper tam amorosè vera cum fidelitate ad hostes suos, qui mortem ipsi inferebant, conuersus fuit, brachia sua ad suscipiendum illos extendens, caput ad osculandum inclinans: cor, quo in ipso habitare possent, aperiens: multaqûe alia dilectionis præferens signa, quæ hîc enumerare longum foret. Quando igitur hæc omnia consideramus, ex ipsis magis quam ex aliquo alio ad patientiam roboramur, inflammamur, accendimur. Sanè dum attentè perspicimus, quæ & quanta maiestas illa in humana natura pro nobis perpessa sit: mirum est, si vel grauissima quæque, imò vel infernum ipsum, perenniter pro illius amore pati recusamus, attendentes quid pro nobis ipse sustinuit, pro ipsis eisdem planè iniquitatibus, quas in eum admiseramus, summum vtique Dominum, qui solus est, & absque illo non est amplius: quodq; ipse non modò nostræ est patientiæ exemplar, sed victoriæ quoque corona erit & præmium. Non enim vult gratis & absque fructu nos aliqua pati. Et non solum copiosum nobis pro aduersitatum tolerantia parabit præmium, sed omnem quoque suæ passionis fructum largietur, in qua nimirum multo securius, quàm in nostris passionibus, respiramus consolamurqùe: quippe cum sine suæ passionis fructu nulla nobis afflictio nostra vtilis esse queat. Cùm igitur Christus Iesus fidelissimus amator noster, (quem nulla infidelitas nostra mouere potest) seipsum ita funditus abnegârit, & non tantum patienter, sed & gaudenter pro gloria Patris sui & salute nostra passus sit, ideo & nos de manu illius, ad honorem ipsius, quicquid nobis siue ab ipso, siue ab hominibus possit accidere, patienter accipere debemus. Si enim verè patientes fuerimus, nihil nos neque rerum temporalium amissio, neque propinquorum, charorum, affinium extinctio, neque infirmitas, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque dæmon, neq; infernus ipse contristare poterit, eo quòd nosipsos ex vero amore diuinæ resignauerimus ac subiecerimus voluntati & beneplacito. Quisquis etenim mortalis sibi peccati conscius non est, seq; in manus Domini commendauit: facile est illi, quicquid Deus ipso facere volet in tempore & æternitate, sustinere: estq; hæc illius continua oratio: *Pater non mea, sed tua* in me *voluntas* impleatur. Quæ quidem verba & Deo gratissima sunt, & quisquis ea dicere potest ex sententia, is nec turbari vnquam, nec mœrore affici poterit, sed in præcipua sui resignatione maximum gustum

Marc 15. Lucæ 22.

Cur nihil non pro Dei amore patiendum.

Matth. 26

gustum pacemqúe præcipuam experietur, eo quòd Deus fundus abnegationis sit,& in qualibet sui resignatione,vbi seipsum ex integro resignat,ipsum incommutabilem resignationis fundum inuenit.Denique hac patientia aduersus subitos iracundiæ motus,facilemq; impatientiam in aduersis, quæ sæpe intus & foris occurrunt,animumq; ad diuersas tentationes inflectere possent,homo armatur corroboraturqúe. Vera siquidem diuina exercitatio,nunquàm in illo poterit inueniri,qui non est plenè resignatus ad sustinendum potius omnia,quamlibet difficilia, quàm diuinam inspirationem, summumq; Dei beneplacitum ob ea opere adimplere,eiqúe pro viribus satisfacere negligeret. Porrò quisquis in aduersis impatientiæ succumbit vitio,non hunc aduersa malum efficiunt,sed eam,quæ in ipso latebat,impatientiæ malitiam produnt: fitq; ei velut cupreo, sed deargentato,nummo: qui priusquam igni examinandus traditur,totus ex puro argento constare videtur:dum verò igni inijcitur,non eum ignis cupreum efficit,sed quod intus cupreus sit,omnibus reddit manifestum. Fundi & nummi falsi collatio. Sanè iure optimo Deus noster amanti animæ sic dicere potest:Ecce ego vobis homo fieri dignatus sum.Si ergo vos mihi dij non estis,omnino iniuriam patior à vobis. Diuinitatē meam sic in vestra,quam assumpsi,natura occultâram,vt potentia mea & virtus vix à paucis intelligeretur,quippe cùm omnes multa mea aduersa, calamitates, miserias ab infantia ipsa ad crucis vsque passionem perpeti, & inter alios quasi vnum ex eis ambulare conspicerent. Ita ergo & vos humanam naturam vestrā atque vos totos in mea sic diuinitate abscōdere debetis, vt humanam fragilitatē vestram nemo aduertat,sed vita vestra adeò prorsus diuina sit, vt nihil in vobis aduertere liceat,nisi Deum.Id verò non in eo situm est, quod verborum suauitate affluimus,quòd gestus religiosos, & grandem quandam sanctitatis atq; virtutum præ nobis ferimus speciem, quòd lōgè lateq; opinionis nostræ fama diffunditur, quòd magno dilectionis affectu etiam spiritales quique & Dei amici nos prosequuntur:quòd denique tam delicatè ac molliter à Domino fouemur & educamur,vt Deum velut omnium oblitum, nostri duntaxat curam habere, nobisq;, quicquid ab eo petierimus, haud dubiè sine mora concedendum fore credamus.Hæc,inquam,omnia Deus à nobis præcipuè non exigit. Aliud planè est,quod vita & doctrina sua Dominus in nobis efficere voluit & intendit:id nimirum,vt nihil nos neque lęta,neque tristia permoueant,& libero,resignato ac immobili ferre discamus animo, si ab alijs fallaces ac seductores vocemur,seu alia quælibet verborum in nos congerantur iacula & iniuriæ: quibus bonæ famæ & existimationis nostræ vitietur integritas: Quid vita & doctrina sua Christus in nobis efficere voluerit. si præterea non verbis tantùm, sed operibus quoque infestemur,si corporis nobis subtrahantur necessaria,si nō solùm temporalia,quibus carere nō possumus,nobis denegentur,sed ipsis quoq; corporibus nostris iniuria inferatur, & læsio, cui infirmitas succedat, aut alia quæuis pęna seu dolor irrogetur,quæ ijsdem corporibus nostris molestiam possit adducere.Si præterea omnes actus nostros meliori,quo possumus,modo perficiamus,& ipsos nihilo minus alij quam pessimè interpretentur. Insuper vt hęc non solùm ab hominibus feramus æquanimiter,sed ipsa quoq; Domini flagella patienter toleremus, si nobis præsentiæ suæ consolationem subtrahat, adeoqúe se à nobis elonget,ac si inter ipsum & nos murus sit interpositus: & si in labore & angustijs nostris pro solatio & ope ad ipsum venientibus talem se nobis exhibeat,velut si oculos ad nostri occludat occursum,neq; videre, neq; audire nos

volés, solosqúe nos in afflictionibus ac miserijs nostris certare sinat, sicut & ipse à Patre suo relictus fuit. In his omnibus in eius nos diuinitate abscondere debemus, vt in ipsa nostra desolatione immobiles permanentes, in nulla mortali creatura vel negotio solatium quæramus, nisi in illo duntaxat verbo, quod & Christus ipse dicebat. *Fiat voluntas tua.*

Matt 26. Matt 14.

De interna abstractione, per quam in omni loco & opere in Dei præsentia & vnione permanemus.

CAPVT XVI.



VISQVIS verè abstractam obtinere vitam desiderat, hunc in ciuitate Hierusalem, id est, in pace habitare, sine mortalis peccati cõscientia viuere, ab omni inordinato creaturarum affectione, ab amore quoq; & odio liberum esse, mentem suam absq; impedimẽto in Deum erigere, Deum continuè obseruare, illius inspirationibus ac commotionibus satisfacere, & ad ipsum denique semper propensum, eique deditũ esse oportet. Vita nanque abstracta, magis intus quàm foris agitur. Porrò sicut imperfectus quisque, si ex integro ad Deum suum sese conuertere velit, exteriora fugere habet, idqúe non sine multo labore ac dolore: (Ea nanque quæ per amorem possidemus, velimus nolimus, fortius nobis inhærent) ita qui perfectus est, externa fugere non perinde opus habet, cùm nihil inordinato amore possideat, eiusq; ad Deum introuersio, per amorem Deiq; diligentem obseruationem, aliaque continua pietatis exercitia, tam ei facilis, tamque parata sit, vt in sui ad Deum introuersione, nullam sibi violentiam inferre cogatur. Et licet, quandiu graui carnis huius mole deprimimur, impossibile nobis sit, in eodem semper animi vigore ac in Deum suspensione persistere, quisquis tamen bonus mox vbi ad inutilia sese conuersum deprehendit, ab eis ilicò sese cum magna suijpsius ac instabilitatis suæ dedignatione auertit: & quia sine animi affectione illis intendebat, ideo citra difficultatem ab illis auertitur, quippe qui ad introuersionem, quàm extrouersionem, propensior est. Sunt tamen, qui ex ipsa natura præ alijs quietiores sint, nec tamen ob hoc ampliori sunt sanctitate præditi. Sed qui plus diuini amoris habet, Deumqúe solicitus obseruat, eidemq; obseruationi studet satisfacere, pro Deo virilius decertat, & vitijs ac defectibus suis amplius perfectiusque emoritur, ille nimirum sanctior est. Hic nanque magno quodam erga Deum amore ac strenuitate succensus, etiam minimos quosque defectus adeò ponderat, vt seipsum, præ ingenti cordis contritione ac suimet aspernatione, ferre vix possit: ideoqúe tota mentis intentione, solùm ac purè ob gloriam Dei, defectus omnes & vniuersa peccata deuitat. Nec mirum, cùm vel minimum quid eorum, quæ Deo contraria sunt, grauiori ipsum doloris premat pondere, quam quodlibet priuatum damnum siue incommodum, quod illi accidere possit. Quanto autem seipsum in dilectione magis ac magis exercet, tanto illi & accedit sanctitas vberior. Quantum igitur possumus, omnes forinsecus homimines & impedimẽta, intusq; cogitationes, occupationes, affectiones omnes euitare, surdi ac muti esse, quæcunque accidentia, siue prospera sint, siue aduersa, nõ attendere, in cordis & spiritûs vnitate cum Deo commorari, aliorũ actibus nos haudquaquam admiscere, ex benigno ac misericordi animo & amore erga oẽs cuncta interpretari in melius, & sagaci demũ consideratione defectus proprios obser-

Externa cui non ita fugienda.

Quis maximè sanctus.

obseruare & attendere conemur: sicque, & non aliter, ad veram licebit cordis vnitatem pertingere. Sed quærat aliquis: Multi seipsos ab omnibus abstrahentes, soli permanẽt, & in hoc ipso satis bona pace fruuntur. Estne ergo hoc optimum? Planè laudabile est, occasiones fugere. Sed id non sufficit. Qui enim vere ac perfectè iustus est, in omni quoque loco & apud omnes homines iustus est. Qui autem iniustus est, in omni etiam, licet alioqui sacratissimo, loco iniustus permanere poterit. Quis est autem iustus? Is nimirum, qui Deum reuera habet & tenet vbique præsentem in omni loco & apud quoscunque, haud secus quàm in Ecclesia & solitudine sua. Hic nanque super omnia Deum *in spiritu & veritate* adorat, id est, Deo perpetua cum dilectione inhæret, eumquè veraciter amat, atque ita *in spiritu* eum adorat *& veritate*. Qui ergo Deum verè diligit, ipsum longius requirere opus non habet, cùm ipsum intra sese præsentẽ semper inuenire possit: quando Deus vicinior nobis est, quàm nosipsi nobis, omniumque nostrum conseruator, & essentiæ nostræ essentia sit. Quapropter cum Deum aliquis verè ac solùm, seipsum autem & omnia in Deo & propter Deum habuerit, Deumquè solum intentione ac amore prosecutus fuerit, nihil eum impedire poterit, & omnia in eo diuina efficientur: ipsumque Deum, quoties voluerit, in omnibus inueniet, eundemque in cunctis actibus suis, locisque omnibus præsentem habebit, & cuncta bona opera illius Deus ipse operatur. Quisquis enim opus aliquod agit, illius & propriè & re ipsa est, ideinque ipse illud potissimum operatur. Quãdo ergo nos Deum in omnibus purè intendimus, eumquè fideliter amamus, fieri non potest, quin ipse præcipuè nostra operetur opera. Impossibile nanque est, Deum sine Deo purè intendere & amare. Nec potest homo sola natura extra naram supra seipsum pertingere, ita vt Deum diligat, & abneget semetipsum, cùm hæc sint supernaturalia. Sanè qui Deum veraciter in omnibus operibus suis intendit ac amat, illum nemo impedire, illi nemo Deum præripere potest, nec ipsa hominum frequẽtia, nec locorum conditio. Dum enim Deum in omnibus quærit & gustat, nihil ei facile impedimento esse potest, sed in omni multiplicitate collectus, & in Deo vnitus ac imperturbatus permanet. Hoc ipsum autem non turbari, supra vires est: à Deo est, in quo omnis multiplicitas vnum est. Deum igitur in omnibus quære, intende, & ama: sicque dominari assuesce animo tuo, vt Deum semper & vbique in amore ac intentione præsentem habeas. Vide quanta cum deuotione in Ecclesia vel cella Deo intendebas, Deumque habebas præsentem. Hunc eundem animum serua & adhuc tecum ad homines, in occupationibus, in aduersis. Cæterùm qualem te in oratione inuenire optas, talis cura vt extra orationem sis. Si quid enim cum amore extra orationem gesseris, hoc ipsum (velis nôlis) orationis tempore tuo sese importunè ingeret animo. Hic sciendum est, quòd dum de æqualitate loquor, non hoc intelligi volo, quasi omnia loca, opera & homines, æqualia ducere aut pro eodem habere debeamus. Quid enim hac opinione stultius esse posset, quum citra controuersiam, vnum opus vel locus vnus alio melior & sanctior sit? Sed hoc dicere volo, quòd in omni loco & opere semper eundem animum, eandem fidelitatem, amorem, strenuitatem erga Deum habere debeamus. Quisquis enim talis est, vt sic in omni loco æqualis sit, Deumquè in omnibus amore ac intentione prosequatur, hunc procul dubio nemo impedire, nemo huic Dei sui præsentiam subripere potest. Qui autem sic Deum præsentem

Iustus quid sit.

Ioan. 4.

Deum veraciter intendenti nil posse nocere.

Cui præsentia Dei surripi nõ possit.

non habet, sed ipsum extrinsecus quærere & accipere compellitur, hic dum inæquali societati, loco vel operi iungitur & admiscetur, cum Deum præsentem non habeat, præpeditur facilè. Et quia non purè solum Deum, sed ipsum simul cum Deo inordinatè amat & intendit in omnibus, ideo non tantum malorum, sed frequenter etiam bonorum societate, & non in platea modò, sed etiam in Ecclesia impeditur. In seipso nanque, quod eum impedit, circunfert. Et quæcunque inordinatè diligit, ei sunt impedimento. Necdum huiusmodi Deus factus est *omnia in omnibus*, id est, ipsum Deum nec intendit, nec amat purè in omnibus. Iam porrò aduertere debemus, in quo situm sit, vt Deum reuera habeamus in omnibus. Deum enim habere in animo, in interna intellectuali conuersione in Deum, & in pura Dei intentione situm est. Planè siquidem cogitare Deum, sufficere homini non debet? alioqui ipsa cogitatione cessante, etiam Deus illi excideret. Sed essentialem siue existentem Deum habebimus, creaturas omnes ipsamq; nostram cogitationem longè transcendentem, id est, mentem per amorem erigere, & Deum intra nosipsos, virium actione cessante, inuenire debemus. Ibi nimirum in nobisipsis simplicem quandam amorosam perpetuamque in Deum sentimus propensionem, vbi à creaturis nō impendimur, eò quòd omnem istud creaturæ actionem, omnem aduersitatem siue prosperitatem, omnéq; mutabilitatem transcendit. Iste, inquam, simplex oculus, cùm omnem discretionem cunctasq; excedat imagines, solumque Deum pro obiecto habeat, non multum ab imaginibus & distinctionibus præpeditur. Sicut enim intellectualis oculus Deum in spiritalibus obiectis, in eius videlicet misericordia, bonitate & alijs huiusmodi contemplatur: ita simplex iste oculus Deum supra omnem intuetur imaginem. Qui eiusmodi est, semper magis in Deum, quam foras ad creaturas propensus est: Ipsaq; eum propensio nullo non loco, nullo non commonet tempore, nisi fortè seipsum data opera auerteret à Deo, quod tamen facere vix posset. Quisquis autem sic Deum fixum & (vt ita dicam) essentiatum in se habet, ille eum diuino quodam modo suscipit, & Deus in ipso in omnibus lucet. Dum enim omnia ad Dei refert gloriam, Deus ei sapit in omnibus: dumq; omnia de manu Domini suscipiens, Deum omni tempore laudat, eiq; gratias agit, Deus in omnibus illi se præsentem exhibet: dumq; postremò Dei magna cum strenuitate curam habet, nullis se scienter & ex proposito rebus admiscens superuacaneis, Deus in ipso micat atque refulget. Qui tamen quoties ad inutilia se conuersum deprehendit, ilicò ab eis, cum magna erga seipsum indignatione, auersus, Deo suam instabilitatem querulus recenset, firmumq; denuò propositum facit, nunquam se ad inutilia conuertendi. Inutilia autem & vana sunt omnia illa, in quibus nec Dei gloria, nec propria, nec proximi vtilitas vlla sita est. Quisquis ergo talem sui curam habet, non facile impeditur. Suum quippe dilectum, imò dilectissimum Deum, præsentem habens, illius perpetua tenetur siti. Sicut enim in illo, qui magna correptus est siti, quicquid agat, cogitet, dicat, potis non deletur imago siue memoria, sed quandiu sitis permanet in ipso, similiter perseuerat. Et sicut is, qui magno rei alicuius amore tenetur, vbicunque sit, vel quicquid agat, rei dilectæ non obliuiscitur, sed in omnibus, quæ illi occurrunt, eius sibi effingit imaginem: quæ & tanto illi interius præsens est, quanto amor est vehementior: nec otio indiget, nec occupatione præpeditur, quin semper ad id, quod amat, propensus sit atque paratus. Ita planè & nos Deum amare debemus,

Oculi simplicis obiectum

Sitientis & amantis collatio.

vt amo-

vt amoris ac præsentiæ illius imaginem intra nos nullo non in opere ac loco, apud quoscunque siue quæcunque circumferamus. Et sicut Deus in omnibus est, eiq; præsentia sunt omnia: ita & nobis ipse præsens esse debet in intentione, desiderijs, exercitijs nostris: imò & in cunctis actibus ac dimissionibus nostris, vt videlicet horum omnium ipse solus causa sit & intentio. Porrò DEVM vbique & semper habere præsentem, non exteriori tantum ab omnibus abstractione discitur & obtinetur: sed & interior quædam solitudo comparanda est, vt vbicunque siue apud quoscunque sit homo, omnia sic penetrare contendat, vt nullum ei ad dilectum Deum suum pertingendi præstent impedimentum. Huc autem requiritur, vt Deum ita intra se recipiat, eiusq; amorem & imaginem tam fortiter essentiali quodam modo in se retineat, id est, vt Dei sui ita capax, ad eumqúe adeò sit propensus, ac si naturale ei foret, Deum semper & vbique præsentem habere. Sicut enim is, qui scribendi scientiam cupit adipisci, magnam initio diligentiam adhibere, seduloqúe aduertere pingentis manum, & in ipso sese scriptionis exercere studio, sæpiusq; magno cum labore literarum sibi imagines imprimere cogitur: & quanuis in initio perquam difficile & penè impossibile ipsi videatur, vt possit eam artem adipisci, si tamen sæpius exercitare se velit, deinde à diligentiori attentione literarumq; imaginibus absolutus, faciliter literas pingit, quod similiter & in alijs artibus atque scientijs ita se habet: Ita & Deus per continua exercitia in homine fixè stabiliterq; præsens fieri debet. Ipse nanque adeo nos vbique & semper mouet, admonetqúe, vt si illius saltem curam haberemus, nec ad alia plus satis essemus effusi, ipsum vtique vbique in omni re, loco & opere præsentem haberemus, in nobis sentiremus, imaginis suæ forma transformaremur, & in ipso vniti ac (vt ita dicam) habituati essemus, adeò, vt citra difficultatem nulloq; negotio & absque alia quauis imagine, eius nos amabilis omni in re, loco & opere possideret præsentia, nosq; pro ordinata in Deum propensione prorsus liberi ac expediti maneremus. Quisquis autem ad ista volet pertingere, diligens sit oportet, Deumque magna cum diligentia obseruet: eidemqúe obseruationi faciat satis: nihil cum amore inordinato, sed omnia purè ad Dei honorem possideat: nec aliqua demum inutilia, vana, friuola, sciens ac volens tractet, agatqúe. Cumq; aduertit inutilibus sese occupari, statim illa cum magna contritione ac suijpsius instabilitatisq; suæ dedignatione, deserat abnegetque. Enimuerò si veram voluerit stabilitatem consequi, nihil omnino proprietatis seruare debebit. Dabit autem omnia pro omnibus. Sicq; illi sapient omnia in omnibus. Et licet fortassis in initio difficile huc attingere possit, nequaquam tamen ob hoc facere, quod in se est, desistet. Nec enim magno fructu labor eius fraudabitur. Sine labore magno ad magnam sanctitatem non peruenitur. Quisquis tamen feruida dilectione succensus est, hic aut laborem non sentit, aut si sentit, ipsum ad Dei gloriam amat & amplexatur. Certè quotquot nos præcessêre Sancti, difficultates plurimas experti sunt: defectusq; suos grauiter pōderabant. Sicut & ante hos dies cuidam contigit, qui dum preces Vespertinas, somno obrepente correptus, tempore suo persoluere neglexisset, idipsum postea deprehendens, cum tanta suijpsius se ad seipsum dedignatione conuertit, vt se dignum iudicaret, qui pro tali negligentia per totam illam circumactus prouinciam puniretur. Quæ quidem sui deiectio plus illi ad veram humilitatem contulit, quàm si Vesperas ipsas suo tempore persoluisset.

Qumodo Deus nobis esse debeat præsens.

Friuolis occupato quid curandum.

Paradigma.

Quò igitur diligentiores simus ac permaneamus, negligentias nostras non minimum ponderare debemus. Proinde ô anima mea, si veram optas virtutũ perfectionem consequi, abstrahe te ab omnibus, eiq; vni te vnicam serua, qui te elegit, & à te electus est ex millibus, imò præ mundo vniuerso, vt sponsa sis illius, qui totius vniuersi Rex est & Dominus. Quid tibi cum mutabilibus creaturis? Solum sponsum tuum, qui omnium est author creaturarum, expectans, hoc age, vt cor tuum ille liberum & expeditum semper inueniat, quoties illi ad ipsum venire placuerit.

Vti quis omnia opera sua modo perfectißimo faciat, vt in omni loco & opere intus nullum patiatur impedimentum.

CAPVT XVII.

INVENIRE est quosdam, qui dum diligentiam adhibere curant, ad hoc perueniunt, vt exteriora quælibet, quibus occupantur, siue quibus iustis ex causis adsunt, nihil eos impediant, nec aliquam eis nociuam intus pariant imaginem. Quæ enim mens & cor Deo plena sunt, in eis creaturæ locum non habent. Sed hoc nobis sufficere non debet. Quinimò ex omnibus virtutis augmentum sumere, cunctaq; nostris deseruire profectibus facere debemus, quæcunque etiam sint illa, & vbicunque simus, & quanlibet aliena siue distorta vel inæqualia sint illa, quæ nobis occurrunt. Enimuerò tum demum, nec vnquam ante, rectè nobiscum agitur. Nec hic vllum vnquam terminũ reperire est, quin sine cessatione in isto crescere, atque in hoc profectu magis ac magis augeri possimus. Quisquis autem huc peruenire volet, ille cuncta opera sua, & res omnes prudenti quadam consideratione attendere, atque suipsius & interiorum suorum veram notitiam habere, Deum supremo, quo potest, modo accipere, & demum, vt Dominus ait,
Luc. 12. *hominibus* semper vigilantibus & *expectantibus dominum suum*, similis esse debebit. Porrò ad hoc, vt omnia excellentissimo capiamus modo, id requiritur, vt omnia, quæ occurrunt, de manu Domini suscipientes, illi pro eisdem gratias agamus, ipsum laudemus, vtpote qui ea pro suprema nostra disposuerit ac permiserit vtilitate, vtq; omnia, quæ vel audire, vel videre, vel percipere contingit, ad Dei referamus gloriam, totaque mentis intentione perscrutemur, vt ea quàm optimè interpretari, & ad nostram supremam vtilitatem inflectere pos-
Rom 8. simus. *Scimus* enim (ait Apostolus) *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonũ.* Requiritur etiam, vt nosipsos sagaci consideratione attendentes, deprimere semper ac sub Deo humiliare, & de manu illius, vt iam dictum est, quæcunque accidentia suscipere conemur, ea quæ patimur, longè nostris demeritis esse minora sentiamus: proximos quoque benigno ac misericordi respicientes oculo, eorum facta in melius interpretemur. Hoc autem difficile nobis non erit, si fundum bonum habuerimus, quippe qui solus idoneus est omnia in meli⁹ vertere, & Deum in omnibus magnificè laudare. Sanè qui talis est, verum Christi discipulum dicere non dubites, cui & ipse occultas semitas suas manifestat. Hic semper alacer & vigil perseuerans, diligentissimè obseruat, vnde nam is, quem expectat, dominus videlicet suus, venire velit, & in omnibus, quæ sibi occurrunt,

Verus Christi discipulus quis.

runt, quanlibet aliena & peregrina sint, diligenter explorat, si quid fortè illius, quem præstolatur, in eis liceat inuenire. Bonus siquidem fundus Dei in omnibus peruigilem ac doctam habet curam, cum integra suijpsius abnegatione. Huc autem diligentia magna requiritur, nec minus quàm omnis in hoc nobis est nostra expendenda facultas. Ita nanq; facientes, iusti ac recti efficimur: Deumq; in rebus omnibus, & in qualibet actione vel perpessione nostra, diuina quadam ratione capimus ac inuenimus. Qui ergo opera sua in vera mentis æqualitate operatur, cuncta illius opera æqualia rectaq; fiunt. Quòd si omnes hoc agerent, ita nudè Deus omnipotens in maximè mundanis, sicut in perfectissimis ac deiformibus, reluceret hominibus. Deus nanque ita veraciter malis, sicut bonis, inest per essentiam, cùm sit omnium conseruator creaturarum, viciniorque ac interior illis, quàm sint ipsæ sibi, & essentiæ illarum essentia. Qui proinde seipsum viribus actiuis per amorem nouit excedere, ille Deum in supremo creatæ essentiæ suæ, vbi cum ipso sine medio vnum quodammodo est, inueniet. Sicut autem ipsum intra se, ita & in alijs eum creaturis omnibus reperire potest ea ratione, quod & ipsæ cum Deo supra creatam essentiam suam suo quodam modo vnum sunt. Atque hoc pacto Deum in rebus omnibus creatis, bonis quoque ac malis hominibus æqualiter deprehendet inuenietque: in malis quidem per iustitiam atque vindictam, in bonis verò per gratiam. Sicut autem in istis diuinam extollit misericordiam, ita in illis diuinam iustitiam, vel etiam bonitatem, illorum malitiam benignè tolerantem, ipsosque protegentem, ac vt quandoque pœniteant, misericorditer expectantem, prædicat & laudat. Rursus, sicut in his, qui saluantur, Dei clementiam ac bonitatem: ita in damnatis, illius effert iustitiam. Insuper sicut pro his, qui & sibi & alijs benigni ac benefici sunt, Deo gratias agit ac laudis offert sacrificium: ita nihilominus & pro illis, qui vel sibi, vel alijs duri, asperi, molesti sunt, Deum laudare, eiq; gratias agere contendit, cogitans Deum omnipotentem hoc pro sua & aliorum præcipua vtilitate permittere. Sic ergo bonus quisque Deum in omnibus inuenit hominibus, & ipsi *omnia cooperantur in bonum*. In omnibus autem excellentissimo, quo potest, modo Deum sumit. Nec tamen hoc ita accipi velim, quasi huiusmodi homo defectus aut vitiosum aliquid siue tortuosum admittere debeat. Sed in omnibus, quæ illi videre extrinsecus vel audire contigerit, Deum ea, qua iam dictum est, ratione præsentem habere nitetur. Qui enim sic Deum in omnibus præsentem habet in intelligentia sua, id est, nuda essentia, seu intenta acie animæ suæ, Deum supra omnem imaginem contemplante, quiq; seipsum in vitę sanctitate cunctisq; studuit exercere virtutibus, ita vt eisdem per simplicem ac amorosam ad Deum propensionem, supra omnem virium operationem, omnemque discretionem potens sit vti: hic solus, quid vera pax sit, nouit, ac veracem & felicem prorsus agit vitam. Quisquis enim iustus esse voluerit, alterum ei è duobus congruat oportet, vt vel Deum ipsum in suis capiat, discat, intendat operibus: vel supra omnia opera per amorem erectus ac sublimatus, Deum magis patiatur, quàm agat ad illum. Et quia sine opere esse non valemus, ideo summè necessarium est, vt Deum in omnibus præsentem habere, & in cunctis operibus ac locis liberi & absque impedimento esse discamus. Quoties ergo perfecto alicui siue spiritali homini foris aliquid cum hominibus agere incumbit vel operari, seipsum totis obseruabit viribus, Deumq; in memoria sua tam sibi fortiter

Quomodo Deus omnibus insit.


Quomodo in omnibus inueniatur Deus.

Iustitiam cupienti oportuá quid.

fortiter proponet, vt eodem memoria ac intellectus ipsius, nullis alienis imaginibus aut formis, vel depingi queant, vel occupari.

Vt bona voluntas diuinæ voluntati vnita, ac Deum in omnibus purè quærens & intendens, omnia possit, & de interno solatio ac derelictione.

CAPVT XVIII.



Bona omnia ex voluntate pendere.

QVANDIV bona se quispiam voluntate sentit præditum, ex nulla re turbari immodicè, nec plus æquo dolere, nec à DEO se remotiorem arbitrari debet. Omnis namque virtus & bona omnia ex voluntate dependent. Nihil ergo deficit illi, qui verè iustam possidet voluntatem. Proinde si humilitatem, si charitatem, si quaslibet alias appetis habere virtutes: tantum fortiter ac tota voluntate velis, & haud dubiè habes eas. Nec potest istud quisquam subripere tibi, siue Deus, siue creatura, modò voluntas tua recta sit & deiformis. Est autem voluntas deiformis, siue deifica, qua quicquid volumus, purè ad Dei volumus gloriam. Hoc quippe voluntati naturaliter non inest. Nec potest in vllo deiformis hæc siue deifica melius agnosci voluntas, quàm si in omnibus purè Dei gloria quæratur. Hanc voluntatem nihil superare potest, neque mors, neque vita, neque dæmon, neque infernus, neque purgatorium, neque alia quæuis creatura. Veruntamen non satis est ita leuiter dicere, Vellem me talem aut talem esse: sed tota intentione ac fortiter oportet velle, dicendo: Sic planè facere vel esse volo. Si virtus aliqua vel bonum spiritale per mille abesset milliaria, atque ego hoc perfecta voluntate habere vellem, magis hoc propriè meum esset, quàm quæ sinu inclusa tenerem, nec tamen habere vellem. Neque enim minus coram Deo ad bonum efficax est bona voluntas, quàm ad malum mala. Constat autem, quia licet nullum fortassis opus impium agam, perfecta autem voluntate aliquod malum opus velim, haud secus coram Deo reus sim, quàm si opus iniquum reuera perpetrâssem. Vnde etiam fieri posset, vt tanto voluntatis affectu in multorum necem consentirem, vt etiam si re ipsa nil tale perficerem, coram DEO tamen reus illorum tenerer scelerum, essemq; illius iudicio homicida. Nec tamen hîc asseuerare velim, peccatum opere perpetratum, non maius esse illo, quod sola voluntate admittitur. Sed quòd ipse voluntatis consensus peccatum constituat, etiamsi nullum vnquam opus subsequatur. Magis siquidem in voluntate, quàm in opere, peccata posita sunt. Cumq; hæc ita se habeant, cur non eadem sit bonæ voluntatis efficacia? Planè idipsum multo magis in bonis possumus. Deus nanque bonæ voluntati cooperans, eius opus leuius ac tolerabilius reddit. Malæ autem voluntati sola duntaxat illius suffragatur iniquitas. Quanto autem gratia diuina bonæ voluntati coniuncta, sola peruersa voluntate amplius potest, tanto & bona voluntas, diuinæ gratiæ freta auxilio, quicquid volet, efficacius poterit perficere, quam mala voluntas, sola duntaxat propria peruersitate adiuta. Aio ergo, & quidem constanter, quia per voluntatem possum omnia. Per hanc omnium labores sustinere, cunctos alere inopes, omnia omnium opera exequi, & quicquid demum cogitari potest, facere queo. Si enim hæc perfectè volo, & sola deficit exequendi facultas: liben-

Voluntas deiformis.

Quantum voluntas habeat momenti.

libenter autem, si possem, facerem,& quantum possum in his, facere non omitto, nimirum omnia coram Deo fecisse iudicabor. Nec potest quisquam hanc mihi voluntatis efficaciam vel ad momentum eripere. Imò si voluntas mea maior ac intentior foret ad opus aliquod ab alio perpetratum, quàm ipsius facientis: & ego ad operis illius executionem id, quod possem, adhiberem: licet illud forinsecus non omnino perficerem, maius tamen illo pro opere à iusto iudice Deo reciperem præmium, quam alius ille, qui magno hoc labore peregisset. Hoc tamen affirmare non ausim de operibus illis, in quibus amor atque voluntas paria per omnia forent, quòd videlicet in his idem sit præmium agentis,& non agentis. Aureolam siquidem, quæ Martyribus præstatur, non habebit is, qui martyrij dolores non sustinuit: licet alioqui tanto feratur martyrij affectu desiderioque, quanto illi qui reuera pœnas sub êre martyrij. Si quis autem affirmare vellet, perfectam voluntatem absque opere tantundem valere, quantum bonam voluntatem simul cum opere: haud equidem contentiosè huic sententiæ refragarer, cùm magna sit bonæ voluntatis virtus & efficacia, hoc quod in se est, ex toto facientis. Si enim reuera tantum ad Deum laudandum voluntatis ac amoris habere potes, quantum vnquam aliquis potuit, idipsum habes haud dubiè, si modo voluntas tua integra sit, recta, perfectaque. Denique iusto ac recto homini, ob bonæ voluntatis suæ perfectionem, nullum tempus nimis breue esse potest. Quando enim sic voluntas est affecta, vt quicquid potest, facere velit, idque non solùm nunc, sed etiamsi mille adhuc annis oporteat superuiuere: tunc planè coram Deo totum hoc illi imputabitur, quod tanto interim annorum spatio opere perfici posset. Tunc autem recta est & integra voluntas, quādo nihil omnino vitiosæ habet admixtum proprietatis, id est, quando nihil scienter malitiæ continet, quando à propria vitiositate auersa, imò segregata penitus, in diuinam est voluntatem transformata ac immutata, ita vt nihil iam velit, nisi quod pro suo iudicio & cognitione Deo gratum credit: atque hoc ipsum, prout potest & fieri debere iudicat, & agendo & dimittendo declarat. Quanto autem his voluntas abundat magis, tanto verior & rectior est. Et hac voluntate nihil est quod non possis, siue sit Deum amare, siue quodlibet aliud. Veruntamen non est ignorandum, quòd licet fortassis tantam quis habere sanctitatem appetat, quantam vllus vnquam habuit, non tamen ideo statim eam habet sanctitatem. Tantum autem sanctus est, quantum voluntas illius ad Deum magna est. Vnde si tanta illius, tamque perfecta voluntas esset, quàm alicuius vnquam fuit: eadem quoque illius, quæ perfectissimi, foret sanctitas: quam licet alioqui plurimum affectat, non tamen maior est sanctitas illius, quàm voluntas. Sed quærat aliquis: Qua ergo ratione iam dictam sanctitatem assequi potero, cùm eam neque sentiam, neque aliquod illius in me deprehendam vestigium: multos quoque grandium quorundam operum esse & exercitiorum, ac mira quædam facere videam, quorum in me nihil inuenio? Hic iam duo consideranda sunt, quæ congruunt amori. Vnum est, ipsa essentia: Alterum, opus ipsum siue effectus amoris. Porrò amoris essentia, eius est magnitudo, quæ in voluntate duntaxat sita est. Vnde qui bona voluntate est ditior, plus quoque veræ dilectionis habet. Hæc autem in anima latet abscondita, nec quisquam eam in proximo facilè discernere potest. Vnde & præceptum habemus à Domino, ne temerarium super alios iudicium feramus. Effectus verò siue opus amoris,

Aureola quę quibus debeatur.

Quando voluntas sit recta.

Quę duo hic consideranda.

Matth. 6.

moris, quandoque magnum aliquid esse videtur, vt est iubilatio, deuotio, & alia huiusmodi: sed hæc non semper potiora melioraque sunt, cùm & sine vera possint charitate subsistere, & natura sæpe huiusmodi saporem ac dulcedinem ministrare soleat, vel etiam, Deo permittente, malignus spiritus ea in homine excitare queat, vt aliquo ille in pretio ab alijs habeatur. Nec ille sanctior ducendus est, qui his amplius abundat. Vnde solerter est discutiendum, vtrum à Deo, & cur à Deo, præstetur. Sæpe namque huiusmodi Deus pro sua pietate largiri solet, vt hominem ad altiora prouocet, & in vitæ contineat integritate. Dum verò is, cui hæc conferre solebat, in vera dilectione proficit, hanc ei dulcedinis instillationem paulatim subtrahit. Porrò etiam si quis in hac consolatione Deo fidem seruet, adhuc tamen vigilanter satis inspiciendum est, vtrum ex vera dilectione procedat: & licet hoc esse constiterit, at nec sic quidem optimum est. Quod inde satis apparet, quòd huiusmodi cosolatio pro dilectionis aliquo opere, alteri vel spiritaliter vel corporaliter necessariò, est postponenda. Si enim ad illum quis contemplationis pertigisset excessum, ad quem vnquam vel D. Petrus, vel Paulus, vel Apostolorum aliquis peruenit, sciret autem pauperem quendam infirmum calida egere sorbitiuncula, aut alio quouis seruitio habere opus: multo quidem melius foret, ipsum à contemplationis interim quiete exurgere, & pauperi illi in vera charitate dilectionis impendere obsequium, quàm præsenti contemplationis dulcedini immorari. Dei namque præcepta pro nullo quamlibet magno exercitio sunt negligenda: & Deo gratius est, vt ipsum propter ipsum relinquentes, eius membris ex charitate seruiamus. Nec sanè credendum est, aliquod hinc nos detrimentum accipere. Quæ enim ex animi beneuolentia deseruntur, multo excellentius restituuntur à Deo, sicut ipse in Euangelio testatur, dicens: *Qui reliquerit patrem vel matrem, &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: vbi planè *centuplum*, saporem illum significat, quem experitur is, qui aliquid pro DEI gloria deserit, abnegat, relinquit. Hic namque sapor spiritalis omni illo sapore, quem rei alicuius propriæ possessio habet, longè (imò centuplo) nobilior est atque præclarior. Vnde si quis magnopere affectaret diuinum intra se solatium, Deique præsentiam, instar aliorum piorum hominum sentire: Deus autem hoc illi negaret, & ipse in hac parte se ex toto diuino pro Dei gloria resignaret beneplacito, multo ei verius hoc ipsum præstaretur, quàm si sensibiliter idem percepisset. In propriæ siquidem voluntatis abnegatione centuplo plus saporis est & præmij, quàm in ipsa sensibili consolatione, proprietate retenta. Sanè quicquid à DEO aliquis sperare vel desiderare potest, siue corporale sit, siue spiritale, totum in ipso reperit. Deum autem pati, multo, quàm propter DEVM operari, præclarius est. Quòd autem interim ex charitate contemplationis studium intermittendum sit, etiam Apostolus testatur, cùm ait: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, quod quidem non de veræ dilectionis, sed sensibilis illius cõsolationis diuinæ subtractione intelligit. A vera siquidem charitate pro nulla re mundi vel ad momentum separari voluit. Attamen amici Dei nunquam diuino carent solatio, quando quicquid eis Deus siue largiri, siue cum eis facere velit, id summum eorum solatium est, qualecunque demum sit illud, iucundum vel triste. Cæterùm multos inuenire est, qui se bonam habere voluntatem arbitrentur, quam tamen minimè habent. Dominatur autẽ eis voluntas pro-

Esse & deuotionem aliquam suspectã.



Vbi Martha præstet Mariæ.



Matth. 19.

Rom. 9.

Nota.

propria, qua sic vel Deum secum agere debere volunt. Sed hi aberrant penitus. Talis enim voluntas à bona voluntate prorsus abhorret. A DEO namque non solatium internum, siue dulcedo, non hoc aut illud, sed eius dumtaxat gratissima voluntas est votis omnibus expetenda. Alia siquidem licet in gratia peti possint, ea tamen immoderatius affectare, imperfectio est. Planè super omnia DEVS ipse à nobis id exigit, vt nostram illi penitus voluntatē offerentes, quicquid volet, ipsum facere permittamus: & per hoc in omnibus vera gaudemus pace. Præter hoc autem, quicquid siue nos cum Deo, siue ipse nobiscum loquatur, parum aut nihil prodest, donec cum Apostolo ex sententia dicere possimus: *Domine, quid me vis facere?* Tunc nimirum sciet Dominus, quid facere debeat. Et hoc illi multo acceptius est, quàm si mira quædam ex voluntate propria pro illius amore nos libenter facere velle dicamus. Super omnia namque quæ vel dicere vel facere possemus, hoc vel maximè Deus poscit, efflagitatque, vt intus in corde dicamus: Domine, fiat gratissima voluntas tua. Cùm Angelus Gabriel Virgini Matri summæ Trinitatis nuntiaret consilium, parum omnia illa, quæ cum eo loquebatur, ad hoc vt mater Dei fieret, conferre poterant. Mox autem vt propriam voluntatem resignauit, & obtulit DEO, vera Dei & sempiterni Verbi mater effecta est: Deiq; Filium concipiens, eundem quoq; & ipsa Filium habere, eiusq; vera Genitrix & dici & esse meruit. Nec enim aliquid est, quod hominem securum aut verè iustum reddere queat, donec propriæ renuntiet voluntati: quod quandiu non facit, nihil profectò apud DEVM, quod quidem ad perfectionem attinet, se nouerit profecisse, tametsi hoc aut illud eligere, etiam cum gratia subsistere possit, modò Deus omnibus anteponatur. Cùm autem ad hoc peruenerit, vt seipsum ex toto resignans & offerens Deo, omnia propter ipsum intus & foris, pati ac subire paratus sit, tunc bene cum ipso agitur, & non ante. Tunc enim de omnibus ita quodammodo securus efficitur, vt est ipse Deus: & omnia magis illi propria sunt, quàm vnquam aliquid fuit: talemq; hic saporem percipit, qualem nemo absque hac voluntatis abnegatione sentire meretur. Heu igitur, tam paucos inueniri, qui sic perfectè omnem voluntatem suam diuinæ substrauerint voluntati. Nemo iam prope est, qui funditus mori velit, siue sentiant, siue non. Plurimi sunt, qui hunc aut illum viuendi modum, aut illa vel illa bona appetant: sed reuera totum quod agunt, ex propria plerunque voluntate procedit. Qui autem integra resignatione omnem voluntatem suam in Deum transfudit, & in ipso firmauit, omnia quæ illi Deus in tempore vel æternitate euenire, siue ipso facere velit, libens suscipit, suamq; in omnibus voluntatem diuino beneplacito conformat. Itaque nihil equidem dicere verear, vnam saltem Angelicam salutationem, cum suiipsius abnegatione ad perpetuam Dei gloriam prolatam, etiam multis Psalterijs ex propria voluntate atque cum proprietate propter seipsum cantatis, multo meliorem, imò & vtiliorem esse. Nam & is, qui perfectè seipsum & omnia exijt deseruitque, adeo in Deum est receptus, vt quisquis eum contingere volet, Deum prius tangere habeat, cùm sit ipse in Deo, & Deus vicissim in ipso: & quicquid ei euenit, totum de manu Domini suscipiens, eundem ob id laudare, eique gratias agere contendit: sicque velut per Dominum suscipiens omnia, in omnibus quandam experitur suauitatem. Non enim potest aliquid amarum transire per Dominum. Sicut enim exempli gratia, potus palatum non afficit, nisi prius per linguam

Quid sola tiū à Deo petendū.

Actor. 9.

Luc. 1.

Qui potissimè Maria Dei mater facta.

Nota.

Comparatio lepida.

defluat: quæ si infecta vel acida fuerit, quamlibet alioqui in seipso vinum dulce sit atque suaue, non potest alium, quàm ingratum, saporem ingerere, ob linguæ infectionem: ita nimirum quisquis seipsum, quod ad vitia attinet, funditus abnegauit, reliquit, exijt, & in Deo iam mortuus est, ita à Deo vndique circundatur, vt nulla eum creatura, sicut iam dixi, contingere possit, nisi prius Deum tangat. Quicquid enim ei euenire debeat, prius per Deum transire habet: vbi saporis condimentum accipiens, totum diuinum efficitur. Vnde quanlibet magna sit, quæ illi occurrit, afflictio, quando prius illam Deus portat, & ipsi pro sua vtilitate euenire permittit, facile illam sustinet, dum eam non de illius, qui hanc ipsi irrogat, sed de manu Domini suscipit. Hoc autem non à seipso habet. Denique nulla vnquam cuiquam occurrit aduersitas, quin eam permittere, diuinæ quodammodo naturæ repugnet: vnde nec vllo eam pacto admitteret, nisi homini eam sciret vtilem & fructuosam. Afflictio enim, quatenus afflictio est, Deo non placet, nisi ob hoc duntaxat incomparabile bonum, quod inde nobis accrescere nouit, & ipse ab æterno constituit & ordinauit. Cumqúe ipse, sicut iam ante diximus, simul cum illo, qui seipsi perfectè resignauit, onus aduersitatis ferat, ipsaq; aduersitas non nisi per Deum istiusmodi eueniat homini: fit inde nimirum, vt ipsa crux seu afflictio, dulcis omnino ac deifica reddatur, & iam perinde sit homini despici vel honorari, amara experiri vel dulcia: quippe cum hæc omnia in Deo condiantur, & diuina fiant ac deiformia. Imò gratior illi foret amaritudo, quàm dulcedo, vtpote qui illam se magis meruisse, & ideo potius sibi deberi existimat: quia tamen seipsum ex toto diuino resignauit beneplacito, gratum est illi, quicquid ei, Deo permittente, occurrit, omniaqúe de manu illius studet accipere. Cùm enim nihil ipse quærat, nihil diligat, nec quicquam illi sapiat nisi Deus, ita hunc in amaris atque contrarijs, sicut in maxima dulcedine, capit. Hîc planè *lux in tenebris lucet*, & eam hîc sentire licet. Nec enim fieri potest, vt aliquis pro Dei gloria quicquam sustineat, quin in eo ipso quod patitur, saporem quendam diuinitatis percipiat. Et licet fortassis nihil illi sentire, id est, gustare contingat sensibiliter, DEO se ad tempus occultante, hoc ipso tamen bene illi quod patitur, non potest non sapere, quo se hoc ad æternam DEI gloriam ferre velle cognoscit. Enimuerò Deo purum impendere honorem, diuino sapore carere non potest. Sed obsecro, cur hæc & alia plura, salubria vtique, dicuntur, nisi vt eis in afflictione siue mentis obnubilatione positi vti conentur? Quem enim alioqui hæc fructum afferre poterunt? Addo igitur adhuc: Si quis seipsum ex toto, quod ad vitia attinet, exiens, in Deum transisset, diuina præsentia nunquam in quocunque etiam opere fraudari posset. Nam etsi in verbis fortè vel operibus sui oblitus excederet, aut alia ei mala in mentem inciderent, minimè tamen ob hæc bona studia & opera sua iam inchoata deberet intermittere. Cùm enim DEVS operis eius initium sit, & ipse hoc ad illius honorem inchoârit, facile quoque illis, qui se operi immiscent, defectibus siue incidentijs veniam dabit, sicut hoc & in diuo Bernardo, & alijs Sanctis videre licet. Neque enim, quandiu hîc sumus, ab huiusmodi incidentijs prorsus esse liberi possumus. Nec tamen ob aliquarum admixtionem palearum frumentum reijciendum est. Reuera huiusmodi prauæ immissiones diaboli siue incidentiæ malæ, homini recto, reformato, & cum Deo viuere scienti, non solum non officiunt, sed & magnum


Afflictio qui placeat Deo.

Quolibus affectibus in hac vita carere nequeamus.

magnum insuper adferunt emolumentum. Sicut enim Apostolus ait, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom 8.

Vt in vitiorum impugnatione & tentationibus habere nos debeamus.

CAPVT XIX.



IPSA vitiorum impugnatio, & ad mala propensio, bonis hominibus nunquam absque fructu & profectu magno dilabitur. Est autem duplex bonorum hominum genus. Quidam ita habent, vt vix aut tenuiter à vitijs impugnentur. Alij verò, dum sese occasiones offerunt, tentantur forinsecus, & ad peccata commouentur: verbi gratia, vel ad iram, vel vanam gloriam, vel gulam, vel luxuriam, vel alias quaslibet culpas: intus autem in viribus supremis horum nihil patiuntur, nec quicquam mouentur, imò etiam peccata huiusmodi auersantur penitus. Fixum nanque atque statutum est illis, nunquam vel iræ, vel superbię, vel alicui alij vitio consentire: dumq́ ab his impugnantur, resistunt viriliter. Et licet fortassis ex ipsa natura quædam eis vitia insita sint, sicut quidam ex natura in superbiam, vel iram, aut alias culpas procliues sunt, illis tamen nulla ratione præbere consensum acquiescunt. Hi longè amplius à Deo laudantur atque probantur: ipsasq́ virtutes multo illis alijs excellentius nobiliusq́ possident. Virtutum nanq́ perfectio, strenua ac legitima decertatione comparatur, sicut & Apostolus ait. *Virtus in infirmitate perficitur.* Vnde & necessaria nobis tentatio est. *Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Certare autem non potest, qui nõ impugnatur: & absque certamine nemo victoriæ palmam obtinet: imò & turpe foret, sine bello & victoria triumphum agere, aut vsurpare coronam. Cùm igitur *vita* nostra plena tentationibus ac prælijs, *militia sit super terram*, nec tamen ex nobisipsis, vlli tentationi resistere possimus: (quod quidem satis nobis placere & gratum esse debet, cùm optatius sit, à Deo quàm à nobisipsis virtutem accipere resistendi: eiusque magis voluntati præsto esse, quàm eligendi habere facultatem. Nihil enim vel in tempore, vel in æternitate iucundius, nihil est securius, quàm proprium esse Dei. Nam sicut Deus in omnibus plena gaudet securitate, ita & is, qui proprius est Dei, securissimus est, & vicissim maiori Deum proprietate possidet, quàm rem vllam vnquam occupârit. (Cùm ergo, vt dixi, sine Deo nihil possimus, omninò necessarium nobis est, vt & ipsius & gratiæ eius curam habeamus peruigilem atque perpetuam, quò per ipsum tentationes omnes superare queamus. Enimuerò quoties de tentatione referimus palmam, toties & Deo gloriam, & Angelis sanctis lætitiam exhibemus, ingerimusque. Denique ipsa ad malum propensio, peccatum non est. Sed perficere velle peccatum, id vitium est. Sunt tamen aliqua peccata, vt verbi gratia, cogitationes immundæ, quibus diu immorari absque peccato non possumus, etiamsi fortassis ad actum procedere nolimus. Nimis enim ad mala hominem inclinant. Vnde mox vt illas aduertere cõtingit, inde citius multa cum diligentia est recedendum, & animus auertendus. Cætera nanque peccata omnia, resistendo: carnalia autem, melius fugiendo vincuntur. Planè si quis rectè valeret in anima, etiamsi optio ei daretur, nequaquam tamen vitiosis propensionibus tentationibusq́ velle deberet absolui. Quibus enim ista desunt, sine solicitudine & circumspectione sunt in cunctis actibus suis, nec aduersum aliquid suspicantur, & coronam illam, quæ datur probè certantibus, minimè percipiunt. Ille autem pugil est optimus, qui vitiosas propensiones

Duplex bonorum hominum genus.

2. Cor. 12.
2. Tim. 2.


Iob 7.

Quæ resistendo, quæ fugiendo vincenda sint vitia.

Pugil optimus quis. & tentationes superat, & dominatur animo suo. Vitiosæ præterea propensiones ipsas virtutes in animum inducunt, & nos in Dei seruitio studiosiores efficiunt, mentemque ad Dei & suipsius obseruationem & perpetuum quoddam virtutis studium & exercitium excitant: atque ipsa demum sedula vitiosæ propensionis obseruatio, in virtutibus nos confirmat, stabilitque. Quanto autem nos infirmiores cognoscimus, tanto diuinam nos gratiam & benedictionem ardentius suspirare, ac studiosius obseruare conuenit. Virtus nanque & vitium in nostra consistunt voluntate.

Vt Deo gratiæ referendæ sint, quod nobis non solum peccata dimiserit, sed etiam à multis nos præseruârit vitijs, & vt nos cum dolore & contritione ad ipsum conuertere debeamus.

CAPVT XX.



Cum peccatum adeo sit detestandum, vt pro nulla mundi vel prosperitate vel aduersitate quodlibet vel mortale, vel veniale committi debeat, nos tamen interim heu multa nimis admiserimus, mirum profectò est, quomodo nos continere possimus, vt non penitus per ingentem ac feruidam dilectionem resoluamur, deficiamusque attendentes vt pius ille & fidelissimus Deus, omnem à nobis impietatem auferens, in nouam nos gratiæ vitam transtulerit, & de inimicis amicos fecerit: quod quidem maius esse, quam mundum creare de nihilo, certum est: vt præterea etiam ipsa peccata nostra, per bonitatem suam ad nostros inflexerit vsus & vtilitatem nostram, ita vt, si nos velimus, ipsa quoque nostræ saluti cooperentur. Nec tamen hoc ita intelligendum est, quasi pro peccatis nostris dolere non debeamus: sed ideo nobis illa prodesse, quòd nos ad pœnitentiam adduxerint, & humilitatis ac deiectionis nobis præbuerint causam. Est autem & alia humilitatis causa, quam ignorare non debemus. Intemerata nanque Dei Genetrix gloriosa semper Virgo Maria, cum ab omni peccato sit præseruata, maiorem se humiliandi causam habet, quàm beatissima Maria Magdalena, quæ sic diuina bonitate à peccatis liberata, sicut Virgo gloriosa ab ipsis præseruata fuit. Maius etenim beneficium est, à vulneribus illæsum seruare, quam inflicta curare vulnera. Ita ergo & nos Deo gratias agere tenemur, non solum de peccatis nobis misericorditer indultis, sed multo magis de ijs quoque, quæ incidere poteramus, nisi sua nos bonitate ipse custodisset: & non tantum de beneficijs iam collatis, sed de omnibus quoque bonis illis, quæ nobis collaturus erat, nisi nostra hoc malitia præpedisset. Quanto autem cumulatiora sunt in nos beneficia Dei, tanto & nos illi cum humilitate ac reuerentia gratias abundantiores agere sumus adstricti. Vnde si quis solerter aduertere velit, ex ipsis quoque virtutibus ei à Deo collatis, & ex Dei bonitate, qua à profundiori ipsum ruina præseruauit, maiorem præclarioremque humilitatis rationem, quàm ex hoc, quòd lapsus, à Deo veniam meruit & indulgentiam, habet, inuenitque. Cùm autem omnia iam nobis à Deo peccata tam misericorditer remissa sint, vel hinc confidere licet, haudquaquam ipsum, vt in ea caderemus, permissurum fuisse, nisi & ex ipso casu nostro nostram vellet salutem promouere copiosius, & aliquod inde bonũ nostrum

Maxima humilitatis causa, quæ.



nostrum elicere, si tamen nosipsi cooperari velimus. Dum enim quisque peccator à vitijs resurgens, & ab eis integrè se auertens, Deo perpetuò seruire, eique soli viuere statuit: adeò se illi benignam exhibet æterna illa ac immensa bonitas, ac si nunquam in peccata corruisset. Omnia nanque peccata illi perfectè remittit, nec vnquam illi ea imputabit, etiamsi tot essent, quot omnes simul homines cõmiserunt, si tamen ex animo doleat purè ad gloriam Dei, & ideo potissimum suæ illi iniquitates displiceant, quòd eas Deo displicere intelligit. Feruentissima quippe charitas illa, ex qua dolor iste promanat, omnem peccati absumit rubiginem, dummodò magna satis sit charitas ista atque contritio, ex omnibus, vt decet & oportet, viribus procedens. Quanlibet autem parua sit contritio, purè Dei intuitu concepta, Deo tamen multo gratior est omni illo dolore, quem propter seipsos omnes simul homines habuêre. Denique huiusmodi conuerso peccatori Deus familiaritatem omnem & secretorum suorum reuelationem, quam vnquam alicui impendit, exhibere iam potest. Si enim paratum eum & idoneum inueniat, non magnopere attendit qualis ante fuerit. Nam Deus, præsentiæ Deus est. Qualem vnumquenque reperit, talem eum suscipit & assumit. Nec respicit, quid olim fuerit, sed quid modò sit. Ideòq; contemptum omnem & iniuriam, quæ sibi per peccata inferuntur, Deus misericordissimus libenter tolerat, & multis annis benignissimè tulit, vt homo quandoq; ad peccatorum suorum, & ęternæ charitatis Dei veram perductus agnitionem, ex his suus amor, gratitudo, reuerentia, strenuitas erga suum Conditorem augeantur, fiantq; meliora, & vehementius accendantur. Ista quippe non rarò ex peccatorum cognitione oriuntur in homine. Vnde vitiorum probra & contumeliam libenter ab electis suis Deus tolerat, vt eos olim ad magna quædam & sublimia perducat. Quis, quæso, Domino nostro Iesu Christo, vasis illis misericordiæ suæ, Apostolos dico, charior aut familiarior fuit, quorum tamen nemo perstitit, sed omnes in peccata ceciderunt, vnus tamen grauius alio? Huiusmodi lapsus tam in veteri quam nouo Instrumento sępe Deus etiam in illis sustinuit, qui ipsi postmodum fuêre chariores. Et perrarò contingit aliquem ad magna quędam prouehi, qui non prius in aliquo lapsus sit. Cur autem hæc ita circa nos fidelissimus ille amator noster disponit, nisi vt ex his immensitatem misercordiæ suæ attendentes, ad profundiorem humilitatem ac diligentiam seduliorem accendamur, ipsiq; deinceps perpetuis temporibus per amorem inhæreamus, & in ipso nos exercere curemus? Quoties enim per peccati commemorationem dolor & contritio renouatur, toties & amor & feruens in Deo exercitatio augeri debet. Vnde mox vt in aliquo te excidisse cognoueris, totis viribus amorosè te ad Deum conuertas, idq; profunda cum displicentia tuijpsius: & ab omni peccato seriò te auertens, minimum illud quod contra Dei gessisti honorem ac beneplacitum, magis quàm omnem illam confusionem, damnum, pœnam, ignominiam, quæ illo ipso meruisti, ponderare studeas atque ad Deum, vt dixi, ex vero amore, cum stabili perpetuoq; nunquam deinceps peccandi proposito, te conuertas. Ista autem conuersio, cum immobili quadam ad Deum fidelissimum amicum tuum dilectione coniuncta erit: cuius nimirum tanta fidelitas est, vt neminem deserere possit, nec potuerit vnquam, qui plena illi fiducia inniteretur. Magna quippe dedignatio & displicentia erga nosipsos cum vero ac serio nunquam peccandi proposito, & amorosa ad Deum conuersione firmaq; fiducia

Qualis contritio maximè grata sit Deo.

Nota.

Cur labi sinantur etiã summi.

ex amarissimæ passionis ac immensæ charitatis illius concepta intuitu, vera pœnitentia est. Nam dum pœnitens quisque displicentiam & contemptum Dei suo damno grauiora ducit, & amplius luget, inde verus amor & magna erga Deum in ipso consurgit fiducia, qua iam sentire incipit, Deum sibi peccata sua libentissimè remissurum. Et hæc contritio non ex timore seruili, sed ex pura dilectione trahit originem. Atque per hanc anima spiritali quodam repletur gaudio, quod ipsam extra omnem miseriam & dolorem in Deum subleuat, cum quo fœdus quoddam inuiolabile iniens, ab eodem consolatur. Porrò quanto maiori consolatione perfunditur, tanto etiam vera in ipsa augescit contritio: ita vt iam hilariter sese ex amore diuinæ iustitiæ offerat atque resignet, parata sustinere, vt ipse se Deus secundum iustitiam suam ad perpetuam gloriam suam puniat atque castiget. Dumque per hanc deificam contritionem sese in Deum subleuat, fieri nō potest, quin peccatorum suorum ab ipso obtineat veniam, si saltem hoc ei confidere nôrit. Nulla enim, quanlibet insignis malitia, vel minimo diuinæ bonitatis puncto præponderat. Quod cum ita sit, mirum profectò est, quomodo continere se possit homo, vt Deum ex totis animæ suæ viribus non diligat, qui ipsum expectauit ad pœnitentiam, & pœnitentem suscepit misericorditer, atque pro peccatis ipsius in mortem tradidit animam suam. Planè nimis auarus est, cui Deus non sufficit, in quo bona omnia continentur vltra quam desiderare possis. Diuitiæ nanque Dei, omnem modum & æstimationem excedunt. Sufficiat ergo tibi Deus, & in illius sacratissima vita, amabili passione, morte amarissima te exerce. Sufficiat quoque tibi, quod ille opera tua misericorditer remunerare nouit. Quæ enim ipse ignorat, aut perpetuæ obliuioni traduntur, aut certè ipse ea secundum iustitiam suam punire statuit. Denique recogitandum nobis est, Deum generalem omnium Redemptorem esse, pro quo vtique magis eum amare, & feruentius laudare, ac gratias agere sumus adstricti, quàm si quemlibet nostrum duntaxat redemisset. Singulare nanque gaudium de quolibet beato in cælis habituri sumus: & quoties eum in illa cęlesti patria aliquis beatorū laudabit, toties noua exultatione perfundemur, quòd illum laudari sentiemus, quem super omnia tota mētis intentione diligimus, quique hoc ipsum, quod peccatis nostris destruximus, saluare, restituere, reformare dignatus est. De hac deifica contritione & pœnitentia, plura superius in priori offendes capite.

Pœnitētia vera, quæ.

Quanta diligendi Dei necessitas.

Quòd qui vitam districtiorem agere non possunt, non ideò se à Deo alienos aut remotos iudicare, sed Christum in vera dilectione & omni virtute imitari debeant.

CAPVT XXI.



NFIRMIORES quidam, dum vitæ Christi & Sanctorum eius districtionem & laborem attendunt, seque talia non posse, nec ad huiusmodi intus impelli atque moueri sentiunt, redduntur pusillanimes, & à Deo nimium se remotos arbitrantur, vtpote qui vitam districtiorem non agant. Sed in hoc non satis prudenter faciunt. Neque enim vlla ratione vel ob defectus quosdam minores, vel ob naturæ imbecillitatem, vel quia forinsecus asperiorem viuendi modum

dum seruare nequit, vel ob inæqualitatem, quam in seruitio Dei & virtutum sentit exercitio, à Deo se remotiorem homo bonæ voluntatis æstimare debet. Hoc autem summo curabit studio, vt vitia grauiora maioresq; defectus suos ita radicitus euellat, vt pro nulla re, neque pro vita, neque pro morte quicquam aduersus præcepta Dei facere consentiat. Quæ voluntas quandiu in ipso perseuerat, non est vnde se à Domino longius abesse suspicetur. Nam si rigidiorem adhuc pœnitentiam agere nescit, hoc tantum faciat quod potest: & satis est. Nimirum & Apostolus ait: *Corporalis exercitatio*, si quidem sola fuerit, *ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est.* In omnibus quippe, quod optimum est, facit. Dum enim pius aliquis alium magna quædam operari cernit, gratias agit Deo, quòd hanc illi gratiam & virtutem dederit, vt Christum Iesum, & alios Sanctos in pœnitentiæ & bonæ vitæ austeritate sequi possit: dumq; se talia non posse animaduertit, indignum se fatetur, cui Deus illam, quam alijs dedit, gratiam largiatur: & seipsum coram Deo despiciens, vel in alijs colere & amare satagit, quod se minimè sentit habere vel posse. Qui si interim maiori vitæ asperioris desiderio & amore teneatur, quàm fortassis ille, qui magna opera & duram agit pœnitentiam, & ipse quoque si vires haberet, eadem libens ageret: verius ea procul dubio habet, & maiori dignus censetur præmio, atque is, qui ipsa opera facit. Nequaquam igitur ob ea, quæ facere non potes, à Deo te remotiorem arbitrabere. Nam etsi longius ab illo te abesse suspiceris, ipse tamen tibi proximus est, comes indiuiduus peregrinationis tuæ: & si fortassis ad cor illi non datur accessus, *ad ostium* (sicut ipse in Apocalypsi testatur) stat *pulsans: cui si quis* voluntatis *ianuam aperuerit, intrat ad illum, & cœnat cum illo, & ille cum* Deo. Post cœnam autem succedit requies. Nec potest aliquis veram animi quietem obtinere, nisi cum quo Christus cœnare & conuiuari dignatur, id est, cuius animam Christus inhabitat. Illius autem habitator est Christus, qui vitam ipsius cum vera patientia, amore, cæterisq; virtutibus imitari & intra se possidere studet: sine quo alia omnia, dura licet, opera magni æstimanda non sunt. At tamen de vitæ districtione hoc tenendum est, vt obseruet quisque, ad quid à Deo amplius impellatur atque trahatur. Non enim omnes eadem ad Deum via ingredi intus monentur, nec eundem omnes viuendi modum tenere possunt, nec singuli modos omnes. Bona igitur studia & sua quisque laudabilia seruet instituta, ad eaque alia quæque reducat, insuisq; institutis cuncta instituta bona comprehendat. Crebra nanque exercitiorum & consuetudinum immutatio, animum instabilem reddit. Porrò quicquid boni in aliquo viuendi instituto contingere tibi potest, idipsum & in alio reperies, si tamen bonus & laudabilis fuerit. Denique qui purè Deum nec aliud quicquam intendit & amat, & similiter omnes alios in suis exercitijs & modis hunc solum intendere & amare desiderat, hoc ipso omnium bonarum consuetudinum atque institutorum fit particeps. Quod etiam intelligi licet de quorundam Sanctorum aspera & austera viuendi ratione. Charitas quippe omnium bonorum illorum, quæ in alio diligis participem te reddit. Veruntamen licet omnes non eundem modum seruare, nec eadem forinsecus via possimus ingredi, intus tamen eadem omnino via, via videlicet amoris, omnes incedere oportet. Quisquis enim Deum non amat, ille necdum modum aliquem habet, & claudus est. Si dicat aliquis: Cùm ipse Dominus ac Redemptor noster sublimissimum viuendi modum tenuerit, non proinde me-

1. Tim. 4.

Apoc. 3. Cui tantùm & quomodo vera quies obtinenda.

Quomodo bonorum omnium quis particeps fit.

Ioan. 13. ritò ipsum sequi debemus? Ita planè. *Exemplum* enim *dedit nobis, vt sequamur vestigia sua*. Et quanto ei similiores, tanto & sanctiores sumus. Sed tamen in omnibus ipsum foris sequi non possumus. Exempli gratia: Ieiunauit ille *quadraginta diebus & totidem noctibus*. Non hoc præsumit infirmitas nostra. Sicut enim alia plura, ita & istud ea intentione fecit, vt ipsum in hoc non corporaliter, sed spiritaliter sectemur. Vnde summo studio nobis enitendum est, vt sciamus quomodo ipsum prudenter & rationabiliter sequi possimus. Sanè in imitatoribus suis hoc semper præcipuè dilexit, vt se in Dei & proximorum omnium fideli dilectione sequerentur. Vnde etiam ait: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem*. Idcirco rationale siue spiritale opus soli exteriori operi præferendum est, meliusque censendum. Interim nihilo minus quantum facultas admittit, ipsa dilectio operibus comprobanda est. Ieiunauit Christus *quadraginta diebus*. In hoc illius & tu imitator factus, ab omnibus quidem vitijs spiritaliter, & præter hoc, quantum potes, etiam corporaliter ieiuna. Hoc autem necessarium est, vt tuiipsius curam gerens peruigilem, vbicunque te ad mala inordinatius propensum repereris, ibi statim te deseras, ac prauæ affectioni propensionique resistas. In corporalibus nanque, ad quæ procliuiores sumus, seipsum quisque studiosius abnegare, vincere, & Dei amore mortificare debet, vt verbi gratia, in accuratiori cibo & potu, & id genus alijs, quibus necessariò non indigemus. Sæpe etiam fit, vt quidam minus patienter ferant verbum aliquod asperius prolatum, quod nullius alioqui momenti est, quàm plerique alij etiam dura verbera & contumeliosa verba. Quisque igitur pro æterna Dei gloria minora quælibet sufferre discat, cùm ipse pro salute nostra grauissima quæque perpeti non refugerit. Denique hoc pacto Christum in omnibus pro nostrarum tenuitate virium sectari debemus, à quo etiam nos haudquaquam remotos suspicabimur, quandiu illius præcepta seruare, & voluntati morem gerere volumus. Quanto autem obedientia, & humilitate excellentius præditi fuerimus, tanto etiam plura sustinere & Christum melius sequi, valebimus. Neque enim Christo aliquis aut obedientior aut humilior fuit, qui est benedictus in secula. Amen.

Matt. 4.

Ioan. 13.

Christi ieiunium qui imitandum.

Saluberrimas has Institutiones Christus singulari quadam gratia D. Ioanni Thaulero scribere concessit. Quibus edocemur, vt vires nostras interiores exterioresque Deo captiuas tradere, cuncta opera nostra per ipsum, & cum ipso humiliter ac animo resignato exequi, & vt nos in Dei donis ac visitationibus gerere debeamus.

CAPVT XXII.



VISQVIS Dei familiarem optat amicitiam, ille sensus suos exteriores multa cum diligentia fræno quodam semper constringere, nec vnquã eis habenas laxere debet, neque admittere, vt in vllis vel rebus vel operibus suam quærant, fouẽãt, sectẽtur delectationẽ. Ea planè quæ recta ratio necessaria censet & cõmoda, illa quæ pro interna spiritus quiete faciũt, omnib⁹ capere permittitur. Imo quicquid huic cõferre potest, hoc ea, & non alia, cõsideratione sumere licet, nõ vt cõmoditati vel delectationi, sed vt spiritui seruiatur. Idque de omnibus honestis

nestis ac licitis intelligendum est, vt est cibus, somnus, iacere, sedere, dormire, & id genus alia. Præter hæc etiam vires interiores refrænandæ sunt, nec propria eis earum est actio permittenda, donec edomitæ ac sua libertate spoliatæ, adeo subiectioni assuefiant, vt Deus suum in eis queat opus perficere. Denique nõ multis retro diebus quidam in tali virium suarum restrictione constitutus, à Deo audire meruit: Ecce in hac tui resignata derelictione abundantius ac efficacius me precaris quàm vnquam in omni vita tua, siue verbis, siue modis, desiderio, voluntate vel intellectu me rogaueris. Quantum igitur potes, in hac interiori captiuitate persiste, hoc sedulò agens, ne quid sine necessitate appetas, nusquam sine necessitate exeas, nihil inane cogites, nihil quod necessitas non exigat, loquaris. In omnibus quoq; institutis & operibus tuis, hoc præuia cogitatione perpende & obserua, quid vel quomodo velit Deus: atque hæc perpetua sit oratio tua, cui nec addas aliquid, nec minuas: *Fiat*, inquiens, *voluntas tua.* Ad hæc, omnem exteriorem occupationem, etiam in sanctis ac licitis rebus, & cum bonis hominibus, & internam externamq; solicitudinem siue curam, prudenter ac honestè à te reijcias: hoc solùm obseruans, vt Domino Deo tuo perpetuum agens Sabbathum, ipsi, quo minus suum intra te queat opus agere, obicem non ponas. Dum verò necessariò foris aliquid agendum est, peruigilem Dei tui in ipso opere curam habeas, & quod tuum est, abnegare & perdere etiam cum diligentia coneris. Opera nanque quæ foris facienda sunt, nec vlla ratione declinari possunt, non cum proprietate, sed nudè. non ex propria virtute vel meditatione, sed humili, resignato, quieto, ac paupere spiritu: non, inquam, ex propriarum virium præsumptione, vel proprio habere seu velle, sed ex vera in diuinum beneplacitum resignatione, perficienda sunt. Vt verbi gratia: Si plena mihi à Deo authoritate concessa, nouem Angelorum Ordines pro meo arbitrio regere mihi liceret, & insuper adhuc alios eiusdem numeri Ordines, qui non minus quàm isti Deum laudibus & amore prosequerentur, & æquè ipsius essent, vt isti, creare possem, (quod nemo dubitat magnum quid & ineffabile esse) hoc ipsum ex amore libens exire ac resignare deberem, quando id per alium Deus perficere vellet, aut saltem non per me, vel non omnino per me. In his enim & alijs omnibus mea prorsus abnegata, illius me voluntati cum timore humili subijcere debeo, tam in agendo quã dimittendo. Quòd dum facio, sæpe meipsum minus in operibus externis quæro retineoqúe, quàm fortassis in ipsa me quiete & otio retinebam. Porrò in omni exercitio vel instituto, vbi natura fouetur vel seipsam quærit, eadem deprimenda est & mortificanda: & hoc etiam in actibus internis, in exercitijs intellectûs, aut imaginarijs cogitationibus, quas phantasia componit congeritq;, & vbicunq; intellectus suas quærit oblectationes, etiam in proprijs actibus, in quibus inordinatius delectatur, & magnum quendam sensibilem experitur saporẽ atq; dulcedinem, in his, inquam, omnibus omninò propter Deum nobisipsis emori, & simplici quadam puritate ac pura simplicitate & fide simplici Deo inniti debemus. Atq; hanc fidẽ etiam ore interim, ita vt à nobis audiri possit, proferre, (quod nimirum hostem tartureũ recedere cogit) & dulcissimũ Saluatoris nomen Iesu sæpius compellare curabimus. Vbi etiam hoc notandũ est, vitam & passionem Christi, modo quodam essentiali & in formis meditatam exercitatamq;, centuplo maiorem afferre fructum & vtilitatem, quàm in formis & imaginibus tantùm, non etiam essentialiter exercitatam. Et hoc plurimũ

Vires interiores qui & quousque resignandæ.

Matth. 6.

Opera externa quã peragẽda.

Natura vbiq; mortificanda.

Opera cuique sua qui tient m.g s me titoria.

quoquè prodest, si quis fortè in Horarum persolutione fuerit negligentior. Cũ autem necessariò & per gradus aliquid alicui faciendum incumbit, quo tunc omnia maiori suijpsius cum nihilipensione & abnegatione facit, eo & vtilius fecerit: quoque humilius, eo sublimius: quo arctius, eo latius: nec in his facile nimius esse potest. Quo citius extra seipsum, extra verum nihil suum in Deum trãsierit, eo fecerit melius. Hic nanque omni suo nihilo deperdito, in ipsam superessentialem Dei essentiam immergitur, cuius essentiæ agnitio quanto magis negatiua, deficiens & muta est (sicut D. Dionysius ait) tanto vtilior, præclarior, verior est. In hac caligine ipsa lux diuina clarius inuenitur: & quanto caligo obscurior, tanto & verior cognitio, nisi fortè Deus ipse seipsum manifestare velit. Quod dum facit, quis est qui negare possit? Sed huic reuelationi innitendum non est, & ipsa nec peti, nec recusari debet. Vti illa possumus, sed frui omnino non licet. Soli Deo ex toto & purè est innitendum. Manus ad aratrum mitti debet, sed nec retro, nec sursum, nec ad nosipsos, nec ad vlla Dei dona respiciendum est, siue lux aliqua, siue sapor sit, vel quicquid spiritui donari potest: sed hæc omnia, siue in spiritu, siue in natura contingant, veluti in somno suscipientes, nihil inde penitus nobis asscribemus, nec in ea cum aliqua æstimatione nostros figemus obtutus, aut ea considerabimus, sed cum simplici humilitate, amoroso timore, abnegata resignatione, vera mortificatione, & pura demum ac nuda tam nostrijpsorum, quàm rerum omnium paupertate, quæ & destituta sit ab omnibus, in ipsa nos immergemus: imò & huic ipsi paupertati renuntiabimus, excidemusq;. Certè neq; nucleus arborem, neq; flos fructum producere potest, nisi prius hoc ipsum, quod esse videntur, penitus moriatur & pereat. Quis autem, obsecro, tam sapiens vnquam fuit, qui vel in nucleo arborem, vel in flore fructũ conspicere potuerit? Aliena sunt hæc, & dissimilia valde: sed tamen quo flos amplius emarcescit, deficit atq; perit, eo magis ac magis fructus apparere incipit & crescere: Ita planè qui seipsum & omnia sua studiosius abnegat & exit, & tam à seipso quàm ab omnibus perfectius deficit, moriturq;, ille in Deo verius, essentialius, ac fructuosius esse inchoat. Itaque ad dona Dei, & ad omnia illa, quæ ex Deo procedunt profluuntq;, neque essentialiter, neque experimentaliter respiciendum est: sed cum fide simplici Deo nos penitus subijcere, & ipsum solum velle & intendere debemus. Hæc quippe voluntas vel intentio, qua solum Deum purè volumus, nunquam errat, nunquam Deum negat, siue mediteris, siue non mediteris, siue ores, siue non ores, seu quiduis aliud agas. Quanquam ista voluntas, vel (vt dixi) intentio, non propriè dicatur id, quod nos communiter Intentionem & Intendere dicimus, cum intendere sit, aliquid iam actu velle: nec hoc etiam innuat, quod est proprium venari commodum. Attamen quia aptius vocabulum non occurrit, ipso nos interim vti oportet. Sanè est quiddam, sed occulum valde in ipsa natura, quod proprium semper in omnibus quærit & intẽdit commodum. Huius nec ipse Saluator noster omnino expers fuit. Sicut enim in Euangelio legimus, plurimum illius natura siue sensualitas mortem exhorrebat. Sed spiritus plena authoritate carni præsidẽs dominãsq;, in hæc fecit verba Dominũ prorũpere: *Pater non meo, sed tua voluntas fiat*. Sic ergo semper naturæ siue sensualitatis rebellio spiritu vincẽda est ac edomãda, vt ad minus deliberata volũtate in nullo ꝓpria siue priuata vtilitas, seu aliqd nostrũ è nobis quæratur. Porrò qui sic pura ac nuda solius Dei intẽtione & quęsitiõne ferũtur & agũtur, & ipsius

Quis in Deo maximè esse incipiat.

Intendere quid sit.

Quania naturæ vis.

Matt. 14. Luc. 22. Matt. 26.

ipsius tractum sine certo sequuntur modo vel exercitio, quod tantum perfectorũ est, hi grauissimè dijudicãtur ab illis, qui suis lucris deseruiunt, sua venantur cõmoda, qui magnã quandam præ se ferunt sanctitatẽ, multosq́ peculiares propriæ voluntatis modos & exercitia habent, quibus illi alij, sicut dictũ est, carẽt, vtpote qui Deo Opt. Max. in quolibet euentu promptè & ex animo subditi sunt, nulli certo externo modo vel exercitio cum proprietate inhærentes, sed omnia suscipientes de manu Domini, eidem rursus omnia offerunt, nec aliquid sibi de re qualibet vsurpant. Eodem modo cùm donum aliquod speciale à Deo alicui impenditur, & is foris occupari habet, siue in capiendo cibum, siue aliquid faciendo operis, ita purè studeat donum illud in Creatorem refundere, vt nec imaginẽ illius, apud se residere patiatur: relinquat omnia illi, cuiꝰ sunt, & quod faciendum est, faciat humiliter, simpliciter, rationabiliter & quantum potest, ad interiora festinus redeat. In externis quoque operibus hoc obseruandum est, vt tam opera quàm loca, quæ humilitati & charitati quàm maximè congruunt, quisque magis expetat & assumat. Et hæc virtuosa opera ex oculis, manibus, auribus, pedibus, habitu, cunctisqúe externis simul & internis actibus relucere debent. Simulqúe cauendum est, ne quis alios docere vel instituere, iudicare vel reprehendere facilis sit: quin potius, quantum fieri potest, ab omnibus quisque se prudenter excutiat, & in omnibus sese humiliter subijciat Creatori. Omni quoque cognitioni intus sese offerenti renuntiet, & Deum suam excedere cognitionem malit. Dei namque cognitio siue confessio, subsistere facit. Eo autem quo omnem cognitionem transcendere intelligitur, & omnia de ipso negantur, magis proficimus & prouehimur ad altiora Quanto enim Deus omnem intellectûs nostri captum excedit, & amplius in nobis exaltatur, tanto nosipsos ad ima deijcimus, vilipendimus, abnegamus, adeò vt ipsam quoque excedamus humilitatem. Siquidem ita pura, simplex, essentialis hæc nihilipensio est, vt ipsam quoque humilitatem transcendat: & tanta eius est excellentia, bonitas, raritas, vt certum ei non possit nomen imponi. Quanto namq́ Deus illi amplius exaltatur, & ipse ad quandam inattingibilem, incomprehensibilem caliginosam magis ac magis pertingit cognitionem, tanto quoque spiritus in quoddam nihilum & sui abnegationem descendit. Et quo magis sibijpsi moritur, excidit-qúe, eo in Deum amplius submergitur, perditq́ semetipsum. Porrò sicut nemo dignè explicat, quàm hæc in Deum præclara submersio sit, ita nec dici potest, quanta ibi malitia & peruersitas oriatur, dum ad sese quis reflectitur. Maius hîc, quàm superbia sit, crimen admittitur. Sanè Luciferi excessus & auersio non propriè superbia dici potest, cùm & peior & iniquior superbia fuerit. Ita & hîc tam graue & enorme posset crimen admitti, quàm fuit illud Luciferi. Omnis igitur actio tua ex ipso interiori fundo in Deo & spiritus paupertate, & tuijpsius resignatione fiat stabiliaturqúe: & securè diuinæ bonitati confidas, quòd te nec falli, nec ruinam facere permittat. Cæterùm interdum supernaturale quoddam in spiritu Dei fulget desiderium, quod adeò se manifestum exhibet, vt dubitari non possit, quin sit ipse Deus, velut sub repentino fulgore conspiciendum se præbens. Ista namque visio tam subita, adeoq́ velox est, vt nulla re visæ imago remaneat: nec omnino quidnam fuerit, sciri possit vel intelligi, hoc solo pro certo cognito, quòd aliquid fuerit, quamuis definiri, quid fuerit, non possit. Quòd autem aliquod ingens sui desiderium in anima nõ excitârit, nec aliquam intra

Quid in operibus externis obseruandum.

Luciferi arrogãtię superbiæ vocẽ non sufficere. Actio omnis qui futura.

visionis diuinæ natura.

intra se renouationem is, cui contigit, experiatur, non ideò accidit, quia fallax lux visa fuerit, sed præ illius subtilitate neq; intellectus, neque sensus ipsam apprehendere potuêre. Vnde nec aliqua illius remansit imago. Quæ nimirum si inhæsisset homini, aut intellectus aliquid illius apprehendisset, Deus procul dubio non fuisset: diuinum tamen aliquid esse poterat. Ipsi nanq; animæ fundo nec Angelus, nec dæmon, nec quicquam omnino, nisi summus ille, qui hãc creauit, spiritus illabi potest. Deniq; lucis illam coruscationem, si tamen lux dici debeat, præ sui incomprehensibilitate & cæcitate nostra, etiam tenebras vel caliginem appellare licebit. Quod autem adeò momentanea, breuis, subita est, hoc cum ob eius nobilitatem & exiguitatem nostram, tum etiam ob intellectus perscrutationem, cuius omnem omnino capacitatem excedit, accidere nouerimus. Dum enim ipsam intellectus apprehendere nititur, subitò illi elabitur, auolatq;. Quod tamen & hac ratione ex magna erga nos fidelitate sua Deus permittit, vt quod præcipuè diligit, in electis suis exercet, actualem videlicet proprij nihili cognitionem, præsentem sub Deo submissionem in vera suijpsius abnegatione, & illius submersionis in animæ fundo renouationem. Iam si fortassis hac singulari, amabili, occulta percepta gratia, fœdissima quædam intus sese animo tentatio ingereret, quod fieri posse dubium non est, & hac ille, cui occurreret, sapienter vti nôsset, maiorem hinc profectò vtilitatem, quàm ex donis quibuslibet, animo iucundis & gratis, perciperet. Huiusmodi nanq; tentatio & quæuis alia actio, vel passio, ad illius purissimi boni susceptionem præparant atq; coaptãt hominem: quod quanto ineffabilius, incomprehensibilius, magis incognitum, ab omni imagine remotius atq; velocius est, tanto quoq; verius, securius, rectius, purius, profundius, interius, vtilius esse probatur.

Quæ lux tenebræ dicenda

Vt externa opera in Deo agere, & in ipsum per humilem omnium rerum abnegationem seu resignationem, iugiter redire ac manere debeamus.

CAPVT XXIII.

A Martha qui ad Mariam properandũ.



VOTIES ex rationabili causa Marthæ nos officium gerere, & foris occupari oportet, quantum fieri potest, magna sub celeritate ad interiora redeundum nobis est, & Mariæ exercitia resumenda, omnis ad exteriora sensuum excursus restringendus, nec vllæ omnino quarunlibet rerum retinendæ imagines, in quibus natura seu sensualitas occultè fouetur & libenter immoratur, caluæ quædam interim excusationis obtendens velamina. Vnde consultum cuiq; est, vt citius hinc auersus, & ad interiora regressus, intimum animæ suæ fundum, vbi Deus semper illi præsentissimus adest, introeat: & illic cum perseueranti strenuitate, humili timore, & suijpsius vilipensione Dominum præstoletur, ac intellectum suum Deo continenter immorando deprimat, idq́ue magno studio & multa diligentia obseruet. Natura siquidem & intellectus nimium rationibus abundant. Ideoq́ue totis viribus intellectus in obsequium Christi captiuãdus est, ac omnino deprimendus & excæcandus, Deoq́; substernendus instar rustici alicuius, nec ipsam Dominicam orationem scientis: nec penitus quicquam de magna illa & multiplici luce & illuminatione, intus sese offerente, sentiendũ. Noli, ô fidelis anima,

intus disputando perquirere, quænam illuminatio gratiæ sit vel naturæ, nec vsquam nisi in solo nudo & incognito Deo tu quiescas. Hunc ama & intende. Huic puro amori & intentioni nulla se falsitas miscere potest. Et licet fortassis excessus aliquis hîc contingat, sicut & interdum accidere solet, facile illi remedium est, si in hac saltem intentione persistas. Huiusmodi cruces multiplices sufferendæ sunt In hac nanque multiplici infirmitate, si studiosè propositum tuum renouare, & ad interiora sæpè velociterq; redire satagas, ipsa veritas exoritur. Hæc autem introuersio cum omnibus tam supremis quàm intimis viribus, cum natura & absque natura, cum tota demum anima fieri debet. Quod quantæ nobilitatis sit, quantumq; afferat emolumenti, quis explicet? Nam si per diem millenis vicibus hanc introuersionem renouare foret possibile, semper ibi vice qualibet noua puritas, noua gratia, noua lux, noua virtus nasceretur. Hoc tantum quisque curet, vt hanc introuersionem simplici quodam modo in Deo suo, cui credit, exerceat: nihil attendens omnia illa, quæ sibi occurrunt, siue lux aliqua sit, siue gustus. O si quis intus & foris stultus fieri, & humana iudicia surda vellet aure negligere. Hoc autem vel maximè illis fructum adferret incomparabilem, qui ingenij & intellectûs acumine pollent, quibus profectò mirum aliquid breui experiri contingeret, quod nemo capere, nemo verbis possit consequi, idq; longè excellentius, quàm alicui natura simpliciori. Nam & labor eis grauior incumbit, magisq; sudandum est. Præterea quicquid foris necessariò agendum est, ita certis & congruis horis deputandum est, vt cum natura alioqui melioribus vacare non potest, tunc huiusmodi fiant, siue sit legere, siue scribere, siue manibus operari: ita tamen, vt sine necessitate diu in his non immoremur, sed ad interiorem animæ fundum ac Deum illic præsentem redeamus quàmpropere. In omni quoque externo opere obseruandum est, quid Deus intus nobis facere permittat, quidq; placitum sit illi. In cunctis namque operibus & exercitijs, diuinæ semper voluntatis intus est ratio curaq; habenda, nec illi vnquam in re qualibet vel deesse vel aduersari debemus. O mori & deficere, quàm præclarum in te habes esse & fieri inclusum? Ad hæc Dominicæ passionis amaritudo quotidiana est meditatione euoluenda, idque non arida quadam consuetudine, sed eam cum ingenti dilectione percurrendo, atq; in ipsam sese immergendo, nec in hoc nisi solum Deum purè quærere, ipsumq; tota mentis intentione suspirare. Quòd si fortasse desiderium non sentiatur, hoc ipsum à Deo summopere desiderandum est, vt desiderare queas. Similiter si nonnihil occumbat dilectio, in eaque te deficere sentias, amor in amore renouetur, ac in perpetuam Dei dilectionem te immergendo, ipsum, quo se hac eadem pro te diligere velit, attentius ora, cumque vera te illi intentione resigna. Quicquid autem dehinc ab ipso perceperis, siue lux sit, siue tenebræ, siue per verba, siue per silentium, eandem in omnibus animi tanquillitatem obserua, hoc iugiter cantans: Domine, quicquid vis, & sicuti vis, ita planè fiat. Nunc igitur, dilectissimi, ex vero corde desidero, vtiq; & vos idipsum vnà mecum desideretis, vehementer aueo, me mortalium omnium nouissimum fieri, & inter omnes infimũ vbiq; gradum locumq; tenere. Et quãdo me in sublimiori cõstitui loco cõtingit, ex imo cordis me ad vltimũ nouissimumq; detrudi peto, & sub vilissimo abiectissimoq; nebulone vel scurra collocari. Sed & hanc ipsam nihilo minus voluntatẽ resigno ac desiderium. Quanuis enim hoc ex animo vellẽ, & cum omni grati-

Introuersio qui facienda.

Exercitia quotidiana qui ordinanda.

Christi passio qui recogitanda.

Resignationis verę specimen.

gratitudine lætitiaq́ velut excellentissimum quiddam susciperem, hoc ipso tamen penitus resignato, in potissimum Dei me immergo beneplacitum, quomodo vel vbi me ipse habere voluerit, animo gratissimo recepturus. Hicqúe iam in eadem Dei gratissima dulcissimaq́ voluntate, pro eodem mihi est sublime & humile, prospera & aduersa, honor & ignominia. Vnde iam non mihi tantum, sed & cunctis amicis meis impensè cupio, faueo, exopto, vt nihil vobis sapiat, nihil vos delectet, nisi eadem ipsa acceptissima voluntas Dei. Fateor, sæpe in me voluntates & desideria multa, etiam bonorum operum & exercitiorum, vt verbi gratia, nunc eò proficiscendi, nunc hoc aut illud moliendi, oriuntur: sed his omnibus extemplo dimissis, diuino me per omnia beneplacito submitto. Ipsaq́ bona voluntate mea (si tamen perfecta fuit) ea omnia coram Deo compleui, manens interim vbi illi placet, in quo mihi loca omnia satis accepta grataq́ sunt. Ita planè vehementius oro & exopto, vt vos qui amici mei vel dici vel esse vultis, omnem omnino tam vestri quàm illorum omnium, quæ vel habetis, vel potestis adipisci, in cunctis rebus abijciatis proprietatem, & à creatis omnibus, viris & fœminis, animum vosq́ totos expediatis, nisi quatenus ibi Deum quæritis & inuenitis. Vnum sanè è duobus eligendum est, aut naturæ repudiare consuetudinem, aut Deum. Mihi profectò longè gratius foret, sicut & vobis omnibus esse debet, magni cuiusdam & tetri facinoris innocenter notam sustinere, quàm vel leuissimi alicuius peccati coram Deo reos esse. Quæso, discamus omnes solum Deum intus ex fundo diligere, & etiam abiectiorem viuendi modum sectando forinsecus amare. Et quia, proh dolor, omnes hoc à se abiectioris vitæ reiecêre studium, amici DEI ex amore ipsum reuocare ac præferre debent in vestitu, in apparatu, & in omni actione sua, nitentes pro virili, vt in his non nisi vera humilitas & perfectus mundi contemptus reluceat. Subijciat se quisque non Deo tantum, sed & omni creaturæ: & quæ sibi commissa nō sunt, nemo iudicet, nemo reprehendat, ne fortè, dum vni vult incautè vulneri mederi, decem alia infligat. Neminem pro defectibus quibuscunque dijudicet, sed se vilissimo cuiq́ in vitijs parem arbitretur. Si quid enim præ illo virtutis habet, non suum, nec de suo, sed Dei solius esse fateatur, ipsiq́ illud omni cum gratitudine in humili timore acceptum ferat, & referat in ipsum. Quantum in se est, pacem cum omnibus sectetur, atque vt sibi à Deo remitti optat, & ipse cunctis det veniam: à creaturis mortalibus & occupationibus quibuscunque intus & foris liberum se seruet, se ad sese in fundum suum recipiat: quenque sua finat tractare negotia, & ipse suam in omnibus salutem ac profectū operetur. Deum ex toto ac indiuiso cordis fundo, purè simpliciterq́ diligat & intendat: verborum pompam & intellectus abijciat fastum ac curiositatem, ne erroribus implicetur, sed in vera humilitate ac resignatione fixus permaneat. Quicquid aduersitatis vel doloris intus aut foris occurrit, totum de manu Domini suscipiens, pro amore & laude ipsius ad extremum vsq́ patientissimè ferat. Accusatus non se excuset, nisi fortè paucis ijsdemqúe simplicibus verbis: sed seipso abnegato, omnem discat accusationem æquanimiter perpeti.

Quid varijs desiderijs a-gento fa-ciendum.

Cui virtus omnis acceptum ferenda.

Vt virtus

Vt vnum cum Christo fieri, & in cælis conuersari debeamus.
CAPVT XXIIII.

SCIO (inquit Apostolus) *hominem in Christo.* Pauci verba hæc, vt oportet, intelligunt. Ad hoc planè, vt vnum simus in Christo, illud omnino requiritur, vt quicquid vnum non est, & aliò, quàm in Christum, respicit, siue exterior, siue interior homo sit, penitus resignemus ac deseramus. Quotquot in illa cælesti agunt beatitudine, adeò vnum sunt, vt singuli ex totius cordis sui ingenti fauore ac beneuolentia, ita de aliorum gloria gaudioque, sicut de proprijs, lætentur. Adeo ipsorum diuinæ voluntati concors voluntas est, vt qui minimus est inter omnes, excellentissimi beatitudinem non ambiat. Sic planè & nostram voluntatem diuinæ vnitam esse oportebat. *Non enim est apud Deum distinctio Iudæi & Græci.* Si vas electionis Paulus adhuc superesset, dubium non est, quin vnum fortasse maiori quàm alium dilectione ac familiaritate prosequeretur: nec tamen hoc vel in minimo, nisi Christi contemplatione per omnia, sicut quenque vel in Christo inueniret, vel in Christum reducere vellet atq; deberet: nec amplius vllo modo. Ita nec in nobis aliquid esse debebit, quod diuinæ non sit consonum voluntati. Imò nec propriam beatitudinem, nisi in Christo amare vel intendere, nec vicinius vel remotius, altius vel humilius, in illa superna patria collocari velle debemus, quàm & nunc & ab æterno summo placuit & altissimo Deo, idq; tam nobis in eodem commune, charum, gratumque erit, vt nihil appetamus aliud. Huc verò nihil ita mihi conferre videtur, quàm vt velut clausis quisque sensibus viuat, & extra carnem & mundum abstractus, sese intra se recipiat, curas omnes rerum transeuntium penitus excludat ab animo, sibiipsi & Creatori suo assiduè loquatur: de rebus inuisibilibus nunquam non libenter audiat, mente versetur in cælestibus, cælum quandoque hæreditario iure possessurus, quo sensus illius rerum cælestium imaginibus ac diuinis formis repleantur: atque ab omni se terrena specie disiungat & auertat, quo diuinæ imaginis immaculatum efficiatur speculum, de eius lumine semper lumen accipiat, & in ipsa initium quoddam futuri inueniat seculi. Et licet corpore his intimis coniunctus sit, societatem tamen & familiaritatem sibi ciuium supernorum per qualemcunque fruitionem flammigeris intimisq; conciliet precibus, ac terrenam denique despiciat, repudiet, deserat vanitatem, quo sensus illius ad superna rapiantur. Quisquis hæc & experiri feliciter, & interiori spiritûs sui odoratu sentire meruit, solus ille, nec alius quisquam, plenè ista capit. Vnde & Dominus sancto Augustino dixisse legitur: Si me, ô homo, recipere voles, da teipsum pro me: & tunc ego te suscipiens, meipsum tibi restituam, atque meipsum mihi auferens, tibi reipsa impertiar. Vir quidam spectatæ eruditionis, à virgine quadam perfectæ vitæ, quibus exercitijs ad sanctitatem peruenisset, sciscitabatur. Illa ex simplici humilíq; obedientia, decem quorundam obseruatione hanc se obtinuisse respondebat. Primumest, ait, quòd vbicunque propriæ quæsitionis
aliquid reperissem, ibi meipsam ilicò reliqui. Secundùm, quòd nihil excusatio- I.
nis illis, quæ de me falso dicebantur, opposui, sed veritati me excusandam re- II.
liqui. Tertium, quòd semper paupertati studui, & omne labentium creaturarum III.
solatium declinaui. Quartum, quòd honoris exhibitionem semper refugi: vbi IV.

1. Cor. 12.

Quid, vt vnum in Christo simus, requiratur.

Rom. 10.

Beatitudo cuiq; sua quãtũ diligẽda.


Quis Deũ perfectè recipiat.

Decem quædam notabilia.

V. verò contumelia vel contemptus mihi obtingebat, illic permansi. Quintum, quòd nunquam ita doloribus, pœnis & pressuris obruta fui, quin maiores expeterem, & his ipsis me indignam iudicarem. Sextum, quòd nullo vnquam lumi-
VI. ni, nulli à Deo infusæ veritati (illis contenta) inhæsi, nec in vllis omnino donis,
VII præterquam in omnium donorum largitore Deo, quiescere volui. Septimum, quòd in immensum illud bonum, quod Deus ipse est, cum ingenti amore mei-
VIII. psam iugiter inclinabam. Octauum, quòd quando homines verbis vel operibus aliquid veritati aduersum dicere vel agere sentiebam, cùm eos sibijpsis damnũ perpetuum irrogare viderem, ipsorum defectus ex pura dilectione correptio-
IX. nis censura castigabam. Nonum, quòd posteaquam perpetuæ salutis meæ iter
X. calcare cepi, nunquam me ad instabiles retro conuerti creaturas. Decimum, quòd in omni virtute intus & foris modo excellentissimo exercitata sum. Nam & sub cælo & in cælo, inter Angelos & Sanctos, æquè mihi, vt honesto viro familia sua, notos, commorata sum. Vnde & quoties me introrecipio, in meipsa summæ reperio Trinitatis imaginem, in qua & me, & creaturas omnes vnum cum Deo inuenio: atque huius non minor mihi, quàm articulorum mecũ, notitia est. Hæc cùm virgo sancta retulisset, vir ille doctus Deum pro suis muneribus impendio laudabat. Tunc illa: Doce me, inquit, Domine, quomodo viuendum mihi sit. Et ille: Corpus, ait, tuum blandius confouebis, quo nullum spiritui præstet impedimentum. At illa, vt virgo prudentissima, sic respondit: Absit vt ita fiat in me. Dominum meũ Iesum Christum, qui mollioris vitæ blandimenta non admisit, in omni me paupertate, miseria, famæ, siti, frigore, æstu, pœnis, ignominia ad mortem vsq; sectari, prorsus æquissimum est.

De totius perfectionis scopo, qui est, vnire animam cum omnibus viribus eius cum Deo.

CAPVT XXV.



Bonorum omnium fons. FONS & origo bonorum omnium homini spirituali est, iugiter commorari in cella sua cum recollectione cordis sui, & attenta propriorum defectuum consideratione: atq; per ignitas deuotasq; ad Christi vulnera & pœnas orationes, perq; virtutes morales, omnia tam aduersa quàm prospera, discere æquanimiter cum gratiarum actione de manu Domini suscipere, & in huiusmodi studio

Origo omnis mali, quæ. perseuerare. Et econtra, fons & origo totius mali, inutiles sunt exteriorum interiorumqúe occupationes sensuum, discursus inanes, & infructuosa hominum familiaritas amicitiaq;. Proinde quantum humana finit infirmitas, profunda cum humilitate & integra suijpsius in Dei beneplacitum resignatione, ab omni

Ad cor cuique suum quî festinandum. quisque vitiosa affectione & delectatione extra Deum auersus, ad cor suum redire festinet: & abstractus ab omnibus, oculum cordis sui in vera iugiter puritate & tranquillitate conseruet. Intellectum à cunctis rerum labentium phantasijs & visibilium formis custodiat, & ad æternorum subleuet impellatq; contemplationem. Voluntatem & desiderium à terrenorum solicitudine, delectatione, timore & amore expediat penitus, & in flammigeris cogitationibus, intimis deuotisq; desiderijs, ac feruenti ad Deum oratione, se indesinenter exerceat. Voluntatem, ad summo bono cum amore feruido semper inhærendum, assuefaciat

faciat excitetque. Bona quæque tam spiritalia quàm temporalia, cum vera spiritûs paupertate possideat. Ad hæc, memoriam iugiter sursum habeat eleuatam, & in summo illo, essentiali ac increato bono stabiliat, ita vt tota illius anima cum omnibus potentijs suis & viribus in Deum collecta, vnus fiat spiritus cum eo: sicq; præ Dei amore suauiter in diuina dulcedine obdormiat, & in illa intima requie, quid in se Dominus loquatur, auscultet. Moxq; vt aduerterit Deum sese ad magis interiora velle rapere, omni sua contemplatione & priuatis exercitijs, quæ ex propria actione procedunt, dimissis, per mentis excessum in eruditi transeat silentij caliginem, vbi iam vlterius à Deo tam ad sui quàm creaturarum omnium nihili cognitionem, in supersubstantiali, indeficienti paterno illo lumine, in quo Deus ipse verissimè est, pertrahetur. Alia verò exercitia omnia, sicut est contemplatio, meditatio, oratio, inclinatio, ieiunia, vigiliæ, ad prædictam cum Deo amorosam vnionem velut ad scopum suum referéda sunt, & eatenus vera cum discretione assumenda, quatenus ad ipsam cõferunt. Quod autem tam pauci huc pertingunt, ea potissimum causa est, quòd in hoc studio minimè perseuerant, & pro delectationum & vitiorum extirpatione, pro cordis obtinenda puritate, & ad Deo perpetuò inhærendum ea, qua dictum est, ratione, paruam aut nullam nauant operam. Et quia nemo mortalium huic contemplationis excessui, dum in hac corruptibili viuit carne, continenter immorari potest, ideò saltem hæc dicta sunt, vt sciamus, vbi mentis nostræ intentionem habere fixam, & ad quod studium, exercitium, destinationemq;, cordis nostri deuotionem & intuitum, quoties nos turbari ac inde aberrare contigerit, reuocare debeamus. Cæterùm vbi in hac se cum Deo vnione mens inuenit, exultet satis, Deoq; gratias agat: quando verò ab ea se excidisse sentit, doleat, suspiret, ingemiscat, & iterum atque iterum sese recipiat ad interiora. Et licet in initio difficultatis alicuius molestiam sentiat, non tamen idcirco cesset. Sæpe nanque ita vsuuenire solet, vt illud, ad quod fortasse quispiam in principio cũ violentia quadam & difficultate sese adstrinxit, postea faciliter, & tandẽ etiam magna cum delectatione, operetur, dummodo à cœptis non desistat. Et ne longior sim, si vnquam proficere quis voluerit, semper hæc vox pij Patris, tanquam corã ipsum alloquentis, sicut & reuera vbiq; præsentissimus adest, in auribus eius resonet: Fili mi, ad cor redeas, ab omnibus, quantum possibile est, teipsum abstrahendo, cordis sectando puritatem, intellectum à rerum infimarum præseruando imaginibus, voluntatem & affectum ab amore visibilium compescendo. Ad hæc, memoriam iugiter dulci quadam affectione in Deum erigas, summo bono per amorem feruidum semper absque medio inhærendo, quo sic tota anima cum vniuersis viribus suis ac sensibus, sicut & ante dictum est, collecta, vnus fiat cum eo spiritus. Hæc nimirum totius sanctitatis summa est, per quam facile veræ perfectionis supremus scopus & finis attingitur, ad quam inter mille vix vnus adspirat, dum quisque in medijs parum frugiferis tempus & vires absumit, & multos pleriq; annos inanissimè transigunt, nihil in spiritu proficientes, atq; istud bonum incomparabile miserè negligunt. Quisquis igitur & à peccatis omnibus absolui feliciter, & cunctis exornari virtutibus cõcupiscit, semper ille in Deum fugiens, in ipso commoretur. Figat in Deo tentoria sua, & in omni bello victor euadet. Nam quo suam quis vilitatem, imbecillitatem, impotentiã perfectius agnoscit, cunctaq; opera sua absq; vlla arrogatione Deo verius offert

Contemplationi continenter immorari nõ posse.

Difficile qui delectabile fiat.


Summa sanct. totius omnia quæ.

Qui cuiusque opera

fiant diuiniora. & afferibit, eo & ipse & cuncta opera illius diuiniora redduntur. Quid igitur superest, nisi vt nosipsos, cælum quoque & terram, & quicquid in eis est, abnegantes, omnia in Deum iactemus, & in ipso commoremur, ad cuius essentialem (si dici fas est) vnionem suspiramus? Cur, obsecro, amorem nostrum & delectationem inordinatius in mortalibus constituamus creaturis, quibus tamen vniri nõ possumus? In Deum autem transmutari quodam modo valemus. Nosipsos igitur & creaturas omnes, cum amore earum & affectibus, Deo offeramus, & ad honorẽ eius, ipsius resignemus voluntati, plus haud dubiè tali ratione vno die veri profectus assecuturi, quàm vel triginta & eo amplius annis cum nostra proprietate.

Omnis Thauleri institutio, tribus punctis comprehensa. Et vt à nobisipsis deficere, & in Deum modo perfectißimo excedere debeamus.

CAPVT XXVI.



RIA iam quædam subiungere libet, in quibus ea, quæ diffusius in hoc tractantur opere, velut sub compendio spectanda proponuntur. Primum est, quòd quisquis ad excellentiorem sanctitatis gradum & singularem Dei adspirat amicitiã, Deumque ex totis animæ suæ viribus, & proximum sicut seipsum diligere, Deum quoque veraciter in hoc seculo in seipso sentire desiderat: ille planè in seipso extinguere, & extinctam habere debet omnem extra Deum creaturarũ mortalium delectationem & voluptatem, qualescunque demum sint illæ. Quicquid enim hoc est, in quo naturæ delectatio atque voluptas intus vel foris inuenitur, fouetur, quæritur inordinatè, cuius tamen vera causa Deus non est, & quo alioqui necessario non indigemus, cuiuscunque tandem conditionis sit, illud prorsus abijciendum est repudiandumque, nec in vlla re sensuum ac naturæ quærenda siue sectanda est oblectatio. Hîc nimirum omnia illa includuntur, quæ non ob veram & rationabilẽ necessitatẽ, sed pro sola delectatione quæruntur & appetuntur.

I. Gradus sanctitatis summus qui obtineatur.

II. Secundum est, quòd quisquis & in hoc & in futuro seculo ad summę volet veritatis peruenire notitiam, intus ab omni quoque spiritûs delectatione in omnibus, in quibus ille aliquid suũ vel habere possit, vel quærere, sese cõtinebit expedietque. Sæpe nanque dum exteriora abdicantur, intus in spiritu magnæ quædam delectationes in intellectualibus exercitijs & formis oriri solent, in quibus dum seipsum spiritus possidet & quærit, seseque velut pro obiecto ac fine constituit, vero lumini ad se præcludit aditum, ita vt neque excellenter, neque perfectè in ipsum radiare queat, ob illam nimirum delectationem exercitijs ipsius admixtam, quòd hanc & in natura propria & in operibus suis sectetur inordinatius, qualiacunque demum sint illa, siue in contemplando, siue in meditando, siue in imaginibus & formis, siue modis alijs & exercitijs, in quibus aliquid sentire vel experiri contingit, siue in obiectis intellectualibus, siue in agendo, & quicquid tandem est, in quo delectatio vel quies spiritûs ita intenditur ac suscipitur, vt Deus purè pro obiecto & scopo non habeatur, neque nudè, syncerè & ex animo quæratur teneaturque. Ista spiritûs denudatio & mortificatio, longè illa priori difficilior est, nec est in his vlla comparatio. Magna nanque externa exercitia, vt est multum orare, genua flectere, ieiunare, vigilare, & alia huiusmodi pia opera,

Deliciæ internæ qui & quãdo obsint.

naturæ,

naturæ, quod ad ſpiritum attinet, iucunda ſunt & delectabilia, cum in his ipſa natura dominetur, eis occupari geſtiens, atque ſeipſam in huiuſmodi plus ſatis inordinatè reſeruans. In hoc verò ſtatu propriæ delectationi valefacere, ipſam abnegare & extinguere, proprię quęſitioni prorſus mori ac deficere, omnes imagines, formas, voluntatem, delectationem, modos, in huiuſmodi bonis actibus interim deponere compellitur, ita tamen, vt bona quælibet opera handquaquam poſtponenda arbitretur. Iſtud planè nihil aliud eſt, quàm quædam ſuiipſius mortificatio, annihilatio, interitus, perditio, abnegatio, qua nihil iam ſibi, niſi ſolum Deum homo purè proponit, nec vſquam niſi in illo quieſcit, in nullo & ſuper nullo, præterquam in libero, puro, nudo hæret ac innititur nihilo, quo ſic & in ipſo & cum ipſo omne diuinæ ſuæ voluntatis beneplacitum Deus perficere queat, idemq́ ſolus in eo velit, operetur, luceat, exiſtat, & nihil iam ipſe velit, operetur, luceat, imò & aliquo modo, non quidem per eſſentiam, ſed iuxta quandam rationem, non exiſtat, ſed totum ſit Deus, nihil ipſe in modis, in operibus, in intentionis obiecto: nihil, inquam, in his ſuum quærat in tempore vel æternitate. Tertium eſt, quòd poſteaquam homo ab omni inhæſione perfectè & integrè intus atque foris eſt abſolutus, ſuoq́ didicit inniti nihilo, idq́ ea, qua iam dictum eſt, ratione, iam tunc ei libera patet ad purum illud ſimpliciſſimumq́ bonum, Deum Opt. Max conuerſio. Hæc autem conuerſio, eſſentiali quodam modo fieri habet. Hic nanque ſpiritus non aliqua ſui parte, ſed totus & integer in Deum ſeſe recipit. Vnde & iſta conuerſio non ſolùm dicitur, ſed eſt etiam reuera eſſentialis, integra, indiuiſa, perfecta. Ex ſui nanque parte nuſquam abſtrahitur: ideoq́ eſſentialis dici poteſt, eiquè Deus ipſe ſemper eſſentialiter reſpondet. Enimuerò homo hic non per imagines, aut meditationes, aut intellectuali modo in Deum eſſentialiter , nec ipſum iam quaſi ſapidum ſiue coruſcum, ſed ipſum planè in ſeipſo ſuſcipit, vbi omnem ſaporem & quicquid vel ei vel alicuis creaturæ luci poteſt infundere, omnem quoque rationem, modum & intellectum longè tranſcendit. Hanc caliginem Deus illuſtrat eſſentialiter, & hic ipſe quicquid nominis illi imponi poteſt, ineffabiliter excedit, in propria ſubſtantia ſua purè ſimpliciterq́ ſubſiſtens. Dei nanque eſſentia in ſeipſa, nomen aliquod non admittit. Quæ autem illi impoſita ſunt, ex creaturarum parte acceptt, vocabula. Verbi gratia: Ex eo quod omnium ipſe Creator eſt, Deum eum, quem Germani Gott id eſt, bonum vocant, ſicut & reuera eſt, appellamus. Inde autem, quod creatura ipſius indiget, ipſum miſericordem, pium, clementem, propitium dicimus. Ex eo verò, quòd in vitia ſæpe creatura labitur, Iudicis ei nomen imponimus: & alia ſimiliter diuerſa illi vocabula tribuimus, quæ ex ſua quidem natura, illius minimè ſunt, cùm ſit in ſeipſo abſque nomine, abſque imagine, abſque formis, abſque modo, & ab omnibus abſolutus. Hoc pacto ſi Deus capiatur, in ipſum talis conuerſio, vera eſſentialiſquè rectè dicitur: quæ tamen & momentanea & muta eſt, hancq́ perfectus aliquis ſub vnius diei ac noctis ſpatio vel millenis vicibus renouare poteſt, ita vt cuilibet tali conuerſioni & Deus eſſentialiter, & eſſentialis beatitudo reſpondeat. O quàm amabilis eſt huiuſmodi conuerſio, quàm libenter quiſque expeditus, & ab omni captiuitate liber & abſolutus eſſe debet, vt huic introuerſioni in hanc amabilem, licet momentaneam, coruſcæ lucis irradiationem, vacare queat. Homines perfecti, ſicquè abſoluti ab omnibus, ab iſta introuerſione nunquam recedunt, niſi quãtum vel huma-

III.

Dei eſſentię, qui nomen non ſit.

Amabilis conuerſio quæ.

humana fragilitas, vel mutabilitas temporis exigere videtur, ob quæ ista momentanea coruscatio breuissimo quodam spatio interim interrumpitur. Quod tamen mox vbi aduerterint, omnibus valefacientes, sine intermissione in verum hunc essentialem denuò sese fundum recipiunt, huic soli studio tota virtute intenti, nec aliud omnino vel appetentes, vel expectantes, nisi vt amorosis diuinitatis effluxibus nunquam non locum præbeant, ipsiqúe Deo intra se viam sternant præparentqúe, vt ille suum in eis gaudiosissimum opus perficere, idemqúe Pater cælestis ab æterno à se genitum paternum Verbum suum in eis absque vllo effari & producere medio, diuinæqúe voluntatis suæ effectu in nobilissima atque purissima animæ portione intus in omni loco, tempore, modo, potiri queat. Adhæc alia compendiosior via dari vix potest, quàm vt homo perpetua se Deo subiectione in profunda mentis humilitate, vera sui extenuatione, syncera ac integra suijpsius abnegatione submittat, scienterq; sese in fundum suum & æternam originem suam, Deum Opt. Max. in quo ab æterno extitit, immergat: suijpsius & omnium hominum & quicquid Deus non est, obliuiscatur: à formis & imaginibus & rebus omnibus se absoluat & expediat: Deum perpetuum essentiale obiectum habeat, donec ipsum Deus in se trahat, rapiatque, eique sic vniatur, vt obiecta quælibet excidant ac elabantur, qualiacunque sint illa, siue essentialia, siue cognitionis, siue saporis, nihilq; iam omnino per rationem vel experientiam sciat nisi vnum. Planè quotquot tales sunt, nobilissimi sunt huius vitæ homines, qui vna breui hora plus Ecclesiæ sanctæ vtilitatis adferunt, quam omnes alij extra hos, etiam pluribus annis. In hunc nanque animæ fundum & Deum ipsum vel vna introuersio, multis extra hunc etiam magnis exercitijs operibusq; præclarior atque præstantior est. In hoc solo fundo vera deiformis vita & pax secura habetur. Et hæc est breuis quædam summa totius voluminis huius, paucisq; hîc velut ob oculos positum est, quod hinc inde in toto hoc opere tam in præcedentibus, quam his quæ sequuntur, latius diffusiusq; tractatur. Libet hîc paucis visionem quandam subiungere: Cuidam magnæ perfectionis homini duæ quędam non vulgariter bonæ fœminæ, in spiritu ostensę fuêre: simulqúe per reuelationem significatum, quis vtriusque status, quæue perfectio foret. Habebat vtraque immediatam quandam introuersionem in Deum. Sed tamen alteram tam sublimiter ferri atque volare perspexit, vt eam vix notare posset atque discernere, quippe quæ instar tenuissimi radij ex candela emissi, apparebat. Alteram verò longè inferius positam vidit. Cumqúe id non parum stupens admiraretur, eo quòd ambę eodem se modo introuerterant, ex diuina irradiatione intellexit, quòd ea, quæ altius volabat, ad id perfectionis peruenerat, vt ex omnibus donis Dei, qualiacunque ea essent, nec pilum sibi vsurparet: sed eodem momento, quo ea susciperet, sine mora nudè ea in Deum referret refunderetq; & sicut diuinam consolationem sine vsurpatione aliqua vel inhæsione capiebat, ita & passiones omnes & incommoda, contemptus quoque & alia quæuis aspera molestaque, sine medio purissimè de manu Domini sumeret: atque cũ hac immediata refusione relationeque donorum Dei in Deum, ipsa simul cum eisdem in eundem profflueret, nullam ab aliqua propria vsurpatione moram sustinens, aut patiens impedimentum, nec inhærens alicui, præterquam soli, puræ, nudæq; essentiæ Dei. Quòd verò altera inferius remansit, id causę fuisse cognouit, quia super dona à Deo percepta, cum voluptate & delectatione ferebatur, eisdem-

Quæ introuersio quãtis exercitiis præstet.

Visio quædam præclara.

eiſdemque inhærebat, quod ab influxu diuino, ſublimiquè in Deum eleuatione, ipſam ſedulè remorabatur. Dauid ait: *Si mei non fuerint dominati, tunc immolatus ero, & emundabor à delicto maximo. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine, adiutor meus & Redemptor meus. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Tu enim, ô dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, ineffabilis, abyſſalis, æterna atque ſuauis dilectio es, cunctaſque animas ſeſe in abyſſalem, patientem, pœnalem, reſignatam, humilemquè paupertatem demergentes, nudè in cor paternum, perennem originem ſuam, ducis, deducis, dirigis, ac refluere facis. Fiat. Amen. Pſal. 18. Pſal. 93.

Vt ordinatè incipere, & in ſpirituali vita aſſcendere, ſimul etiam vt loqui & tacere debeamus.

CAPVT XXVII.



RIA ſunt, quæ hominem bonum efficiunt. Primum eſt conſcientiæ puritas ſine mortalis criminis accuſatione. Idcirco quicunque bonus effici volet, ſeſe examinare debebit, & diſcretione multa perſpicere ab eo tempore quo peccare potuit, & ab omnibus interim commiſſis, iuxta Eccleſiæ ſanctæ conſtitutionem, ſeſe purgare. Secundum eſt, vt verè ſit obediens in omnibus Deo, ſanctæ Eccleſiæ, & rectæ rationi ſuæ. His quidem tribus neceſſe eſt eum promptam exhibere obedientiam. Quod dum facit, abſque timore & ſolicitudine viuit, & nulla in intus reprehenſionem ſentit in omnibus actibus ſuis. Tertium verò, à quo nullus eſſe debet immunis, ipſum eſt, quod in cunctis operibus ſuis Dei honorem præcipuè debebit intendere. Quòd ſi fortaſſe præpediente operum ſuorum multitudine, Deum non ſemper ob oculos habuerit, ita ad minus affectus erit, vt intendat & deſideret viuere ſecundùm gratiſſimam Dei voluntatem. Hæc tria ſic poſſeſſa, hominem bonum efficiunt: ex quibus cuicunque vel vnum defuerit, profectò bonus non eſt, & gratiæ Dei ſe nouerit expertem. Quandocunque autem hæc tria quis exequi in corde ſuo ſtatuerit, quamlibet malus ante fuiſſet, eodem ipſo momento bonus efficitur, & Dei ac diuinæ gratiæ capax. Porrò, ſi iſte bonus homo fieri debeat internus ac ſpiritalis, ad hoc quoque tria alia exiguntur. Primum eſt, cordis ab omni imagine puritas. Secundum, interni ſpiritus libertas. Tertium, ſentire vnionem cum Deo. Nunc ergo conſideret quiſque ſeipſum, qui ſibi ſpiritualis eſſe videtur. Nam quicunque vult puritate cordis gaudere, & ab omni abſolui imagine, non poterit cum amore vel delectatione rem quamlibet poſſidere, nec cuiquam ſpontanea adhærere promptitudine, nec aliquis ipſi, nec ipſe cum aliquo ex affectu inordinato commorari. Omnis nanque familiaritas, vel conuerſatio, vel amor, quæ non ſunt purè propter honorem Dei, cor hominis depingunt & commaculant: quandoquidem non ex Deo, ſed ex carne nata ſunt. Quamobrem ſi debeat quiſquam effici ſpiritualis ac diuinus, opus habet omni carnali amori valefacere, ſoliquè Deo affectu & dilectione adhærere, & poſſidere adhærendo. Sic enim profligatur omnis depictio cordis & impuritas, omniſque creaturarum inordinata dilectio. Dumque ſic Deus per amorem poſſidetur, à cunctis homo intus expurgatur imaginibus. *Spiritus* enim *eſt* Ioan. 4.

Quę tria hominem faciant bonum. I. II. III. Tria, vt bonus homo fiat internus, exigi.

Deus, quem nemo certò effigiare, nec certa imagine vel figura exprimere potest, cum omnem ille in immensum imaginem excedat. In ipso tamen accessu suo & exercitijs potest quisque bonas sibi sanctasq; imagines intus proponere: sicuti est Dominica passio, & omnia illa, quæ interiora ipsius ad maioré queant deuotionem accendere. Sed in ipsa Dei possessione nudæ cuidam & indepictæ
I. puritati, quæ Deus ipse est, innitendum est. Estq; hoc primum, & fundamentum
II. quoddam vitæ spiritualis. Secundum, vt dixi, est interna libertas, quæ in hoc sita est, vt sese homo promptè, liberè, indepictè, expeditè, omnibus rerum omnium formis & imaginibus exclusis, in Deum erigere possit in quibuslibet interioris hominis exercitijs, vtpote in gratiarum actione, in Dei laude, in reuerentiæ exhibitione, in oratione deuota, in intima dilectione, omniaque amoris opera per Dei gratiam cum delectatione, & intima erga omnes spirituales ex-
III. ercitationes strenuitate, perficere sciat. Cæterùm per hanc interioris exercitationem hominis ad tertium peruenitur, quod est sentire vnionem spiritûs cum Deo. Sanè quisquis in interioribus ac exercitijs suis, liberum huiusmodi & ab omni imagine expeditum ad Deum accessum habet, nihilqúe nisi solum Deum intendit: fieri non potest, quin diuinæ bonitatis gustum quendam percipiat, & veram intus cum Deo sentiat vnionem, in qua & vita interna ac spiritualis perficitur. Ex hac nanque vnione semper à nouo desiderium impellitur, & ad interna excitatur, atque tum amando, tum operando renouatur. Operando autē spiritus in nouam ascendit vnionem cum Deo: sicq; spiritûs opus & vnio, atque in Deo profectus, renouantur. Et hæc renouatio operis & vnionis, vita spiritualis est. Sic ergo iam perpendere licet, vti bonus fieri debeat quisque per virtutes morales, & vti spiritualis quoque possit effici per rectam intentionem, virtutes internas, & vnionem cum Deo, sine quibus nec bonus esse poterit, nec spiritualis. Virtutes autem morales sunt, humilitas, castitas, patientia, resignatio, &c. Quisquis autem prædicta omnia in se deprehendit, sperare potest se spiritualem agere vitam, quod nullus alioqui alius de se præsumere debet. Porrò virtutes Theologicæ, vt est fides viua, spes & fiducia firma, & vera diuina charitas, hanc vitam perficiunt. Huc autem vel maximè necessarium est, vt linguam quisque suam compescere discat, sicut Sapiens quidam insinuare videtur, dum ait crebrò se de sua locutione, nunquam verò de silentio doluisse. *Lingua* prorsus, sicut D. Iacobus ait, *malum est inquietum, plena veneno mortifero. Multos turbauit pacem habentes. Et in manibus lingua, mors & vita. Sit* proinde *quisque velox ad audiendum tardus autem ad loquendum*, adeò vt priusquam ad loquendum vel respondendum lingua laxetur, ex hisce tribus vnum ad minus attendatur, puta, Si expediat loqui, Si ad Dei cedat honorem, Si auditori pacem adducere queat. Vnde sapiens quidam ait: *In ore fatuorum, cor illorum: & in corde sapientium, os illorum.* Ea propter qui pro Dei gloria ab omnibus optat sapiens haberi, is caueat sibi a multiloquio: & dum loquitur, nihil reprehensibile verbis suis admisceat. *Qui* enim *in verbo non offendit*, vt D. Iacobus ait *hic perfectus est vir.* Attendat quoque, ne quem verbis suis lædat siue perturbet, ne verba sua non verba, sed verbera potius sint. Mendacia perpetuò execretur. Et quantum potest caueat, ne vel laudando, vel vituperando aliquem excedat modum, cum vtrunque æquè vituperabile sit. Sicut enim in laudis excessu adulationis nota incurritur, ita ex vituperio iudicium temerarium & inuidia succrescit. In reprehendendo æquè vt docendo, à durioribus

Vita spiritualis quæ.

Cato.

Iacob. 3.

Eccl. 28.

Prou. 18.



Eccli. 21.

Iaco. 3.

ribus semper verbis abstineat: & sermo suus vbique leuitatis præ se ferat gratiã. In loquendo sit breuis, circũspectus, verax, modestus. Præsentes honorare, absentes laudare consuescat. Non sit querulus, nec rixosus. Quantum fieri potest, alterius assertionibus cedat, & opponat silentium, nisi fortè ex fraternæ charitatis debito ipsum vel instruere vel docere meritò debeat. Postremò, quicquid sibi innotescit, quod silentio tegendum sit, illius adeò studeat obliuisci, ac si nihil inde vnquam sibi constitisset.

Vt nos intus euacuare, & expediti semper, quieti ac puri esse debeamus, vt Deus intra nos operari queat. Et quantum omni possimus momento proficere.

CAPVT XXVIII.

IAM verò vt bonus iste homo, de quo supra diximus, in prædicta vita spirituali sine cessatione proficere, vitam obtinere deiformẽ, vt vnus cum Deo spiritus fieri queat: hoc illi impendiò curandum est, vt se magis ac magis exerceat, tam in vera, integra, perpetua ab omnibus extra Deum auersione, quàm in perfecta ac amorosa in Deum introuersione, cùm libera spontaneaq; virium omnium totius animi, sensuumq; suorum recollectione, quo soli huic integræ ac veræ introuersioni, quantum in ipso est, sufficere possit. Sed ista nequaquam sufficiunt, nisi Dei accedat cooperatio, Deusq; per gratiam & opem suam, introuersionem hanc reuera perficiat, ipsi fundo illabatur, & sic hominẽ vltra vires eius naturales subuehat, vbi iam ipse homo in Deo constituitur. Quod si quærat aliquis, vti ad hæc compendiosius aptiusq; coaptemur: respondetur illi, per hoc quòd quisque sui esse inhabitator sedulus, ac perpetua quadam introuersione sese intra se recipere discat. Ibi nanque reuera lux radiare sentitur, ibi inspirationes, motus, instinctus sancti Spiritus audiuntur, quos & cum diligentia homo sequi debebit. Sanctus quippe Spiritus absque intermissione suos trahit, vrget, impellit: Sed hoc exterior homo non intelligit. Inuitat ille & mouet ad nuditatem, puritatem, simplicitatem, quietem. Econtra verò natura & sensualitas, mundus quoque & satã, ad multiplicitatem, externas occupationes, inquietudines, hortantur incitãtq;. Hæc autem omnia internus quisq; & deuotus in seipso diligenter, aduertere debet, quo Deũ suũ intra se sentire possit: iugiterq; secũ habitãs, Deo locũ præbeat, quo suum ille in ipso queat opus moliri. Locus enim Dei, nõ nisi intus est. *Regnũ* quippe *Dei intra nos est*. Qui proinde eò venire recusat, vbi thesaurus est, non est certè quòd se queratur pauperem, seq; thesauro frustrari. Sicut proh dolor, multi inanissimè conqueruntur, nihil sibi præstari à Deo, se à Deo non trahi, nec seipsum intra se sentire. Quid enim soli imputare habet, si radios suæ lucis ad interiora domus minime diffundat, qui fenestras omnes, per quas lumen recipiẽdum erat, obstruit & occludit? Hinc beatissimus Augustinus ait: Ego *erraui sicut ouis quæ* perierat, quærens te exterius, qui es interius. Circuiui vicos & plateas ciuitatis huius mundi, quærens te, & non inueni, quia malè quærebam, & vbi tu eras, ego non perueniebam: Tu intus eras, & ego foris: Tu prope, & ego longè. Quod si ego peruenissem vbi tu eras, ilicò te inuenissem. Et rursus idem ait: Serò te amaui veritas tã antiqua & noua, serò te cognoui veritas æterna. Sanè quisquis

Qui vita deiformis obtineatur.

Quò Deus, quo mũdus & satan hortetur.

Luc. 17.

veritatem omnem inuenire desiderat, intus quærat oportet, interioremque animæ suæ fundum per amorosas adspirationes & affectuosa suspiria ad Deum, cumq; humili resignatione nunquam non patefaciat, se directè sub Deo collocet, & nec retro, nec ante, nec circa se, sed continuè sursum adspiciat. Et tunc diuinitatis effluxus, eiusdemque faui dulcissimi, qui sine cessatione manant, nec vnquã manare desinunt, in ipsum profluere poterunt. Sicut enim aqua fluida sponte vasi aptè supposito, debiteq; collocato illabitur: sic & quando interiora nostra Deo subijciuntur & accommodantur, Sol diuinitatis, qui occasum nescit, nec obscuratur vnquam, micantes radios suos in fundum ad se conuersum dirigit, instar solis huius corporei, qui splendorem suum in terram sibi directè substratam diffundit: & sicut hîc, vbi nullum obstat medium, ibi primò omnes humores, exhalationes, sordes ex terra attrahit, ipsaque calefacit, purgat, exiccat, & ad sphæram vsque suam adducit, vbi crassi illi vapores in tantam abeunt lucem & puritatem, vt instar stellarum fulgeant: sic & homini interno ac introuersio, Deoque sine medio substrato, vsuuenire solet. Enimuerò sol diuinus in eius præclarum fundum continuè lucis suæ mittit radios, dulciq; splendore suo omnem impuritatem & terrenæ delectationis vaporem extrahẽs, ipsum spiritum magis ac magis sustollit, donec ad suæ diuinitatis adducat sphæram, ipsumq; prorsus diuinũ efficiat, adeo vt iam huiusmodi homo Deum sibi multo præsentiorem sentiat, inueniatq;, quam sit vel ipse sibi, vel aliud quodcunque: ipsumq; in fundo suo multo fulgere lucidius, quam sol iste corporalis oculis suis externis resplendeat, atque adeò se cum ipsa luce vnum experiatur. Insignis cuiusdam Theologi sententia est, multos ad æternam admittendos beatitudinem, quibus familiaritas & viciniora quęque Dei adeo incognita erunt, vt alicui in pago semper enutrito prorsusque rustico homini, qui nunquam versatus in palatio, nunquam vt se illic gerere deberet, institutus esset, quibus eum verbis & moribus regiam oporteret salutare & alloqui maiestatem. Neq; id cuiquam mirum videri debet, quãdo multos inuenire est, qui pluribus annis religiosum gestãrint habitum, & ab omnibus inter bonos numerari, imò & esse cupiant, qui tamen adeò sibi sola putant externa sufficere, vt de secretiori familiaritate & vnione cum Deo, non magis scire aliquid, vel percontari, vel experiri studeant, quàm de Soldano Aegyptio. Ita, inquam, hæc ab eorum memoria & amore aliena sunt, quasi nihil ad ipsos attineant. Et si fortassis de rebus diuinis sermo habeatur, ita hunc intelligũt, vt Græcus aliquis Latinum. Psalteria multa & preces suas lõgas solis labijs persoluisse, aridaq; obedientiæ suæ opera sensibus externis vtcunque peregisse, satis abundè sibi credunt sufficere: vniat se Deus quibus volet, nihil hoc ipsorum interest. Si verò foris aliquid in oblatis vndecunq; vel honoribus, vel commodis, vel rebus delectabilibus proficere se posse sperarent, nimirum cerneres, quàm hæc ad se pertinere arbitrarentur. Et quid mirum, si dum isti ad Deum quandocunque perueniunt, veris ac deuotis Dei amicis & sint & erunt semper nimium inæquales? Cæterùm internus quisque *super custodiam* suam diligentissimè stabit, attendẽs, ne quid fortè extraneum, inęquale, vel alienum luci illi intus coruscãti sese admisceat, siue sint imagines, siue cogitationes, siue quælibet multiplicitas intus vel foris. Sæpe nanque fieri solet, vt dum hæc Dei dona negliguntur, densissimas homo incurrat tenebras, siccitatem, insensibilitatem, insipiditatemque, adeò vt omnia virtutum exercitia in nauseam illi vertantur, & iam diuinorum

Similitudo pulchra.

Abac. 2.

omnium

omnium propè sit inscius: quæ Dei sunt & diuina, cruciatum illi magnum & pœnam ingerant: & se nec cogere, nec extendere, nec vrgere possit in Deum, nesciens propemodum, quò se vertere debeat. Sed in his omnibus patientem se exhibebit. Neque enim ob huiusmodi casus asperos, spes omnis salutis ablata est. Ideo nanque fidelissimus Deus ista interim permittere solet, vt cautiorem reddat hominem, quo sibi deinceps tanto solicitius attendat: (quod enim facile obtinetur, iam adeptum, minori custoditur diligentia) vel idcirco etiam, vt gratiã suam homo sibi minimè asscribat, suam exiguitatem agnoscat, Deo tãto sit gratior, omniaq; diligentissimè cum vniuersis viribus ac sensibus, omniq; voluntate ac facultate sua in Deum refundat referatq;. Sanè quanto ipsa reuersio ac introuersio fortior, efficacior, purior fuerit, tanto quisq; in æternitate Deo vicinius, sublimius, dignius, interius perfruetur. Et quantum illius defuerit, tantum & huius deerit. Sicut enim omnes illi beatissimi spiritus, omnem dignitatem ac celsitudinem suam sola fortissima ad Deum conuersione meruerunt, qua nimirum velut sub vno momento tam id quod habẽt, quàm quod vnquam habituri sunt, obtinuere: ita & hominibus singulis id à Deo concessum est, vt innumeris vicibus sese ad ipsum conuertere queant, donec & ipsi plenam obtineant felicitatem & beatitudinem. Nec enim aliquod momentum est, quo non homo mirabiliter ac ineffabiliter vicinius profundiusque in Deum pertingere possit. Ipsa autem conuersio siue introuersio si integra veraq; sit, solumq; Deum purè ac nudè intendat, quoties renouatur, toties nouam gratiam, nouam puritatem, nouã lucem, nouam confert vicinitatem. Hic iam, oro, attendat, quisque quantum illi negligant, qui sine vllo timore ac solicitudine, & absque his vitam agunt, qui facile ad hæc sublimia possent pertingere, sed ob suam negligentiam, torporem, ignauiam, eis perpetuò sunt carituri. Planè si quis singula semina dum fortasse vel auenam, vel viciam sereret, pro voto vel arbitrio suo in smaragdos, sapphiros, aut margaritas mutare posset pretiosissimas, & tamen nollet: dubiũ non est, quin ab huius mundi amicis stultissimus ac negligentissimus iudicaretur. Sed longè incomparabiliter maiora negligit, qui se non totis viribus, totaquè voluntate ac desiderio ad Deum Opt. Max. dulcissimam originem suam, intro recipit, eius se gratissimæ resignare volũtati dissimulat, atque hoc ipsum nouã conuersione identidem non renouat repetitquè. Sæpius itaque hanc ad interiora introuersionem renouare, atque nosipsos extra multa in vnum, extra tempus in æternitatem, extra id quod conditi sumus, in diuinitatis abyssum, extra nosipsos denique & omnia in Deum tanto cum vigore & feruore recipere debemus, vt qualibet huiusmodi introuersione, decem aut plurium annorum amissa reuocemus tempora. Vice quadam Dominus noster cuidam religioso homini sex amicorum suorum vitia non sine querimonia reuelabat, dicens: Primum eorum vitium est, quòd in vlla re, præterquam in me solo, delectationem quærunt, nec mihi soli aduersa quælibet sua quæruntur, vt eos per meipsum consolarer, qui tamen eorum vnica & omnimoda esse volo delectatio. Secundum est, quod in vnum congregati, de rebus vanis vanissimè loquuntur, & mei nominis nec paruam mentionem faciunt. Tertium est, quòd dum ad ipsos venio, cor, animam & sensus eorum meipso, omnique delectatione & amore repleturus, adeò sunt distracti & occupati, tot rebus impliciti, tot imaginibus depicti, vt citius proh dolor retrocedere compellar. Quartum est, quòd sub habitu sanctæ reli-

Facilè acquisitum, facilè perdi.

Momẽto omni ad Deũ pertingi posse.

Negligẽtia hominũ quãta

Quibus sex vitijs obnoxij etiam amici Dei

I. II. III. IV.

 gionis

gionis nimis molliter, fictè, tepidè mihi seruiunt, & vix paucissimi pura me intentione & amore prosequuntur: singuli verò, quanuis latenter, *quæ sua sunt* in me *quærunt*: suumqúe, & non meum, honorem affectant expetuntqúe. Quintum
V. est, quòd suis mihi sumptibus militare nôlunt, sed eorum me obsequia vel consolando, vel sensibilem deuotionem aut scientiam infundendo, vel aliquid tribuendo, redimere oportet: dumqùe ista cessant, simul omnis eorum conatus frigescit & diligentia. Sextum est, quod omnium eorum cordibus præsto sum, meq́ue
VI. sine cessatione omnibus cum omni dilectione, solatio, bonis atque donis meis exhibeo, & tam per meipsum quam creaturas omnes adhortor, vt me pauperem mendicum & fidelem commonitorem suscipere velint: & nō est penè qui faciat. Omnes non me, sed mea, quærunt & amant: dumqúe vehementissimum erga se meum nôlunt amorem perpendere, ineffabile sibi damnum irrogant. Homo quidam à Deo scire cupiebat, quænam illi vita gratissima foret. Vidit ergo in visione quadam Dominum Saluatorem in forma speciosissimi adolescentis, & ante ipsum tres positos homines. Vnus coram ipso in terra ad pedes illius iacebat prouolutus, extendensq́ue manum suam Dominus, tenebat eam super illum. Alius illius abstabat vultui, & licet illi admodum vicinus esset, non tamen adspexit Dominum, sed tergum illi in faciem vertebat. Tertius à terra ante Dei vultum subleuatus, caput illius vndique circumuolabat. Tum ergo homini illi

Paradigma seu visio.

Tres hominum formæ diuersæ, qui sibi velint.

I. reuelatum fuit quòd is, qui in terra iacebat, illos designaret, qui suis semper cōceptibus, institutis, exercitijs externis, vitæque actiuæ laboribus, vt est, dicere, cantare, legere, venias accipere, & his similia, pro sui capitis iudicio inhærent, qui pro sua inquitudine, suaqúe multiplicitate ad Dei contuitionem faciem suam attollere nequeunt. Super ipsos tamen pijssimus Deus benignam manum suam extendit, in eis cupiens operari, expectans interim, si fortè tandem expeditos quietosqúe eos inueniat. Cæterùm instituta ipsorum & exercitia relinquit eis: non enim cogit aliquem: maneat qui manet. Qui verò diuino assistebat vultui,
II. illos designare cognouit, qui amplius eleuati expeditique sunt, non iam suis proprijs conceptibus ac institutis, vt priores illi, inhærentes. Verùm sæpe eos ad virtutum exercitia extrouerti oportet, dum alijs præesse coguntur, eisqúe docendo, consolando, diuersis modis inseruiendo, loquendo, scribendo, aut sibi impositis obsequijs subuenire habent. Et licet in hac multiplicitate puram habeant intentionem, homo tamen interior sensuali operatione nonnihil constringitur, capitur, obscuratur, vt pro ea vice Deum in spiritum clarè nequeat intueri. Mox autem vt sese verterint, diuini vultui coram assistunt, ipsumque Deum in spiritu suo, & in ipso fundo expeditæ ac liberæ mentis suæ, nihil nisi Deum volentis & intendentis, velut sub ictu vno adspicunt, & tunc
III. ipse in eis repente velociterqúe operatur. Porrò tertius ille à terra subleuans, & huc illucq́ue circunuolans eos exprimit, qui ab omni actu exteriori terrenæ occupationis sese excutiunt, custodiuntqúe, & à cunctis rebus exterioribus sese expediunt quo Deus ipse sine cessatione, sua in eis opera pro gratissima voluntate sua peragere querit. Hi planè inter cælum & terram volant: profectus eorum instar nubiū velocissimus est, nec vlli omnino creaturæ vel tenuissimè afficiuntur: liberi & expediti prorsus ab omnibus, nec vlli omnino quomodolibet adstricti. Cæterum vt vniuersis melior est Deus, ita & actio opusq́ue illius cūcta mortalium omnium præcellit opera. Et quia isti Deo locum in se præbent operandi, præ

cunctis

cunctis ei mortalibus gratissimi sunt: ipsorumque esse, & hoc quod ipsi sunt, iucũdius acceptiusque est illi, quàm omnium hominum actus & operationes.

De passione Dominica, & quædam aliæ piæ institutiones.

CAPVT XXIX.



OMINVS noster Iesus Christus sic cuidam ait in spiritu: Cùm deuotè orationi vacas, tunc me à summo cælorum ad te vsque ad lucis: ibique iam ita familiariter tecum ago, vt solet amicus cum dilecto. Secundò, quãdo teipsum ex amore vel in commodo priuato, vel in proximi obsequio, qualiacunque sint illa, purè mei solius causa exis & abnegas, tunc mihi conformaris in eo, quòd me sponte ad crucem obtuli, quo tibi succurrerem, & cælesti Patri meo plenissimè reconciliarem. Tertiò, quando me interioribus animæ tuæ contemplaris oculis, prout Sancti omnes fecêre, ceu arbor verno tempore florum amœnitate gratiosa in oculis meis appares. Quartò, quando mihi pro admirabili illo de paterno corde processu, & in hoc teterrimum exilium & ad crucem vsque & turpissimam mortem descensu, gratias agens, me tibi velut ob oculos constituis, quasi hæc omnia coram intuereris, mecumque simul hæc ipsa & quicquid vnquam amici mei sustinuêre, perpeti velles, iam tunc ita intra te habitare me scias, sicut rex potentissimus in suo palatio commoratur, qui dum in omni regno suo iusta decernit iudicia, ab omni bellico tumultu suæ ditioni subiectos vindicat. Quintò, cùm impedimenta omnia remouens, ac creaturarum labentium omnium obliuiscens, cunctis viribus tuis te subleuas, atque supra tempus in me subuolas, raperis, excedis, adeò me totius meæ obliuisci facis excellentiæ, vt me in animam tuam dimittere cogar, quo in ipsa à cælesti Patre meo ineffabili modo generer: quo simul & te mihi adopto in filium, cælumque & terram intra te dispono, moderor, guberno. Cuidam vero Dei amico præclarus quidam diuinusque apparebat spiritus. Inter alia, quæ ille cum isto loquebatur, hoc quoque interrogabat, quænam maxima purissimaque ad proximum pertingendi finem via foret. Respondit spiritus, Hanc esse, si quis cum ingenti amore ac gratitudine, Saluatoris intra se passionem circunferat, atque illam vita & moribus intus & foris exprimere curet, attentè considerans, in quo culpabiliter agat, in quibus vitæ Dominicæ sit dispar, quid vel odio vel amore se afficiat, vt huiusmodi imperfectionibus, ex dilectione pro qualicunque sacratissimæ mortis Christi compensatione moriatur, & quia foris pro Christo animam ponere iam necessitas nulla indicit. (quod ex vehementissimo diuinitatis amore sanctos Martyres fecisse legimus) saltem voluntati delectationique propriæ intus simul & foris renuntiet. Hoc namque præ omnibus, quæ à nobis ipse requirit, Deo nostro perquàm gratissimum est. Nec dubium est, quin per hanc viam gradientes, clementia Saluatoris ad compendiosiores secretissimasque semitas suas, & ad occultissima, singularissima, felicissima, intima diuinitatis suę perducat proueharque susurria: quibus alioqui percipiendis nemo securè se applicat, nemo ad contemplationis quietem tutò adspirat, nisi qui per hanc viam, per naturæ suæ tam in spiritu quàm in corpore mortificationem, intus & foris vigilanter incessit. Porrò quisquis in huiusmodi mortificationis studio seipsum

Margin notes: Piũ aliquot Christi monita. I. II. III. IV. V. Paradigma. Proxima ad finem proximũ via, quæ. Quid à nobis præcipue exigit Deus.

perfectius veriusq́ deserit, exit, abnegat, in ipso quoque æterna veritas sese apertissimè ac lucidissimè manifestat, simulq́ ipsum in secretam caliginem, quietum silentium, profundam diuinitatis abyssum, vbi vera est in Deo requies, perducit.

De virium animæ distinctione, & earum in Deum introuersione, & vt quisque suæ debeat vocationi satisfacere.

CAPVT XXX.



NTE omnia hoc vel maximè curandum est, vt suam quisque vocationem attendens, simul diligentissimè obseruet, qui modi quæve exercitia diuinitatis in se amorem accendant vehementius, seq́ fortius viciniusq́ in Deum perducant: atque hæc ipsa præ omnibus sectetur. Quòd si ea solum in actione, in formis item ac imaginibus sita sint, nouerit planè hęc viciniora non esse, si ad excellentissimum illum modum vltra omnes formas & imagines in otiosam quietem, in solitariam illam vnionem, in quam suos electos Dominus se ducturum, ibiqúe ad cor ipsorum locuturum promittit, attingere possit atque consurgere. Hic namque modus longè illo priori excellentior est: ad quem tamen qui assurgere non valet, priori illi recta puraq́ cum intentione insistat. Sic namque Dominus ait, *In domo Patris eius mansiones multa sunt.* Porrò diuinus ille Dionysius quatuor homini partes inesse dicit: quas, si ad excellentioris vitæ statum pertingere velimus, diligentissimè nos obseruare conuenit. Prima & infima est ipse exterior homo, in quo multiplex est numerositas sensuum, virium sensitiuarum atque membrorum, & horum singula suum modum suumq; actum habent. Secunda, hanc excedens, est ipsa anima cum diuersis viribus suis & actionibus earum. Tertia, quæ & præcedentes longè superat, & est supra tempus, ipsa est intelligentia. Quarta, his omnibus superior, est ipsa deiformis vnitas, quæ est excellentissima quædam deiformitas, & inæstimabilis ineffabilisq́ DEI in anima vicinitas, ad quam si quis pertingere volet, in alijs prædictis partibus quodammodo transformetur oportet, ita vt corpus suum castigans, velut in animæ cõditionem transferat, & animam in intelligentiam in spiritu, & intelligentiam in deiformem transformet vnitatem. Quod qua ratione faciendum sit, iam edocebimus. Primò itaque exteriorem hominem suum, id est, propensiones, cõsuetudines, mores, verba, actus, conuersationem, gestus discutiet, probabit, perscrutabitur, vtrum videlicet hæc omnia, sicut oportet, in captiuitatem redacta, religata, restricta, edomita, castigata sint, sicut Apostolus ait: *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, &c.* Sic namq; corpus cum vniuersis viribus, sensibus, actibus suis, in omni exteriori opere, quantum fieri potest, omnino spiritale erit, & spiritûs quandam proprietatem assumet, ita vt vndecunque magis spiritale, quàm carnale appareat: prout de S. Patre Dominico legitur, quòd corpus illius frequentissimè in aera subleuabatur, ac si caro ipsa diceret: Iam meæ crassitudinis & ponderis oblita, spiritus quandam proprietatem indui. Legitur de eodem sanctissimo Patre, quòd serò domum rediens, foribus vndique Monasterij oc-

Vocatio cuiq; sua attendenda, & quid deinde obseruandum.

Oseæ 2.

Ioan 14.

Quæ quatuor partes obseruandæ.

I. II. III. IV.

Ephes 5.

S. Dominici in aerem raptus.

Miri quiddam.

rij occlusis, & fratribus iam fortasse quiescentibus, ipse & socius illius clausis ianuis ad interiora Monasterij penetrârint. Ibi planè moles carnis spiritûs quãdam fuerat proprietatem adepta. Alia pars hominis, quæ vel anima vel spiritus dicitur, in duas partes secari potest. Prima, eademq; superior, pars est pura quædam substantia, vbi & anima spiritûs habet vocabulum, & sursum operatur. Altera pars infra ad corpus respicit, vbi & hoc ipsum animæ sortitur nomen. Iuxta hanc sui partem deorsum agit, vitamqúe & motum corpori subministrat, illuminat & rationabiles sensus efficit, sensualem habet prudentiam, in phantasiam agit ac operatur, & rerum exteriorum confert discretionem. Animæ verò suprema portio hanc alteram lõge excedit, nec aciem suam vnquam ad inferiora reflectit: pura autem substantia existens, in superiora suos defigit obtutus: nec vllo loco, tempore vel materia, in suo opere indiget: penitus namque spiritale & abstractum quid est, vertitqúe se ad intelligentiam. Porrò inferior animæ pars, quæ deorsum respiciens, naturæ ipsi afficitur atque blanditur per sensibilium imagines & phantasias, creaturarumqúe oblectationes, illa planè seipsam cum vniuersis viribus suis, totaqúe facultate sua, sursum ad spiritum sese atque intelligentiam deberet conuertere, vbi iam non nisi intellectualia, æterna, spiritalia bona saperet, eiqúe intus relucerent, vt omnis omnino *conuersatio* illius cum D. Paulo ageretur *in cælestibus*, ac fidenter cum eodem dicere posset: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* Sanè dum sic inferior ista portio in superiorem, id est, intelligentiam, sese erigit, & tempus excedimus, & spiritûs quandam synceritatem puritatemqúe in eadem gustamus intelligentia. His autem, vt dictum est, longè adhuc superior est deiformitas illa, siue vnitas deiformitatis. In hanc altissimam (vt ita dixerim) superessentialitatem, intelligentia sese recipere, lumen suum obscurare, à suo interim vacare opere, ipsumq; abnegare, totamq; se velut cæcam & mutam, in vastissimam illam occultæ ac immensæ diuinitatis immergere debet caliginem. Atq; hîc intellectus ipse omnino mutus efficietur. Quod enim in hac caligine sentitur, nulla capit ratio, nec verbis explicat vllis. Nec enim modus aliquis aut forma ei tribui, nec sermone quolibet enuntiari potest. Huc quoties, Deo fauente, homo admittitur, pro illa sui parte nec in hoc seculo, neq; in hoc tempore est, sed tẽpus omne transcendens, quandam æternitatis assumpsit proprietatem. Hîc prorsus vera quædã æternæ vitæ datur degustatio seu prægustatio: adeoq; Saluatoris hîc illa completur sententia, qua ait: *Petite, vt gaudium vestrum sit plenum.* Reuera namq;, iuxta Bernardum, plenum hîc gaudium est, sed tamen necdum vsquequaq; perfectum. Hoc enim in illa sola æterna vita speramus, vbi ipsum gaudium firmum ac stabile perseuerat in quodam immobili Nunc æternitatis, nec vnquam interrumpitur. Hîc verò in isto tempore, in quodam continuè dilabente Nunc positi sumus. Quisquis autem seipsum profundius in illud immobile Nunc, cum omni mẽte, omniq; interna actione sua erigere ac immergere studuerit: ille procul dubio etiam perenniter longè profundius, sublimius, verius, nudius superessentiali diuinitate perfruetur, eiq; profundius immergetur. Deniq; modus iste, licet vnus sit, & quædam immersio siue liquefactio dicatur in Deum, multos tamen diuersosq; gradus habet, ita quòd vnus in isto longè præcellit alium. Quanto enim quis huc verius, diligẽtius, ardẽtius accedit, & in ipso accessu suo, omni propria quæsitione depulsa, solius Dei intẽtione mouetur, eo & in Deũ cõscendit sublimius.

Phil. 3.

Gal. 2.

Ioan. 16.

Cæte-

Cæterùm melius veriusq́ non acceditur, quã per Dominum Saluatorem, eiusq́ superdignissimam passionem, per Filium videlicet in Patrem. Aiunt Theologi, Patrem in diuinis, fontem & principium esse. Ex ipso namq́ Verbum illius æternum relucet, & Spiritus sanctus procedit, promanatq́. Tria hæc lumina (si sic dicere fas est) in vna simplici diuina subsistente essentia refulgent. Quisquis autem lucis huius fulgores optat suscipere, omnis in eo lux alia obscurata sit oportet, quiq́ hanc intueri desiderat, eum ad omnem alienum adspectum ceu cæcutire necesse est. Deus enim libera quædam ac nuda essentia est. Vnde & spiritum illum, qui huic purissimæ nudæq́ essentiæ iungi debeat & accommodari, nudum similiter, vacuum, liberum esse oportet, adeo vt si immensæ illius sanctitatis arcana & occulta velit intelligere, ab omnibus etiam illis, quæ aliquod eius sensualitati fomentum præstare possint nudum esse necesse sit. Inde est, quòd & sacer ille Dionysius, Coepiscopo suo Timotheo scribens, ait: Cùm iam deinceps, amice dilectissimè, charissimi institutoris nostri Pauli suauia atque solatij plena verba coram audire nequeamus, omnibus postpositis, nudè ad Deum ipsum accedamus. Id autem fieri non potest, nisi omnino clausis oculis, & sensibus ad interiora reductis: sitq́ supra omnem cognitionem in occultam illius pertingam' vnitatem, ad instar sacratissimi Hierothei, qui per hoc quòd Deum patiebatur, ad diuinorum peruenit notitiam secretorum, ad quam nos sola operatione nostra haudquaquam accedere valemus.

Fons in Trinitate, quis.

S. Dionysius.

Rationes aliquot diligendi inimicos.

CAPVT XXXI.

I. SEPTEM rationes sunt, ob quas Dominus ac Redemptor noster Iudam proditorem, capitalemqúe inimicum suum, apud se benignè pertulit. Prima est, vt dum continuè illum ob oculos haberet, passio dolorqúe suus assiduè renouaretur & recrudesceret. Sicut enim in diuina perpetuaqúe sapientia sua, quæ passurus erat, omnia præsciebat: ita nihilominus & hominis à se assumpti oculis hæc eadem semper esse
II. volebat obuia. Vnde & continuè sua illi passio renouabatur. Secũda est, vt quòd
III. de inimicorum dilectione verbis docebat, exemplo adstrueret. Tertia, vt nos edoceret, nullam nobis subterfugiendæ charitatis occasionem superesse, quin
IV. in ea nos semper exercere possimus. Quarta, vt toti mundo, qui ex sua malitia ad bonorum exterminium propensior est, exemplum præberet, ne, dum quandoque Iudæ imitatores exurgerent, quos ipse plurimos fore non ignora-
V. bat, bonos simul cum malis ille extingueret atque deleret. Quinta, vt si fortassis inter veros amicos suos Iudas aliquis oriatur, non ideo desperent, nec animo
VI. deijciantur amici sui, sed ipsum benignè tolerent, sicut & ipse Iudam. Sexta, vt quia ex æterna dilectione in hunc mundum aduenerat, suæq́ nobis infinitæ misericordiæ & amoris adduxerat, exercitium, hoc ipsum in suo proditore comprobaret, cui æquè vt electis amicis suis beneficia multa conferebat, ne quam illi facinorosi operis, quod ex peruersa voluntate suo animo conceperat, occasionem præberet. Iam enim ab æterno præsciuerat, ab illo se in mortem esse
VII. tradendum. Septima, quòd quamuis ab æterno præcognitum haberet, Iudam sui proditorem fore, tamq́ enorme scelus suapte malitia aggressurum, nequaquam

quam tamē ad illud ipsum crimen elegit: alioqui sceleris illius ipse causa fuisset, quod nefas est credere, cum Iudas potius causa fuerit, sed ipsum instar aliorum electorum suorum benignè pertulit, quo ipsum non ad desperationem, sed ad fiduciam & spem bonam erga suam misericordiam prouocaret. Quod ex illis Matth. 26. apertissimè verbis colligitur, quæ in nocte captiuitatis suæ protulit: *Amice*, inquiens, *ad quid venisti*) Quibus vtique verbis ex abysso fidelissimæ charitatis suæ ipsum ad sui cognitionem, & ad fidendum diuinæ misericordiæ ac bonitati suæ inducere moliebatur. In hac planè dilectione sua non verbo, sed opere & veritate, nos Christus edocuit, eundē erga amicos & inimicos dilectionis affectum Ratio nes decem & habendum & beneuolentiam. Ad quod alioqui etiam alijs decem & septem ra septem. tionibus incitamur. Prima est, quòd inimici nostri æquè, vt amici, sacro baptis- I. matis fonte abluti sunt: Ideoque fidei dignitas in ipsis veneranda est. Secunda, II. quòd eundem omnes Patrem habemus, à quo & omnes conditi sumus. Tertia, III. quòd omnes ad imaginem summæ Trinitatis facti sumus. Quarta, quòd omnes IV. in eius diuina sapientia permanentem quandam ideam habemus. Quinta, quòd V. Creator ac Dominus noster omnes nos æterno perpetuæ dilectionis suæ incendio prosequitur. Sexta, quòd in perennis charitatis suæ ebullitione æqualem VI. nobis omnibus dilectionem in humanæ naturæ assumptione exhibuit. Septi- VII. ma, quòd in eodem amore suo pro nobis omnibus mortem excepit amarissimam. Octaua, quòd verisimiliter sperare licet, imò & præsumere debemus, ini- VIII. micos nostros ex gratia Dei, aut esse, aut fore quandoque excellentissimi meriti, dignissimæq; mortis Christi ac æternæ illius capaces hæreditatis Nona, quòd IX. ipse Filius Dei, cunctiq; amici illius, huius nobis dilectionis exempla copiosissima reliquerunt. Decima, quòd idem Dominus ac Saluator noster hunc nobis X. amorem præcipere ac per seipsum docere dignatus est. Vndecima, quòd amicos XI. diligentes, amorem hunc ex natura procedere vereri possumus: inimicis autem dilectionis affectum & obsequia impendentes, hanc ex gratia charitatem oriri, certò confidere valemus. Duodecima, quòd quisquis iniuriam irrogat XII. Conditori, omnes similiter creaturas iniuria & contemptu afficit. Vnde cùm nos spontanea malitia nostra sæpe contumeliam intulerimus Creatori, primò quidem nobisipsis vel maximè infensi erimus: dehinc inimicos nostros tanquā dignissimum Dei flagellum, quod nostris iniquitatibus iustè meruimus, humiliter adspiciemus. Decimatertia, quòd etiamsi nullius malitiæ nobis conscij si- XIII. mus, ex vera tamen humilitate, ne fortè Deus eam in nobis agnoscat, verendū nobis formidandumq; est, atque hac consideratione quancunque inimicorum persecutionem, tanquam dignissimum Dei flagellum, ex amore nobis ab ipso transmissum suscipere curabimus. Decimaquarta, quòd tametsi non solùm no- XIV. stro, sed & Dei simus iudicio innocentes, ipsum tamen inimici odium, tanquam dignam Dei correptionem, ex perpetua nobis ab ipso dilectione transmissam suscipiemus. Certi quòd per hanc cautos nos efficere paret, quo in humili semper, prouida, tremulaq; nostri custodia persistentes, illius iustam irā haudquaquam incidere mereamur. Decimaquinta, quòd inimicos nostros neque pu- XV. rius, neque Deo gloriosius, neque ipsis salubrius, neque nobis vtilius, quàm studiosa diuinaq; possumus dilectione lucrifacere. Decimasexta, quòd nec inimi- XVI. cos efficacius compescere, nec exteriorem hominem nostrum melius in quietē redigere, nec animæ maiorem pacem ac tranquillitatem assequi, nec ipsum de-


XVII. nique spiritum Deo vicinius vnire possumus, quàm vera illa diuinaq; charitate, qua inimicos perinde vt amicos diligimus. Decimaseptima, quòd ea diuini amoris conditio est, vt amet. Vnde si ex ipso amore quæras, cur amet: respondet, eo quòd amor ipse sum. Et si percontari pergas, cur & inimicum diligat: respondet, Omnes ego & amicos & inimicos amore complector: & ideo diligo, quia diuinus amor sum, qui in meipso omnia amo in omnibus: imò idcirco prorsus amo, quia non possum non amare. Virgo quædam sanctioris vitæ, cùm iam morti esset proxima, quibus vsa fuisset exercitijs requisita, respondit, in quatuor se potissimè exercitatam, quibus & Dei pro suo arbitrio potens semper fuisset. Primum est, inquit: Quisquis me iniuria vel molestia quauis afficiebat, huic ego speciale quoddam beneficium rependere curabam: quod, nisi læsa prius ab ipso, minimè contulissem. Secundum: Omnes æquè vt meipsam dilexi. Tertium: Nulli quælibet aduersa mea, nisi soli Deo, questa fui: & e uestigio aut consolabar, aut confortabar à Domino. Quartum: Corde semper liberalissima fui, & si quando foris dare non poteram, saltem animo dabam.

Paradigma.

De paupertate rerum temporalium, carnis, animæ ac spiritûs: deq; perfecta mortificatione.

CAPVT XXXII.

Spiritu Dei acti, quotuplices.
Gen. 27.
Actor. 12.



TRIPLEX hominum genus est eorum, qui spiritu DEI aguntur siue impelluntur. Primi sunt, qui hoc neque sciunt, neque sentiût, & tamen eis impendio prodest, sicut Iacob à fratre suo Esau impellebatur. Alij nesciunt quidem, sed tamen libenter accipiunt, sicut Apostolus Petrus ab Angelo de carcere educebatur. Tertij & sciunt & diligunt: & hi sunt perfecti imitatores Christi in vera suipsorum & rerum omnium paupertate. Hæc verò paupertas quadriformis est. Prima est omnis terrenæ possessionis, quæ rursus in tribus sita est.

Paupertas quadriformis.

I. Primò, ne quid proprij habeatur: Secundò, vt his, quæ Deo nobis prouidente obueniunt, pro sola necessitate vtamur: Tertiò, vt nulla nobis solicitudo sit laboribus terrena coaceruandi.
II. Secunda est paupertas carnis, quæ similiter in tribus consistit. Primò, vt ab omni carnali affectione: Secundò, vt à quauis temporali
III. commoditate: Tertiò, vt ab omni terrena dilectione liberi simus: Tertia paupertas est animæ, quæ æquè tria exigit. Primò, vt à cogitationibus: Secundò, vt ab affectionibus ac desiderijs animæ liberi & expediti simus: Tertiò, vt ipsa a-
IV. nima omni diuinæ consolationi atque dulcedini renuntiet. Quarta paupertas spiritûs est, ad quam etiam tria spectant. Primum est, memoriam ab omni creaturarum imagine: Secundum, intellectum à visibilium formis expedita habere: Tertium, ne voluntas vllam vel in donis DEI, vel in quibuslibet creaturis delectationem habeat siue requirat, sed in diuinum prorsus resignata sit beneplacitum, imò & amissa in illo. Hinc insignis quidam Theologus ait, non deesse qui clariora quædam agant miracula, quàm vel ipse gregis Apostolici vertex Petrus, vel omnes alij Sancti, mortuos suscitando, cæcis visum & claudis gressum restituendo, patrârint. Hi sunt, qui suis reluctantur voluptatibus & oblectamentis, & in omnibus illis, quæ non necessitas, sed sola poscit delectatio, suæ renuntiant voluntati. Et reuera huiusmodi superflua & delectationis fomenta


pro

pro Dei amore despicere, ac seipsum in illis frangendo superare, dubium non est, quin Deo longe sit acceptius, quàm vel mille defunctos reuocare ad superos. Quanlibet enim exiguum sit, in quo sibijpsi quisq; resistit, vt est, vel verbum excusationis seu defensionis supprimere, vel aliquod similiter verbum, quod neque contristare, neque officere, neq; tamen etiam prodesse alicui possit, sed pro sola sui inani recreatione cùm aliqua voluptate diceretur, pro Dei amore nôlle proferre, & sibijpsi viriliter resistendo, illam in seipso delectationem extinguere & mortificare: dici non potest, quantum placeat æterno iudici Deo. Imò dicere non vereor, posse huiusmodi studio animam de purgatorij educi carcere. Sanè mira illa, quæ Sancti olim faciebant, non sua, sed Dei virtute, nec absque delectatione perpetrabant. Hic verò suæ quisq; naturæ, licet infirmæ, quam hic funditus mori oportet, reluctatur. Hæc autem mortificatio si ex amore procedat, longè Deo gratior est, quàm vel innumeris vita defunctis vitam restituere. Sed dicat fortasse aliquis: Cũ summa hominis perfectio in integra sui mortificatione, & interioris hominis expedita ac libera quiete, cum sopitis & ineffabili puritate ad Angelicam similitudinem sursum attractis virib⁹, sita sit: quid causæ est, quòd rara de huiusmodi perfectione volumina sunt edita, quodq; non passim ad hanc omnes instituuntur? Huic quæstioni supernaturali quodam modo à Deo hoc pacto responsum fuit: Rudiora quæque præcedentium amicorum meorum duntaxat scripta sunt. Nam quæ potiora sunt, vulgus hominum non capit. Deinde si passim omnibus interna illa requies & otiũ innotesceret, omni profectò exteriori exercitio ac mortificationis studio, quæ dura sunt imperfectis, posthabitis atque neglectis, ante tempus sese interioribus traderent exercitijs: vnde postmodum grauem acediam & bonorum incuriam operum incursuri essent. Quotquot enim nunc temporis viuunt, omnes ferè quæ sua sunt quærunt in omnibus: potissimè verò commoditatem suam, idq; iam multo magis, quàm vllis retro temporibus.

Cur de mortificatione spirituali pauci scripserint.

Quomodo nocte ac die exerceri debeamus, vt Deus intra nos nasci, atque per nos operari queat. Et de quinque donis Dei, & sex alis Seraphim.

CAPVT XXXIII.



VISQVIS ad hoc pertingere volet, vt Deus in ipso sine cessatione nascatur, sicut in illa æternitate à cælesti Patre suo gignitur, tali se præparatione ad hoc coaptare debebit: Interioris exteriorisq; hominis sui indefesso studio curam geret perpetuam, ipsumq; exteriorem hominem cum externis sensibus, corporeis viribus, ac naturæ suæ oblectationibus, quas illa quærit in cibo vel potu, siuè somno, in sedendo siue iacendo, siue qualibet sensuali voluptate vel societate, quam nulla comitatur necessitas, quorumcunq; etiam sit illa, fratrum, aut sororũ, aut aliâs sanguine iunctorũ, omnino prosternet, deijciet, extinguet. Similiter prauos mores & consuetudines suas pessundabit, omnemq; externam naturæ sensuumve abijciet curam seu solicitudinem, omnibus istis velut mortuum sese exhibendo atque ducendo, sicut Apostolus ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Porrò interiorem hominem suum supra se in Deum referet dirigetq;, neque ad dexteram, neque ad sinistram

Quid, nasci in se Deum volenti, agendum.

Col. 1.

Phil. 3. respiciens, quo cum Apostolo dicere possit ex sententia: *Quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum persequor.* Semperq; in Deum Deiq; beneplacitum cum vniuersis viribus, omniqúe mente sua, supra omnem modum in profunda subiectaq; suijpsius humiliatione erectus erit: seq; velut Domini pedibus prostratum reputans, neque ad dona illius, neq; ad omnia illa, quæ ex ipso queant procedere, neq; ad modos vllos, sed purè ac nudè ad Deum suos diriget obtutus, adeò, vt si vel omnia dona sua Deus illi infundere velit, suo semper nudo meroq; inhæreat nihilo, hoc solum iugiter dicens: O Domine Deus meus, nihil omnino meum, sed te solùm tuumq; beneplacitum, & tuum quæro & intendo honorem. Huc verò nullis propriæ voluntatis conceptibus pertingi potest, sed Deum absque certo modo sequi oportet. Sæpe nanque in hoc statu, quod heri proderat, hodie officit. Vnde, sicut dixi, absque certo modo Deum sequi oportet. Quæ verò ex obedientia & debita ordinatione facienda incumbunt, vt est vel legere, vel cantare, vel preces fundere: hæc omnia ita facienda sunt, ac si non fierent, id est, breuiter ac internè. Atque idipsum etiam in cibo & somno obseruandum est. Et primo quidem somnus breuis erit. Quo absoluto, corpore simul ac mente cum pauore atque dolore sese alacriter erigat, quasi diceret: Proh dolor, etiam nunc hæc putrida mihi caro imposuit. O dulcissima, amabilissima, nobilissima abyssus, fidelissime amator ac Domine Deus meus, en iam iterum tui oblitus sum. Post hæc exurgens, cum ingenti humilitate ac tremula timidaq; strenuitate, ter quaterve veniam sumat, crucem exprimat: dehinc cum vniuersis viribus ac sensibus, totaqúe facultate ac virtute sua, sese supra se eleuet, multaqúe cum alacritate & viribus extensis in diuinam se abyssum recipiat. Quod autem ad corporis situm attinet, eum modum obseruet, quo magis se in Deum promoueri sentit, vt si sedendo magis quàm vel stando vel genuflectendo adiuuatur, (quod probari facile potest) sessionem potius eligat. Denique qui hoc pacto Deo vnitur in spiritu, non est quod timeat hic se aliquid negligere, dum interim suas priuatas preces, vnitiones & exercitia, quamlibet circa imagines sanctas, postponit. Qua enim ratione exercitia cuncta melius in suo præcipuo vigore conseruari possent, quam illum apprehendendo finem, ad quem tendunt ac referuntur omnia, quemqúe omnia pro scopo habent, à quo iam cum beatis omnibus obtento, cuncta reflecti oportet? Ad huius verò exercitij actum, tres noctis horæ sunt eligendæ, in quibus ipsum speciali cum feruore ac deuotione renouandum est. Prima hora erit vesperi post Completorium: Secunda, media nocte: Tertia, in crepusculo ante solis ortum. In his singulari studio ac diligentia maiori nos obseruabimus, sicut à Domino monemur, dicente: *Vigilate ergo. Nescitis enim quando Dominus veniat: serò, an media nocte, an gallicantu, an manè.* Nec dubium, quin si ita egerimus, magnificè quandoque veniat ad nos Dominus DEVS, à quo id summopere petendum est, vt diuinum opus suum, quod in Sanctis suis agere consueuit, supremo in nobis modo perficiat. Huic verò diuino operi, ne qua id à nobis ratione præpediatur, locus, tempus, otium, spatium tribuenda sunt. In alijs autem operibus, quæ per diem agenda sunt, amorosa adspiratione ac desiderio huc cordis oculus est retorquendus, vt in ipso fundo nostro nihil omninò, nisi solus Deus, intendatur: & si fortè sensualitas alio tendere, aut aliud quærere vel sentire volet, inde citius

Deum sequi oportere.

Sua cuiq; officia qui peragenda.

Quis contemplantem deceat in raptu situs.

Contemplationi quod maximè cōgruat tēpus.

Mar. 13.

Quid cuique interdiu agendum.

citius est retrahenda, donec per internum pædagogum suum, ipsam videlicet rationem, temperatior moderatiorq́ reddatur. In quolibet etiam opere, verbo, ac exercitio, vel breui spatio ad interiora redeundum est: videndumq́, si opus illud, aut verbum, aut exercitium intus permittatur, si vel omittere vel exequi liceat: ac deinde, quæ hac ratione fiunt vel omittuntur, copia videlicet vel licentia intus obtenta, Deo placere omnino confidere licet. Inter comedendum verò quilibet morsus ea ad minus intentione sumendus est, vt desideremus etiam simul cum quolibet morsu de manu Patris æterni dignissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipere, nec delectatio vlla, sed pura necessitas ac naturæ sustentatio in cibo potuq́ requirēda est, ipsumq́ dulcissimum nomen Iesu simul cum ipso in cibo in fundum animæ est intro trahendum, atque dicendum: O amabilis atque dulcissime sanguis Domini mei Iesu Christi, qui ex vehementissimo amoris incendio effusus es, meo (obsecro) duro ac arenti fundo illabere, qui heu omni magis vigore destitutus est, quàm vel ipsa caro cibo corporeo. Atque huiuscemodi adspirationibus inter prandendum, interioris potius hominis semper victuri, quàm putridæ carnis citò perituræ, recreationi refectioniq́ studendum est. Sanè quisquis hunc viuendi modum re ipsa seruauerit, si desiderat, si ex corde desiderat, sentiet intra se diuinam illam generationem, de qua prædiximus: specialiter autem quinque à Deo dona percipiet. Primum est, exterioris corruptibilis hominis neglectus, ac omnis corporeæ commoditatis, sensuum, rerumq́ue labentium oblectationum incuria atque contemptus, ita vt nulla ipsi prorsus honoris vel commodi temporalis, cibi potusve lautioris, blanditiarùmve corporis, fauoris aut inuidiæ amoris vel odij, laudis vel vituperij, muneris vel subtractionis cura sit, dicatq́ cum Apostolo: *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Secundum est, quod momentis singulis Deo in suo spiritu magis appropinquabit, fietq́ præsentior, quàm vlla res corporea sensibus præsens esse queat: paratusq́ efficietur absque cessatione, quoties vel spiritum attrahit, seipsum cum scientia & experimento recenter exhibere & erigere in Deum. Tertium est, quòd veram in hoc seculo pacem obtinebit, ac illius pacis æternæ, qua perpetuò fruiturus est, degustationem quandam habere merebitur, hancq́ tanta possidebit authoritate, vt nemo eam sibi præripere possit: adeò, vt si vel omnia destruantur aut pereant, moriantur aut viuant, in suo semper fundo tranquillus sit perseueraturus, eo quòd simul cum his omnibus intus in fundo suo diuinæ se voluntati immerget, quæ dum ei quàm optimè placebit, hoc ipso pacem consequetur veram in omnibus. Quartum est vera similiter in cunctis foris vel intus ipsi necessarijs discretio, tamque copiosa illuminatio, vt impulsus omnes, motus ac propensiones interiores exterioresq́ vnde veniant, è spiritu scilicet, an ex natura, facile sit intellecturus. Aliæ quoque puræ discretiones & occultæ veritates, in ipsum & extra ipsum radiantes, ei manifestabuntur. Quintum est, quod Deus Pater æternus sine cessatione æternam in ipso generationem suam perficiet, generationem, inquam, illius æterni Verbi sui, quod in sua gignit æternitate, nec plus nec minus hic, quàm ibi. In hac generatione spiritus illius in seipso mutationem quandam, eleuationem, exaltationemq́ue suijpsius in singularem quietæ æternitatis præsentiam, & creaturarum labentiumq́ue rerum decessum experietur. Quæcunque enim ex hac natiuitate non exeunt, neque in eam reuertuntur, desipere illi incipient, omniaq́ in ipso iuxta

Edendo quid cogitandum.

Quæ quidoque dona quis à Deo percipiat.

I.

Philip. 3.

II.

III.

IV.

V.

hanc generationem æternam & fundum illius mutabuntur, omnisque multiplicitas redigetur ad vnum. Sanè hæc ipsa, de qua loquimur, via etiam in Esaia designatur, vbi sanctus ille Propheta duos *Seraphim* vidit, *sex* alas habentes, & alterum audiuit clamare *ad alterum*: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituũ.* Seraphim quippe ardentes interpretantur, & animam sanctã diuinitatis amore succensam significant, quam nimirum sex alis præditam esse oportet. Prima est, quod mundum hunc & omnes illius concupiscentias despiciet & habebit exosas, Christo dicente: *Nemo potest duobus dominis seruire*, diuersa præcipientibus: nec Deo simul & mundo huic famulari, cùm nimium sibi inuicem repugnent. Secunda est, quòd æterna & bona perpetua fortiter amabit, & patriam cœlestem supernaque gaudia sæpius cum gustu quodam interno contemplabitur, ita vt *conuersatio* illius, iuxta Apostoli sententiam, *in cælis* sit. Tertia est, quòd seipsum exiens, & intus ac foris resignans, abnegansque, in nullo prorsus vel se, vel aliquid suum retinebit, memor illius Dominici præcepti: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Quarta est, quòd tota animi intentione puritati vbique conscientiæ dabit operam, hoc potissimum curans, vt liberam semper, immaculatam, nullisque erroribus implicitam ac inuolutam conscientiam habeat, assidueque noua ad Deum principium suum conuersione sese renouabit. Quinta est, quòd rationabili studio gratissimæ Dei voluntatis infatigabiliter curam habens, illi momentis ac horis omnibus, dum intus admoneri se senserit, satisfacere conabitur. Sexta est, quòd ardentissimo semper affectu ab omnibus rebus caducis ac transitorijs, à patre, matre, fratribus, sororibus, atque ipso corpore suo, quod velut pro carcere habebit, absolui cupiet, & desiderio Christum videndi, ipsam quoque mortem optabit, quo cum Apostolo dicere queat: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Infelix ego homo quis me liberabit à morte corporis huius*, vt Christo valeam sociari? His sex alis amans anima, instar Seraphin illorum, quos Esaias vidisse se memorat, ad supergloriosissimæ Trinitatis continenter subuolabit solium, psallens cum eisdem, *Sanctus*, Pater in sua omnipotentia, *Sanctus* Filius in sua immensa sapientia, *Sanctus* Patris ac Filij Spiritus in bonitatis suæ ardentissimo amore. Sanè quæcunque anima sic tempus excessit, sic delectationi omni mortua est, sic exijt semetipsam, sic denique sui duntaxat Conditoris amore æstuantissimè flagrat: dubium non est, quin Seraphicis illis spiritibus consimilis fit, cum quibus simul in ipsorum admissa ordinem ac societatem, diuina semper claritate perfruetur, in amore incomparabili diuinæ fruitione gaudebit essentiæ, atque in illius dilectione in eius diuinitatem sine cessatione liquescet, & in abysso illa seipsam amittet. Quod nobis omnibus Pater æternus, Rex regum & Dominus dominantium, præstare dignetur. Amen.

Esa. 6. — Seraphim quid. — Quibus sex alis sit opus. — I. — Matth. 6. — II. — Philip. 3. — III. — Luc. 9. — IV. — V. — VI. — Philip. 1. — Rom. 7. — Esa. 6. — 1. Tim. 6.

Vt Deum in anima nostra quærere, præsentem iugiter sentire, ipsique considere debeamus. Et de mente siue fundo animæ.

CAPVT XXXIV.



QVOTIES diuina se præsentia in anima sua ita quis destitutum reperit, vt hanc minimè sentiat, non cesset, non quiescat, donec eã in mẽte sua rursum percipere mereatur. Enimuerò non parum turpe est bono

cuique

cuique homini, si vel vna saltem horula transeat, in qua Dei sui præsentiam intra se non experiatur Hoc autem vel maximè sibi turpe ducet nec quicquam ita sibi vitio verti persuasum habebit, quàm si in creaturis mortalibus vel solatium proprium, vel aliquid omnino quærat extra Deum: quem profectò dum in mente sua fixum retinet, fideliterq; conseruat, securus quolibet pergit, & agit omnia prosperè atque benè: sine hoc verò nulla vnquam securitate potietur, vbicunque etiam vel apud quoscunque fuerit. Solet interdum velut occultare sese Dominus Deus, & si tunc alia aliqua sectemur, nec illius curam habeamus, abscedit longius, præsentię suæ dulcedinem diu subtrahit, & vix vnquam consolationem infundit. Solus igitur ipse quærendus est & intendendus. Qui aliquid spectat, Deum non spectat. In ipso planè nec dona, ne gratia, nec quælibet alia desiderabilia præcipuè quærenda vel intendenda sunt: (Omnia nanque in ipso habentur, siue gratia, siue dona, siue peccati remissio, siue temporis neglecti recuperatio, si fortè vel oratio, vel exercitium, vel tempus aliquod neglectum sit, siue quælibet alia, quæ excogitari possint) sed in ipsummet ilicò nos recipiemus, atque in illius diuinum totos nos submergemus beneplacitum: ipsumque ferè sine intermissione non in cogitationibus tantum, sed & in mente continuè præsentem scire atque sentire consuescemus. Cæterùm vbi ex qualibet nostra negligentia culpam nos aliquam contrahere accidit, tum quo velocius citiusque ad Deum conuertimur, eo melius. Proinde non confessio, non oratio, non quiduis aliud præstolandum, sed ab ipso mox casu in Deum conscientia erigenda, & absque præparatione informationeque ad Deum confugiendum. sacerdoti verò opportuno confitendum tempore. Non exasperatur Deus defectibus nostris. Veniamus saltem ad ipsum cum nihilo nostro. Quo sæpius venimus, eo bonitatem illius, propriumque vilissimum nihil nostrum, melius agnoscimus. Nec verendum est, ne nimis sæpe ad ipsum redeamus. Semper enim ille nostrum acceptat reditum. Hæc vero magnum intra nos dilectionis ardorem succendere debent, quòd nos ille toties tam benignè suscipit: magnam quoque humilitatem inducere, quòd illius gratia ac repetita susceptione toties opus habemus: quodque non solum ad vitia verbis vel operibus crebrò prorumpimus, sed etiam per negligentiam ea quæ facienda sunt, modo meliori non peragimus, ac bona innumera non tantum inutiliter, sed & perniciosè negligimus. Relinquamus ergo nosipsos, & in Deo penitus ab omni propria deficiamus voluntate Dum quis quod in se est, facere studet, haud dubium quin & Deus cooperetur: & vbi natura succumbit, ibi gratia illi fert suppetias. Non impediat quemquam quòd vitiosum seu fragilem se conspicit. Ab ipsa siquidem natura & conditione, nihil esse, nihilque posse habemus: & nisi sua nos bonitate Deus incessanter conseruaret, absque dubio citò rediremus ad nihilum. Plerunque & in electissimis amicis suis aliquid semper vitij Deus residere permittit, & vt plurimū ad iram & vehementiā proniores sunt, quo & sibijpsis innotescant, & alijs, atq; per hoc gratia sua, quā illis infudit, velut ignis sub cineribus occultetur ac conseruetur. Inde est, quòd interdū quidē ita Dei abūdamus notitia, vt nihil æquè nobis ac ipsum nosse videamur: interdum verò adeo hac notitia destituimur, vt omni fatis auxilio ad Deū recuperandū opus habeamus. Id autem ex nimia dilectione permittit Deus: tuncq; nobis fides nuda multo vtilior, magisq; meritoria est. Nā quo minor experiētia atque probatio, eo fides purior. O si in huiusmodi paupertate

Quæ conuersio optima.

Ad Deum semper nobis redeundum.

Cur & in Sanctis vitij aliquid ostendatur.

tate

tate maiori quidem spe, scientia verò minori soli Deo purè inniti, atque nosipsos resignare vellemus. Et sanè dum incolumes sumus, meritò nosipsos in vera erga Deum fiducia exercere deberemus, vt dum illa potissimum necessaria est, eam velut ex vsu habeamus. In illo siquidem extremæ necessitatis articulo & plurimum confert, & securè mori facit eos, qui ad hanc sese assuefecerunt, & Deo per exercitia crebra atque continua didicerunt inniti. Et hæc multo labore parta fiduciæ virtus, longè illa communi confidentia præclarior atque vtilior est, qua & in inopia æquè, vt in abundantia, Deo confidere non audemus. Reuera autem nec in casibus asperis minus, nec in prosperis successibus magis confidere deberemus. Ambo siquidem ista, ex eadem bonitate & æquali dilectione procedunt: & qui vtraque æqualiter de manu Domini suscipere posset, tantundem in inopia haberet, quantum in abundantia: quique ex multa Dei cognitione & gustu ad quandam sterilitatem ac ignorantiam deuolutus, ad hanc ipsam sponte se resignaret, & ad alia discursus effugeret, grande ille procul dubio breui virtutis acciperet incrementum: & si seipsum ex toto in Deum submergeret, omnis quoque profectus illius, diuinus efficeretur. Porrò sicut eiusmodi perfectorum hominum profectus maior est ac mirabilior, ita & eorum negligentia perniciosior atque deploratior est. Denique quicquid ab extra in animam ingreditur, instabile fluxumq́; est: quod verò ab intus procedit, verum ac stabile est. Sanè Deus omnipotens quendam sibi specialem in anima locum præparauit ac retinuit, qui est ipsa essentia siue mens, vnde vires superiores promanant: quæ tantæ est excellentiæ, vt hanc creaturæ quælibet nec attigerint vnquam, nec vlla possint ratione contingere. Nam si eam vnquam attigissent, ad eam Conditor eius nunquam accederet. Et in ipsa Dei imago relucet, qua adeò similis est ipsi Conditori Deo, vt qui illam nôrit, istum nouerit. In hoc animæ fundo siue mente Deus præsentissimus adest, suumquê in ipsa Filium sine intermissione generat. Vbi nanque Pater adest, ibi & parere ipsum oportet, pariterq́; Filium suum: imò nos quoque tunc generat, vt simus per gratiam adoptionis filij ipsius adoptiui. Ex hoc fundo omnis hominis vita, actio, meritumquê procedit, quæ nimirum tria Deus ipse in homine operatur: & quandiu hic persistit in gratia, hæc quoque in ipso perseuerant, siue comedat, siue dormiat, siue sciat, siue nesciat, siue quodlibet aliud agat, quod tamen gratiæ non repugnet. Hanc verò natiuitatem Deique præsentiam si quis intra se sentire volet, multũque hæc in ipso fructum facere debeant, id in primis necesse erit, vt vires ad suam originem fundumq́; recurrant ac reflectantur, vbi ipsam animæ nudam essentiam contingunt, ad quam naturali quodam refluxu remeant, ibique Deum præsentem comperiunt inueniuntque. Ex hac verò reflectione vires deficiunt, & essentiales ac diuinæ quodammodo efficiuntur: vnde deinceps & opera omnia, quæ inde promanant, diuina fiunt, & ipsi fundo per quam similia. Excellentissimum verò nobilissimumquê opus est, à seipso deficere; seipsum abnegare ac resignare, & abstrahere se ab omni hoc vel illo, id est, ab omnibus quæ Deus non sunt. Et nullum opus vtilius est, quod æquè huic fundo conferat interiori, quam valefacere omnibus, quæ per sensus diuiduntur, caducaq́; ac transitoria sunt. Sed hęc minimè adhuc sufficiunt. Oportet nanque, vt hęc omnia purè propter Deum fiant, & in ipsum tendant, ipsique inhęreant: vtq́; deuotis apud Dominum precibus instemus, quo nos vlterius ipse promoueat prouehatquê: tum quoque diligen-

Qui securè mori ardtur.

Deo in asperis perinde ac prosperis, fidendum

Dei quis in anima locus.

A seipso deficere, quale quid sit.

diligentissimè cauendum est, ne quid forinsecus animo ingeratur, quod medium aliquod efficere possit, & ne quiddam hoc vel illud fiat: quādoquidem quicquid hoc aut illud est, Deus profectò non est. Præterea vita hæc interna ferias non patitur, otium non admittit. Cæteræ quidem artes omnes, requiem interdum & cessationem petunt. Hæc verò cælestis ars atq; scientia totum hominis tempus exigit. Vbi nanque est, aut integra est, aut penitus non est. Enimuerò nullam hæc propriam quæsitionem patitur, sed solum Deum purè vult intendi, qui in rebus locis, atque temporibus singulis præsens adest, in minimis æquè vt in maximis, quippe qui nec augmentum suscipit, nec diminutionem, sed est *omnia in omnibus*. Vnde perspicuum est, nos in isto & ex isto & cum isto, in quolibet opere semper id quod optimum est, facere, cum nihil hîc omninò boni deficiat: quin & iucunda quædam hîc requies ac recreatio est, sicut Propheta ait: *Hæc requies mea in seculum seculi.* Sed quærat aliquis: Cùm nobis ita proprius vicinusq; sit Deus, tamq; intra nos lucidus festiuusque habitet, cur nobis ita incognitus, ita remotus est? Plana responsio: Nostræ hoc incuriæ, nostræ negligentiæ imputandum est. Pręcipuè nanque diligens & arcta nostri obseruatio huc exigitur. Cùm verò sentire istud recedit, nosque introuersi sumus, fides grandior assumenda est, eiqúe innitendum. Nec enim tam facile qualibet alia ratione in infidelitatis vitium corruere possemus, quàm dum ita destituti ac extrouersi sumus. Semper itaque primò quisque in Deum, & deinde cum Deo in seipsum sese recipere debet: & tunc solus Deus, inter ipsum & cuncta alia, medium optimum constituetur, prout ipse ait: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Omnisq̀ue conatus noster eò iure deberet tendere, vt Deus omnipotens cunctorum operum, atque adeò totius vitæ nostræ, principium, medium, ac finis esset. Pręter hęc, tria quę sequuntur diligentia multa sunt addiscenda: Primum est, vt semper ita nos geramus, ac si iam primò inchoaremus: hoc torporem profligat & ignauiam. Secundum, vt Deo iugiter familiares atque secreti simus: quod conscientię serenitatem, pacem, gaudium pręstat. Tertium, vt omnia eodem animo de manu Domini suscipiamus: hoc pacem quandam perpetuam adducit. Quilibet etiam tam crebrò, tamq̀ue studiosè Deo se resignare, offerre, dedere, cum ipsoq̀ue incipere discat, ac si deinceps nunquam horum aliquid acturus esset, & velut in quolibet opere perpetua salus pręmiumque illius consisteret. Idq̀ue vel millenis per diem vicibus facere quis potest, & semper cum omni illo quod est, incipere. Quamobrem si omne studium suum, & tempus & opera aliquis sibi perdidisse videatur, eaq̀ue minus recta esse persuasum habeat, mox absque vlla dilatione denuo incipiat, denuo se totum Deo offerat, & referat in illum tāto animi cum vigore, ac si mille deperditos annos, vnica illa cōuersione recuperaturus esset, sicut & haud dubiè facere poterit, si non desit studium & diligentia. Vnica talis conuersio si rectè fiat, centum alias excedit. Nouū autem est, quod suo ortui vicinum est: & quo vicinius, eo magis nouum. Totum verò sic integrum est, quod indiuisum est, sicut huiusmodi renouatio. Angeli sanè vnica conuersione totam suam beatitudinem assequuntur. Quod cùm nos minimè possimus, nec ea sit nostræ conuersionis operumq; nostrorum efficacia, ideo sępe nos opera nostra renouare ac iterare oportet, donec multiplicata conuersione, veram illam essentialem ad Deum conuersionem obtineamus. Semper equidem ęquè nobis vicinus est Deus, sed nos illi ob diuersa

[Margin notes: Vitam interna ferias nō pati. — 1 Cor 15. Coloss. 3. — Psal 131. — Quęstio pia. — Ioan. 15. — Tria notabilia. I. II. III. — Nouum quid sit. — Cōuersionis Angelicæ & humanę discrimen.]


media nostra semper æquè vicini non sumus. Ideoque quantum licet per media omnia ad ipsum penetrare ac niti debemus. Et reuera in quolibet opere, vbi nosipsos ex toto deserentes in Deum referimus, miro quodam modo proficere valemus, etiamsi vel minima sit cogitatio, vel precatio, vt verbi gratia, vna oratio Dominica, vel opus quodcunque quanlibet exiguum, etiam sæpius eadem intentione repetitum. Omnia hæc magis ac magis nos promouent prouehuntque. Qui artem aliquam addiscere volunt, toties ineptè, debiliter, rudíterque opus aliquod artis illius faciant oportet, donec tandem longo vsu magistri efficiantur, & artis illius habitum obtineant. Sic planè & in ista scientia fieri necesse est. Vtrum verò Deum quisque habeat, inde probari potest, si omnia illi facile sufficiant: & rebus quibuslibet quanlibet optatis, citra difficultatem pro Dei amore renuntiare atque carere possit: vt si quid illi præstetur gratum sit: sin minus æquè placeat: Si in omnibus pacem habeat, siue in campo, siue in sylua constitutus sit, siue cantetur illi, siue dicatur: solus æquè, vt comitatus: siue lene aliquid illi contingat, siue asperum, dulce vel amarum: Bona quidem omnia diligat & amet, quando & eis opus habet. Dumq́ Deum habet, omnia illi bona ac pacatissima sunt. Porrò si quis laudabilem actiuam vitam agat, inde sciri potest, si quælibet aduersa eodem animo de manu Domini suscipiat. Huc verò vel maximè facit, vt paucis quis sese immisceat, & quibus carere potest, non se implicet. Et hæc quietem adferunt copiosissimam, & quenque suipsius curam habere faciunt: deinde ex suipsius consideratione & illud obtinetur, vt libenter apud sese quis remaneat. Optimus denique modus hic est, vt nullam penitus electionem siue opinionem habeamus, adeò vt si impræsentiarum vel excellentissimi simus, ilicò vel minimi esse possimus, coq́ nos tanta cum simplicitate accommodare atque conuertere, ac si melius aliquid nunquam vel agnouissemus, vel habuissemus: & econuerso, vt ab infimis ad suprema parati simus.

Quid, an Deum quis habeat, experiare.

Optimus vitæ modus, quis sit.

De imaginibus, quas meditari, & in quibus exerceri debemus: vtque cunctis imaginibus abdicatis, ad nudam spiritûs paupertatem perueniendum sit.

CAPVT XXXV.



VAERAT forsan aliquis, vtrum omnes sint imagines abijciendæ, & nudo spiritu Deo adhærendum. Respondetur, duobus modis imagines abdicari posse, & fideliter, & noxiè. Si enim priusquam eas planè cognoscam, bonis imaginibus valefaciam, stolidè quidē ac noxiè ago. Cur hoc? Quia veritas, quæ per quanlibet mihi bonā imaginem innotuisset, cognitioni meæ subtrahitur. Quæ autem, ait aliquis, sunt vtilissimæ imagines? Primò quidem, vt quis intimo cordis cum dolore, perfectaq́ auersione, malè trāsactam, imò & præsentem malam vitam suam rectè cognoscat. Secundò, vt vitæ & institutionū Saluatoris nostri discat habere notitiā. Tertiò, vt eiusdem acerbissimam passionem ac mortem, ex ineffabili amore susceptam, quātum potest, scire conetur. Hæ planè sunt vtilissimæ imagines. Fieri quippe non potest, vt ad altiora proficiat, qui non prius has imagines sapienter percucurrerit. Quæ verò nobilissimæ sunt imagines? Primò, altissima & incomprehensibilis vnio diuinæ humanæq́ naturæ. Secundò, nobilitas, excellentia ac diuitiæ

Imagines vtilissimæ quæ.

Nobilissimæ.

diuitiæ spiritûs vel animæ humanæ. Tertiò, præstantissimum Saluatoris corpus. Hæc si bene perspiciãtur, nobilissimas esse imagines facilè constabit. Quæ denũ purissimæ, mundissimæq́ sunt imagines? Primò, trium personarum supersanctissima Trinitas. Secundò, æterna Filij ex Patre generatio, & eiusdem in eodem immansio: atq; ex vtroque, Patre scilicet & Verbo, Spiritus sancti processio atq; immansio in eisdem. Tertio, immensa maximè existens, simplicissimaq́; Diuinitatis essentia. His nimirum quatenus licet intendendo, purissimæ imagines esse comprobantur. Quod si quæratur, cur omnibus imaginibus renuntiandum sit? Respõdetur, eã ob causam, quòd non nisi via quædã sint ad nudam ad simplicem veritatem. Si ergo ad veritatẽ ipsam pertingere velim, paulatim abdicanda via est, cunctæq́; imagines recto ordine percurrendæ, vt videlicet ab infimis ad medias, & à medijs ad supremas conscendam, quo nulla me veritas subterfugiat. Inter nobilissima quippe opera, quę in hac vita fieri ab homine possint, etiã illud est, rationabiliter in diuinas imagines transformari. Cæterùm tria sunt, ex quibus aduerti potest, quando iam dictæ imagines abdicandæ sint, ne vel citius quã oportet repudientur, vel nimis diu eisdem inhæreatur. Primum est, quando quicquid vnquam auditu percepimus vel intellectu, cum tædio respicimus. Secundum, quando quicquid audimus vel intelligimus, nulla nos delectatione afficit. Tertium, cum intra nos esuriem desideriumq́; summi boni illius, quod tamen apprehendere non valemus, magis ac magis crescere sentimus, ita vt dicamus: Domine Deus meus. vltra iam procedere nequeo. Orare meum est, annuere tuum. Hęc tria quisquis in seipso deprehenderit, non solum poterit, sed & debebit eas, de quibus prædiximus, imagines sanctas, & opera rationabiliter abdicare. Sed dicat aliquis: Cui ergo spiritus inhæret, cunctis repudiatis imaginibus? Planè nulli omninò inhæret, sed totus ab omnibus nudus est. Si enim alicui inniteretur, hoc ipso imago foret. Sponte ergo amoris elegit suspendium, à quo nec absolui vnquam desiderat, nisi suus eum Conditor absoluat, sicut & Iob sanctus ait: *Suspendium elegit anima mea.* Sed quæstio hîc incidere potest., quodnam sit illud amoris patibulum, in quo anima sancta suspenditur. Istud nimirum. Est enim, quod se illi sponte offert, se ipsum illa tenuit: (hoc autem est creatura) & est aliud, quod totis illa viribus concupiscit, sed obtinere non potest: (& hoc est Dei visio fruitioque:) Huius autem patibuli funis triplici filo contexitur. Vnum est, purus diuinitatis amor. Aliud, pura diuinaque desideria. Tertium, pura ac diuina intentio. Tres quoq; huius patibuli columnæ sunt, Pater videlicet, Filius & Spiritus Sanctus. Sicut autem fur in patibulo suspensus, columnam aliquam apprehendere nequit, ita nec spiritus aliquam harum personarum, nisi sola duntaxat fide potest contingere. Et sicut furi oculi velantur, os liberum dimittitur: ita & spiritui oculi intellectuales concluduntur atque obteguntur, vt Deum sine medio videre nequeat: voluntas autem absque omni medio Dẽ amat. Denique si quæratur, quis sit verè suspensus ac pauper? Is est, qui ex corde seipsum totis viribus exercet in excellentissimo illo, quod ipsius capiat intellectus, & tamen desolatus à Deo, & à creaturis omnibus relinquitur, ita vt nihil omnino vel à Deo, vel à seipso, vel à creatis quibuslibet, solatij percipere queat: imò adeò totus deseritur, vt ad nihil penitus foris aut intus se possit conuertere. Et reuera nunquam essentiali intra se veritate frui quis poterit, nisi ita exerceatur atque probetur, vt Deo suo tam resignato ac libero careat animo,

Purissimæ.

Tria notabilia.

I.

II.

III.

Iob. 7.

Amoris crux.

Triplex filum.

Columnæ crucis quæ.


Verè suspensus quis.

animo, ficut ipſum appetere vel deſiderare. Et hoc ad omnem verè reſignatum ac liberum ſpectat hominem, vt & Deo, & ſeipſo, & creaturis omnibus carere, nulla re frui, & intus in vera ac nuda paupertate, quandiu Deo placuerit, viuere poſſit.

Vnde aduertere liceat, quando voluntas noſtra penitus mortua, & in Deum transfuſa ſit.

CAPVT XXXVI.

Voluntatis mortuę i. dicia ſex.



VM in præcedentibus de perfecta reſignatione, propriæq; voluntatis abnegatione, quæ nimirum ipſiſſima ad omnem ſanctitatem via eſt, plurima dicta ſint, iam ſex quædam ſubijciuntur, ex quibus aduertere cuique licebit, ſi voluntas ſua penitus mortua & in Deum tranfuſa ſit. Primum eſt, ſi nulli paruo vel magno pecca-
I. to conſentire velit, ſed fugiat ea, ſemperq; illis reſiſtat, ſuamq; ab eis auertat voluntatem. Nam qui iuxta propriam voluntatem viuit, abſque peccato eſſe non
II. poteſt. Secundum eſt, ſi ſe ad virtutes omnes, quæ quidem ad ipſum ſpectant, quaſque Deus ab ipſo exigit, paratum inueniat. Hoc enim à ſeipſo aliquis non
III. poteſt. Tertium eſt, ſi nullum omnino mortis vel tormentorum expauеſcat ge-
IV. nus, ſed omnia pro Dei amore ſuſtinere paratus ſit. Quartum eſt, ſi omnia illa, quæ medium aliquod inter ipſum & Deum efficiunt, ſiue ſpiritalia ſint, ſiue corporalia, deſerat abnegetque. Hoc enim Deus ipſe in homine operari debet, eique illa omnia auferre. Et hoc excellentiſſimum opus eſt, quod quidem in ho-
V. mine Deus operatur. Quintum eſt, ſi voluntas illius diuinæ conformis ſit voluntati: ſi honorem & gloriam Dei ſemper velut pro ſcopo & obiecto habeat in omnibus, quæ ipſi eueniunt: diligens in his ſemper id, quod optimum eſt, iuxta ſupremum ſui Conditoris honorem. Dum enim ſic quis afficitur, vt nihil aliud, quam Dei gloriam ac beneplacitum vbiq; præualere, proprium verò honorem ac voluntatem ſuam vbique peſſum ire atque ſuccumbere cupiat, iam in eo gloriæ lumen exortum eſt. Facile quidem dictu eſt, Opto ac deſidero, vt in me & in creaturis omnibus diuinus honor perficiatur: ſed ad hoc continuis niti exercitijs, & ipſum opere probare, id verò perquam difficile eſt, nec quiſquam omninò illud habere poteſt, niſi perfecti, qui omni propriæ quæſitioni funditus mortui, in omni euentu, in proſperis & aduerſis, in inopia & abundantia, in vita & morte immobiles eodem animo in eſſentiali ſemper veri-
VI. tate perſiſtunt. Sextum eſt, ſi ſic in eſſentiali perſiſtendo veritate, ſeipſum iugiter in occultam, cęleſtem, & incognitam Dei voluntatem introuertit, & in ea adeò ſuam amittit atque deponit voluntatem, vt omni voluntate ſuo modo penitus deſtituatur, ita vt neque bonum velit, neque malum, ſed nihil omnino, omni prorſus voluntate nudatus. Atque hic voluntatis obiectum, ipſum eſt nihilum, eo quod in illo Nunc, nudam Dei voluntam minimè cognoſcit, atque ea propter, omni voluntate depoſita, Deum intra ſe velle ſinit. Et hęc ſumma eſt voluntatis humanę cum Diuina vnio, & immerſio in eandem. Harum autem omnium cauſa potiſſima, Chriſti paſſio eſt, ad quam huiuſmodi ſe introuertit, & in ea ab omnibus extra Deum, ſeſe purgat, abluit, emundat: ſimulq; incomparabili hoc in Dominica paſſione recondito theſauro, perfectè ac integrè Deo colligatur & adſtringitur, ſicque ad ſupremum perfectionis conſcendit gradum.

Vbi

Vbi iam quicquid à Deo postulat, facile impetrare potest. In omnibus enim, quę Deus ab ipso exigit, sufficiens est illi. Vnde & Deus vicissim illi in omnibus, quæ petit, non potest non satisfacere. Diuinam siquidem voluntatem perfectè adimplenti, nihil Deus ipse negare potest. Vbi enim arca cordis bona voluntate abundat, manus summi Conditoris à munere nunquam vacua est.

Quam vtiles & frugiferi sint multo occulti Dei amici, & vt illi agnosci debeant.

CAPVT XXXVII.

SANE quotquot tales esse potuerunt, vt prædiximus, hi veri, licet occulti, sunt DEI amici, qui deuotissimis orationibus suis Christianitatem sustentant. Ingenti nanque erga peccatores quoslibet compassione mouentur, adeo vt pro illis etiam mortem subire cupiant, si eos ad Dominum reducere possent. Quid enim causæ esse putamus, quòd iustus ille iudex peccatores tamdiu sustinet, nec celerem eis vltionem infligit? Id sanè potissimum, quod homines isti mente Saluatoris vulneribus adhærentes, copiosissimam inde gratiam hauriunt & exugunt, atque cum eadem gratia in Deum refluentes, ipsum pro peccatoribus deprecantur. Sicut autem gratia eos orare, & Dei vbique voluntatem exequi compellit, ita & ipsi Deum quodammodo se exaudire, suæq; cogunt morem gerere voluntati. Et quia in veteri Testamento sub Legis rigore non tam perfectè copioseque, vt in noua Lege, Christi vulnera gratiam manabant, ideo mox vbi peccatum fuisset admissum, diuina sequebatur vltio. Nunc verò sub nouo Testamento perfectus diuinæ gratiæ effluxus est, omnia munda corda circumfluens, eaq; vera dilectione compellens, vt suo adhæreant Conditori: idq; faciendo, Deum & ipsa vicissim compellunt. O si quis tanta foret sapientia præditus, vt hos, de quibus loquimur, perfectos homines, Deiq; amicos, agnoscere, eisq; familiaris esse posset, & quicquid illi ab ipso expeterent, siue etiam imperarent, festinus impleret: faceret ille nimirum quàm rectissimè. Quicquid enim à Deo illi petunt, nullo negotio consequuntur. Sed nemo eos satis nouit, nisi qui fortè illorum similis sit, eo quòd sanctitas ipsorum videri nequeat, quippe quam velut aurum sub terra occultatum circunferunt. Vnde nulla ratione cognoscuntur ab illis, quorum corda terrenis prægrauantur rebus. Et quicquid habent, intus in animæ fundo latet: eaq; de causa, qui externus est, eos minimè cognoscit. Sanctitas quoque ipsorum omnes transcendit formas & imagines. Vnde qui res quaslibet adhuc per imagines contuentur, eos agnoscere non valent. Insuper quicquid habent, ex Christi suxêre vulneribus: nec intelligitur vita ipsorum ab illis, qui similiter inde non suxerunt. Ad hæc, quicquid habent, sine verborum strepitu in quadam purissima & tranquilla quiete possident. Vnde nesciuntur ab illis, qui adhuc impuritatis & inquietudinis vitijs laborant. Nullum præterea singularem modum habent vel exercitium: & ideo qui speciales quosdam modos sectantur, hos modi nescios ignorant. Vnde fit, vt hi reuera nobilissimi homines, indignissimi censeantur. Quod enim nescitur, nec amari potest. Denique exercitia ipsorum verba omnia transcendunt. Quamobrem qui vitam illorum ex verbis iudicare aut metiri volunt, sæpius falluntur. Magnæ proinde sapientiæ

Quorum orationibus sustentetur Christianitas.

Cur quidã excellentes homines nesciantur.

Ignorans diligi.

fuerit, homines istos plenè cognouisse. Hanc verò sapientiam non in Parisiorum Collegijs, sed CHRISTI passione discimus: ad quam quisquis intellectum suum probè conuertit, omnem illic diuinam addiscit sapientiam. Verùm licet istiusmodi Dei amici mundo sint incogniti atque despecti, eis tamen mundus ipse satis cognitus atque perspectus est, & abunde nôrunt, quibus ille peccatis iaceat irretitus, quamq; horrendum quandoq; iudicium illi immineat, nisi à suis prauitatibus conuertatur. Et hoc maximam eis compassionis materiam præbet, nec aliquid tanto eos dolore afficit, estq; hæc eorum grauissima crux & afflictio. Semper autem in quodam præsenti Nunc consistunt, & neque præteritis neque futuris inordinata cum solicitudine intendunt & occupantur: Deum verò ita in minimis, sicut in maximis, obseruant. Denique iam non sub lege seruili ex timore viuunt. Quod enim cæteri homines ceu coacti ex sanctæ Ecclesiæ agunt obedientia, hoc ipsi ex puro Dei amore, spontaneaq; resignatione, multo humilius atque maiori cum subiectione exequuntur. Huc autem paucissimi absque virium suarum consumptione pertingunt. Diuturnum quippe mortificationis studium, ipsas ossium medullas absumit. Foris autem, qui eiusmodi sunt, communibus sanctæ Ecclesiæ institutis & exercitijs incumbunt, idq; plus minúsve pro suarum virium facultate. Ipsorum actio, resignatio est: & opus ipsorum est, intus expeditum liberumq; permanere ac perpetuò obseruare Deum. Alijs quidem hominibus sese coniungunt absque imaginis impressione: amant eos sine inordinata affectione vel inhæsione: & compatiuntur absq; cura & solicitudine. Confessio ipsorum ex pura charitate fit: qualis profectò, ea quæ timori seruili mixta, de culpis fit, longe præclarior est. Dum orant, sensibus ad interiora nituntur: (*Spiritus* namque *est Deus*) solerterq; discutiunt & aduertunt, si quod sibi medium pepererint, si in vllo seipsos quærant. Tum verò lux quædam viribus supremis illabitur, per quam edocentur, Deum in ipsis essentiam, vitam, operationem esse: se verò illius duntaxat esse adoratores. Comedunt quidem & bibunt, dormiuntq; extrinsecus: sed iuxta inspirationes internas nō comedunt, sed ad Dei gloriam cibo somnoq; vtuntur, eundemq; in alijs omnibus scopum habent. Plures modos siue instituta externa, verbaq; multa non habent, ea verò quæ habent, simplicia sunt. In conuersatione honestatem sectantur, ita vt res quælibet ex ipsis sine ipsis procedant. Sensibus quieti sunt. Verùm his DEI amicis non omnibus idem est viuendi modus, sed vnus illo, alius alio modo viuit pro accidentium diuersitate. Essentiale verò centrum, interiorque fundus ipsorum, æqualis permanet. Et quidem vbi in seipsis subsistunt, ibi opinantur & putant: vbi verò in DEVM excesserunt, ibi iam opinio omnis abscedit, eo quòd veritatem ipsam iam certò sciant: nec quicquam sibi de seipsis vsurpant cum proprietate. Sed hæc dixisse sufficiat. Non enim huc verbis peruenitur, sed vita syncera, resignatione humili, & præferuida dilectione. Postremò, liberam semper introuersionem & cum Deo in vero amore expeditam vnionem retinent: in quibus multi, proh dolor, ob inanes atque superfluas res & occupationes, seipsos negligunt miserè, & damno afficiunt nunquam recuperando. Quisquis enim amorosam illam ad Deum introuersionem conuersionemq; amittit, maiorem ille breui horula Bonorum spiritalium iacturam facit, quàm si totius interim Orbis principatu deijceretur. Imò si quis etiam omnem sacram caperet Scripturam, hancq; alios doceret, atque per hoc omnes ad

Quæ quibus grauissima crux.

Ioan. 4.

Cur amicorū Dei non idem viuendi modus.

æternam reduceret beatitudinem, omnium quoque inopiæ subueniret: parum ille ex his omnibus referret emolumenti, si seipsum Deo subtraheret, atque in proprietate permaneret, atque ita sibijpsi fieret impedimento, quo minus liberè sese ad Deum introrecipere, eidemq́; penitus resignare, & ad honorem illius offerre posset, cum in hoc omnis vtique Scriptura diuinitus inspirata sit, vt viuum internumq́; Dei sacrificium & simus semper, & permaneamus. Amen. Quò Scriptura omnis data.

De præparatione ad Eucharistiæ dignam susceptionem, & quanta in ea gratia fructusq́; lateat.

CAPVT XXXVIII.



INTER omnia exercitia, quæ quidem haberi possint, nullum tam excellens, tam diuinum, tamq́; ad summum bonum consequendum, & intimam cum eodem obtinendam vnionem, certum securumque esse arbitror, quàm sæpius Dominici Corporis Sacramentum deuoto corde percipere. Vnde desiderabat quidam instrui à Deo, quis, & quando, & qua ratione ad tanta mysteria accedere deberet. Et responsum est illi à Domino, hoc pacto: Qui non habet quod suum est, & appetit quod suum non est & cui satis placent omnia quæ à me fiunt, is me, quando volet, percipere poterit. Nec expectare debet, qui eiusmodi est, donec magna sensibili deuotione perfundatur: attendat autem & diligenter obseruet, quantus erga Deum amor, quanta voluntas, quanta intentio sua sit. Planè, inquam, non multum curet quid sentiat, sed quid velit & intendat. Quisquis ergo securè accedere cupit, ante omnia munda illi à peccatis conscientia habenda est. Dehinc voluntatem & affectum illius siue desiderium, ad Deum ex toto conuerti oportet, ita vt nihil omnino nisi solum Deum & gratiam illius ex corde desideret, velit, intendat. Postremò, omnibus illis, quæ Deo displicent, cum humili voluntatis suæ in gratissimam DEI voluntatem resignatione valefaciet renuntiabitque. Hinc verò aduertere quisque potest, quam prope, quamq́; longè sit à Deo. Sentiet etiam intra sese, ex frequenti Communione & amorem ac reuerentiam erga tantum Sacramentum augeri, & timorem filialem in nullo deficere minuive. Quisquis hæc iam dicta in seipso deprehendit, ille quo sæpius accedit, eo melius: nec facilè tantam sibi gratiam subtrahi permittet. *Deliciæ* namque Dei sunt omnipotentis, *esse cum filiis hominum.* Sed & quando frigidum, pigrumq́; & absque desiderio ac deuotione erga dignissimum hunc cibum se sentit aliquis, non ideo abstinere debet, tantùm si peccati conscientia non mordeatur. Tunc enim cælesti hoc suffragio donoq́; præclarissimo magis indiget, in quo nimirum omnem sanctitatem, dilectionem, & quicquid ei necessarium est, copiosè inuenit: si cum ingenti desiderio & affectu, ab omnibus libero & expedito, soliqúe Deo applicato & vnito, ad illud accedat, ipsumq́; percipiat. Nec vsquam gratia tam copiosa ita proprie inuenitur, sicut in hoc dignissimo Sacramento, vbi omnes dispersiones sensuum & virium animæ colliguntur vniunturq́; per efficacem corporalis præsentiæ Domini nostri Iesu Christi virtutem. Et specialiter qui ad cadendum proniores sunt, eriguntur, & ad interiora reducuntur, atque à rerum temporalium expediuntur impedimentis, cælestibus inflammantur desiderijs, & per diuinam in eis inhabitationem ad diuina

Oraculũ cuidam exhibitũ.

Quid Sacramentũ sumpturo necessarium.

Prou. 8.

corro-

corroborantur: & corpus denique ipsorum per illius sacratissimum corpus reparatur renouaturquè. Adde, quod per hoc Sacramentum in DEVM transformamur, eiq; felicissima vnione connectimur, ita vt omnia illius nostra fiant, corpusq; & cor ipsius & nostrum, vnum efficiantur: sensus quoque & membra, amor, voluntas, intentio, & omnes vires nostræ, adeo in ipsum dirigantur referanturquè, vt id ipsum in cunctis animæ & corporis sentiamus viribus. Dum igitur miserijs & peccatis grauatum se quis reperit, cum humili suæ vilitatis ac nihili agnitione, ad hunc thesaurum omnibus diuitijs atq; delitijs plenum accedat: & sentiet haud dubiè in seipso, posse illum & diuitem se facere, & omnem suam inopiam abundè supplere. Accessurus autem, ita secum meditetur & dicat: O superdulcissime Domine Deus meus, en tanta est multitudo iniquitatum mearum, vt eas emendare nesciam. Vnde dilectissimum Filium tuum, qui perfectam tibi in cruce Hostiā sese exhibuit, suscipere, tibiq; pro peccatis meis offerre desidero, quo tibi pro me ille satisfaciat. Nihil enim vel in cælis vel in terris ipso tibi charius est, nec vllus omnino alius pro me tibi satisfacere potest. Cupio etiam, ô cælestis Pater, eundem dilectissimum Filium tuum suscipere, quo per illum tibi gratias ac laudes referam, exhibeamq; pro cunctis donis, gratijs, ac beneficijs tuis, mihi indigno collatis, pro quibus nullas vnquam tibi grates dignas persoluere queo. Tertiò si cum recogitet, quàm nimium procliuis sit ad malum, & tardus ad bonum, dicatque: O Pater æternæ, ecce Filium tuum charissimum: suscipere volo tibi in sacrificium, quo per ipsum hostes meos vniuersos, mundum, carnem & dæmonem, euincam superemq;. Volo præterea, ô fidelissime Pater, suscipere nunc eundem Filium tuum, quo diuitiæ illius meam inopiam suppleant, infinita bonitas ipsius meam profliget malitiam, & incomprehensibilis diuinitas eius destructam atque debilem meam restauret, impleat, perficiat humanitatem. Postremò desidero, ô superdulcissime Pater, suscipere eundem dilectissimum Filium tuum, quo me in te confirmes stabiliasq;, sicut & ipsum in cruce figi permisisti, à qua etiam recedere noluit, donec me plenissimè redimeret, tibiq; reconciliaret. Per quam illius charitatem immensam & me adiuuare digneris, vt ita tibi semper fixus inhæream, atque in te stabilis perseuerem, vt si vniuersum quoque mundum à te deficere cernerem, tamen haudquaquam à te deficere queam. Et hæc omnia fidelissime Pater, etiam pro cunctis illis desidero, pro quibus specialiter orare adstrictus sum, imò & pro hominibus vniuersis, viuis pariter atque defunctis. Post hæc iam attenta consideratione perspiciat, quantus sit Dominus ille, quem suscepturus est, & quàm sit ad hoc ipse indignus, vtpote qui potius inferni esse titio, quàm Dominum intra se Maiestatis recipere dignus foret. Cogitet etiam, vt Virgo sanctissima, dignissima Dei mater Maria, quæ peccatum nullum admiserat, expauit, quum Angelo nuntiante didicit, quòd DEI Filium conceptura esset: quomodo etiam S. Ioannes Domini Præcursor intremuit, cùm sacratissimam Domini Saluatoris humanitatem contrectare manibus, & Iordanis aqua tingere deberet. Quanto magis ergo nos miseri atque deperditi peccatores, omni qua possumus reuerentia, timore & amore, Dominum Maiestatis suscipere debemus? Qui ergo à vitijs & defectibus vniuersis erui & liberari, omni gratia & virtute decenter ornari, & in suam reduci originem appetit & affectat, ita suam instituat vitam, vt præstantissimum Dominici corporis Sacramentum crebrò sumere dignus

Quid Sacramentum accessurus dicendū.

Quid eidē postea cōsiderandum.

Luc. 1.
Matth. 3.

dignus sit, per quod tam intimè cum Deo supergloriosо vnietur, sicut guttula vna aquæ vini dolio infusa, ita quòd nec creaturæ omnes vllam inter Deum & animam illius distantiam seu distinctionem inuenire poterunt. Quòd verò talem intra sese vnionem non sentit, non id magnopere curet, sed firmam DEI verbis fidem adhibeat. Quo enim Deum minus sentit, & tamen fortius credit, eo & fides illius melior est, & à Deo copiosius remunerabitur, si modò faciat quod in se est. Planè adhuc omnibus prope nobis vera, fortis & constans fides deficit. Sed dicet aliquis: Et qua ratione magna aliqua sperare vel credere potero, qui me tam vitiosum & tot culpis obnoxium, & ad peccata pronissimum reipsa experior? Duo igitur in seipso quisque considerabit, quæ & Dominus noster Iesus Christus reuera habuit, vires scilicet superiores inferioresque. Supremæ vires Domini nostri in æternæ beatitudinis vera possessione fruitioneque iugiter versabantur: inferiores autem vires illius eodem tempore in magnis afflictionibus, multoq; cum pœnis luctamine persistebant, nec alterum horum impediebatur ab altero in suo obiecto. Ita planè & in nobis esse debebit. Enimuerò vires nostræ superiores in Deum erectæ, eique prorsus vnitæ erunt: Afflictio verò & cruciatus omnis corpori, viribus inferioribus sensibusq; relinquendus est. Spiritus, inquam, fortiter atque potenter sese erigere, & in Deum nude ac expeditè profluere debet. Nihil enim omnino eorũ ad vires inferiores pertinet, quæ viribus supremis contingunt: sed ad illas, vires scilicet inferiores ac sensus, passiones duntaxat corporis spectant: vt verbi gratia, fames, sitis, frigus, afflictio, tremor, curæ, & cætera quæ vel grata eis, vel contraria sunt. Porrò quanto pugna acerbior, tanto & victoria gloriosior. Et quo vitiorum impugnatio fortior, & tamen superatur: eo & virtus maior, Deoq; acceptior est. Si ergo præstantissimum Dominici Corporis Sacramentum dignè suscipere velimus, attendendum nobis est, vt vires nostræ superiores in Deum directæ sint, vt voluntas nostra ipsum quærat, quid in ipso amemus ac purè intendamus, & quanta demum illi fidelitate obstricti, ad ipsumq; firmati simus: idq; non iuxta hoc quod sentimus, sed ex ipso fundo. Sanè qui eiusmodi est, nunquam in hac vita Dominici corporis accipit Sacramentum, quin singularem quoque & magnam reportet gratiam: & quo sæpius accedit, eo & plus inde gratiæ adipiscitur. Imò posset hic tanta semel cum deuotione ac desiderio, taliq; intentione accedere, vt si ad infimum Angelorum Ordinem prædestinatus foret, ad secundum, imò etiam ad octauum vel nonum Chorum, proueheretur ordinareturque à Deo. Vnde si duo æquè perfecti, æquè sancti in omni vita sua sint, quorum tamen alter frequentius altero Dominici corporis Sacramentum dignè percipiat, ob hoc ipsum velut sol fulgentissimus præ illo altero perenniter erit, singulariq; & admirabili præ ipso, Deo suo vnione copulabitur. Cæterum hi præstantissimi Dominici corporis fructus, non solum in exteriori illa, sed multo magis etiam in spiritali Communione, sitientique animo, intentione ac deuotione erga ipsum dulcissimum Sacramentum siti sunt & obtinentur. Spiritaliter autem posset quis, vbicunque sit, sanus & infirmus, vel millenis vicibus in die, aut sæpius etiam, tanta cum fidelitate ipsum suscipere, quòd præ cunctis hominibus diuina gratia copiosius ditaretur. At sacramentaliter pro Ecclesiæ institutione & suo quisque desiderio percipere debet. Et si fortassis desiderio non flagrat, pro suis tamen viribus ad hoc sese coaptet præparetque, & iuxta illud

Cuius fides optima.


Quid corporis, quid spiritûs sit.

suam instituat vitam: sicque & in isto præsenti seculo veram sanctitatem, & in illo futuro perpetuam obtinebit beatitudinem. Deum namque sequi & imitari sanctitas est: ipsum verò perfectè adipisci, beatitudo est.

De duodecim magnis ac ineffabilibus donis atque gratiis, quas diuina clementia dignè Communicantibus largitur.

CAPVT XXXIX.

Author D. Eccardus Senior.



Duodecim percepti Sacramenti fructus. S. ... extingui affectum terrenæ delectationis. Phil. 3. Quinque notabilia.

NTERNVS quisque duodecim excellentes in Dominici corporis perceptione fructus obtinet, quos omne penè vulgus hominum, & multi quoque Religiosi penitus ignorant.

Primus est, quòd per virtutem illius superdignissimi Sacramenti non possibile modò, sed & facile illi sit, terrena caducaque omnia relinquere, ita vt cum Apostolo dicere queat: *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Qui enim nihil habet, nihil appetit, nec vllo indiget: ditior profectò illo est, qui licet abũdet omnibus, plura tamẽ semper concupiscit, pluribusque opus habet. Sunt autem quinque, quæ diligentius cõsiderata, caduca omnia in fastidium vertunt ac amaritudinẽ. Primum est, quòd

I. creaturarum delectatio intellectum in Dei cognitione obfuscat. Quandiu enim in rebus fluxis ac transeuntibus delectatio capitur, tamdiu cælestia & æterna neque amantur, neque cognoscuntur. Perfecti verò homines quando ex infimis loquuntur viribus, eorum supremę vires in sua veritate neutiquam impediuntur, quippe quæ supra omne tempus in æternitatem sunt assumptæ, vbi veritatem ipsam, & in hac eadem & se & omnia cognoscunt: ibi planè virium inferiorum remota distantia, & quælibet creaturæ hac ratione nec promouent aliquid, nec impediunt. Vbi verò in seipsis & cum discretione veritatem intelligunt, ibi profectò vires superiores ab inferiorum actione vel opere aliquid sustinent impedimenti. Si enim vires inferiores ordinatè quippiam agere debeant vel operari, hoc ipsum vires superiores moderari atque dirigere habent. Dum verò exteriora quæque disponunt ordinantque vires supremæ, interiora procul dubio interim dis-

II. ponere nequeunt. Secundum est, quòd rerum labentium amor Dei amorem imminuit: & quo creaturæ amplius diliguntur, eo Creator omnium minus amatur. Vnde necessarium est, vt amor quarumlibet rerum creatarum, cuius DEVS causa non est, ab anima penitus profligetur. Non enim est creatura aliqua, quæ omnem in se perfectionem habeat: dumque in vna simul omnia reperire non licet, ad aliam sese anima conuertit: nec quiescere valet, donec eò pertingat, vbi omnia in omnibus, perfectionemque omnem simul & indiuisam (quod in solo

Quomodo sancti inuocandi. Deo est) reperiat. Vnde licet Sanctos quosque inuocemus, & ipsi haud dubiè suis nos precibus apud Deum adiuuare queant non minimum, (vnus enim cum ipso & in ipso, non extra ipsum, spiritus sunt) in eis tamen ceu in vltimo fine, qui

III. solus Deus est, nequaquam requiescere fas habemus. Tertium est, quòd creaturarum delectatio vt plurimum amaritudine permixta est, quæ si foris non sentitur, intus tanto cumulatior est. Et reuera potius quisque vulnus aliquod in suo corpore,

corpore, quàm intus ob peccatum admissum reprehensionem sustinere deberet. Quartum est, quòd delectatio creaturarum in seipsa diuisa est, nec in vna simul omnis inuenitur. IV. Cultioris quippe habitûs delectatio, non eadem est, quæ cibi potusq; voluptas. Ita & in spiritalibus rebus accidit. Orationis delectatio non eadem est, quæ deuotionis. Ita planè expedit homini, vt non omnem vna aliqua creatura perfectionem contineat. Si enim omnem omnino in creaturis delectationem obtinere posset, nunquam Creatorem suum inquireret. V. Quintum est, quòd facilè tædium ingerunt creaturæ. Non enim aliqua tam iucunda, tam plena solatij est, quin si diutius ea vtaris, cùm ve inspicias, nauseam tædiumq; generet. Qui ergo liber est & absolutus ab omnibus extra Deum, felix planè & beatus est: Felix ac beatus quis. hîc quidem, in dulcissima vitæ æternæ degustatione: in illa autem cælesti patria, in totius beatitudinis fruitione nunquam finienda. Diuini sanè luminis in anima per sumptam Eucharistiam præsentia omnium transeuntium creaturarum tenebras dissoluit, dissipatq;.

II. Infundit amorem æternorũ. Secundus dignæ Communionis fructus, est æternorum profectus. Quatuor modis trahit hominem Deus. Primò, dulci bonitate, quam sapientissimè creaturis indidit, quo per hanc ipsum hominem, præcellentem vtique creaturam, ad summi boni Dei Opt. Max. cognitionem adducat alliciatque. Quibus 4 modis hominem trahat Deus. Ad ipsum enim creata omnia via quædam sunt. Vnde Sanctus quidam ait: Miraris altitudinem cæli, & latitudinem firmamenti. Sed his, ô homo, excelsior es, qui in corpore Domini omnis altitudinis excessum & omnis latitudinis ambitum suscipis, quem cæli & terra capere non possunt. 1. Secundò, trahit animam Deus æternæ felicitatis pollicitatione, sicut Apostolus ait: 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. Horum qui saltem punctum aliquod hîc in veritate sentire meretur, potest securè cum S. Augustino dicere: Quicquid in mundo est, pro nullo duco præ cælestis illius domûs amore. Tertiò trahit hominem Deus sanctis Martyribus suis. 3. Memini quandoque mihi dictum, Martyrum beatitudinem quosdam transcendisse. E quidem in sancti Spiritus dilectione aio, me excellentissimum generosissimumque Martyrum amorem amplius diligere. An aliqui non Martyres Martyres trãscendant. Quo enim causam alicuius bonã rectius quis exploratam habet, eo & abundantiori ipsum dilectione prosequitur. Et hac ratione facile crediderim, neminem sanctis Martyribus esse superiorem. Alia verò ratione, singulari quodam modo omnia transcẽdo, dum spiritus ipse supra tempus in æternitatem assumitur, attrahiturque, vbi singulari quadam vnione vnum cum Deo efficitur, ibiq; iam non nobilius aut ignobilius, sed omnia in omnibus in illo nobilissimo, cui vnitus est, in quadam æquali nobilitate cognoscit & amat. Ibi planè spiritus & seipsum excessit, & omnia, & in quadam tranquilla æternitate consistit, in qua & ipse immobilis est. Et quantum æternitatem illam cognoscit, amatque, tantum & ipse in eadem immobili æternitate æternus est. Quartò demum trahit animam Deus excellentissimo pretiosi Corporis sui dono, 4. in quo nimirum & carnem illius in cibum, & sacratissimum sanguinem in potum accipimus. Ad cuius perceptionem ipse nos hortatur, dicens: Cant 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi*, quo videlicet omnis molestiæ obliuiscamini.

III. Tertius Eucharistiæ fructus, est animæ supra omnia, quæ Deus non est, eleuatio. Eleuat animam supra om. Ipse nanque Deus animam supra omnem omnino tam corporalem quàm

nis, quæ Deus non sunt.

spiritalem, delectationem sustollit, atque in diuinitatis suæ rapit dulcedinem, quæ omnem in ipsa creaturarum delectationem extinguit. Omnia quoque, quæ in diuinæ veritatis contemplatione, ac suauitatis diuinæ fruitione ipsam impedire queant, supprimit. Vnde oportet vt ipsa cum quadam violentia ad ea exeat, quibus pro humana fragilitate carere non potest. Quanto enim spiritalia corporalibus præstantiora sunt, tanto & in his abundantiorem voluptatem atque dulcedinem experitur: Vnde & tanto maiorem vim sibi facere habet, vt quandoque à spiritalibus ad corporalia declinet: vellet enim libenter continuè huic dulcissimæ puritati immorari. Dumq; ab hac impeditur, haud secus accipit, quàm si se à paradiso & ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari. Nescio, inquam, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilius pœnalius ve ducat, quam si à spiritualis studij huius gustata semel iucunditate, & in diuinæ veritatis contemplatione experta dulcedine, impediretur. Eleuat quoque animam Deus supra omnes corporales atque labentium rerum imagines. Quandiu enim vel minimæ creaturæ imago cum delectatione animæ inhæret, tamdiu suus ei Conditor nulla ratione videtur. Porro vbi anima Deo tenera venita est, ibi nihil ei præteritum, nihil futurum est, nihil eam vel radio, vel delectatione afficit. Omnia namque in illo incommutabili Nunc, in æternitate illa, quæ Deus ipse est, habet. In hac nimirum felicissima visione & sui ipsius & omnium extra Deum obliuiscitur. Denique & supra omnem actionem interiorem exterioremq; Deus animam sustollit. Sanè dum anima supra omnia est eleuata, quicquid operatur, absque vllius, quæ ipsi contingere possit, vtilitatis intuitu, solo diuinitatis amore, nulla alia ratione ducta, perficit. Ex guū quiddam homo est, quandiu & supra seipsum, & supra omnia non eleuatur. Quanto autem altius supra cuncta anima extollitur, tanto purior efficitur ab omnibus extra Deum, eisdemqúe tanto minus permiscetur. Porrò quo meliorem puritatem assequitur, eo æternitatis splendorem, qui Deus ipse est, perfectius suscipit.

Quanto spiritalia corporalibus præstent.

Quou'q; homo exigui quiddam sit.

IV. Cōfortat spiritum ad omnia bona.

Quartus Eucharistiæ fructus, est corroboratio spiritus ad omnia bona. Siquidem primò Deus animæ memoriam ab humanis rebus auertit, eamque in spiritualibus cogitationibus tam perfectè vegetat atque confirmat, vt ad naturæ suæ obliuionem prope homo perducatur, ita vt natura sæpius agat absque scitu suo. Sed huiusmodi tunc neque peccatum illi sunt, neque meritum. Hæc autem sui obliuio, ex tribus causis originem ducit. Prima est ipsa gratia diuina. Talem etenim sui obliuionem, tanquam felicissimum diuinæ pietatis munus, nec creaturæ omnes alicui promereri possent: qui enim eiusmodi sunt, reuera non tam homines, quàm terrestres Angelos iure meritoqúe dixeris. Quodam namque modo eandem, quam & Angeli, puritatem atque munditiam habent, dum natura eorum sine scitu ipsorum operatur, & cogitationes eorum magis circa spiritalia, quàm corporalia versantur. Secunda causa est, naturæ regimen temperatum. Sicut enim ignis, quo plus materiæ habet, eo plus voracissimo ardore suo deuastat, absumit, & in se transmutat: continetur autem etiam sub cineribus ignis, ita vt parum aliquid lucis aut caloris inde habeatur: sic & natura quo moderatius regitur, eo & naturales infirmitates pauciores habet. Tertia causa est, cogitationum in rebus spiritalibus iucunda & diligens occupatio operatioqúe. Hinc adeo in bonis cogitationibus animus solidatur, vt nihil nisi bonum

Obliuio sui, quot habeat causas.

1.

2.

3.

num mente tractet, & si qua alia fortassis secum meditari vellet, sine violentia non posset. Vnde vtilissimum est, vt suas quisque cogitationes introrsum conuertere discat. Et mirum profectò est, multos tot iniquis & otiosis cogitationibus immorari posse. Quo enim hæ plures animo insederint, tanto minus perfectè veritatem cognoscit: quo verò pauciores sunt, tanto plus in rebus omnibus dilucidè percipit veritatis. Denique adeo perfectè Deus vires atque memoriam hominis in rebus confirmat cælestibus, vt prope obliuionem quandam & incuriam seu neglectum rerum omnium incurrat, & sola concupiscat cælestia & æterna.

Quæ cogitationes abrigenda.

Quintus Eucharistiæ fructus, est illuminatio intellectûs siue rationis in ipsius Dei & rerum omnium in æternitatis speculo cognitione. Hic enim intellectus siue ratio, creaturas omnes ob ideas, quas in diuina mente habent, & Deum in Deo cognoscit, vbi omnia suo quodam modo Deus sunt sine incremento vel defectu, in illa videlicet æternitate, quæ Deus ipse est. In tempore verò crescunt & decrescunt omnia. Porrò quanto res quælibet in Deo perfectius agnoscitur, tanto & perfectius in eodem amatur, tantoque plenius atque perfectius omni diuina perfectione ac beatitudine fruimur. Quantum, inquam, omnia in Deo perfectè cognoscimus, tantum in omni perfectione sumus. Et quanto hic Deum ipsum perfectius scimus & amamus, tanto & beatiores erimus hic in quadam felici prægustatione, & illic in fruitione perpetua. Eleuat hîc interim quandoque Deus animam supra seipsam, vt hoc totum capiat ex gratia, quod ipse est ex natura. Et lux diuinæ claritatis ita animam subleuat transradiatque, vt per omnem hanc vitam ex ipsa in omni sanctitate & vitæ perfectione reluceat. Et sicut lux illa visibilis in tenebris lucet, & bonis atque malis communis est: ita & eiusmodi homines communes sunt omnibus, prout quisque idoneus & aptus est illuminationem lumenque diuinum suscipere ab ipsis. Insuper lux illa diuinitatis animam non solum efficit diuinam, sed ipsa (id est, anima) fit Deus per gratiam, manens nihilo minus creatura. In illa quippe æterna ac incommutabili essentia non est nisi Deus in Deo. Postremò lux illa diuina & iucundam animam reddit, vtpote quæ in seipsa supra omnia iucundissima est, cùm sit æterna veritas illa, quæ Deus ipse est. Imò diuina lux omnium rationalium creaturarum adspectus mira voluptate afficit: & quanto hanc plenius cognoscunt, tanto & delectatio atque beatitudo earum cumulatior est. Specialiter autem anima bene reformata, in simplicis illius veritatis, quæ Deus ipse est, cognitione, maiori delectatione perfunditur.

V. Illuminat intellectum.

Quales sint diuina luce illustrati.

Sextus Eucharistiæ fructus, est diuini amoris incendium & ardor. Solus Deus est, qui dignus sit omnibus. Amat seipsum Deus propter seipsum amore diuino. Ita & anima diuinitatis amoris succensa, Deum propter Deum, & omnia similiter propter Deum & in Deo purè ac diuino quodam modo diligere debet. *Deus* reuera *charitas est*, & charitas verè Deus est. *Qui manet in charitate, in Deo* certissimè *manet, & Deus in ipso,* non tantum vt vitæ illius conseruator, (sic enim DEVS creaturarum omnium essentiam suo esse conseruat) sed & vt amicus cum amico. Amicus enim secreta sua omnia suo amico communicat. Ita & Deus electis & prædilectis amicis suis arcana sua omnia amicabiliter manifestat. Nec quicquam ita habet in sua essentia occultum, quod animæ sanctæ pro illius capacitate non reuelet, si saltem ad gratiæ suæ influxum suscipiendum ritè sit præparata:

VI. Incendit affectum.

1. Ioan. 4.

 cuius

cuius quotquot vel tenuissimum aliquid percipere merentur, & seipsos & omnia extra Deum nihilipendunt. Amicus etiam suo gaudet adesse amico. Et reuera solus Deus, stabilis perpetuusq; amicus est, qui nos *in perpetua*, vt ipse ait, *charitate* dilexit & diligit, quæ nec principium habet, neque finem, & vsque *ad seculi consummationem* nobiscum erit. Sanè præclarissimum hoc Sacramentum ingens bonis omnibus confert gaudium: & beatus planè est, qui mundo corde, conscientia secura, sæpius illud percipere studet. Hic enim per virtutem Dominici corporis in omni sanctitate & perfectione confirmatur. Anima in Deo per cognitionem & amorem habitat. Magis enim illic esse censenda est vbi amat, quam vbi animat. Amor verò, vt Gregorius ait, nunquam otiosus est: operatur etenim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. Operatur autem amor in anima cum modo & absque modo. Ipse facit hominem omnia propter Deum æquanimiter sustinere: quod tamen, si diuinam maiestatem ac dignitatem attendas, nihil est: pro cuius vtique amore deserenda omnia, omnia sufferenda sunt. Amor denique sine modo operatur. Anima nanque supra tempus in æternitatem rapitur, & illic diuino quodam modo supra tempus & supra cunctas animæ vires operatur.

Serem. 31. (margin)

Anima vbi potissimum sit. (margin)

VII. Septimus Eucharistiæ fructus, est totius beatitudinis perfectio. Sacer ille Dionysius ait, quòd sanctitas est perfectio, puritas atque libertas. Deus enim omnem in anima puritatem perfectionemq; operatur, ita vt ipsa sic purificata atque perfecta, nullius omnino creaturæ admixtionem siue inhæsionem sustinere queat. Exempli gratia: Pura aqua est, cui nihil aliud admixtum est. Si vinum illi admisceatur, iam pura non est: nec potest vini præstantia suam aquæ conseruare puritatem. Sic & animam ab omni, tam spiritali quam corporali, creatura mundam & impermixtam esse, necessum est. Imò & in felicissima illa hora, qua superpurissimus Deus animam cum vniuersis viribus eius in se rapit & vnit, omnes quoque Angelos & Sanctos cedere, & in obliuionem abire oportet. Hæc verò felix hora in hoc exilio diu durare non potest. In hoc lucidissimo speculo rerum imagines quàm optimè cognoscuntur. Speculum autem æternitatis Patris, est intellectus, in quo suam ipse imaginem exprimit, quæ est Verbum siue Filius eius. In hac porrò imagine, id est, in Filio Dei, omnium rerum imagines seu ideæ continentur & agnoscuntur. Id autem supernaturali quadam ratione fit. Ibi nanque non est nisi Deus in Deo. Secundò, æterna illa libertate, quæ ipse est, liberat animam Deus ab omni proprietate. Non enim quiescere potest anima, donec omnia extra Deum penetret deseratque, & in quandam diuinam perueniat libertatem: vbi eadem ipsa libertate, diuina absque impedimento perfruatur. Et hoc fieri potest, quatenus ipsa æterna est in illa immobili æternitate, quæ Deus ipse est. Liberum autem id appello, quod nulli inhæret, neque adstringitur, & cui nihil extra Deum adhæret, siue obstrictum est. Ea ergo perfectè libera est anima, quæ omnia extra Deum transcendit. Hæc enim nulli creaturæ, imò nec sibiipsi, cum affectione inhæret: sed creata omnia continuò à se remittit ad Deum, qui solus omni amore dignissimus est. Prætereà perficit quoque Deus animam diuina similitudine sua, quæ est ipse Filius eius, Dominus noster Iesus Christus. Quo ergo hanc Dei similitudinem, Dominum videlicet Iesum Christum, anima frequentius suscipit, eo & omnipotenti Deo in omni perfectione fit similior. Est autem anima nobilissima in illa

Dat perfectam puritatem & libertatem. (margin)

Liberum quid. Perfecta animæ libertas (margin)

tranquilla vnitate vbi nullam omnino Dei vel rerum diuinarum similitudinem, nullam perfectionem, neque bonum, neque melius, neque optimum habet: quippe qui omnem in Deo amisit distinctionem. Ibi iam non efficitur, sed est omninò perfecta in summa illa perfectione, quæ Deus ipse est.

Octauus Eucharistiæ fructus, est omnium thesaurus diuitiarum. Ditat enim animam Deus sapientiæ dono siue thesauro: quam quidem sapientiam in hoc animæ largitur, ne quoquo modo faciat, quod eam postea pœniteat admisisse. Est autem sapientia in Deo, qua seipsum idem ille in illa cognoscit luce, quæ nulli est creaturæ accessibilis. Anima verò quantum diuinæ cognitionis & amoris habet, tantum & ipsa Deo, & Deus ipsi vnitur: nec plus, nec minus. Et ipsa non solùm in illa diuini amoris vnione Deus est ex gratia cum Deo, sed & Deus est in Deo per gratiam. Quod tamen sanè intelligendum est. Certè cuius sapientia ipsa habitatrix est, is velut hospitium est omnipotentis Dei, in quo idem ipse commoratur. Diligit enim Deus eum, quem sapientia inhabitat, & illius desiderijs satisfacit, cùm sit ipse sapientia. Agnoscit enim & amat seipsum Deus in omnibus. Et hæc sapientia in omnibus commendatur, quippe quæ non solùm totius fons beatitudinis, sed ipsa quoque beatitudo est. Nec potest Deus maius aliquid hac sapientia homini largiri, cùm sit ipsa summum gaudium, summaqúe beatitudo supersanctissimæ Trinitatis, qua eadem perenniter fruitur. Omnes quidem hanc sapientiam naturaliter appetunt, sed pauci eam in veritate vel ad mométum, imò vel minori spatio, si quod tale dari possit, percipiunt. Si enim alicui etiam breuiori quàm sit momentum, spatio sapientia ipsa præstaretur, totam ille procul dubio sapientiam obtineret, quippe quæ nec plus, nec minus aliquid sibi reseruauit. Sed & in seipsa est, & in omnibus illis, quibus sese manifestat. Ipse nanque Deus sapientia est. Et quantum eam cognoscimus, tantum, & non plus, nec minus, de Deo habemus. Habemus autem ibi & Deum in Deo, & nos similiter in Deo.

VIII. Dat, thesaurum diuinæ sapientię, & opulentię

IX. Dat perpetuam lætitiam conscientiæ.

Nonus Eucharistiæ fructus, est animę continua exultatio. *Secura mens atque conscientia* (ait Sapiens) *quasi iuge conuiuium*. Munda nanque conscientia nulli creaturæ permixta, plenum cordi gaudium præstat. Hanc quisquis habet, in commodis & incommodis, in prosperis & aduersis æquè lætatur, & interiora illius in Deo viuo magnifice exultant: adeoqúe certus atque securus est, quicquid sibi aduersitatis occurrerit, in perpetuam quandoque pacem æternaliter conuertendum: imò & ineffabile illud gaudium, quo in vita beata perpetuò securus perfruitur, quadam hîc ex parte degustat: quæ quidem degustatio quanto maior atque crebrior fuerit, tanto & beatitudo illius cumulatior erit: quoqúe hic perfectioris fuerit cordis, eo & in præsenti, & in futuro seculo omni diuinitatis perfectione, certum est, copiosius ęternaliter perfruiturum. Sanè si vel quicquid vnquam gaudij creaturis omnibus collatum est à Deo, in vnum conflaretur, nihil penitus esset in comparatione minimi gaudij illius, quod in hac vitę ęternę degustatione percipitur. Porrò tunc ad optimum quis statum peruenit, & in præstantissimo illo bono, quod Deus ipse est, habet quàm optimè, cum se in illa incommutabili vita, quę similiter Deus ipse est, certus & securus est esse, eiqúe in totius perfectionis supremo omnimodis, quatenus ei possibile est, conformatur, similisqúe efficitur. Et hęc perpetua continuaqúe felicitas, bonis quibusque

iugiter

iugiter præsto est, & in lingua ipsorum Maiestas Dei nostri velut fauus mellis,& in auribus eorum tanquam suauissimus chordarum concentus,& in cordibus ac animabus eorum,gaudium ineffabile & iubilus inenarrabilis est. Excellentem & inexcogitabilem perfectionem,stupendumq; gaudium illud,quod anima mũda ex felicissima Dei Opt. Max. in Sacramento præsentia habet,creaturæ omnes nec ad momentum prçstare vel exhibere re ipsa possent.

Nota.

X. Decimus Eucharistiæ fructus,est felix certitudo siue securitas. Triplex certitudo est. Prima est in fide. Credimus enim ea,quæ sensibus nostris minimè sunt explorata. Inde verò bonus quisque securus & certus est, per virtutem veritatis illius,quæ est in sancta fide. *Credenti nimirum omnia possibilia sunt:* & iuxta suam quisque fidem in orationibus suis exauditur. Omnia profectò mira illa signa atque portenta,quæ Sancti fecisse leguntur,in fidei virtute eos fecisse certissimum est. Sed Saluator noster omnia signa sua per veritatis efficaciam, quæ quidem *veritas* ipse est, faciebat. Quantum de virtute & efficacia fidei habemus, tantum etiam in fidei virtute operamur:& quantum in nobis veritatis est,tot etiam in veritatis virtute opera agimus. Alia certitudo est in vera futurorum in spiritu reuelatione. Inuenire quosdam est, quibus rarò aliquid accidat,quin prius illud in spiritûs reuelatione præuiderint. Bonum hoc vtique est,sed optimum non est. Rerum enim illarum imagines,inter ipsos & Deum,medium quoddam efficiũt. Tertia certitudo, est vitæ æternæ & felicitatis illius, qua creaturæ omnes rationales in illa beatitudine,quæ & sibijpsi & creaturis omnibus Deus ipse est,perpetuò felicissimè perfruentur. Et hæc certitudo in suprema Dei cognitione, dilectione & vnione prçstatur: quam qui obtinere potuerunt, fidenter cum Apostolo dicere queunt: *Certus sum,quod neque mors,neque vita,nec aliud quodcunque separabit me à charitate Dei.* Hoc autem felicissimum donum nemo ex se digne promereri potest:imò nec omnium simul hominum merita ex se vel vni illud impetrare sufficiunt. Nec datur illud, nisi his quos ad hoc ab æterno Deus elegit, qui & à seipsis & ab omnibus liberi sunt & expediti. Hîc quidem inchoatur, & in cuncta perseuerat secula.

Certitudo triplex, quam dat hoc sacramentum. 1 Marc. 9. Ioan. 14. 2 3 Rom. 8.

XI. Vndecimus Eucharistiæ fructus,est perfecta pax, quæ hîc in electis incipit,& perenniter perdurabit. Bonus quisque triplicem pacem meritò habere deberet. Prima est cum proximo. Nunquam enim pacem cum Deo habebit,nisi,quantum in ipso est,pacem cum proximo habeat. Ipse Dominus & Creator omnium tantam cum discipulis suis pacem & concordiam sectabatur, vt nihil magis optarent, quàm vt illi perpetuò commorari possent. Hoc exemplo adductus, sic quisque viuere curabit, vt quotquot ei conuiuunt, de illius contubernio sibi gratulentur. Porrò licet istud non possit non esse bonum, reuera tamen parum est, cum sui similibus pacem seruare integram. Similitudo enim, pacis causa est. Cum dissimilibus verò atque contrarijs pacem colere, cùm nulla hîc, præter solum diuinitatis amorem, pacis causa sit, nullo dubitante, multo prçclarius atque prçstantius est. Alia pax est mundæ conscientiæ,quæ pace quadam perpetua intus & foris gaudet. Est autem munda conscientia,quando Deus & homo sibi mutuò iunguntur atque concordant. Duo verò sunt, quæ conscientiæ pacem & quietem tuentur. Primum est perpetua fuga omnium illorum,quç Deo & conscientiæ repugnant,siue magna sint, siue parua. Secundum est continua quædam omnium illorum exercitatio & vsus, quæ ad Dei laudem

Pax triplex & perfecta hic datur. 1 2 Duo conscientiç pacem tuentur. 1 2

laudem, sanctæ Ecclesiæ & proximorum vtilitatem, spectant, idque pro cuiuslibet vocatione, statu & ordine. Quicquid enim suo modo & ordine fit, laudabile profectò est. Nec vnquam opus aliquod, licet minimum, suo modo & ordine perficitur, quin & foris & intus requiem præstet, siue hoc sentiatur, siue non. Tertia pax, est perfecta pax à quibuscunque vitijs & culpis, hanc habet, quisquis nec nocere alijs, nec damnum ab alijs suscipere potest. Et hac ratione nemo pacem hanc, nisi solus Deus, habet: cui quanto per imitationem quis similior fuerit, tanto amplius per gratiam obtinebit, quod Deus per naturam possidet: & eo ipso perenniter in illa pace, quæ Deus est, felicissimè perfruetur.

Laudabile quid sit.

3

XII.

Duodecimus, idemqúe postremus Eucharistię fructus, est vnio inseparabilis cum Deo. In hac admirabili vnione omnis diuinæ perfectionis anima particeps est: tamqùe perfectè omnis illius perfectionis, quæ Deus ipse est, suprema virtute repletur, vt nullius omninò rei capiatur desiderio: habens nimirum in illa felicissima vnione quicquid vult, Deum videlicet ipsum & omnia supremamqúe perfectionem suam supra modum & tempus in illa æternitate, quę Deus ipse est. Hæc vnio animæ cum Deo, felix quędam degustatio est omnis illius beatitudinis, qua ipsa perpetuò supra modum & tempus in illa beatitudine & vnione, quę Deus ipse est, perfruetur: habetqùe omnem illam perfectionem, qua creaturę omnes rationales sine fine in beata illa ęternitate, quę Deus est, perfruiturę creduntur. Denique & degustationem quandam in tempore gratię habet, quę inchoatio est diuinę illius vnionis, qua ipsa perenniter Deo Opt. Max. in ęternitate illa, quę idem ipse est, felicissimè copulabitur. Itaque nec omnes simul mortales, verbo vel scripto vtilitatem, fructum atque beatitudinem illam, quę anima sancta ex Dominici corporis digna perceptione consequitur, plenè atque perfectè exprimere possent.

Inseparabilem cũ Deo dat vnionem.

Vt verò supradictos Eucharistię fructus diuina nobis misericordia prętare velit, ante & post Communionem deuotissimè est obsecrandus. Amen.


(?.?)

SVBLIMIS ET ILLVMINATI THEOLOGI D. IOANNIS THAVLERI EPISTOLAE ALIQVOT, QVAS ILLE SPIRITVALIBVS AMICIS ATQVE Filijs suis scripsit: mentem vbertim illustrantes, & puro diuinitatis amore impendio succendentes.

Omnium illorum, qui iuxta gratissimam Dei voluntatem suam vitam instituere, eiusque gratiam sine impedimento suscipere volunt, institutio vtilissima secundum perfectam atque viuam sacræ scripturæ veritatem, sicut illa in Sanctis & bonis omnibus lucet, in perfecta imitatione Domini nostri Iesu Christi.

Vt in Cœnobio spiritualiter ac religiosè viuendum sit.

EPISTOLA I.



IN Christo Iesu, & in perrenni dilectione ipsius saluere vos iubeo omnes diuinitatis amore succensos, qui Domino Deo vestro, non solum iuxta præcepta, sed & secũdùm fidelissima consilia eius, militare statuistis: spectatim verò, qui in sanctis congregationibus agitis, & alij quique pauperes ac desolati. Vos inquam, omnes tota strenuitate ea quæ sequuntur, attendere, & attendendo moribus exprimere curabitis. Sic enim & Deo laudabiliter, & vobisipsis vtiliter viuetis. Primò itaque scire & admonitos vos esse velim spiritus malignos religiosis congregationibus atque personis plusquam mundo vniuerso periculosos admodum laqueos tendere & insidias moliri, non solùm, vt eos in capitalia præcipitent vitia, sed etiam vt eos ad quandam exteriorem virtutum omnium & internæ ac spiritalis vitæ, iuxta verum diuinitatis amorem ducendæ, incuriam & neglectum adducant. Vnde nõ rarò in plura grauia crassaque peccata labuntur, quæ etiam ad mortem vsque ab eis cum vera contritione minimè agnoscuntur. Cùmque ex eleemosynis viuant, & domus congregationum Deo dicatarum hoc pacto occupent, grauissima deinde tormenta subire coguntur: præstaretque eos nomen & habitum religionis nunquã suscepisse. Nunc igitur me explicante, attendat, oro, dilectio vestra, quibus institutis sancta quæque congregratio moderanda sit, vt in Dei voluntate persistat. Primò in hoc omni cum conatu, qui simul degunt, operã dabunt, vt inter se pacis, amoris & concordiæ iura inuiolabiliter obseruent: nec vlli omnino permittẽt, vt extra Monasterium suum deuagetur, aut alicui extraneo familiarior fit, vnde cor illius inordinatis fortè imaginibus, quas ei vel amor stolidus, vel tẽporis inanis deductio parturiret, depingi possit. Et hoc ipsum, etiam intra Monasterij septa seruandum est. Et si fortassis hac in parte aliquis, vel infirmus vel reus fuerit, id intra congregationis parietes benignè pieque corrigendum & emendandum est: tamque ab omnibus fideli silentio tegendum, vt ad nullius perferatur notitiam, qui inde scandali materiam sumere posset. Dehinc tota strenuitate

Quibus potissimũ diabolus insidientur.

Nota.

Quomodo domus religiosæ moderandæ.

tate septimum illud Domini Saluatoris de verborum simplicitate, vt nihil præter *Non & Ita* loquantur, consilium obseruabunt: nulloqùe non tempore, præsente Conuentu, ita silentij sui cultores erunt, vt nihil penitus loquantur, nisi verba duntaxat purè necessaria, quæ tunc in aurem secretius dicentur, & nisi fortè cum licentia de Deo verba faciant, aut boni quippiam Conuentui legant in vnum congregato. Et tunc nemo alius iniussu Superioris, aut non impetrata prius copia, loqui præsumet. Certissimum est enim, linguam indomitam & infrænem maxima religiosis ac spiritalibus hominibus damna infligere, quæ nec intellectu valeant apprehendi vel æstimari, sicut D. Iacobus ait: *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Præterea nemo alium in cibo & potu vel somno, vel si magnis corporalibus exercitijs foris non perinde inhæreat, sicut ab Apostolo docemur, iudicabit: nisi fortè robusto quis & iuuenili sit corpore præditus, cui benignè vel (si res postulat) etiam seriò monendus est, vt corporalibus occupetur exercitijs, & corpus suum, cum vera tamen discretione, moderatè castiget, & in seruitutem redigat: cumque paulatim ex diuina gratia internę ac spiritales in ipso exercitationes oriri cœperint, tantum de corporalibus exercitijs retinebit, quantum aduertere poterit interna illa ac spiritalia poscere exercitia ad profectum suum: discetque, fundum, intentionem, & amorem suum intus in Deum, cum perfecta sui nihili agnitione leuare. Ex hac porrò sui cognitione, seipsum non tantum Deo & superioribus suis, sed & creaturis omnibus submittet ac resignabit. Cęterùm primus internarum exercitationum gradus, est suijpsius & malè transactæ vitę humilis agnitio, & coram Deo accusatio lugubris & dolorosa, absque tamen de diuina gratia & misericordia desperatione pestifera. His tandiu immorari quisque debet, donec eam de Deo fiduciam concepisse se sentiat, vt hunc sua sibi peccata remissurum maximè speret. Vtilius est eiusmodi exercitium nouiter conuersis & incipientibus, quàm alię quęlibet orationes & exercitia, quæ sine isto peragere possent. Attamen ab incipiente sano atque robusto exteriores quoque corporis exercitationes castigationesqúe, discretas tamen, & quatenus interna promouent exercitia, eisqúe conferunt, Deus exigit atque requirit. Ab incipiente verò prouectioris ætatis, aut infirmo, iam dictum internũ poscit exercitium, ac præter hoc vt ægritudinis molestiam & quicquid afflictionis ei Deus euenire permiserit, sponte patienterq; de manu illius suscipiat perferatqúe: necnon vt in silentio & abstractè, sine otiosa temporis deductione, vitam transigat. Et hæc omnia, ex Dei voluntate cunctis facienda incumbunt, qui vitæ beatæ cupiũt esse hęredes. Sanè quotquot huic perutili institutioni morem gerunt, eamq; sequuntur, eis lux quædam supernaturalis à Deo infunditur, in qua ab eodem vitiorum & virtutum edocentur discretionem, & amabile Domini Saluatoris exemplar siue imago, passiuè & actiuè eis summa cum vtilitate proponitur, exigitq; Deus ab eis, vt cum perfecta suijpsorum abnegatione resignationeq;, benignissimum Redemptorem suum Dominum Iesum Christum per illius humanitatem in diuinitatem vsq; sequantur. Reuera, quicunq; nomen & habitum religionis circunferunt, nec tamen per hanc gradiuntur viam, seipsos decipiunt, & omnis vita eorũ falsissima est. Ad hæc, qui in sanctis agunt cõgregationibus, nec seipsos, nec alios vocali orationi, per quam interior ipsorum deuotio turbari posset, moderatius adstringere debẽt: nec iudicabit quisquam aliũ, siue multum

Matt. 5.
Iacob. 1.
Rom. 14.
1. Cor. 9.

ille siue parum oret extrinsecus, nisi fortè talis esset, qui nec strennitatem aut feruorem vllum haberet, nec eundem postularet à Deo. Hunc enim præstat sæpius orationi vocali insistere. Porrò infirmis omni cum diligentia haud secus inseruiendum est, quàm ipsi Domino Saluatori, cùm dicat ipse: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Vnde etiam fides eis adhibenda est, Augustino dicente, quòd cùm seruus Dei dolore vel ægritudine se affectum asserit, indubiè illi credendum sit. Cæterùm fit nonnunquam, vt aliqui intimè ac perquàm seriò cum amore preferuido ad Deum conuertantur, & singulari quadam ratione moueantur à Deo: ex quibus alij ita diuinæ gratię perfunduntur opulentia, vt sese cõtinere non possint, quin diuersis ac insolitis ea erumpat gestibus: quod tamen sæpenumerò & ex naturæ debilitate quibusdam vsuuenire solet. Et hoc alij fratres siue sorores benignè capient, & æquanimiter ferent: cælabuntqúe id extraneos, nec passim eos in publicum prodire vel templum accedere sinent, si huiusmodi eruptiones comprimere nesciant. Quòd si frequenti Communione opus habeant, libenter & occultè Dominicum corpus eis tradendum est. Nonnulli etiam singulari quodam modo in quadam tranquillitate siue silentio mouentur: & contingit eis interdum copiosè hæc gratia cum insolito motu in æde sacra: qui si, dum alij abscedunt, eos absque præsentis gratiæ offensione amissionéve sequi valent, recedant cum discedentibus, domiqúe secum maneant, donec ad finem vsque gratiam pertulerint. Sin autem id fieri nequit, vt videlicet absque gratiæ amissione, recedere non possint, in templo remaneant, quousque sine gratiæ prępeditione domum repetere queant. Nec hoc aliquis facilè iudicare debebit. Et eiusmodi, quandiu singulari modo agũtur, nemo eos ad externa vrgebit opera, quo tanto melius in gratia corroborentur, atque nascantur. Hoc enim est quod Dominus in Canticis ait: *Adiuro vos filia Hierusalē per capreas ceruosq́ camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cùm autem maligni spiritus singulari quodam in istos debacchentur odio, admonendi sunt, ne quælibet lumina & instinctus sequantur, quæ per sacram Scripturam & vitas Sanctorum confirmari comprobariq́ non possint: & vt toto studio mortiferum spiritalis superbiæ virus, aliorumq́ contemptum, fugiant horreantqúe. Immoderatis quoque ieiunijs & vigilijs haudquaquam sunt adstringendi: cumq́ infirmitatem aliquam incurrisse deprehenduntur, ad cibi sumptionem, licet alioqui ieiunium sit, etiam cogendi sunt. Monendi pręterea sunt, vt in sui ad Deum introuersione, nllam sensibilem dulcedinem, nec sublimem intelligentiam, nec reuelationem, nec omnino aliud aliquid, quàm Dei honorem gratissimumqúe beneplacitum quærant & expetant: vtque per Dei gratiam, prædictos insolitos & erumpentes modos paulatim compescendo, in pura & eleuata mente viribusqúe supremis cum libero & expedito in Deum introitu & accessũ sese exercere discant. Hi nanque exteriores insoliti modi in inferioribus animæ viribus agũtur. Eueniτq́ hominibus istis, quod vino mero ac forti, quod equidem corruptis infusum vasis, non perinde bonum ac salubre est, atque bono & sano vasi infusum. Ita & isti dum insolitos illos gestus modosqúe suppressere, ad altiorem puriorem que pertingunt vitam, & contenti quietiq́ permanent, sibiipsis dominantur. & multo quàm ante excellentius perfectiusqúe Deo vniuntur. Insuper, dilectissimi, solicitè curandum vobis est, vt in nulla re, siue in superiorum electione, siue in construendis ædificijs, aut alijs quibuscunque, hostis tartareus pacem

Matth. 25.

Quid circa deuotos quosdam mirorum gestuum fieri debeat

Cant. 2. & 8.

pacem vestram dissipet atque perturbet. Omnia opera vestra ex Deo procedent, & quicquid agitis, cunctaq; vobis accidentia, Deo committetis, deuotis ac integris eum obsecrantes cordibus, vt omnia pro acceptissima voluntate sua disponat, dirigatq;. Caueat etiam quilibet vestrûm, ne suo sensui suæq; voluntati pertinaciter inhæreat. Quisquis autem hoc agit, certus sit, Spiritum Dei nec esse nec requiescere in se, sed maligni eum spiritus vrgent agitantq;: & quandiu talis perseuerat, nulla eum requie, nulla pace gaudere sinunt, sed ad plura maioraq; eum peccata impellunt, donec tandem suam cum eo faciant voluntatem. Postremò, multa cum strenuitate & contritione, per continuam intimæ voluntatis & intẽtionis vestræ discussionem, cordis puritati studebitis. Possem equidem his plura superaddere, quæ à præsenti materia non abhorrerent. Sed id necessarium esse non arbitror. Qui enim prædicta omnia viua quadam exercitatione secutus fuerit, omnem ille veritatem, scitu ipsi necessariam, à Deo edocebitur. Et ipse ego per merita Sanctorum omnium, & in cælis & in terris agentium, oro & peropto, vt omnes illos, qui hæc sequi & iuxta ea viuere voluerint, Patris potentia conseruet, æterna Filij sapientia eorum profectum illuminet, & immensus sancti Spiritus amor eos circundet & amplexetur in Christo Iesu. Amen.

Certum absentiæ Spiritus sancti, & præsentiæ diaboli, signum.

Vt diuersæ in interna vita erroneæ viæ cognosci, & agnitæ deuitari debeant: & quo pacto rectiorem ad perfectionem viam reperire liceat.

EPISTOLA II.

NOSSE vos velim in Christo Iesu dilectissimi, quòd cum aliquis toto corde & ex animo sese ad Deum conuertit, cum eleuata, libera, & integra mente ac voluntate creaturis omnibus, quæ ipsum à suo retrahunt impediuntqúe Creatore, valefaciendi, Deoq; & amicis illius vera, humili, subiectaqúe cum resignatione, ad mortem vsque obtemperandi, Deoq; se totum intrepidus offert, & viriliter sese ad æternam conuertit veritatem: ex nimia amabiliq; misericordia sua tantam Deus erga eiusmodi hominem dilectionem concipiat, vt se continere non possit, quin suam ei gratiam abundè largiatur, quæ tunc eiusdem vires inferiores fortiter commouet. Hæc autem commotio non eodem modo fit in omnibus. Vnde planè necessarium est quibuscunque, vt ex huiusmodi modis materiam scandali non accipiant. Exerit enim Deus omnipotens in amicis suis plures occultos & insolitos modos, qui vix à paucissimis intelliguntur. Cæterum ex hisce magnis eximijsq; gratiæ donis, quidam in mentis veniunt iubilum, nec continere se valent, quin verbis aut gestibus erumpant. Qui tamen, si ad viciniorem volent salutis adspirare viam, modos & gestus eiusmodi, quàm citissime poterunt, in seipsis reprimere & occidere nitentur. Alij rursus alio modo se habent, & stuporem siue excessum mentis incurrunt, & hi Ecstatici siue Dormientes vocantur. Hic verò somnus ex nimia illa gratiæ opulentia, quam Deus animæ præstat, accidere solet. Et hi similiter si ad altiora volent pertingere, iuxta amicorum Dei consilia, & istud quoque perrumpere discent. Adhuc alij sunt, qui alio ducantur modo: & hi sunt, qui ex natura ingenio subtili & intellectûs acumine

Iubilatorij.

Ecstatici.

Erupto-rij.

pollent,& verbis abundant:cumq; hi larga quadam gratia copiosè perfunduntur, fit plerunque vt intumescant in superbiam, & in multa prorumpant verba. His vel maximè necessarium est, vt sese deprimi ac humiliari patiatur. Quod si facere recusant, & in suo persistunt modo, periculosè satis cum eis agitur, & fieri potest, vt perniciosissimi quandoque sanctæ Ecclesiæ reddantur. Præterea

Visionarij.

sunt & alij, quibus Deus omnipotens sub alio quodam modo præclaras quasdam donat imagines cernere, ita vt se vel Angelum, vel aliud aliquid vidisse omnino persuasum habeant. Hi statim impendio exultant, arbitrantes se coram Deo magni cuiusdam meriti esse. Equidem talia videre, malum esse haudquaquam dixerim. Potest enim bonum esse, sed à viciniori & proximo adhuc nimium distat. Quòd enim larga hæc eis præstatur gratia, eorum potissimum in causa infirmitas est. Nouit enim Dominus, tanta adhuc eos pusillanimitate teneri, vt asperiori adhuc via incedere nequeant.

Cur visiones plerumque exhibeantur.

Sunt præter hos & alij alterius modi, qui ex natura tam molli teneroq; sunt corde, vt excellenti illa gratia tacti, mox in inferioribus viribus suis ex toto commoueantur. His sæpenumerò Lucifer admiscere se consueuit, & occultè naturæ ipsorum sese adiungere, totis enitens viribus, vt eos à bonis cœptis reuocet retrahatq;.

Visiones cur periculis obnoxia.

Naturam enim delicatiorem aliqua molestia afficiens, occultè eiusmodi hominibus suggerit, dicens: Eia tenerioris imbecilliorisq; complexionis es, nec perinde necesse habes plura sustinere: alioqui opera quæ simul tecum Deus operari constituit, impedies. His verò susurrijs satis illi exhilarantur, credentes diuinam fuisse inspirationem, cùm tamen reuera Luciferi propriæq; naturæ persuasio sit. Attamen Deus omnipotens & misericors, amicos suos in his positos nequaquam deserit, sed auxilium eis solita benignitate impendit, perducens ac remittens eos ad sapientem aliquem & illuminatum amicum suum, maiori, quàm sint ipsi, discretione præditum. Hic ergo Dei amicus talem aliquẽ intuens, ait ad ipsum: Dic mihi charissime, quînam agitur inter Deum & te? Respondet ille: Omnia de manu Domini cum gratiarum actione suscipio. Et Dei amicus ad ipsum: Quodnam est exercitium tuum? Ad quod ille subitò respondens: Non est, inquit, quod deinceps exerceam patiárve, vel cui mori debeam, quando iam omnia superaui. Inde verò non minimum perturbatus Dei amicus, benignè eum alloquens, dicit: Eia charissime, quæso, ne grauatè accipias id, quod dicturus sum. Noueris sanè, vehementer me verba tua perterruisse. Si enim hoc pacto procedere volueris, toto aberras cælo, & imponis tibi ipsi, cùm è diametro & Deo & sacræ Scripturæ repugnes. Vnde si in hoc viuendi modo perstiteris, malè & periculosè tecum agetur. Si ergo Christi verbis acquiescere volueris, conuertaris oportet. Ipse namque ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ipsi Apostolo Paulo, ab illo raptu dimisso, & sibi restituto, ilicò crux imposita est, quam ad mortem vsque sustinere cogebatur. Attende (quæso) dilectissime, quo pacto ipse Dominus omnium nos præcesserit, & omnes electi amici eius ipsum subsecuti sint. Sacram quoq; Scripturam his copiosa ferentem testimonia inspice, noueris que omnes veros Christi imitatores adhuc superstites, (licet pauci admodum sint) cùm nihil aduersi sentiunt, tremere ac perturbari satis. Christi namque & omnium illius sectatorum contemplantur exempla, eamq; Domini sententiam metuunt, qua ait: *Multi quidem sunt vocati, pauci verò electi.* Rursus alij adhuc alterius modi sunt, quibus ex diuina largitate tale quiddam

Matth 16
2 Cor. 12.

dam per imagines cernere datur, vt se beatam Trinitatem cum personarum distinctione vidisse omnino persuasum habeant. Ex his alij in superbiam efferuntur, putantque se iam superasse omnia. Sed reuera ne pilum quidem perfectionis habent, & in infimis adhuc viribus subsistunt. Quisquis enim id, quod verbis exprimi, vel intellectu apprehendi potest, summæ veritati atque perfectioni proximum arbitratur, is plurimum à veritate aberrat. Omnia namque hæc non nisi imagines sunt. Secum quisque expendat. Si Deus noster eiusmodi est, vt vel verbis exprimi, vel intellectu capi possit, exiguum sane modicumque Deum habemus. Imò quisquis hoc credit, haud dubie in fide debilis & erroneus est. Denique adhuc alij in alio reperiuntur modo, quibus dum ea confertur gratia, vt in infimis viribus suis commoueantur, aliqui ex eis ex opulentia illa, quam intra se sentiunt, satis intumescunt. Sed cùm hæc eis benignissimus Deus eousque concessit, quo iam eos ad altiora prouehere statuit, dum opportunum ipsi videtur, omnem hanc ab eis gratiæ opulentiam auferens, in tanta eos paupertate relinquit, si nunquam aliquid de Deo fuissent experti. Et hoc ingens profectò & haud vulgaris gratiæ beneficium est, quod proinde Dei prouidentia haud facile cuiquam largitur, nisi qui illius bonitati vtcunque iam confidere nouit. Verùm plerique dum hac ditantur gratia, immodico terrore concutiuntur, cùm tamen gaudere potius & exultare deberent, illius Dominicæ sententiæ memores, qua ille ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: memores etiam, vt Apostolus ad mortem vsque cæsus fuerit. Quisquis ergo hoc pacto à Domino visitatur, huius gratiæ excellentiam attendens, eam grato animo, multaque cum patientia suscipiat. Quod si non fecerit, necdum se strenuum Christi militem esse, habeat pro comperto. Nunc igitur quicunque ad supremam illam perfectionem, ad quam à Deo inuitamur, pertingere, suamque Deo voluntatem offerre, & ipsi in omnibus obtemperare volunt: his necessarium profectò fuerit, vt ex animo diligenter aduertant, si quem de prædictis teneant modis, eoque deprehenso, inordinatos huiusmodi periculososque modos comprimere & enecare discant, Deoquè se captiuos tradant. Quotquot enim aliquem de prædictis habent modis, in infimis duntaxat viribus se nouerint commoueri, & longissimè adhuc à perfectissimo abesse gradu. Neque tamen hoc ita dixerim, vt huiusmodi modos condemnendos, aut aliquem inde offendi debere asseuerem: quin potius vellem ex animo plures eiusmodi superesse homines: nec dubium quin melius Christianus orbis haberet. Hi enim seipsos Deo ex toto offerunt, nec in vllo propriæ quæsitioni mortem gerunt. Veruntamen longo adhuc interuallo à felicissimis illis distant hominibus, qui columnæ sunt Ecclesiæ, quorum & meritis precibusque sustentatur. Sed tales paucissimi supersunt. Cæterùm si & horum aliquis, qui quemlibet de prædictis tenent modis, ad altiora proficere appetit, cum beatissima Magdalena pedibus Dominicis prouolutus, eiusdem inexhaustæ misericordiæ, vera, humili, subditaquè cum resignatione sese offerat atque resignet, permittens ei facere secum quicquid voluerit, non solum in isto, sed & in futuro seculo. Voluntatem quoque suam perfectè funditusque relinquens, humiliter sese illuminato seu alicui in viribus supremis Dei amico, incipiens, qui de Deo nihil vnquam senserit, submittat subijciatque, agnoscens humiliter in seipso, quod hactenus compendiosiori ad veritatem via non incesserit, sed ex proprio fundo suo vixerit. Vnde iam Deo Opt. Max.

Ex visionibus superbientes.

Matth. 5.
2. Cor. 2.
Actor. 9.
& 16.

Qui columnæ sint hodie Ecclesiæ.

Max. ex animo & ex ipso fundo sese offerens atque resignans, siue dare sibi, siue auferre voluerit, ad sufferendum æquanimiter omnia se illi exhibeat. Sanè quisquis talem se reperit, vt hac humili cum resignatione seipsum ad Dei gloriam, eidem fidenter offerat & relinquat, & in nullo prorsus aliquid suum quærat diligatq́; magnam ille nimirum erga Deum meritò fiduciam concipere potest: ita tamen, vt in humilitate fundatus, omni diuina gratia se sentiat prorsus indignum. Cumq́; iam eousq; in hac perstiterit via, quod iam infinitæ Dei misericordiæ, excellentis illius ac ineffabilis gratiæ capax esse videtur: tunc eum Deus assumens, ad viuum illum perducit fontem, qui ab æterno manauit, & manat etiamnum in omnes, qui illius capaces sunt. Reuera quicunque eò pertingit, vt huius fontis in hoc exilio vel vnam percipiat guttulam, omnia illi subitò temporalia vilescunt: adeoq́; à se abducitur, vt id, quò perducitur, nec intellectu capere, nec verbis consequi possit: quippe cum hoc & sensuum omnium notitiam & cunctas quoq; formas & imagines transcendat. Mox quoq; à Deo in viribus supremis illuminatur, plusq́; ei veræ lucis ac discretionis infunditur, quā prædicti omnes, suo proprio viuentes modo, habeant. Cæterùm qui tales sunt, id est, qui ex vero illo fonte vel guttulam vnam percipere meruerunt, non facile dinoscuntur. In verbis enim cunctisque moribus ac institutis suis, simplicitatem præ se ferunt: nec libenter absq; certa rationabili causa, diu hominibus colloquuntur. Simplicissimè quoq; sanctæ Ecclesiæ obediunt. Multo verò dolore afficiuntur, quoties eis colloqui debent, qui verbis abundant subtilibus, nec facilè per sacram Scripturam retundi ac deijci possunt. Interiores quoq; oculi eorum latissimè panduntur, ita vt longè latéq; prospiciant: dumq́; circumspiciunt, & proximos suos vel afflictioni vel peccatis subiacere vident, ex pia compassione, quam gerunt erga omnes, nimio dolore corripiuntur. Et hinc liquidò constat, quòd illi falsa libertate gaudere volentes, bonos quousque decipiant atque subuertant, dum eis verbis fallacibus persuadere moliuntur, nihil eos amplius pati debere. Qui enim verè spiritu Dei aguntur, non mediocriter sibi metuunt, nec parum conturbantur, si quando eis prospere cedit, & natura absque ægritudinis molestia sana perseuerat & incolumis: dum autem hæc ipsa pressuram aliquam sustinet, animum resumunt, & magnificè exultant. Christi enim, & omnium verorum imitatorum illius exempla contuentur. Et nunc ô vos omnes, qui syncerè ac verè Deum amatis, misereat vos, obsecro, quòd hisce nouissimis temporibus tam paucos veros sui habeat imitatores, qui ad dignissimum hunc & superefluentem fontem inuitari sint idonei. Necessarium profectò est Christianis omnibus, vt tota sibi solicitudine caueant, fugiantqúe. Multi enim seductores in mundum exiêre, qui compositis subtilibusqúe verbis plurimos seducunt, ita vt iam vix vnum Dei amicum reperire liceat, in cuius sinum secreta cordis tutò queas effundere. Consultum proinde est pijs omnibus, vt ad Christum confugiant crucifixum, qui neminem se verè quærentem, in necessitate deserit. Has commonitiones, exhortationesq́; pauperculus quidam, à DEO ad hoc compulsus, quo prodessent omnibus, in scripta redegit.

Cui mundana omnia facile vilescant

Imitatio Christi quàm hodie rara.

Vt gratia

Vt gratia Dei, Castitas siue puritas, Amor & Abstractio obtineantur.

EPISTOLA III.

IN Christo Iesu lumen gratiæ, animæ corporisq; puritatem, cordis amorem, humilem abstractionem in vitæ nouitate vobis omnibus in DEO perfectissimè possidere cupio & exopto. Ad impetrandum gratiam Spiritus sancti nihil æquè efficax: quàm vt quis iugiter erga Deum in timore persistat: metuens ne fortè minus Deo, plus autem mundo, satisfaciat. Qui ita agit, nouum semper gratiæ acquirit lumen. Castitatem verò siue puritatem animæ & corporis à Deo obtinet, qui sponte cogitationibus, verbis & operibus voluptuosis, delectabilibus, & Deo contrarijs, minimè inhæret. Qui ea puritate præditus est, in eo summa & altissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, habitationem extruit, ad commorandum illi cum inexhausto amore, ad suum totiusq; cælestis exercitus gaudium. Porrò amor siue dilectio cordis à Deo impetratur per meditationem cum gratitudine coniunctam, corporalium ac spiritalium donorum beneficiorumq; illorum, quæ vnquam ille homini contulerit, & adhuc in beata æternitate, feliciq; & superdeliciosissimæ vitæ perennis gaudio collaturus est. Per hæc diuino amore succendimur. Denique vitam humilem, patientem & abstractam habere volenti, oppidò quàm necessarium est, vt iugiter & externos & internos sensus suos includat, perpetua vigiliq; cura seipsum obseruet in omnibus, semper intra sese commorando, cunctasque hominum suspiciones & aduersa omnia ducat pro nihilo. Patienter itaque sufferte, dilectissimi, quæcunque vobis à fallaci seculo aduersa ingeruntur, eaq; pro munere à Deo suscipite. Sic enim & vosipsos omni virtute exornabitis, & pretiosissimæ Dominicæ crucis arbori inseretis, æternum vobis ex ipsa fructum prolaturi. Inexhausta misericordiæ Dei nostri vos omnes perenniter in se & in Christo Iesu includat. Amen.

Puritas qui obtineatur.

Vt ignis diuini amoris excitandus sit.

EPISTOLA IV.

IN Christo Iesu. Supereffluens amor Spiritus sancti, in omnipotenti Patris virtute, cum Filij superlucidissima sapientia, perenni vos incendio conflagret. Amoris illum carbonem, quem Spiritus sanctus hoc frigido tepidoqúe seculo in vobis per seipsum succendit, idem ipse in diuina dilectione sua feruere iugiter & candere, & cum ingenti æstuantiqúe desiderio ac languore omnes animæ vires penetrare, ipsumqúe exteriorem hominem ordinatè sese exercere, & modestiam seruare exoptat in agendo quælibet & dimittendo, in rerum omnium siue temporalium siue spiritalium inopia & abundãtia, cum vera in Dei beneplacitum resignatione. Hic etiam amoris carbo iugiter à rore nebuloso, ac impositore voluptatum omnium quarumlibet rerum fallacissimi seculi huius, custodiendus est, illis duntaxat exceptis, quibus natura carere non potest. Insuper idem iste amoris carbo continuè excitandus & prouocandus est, perpetuò immorando cognitioni excellentissimi clenodij illius, quod Deus ipse est, ab eodem vobis præstiti, omniumqúe rerum temporalium, æternorumq; ac spiritalium donorũ, quæ vobis ipse vnquam impendit,

Cui rei qualis cauendus.

& adhuc impendet, quæ profectò multa sunt, & vobis præ alijs pluribus singulariter tribuit atque largitus est. Ne, quæso, ea negligenter transeatis, sed vigili ea cura attendite. Speciali enim ac miro quodam modo ad diuinitatis amorem vos meritò prouocabunt. Adhæc, idem iste amoris carbo, fauorabilis, mitis ac resignatæ in omnibus intus & foris humilitatis cineribus perpetuò est contegendus. Cumq; hoc pacto amoris hic carbo sese habet, totum in se transmutat hominem, ipsumque sine intermissione ad paternum illud atque diuinum cor impellit, subleuatque: vbi tandem perenniter cum immenso ac ineffabili est gaudio quieturus. Pro hoc sane beneficio Deus, qui vos à fallaci secularis lætitiæ ac vanitatis mendacio abstraxit & eripuit, in æternum sit benedictus & vltra, qui & perpetuam vobis pacem in diurnarum & occultarum diuitiarū suarum palatio, omnibus electis amicis suis largiri dignetur in Christo Iesu Domino nostro.

Amoris carbo qui tegendus.

Vt & nobisipsis, & omnibus excidere debeamus.

EPISTOLA V.

IN Christo Iesu vetus illud & nouum ab æterno genitum Verbum, quod in diuina natura plantatum, rursum in seipso omnes rationales, æternos & electos producit spiritus, qui pura quadam, amabili ac resignata subiectione, seipsos in omnibus, & omnia extra Deum resignant abnegantque, in humilitate profunda, abyssali ac sursum tendente ad superdiuinissimum illud obiectum, cui omnes sese spiritus per gratiam Christi Iesu immergunt, vnicæ videlicet, arcanæ, diuinæq; essentiæ: hoc, inquam, vetus & nouum Verbum pro iucundo vobis & antiquo & nouo exopto anno, qui quidem est æternitas in Deo. Adhuc in eodem Christo Iesu cor mundum, Deoque plenum, in occulto vobis ac intimo fundo precor & opto. Deus Pater vnico Filio suo humanam despondit naturam. Arrhabonem illius nemo æstimare sufficit. Dotem eius vidualem & occulti & publici thesauri omnes compensare nequeunt. Solum cor omni creaturæ mortuum, & anima pura, humilis & amorosa, arrhabonem hunc æstimat, dum parum eis est, quicquid creatum est, respectu Creatoris: & dotem hanc vidualem vtcunque exoluunt, dum omnes Dei proprietates modis coniunctas, & seipsa & creata omnia resignant deseruntq;. Ad has felicissimas nuptias vos inuitati estis, quo scilicet cum corde creaturis omnibus mortuo, & pura, amorosa, humiliq; anima ad arcana & immensa gaudia illa, quæ Deus omnibus se timentibus largiri dignatur, in Christo Iesu peruenire adnitamini.

De humili resignatione, vera contemplatione perfectioneq;.

EPISTOLA VI.

IN Christo Iesu. Satiari appeto cum Lazaro illo mendico *de micis* orationum omnium Dei amicorum, *quæ cadunt de mensa* excellentissimæ atque persanctissimæ Trinitatis. Sed *nemo illi dabat*, ait Scriptura de Lazaro illo. Proinde, dilectissimi, *laxate in dexteram nauigij rete*, id est, abstractam humilitatem, vota discreta & illuminata amoris incendia. Sic, inquam, vosipsos totos ad dexteram nauigij partem, id est, in sempiternæ voluntatis Dei laxate beneplacitum, inq; cum imitatione, quantum fieri potest, omnium virium tā interioris quàm exterioris hominis vestri: & ita *haud dubiè inuenietis*, *quod nec oculus vidit*, *nec*

Luc 16.
Luc 5
Ioan 21.
1. Cor. 2.

auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: id nimirum, quod *præparauit Deus* his, qui eiusmodi sunt, in Christo Iesu Filio suo. O filij charissimi & amici DEI, *gaudium & corona animæ meæ*, quicquid vnquam & in cælis & in terris amicis suis præstitit DEVS in Christo Iesu Filio suo, id equidem precor & opto vobis. Neque enim ignorare vos velim, animam & corpus meum pro vobis exposita. Sed ne, quæso, terreamini. Enimuerò prædico vobis, quia multa adhuc certamina debentur vobis, tanquam audacibus ac robustis Christi tyronibus in virtute Dei, & in morte eiusdem Domini nostri. Sed omnium Sanctorum meritis atque auxilio freti, securè cum hostibus vestris congrediemini, & virtutum omnium augmenta capietis: non instar quorunlibet aliorum vulgarium hominum, sed vt singulares electi Dei amici. In his igitur estote, sinentes interim *mortuos sepelire mortuos suos*, & bonitatis ac beneficiorum Dei seduli sitis obseruatores, idque amore eiusdem Domini vestri, sic intra vos loquentis: Omnes qui voluntatis mihi conformitate iunguntur, ego inhabito, ad ipsorum perpetuam salutem, ad omnium Sanctorum gaudium & exultationem, & ad æternum superglorioſissimæ Trinitatis honoré. Vnde si puri ac synceri esse appetitis, mihi intra vos per vos viuere liceat, & vos in me addiscitote. Reuera, quisquis vnico illivm secretus ac familiaris esse desiderat, omnis illi à corde creaturarum mortalium familiaritas excludenda est. Et qui diuinæ veritatis contemplationi immorari cupit, hunc prius in humili obedientia probè exercitatum, & infimis ac contemptibilibus virtutum operibus bene fundatum atque extructum esse oportet. Quique summa & perfectissima optat calcare itinera, prius in infima sese via exerceat. Vt verbi gratia, in derelictione ab omnibus creaturis, quo solus Deus ipsius solatium sit: omnemque tristitiam, paupertatem, contemptum, & quicquid ei aduersitatis pro iustitia occurrere potest, subire nil trepidet. Tali quippe exercitio ex Dei gratia ad veritatis quis contemplationem præparatur, & aptus efficitur. Qui verò eiusmodi abiecta & humilia opera ad exemplum Domini Saluatoris peragere recusat ac despicit, dubium non est, quin diuinam ille gratiam contemnat. Cæterùm perfectio, ad quam in hac mortali vita conscendere quis possit, in tribus sita est. Primum est, vt rationabiliter vnum solum Deum, & quicquid sancta credit Ecclesia, confiteamur. Secundũ est, vt vnũ hunc solum Deum feruenter atque suauiter diligamus. Tertium est, vt in humilitate cordis & spiritûs, totum id quod sumus in occultam, incognitam atque notam eiusdem vnici vnius voluntatem, immergamus ac resignemus. Infimum enim humilitatis, supremum perfectionis attingit: ipsaque perfectio, in se omnium virtutum omittit distinctionem. Syncero quidem & puro contemplatori otium & abstractio ab omnibus, ab exteriori præsertim consideratione, quo purè ac perseueranter diuinæ veritatis speculationi queat insistere, oppidò quàm necessaria sunt. Dum tamen sensibus restituitur, in memoratis sese virtutibus exercebit ad exemplum Domini nostri Iesu Christi, qui suaui cum humilitate discipulorũ suorum pedes abluit, multaque alia humilia ac virtuosa pro nostri institutione gessit opera. Cæterùm complures inueniuntur contemplatores, qui in duplici sese lumine exerceant. Alij cum seipsis in agnoscente ascendunt cognitione, seipsos in summo bono quærentes, & cum errore inuenientes ac possidentes semetipsos. Ob affinitatem enim illam & similitudinem, quam in Deo habent, etiam eò adspirant, vt instar illius per se sibi satis sint, nec vllius omninò indigeát. Sed

Marginalia: Phil. 4. — Matth. 8. — Perfectio huius vitæ, in quot sita. — I. — II. — III. — Ioan 13.

errant planè, & Deo contumeliam inferunt: ideoq; & ipsi meritò confunduntur. Alij verò per negationem, seu cognitionis abnegationem, seu abnegantem cognitionem, sursum tendunt, quærentes in syncera spiritûs humilitate, & tremenda ac excidente suijpsorum & nihili sui abnegatione vnicum ac solum Deum suum, & proprietates ac excellentiam ipsius, quæ ineffabiliter omnem creatum excedit spiritum, de sua impotentia gaudentes, & solum Deum omnia posse impendiò gratulantes. Et hos contemplatores diuina pietas nullo fallaci lumine in errorem abduci permittit: sicut econtrario spiritus mendacij priores illos, qui seipsos quærunt & ducunt, Deiq; confundunt honorem, haudquaquam errores euadere sinit. Spiritus sanctus ex immensa misericordia sua, vero ac diuino suo nos illustret irradietq; lumine.

Vt nos die ac nocte exercere, afflictionesq; nostras in Dominicam passionem referre debeamus.

EPISTOLA VII.

IN Christo Iesu Domino nostro. Omne studium vestrum, dilectissimi, in perfecta resignatione ad habendum atque carendum non solum omni rerum temporalium delectatione, sed & spirituali consolatione, cum humilî perpetuaq; cordium vestrorum inhabitatione, versetur. Per hoc siquidem anima & corpus ab omnibus mundi huius maculis & inquinamentis, omniq; hostis tartarei falsitate purgantur. Et hîc ratio vestra in cunctis agendis dimittendisq; inuigilet, ac bona quæque & mala obseruet, & voluntas à malis auersa, sese ad bona conuertat. Quoties enim his animum adhibetis, toties ratio vestra nouo à paterna Filij virtute illustratur lumine, voluntas ad omnes Christi Iesu virtutes dirigitur, & cor in iucundissimo Spiritus sancti amore Deo vnitur: sicqúe anima vestra supersanctissimæ Trinitatis templum fit, & habitatio grata satis. Quisquis autem hoc templum dignè seruare cupit, ita vt suum in illo opus Deus ipse nunquam non peragere queat, ille se eidem semper & in omnibus corde recollecto offerre ac resignare debebit: sic videlicet, vt omne tempus antemeridianum, ad prandium vsque, cum Deo expendat, idqúe in meditationibus diuinis, quibus vehementius excitari se senserit: orationibus quoque & alijs bonis operibus, sicut à Deo trahi atque moneri se intellexerit. Post prandium verò, eleemosynam suam, puta Vigilias mortuorum decantando, mittet ad Purgatorium. Illis expletis, vel quiescere parumper, vel aliquid foris operari poterit, prout se nouerit ex obedientia teneri: & hoc vsque ad Vesperas. Tum verò meditationibus deuotis iterum sese ad Deum excitabit atq; conuertet. Post Vesperas eodem sese habebit modo, & corde recollecto cum Deo simul ad quietem se reponet obdormietqúe: & tunc Deus in anima ipsius dormientis, æquè vt diuinis operibus inuigilantis, operabitur. Semper etiam & vbiq; cordis recollectioni dabit operam, maximeq; dum hominibus adest. Suijpsius curam vigilantissimam habebit: Semper in Domino gaudebit, absque tamen sensuum dissolutione. Nunquam vel aduersis, vel prosperis plus æquo moueri se patiatur: & potissimum immoderatæ tristitiæ resistet ex animo. Contumelias om[...] fatuorum huius fallacissimi seculi hominum, omnem naturę molestiã, & c[...]ctas animi aduersitates, quæ illi accidere possint, in illam Domini Saluatoris [...]flictionem offeret, quã sustinebat ille ex Iudæorũ cõtumelijs, cũ cum dæmo[...] hab

Tempus diurnum qui transigendũ.

habere calumniarentur: & in illam quoque eiusdem molestiam & aduersitatem, quam in horto perferebat, cum ex nimio animi dolore sanguinem sudaret, dicet(que) cum eodem: *Non mea, sed tua Domine voluntas fiat*, siue hoc gratum, siue molestum mihi sit. Ita faciendo, dilectissimi, copiosum semper & immensum in præclarissima Dominicæ crucis arbore fructum facietis. Potentia Dei Patris superet in vobis atque debellet, quicquid vos impedire possit. Claritas Dei Filij & sapientia in omnia vos bona illa deducant, quæ ad ipsum vos prouehere queant. Amor denique Spiritus sancti perpetua vos Deo vnione coniũgat in Christo Iesu. Amen.

1. Ioan. 2.
Luc. 22.

Vt cor ab omni creatura abstractum, ad Deum conuerti debeat.

EPISTOLA VIII.

IN Christo Iesu Domino nostro, multa vos dil[illegible]issimi salute impertio, & felicem vobis vitam exopto. Eaque de causa [illegible]cis ad vos scribere volui. Ad bonam igitur beatam(que) vitam id cum primis exigitur, vt sensus includantur, à mundo & carne abstrahantur, soli confabulentur Deo, nihil intra se torpentis seculi huius contineant, nec [illegible] temporalibus cura vel solicitudine distrahantur: vtque cogitationes [illegible] formis ac imaginibus abs(que) aliqua occupentur admixtione. Requirit[illegible], vt in terris omnium vobis creaturarum societas in nauseam vertatur ac tædium. Et vt ad superiora atque cælestia per virtutem sancti Spiritus post hanc momentaneam reduci vitam mereamini, quæso, indefessis à Domino precibus obtinere studeatis. Interim sedula cogitatione ex animo Deo vos desponsos attendite, nec vllam in terris tantæ excellentię creaturam esse, quę digna sit, vt Deo neglecto, illa cor vestrum debeat occupari. Omnem verò diem inter amissos deputetis, in quo Dei amore propriam non fregistis voluntatem. Dolenda planè & omni lachrymarum fonte plangenda conditio, cor illud, quod solus Deus occupare debeat, diuisum esse: & regna cælestia consideranti, aliquid graue videri. Absit, absit, vt vel quælibet creaturæ vnquam illius satisfaciant voluntati, qui Deo Opt. Max. pro voto potiri cupit.

Ad bonã quid exigatur vitã.
Quis dies sit illis putãdus, &c.

De resignatione in paupertate.

EPISTOLA IX.

IN Christo Iesu, temporalibus ac spiritualibus siue diuinis rebus in tempore & æternitate carere & abundare. Apis quandiu in floribus quiescit, ne(que) mel, ne(que) ceram conficit. Ita sanè quanuis excellentissimum vtilissimum(que) exercitium, quod quidẽ in hac mortali vita habere quis possit, sit intrinsecus in spiritûs vnitate cum Deo quiescere & operari, quod & iucundũ satis est ac delectabile: huic tamen immorari non oportet. Etenim aliud adhuc lõgè excellentius vtilius(que) exercitium est, in quo nimirum à Deo probamur & exercemur: & hoc est resignatio in perseueranti continuoque languore, in sterilitate, obscuritate ac paupertate spiritus. Quid in his à Deo efficiatur, nulla vnquam lingua dicendo consequi, nullus intellectus capere potuit: nec quælibet naturalia, quanuis excellentissima, ingenia scire potuerunt. En charissime hoc pręsenti tempore singulariter vis & efficacia solis æstiua fertilitate in cunctis seminibus

Similitudo lepida.
Alia non minus efficax.

radices excitat: quæ tamen si fructum proferre debeant, crebra prius duraq; frigora multiplicemq; pruinam sustinere oportet.

De vulneribus Saluatoris.

EPISTOLA X.

IN Christo Iesu. Manantia iugiter amorosaque eiusdem vulnera ad æternam nos vocationem nostram perducant. Proh dolor, plerosque hodie nimis ingratos, dicere non vereri : Eia quid his occupari nos attinet, quæ ante plures annos peracta nouimus? Intelligunt autem Dominicam passionem, cùm tamen reuera vulnera illius liber vitæ & mundissimum speculum sint. Si quis sua cum Apostolo rectè penetrare sciret, inueniret equidem in eis quicquid diuinitas ipsa exhibere potest, & perfectum libri vitæ sigillum. In hoc libro omnem tam in tempore, quàm æternitate perfectionem reperire licet, sicut ipsa de se æterna Sapientia testatur [illegible], inquiens, *sum via, veritas & vita.* Væ igitur, & iterum væ omnibus aliam [illegible] ambulantibus. Possent hîc profectò secretiores Dei amici vel sanguineis deplorare lachrymis, quòd in toto vbique terrarum orbe ita prorsus excellentissima Christi vulnera in obliuionem abiêre. Hæc nimirum causa est, cur [illegible] non exaudiamur, quia extra fructum mortis ambulamus. Vbicunque [illegible] stitutione viuitur, diabolus tentare quidem potest, at superare non valet. [illegible] autem inordinate agitur, diabolus per negligentiam nostram vires accipit nobis præualendi. Spiritus Dei nostri cum vniuersis opulentis charismatibus suis possideat atque contineat se in vobis in Christo Iesu. Amen.

Vulnera Christi, vitæ librum esse. Gal 6. Ioan 14.

Rursum de nostri abnegatione, & de vulneribus Iesu.

EPISTOLA XI.

IN Christo Iesu. Deus omnipotens & excelsus tam incomprehensibile bonum est, vt à nulla creatura in tempore perfectè agnosci queat. Imò quicquid omnes Dei amici de ipso in hac mortali percipiunt vita, Deus non est: aliquid tamen diuinum siue de Deo, est, sicut beatus Dionysius & Gregorius aiunt. Est, inquam, nubes quædam caliginosa, sensus omnes & omnem excedés intellectum ad quam ipse quoq; Moses in monte à Domino vocatus atque introductus fuit. Ad hanc viam omnes Dei amici adspirant atque contendunt: ad eamq; omnes nos introduci oportet. Quicquid libertatis in nobis ratio parit, totum in æterna morte deficit. Quæ verò Pater cælestis intra nos gignit, ea magno cum fructu in vitam æternam proficiunt atque succrescunt per abstractum silentium, afflictionem, & vires ad superna erectas. Vnde iugiter à Domino postulare debemus, vt veram nobis subiectionem largiatur, quæ omnem à nobis propriet[illegible] excludat. Planè insipiens est, qui in aliquo alio, præterquam in humilitate [illegible]rat. In mellifluis amabilibusq; Christi vulneribus commorari, & [illegible] morari iugiter in actionis & contemplationis operibus, eisque, quæ [illegible] amici magnis cum desiderijs animæ tuæ quotidie inspirant, tota [illegible]tate morem gerere & obedire in omnibus, in quibus Dei volu[illegible] foris intelligere queas. Optamus charissime, vt solus Deus cu[illegible] tuis, per tui absorptionem, vicem reddat, satisfaciatque. Disce, quæ[illegible]

Exod. 19.

ſupra omnia habitare atque manere, & abnegare teipſum: ſemperq; ſectare mã ſuetudinem. Offer te iugiter occulto & abſcondito Deo tuo per tuiipſius & creaturarum omnium abnegationem, quo Domino tuo iugiter intus commorari valeas. Et licet hic nulla interdum deuotio ſentiatur, non ideo nullius eſſe momenti vel efficaciæ cenſendum eſt: quippe quod tunc ſæpenumero viliſſimum eſt, cùm hic naturam ex integro ſe reſignare oporteat. Qui bene exemplis Redemptoris noſtri, maximè paſſionis illius, ſeſe impreſſit, securè audenter ſe obiecto illi, omnis formæ & imaginis experti, committere & applicare poteſt, in quo theſaurus ille abſconditus latet, quem ſoli delicati ſpecialesq; Dei amici cõcupiſcunt. Diſcretum & ordinatum ſerua naturæ regimen: quod omnibus hunc theſaurum effodere cupientibus impendiò neceſſarium eſt. Amor in omnibus mundis cordibus ludens, teipſum tibi auferens, in neceſſarium atque felicem Chriſti Ieſu carcerem te abducat. Amen.

Quid ante omnia diſcendum.

Deuotionem aliquando non ſentiri bonum.

Vt erga proximos miſericordes, & erga Deum feruidi eſſe debeamus.

EPISTOLA XII.

IN Chriſto Ieſu ſaluere vos iubeo cum feruidis, illuminatis, ac rurſum tendẽtibus omnium electorum Dei amicorum ſpiritibus, in excellentiſſimam illam diuinamq; paterni cordis originem, cum minimè præpedito ac ſupereffluenti abyſſalis diuinæ miſericordiæ refluxu, qui quidem ibi æternus & incommutabilis, hic verò & eſt, & non eſt, prout quiſque diſpoſitus fuerit. Magnã, dilectiſſimi, erga proximos veſtros compaſſionem, veramque dilectionem gerere, eiſque miſericordes, vnanimes, ac modeſtos vos exhibere debetis. Benefacere quoque malefacientibus vobis, per quod ſemen æternæ hæreditatis poſſidebitis. Supremum hominis in hac vita exercitium eſt, Deum pati. Cæterùm hac tempeſtate de ſuis amicis Deus queritur. Primò, quòd corporis neceſſaria cum ſolicitudine à creaturis conquirant. Secundò, quòd creaturis dolorem ſuum querantur. Tertiò, quòd ſpiritalis ſolicitudinis inopiam per creaturas ſupplere velint. Sed vos dilectiſſimi, ſi cum communitate errare non vultis, communes abhorrete vias. Felix & proſperum initium eſt, Deo perpetua & abyſſali connexione inhærere cum abſtractis, quietis, patientibus, & erectis viribus. Temporibus D. Gregorij Papæ imperator quidam erat Mauricius nomine, qui & ipſum & Eccleſiam implacabili odio perſequebatur. Huic B. Gregorius benignam admodum epiſtolam ſcripſit, in qua inter alia ſic ait: Credo quia omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei malè ſeruientem diſtrictius affligitis. Sanè, cùm Pontifex, & quidem ſummus Pontifex, totiusq; Eccleſiæ caput eſſet, iraſci, & iniuriam refellere potuiſſet: ſed hoc omni ſtudio deuitabat. Eius ergo & nos veſtigijs inhærentes, omnem iniuriam patientiſſimè toleremus.

Quid hodie Deus queratur.

B. Gregorius.

Vt Ieſum infantulum circumplecti, eique vniri debeamus.

EPISTOLA XIII.

IN Chriſto Ieſu. In eiuſdem recenter orta infantia, & in dilectione omnium Sanctorum illius, ſaluere vos iubeo. Cùm in hoc inſtabili fluxoque tempore, dilectiſſimæ in Chriſto filiæ & Ordinis ſorores, deuia multa & erroneæ viæ, fraudeſque flexuoſæ, ac mille labyrinthi, multipliceſque tenebræ, ab incommutabi-

mutabi-

mutabili summi boni veritate abducentes: nihil mihi potius, nihil securius esse videtur, quam omnem vanam ac superfluam multiplicitatem, cunctaq; verba, opera & conuersationem, quorum Deus vera causa non est, infatigabili deuitare studio, atque cum asino vera in simplicitate, & cum boue ardentibus desiderijs ad praesepe humillimae quietis recurrere, ibique animam secum innumeris multiplicibusq; defectibus suis includere & arctare, idq; cum eleuata foeni mortiferarum malitiae suae commotionum ruminatione. Hic nanque Christus natus inuenitur non tantùm ex materno vtero, sed etiam ex corde paterno diuinae illius ac ineloquibilis vnionis, cum incomprehensibili ac ineffabili superaffluentia in ipsum fundum, cunctasq; animae vires, & cũ gratia copiosa in omnia nuda corda, quae hoc modo per innumera exercitia praeparãtur. Ille Deum diligit, qui propter ipsum omnia sufferre potest. Diuinissima fides est, omnem spem, & fiduciam suam in Deo constituere, & ipsum perseueranter ac longanimiter expectare. Rursus, ille Deum amat, qui huic seculo mori, & Deo suo viuere nouit: qui Deum scit, & omnia alia nescit. Adhuc, ille Deum amat, cui Deus est id quod est, cui cęlestia sapiunt, terrena desipiunt & taedio sunt: qui sensus suos exteriores concludere, interiores ab omnibus expedire, vires omnes Deo applicare nouit: cui denique dulcedo Creatoris creata omnia vertit in amaritudinem, prorsusq; desipere fecit, in Christo Iesu.

Quis Deũ diligat.

Vt Deo occurrere, & peccata nostra expiare debeamus.

EPISTOLA XIV.

IN Christo Iesu. Praesentiam & ineffabilem amorem illius, qui continuè cum opulentis, iucundissimis, multiplicibusq; donis atque charismatibus suis nobis occurrit, spiritalis salutationis loco. O flores rosarum discretarum exercitationum, quae instar martyrij grauiter carnem excruciant ad similitudinem passionum Christi. & lilia cõuallium humillimę puritatis, properate in occursum Domini Dei vestri, ad intimum paterni cordis ipsius. *Regnum* enim *Dei intra vos est, & omnis gloria filiae regis ab intus*. Ibi planè multiplicia, ineffabilia, inęstimabilia & pretiosissima dona atq; clenodia reperietis, missa summa cum fide in occursum vestri à desideratissimo sponso vestro Christo Iesu. Et si fortasse vel praeterita vobis, vel praesentia peccata occurrant, minimè paueatis, certi quod hoc donũ Dei sit: quin potius ea vice, in spiritu humilitatis & in corde contrito Deo vestro occurrite, iudicando vosipsos secundùm iustitiam illius, & ineffabilem eius misericordiam praestolando. Nec ab hoc vestro tunc temporis exercitio recedetis, donec peccata omnia ab infinita Dei misericordia & gratia consumantur. Et hunc eundem modum seruabitis in occursu quarumlibet tentationum, duritiae, somnolentię, frigiditatis cordis vestri, vel etiam infirmitatis aut acediae ad exercitia quęlibet sancta atque laudabilia. *Nihil* enim *omnino*, prout Apostolus ait, *damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu*. Si verò mentis laetitia, ignita desideria, & quaelibet alia temporalia ad spiritalia vobis bona occurrant, omnia illa cum arcta cordis vestri custodia Deo omnipotenti, ad laudem & gloriam ipsius, offeratis, & omne diuinae voluntatis beneplacitum tantummodò suspiretis, accedentes interim per animi meditationem Christum Saluatorem vestrum, cunctaq; opera & afflictiones illius. E quibus id, quod potissimum palato mẽtis vestrae arriserit, in exercitium assumetis, per flammigerasq;

Luc. 17. Psal. 44.

Rom 8.

geraſque vos meditationes excitabitis, non ceſſantes, donec in ineffabili illa diuinaqúe eruditi ſilentij caligine comprehendamini, ibidemqúe vnus cum Deo ſpiritus efficiamini, cum illic certiſſimè Deus præſens adſit. Aeterna Sapientia cuncta interiora & exteriora exercitia veſtra in beneplacito amoris ſui dirigat, moderetur, informet. Amen.

De flammigeris deſiderijs diuinæ vnionis.

EPISTOLA XV.

IN Chriſto Ieſu ſaluere vos iubeo dilectiſſimi, affectans atque deſiderans in ardenti, flammigero ac æſtuantiſſimo Dei amore, vt ipſe vos ſuccēdat, cunctaſq; animæ veſtræ vires cum tam euidenti eiuſdem animæ veſtræ experimento ac ſenſu, perluſtret irradietqúe, vt tota mens veſtra ardentiſſimo circundetur amore, copioſaque & perfecta ſubſecutione dulciſſimæ vocationis, & ſempiterni tractus amoris, in quibus ſuperbeata Trinitas ab æterno vos eſſe, agere, ac pati debere præordinauit, in æternitatem ſuam & iucundiſſimam ſempiterni Filij ſui eſſentiam. Nunc igitur dilectiſſimæ in Chriſto ſorores meæ, omnes vires veſtras per cuncta opera, per quælibet accidentia, per omnes denique afflictiones atque dolores, ſurſum erigete cum ſitienti amoroſaq; expectatione, quo iugiter à ſolo Deo agi duciq; idoneę ſitis, extra voſipſas & creata omnia abſtractæ & auulſæ. Ne, quæſo, deſideria veſtra vel torpore, vel duritia, vel qualibet de ſummo & optimo bono deſperatione interrumpi patiamini. Ecce enim paratiſſimus eſt liberaliſſimus Deus ſeipſum totum perfectiſſimè & excellentiſſimè vobis impartiri. Semper itaque voſipſas, per mentis veſtræ eleuationem & Dei deſiderium, renouetis: ſicq; Deus & mentem & deſiderium veſtrum nouis ſemper gratiæ ſuæ donis abundè replebit. Enimuerò ſcire vos velim Chariſſimæ, in vnitate ſalutis noſtræ, quòd ſi ego & creata omnia omnem vobis animæ veſtræ nobilitatem abſque ceſſatione ediceremus, nullum id in vobis ſemper manſurum poſſe fructum producere. Sed quicquid in nobis vitales fructus & ſalutem æternam operari debet, perurgentibus deſiderijs & actiuis viribus coram à Deo mendicandum & obtinendum eſt. Perſeueranti autem in amoroſis deſiderijs ſemper opus illud diuinum ſeſe exhibet, quod pati oportet ſingulos, prout ab eis exigit Deus. Nec poteſt huiuſmodi amoroſis deſiderijs error aliquis admiſceri, nec quicquam eis negari poteſt. Ab horum autem exercitatione nulla ætas, nulla infirmitas, nulla excipitur mentis hebetudo. Et reuera Deus benedictus ſe deſiderantibus præ nimietate amoris ſui, ſeipſum non poteſt non impartiri. Cæterùm ego ipſe ab æterna veritate pero ac deſidero, vt ita ſuo vos amore moueat poſſideatqúe, quo Verbum ſuum æternum ita nudè intra vos eloqui poſſit, vt nullius creaturæ verbis opus habeatis. Valete ſemper, & orate.

Qui æterna ſalus obtinēda.

Vti ſub Miſſa dotem noſtram ac munus viduale poſtulare debeamus.

EPISTOLA XVI.

IN Chriſto Ieſu, & in ipſius ſurſum tendente ac viuo amore, & paterna diuina vnitate perpetua vos ſalute impertio electæ filiæ Dei & ſponſæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Conſulo vobis dilectiſſimæ, vt multa cum auiditate munus viduale, dotemque veſtram augere ſtudeatis, quam Pater cæleſtis ſponſæ ſuæ ſan-

ctæ Ecclesiæ in nuptijs siue desponsatione vnigeniti Filij sui contulit. Sunt autem hæc dona matrimonij, eius sanctissima opera & exempla: & verbi gratia, Natiuitas, Passio, Sepultura, Resurrectio & Ascensio. Dos autem ipsa sunt septem dona Spiritus sancti. Hæc sponsa sancta Ecclesia, in quolibet Missæ sacrificio, per ora sacerdotum à Patre cælesti postulat spiritale incrementum atque profectum actualis nostrijpsorum resignationis in prosperis & aduersis in diuinam vnitatem. Et hæc etiam ego sacerdos immeritus & indignus, vobis omnibus in meo quotidie sacrificio deposco, rogoq; & obsecro, vt & vos eadem per me, & sacerdotes omnes, mihi & vobis & omnibus, quos Deus ab æterno dilexit, cum amorosa ac illuminata distinctione poscatis. Nec dubito quin id mirabilem vobis fructum & gratiam sit adducturum, maximè si cum isto exercitio ad quinque amoris vulnera Domini nostri Iesu Christi vos conuertatis. Solicitæ quoque sitis virtutum actibus ordinatè insistere: & peccata omnia, quanuis minima, summo studio deuitetis, id præcipuè curantes, ne cum aliqua perseueranti proprietate ea vobis inhæreant. Denique munus hoc viduale in ignita extenuatione ad altare descendit, vbi sacerdos corpus Dominicum conficit, donec idem illud à sacerdote sumptum sit. & tunc in omnes sui capaces promanant animas, sicut & sancta Hildegardis testatur. Paternus sinus perpetuò vos conseruet, contineatq;. Amen.

Dos.

Alteri inuicem pro altero orandum.

Ad Christi vulnera confugiendum.

De recta via ad quærendum Deum cum feruore.

EPISTOLA XVII.

IN Christo Iesu vobis, in eodem mihi charissimis virginibus, precor & exopto amorem intimum, abundè excitantes actiones, sub compendio in vera resignatione cuncta penetrare, & deinceps in diuina absque modo immorari caligine, cunctaqúe alia interna & externa exercitia, non ex arida quadam consuetudine, nec sensu proprio, sed ex vera discretione, diuina intentione, in mansueta expeditaq; resignatione peragere. Rogo, dilectissimæ, per Dei amorem, vt vobiscum manere & abstractè viuere curetis, atque vosipsas non Deo tantum, sed & creaturis omnibus in vera obedientia & resignatione humiliter ac mansuetè subijciatis. Vestrijpsarum & cordis vestri, diuinarumque intra vos operationum strenuam habeatis curam. Deo vos in omnibus, quę intus & foris occurrunt, funditus resignetis, eique tota cum fiducia inhæreatis, quibuslibet etiam timoribus ac tenebris natura obruatur. Præcipuè verò intentioni vestræ inuigiletis, ne quid omnino aliud, quàm Dei honor & eius gratissima voluntas, à vobis quæratur aut intendatur. Et tunc haud dubiè stella diuina, index itineris, & lux vera, quæ Deus est, orietur in cordibus vestris: monstrabitq; vobis, vbi, quomodo & quid à vobis habere velit. Idem ipse & per vosipsas, & per creata omnia vos in se perducat. Amen.

De cordis puritate & feruore.

EPISTOLA XVIII.

IN Christo Iesu mori omnibus, & cum ipso perenniter resurgere. Opto vobis, dilectæ virgines Christi, annum iubileum in exteriori simul & interiori vos compleſſe homine, ita vt sine vllo timore vel trepidatione, omni consideratione iam extincta in vobis, audenter vos intimo, simplicissimo, indepicto, atque purissimo fundo, cum essentiali ac illuminato amore tradere ac resignare possitis.

possitis. Quicquid verò ab isto vos impedit, aut inde reuocare molitur, id repudietis penitus, & huic securè acquiescatis. Vocationis etiam vestræ, in qua à Domino vocati estis, & vestrijpsarum diligentem habetote curam. Quisquis enim diuinam vocationem electionemquè neglexerit, spreuerit, eique restiterit, non solum perpetuum ob hoc damnum patietur, sed & immensas in Purgatorio pœnas luet. Imò & pro qualibet imagine ipsum à Deo remorante, Deiquè in ipso occupante locum, quam sponte intra se morari permisit, tantos perferet cruciatus atque miserias, vt si eas modo cognosceret, etiamsi pro voto suo omnem delectationem illam in vnum conflatam, quam ab exordio mundi ad finem vsque seculi, & habuêre & habituri sunt homines vniuersi, solus obtinere posset, multo sanè libentius & ea careret, & omnium insuper pauperrimus atque adeò leprosus fieret, quàm vel minimas Purgatorij pœnas, quas vnquam vna saltem horula aliquis perpessus est, experiretur. En desiderio, charissimæ, vt ineffabilis Dei amor ignitis vos cogitationibus perfundat, sibiqúe vos totas in gaudiosa concrematione sua vniat copuletqúe, ita vt *ea quæretro sunt*, cum vestrijpsarum Philip. 3. & mortalium creaturarum omnium contemptu obliuiscentes, *ad* superiora vos anterioraque hominis interioris in abysso humilitatis, puritatis & æternitatis vniatis, extendatis, impellatisque: hominem verò exteriorem ab omni custodiatis externa solicitudine, naturali affectione, propria voluntate, & ab omni denique mœrore vel delectatione præsentis prosperitatis aduersitatisq;. Hæc porrò & in me, & in vobis verus ille artifex, qui id solus potest, perficiat & operetur. Amen.

Quòd cum feruore in via Dei ambulandum sit.

EPISTOLA XIX.

IN Christo Iesu, eiusdem incontinentissima, ineffabilia, ac benignissima dona salutis loco. Quæso, dilectissimæ in Christo virgines, & discite in omni castitate & humilitate continuè, purissimè, feruentissimèque illa ingredi via, quę ad summum perducit bonum, quod omnia ea, quę mundus hic totus & creaturæ vniuersæ præstare possent, longè excedit: totamqúe mentem & desiderium, cum vniuersis viribus vestris, ad cælestem vitam conuertite dirigiteque. Hæc autem via in omnium delectationum subtractione, ex purissima ac impermixta intentione inchoatur, feruidisqúe ac æstuantissimis continuatur desiderijs, & in ardentissimo amore, feruentissimoque fauore & ineffabili quodam incontinētissimæ bonitatis diuinæ gustu perficitur atque completur. In hac iucundissima via vetus homo noster cum vniuersis consuetudinibus, modis ac leuitatibus suis emoritur, & nouus homo noster viuificatur, & transformatur in id ipsum, & in similitudinem superexcellentissimæ Trinitatis Dei. Vnde omni cum dilectione, qua possum, vos oro & obsecro, quo eundem per seipsum deprecemini, vt nos omnes introducat, deducat, & perducat in eandem hanc superexcellentissimam viam, quæ Christus ipse est, Dominus ac Redemptor noster, in secula benedictus. Amen.

Vt per Christi passionem diuini amoris feruorem obtineamus.

EPISTOLA XX.

Virginibus Christi seruus earum eum, quem suam salutem gaudium & desiderium esse agnoscunt, pro salute mittit, quo hunc eundem totius salutis magistrum, ex intimis omnium virium suarum ardentissimo complectantur amore, eius præceptis atque consilijs fidelem exhibeant obedientiam, ac eius denique amarissimæ passioni, secretisque imaginibus, & exemplis se totas applicent, humiliterquè conforment. Quid his amplius, ô Christi virgines, vobis scribere potero? In his enim tribus, Sanctorum omnium asperitatis conuersatio, & cuiuslibet hominis exercitia comprehenduntur. Et qui his magis abundat, Deo vicinior atque coniunctior est. Et quid, obsecro, Deum amantibus Psalm. 33. deesse possit, quando nec timentibus eum aliquid deest? Quid autem ille exigit à nobis, nisi vt mandatis atque consilijs illius nos totos tradamus, eiusque vitam & passionem imitemur? Quod vt faciliter in nobis & per nos fieri queat, Christique passio & exemplar ad extremum & laudabiliter in nobis perficiantur, facies nostras continua meditatione sursum erigere, eiusque passionem in conclaui cordis nostri, omnem inde contrariam excludendo occupationem, in intimoque mentis nostræ hospitio, & in supremo spiritus siue fundi nostri domicilio, fideliter recogitare ac ruminare debemus. Sanè anima, quæ sic à Christo dici meretur, ceu apotheca fit suauissimi odoris, quem pretiosissima Christi virtutū spirant aromata. Hæc autem aromata, in mentis nostræ pyxide simul congesta, circunferenda sunt. Credite Deo & expertis, charissimæ, quia hic amantis animæ vox insonat. Nec vocem tantùm emittit, sed & in intimo æstuantissimorum suspiriorum impulsu, quasi cum impatienti desiderio vociferatur: O vnice amor meus. O tutum refugium laborantium ac fatigatorum. O salutaris medicina languentium animarum. O aurea consolatio atque directio te suspirantium. O dulcissima ac præstantissima te esurientium esca, & suauissime te sitientiū potus. O vernans conclaue in te quiescentium. O speculum sine macula contemplantibus te. O vnica & summa sufficientia mea, trahe me post te, extra me & extra omnes creaturas veraciter, ardenter, purè atque suauiter: & sic dulciter ac indefessè Cant. 1. curremus in suauissimo *odore vnguentorum tuorum*, nec cessabimus, donec eodem hoc præcipuo odore, qui Christus ipse est, in amabili paterni cordis apotheca viribus collectis in intimo spiritûs nostri liberè fruamur, ipsumque sentiamus abundè.

Breues, sed haud vulgares, admonitiones.

EPISTOLA XXI.

Charissima in Christo filia, veniet tempus & nunc est, quo multa quærentur, quibus ore satisfieri ac responderi non poterit, sed in spiritu duntaxat & veritate. Et quotquot tunc supererunt homines puri ac Deum quærentes in omnibus pro pace cordis sui sapienter se gerent, & in vera dilectione perseuerabunt: in qua & ego seruus tuus ero, tibique, quantum coram Deo potero, obsequium impendam. Amicus enim fidelis in Domino amicum suum in errore relinquere non potest. Dic, obsecro, charissimis filiabus nostris, me eas ad scholam humillimæ resignationis remittere, vt illic & sibijpsis in corporali-

bus

bus ac spiritalibus rebus, & vitijs quibuscunq; perfectè mori, & seipsas in nulla vel gratia vel donis Dei quærere discant. Quòd si hanc artem probè didiceritis, in nudo ac essentiali amore illo, qui Deus est, reuiuiscetis, nec opus erit vobis deinceps vel me, vel quenlibet alium quæstionibus pulsare. Iterum oro, dic filiabus nostris, me eas rogare & hortari plurimum, vt ab omnibus externis rebus expeditæ & simplices persæuerent permaneantque, & cordis sui, operumque suorum & suipsarum, pura cum discretione & pace mansueta, curam habeant. In hoc enim gratissima Dei voluntas cognoscitur perficiturq;.

Vt per vulnera Christi verum amorem assequamur.

EPISTOLA XXII.

IN Christo Iesu saluere vos iubeo. Animæ cognitio & comprehensio, in vno illo necessario consistit, vt eodem cum Sanctis omnibus perenniter perfruamur. Quæso, electissimæ Christi sponsæ, idem hic sponsus vester solus vobis sapiat, nec quicquam illi comparare audeatis. Hoc planè & vobis, & omnibus mihi in Christo coniunctis, vobisqúe commorantibus, æquè vt mihiipsi & animæ meæ cupio & exopto. Quicquid per diem agendum vel dimittendum est, id iuxta Ordinis vestri Canonem ac statuta disponatis efficiatisq; idemq; rursus in Christi Iesu offeratis vulnera, iuxta exercitium quinque virtutum illius, quod à me edoctæ estis, quomodo videlicet per has ingredi debeatis. Et in his sedulò vos exercere curabitis, quantum experientia sancta vos docuerit, informârit, direxeritque. Tantummodò gratiam Dei, quæ in vobis est, non negligatis: sed magis vobiscum disquirite, vt amplius augeri ac diligentiores fieri possitis, in gratia, in pacis gustu, in gaudio spiritali omnem sensum exuperante, in illuminatione simplicis cordis, in conscientiæ puritate, & mentis eleuatione, in cælesti dulcedine impendio feruentis ac æstuantis spiritûs, in visceribus Christi, & demum in sancta omniũ sensuum vestrorum custodia. Sic enim cęlesti Patri per Iesum Christum vosipsas *hostiam immaculatam, viuentem, sanctam a. beneplacentem* offeretis. Præterea cunctis hominibus, maximè tamen domesticis, id est, consororibus vestris vosipsas totius perfectionis, cunctorumq; bonorum operum ceu viuum quoddam simulacrum, omni in humilitate, mansuetudine, patientia exhibebitis, sufferentes ea in charitate, sicut & vos à Christo & amicis illius hucusque toleratæ estis. Vnde etiam in Christo vobis præcipio, & ex parte mea humiliter vos oro & obsecro, vt consodales vestras in oratione mentali ac interna crebra admonitione promoueatis, eas corrigatis intus, cum cordis pace ac lenitate corripiatis, semper tamen potius interiori & exteriori exemplo & conuersatione vestra, quàm verbis eas instituatis. Cætera omnia Christus Iesus, sponsus vester & electus sanctæ Ecclesiæ amor in secula benedictus, vos abundè edocebit.

Vt quis cælestis, Angelicus, & diuinus homo efficiatur.

EPISTOLA XXIII.

IN Christo Iesu: Si fili charissime scire exoptas, quid eò requiratur, vt quis planè cælestis, Angelicus, atque diuinus efficiatur homo, ea quæ sequuntur, attende: Talis ergo ita se exhibebit, vt semper omnis introitus illius, verus & perfectus sit exitus & abnegatio suipsius & omnium in veritate: & rursus, vt

omnis exitus illius, purus ac verus sit introitus in Deum. Qui eiusmodi est, is summam perfectionem obtinet, tantæq; ab omni proprietate paupertatis est, vt nec tantillum habeat spatij, quo eleemosynam recipere possit. Nihil enim omnino sibi vsurpat. Qui si quicquam sibi esse videretur, haud dubiè in hoc periculosissimè caderet, & noxius ille sinus foret. In illa verò paupertate constitutus, etiam regnum habere posset. Et sicut nihil sibi in suo introitu vsurpat, vel ascribit boni, ita & nihil omnino ex his, quæ foris sunt, sibi vendicat, etiamsi omnia suo dominio subiacerent. Vnde verò, ait aliquis, huiusmodi amabiles homines nôsse licebit? Inde videlicet, quòd abundè illis sufficit & arridet, quicquid eis Deus euenire permittit. Et in hoc ipsorum hîc beatitudo incipit, & perenniter perseuerat, quando in omnibus veram ac integram pacem habent. Quod quid aliud est, quàm hîc inchoâsse, quo æternaliter in Deo sunt perfruituri? relinquunt etiam Deo quod illius est, & seruant quod suum est, id est, suiipsorum nihilipensionem. Vnde & Deus eis auferẽs quod ipsorum est, restituit illis quod suum est, id est, omnipotentiam in se. Ita enim DEO quodam modo dominari incipiunt, vt extra illos nihil ipse faciat: sicut & Deus econuerso ita eis dominatur, vt nihil illi extra ipsum facere præsumant. Denique isti homines non ex subtilitate intellectus, nec ex inordinatis magnisq; exercitijs, nec ex specie aliqua externa, neque ex habitu vel vestitu, qualiscunque sit ille, siue diuites sint ipsi, siue pauperes, siue in Monasterio, siue extra degant, cognosci possunt. Non enim grande aliquid præ se ferunt. In vera duntaxat, diuinaq; essentia, vbi & reuera inueniuntur, agnosci queunt. Dumq; magna eis vel aduersitas occurrit, vel afflictio, spontanei inueniuntur. In ipsa namque animæ essentia sunt, tantoque profundius in ipsum sese demittunt fundum: suumq; nihilum contemplantes, ei, cuius sunt, ex integro sese resignant atque relinquunt. Nunc igitur, fili dilectissime, mecum simul in dulci nomine Iesu coram Patre cælesti, & me, & te quoque, & omnes, qui hanc viam neglexerint, plange atque deplora: nec vnquam cessemus, donec vitalis sapidæ sapientiæ virtus præualeat, ita vt in nobis id totum perficiatur, quod hucusque, proh dolor, neglesimus. Nihil enim Deus ipse libentius largitur, nec quicquam illi pretiosius, nec nobis vtilius ac potius est. Ad hoc verò suam ipse nobis opem porrigat, & cælestis auxilij dextram prætendat. Amen.

Vnde amabiles Dei homines nôsse queas.

Quæstio & Responsio de suprema perfectione.

EPISTOLA XXIV.

Quæstio.

CHARISSIME in Christo Pater, sicut nôsti, orphana sum atque destituta tibi ac soli Deo derelicta, & ignoro quid facere debeam. Sicut iussa fui, per aliquot dies abstractius vixi, & meipsam in occulta desiderij scintilla & omnium paruipensione mecum exercitaui, omnesq; inspirationes, cuncta lumina, vniuersam intellectualium imaginum dulcedinẽ, & bona omnia, quæ anima per naturam vel delectationem intra se formare potest, transcendi atque excessi. Et in hoc solo desolatam illam paupertatem, vastamq; & interiorem, in qua phantasiæ omnes bonæ vel malæ locum habere non possunt, inuenio ac deprehendo solitudinem. Hîc verò iam velut mendicans ante fores Domini mei prostrata, illius beneplacitũ expecto. Neq; enim intelligo, quid sibi velit, quòd

hæc

hæc affectus siue desiderij scintilla non quiescit, donec omnes cordis & capitis mei vires consumantur, exhauriunturq́. Quo facto, si vel parumper quiescere possim, ilicò vires consumptæ reparantur. Et quanto abstractius viuo, tanto interiora mea interiorq́ homo meus, in hac paupertate delectantur amplius, licet exterior homo, si facultas ei præberetur, fugam potius modis omnibus iniret. Quorsum autem hæc euasura sint, in mortem videlicet, an vitam, incompertum habeo. Meo tamen iudicio multum hîc fides, spes, charitas roborantur. Vnde si inclusorium aliquod vel solitarius mihi locus esset, his totam me traderem, magis quàm nunc possim.

Responsio.

Ad hæc ego ex DEI gratia respondeo, exigi huc solitariè viuere cum incommutabili mente & libera voluntatis tuæ in gratissimum Dei beneplacitum resignatione, ita vt cum sancto Paulo prostrato dicas: *Domine, quid me vis facere?* Actor 9. Idq́ iterum atque iterum renouare, & in eo ad mortem vsq́ persistere. Hoc verò nulla humana actio per se pertingere potest, nisi hæc vera inhærensq́ perseuerantia & sitis DEI. Adeo namque larga atque libera sunt opera Dei in homine, vt omnia ad summam perfectionem perducant, nisi ipse hoc homo præpediat. Quàm larga sint opera Dei. Vnde si vel quadraginta annis in hoc desiderio, siti, & expectatione Dei quenquã morari oporteret, meritò hoc libenter ac patienter in vera resignatione pro acceptissimo Dei beneplacito pateretur. Amen.

De perfecta resignatione & obliuione nostrijpsorum & omnium, quæ in schola Dei addiscuntur.

EPISTOLA XXV.

IN æterno ac ineffabili cælestis Patris & sempiterni Verbi illius amore, saluere te iubeo dilecte in Christo fili. Rogaui dilectum Deum meum pro felicis ac securæ mortis præparatione: & ecce ab ipso velut pauper discipulus, ad immensam ac opulentissimam scholam missus sum, vbi ineffabilia, magnaq́ mira quotidie & horis omnibus addiscuntur. Author D. Eccardus iunior. Pro hac autem felicissima ac benedicta schola, omnia penitus deserenda sunt. Qui enim in ea amabili lectori illius subditus esse voluerit, eum & à seipso, & à creaturis omnibus expeditum, vacuum ac liberum esse oportet. Denique in hac schola à dignissimo magistro in summo ac excellentissimo libro hæc quotidie institutio seu prælectio discitur: Quòd videlicet in vera resignatione voluntatis nostræ in gratissimam Dei voluntatem per mentis immobilitatem, iucundum semper & perinde nobis esse debeat quicquid simus, & vtrum abundemus, vel patiamur inopiam, sciamus vel ignoremus, ita vt nihil omnino velimus, nihil appetamus, nihil optemus, nihil quæramus vel intendamus, quàm nudè amabilis magistri huius beneplacitum ac voluntatem, etiam in posse & non posse, in omni actione & dimissione, in cunctis spiritalibus ac corporalibus afflictionibus, in viuendo demum & moriendo. Vbi enim vel quomodo habeamus aut simus in his cunctisque alijs immobiliter perinde nobis esse debet absque omni vacillatione, absque omni electione vel repudiatione huius vel illius, absque omni denique velle vel auersari. Ita enim, dilectissimi, Magistri huius voluntas in nobis viuere debet, vt quicquid extra hanc est, penitus in nobis extinctum sit, atq́ alienum à nobis. Hanc gratissimam illius voluntatem nudè in seipsa absque additione

vel

Schola. vel abstractione & ante mortem, & in morte, & post mortem in nobis perfici oportet. Magister. Breuiter ergo schola, ad quam à summo illo Concilio remissi sumus, Liber. ipsa est benedicta atque paterna Dei voluntas. In hac verus Magister ipse est Spiritus sanctus in omni bonitate sua. Vnicus ac verus scholæ huius liber, ipse est superdulcissimus Dominus noster Iesus Christus & in seipso, & in omnibus, quæ illius sunt. Præter hanc ergo scholam, omnes aliæ scholæ prorsus mihi emortuæ sunt. Præter hunc magistrum, quotquot alij sunt pædagogi, procul à me remoti, mihiq; penitus alieni sunt. Præter hunc denique librum, omnes alij codices clausi mihi sunt atque incogniti. Hæc planè cuncta me deserere fecerũt. His duntaxat verè viuere statui. Ita quæso & tu fili charissime, solis his viuere, sed verè viuere, disce: & ita pacem habebis veram in omnibus, quam aliâs obtinere non poteris. Frequenter, obsecro, scholam hanc benedictam ingredere. Quem enim alium accedamus, aut quò libentius ire velimus, quàm vbi dulcissimus hic pædagogus fine cessatione præsentissimus semper adest, totusque ad omnia paratus est, liberq; iste amabilis omni patet tempore? Securè, fili dilectissime, in fide mea, in hoc lætare atque persiste ordine. Reuera enim neque meliorem, neque compendiosiorem, neque securiorem, neque celsiorem aliquam viam noui: & hunc magistrum Deus omnipotens ex diuitijs immensæ charitatis suæ tibi concessit. Audenter enim mea fide sequere. Hoc enim tibi vtilissimum est. Tantùm ad hunc beatum & sanctum accede ludum. Quisquis enim hunc ingressus fuerit, ita absque omni dubitatione instituetur, vt omnes cogitationes, verba & opera, totaq; vita illius, ex Deo Patre ducant originem, eidemque tam grata sint, quàm quæ gratissima.

Deuotum exercitium ad quinque vulnera Christi.

EPISTOLA XXVI.

Quid animæ Deũ amanti contemplandum.

IN Christo Iesu saluete filij charissimi. Anima Deum amans, eundem in il-
lius vulneribus contemplari & osculari debet. Hæc enim Saluatoris nostri
vulnera plus pulchritudinis, lætitiæ, claritatis toti conferunt cælesti curiæ,
quàm omnia alia, quæ in vita perenni, excepta diuinitate, habentur. Primò ita-
I. que homo Deum amans, in hoc fluxo ac instabili tempore magno cum deside-
II. rio illius caput osculabitur. Per hoc namque quandam accipit nobilitatem, &
paternam cum Christo hæreditatem possidere dignus efficitur. Secundò vul-
III. nus cordis contemplabitur. Inde animæ illius in diuino amore cunctisq; vir-
IV. tutibus feruidus profectus datur. Tertiò vulnus dextræ manus contuebitur. In-
de ipsi redemptio, libertas, & gratia Dei præstatur abundè. Quartò vulnus sini-
stræ manus contemplabitur. Inde scutum & protectionem aduersus tentationes
V. quaslibet reportat. Quintò vulnus dextri adspiciet pedis. Inde robur & virtutẽ
VI. cuncta pro Dei amore libenter perferendi suscipit. Sextò enim deuotione sinistri
pedis vulnus attentè considerabit. Inde illi à Deo delectatio & affectus ad om-
nia spiritualia studia, cunctaq; virtuosa præstatur opera. Itaque quoties eiusmodi
homo hæc amoris Christi signa deuotè ac seriò contemplatur, toties iam dicta
renouantur dona, & magis magisq; perfecta redduntur. Et hæc est certa ac vera
reuelatio à Deo, quæ fundamentum suum ex Scripturis sanctis habet, diuinitus
inspiratis.

Quod vera cum resignatione crucem Christi ferre debeamus.

EPISTOLA XXVII.

IN Christo Iesu. Omnis inordinatio tam exterioris quàm interioris hominis, filij charissimi, in vera suijpsius resignatione sub Deum in cunctis iudicijs ac permissionibus illius componitur ac ordinatur. Quam qui habet, ille in eadem à creaturis omnibus in incomprehensibile bonum illud, quod Deus ipse est, eidem offertur, ac refertur in eundem. Seipsum ergo, & quid Deus à se exigat, crucemque illam, in qua Deus ipsum pro gratissima voluntate sua præparare constituit, quisque attendat & obseruet, vt domicilium cordis sui in fruitione Dei Opt. Max. hîc in tempore, & illîc in æternitate, dignè possidere queat. Quo enim crux amarior fuerit, eo & præclarior deinde iucundiorque illius in Deo resurrectio erit. Caueat etiam singularitatem in exteriori conuersatione sua, & quicquid incidit animo quod ipsum vel mœrore, vel perplexitate queat afficere, quando certissimè totum hoc diaboli opus est. Omnis quoque in omnibus voluntatis sit expers, & ita verè pauper erit, etiamsi cunctas mundi diuitias possideret. Ad illam se crucem offerat atque resignet, quam Deus illi imposuit, siue in Monasterio, siue in inclusorio, siue in matrimonio degat. Hoc enim illi vtilius est, magisque Deo præparat, quàm omnes Doctorum omnium tam præsentes quàm præteritæ conciones. Humiliet se *sub potenti manu Dei*. Ipse namque ait: *Sine me nihil potestis facere*. Resignet ergo se Deo, & patiatur opera illius: corpusque suum in edendo, bibendo, dormiendo, quantum sibi ex his necessarium esse perspexerit, ordinatè regat. Alioqui haud dubiè corpus simul & animam, & quod maximum est, etiam Deum suum amittet. Vnde exercitia omnia tam interna quàm externa, quæ naturam destruunt aut ineptiorem reddunt, agat cum discretione, vt Deus in ipso quietem inuenire possit. Quod si crucem interioris pressuræ ob inordinatum cuiuslibet creaturæ amorem sustinet, pro Dei amore creaturæ illius præsentia libenter careat, quæcunque etiam sit illa, vel quamlibet sancta illi esse videatur: siue amicus sit, siue cognatus, siue vir, siue vxor. Tanta enim naturæ nequitia & viscositas est, vt satis superque dolendum sit. Et si sic fugam inierit, ex pressura illius fructuosum tranquillæ cōscientiæ gaudium, & ex cruce fructus salutis perpetuæ orietur. Potentia Patris te capiat, æterna Filij Sapientia te conseruet, & Amor Spiritus sancti te in se concludat in Christo Iesu. Amen.

1 Pet. 5. Ioan. 15.

Exercitium, per quinque vulnera Christi, in eius diuinitatem transeundi.

EPISTOLA XXVIII.

IN Christo Iesu quinque illius virtutes essentiales, & illuminata atque perfecta in eiusdem quinque vulneribus diei itinera in perenni illo Iubileo ad diuinam Romam, quæ est amor in vnitate diuina, vobis precor & exopto. Primò, via per sinistri pedis vulnus, est sitibunda nostræ sensualitatis, naturæ, ac inordinatæ naturalis delectationis mortificatio, ad diuinæ vsque voluptatis & oblectationis fruitionem. Secundò, via per dextri pedis vulnus, est fortis ac ve-

Via per sinistri pedis vulnus quæ. per dexti.

ac vehemens in Deum per omnia foris accidentia & quælibet aduersitatem, cum patienti perseuerantia in gratiarum actione & laude superessentialis boni illius, quod Deus ipse est, penetratio. Tertiò, via per vulnus sinistræ manus, est actiua virtutum omnium exercitatio in obedientia humili, & integra sui ipsius sub Deum subiectione, atque idipsum iuxta sancti Spiritûs impulsus & admonitiones, exercitijs prosequi & comprobare, seipsumque in omni interiori defectu & experientiæ internæ paupertate & inopia, in qualibet etiam pressura & afflictione, vera cum resignatione, in tempore & æternitate, prorsus deprimere & abnegare, & immensæ diuinæ voluntatis nobis incognitæ celsitudini adhærere. Quartò, iter per vulnus dextræ manûs, est abstracta, nuda, simplex, & expedita spiritûs paupertas, omnis imaginis seu formæ expers, cum amore essentiali in superdulcissimam, purissimam, superessentialem diuinæ simplicitatis nuditatem. Quintò, via per vulnus cordis, est seipsum per veneranda Sacramenta, iuxta Ecclesiæ sanctæ obedientiam, foris quidem in cunctis operibus bonis, intus verò cum ignitis desiderijs & modinelcijs exercitationibus per amorem actualem largè consumere, succendere, conflagrare, & in amore essentiali liquescere, ac in seipso per fruitionem & abyssali quadam ratione sine omni medio, quod quidem ad sensibilem distinctionem attinet, in caliginosum diuinæ ac superessentialis vnitatis silentium sese immergere demittereque. Hanc institutionē si quis fructuosè & habere & seruare volet, ter eam per diem & noctem attentè ac intimè contuebitur. In prima consideratione seipsum in humili ac dolorosa sui agnitione coram Deo distinctè accusabit, quod hanc institutionem vita ac moribus impugnârit. In secunda consideratione, Deum Opt. Max. dignissimorum meritorum & amabilium ac opulentorum vulnerum illius admonebit, & quidem seriò, ipsumque pro supradictis virtutibus humiliter ac distinctè deprecabitur. In tertia consideratione seipsum ad quinquē sacratissima cōuertens vulnera ardenti cum desiderio, & amore impetuoso ac violento cum vniuersis viribus, toto corde, tota anima, omnique mente sua, per cælestes radiantium Christi Iesu vulnerum portas, in Deum nitetur, contendet, ac penetrabit. Quisquis ergo, inquam, ex hoc exercitio fructum optat consequi, omni cum attentione huic sese tradere curet. Semel in nocte, semel manè, & semel vespertino tempore. Vsus enim & exercitium faciunt artem, & sedulitas virtutem, desiderium gratiam, & amor ingens vitam æternam promeretur. Siquidem, vt ipse Dominus ait, *qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Ex quo nimirum sequitur, eum qui hæc facere recusat, indignum esse cui aliquid conferatur. Quòd enim (vt dici solet) nullo constitit, nec valere aliquid potest. Et qui charum aliquid habere cupit, charum itidem relinquat oportet. Amen.

Per sinistræ manûs vulnus.

Per dextra.

Via per vulnus cordis quæ.

Ars qui fiat Matth 7.

De sex quibusdam, quæ faciunt hominem immobiliter in diuina vnione persistere.

EPISTOLA XXIX.

Author D. Henricus à Louanio.

QVI perfectè Dei sui esse voluerit, sex illi obseruanda veniunt, ex quibus tria externa, totidemque interna sunt. Externorum primum est, vt vestes & cuncta exteriora illius simplicia sint, quibus nulli omnino, prætérquam soli

Sex obseruanda quæ.

1.

soli Deo, placere cupiat. Aliud est, vt verba illius succincta, necessaria, simplicia, & de rebus diuinis sint. Tertium, vt omnis vita, & vniuersa opera illius, & quicquid demum agit, ita sit integrum, vt in nullo prorsus à quocunque possit reprehendi. Internorum verò primum est, vt cogitationes illius puræ sint atque cælestes. Secundum, vt solum Deum purè quærat & intendat. Tertium, vt omnibus pro Deo nullo possit negotio valefacere, hoc est, vt quicquid illi euenerit, imperturbabilem semper ac veram ex animo pacem retineat: vt sicut aqua, nullis ventorum turbinibus agitata, quieta consistit, ita & fundus illius in omnibus tranquillus & immobilis perseueret. Sicut enim in aqua, quandiu fluctibus ea tumet, & motu quodam agitatur, nemo se contemplari valet, ita & simplicissimum purissimumque bonum illud, quod Deus est, nunquam in spiritum vel interiora illius radios suæ lucis dirigere potest, quandiu prosperis vel aduersis commouetur. Ob nullam enim quamlibet magnam prosperitatem, vel honorem, ob nullas diuitias vel amicos, aut quicquid fortunatum accidere possit, ad leuitates, dissolutiones, & gaudia vana cor inflectendum est. Rursusque ita ediuerso contra aduersa omnia imperterritus & immobilis quisque persistet, vt in fundo suo ob damna quælibet sibi illata minimè perturbetur aut impediatur, nec malum quodcunque intus aut foris cupiat alteri, quicquid etiam ab illo patiatur: siue ille bonis omnibus, siue honore, siue amicis, siue commodis, siue solatijs omnibus ipsum exuat despoliétve. Imò si vel oculos eruat, vel domum voracibus tradat flammis, aut alia quælibet inferat mala, nequaquam aduersus ipsum maligna cogitatione desæuiet, nec vltionem expetet: sed cuncta non ab homine, sed de manu Domini suscipiens, quòd illi aliqua ex parte conformis efficitur, gratiarum ei deuotas persoluet actiones. Interim tamen sciendum est, neminem ita felicem esse vel sanctum, Christo duntaxat & gloriosa Virgine exceptis, quin saltem primos quandoque motus patiatur. Nam & omnes Sancti eos perpessi sunt. Cæterùm mox vt eos sentiebant, ita per Dei gratiam illos supprimere norant, vt neque in vultu, neque in verbis, neque in gestibus ipsorum possent facile deprehendi. Denique ad hanc quietem etiam hoc exigitur, vt ita quisque affectus, ita dispositus sit, vt quamlibet diuersis occupationibus ac multiplicitate obruatur, mox vbi ad Deum per orationem sese conuerterit, nulla inde imago, nulla species, nulla saltem vmbra in ipso remaneat, vnde in intellectu ac mente sua reddatur ineptior, præpediatúrve. Faxit Dominus noster Iesus Christus, vt omnes ad hæc quandoque pertingere mereamur. Amen.

II. III. I. II. III.

Vt ab externo homine ad præcipuam felicitatem nostram intrò nos recipere debeamus.

EPISTOLA XXX.

VITAE tuæ ratio & conuersatio interna sit, neque foras te proferas aut erumpas, siue verbis, siue gestibus moribusve. Veritati simpliciter facias satis: atque in ijs, quæ tibi euenerint, non nimium tibi ipsi subuenias, neque in

Author D. Henricus Suso.

que inordinatam admittas solicitudinem. Enimuerò qui plus satis sibi ipsis subueniunt, ijs à veritate minus fertur subsidij. Quando hominibus ades, ab animo excludas visa & audita, atque vni DEO, qui intus exhibitus tibi est, inhærescas. Sedulò id cures, vt in actionibus tuis ratio sibi primas vendicet. Namque dum portio sensitiua vel sensualitas primas occupare sinitur, omne malorum genus inde emergit. Delectatio non secundum sensus, sed iuxta veritatem capienda est. Deus quidem nos delectatione priuare non vult, sed perfectam atque modis omnibus absolutam in seipso nobis delectationem præbere appetit. Fortissima sui abiectio vel submissio supremam in se ascensionem complectitur. Qui in intimis versari petit, is omnem fugiat oportet multiplicitatem, renuntietqúe omnibus, quæ ab vnico illo vno aliena sunt. *Vnum* namque, vt Dominus ait, *est necessarium*. Vbi natura ex sensibus, vel sensualitate operatur, ibi labor est & dolor, & rationis obnubilatio. Nulla maior voluptas est, quàm vbi me vnum inuenio, in Deo, totusqúe DEO sum in omnibus, ita vt me oportet. Hominis probè resignati exercitatio est, à seipso deficere. Quando amor noster circa imaginationes & personas versatur, iam accidentia amantur: idqúe non rectè habet. Attamen ferendæ sunt imaginationes piæ, donec decidant. Interdum namque ex interno simplici fundo id proficiscitur, neque illic imaginis præsentia diligitur. Atque vbi omnia & nosipsos quoque abnegamus, vnumque sumus, inibi DEVS est. Qui sese deserit, ne inordinatè foras prorumpat per sensus, is & in prosperis & aduersis crucem ferat ac patiatur. Siquidem patiens vel afflictus aliquis, plus amat anno vno, quàm alius foras erumpens annis tribus. Si creaturis omnibus prodesse cupis, à creaturis omnibus ad Deum te conuerte. Dum quis rem siue causam comprehendere nequit, si se possit expedire in DEO, iam ab ipsa re vel causa comprehenditur. Vide ne sic vnquam te foras recipias, vt ab interno proposito tuo & Christi exemplo discordes. Naturæ vbique sese admiscentis propensionibus inuigilandum est, eæqúe propter DEVM supprimendæ ac mortificandæ. Si vnitatem aut simplicitatem ferre nôlis, feras necesse est multiplicitatem. Vsqueadeò à cunctis rerum simulacris ac imaginibus te nudum serues, ac si nulla præter te in terris creatura sit, tumqúe ita dicas. Equidem tibi esse non possum, vt tu mihi es. Natura quidem naturam diligit, seseqúe semper spectat. Plerique natura sunt nimis indomita & immortificata, & eorum exterior homo foris permanere cupit, & in maximis versari periculis. Sese intus continere, maiores vires præstat, quàm possint res externæ. Atque ex vna inordinatione alia proficiscitur. Vide ne natura prægrauetur, atque vt externus homo cum interno consentiat. Obserua hominem tuum internum. Siquidem in hoc externa pariter & interna vita consistit. Perfectissima exigit resignatio, vt natura perpetim fræno contineatur, tamqúe præsenti animo sibi quisque semper inuigilet ac moderetur, ne natura vltra limites feratur & excedat. Quereris te nimis etiamnum actuosum, irresignatum & impatientem esse. Sed ne desperes. Quanto ad tui mortificationem propius accesseris, eò melius. Vitiorum omnium radix, totiusqúe veritatis obnubilatio, est amor rerum labentium. Sed sensuum occubitus, veritatis exortus est. Quando vires animæ à sua actione deficiunt, & elementa,

Luc 10.

ex quibus corpus constat, repurgantur ac defæcantur, iam vires æternam suam obtinent nobilitatem, dum se in suam originem Deum recipiunt. Cunctarum animæ virium vna essentia & actio est, ea videlicet, vt æternæ veritati, id est, Deo faciant satis. Neque quicquam frugiferum est, nisi quod intimo diuinæ naturæ fundo conforme sit. Multi quidem diuina se gratia moueri senserunt, sed illi morem non gesserunt: internus & externus homo eorum longè à se dissident: atque hoc defectu complures laborant. Natura liberæ voluntatis arbitrio subiecta est: quanto igitur longius per sensus euagamur, tanto sumus à Deo remotiores: quanto autem magis intrò ingredimur, eo efficimur Deo propinquiores. Qui diuinitus verè illuminatus est, is ea, quæ sensibus agenda sunt, præclarius efficit. Quisquis naturam, dum ea adhuc in puritate & veritatis cognitione versatur, fræno quodam retinet, hoc ipso eo illam adducit, vt externa rectius administret & exequatur. Alioqui in res temporarias effunditur ac diffluit, ita vt nihil rectè exequi possit. Puritas, & intelligentia, & virtutes naturam reddunt locupletem. In subtractatione autem fit nonnunquam, vt creaturæ hominem propius in Deum ire compellunt. Quid quæso est, quod homines vsque adeò incitat illicitos sectari modos? Nimirum quòd propria venantur oblectamenta. Vera autem oblectamenta non nisi in resignatione inueniuntur, non autem in improbis studijs. Quòd aliquos tam sæpè inordinatus animi mœror occupat, ea causa est, quòd sibijpsis non semper exactè inuigilant & cauent, ne quid vnquam culpabile admittant. Iniuria opprimi, est amicorum Dei victoria. Intus tecum commoreris. Multa quidem sese vt necessaria offerent, sed non nisi quædam naturæ fomenta sunt. Non caret vitio, multa aggredi, nec tamen quicquam absoluere. Constanter perseuerandum est, donec perspicuum sit, Deúsne an natura operetur. Da operam, vt natura ex prima sua puritate agat in Deo absque extraneis rationibus. Probè resignatus homo, his quatuor nauabit operã. Primum est, vt cõ- I.
uersatione honestus ac bene moratus sit, ita vt bona omnia ex ipso sine ipso proficiscãtur. Secundũ, vt sensibus modestus & quietus sit, nec vltro citroq; rumuscu- II.
los & hominum dicta circunferat: (nanque id multas parit imagines) atque ita sensus interni quodam otio & libertate perfruentur. Tertium, vt nulli rei amo- III.
re adhærescat, certus videlicet, vana esse & nihil omnia. Quartum, ne contendat IV.
aut pugnet verbis, sed amicè se gerat erga eos, per quos Deus eum exercitare, expedire, & extra seipsum suamque proprietatem eijcere molitur. Stabilis tecum persenera, donec extra teipsum absque teipso agaris. Obserua num bonorum hominum amicitia ex sensuali quodam affectu vel fauore, aut ex simplicitate procedat. Nemini te admodum offeras. Nam qui se plurimum offerunt, sæpe nimiũ placent. Tuum est vitam agere internam, siue introrsus tendentem. Dedecet planè quenquam aduersus suum institutum agere. Beatus est, qui non multis vtitur verbis atque modis. Multa nanque verba, multiqúe modi plura quoque adferũt accidentia & imagines. Intus tete contineas, neque absque ratione erumpas foras: alioqui crucem reportabis. Quidam ex gratia sensibili in prosperis & aduersis casibus operantur: Sed non licet in ea seipsum quærere. In perfecta sui abnegatione & submissione cuncta consummantur. Quando Christus ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, tum demum consummata erant omnia. Deus & Luc. 23.
diabolus non eodem modo sunt in homine imperfecto seipsum spectare volente. Qui autem sese funditus abnegat & resignat, is poterit nôsse differentiam.

Vis perpetua gaudere quiete & tranquillitate? In prosperis & aduersis eodem amore, pari fidelitate atque eadem fide in Deo perseuera. Qui in externis deuotionem animi conseruat, eius deuotio interior & solidior est, quàm qui in solis studijs internis deuotus est. Idque fit, dum se nusquam quærit & spectat. Grandior numerus est hominum acuto intellectu pollentium, quàm simplicium. Acutos intellectu eos voco, qui ratione vigent. Simplicitas autem ob suam nuditatem, rerum iuxta sensus consideratarum amittit multiplicitatem, neque multis sese occupat. Siquidem quodam modo in hominis transijt essentiam, vtpote qui velut puer effectus est. Quia omnia sibi esse vult, is sibijpsi & rebus omnibus nihil fiat oportet. O verè beatum illum, qui stabilis absque multiplicitate perseuerat. Copiosus nanque illi in cœlestia datur accessus. Bona intentio non semper sufficit. Siquidē haud rarò veræ vnitati vel vnioni medium obijcit. Oculos nostros nūquam quicquā attentè considerare oporteret, nisi quod ab imaginibus nos expediat. Lapsum Adæ, & pœnas atque miserias omnes illum consecutas, longanimi patientia libenter perpeti debemus. Nam qui resignatus est, nullam aduersitatem animo suo imprimit. Quòd autem homines queruli sunt & aduersa molestè ferunt, id vtique imperfectionis est, atque eam ob rem prorsus gaudium est. Inordinata siue iniusta omnis libertas seipsam pro scopo habet, siue ad sese reflectitur. Rationabili ac iusta occupatione velle esse absolutum, id iniquissimum otium est. Homo resignatus, creaturarum destitui imaginibus, & Christum sibi imprimere, atque in diuinitatem transformari debet. Qui sese cum Christo capit, is cuncta in suo permittit ordine. Vbi quis à sese defecit, atque vnum cum Christo effectus est, iam bene habet. Dum quis sese ad veritatem intro recipere & accommodare instituit, intus ei defectus & excessus sui illucent, aduertitque etiamnum creaturas per quas auersus est, sibi inhærere: dumque ob id intus reprehenditur, patienter sustinet, videns se necdum expeditum atque in nihilum redactum esse. Porrò sic perpeti, id nimirum est simplicem effici. Peccatum conscientiæ mœrorem parit. Sed dum inde auertimur, rursus decidit. Si quæras quod sit probè resignati hominis obiectum in omnibus, id nimirum est, sibijpsi excedere, aut sese resignare in omnibus. Tum verò vnà cum ipso cuncta illi accidunt. Minimum inter Deum & animam medium, est cogitatio vana. Maximum autem medium, est, propriæ inhærere voluntati. Deceret sanè nullam homini resignato præterire horam, qua non & Deum & seipsum obseruaret & intueretur. Idemque non id semper attendere deberet, quibus opus habeat, sed etiam quibus carere possit. Cùm istiusmodi homo resignatus intro se recipere atque ad veritatem adiungere & applicare constituit, primo curabit, vt introrsus penetret, & sensus excedat.

Ioan. 4.

Siquidem *Spiritus est Deus*. Secundò considerabit, num quod medium contraxerit. Tertiò perscrutabitur, num aliqua in re aut vllo sensuum obiecto sese quærat & spectet. Quartò in eo lumine totius diuinæ essentiæ præsentiam attendet, persuadebitque se illius solius esse. Quantum sese quisque à seipso & caducis creaturis omnibus auertit, tātum in Deo vnitur & beatus efficitur. Si verè resignatus esse cupis, da operam, vt quomodocunque Deus & seipso & creaturis suis omnibus in tristibus & iucundis rebus sese erga te gerat, semper in ijs æquali sis animo, exeasque ac deseras quod tuum est. Sensus tuos cunctis peregrinis formis ac imaginibus præcludas. Expeditus & liber semper sis ab omnibus, quæ ratio foras spectans & externis dedita eligit, quæ voluntati inhærent,

plausi-

plausibilemq́ ingerunt voluptatem: neque vlla in re extra Deum acquiescas. Dum te præsente quippiam mali admittitur, non te admisceas, neque cooperis. Qui perpetuò secum habitat, magnas acquirit vires. Hominis resignati secundùm corpus recreatio, restricta ac necessaria erit immutatio siue innouatio operum eiusmodi, à quibus animo expedito sese possit auertere. Prout quisque plus minusve resignatus est, ita etiam magis vel minus rebus temporarijs afficitur ac permouetur. Homini cuidam semi resignato, cùm duros nimium sentiret dolores, eiusmodi intus verba dicebantur: Tam studiosè mei curam geres, teq́ adeò contemnes, modò scias mecum rectè ac prosperè agi, vt nihili facias vtcunque tecum agatur. Homo resignatus dum sensibus intro versis in secreto sese collocat, quo minus intus reperit adminiculi siue sustentaculi, eo magis intus cruciatur: sed quo celerius emoritur, eo citius superat ac euadit. Sensuum in externa effusio vitam internam & animi deuotionem interturbat. Vide ne quas foras trahentes causas vel occupationes aucuperis. Dum autem eiusmodi causæ te requirunt, quantum fas est, non te sinas reperiri. Semper celeriter introrsus te recipe. Vita naturalis in motibus siue affectibus ac sensibus sese prodit. Sed qui in his sese deserit, atque à seipso deficit, is vitam supernaturalem inchoat. Quidam citra impedimentum ascendunt in Deum: sed non stabiliter perseuerant. Nudam amplectere & sectare resignationem. Enimuerò desideria immoderata possunt medium occultum efficere. Homo resignatus vires animæ suæ vsque adeò donare debet, vt vbi sese intus adspexerit, cernere id possit. Homo resignatus adeò à seipso manet expeditus, ac si nihil de se nôrit. Siquidem in vno illo, quòd Deus est, cuncta in ipso honestissimè ordinata sunt. Studium adhibe erga hominem exteriorem, vt homini interno vniatur, idq́ bestiales omnes ac sensuales calcando voluptates. Resignata conuersio siue reuersio, nonnunquam Deo gratior est, quàm sibi placens perseuerantia. Collige animam tuam ab sensibus externis, per quos in rerum externarum multiplicitatem dispersa est. Introrsus redi, iterum atque iterum intro reuertere in vnitatem, & Deo fruere, fortiter perseuera, nec vnquam contentus sis, donec in hac vita temporaria, quatenus humanæ imbecillitati possibile est, id assequaris, quod in æterna semper præsens est. Vale.

VATICINIA QVAEDAM, SIVE PROPHETIÆ sublimis ac illuminati Theologi D. Ioannis Thauleri, in vetustis codicibus repertæ.



Væso mortales omnes ex animo & multo cum timore atq́ tremore magnam Dei iram, & iam olim meritas diuinæ iustitiæ plagas attēdite, quæ licet hoc tempore plus quàm in quadringētis retro annis mundo grauiter immineāt, valde tamen metuēdum est, multo incōprehensibilius, insuperabilius, grauiusque, etiam supra quàm æstimari queat, adhuc irruituras. Tam enim graues ac magnæ erunt calamitates illę, vt quotquot tunc superesse contigerit, optaturi sint atque dicturi, O vtinam nos plagæ priores assumpsissent: nam tunc fortè vel animarum nostrarum iacturam nullam fecissemus: nunc verò cum corporis, tum animę grande periculum sustinemus. Porrò signa, quæ terribiles

Quid si ridiculā hodie vestitus diuersitatem videat.

has magnasque plagas portendent, partim sunt breues istæ atque discissæ, & in varias subinde formas abominabili quadā metamorphosi nunc quidem sic, nunc verò aliter commutatæ vestes, cum insolentibus ac lasciuis gestibus. Quod totum haud dubiè ex malignorum spirituum suggestione, & in corda hominū instillatione procedit. Sicut & sancta Hildegardis ante annos fermè ducentos apertissimè prædixit, & prædicendo mundum præmonere studuit. Et hæc quidem, necnon & pleraque alia signa, iam annis decem euidenter apparuêre. Cuiusmodi verò plagæ supradictæ futuræ sint, eadem sancta Hildegardis multa cum distinctione discripsit. Nec tamen has aliquis vulgò edicere audet, eo quòd ipsas minimè capiat, & metuendum sit, huiusmodi publicatione comminatas plagas accelerari magis debere, quàm impediri. Verùm vt pijs quibusque perspicuum ac notum fiat, quomodo sese harum calamitatum temporibus habere ac gerere debeant: lubet eas hic sub parabolis ac similitudinibus ob oculos ponere. Concernent quippe sacrosanctam Fidem nostram, & Sacramenta, & omnes Ecclesiasticas atque Christianas constitutiones. Vnde in tantam homines fluctuationem ac errorem præcipites ibunt, vt cuinam ceu Catholicę veritatis assertori credere tutò possint atque confidere, prorsus sint ignoraturi. Et hoc quidem idcirco diuina permittet iustitia, quòd nos ex multo iam tempore ita negligenter, imò & vitiosè viuendo, ipsam fidem moribus ac vita impugnauimus: ac dignissimum Christi corpus vnà cum alijs Ecclesiæ Sacramentis, cum omni denique sanctimonia Christiana, tam planè irreuerenter, indignè, impurè, infructuosè tractare ac suscipere ausi sumus. Magna igitur tunc pericula contaminatis, vitiosis, & diuinam inspirationem contemnentibus imminebunt. Quot-

Ezech. 9.

quot verò signum Thau frontibus suis impressum habuerint, id est, omnes qui per fidem Christi viuam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inuenti fuerint, ab his plagis immunes erunt. Id quod beatus Ioannes Apocalypseos capite nono has plagas sub obscuris quidem verbis, sed à B. Hildegarde luce clarius detectas, recensens testatur. Cæterùm fidelis ac saluberrimi consilij omnib⁹, qui periculosis illis temporibus victuri sunt, nobis per B. Hildegardem reuelati, ista summa & intentio est: Vt videlicet senescenti, ac propemodum effœtæ matri suæ Ecclesiæ sanctæ, animo resignato ac propensissima voluntate, patienter atque humiliter condescendentes, omnibus ordinationibus atque doctrinis illius, quæ nobis hucusque palam in suggestu à Concionatoribus proponuntur, spontanea ac obedienti subiectione obtemperent: nec vlli alteri persuasioni fidem adhibeant, etiamsi vel *Angelus de cælo*, præter id quod euangelizatum est, annuntiet ac persuadere moliatur, sicut & à Domino nostro Iesu Christo diligenter permoniti sumus, cùm diceret: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Item beatus Paulus: *Sed licet nos*, inquit, *aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Immensa illa ac inexhausta Dei misericordia dignetur nos in viua ac vera Christi fide semper stabiles conseruare. Scriptum est prædictum vaticinium in eo libro, vnde huc translatum est, Anno à Christo nato millesimo trecentesimo quadragesimo-octauo.

Galat. 1.

Matth. 23.

Galat. 1.

Nunc igitur, dilectissimi, certi estote, quòd nisi in melius vitam nostram commutare studeamus, grauiter nobis plagæ prædictæ immineant, ita quòd tanta

erit afflictio, vt iudicium extremum nobis ad memoriam sit reuocatura. Quæ enim nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt, & Dei verba peruertentur, cultusq; diuinus penè in obliuionem ibit: & vnus huc, alius illuc properabit: nec facile sciri poterit, quorsum hęc tandem euasura sint. Interim autem fidelissimus Deus nidulum aliquem habebit, vbi suos conseruet protegatq;. Discat ergo quisque pati, & abnegare seipsum: auscultans intus vocē Patris sui, quid ille in se loquatur: ac foris matris suæ, id est, Ecclesiæ sanctæ. Horum quippe vox vna est. Quare qui has voces non didicerit agnoscere, in æternū pereat necesse est. Exurget enim vox fallax, quæ omnes, huic paternæ voci auscultare nolentes, in errorem abducet. Sonat autem nobis paterna vox per vocē sanctæ matris Ecclesiæ in omnibus doctrinis, præceptis atque consilijs illius. Væ proinde ac iterum væ omnibus, voci huic obtemperare nolentibus, vt seipsos in veritate paruipendant, & studeant esse humiles. His enim teterrimæ desperationis vox inspirabitur, dicentibus pseudodoctoribus falsum esse atque confictū, quicquid vnquam priscę veritatis Doctores hic edocuêre: Quicunque igitur in fundo suo humilitate destituti fuerint, & pro suo ipsorum sensu ac proprio beneplacito in suis illis vafris ac subtilibus conceptibus perdurauerint, hi omnes in tantos abducentur errores, vt cunctos Ecclesię ritus ac instituta fallacia & à veritate aliena sint credituri. Quod profectò ex ipsorum vitiosissimo vel maximè procedet fundo: tum etiam quòd veri illius atq; viui fundi penitus expertes erunt. Vera nanque humilitas est, Deum ex toto, ex toto, inquam, & ex omni diligere: hoc est dilectissimi verum totius boni fundamentum. O si præuidere possetis, charissimi, quantis angustijs atque periculis mundus ipse, & quotquot Deo in fundo suo vel saltem Dei amicis reuera non adhæserint, olim inuoluendi sint, quanq; terribiliter cū illis agetur, (sicut adhuc in proximo veris Dei amicis significatum est per reuelationem) & quam denique vera fides conculcabitur: si, inquam, hæc sciretis dilectissimi, sensus vestri naturales hoc nulla ratione sustinerent. Qui tunc victuri sunt, cogitent hæc ipsis longè ante prædicta fuisse.

Tempora hęc nostra acu tanguntur.

Nota.

Nota.

SVBLIMIS ET ILLVMINATI THEOLOGI D. IOannis Thauleri Cantica quædam Spiritualia.

De interna nuditate, & tam nostrijpsorum, quam rerum omnium, resignatione.

CANTICVM I.

NOVVM de nuditate placet carmen texere. Vera puritas, cogitationis expers est: nec cogitationes illic esse possunt, vbi quod meum est perdidi. *Ad nihilum redactus sum.* Quisquis nuditatem spiritûs adeptus est, curare nescit amplius. Nulla me vnquam mea mala perturbant: quandoquidem ita paupertate delector, vt rerum affluentia circa imagines versari non libet: quin & à meipso liber & expeditus esse debeo. *Ad nihilum redactus sum.* Quisquis nuditatem spiritus adeptus est, curare nescit amplius. Quærat fortasse quispiam, vt imaginibus sim absolutus. Factum est hoc, quando veram in me vnitatem reperi. Sed quid est vera vnitas? Quando nec aduersis moueor, nec rebus prosperis. *Ad nihilum redactus sum.* Quisquis nuditatem

Psalm. 72.

Vnitas vera quid.

tatem spiritûs adeptus est, curare nescit amplius. Quòd & si, vt à spiritu absolutus sim, scire quis velit: equidem id tum contigisse fateor, quando nec hoc aut illud in me, sed nudam duntaxat, eandemque abyssalem percepi diuinitatem. Tum verò silere amplius non potui: proferre illud cogebar in publicum. *Ad nihilum redactus sum.* Quisquis nuditatem spiritûs adeptus est, curare nescit amplius. Imò quando in illa me perdidi abysso, iam loqui non potui. Mutus planè effectus sum. Adeò me totum corusca in se diuinitas absorbuit. *Ad nihilum redactus sum.* Atqui & ita satis superquè illa me caligo refecit, vbi sic penetraui omnia. In huius præsentia originis senescere non possum: quin & instar *aquilæ* mea mihi re-
Psalm 102. nouatur *iuuentus*: adeò omnes meæ prorsus absorptæ sunt vires & emortuæ. Ita quisquis nuditatem spiritus adeptus est, curare nescit amplius. Iam qui sic absorptus est, & diuinitatis percepit caliginem, absque omni inopia ditissimus est. Sic sic & me amoris totum concremauit ignis, & emortuus sum. Ita quisquis nuditatem spiritus adeptus est, curare nescit amplius. Denique hoc qui pacto mortuus, & ad nihilum redactus est, illi Pater manifestus est, vnaque Verbum & Spiritus sanctus. In Christo Iesu totius boni gaudium & pascuum est, idque sine modo, & supra omnem modum. Quisquis necdum resignatus est, reprehensione dignus est. Amen.

De nuda quadam in diuinitatem immersione.

CANTICVM II.

VAsta quadam, ô diuinitas, abyssus es, cunctis ignota spiritibus. Quos in te absorbuisti, libero quodam amoris constricti sunt vinculo, sine nexu colligati fortiter in opulentissima essentia tua: vbi iam vera potiuntur requie. Extra te verò nullum Esse est: extra illos omnes, in omnium sublimissimo, spiritûs erit commoratio. Ibi prorsus ab omni expedimur vicissitudine seu mutabilitate, & subintramus essentiam tuam, vt veritatem cognoscamus in veritate & vitam æternam absque opinione aliqua. Ita nimirum veritas in omnibus sibi satis est, in vero coruscoque lumine suo: in quo absque fundo commorari nos decet: in quo supradicti sese amittunt spiritus: sed eorum amittere, potius inuenire est. Atque hoc ab omnium illorum quàm longissimè notitia abest, qui alicui adhuc creatæ rei inordinatius inhærent. Sicque supremus cognoscitur ordo, cui & ipsa veritas testimonium perhibet. Enimuerò absque omni modo ordinem in vnitate cernere licet: In quam qui recepti sunt, distinctionem, formarum & imaginum expertem, nôrunt. Vbi nimirum imago omnis expers imaginis, in suam ipsius se infundit imaginem. In quo influxu & effluxu res quidem distinctæ sunt, & quadam nihilo minus vnitate connexæ, ad nihilo secius intus sine egressione permanent. Vnum in omnibus, & omnia in vno cognoscere, locuples inuentio est: quique tales reuera sunt, his solis, quid verum sit gaudium, satis superque compertum est. Amen.

Alia cantilena, quam qui composuit, ita affectus erat.

CANTICVM III.

IN desertum quoddam silentium meus aberrauit spiritus, vbi nec modus, nec verba sunt. Sed & quædam me essentia complexa est, in quam nulla cadit admiratio.

miratio. Planè meus aberrauit ſpiritus, quò nec ratio quidem mea, nec intellectus pertingere poteſt, cùm ſenſus omnes ſuperet: ideoq́ & inquiſitione ſuperſedeo. Eia meus aberrauit ſpiritus. Quæſo vel ad horam in tuum te fundum immergito, increatę illic haud dubiè beatitudinis notitiam adepturus. Quin & à nihilo abſtrahere, & illud offendas nihilum, quod cum lingua neget, manet tamē ſemper aliquid: quod ipſum ſolus ille capit ſpiritus, qui ſua neſcit priuata lucra vel commoda ſectari.

Cantio animæ, diuino impendiò flagrantis amore.

CANTICVM IV.

TAm beatiſſimum ac iucundiſſimum ens Deus eſt, vt qui hunc amat, abundet gaudio, nec vllo non eum inueniat tempore. Itaq́ ô generoſa anima, ſerua te (quæſo) liberam ſemper, externos ſenſus cohibe, quidquē maximè cordi tibi ſit, id obſerua diligenter. & ſi vitioſum eſſe deprehenderis, mox illud elimina pro virili, quàm tibi charus eſt Deus, ſi modò hunc ſentire voles. Tam beatiſſimum, &c. Intra te, ô generoſa, commorare anima, & teipſam ſerua liberam diligenter. Enimuerò pretioſus libertas vera theſaurus eſt, ſpiritum abundè locupletans Hunc quiſquis theſaurū obtinere cupit, peregrino valefaciat amori neceſſe eſt: atque ita demum illo potiri poterit. Tam beatiſſimum, &c. Tam delicatus eſt diuinus amor, vt ab illo inueniri nōlit, quē alienus amor occupat, nec poteſt is vnquam illum aſſequi, quando ſolus animam Deus habere vult, cui & ſeipſum daturus eſt, vt ſe feliciter experiatur. Tam beatiſſimum, &c. Verte, quæſo, ad lucidum obtutus ſpeculum, & vide quàm illud te cupiat, te quærat: nimirum inuenies illic manifeſtè ô anima, quàm illi vnita ſis. Quæſo, in profundam hanc abyſſum vel millenis per diem vicibus immergere, atque ita nōſſe eā poteris. Tam beatiſſimum, &c. Hoc ſpeculum quiſquis ſæpe inſpicit, cordis illic inuenit gaudium, à multis eximitur curis, & verus illic naſcitur amor. Iucundiſſima Trinitas interioribus lucet, & ipſi fundo profundè illabitur. Tam beatiſſimum, &c. Fundum & nominis & imaginum expers eſt, in eo & ſpiritus fit abſq́ formis in vaſtiſſima diuinitate. O, in fulgore illo præamabili adeo creatus figitur ſpiritus, vt ſibijpſi planè occidat. Tam beatiſſimum ac iucundiſſimum ens Deus eſt, vt qui hunc amat, abundet gaudio, nec vllo non eum inueniat tempore.

Rurſum de expedita in Deum demerſione.

CANTICVM V.

SAtis ſuperq́ me Deus ſolatus eſt. Modò, quàm oportet, liber ſim & expeditus, me reficere ac reformare paratus eſt. O ſi prorſus eſſe liber perpetuò, & ſemper cum Chriſto progredi poſſem: eſſet hoc nimirum felicitatis eximię. Atqui & ſic adhuc vlterius multo in ipſum mihi diuinitatis eſſet pelagus penetrandum, vbi iam nulla mihi cura eſſet reliqua, vbi nulla vox perſtrepere poteſt. O ens beatiſſimum, quàm bene illi eſt, cui in diuinitate vltro citroque natare licet. Quid mirum, ſi illius abundet gaudio, quando Deus eſt obiectum illius? Eia quendam mihi Deus meus præfixit terminum, quando mihi certò daturus eſt, ſi effecero, vt vnum iungatur vni. Talis animæ Deus obiectum eſt, quod equidem vires efficiunt amoris. O ens beatiſſimum, quàm bene illi eſt, cui in diuinitate vltro citroq́ natare licet? Quid mirum, ſi cor illius abundet gaudio, quando Deus eſt obiectum illius?

De vera paupertate & nuditate spiritûs.

CANTICVM VI.

DIcam quod sentio de mihi proposita quæstione: Vera spiritûs paupertas ingens quoddam spiritale bonum est, adeo simul cum diuino introducta spiritu, vt nulla eam crux impediat, estq; voluntas imperturbabilis, absq; rancore vllo in quiete quadam & silentio cuncta de manibus Dei suscipiens, nec vlla ex re se patiens perturbari. Acerba quidem potio est & dulce vinum. Quicquid verè pauperi spiritu accidat, non moratur admodum: neq; enim malum aliquod aduertere potest: quin & alios afflictos solari cupit, & mœstis animū addere. Nullo cupit haberi in pretio, nullis priuatis inhiat lucris, absq; voluntate propria mori cupit. Cunctis suam offert operam. Oblatum honorem nouit pro nihilo ducere. Eius proprietas adeo euanuit, vt cùm illi sit boni quippiam, hoc se inuenisse cogitet. Neque enim aliquem sibi quicquam debere putat. Non tamen ita stupidus est, quin sciat gratias se agere debere Deo suo, quod is talem ad se adduxerit, qui sui memor esset in bonum. Cæterùm cùm nulli ob obsequium vicarium seruire velit, si quod ei perexiguum præstetur obsequium, nimium sibi factum putat. Quotquot autem molestiæ quippiam ipsi intulére, his, quod ad corporale seruitium attinet, nunquam deesse vult. In nulla re palmam referre cupit: rixas & pugnas omnes abdicat. Hominibus se denegare non potest. Si quid est, facile id potest nihilipendere. Cumq; nulli se conferre ausit, libenter concedit omnibus. Erga Deum amore flagrat ardentissimo: ideoq; sæpius ad sua se interiora recipit. Paci illius, certamen est: patientia, scutum quo multos vincit cordis dolores. Propter Deum libenter tacet ad contumelias, easq; suffert æquanimiter. Quærit cum humilitate profunda. Respondet benignè ac suauiter. Reprehẽsiones haud grauatè accipit. Alios regere aut iudicare summopere fugit. Cunctorum hominum declinat gratiam. Gaudet dum quid sibi aduersum accidit. Faxit Deus, vt Paupertas spiritûs nobis omnibus nota sit, cuius ista, quantum equidem mei capio imbecillitate sensus, via & iter est. Amen.

DE NOVEM STATIBVS SIVE GRADIBVS SAlutis, ad proficiendum continuè, per veram sui abnegationem siue resignationem in vera atque Christiana vita.

IN libro illo, qui de nouem rupibus inscribitur, ea tempestate, qua D. Ioannes Thaulerus vixit, diuina clementia cuidam electissimo amico suo (incertum est, vtrum Thaulerus ipse vel fortè alius fuerit) per reuelationem ostendit, quàm horrenda per vniuersam Christianitatem peccata fierent, quamq́ue omnes penè Christianæ constitutiones, in omni gradu vel statu, labefactatæ ac penè extinctæ forent, & quàm denique homines propè vniuersi, diuino repudiato timore, periculosissimam gererent vitam: vtque ob hæc omnia, nisi suæ quisque emendationi insisteret, diuina iustitia suo tempore vniuersam Christianitatem magnis inuolui calamitatibus atque periculis, plagisque terribilibus destrui atque consumi esset permissura. Vnde cùm etiam hac nostra ætate paucissimi correctioris vitæ iter arripiant, metuendum est valde, prædictas

plagas

plagas & grassari nunc in nos, & amplius adhuc grassaturas. Porrò in eodem libro nouem rupes siue status Christianitatis Dominus eidem amico suo in visione monstrâsse legitur, in quibus hi soli degunt, qui ab omni mortali peccato immunes, per viam salutis æternæ ad originem suam Deum Optimum Maximum redire contendunt. Præter hos alij omnes, id est, quicunque in nulla harum rupium siue statuum commorantur, nisi à peccatis suis, dum viuunt, resipiscant, æternæ damnationi sunt addicendi. Qui verò in aliqua harum rupium esse se præsumit, non figat gradum, nec vnquam à bonis operibus & pijs torpescat exercitijs: sed indesinenter magis ac magis sese corrigendo, in diuino amore studeat fieri perfectior. Si enim pedem fixerit, repente à natura sua atque ab hoste diabolo superatus, retrocedere compelletur, atque in satanæ laqueos siue rete, quo ille mortales omnes, nouem duntaxat rupium istarum incolis exceptis, tenet irretitos, ipse quoque præcipitabitur. Nec hoc Creatori pijssimo imputandum est. Is namque omnes illos, qui animo virili à peccatis auersi, ad ipsum sese conuertunt, & constanti ac stabili voluntate bona aggrediuntur opera, ad altiora prouehere, suamque eis gratiam infundere, si saltem vasa vacua & gratiæ suæ capacia fuerint, paratissimus est. Denique in harum rupium siue statuum, quos hîc sub compédio recensemus, diligenti consideratione facilè quisque aduertet, quid ipsum à suo Creatore præpediat, aut quarum rerum cor illius captum sit atque illaqueatum amore.

Primus itaque siue infimus salutis gradus, est eorum, qui in timore Domini fundati, pro amore illius cuncta mortifera peccata fugere decreuerunt. Et hic est primus ad Dei similitudinem accessus siue gradus. Sicut enim vitiorum dissimilitudine à DEO recedimus, ita ad hunc per castum illum atque filialem timorem, gratiæ ac virtutum conformitate redimus. Ad quod nimirum Propheta sanctus nos adhortatur, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Cæterùm horum vita multum adhuc periculosa, illuminatio instar nebulæ obscura est. Vnde fit, vt mortalia peccata vix discernere ac ægrè euitare queant. Cum ipsis ergo Propheta orat: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Conscientia ipsorum timida, sensus diuersis inuoluti tentationibus, & salus æterna vehementer ambigua est. Frigidi enim ac torpidi, bonorũ operum exercitia magna non assumunt: sed rebus terrenis impliciti, & in omnibus quæ agunt, ad proprium commodum, fauorem, laudes, honores & creaturarum oblectationes, reflexi atque propensi, velut in ripa inferni gradiuntur. Cumque non ita procul à laqueis siue reti diabolico eorum distat habitatio, magnam funestus ille latro de ipsorum damnatione spem habet, & in hoc omnes malitiæ suæ neruos intendit. Nec tamen in eos potestatem vllam habet, nisi hanc ei per capitalis vitij consensum sponte faciant. Verùm hamo quodam illis infixo, plurimum eos à recto ad ipsorum originem Deum tramite retrahit ac remoratur. Et hic hamus est natura ipsorum, cui viuere, quamque fouere appetũt. Nam sensuum oblectationes atque commoda sectantur, existimantes se Deo pariter atque naturæ viuere & obsequi posse: quod tamen & periculosissimum est, & factu difficillimum. Honesti quoque & probi videri ac dici volunt: satisque sua vita, suis institutis contenti sunt, nec ad meliora adspirant, quasi nulla eis potiorum foret notitia. Ad hæc, bona opera sua torpenti desiderio & impura erga

Gradus I.

Psal. 33.

Psal. 12.

Deum intentione agunt. Vnde multi ex eis, tam senes quàm iuuenes, ab hoc gradu in mortalia peccata & diaboli rete collabuntur, suæque naturæ voluptates, & propriam sequuntur voluntatem. Et quotquot alijs peccandi occasionem præbent simul cum eis ad partes diaboli præcipites deuoluuntur. Porrò quanto latius procedunt, & diutius in peccatis perseuerant, eo magis sub diaboli potestatem veniunt, tantoque periculosius in morte cum ipsis agetur, ac incomparabiliter maiori cum conatu inde se excutere ac eruere debebunt. Cæterùm & sub ipso reti diabolico continentur haud pauci, qui per verã contritionem, confessionem, atq; pœnitentiam, diabolicæ seruitutis iugum excutiant, & ad hunc primum gradum transferantur. Ex quibus alij ex quadam ignauia hic subsistunt. Alij verò tam efficaci contritione flagrant ac desiderio, tantaq; sui emendatione naturam suam aggrediuntur, vt vix sufferre valeant: naturæ quoq; suæ & caducis creaturis omnibus ita viriliter renuntiant, tãq; strenuè ac seriò ad suã sese conuertunt originem, vt citius à Deo ad statum sublimiorem proueh antur. Denique horum sine mortali culpa degentium, in eorum comparatione, qui licet Christiani sint, vitiorum tamen sordibus polluuntur, perexigua sanè portio est. Verùm quotquot de eorũ numero sunt, si in mortis articulo absque peccato decesserint, haud dubiè saluabuntur, ita tamen vt ineffabiles dirasq; in Purgatorio luant pœnas, eo quòd venialium peccatorum affectibus mori noluerint, & magnam æternæ mercedis iacturam faciant, eo quòd labor, exercitatio & amor ipsorum erga Deum modica fuerint. Si ergo nunc perspectum quisque haberet, quantas pro minima naturæ contra Dei beneplacitum capta oblectatione pœnas atque miserias subire oporteat, citius capitis obtruncationem, aut nouam quotidie mortem exciperet, quàm vel in vnum veniale peccatum sciens consentiret. Vnde & plus satis mirum est, quòd non omnes voluptati omni renuntiant, cùm nec pacem, nec gaudium in Spiritu sancto habere posit, nisi qui se ex integro Deo resignauit, quique iuxta sapientum consilia naturam voluntatemq; propriam funditus abdicauit atque reliquit.

II. In secundo gradu siue statu commorantur, qui prioris gradûs pericula cernentes, diuinas inspirationes sequuntur, naturam suam comprimunt, seipsos à mundi vanitatibus serio ac animo intrepido continent, & bonorum hominum ex quorum conuictu ad meliora prouocantur, consilia ac societatem expetunt

Psal. 17. & inquirunt, iuxta id quod Propheta ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Iamq; voluntatem suam abdicare statuunt: vnde & aliquem DEI amicum huius viæ non ignarum inquirunt, cui vice Dei ad mortem vsq; promptam statuunt exhibere obedientiam. Ad hæc, arctiorem quàm præcedentes vitam & exercitia arripiunt, copiosiusque illustrantur, peccatorum occasiones fugere, ædes sacras, aliaq; sacrata petere loca, diuino cultui & concionibus interesse commonentur. Interim tamen sæpenumero à dæmone impugnantur, qui nimirum eos iter a sua cauisse conspicans, hamum quendam eis inijcit, quo & remoratur eos, efficitq; vt fixo gradu suæ origini magis propinquare negligant: & in quandam eos ignauiam abducit, quo nulla bonorum operum & sanctarũ exercitationum (in quibus à Deo illuminantur) incrementa accipiant, quando sola mortalia & grauiora duntaxat venialia peccata fugisse contenti, in minoribus occultisq; vitijs hostis maligni laqueos & insidias non aduertunt, nec præstantissimarum lucis virtutum inhiant: seipsos quoque & commoditates

valde

valde diligunt, somnolenti ac torpidi efficiuntur, sibi ipsis rigidi esse pertimescunt: fallaciam denique, astutiamque diaboli, in ipsis & in natura ipsorum commorantis, neutiquam animaduertunt. Callidè namque pestilens ille suggerit eis, vt infirmitatis suæ ratione habita, spem bonam atque fiduciam erga Deum concipiant, vtpote pro cuius amore non paucas mundi oblectationes contempsêre. Ex his miseri tantum sibi complacere incipiunt, vt in hoc viuendi genere permanere statuant: iamque sibi nonnihil esse videntur, nec alicuius egere consilio, subtili nimirum diaboli fallacia seducti, quam nec ipsi quidem deprehendere queunt: sicque institutis & operibus suis, foris per sensus introreceptis, innituntur, in eisque omnem suam spem constituunt. Intus verò in ipso fundo suo, vnde virtutes germinare debuerant, omni priuato amore, voluntate propria ac nimia immortificatione pleni sunt, multumque adhuc à sua distant origine Deo, & perquàm facile in multa spiritalia vitia labuntur. Idque licet DEI amicis, quibus se subdidêre, abunde perspectum sit, eos tamen ad altiora prouocare non audent, ne penitus deficiant, & peiores quàm ante efficiantur. Attamen si in hoc persiterint gradu, multo prioribus illis Deo sunt chariores, eo quòd naturam suam præ illis seuerius aggressi sint. O si quis verè perfectam erga Deum fiduciam conciperet, & audenti animo constantem perpetuamque creaturis mortalibus renuntiandi conciperet voluntatem, cunctisque viribus suis ad Deum accedere, eumque dilectum suum eligere vellet: nimirum promptum semper in illo inueniret auxilium: quo fretus, velut sub compendio cunctos hos nouem gradus superaret.

Tertius gradus siue status, eorum est, qui perfectius mundum, carnem, dæmonem, sensusque suos & ignauiam atque socordiam omnem debellârunt, magisque omni temporali delectationi, & seculari occupationi, quàm præcedentes, renunciârunt: iamque gnauiter seipsos in sanctis ac virtuosis cogitationibus, verbis, operibus & dura corporis afflictione & pœnitentiæ actibus exercent. Vnde & ex illuminatione diuina in corporali exercitatione & operibus bonis iustificationes Dei intelligunt atque cognoscunt. Sed à maligno spiritu, qui suum eis hamum iniecit, in ea detinentur cæcitate, vt spiritalium exercitiorum sublimitatem, per suiipsorum mortificationem & cordis puritatem, minimè cognoscant, quando præcipua summaque eorum exercitia, in vigiliis, ieiuniis, ciliciniis vestibus, ac multis oris precibus, consistunt. Quæ omnia licet bona sint, ea tamen cum proprietate quadam & vana sui complacentia possident, eaque vel maximè pro inferni ac purgatorij deuitatione & cælestis regni adeptione, ex propria magis, quàm diuini honoris pura quæsitione, perficiunt. Quo fit, vt naturali quodam voluptatum sensibilium, vel spiritalium gaudiorum, aut etiam amicorum atque affinium, aliarumque rerum labentium, amore atque affectione teneantur. Dumque hunc amorem licitum esse credunt, quot inde damna incurrant, minimè aduertunt. Hinc enim multiplices curas, magnamque cordis inquietudinem, ex diuersis causis contractam, patiuntur, ita vt ad interioris hominis exercitia adspirare nequeant. Ad hæc, quotidie diuersis immortificationibus, impuris affectionibus, tentationibus atque curis ex inordinato hoc suiipsorum & creaturarum amore procedentibus, perturbantur atque læduntur, nec internarum excellentiam exercitationum cordis palato attingunt. adeoque cùm *vnum* sit *necessarium*, ipsi turbantur *erga plurima*. Interim tamen aliis præcedentibus. III. Luc. 10.

dentibus.

dentibus Deo longè chariores sunt, eo quòd vitam asperiorem & exercitia duriora sectentur.

VI. Quartus gradus siue status, eorum est, qui non solum corporis castigationibus, corporalibusq; exercitijs ac operibus nauant operam, sed diuersis etiam spiritalibus exercitijs, vtpote orationi mentali, suspirijs & gemitibus compassionis, ac pijs desiderijs vacant, quantum iuxta inspirationem seu internam operationem Spiritus sancti se debere perspiciunt: & diu noctuq; molestis ac difficilibus exercitijs laboribusque, quantum ferre possunt, insudant. Deest autem eis vera resignatio, & plerunque in cunctis exercitijs suis magis sensibilem aliquam dulcedinem, quàm puram illam gratissimamque Dei expetunt voluntatem: sæpiusque de sui illuminatione ac spiritali deuotione gloriantur, & alios, sub tentationum graui desudantes sarcina, irrident. In suo quoque sensu & prudentia ac voluntate propria persistunt, nec sibijpsis ex integro mori, nec sese perfectè relinquere volunt. Et quamuis interdum deuotionis affluentes gratia, in suis sese orationibus in gratissimum Dei beneplacitum resignent, eidemq; pleno affectu, cum omni esse ac posse suo, ad sufferendum pro amore illius, etiam ad mortem vsque, omnem pressuram & afflictionem, omnem contemptum & inopiam, sese offerant exhibeantque: illa tamen deuotione subtracta, & aliquo eis damno, ignominia, correptione, iniuria, aut alia qualibet occurrente aduersitate, statim immortificationem, impatientiam, inquietudinem, murmurationem, aliaque his similia sua produnt vitia: quod nimirum inde fit, quia adhuc occultè suijpsius inordinato detineantur amore, per quem malignus spiritus ipsorum bonam voluntatem, quam Deo in omnibus plenè resignârant, retrahit. Et quamuis sæpenumerò Deus eos probare soleat, vtrum sese resignare ac relinquere velint, lumenq; eis resignationis exhibeat: ilicò tamen diabolus accedens, hamum eis propriorum conceptuum inijcit, suæque eos proprietatis constringit fune, ex quibus videlicet cuncta eorum opera, exercitia, instituta procedunt, pullulantq;. Nouit enim versipellis ille, quòd si perfectè relinquerent semetipsos, & ex vera spiritus humilitate, Deo & creaturis omnibus propter Deum sese subijcerent, atque per superiores suos aut alium huius viæ non ignarum, in humili obedientia se duci regiq; permitterent: exemplò Deus grauissimorum laborum ipsorum aliquem eis fructum sentire donaret, atque ad sublimes, occultas, & antea ipsis incognitas vias, eos subleuaret perduceretque. Neque enim fieri potest, vt homo propriæ voluntatis lepra infectus, vnquam ad suam pertingat originem, aut occulta Dei charismata, quæ ille in hoc seculo specialibus & secretis largitur amicis suis, quandiu in illa resignatione perseuerat, sentiat obtineatq;.

Præpostera quorundam deuotio

Satanæ calliditas.

V. Quintum gradum siue statum amabiles quidam homines tenent, qui propriam voluntatem suam ipsis à Deo donatam, & totum id quod sunt, & quicquid eis contingere possit, omnesque creaturas cum multa cordis humilitate in Deum refuderunt, abnegârunt, resignaruntque: eiusq; & Ecclesiæ sanctæ præceptis obediunt: imò & hominibus vniuersis, quibus conuiuunt, morem gerunt: idque in omnibus, in quibus intelligere possunt pacem, virtutem, aut suî mortificationem consistere, & hoc in mortificatione carnis, sanguinis, sensuum, ac propriæ voluntatis suæ, iuxta omnem modum, quo à Deo & amicis illius commonentur ac impelluntur: nec vnquam aliquid ex propria voluntate, vel sciētia, ni-

tia, nihil vnquam proprij operis facere volunt: sed quendam Dei amicum, cui hæc via probè perspecta sit, inquirere statuunt, eidem in cunctis licitis atque honestis ad mortem vsque obtemperaturi: iamq; seipsos in propriæ naturæ refrenatione, & vitiorum atque prauarum voluptatum suarum mortificatione indesinenter exercent, soliq; DEO per continua desideria & amorem placere, eiq; vniri cupiunt sataguntque, totisq; viribus cordis puritati nauant operam: atq; in his ad mortem vsque perseuerare proponunt. Et hi sanè cunctis alijs, de quibus hactenus locuti sumus, Deo chariores sunt: quippe qui iam in recto ad suam originem Deum Optimum Maximum itinere sunt constituti. Sed quia in hoc statu diu necdum positi fuêre, sæpe quandam animi contrahunt infirmitatem, atque à diabolo instabilitatis capiuntur hamo, sicqúe peculiares, atque assumptos ex propria voluntate modos ac instituta sua repetunt. Necdum enim propria voluntas in eis perfectè mortua est, & mortificationis desiderium necdum in eis per continua exercitia altas satis radices misit. Pro maiori tamen temporis parte in sui resignatione persistunt. Et si seipsos Deo in omnibus ex integro sine vlla cordis retractione, relinquerent ac resignarent: ipse eos haud dubiè per occultissimas virtutum semitas, cunctis penè mortalibus ignotas, deduceret, perduceretqúe. Multo namq; Deus eos amore prosequitur, qui ab omni sunt propria voluntate exuti ac expediti. Hamus diabolicus.

VI. In sexto gradu siue statu homines valde amabiles commorantur, qui seipsos per multiplicata ignita desideria, perpetuaq; exercitia, Deo & superioribus suis ac Dei amicis, vice illius tam in prosperis quàm aduersis resignârunt: omnemq; proprietatem & quarumlibet rerum labentium amorem, sine vlla retractione aut electione, abdicârunt: & in his, qualibet etiam aduersitate ingruente, ad mortem vsque perseuerare volunt. A Deo namque in suo intellectu illuminati, bonis hominibus ad animæ ipsorum vtilitatem, DEO permittente, cuncta, etiam pressuras quasque & aduersitates, euenire cognoscunt. Attamen & ipsis satanas hamum quendam prægrandem infixit, qui est iste, quòd libenter aliquam consolationem aut cognitionem instar aliorum bonorum hominum à Deo perciperent: qua obtenta, iam citra difficultatem aduersa omnia æquo possent animo tolerare: atque huiusmodi dulcem saporem siue gustum in Deo requirunt, & in donis illius nonnulla cum proprietate quiescunt. Quòd autem non omnino puram ac deiformem in his intentionem habeant, vel inde probari potest, quòd in corde minimè sunt contenti, donec hac spiritali dulcedine iterum pro voto suo potiantur. Hîc obiter sciendum est, quòd licet hanc sensibilem gratiam atque consolationem opportunè rectaq; cum intentione à Deo petere, in seipso malum non sit, aliqua tamen ibi lateat imperfectio, quæ puræ suiipsius abnegationi nonnihil derogat, dum se quis alicui conferre audet, nec Deum, quicquid volet, vbi volet, & cum quo volet operari, patitur: & hoc paucissimi animaduertunt. Debet enim seipsum quisque, sine vlla cordis retractione, Deo perfectè resignare: eumq; intra se, pro acceptissima voluntate sua in desolatione & afflictione, ac modis omnibus, quacunque tandem via eum ipse deducere velit, operari permittere. Quod tametsi huius gradûs homines ita esse oportere minimè lateat, in sui tamen plena resignatione non satis se exercent, ideoq; nec in bonis exercitijs atque virtutibus progressum faciunt, quippe qui naturæ suæ occultam quæsitionem & nequam desideria necdum fundi-

Hamus satanæ.

Quidam piorum quorundam ægtus.

Qui se quisq; resignaret.

tus amputârunt: imò ea necdum perfectè scire ac mortificare volunt, quod tamen impendio eis esset necessarium.

VII. In septimo gradu siue statu homines abundè illuminati degunt, qui per multa exercitia sanctáq́ꝫ desideria, satis in amore diuino firmati, cor suum ab omni
Iudic.1. immortificatione & labentium creaturarum amore custodiunt, & instar Aioth, vtraque manu, tam sinistra aduersitatis, quàm dextra prosperitatis, fructuosè vti nôrunt, dicentes cum Propheta: *Paratum cor meum Deus*, ad subeunda pro-
Psal.107. spera: & nihilo minus *paratum cor meum*, ad toleranda pro tuo amore quælibet aduersa. Seipsos enim reliquerunt funditus, & naturam suam, quantum possunt, & discretio eos informat, supprimunt: & in cunctis rebus ac institutis suis, tam in introuersione, quàm extrouersione sui, id est, tam in internis exercitijs quàm externis operibus suis, in intentione, in amando atque laudando, nihil nisi Dei gratissimæ cupiunt satisfacere voluntati, haud secus quàm vmbra motum corporis, ipsam efficientis, sequitur. Sanè Deus ipse est lumen. Humanitas verò Christi, eiusdemque ineffabiliter perfectissima vita corpus est, vmbram efficiens: sub qua nos per imitationem perfectam sedere, & requiescere posse, optare debemus. Præterea homines isti singulari quadam claritate coram DEO micant atque refulgent, quippe quos ille multis spiritalibus atque perfectis copiosè repleuit donis atque illustrationibus. Nec à nocte aduersitatis intus ob-
Psal. 138. fuscantur, sicut Propheta ait: *Quia tenebræ* (aduersitatis) *non obscurabuntur à te*, id est, lumen gratiæ in te non obnubilabunt: *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Vnde & ipsi in pressuris & aduersis quietem & profectum spiritalem sentiunt, vtpote in sola ac nuda dilectione fundati, in qua non tantum grandia facere, sed magna quoque pati didicerunt. Ideóq́ꝫ multa aptissima dona ac illuminationes internas percipiunt, ita quòd memoria eorum miris quibusdam ditatur ac edulcatur incidentijs, intellectus illuminatur, & voluntas diuinitatis amore co-
Quibus vncum iniiciat satan. piosè succenditur ac inflammatur. Verùm & ipsis vncum quendam suum satanas infixit, quo plurimum eos detinet, ne ad suam pertingant originem: & hic est, quòd magnis atque largissimis Dei donis nonnihil in naturæ suæ voluptate seu delectatione abutuntur. Cùm enim periculosa semper sit omnis affluentia incautis, ipsi sæpenumerò in donis perceptis cum quadam occulta delectatione quiescunt, adeóq́ꝫ etiam ipsum Eucharistiæ Sacramentum pro sui consolatione percipiunt, quamuis hæc ipsi neque sciant, neque aduertant. Sed his omnibus ex integro mori debebunt, si ad summam volent perfectionem conscendere.

VIII. In octauo gradu siue statu Sancti quidam ac resignati agunt homines, qui impendio diuinitatis amore succensi, seipsos purè in gratissimam Dei resignant & offerunt voluntatem, quicquid tandem ille vel in tempore vel æternitate ipsis facere velit, nec quicquam omnino proprij, neque viscosum vllum ad creaturas quaslibet, vel etiam dona Dei, amorem vel propensionem intra se sustinere volunt, atque à cunctis bonis temporalibus (si quæ fortè habent) diuinisq́ꝫ charismatibus, imò & ab omnibus extra Deum, adeo in fundo suo liberi, intacti, & quod ad curas seu occupationes attinet, expediti permanent, ac si ea minimè haberent. Necessaria duntaxat naturæ suæ ex bonis suis temporalibus, si qua adhuc reliqua habent, absque proprietate vsurpant: & quod his superest, cum Deo, cuius omnia sunt, partiuntur. Hi sanè Deo iam multa sunt vicinita-

cinitate coniuncti, ipsiq; plurimum chari ac pretiosi. Vnde & magna quædam illis dona largitur, multaq; missa, in formis tamen ac imaginibus, videre permittit. Vt plurimum enim ad sublimem illam ac superessentialem Dei reuelationem atque visionem seu contemplationem necdum admittuntur. Cæterùm & ipsis binos satanas inicit vncos, quibus remorati, ad suum principium peruenire nequeũt: quorum vnus est, quòd principij sui aliqua cognitione vel manifestatione donati, eidem cum affectu inhæsêre, plus aliquid habere cupientes. Quod neutiquam perfectissimum est. Alter est, quòd à Deo per raras atque mirandas ducti semitas, & ex dono eiusdem mira quædam in formis ac similitudinibus videre permissi, eadem latenter admodum cum proprietate possederunt. Ad hæc, occultè quidem voluntatem necdum penitus mortificatam habent: qua fit, vt donis Dei non ita libenter careant, sicut ea toto affectu suscipiunt, quamuis & ipsi hoc ignorent. Deus tamen occultum fundum ipsorum, in eorundem natura latentem, satis intelligens, atque cognoscens, parcit eis, suaq; eis dona subtrahere non audet. Sed planè oportet eos, si vnquam ad supremum perfectionis apicem pertingere velint, funditus resignatos, & omni delectationi ac proprietati mortuos esse, naturam suam perfectè in seruitutem redegisse, viam naturæ funditus luminosa cum discretione agnoscere, à donis Dei intus ita expeditos, & in corde liberos permanere, ac si ea minimè percepissent, idq; solum ex vera humilitate, vehementissimè admirari, Deum omnipotentem tam indignis peccatoribus tantam posse impendere pietatem ac liberalitatem, atque pro hoc ipso immensas illi gratiarum actiones & sacrificium laudis exhibere, dona omnia, ea duntaxat ratione, quia bonus est Deus, nec vllam aliam ob causam suscipere, eisdemque rursus carere, & omnem afflictionem perpeti iugiter paratos esse. Neq; enim donorum affluentia sanctum aliquem efficit, sed per hæc profusissimam pietatem suam Deus benedictus insinuare nititur, quo infirmiores quosq; hoc ipso ad perfectionem inuitet. Hucusque de octo gradibus locuti sumus, de quibus etiam hoc adijciendum videtur, quòd omnes, qui in ipsis commorantur, adhuc defectus quosdam & nonnihil proprietatis habeant, alij tamen plus vel minus alijs: quoq; gradus altior, eo & pauciores minori irresignationi obnoxij in eo reperiantur, eoque & Deo chariores sint. Quotquot autem sunt, irresignationem aut immortificationem suam, qualiscunque sit illa, qua sibi inter Deum & seipsos medium constituêre, in Purgatorio diluere, & pœnas condignas subire oportebit, nisi in hac vita sese correxerint, & à Domino multis precibus obtinuerint indulgentiam. Ab omni namque sorde mundissimum esse oportet, qui ad conspectum Dei admitti debeat. Idq; satis iustè. Denique multi per omnes hos gradus sine cessatione conscendunt: plerique etiam mira cum celeritate illis omnibus vno impetu transcensis, ad summum, id est, nonum vsque pertingunt. Ex quibus multi, proh dolor, instabilitatis vento perculsi, ad primum gradum suum relabuntur, quidam etiam in ipsum diaboli rete corruunt, ea vtique de causa, quòd humilitatis ac gratitudinis expertes, insuper nec cum ingenti strenuitate in virtutibus ac suiipsorũ mortificatione proficere conantur. Qui verò de supremo gradu in ipsum diaboli rete præcipites abeunt, hi profectò peiores, atque ad subuertendos homines & mala quælibet peragenda, etiam ipso dæmone perniciosiores pestilentiores'q; efficiuntur.

Duo satanæ vnci.

Qui cur à summo ad imum labantur.

IX. In nono eodemq́ supremo gradu qui ad scandendum difficilis & arduus est, eo quòd paucissimi cuncta pro Deo relinquere, seipsos & naturam suam funditus mortificare, atque sese ad mortem vsque exponere, & vires suas periclitari velint, homines præ cunctis mortalibus sanctissimi commorantur, qui seipsos audenter atque subtiliter æternæ veritati applicuerunt, naturæ suæ cunctisq́ labentibus creaturis viriliter renuntiârunt: tantaqúe se cum strenuitate in Deum suam recepêre originem, vt per fortem abstractionem, præferuidas orationes, continua exercitia ac sursum enitentia desideria, in diuinitatis amore carnem & sanguinem ossiumqúe medullam penè consumpserint, nec aliquid eis virium superesse videatur, nisi quantum spiritûs viuacitas subministrat. Sanguis enim ipsorum in diuini amoris incendio velut decoctus & exiccatus est: quod tamen ipsimet, ob excellentem atque feruentissimam libertatem, ipsis pleno dominio præsidentem, ipsorumqúe naturam supra naturam pati atque agere facientem, ignorant penitus. Hi planè charissimi sunt filij Dei, & ipsius amici secreti, quibus gratiæ atq́ donorum suorum plenitudinem infundit, & nonnunquam ad diuinæ essentiæ suæ subleuat contemplationem. Tam purè siquidem ac nudè seipsos per fidem atque dilectionem Deo resignârunt ac obtulerunt, vt nihil iam aliud desiderent, nisi vt in omnibus diuina voluntas ac Dei honor & gloria perficiantur. Vnde quicquid ille vel cum eis, vel cum alijs quibuslibet rebus agit, abunde eis gratum est: adeò vt siue det, siue auferat, nihil morentur penitus, nec quicquam sibi ex omnibus vsurpant: adeoq́ persuasum sibi habent, nihil Deum omnipotentia sua facere posse, quod eos vllo possit dolore afficere. Quicquid enim ille agit, adeò ipsis præ amoris arridet vehementia, vt nihil aliud optare possint, hoc ipsum vndiquaque optimum esse in animam inducentes. Ad hæc blanda magis quàm aspera fugiunt. Vnde si qua eis à Deo consolatio præstatur, timent ac trepidant: quippe qui nihil aliud appetunt quàm Christi imaginem & exempla simpliciter sectari, eisq́ fieri conformes in omni pressura, ignominia, & afflictione, intus & foris, omniq́ prorsus solatio destitutos ac derelictos esse, recogitantes assiduè ineffabilem illam angustiam ac derelictionem spiritûs Domini nostri Iesu Christi, cùm ille nudo ab omni solatio amore, aduersus naturam colluctando, sudorem emisit sanguineum, & gloriosum ex durissimo certamine illo pro nostrûm omnium salute triumphum reportauit: quomodo item in maxima amaritudine totus vndique in cruce derelictus pependit. Hoc pacto omne fundamentum suum in fide, nudo amore exornata, in vera suæ voluntatis resignatione, collocârunt. Fitqúe sæpius, vt Deus sua ab eis excellentia dona auferens, in tanta eos paupertate relinquat, vt putares eos nihil vnquam de Deo percepisse, simulqúe grauissimas supra omnem humanum intellectum tentationes eis euenire permittit, ita quòd ab omnibus despiciuntur ac persecutionem sustinent. Cæterùm ipsi in his humiles semper ac resignati perseuerant, omniqúe sibi confusione ac oppressione digni videntur: vnde nec vnquam tot eis possunt aduersa contingere, quin plura semper exoptent. Nec enim vlla eos solicitudo tenet, nisi quòd metuunt non ita perfectè, atque vellent, CHRISTI se exempla sectari. Et licet tanto crucis & aduersitatum teneantur desiderio, nunquam tamen multiplices visitationes, influxus, illustrationes, ac Dei intra se operationem negligunt, impediúntve, sed seipsos tanquam viua instrumenta Spiritui sancto in omnibus offerunt, ne

Luc 22.

diuinæ

diuinæ gratiæ quoquo modo ingrati sint: sicq; inebriantur *ab vbertate domus Dei*, qui tantam eis amoris infudit abundantiam, vt non possit se in ipsis continere, quin ex eis reluceat, quod tamen nec sciunt ipsi, nec scire appetunt, vtpote qui tanta sunt humilitate præditi, vt & seipsos & cuncta opera sua, quæcunque vnquam fecêre, vilipendant, & absque hypocrisi vel fictione, infra omnes sese constituant creaturas, ab omnibus despici ac opprimi desiderantes, nec vlli se in tempore vel æternitate audeant æquiparare. Et inde vel maximè placent omnipotenti Deo, qui sola humilitate facile vinci potest. Præterea mundo huic prorsus mortui sunt, & seipsos & creata omnia penitus amiserunt, cunctaq; rationalia vel intellectualia opera, quæ vnquam fecêre cum proprietate, extincta & emortua sunt. Nec seipsos nec aliquid suum, vsquam hîc vel in futuro inquirunt seculo: sed omni priuato commodo, omni delectatione penitus calcata, bonis omnibus sibi prorsus indigni esse videntur: tantamq; erga se miseros peccatores Dei vehementissimè stupent bonitatem, ipsumq; *in spiritu & veritate adorant*. Sed & hos adhuc malignus spiritus ad ima reuocare attentat: & fieri potest, vt aliquis ex eis relabatur, si maligno vlli vanam suggerenti complacentiam, non debitè satis reluctetur. Nec enim ad tantam aliquis pefectionem pertingit, quin diaboli persecutionem sustineat. Sanè hos maligni illi spiritus cunctis, quæ quidem excogitari possint, tentationibus impugnârunt, quas tamen ipsi denuò adhuc pro Dei gloria subire desiderant. Adhæc, ex diuina illuminatione, quam copiosam adepti sunt, facilè, quibus quique sint vitijs irretiti, perspiciunt, & omnibus ad omnia sufficientissimè respondere nouerunt. Quantis insuper peccatis bona hominum pars obnoxia sit, & optimè cognoscũt, & eis vehementissimè compatiuntur ac miserantur, ita vt nonnunquam corporis inde incurrant valetudinem. Hæc enim maior ipsorum crux est, quam ad mortem vsque ferre coguntur. Tanto siquidem tamque ineffabili diuinitatis timore exuberant, vt soli libenter omnes Purgatorij exciperent pœnas, si miseris in eo detentis animabus absolutionem impetrare possent: adeoq; Saluatoris passione commouentur, vt afflictionem sitiant, & turpissimam, quæ excogitari possit, mortem, ad mortis illius honorem, libentissimè paterentur, si peccatores quosque à peccatis ipsorum eripere possent, idq; ob diuini iudicij, quem non ignorant, metuendissimũ rigorem: imò cùm omnes ingenti complectantur dilectione, si Deo ita visum foret libenter ipsum quoq; infernum subirent, vt omnes, quanta sit in Deo beatitudo atque lætitia, compertum atque exploratum habere possent. Denique nemo ipsos, nisi solus Deus seipso, consolari potest: adeoq; in Deo firmati sunt atque fundati, vt nec mille mortes ab ipso eos valeant separare. Vnde & tanto eos ipse amore prosequitur, vt si vnus ex eis pro aliquo ipsum negotio deprecaretur, & mille alij, etiam boni homines, contrarium peterent, ab hoc vno citius atque libentius se pateretur exorari. Sed hi tales, pro dolor, paucissimi sunt. Et tamen quanlibet rari sint, Christianitatis columnæ sunt, quibus ea innititur atque fulcitur. Et nisi aliqui ex eis superessent, citò Ecclesiam totam, ob peccatorum immanitatem, Deus pessum ire permitteret. Ipsi verò mundo prorsus incogniti sunt & occulti, atque ab ipso despiciuntur, irridentur & opprimuntur: qui cùm absque omni Christiana constitutione viuat, ipsis planè indignus est. In hoc statu siue gradu quotquot moriuntur, sine medio ad suum principium Deum Optimum Maximum euolant. Præstet nobis Deus per immensam pie-

Ioan. 4.

Neminẽ diaboli insidijs nõ esse obnoxium.

Qui quomodo occulta hominum nôrint.


Maxima piorum crux quæ sit.

Rom. 8.

Vnius orationẽ, aliquãdo aliorum mille postulare.

tatem suam, vt & nos in vita nostra, vel saltem in morte, ad hunc gradum pertingamus. Amen.

SPECVLVM LVCIDISSIMVM ET EXEMPLAR AMAbilissimum Domini nostri Iesu Christi, quod sicut ipse prius in seipso expressit, ita & à nobis illius imitationem exigit. Estque velut Epilogus siue Clausula omnium huius libri institutionem.



QVICVNQVE iuxta gratissimam Dei voluntatem vitam suam instituere, eiusque gratiam sine impedimento percipere exoptant, eam, quæ sequitur, institutionem, bona omnia in se continentem, vigilanter attendere, eamque viuendo exprimere debebunt. Itaque religiosus seu bonus quisque Christianus Deum suum in omnibus & super omnia, omni tempore ex cunctis animæ suæ viribus in cunctis cogitationibus, verbis & operibus suis, & omnium hominum æternam beatitudinem, sicut suam purè diligere, intendere & exquirere debet. Quod vt melius possit, seipsum intus strictissimè obseruabit, & tacens, quid intra se Dominus loquatur, audiet. Omnem quoque occupationem ac multiplicitatem fugiens, cum Deo in vnitate requiescet, sensus suos omni claudet vanitati, Deum orans ac inuocans, illius præsentia in omni loco & tempore perfructur. Sui ipsius perpetuus habitator erit, cordisque veritatem & conscientiæ pacem impendiò amabit. Mitis & humilis corde, & in omni vita atque conuersatione sua diuinus erit. Cuncta de manu Domini suscipiens, eum in vniuersis illius laudabit operibus, gratias aget, honorabit atque intendet. Semper humili quadam erga Deum abnegatione suiipsius erit præditus, & non Deo tantum, sed & creaturis omnibus sese submittet. Adhæc, perpetua quadam consideratione bonitatem atque perfectionem Dei, & ediuerso paruitatem & perfectionem suam attendens, magnam erga se Dei dilectionem atque fidelitatem, suamque econtra erga illum ingratitudinem ac infidelitatem admirabitur atque stupebit, minimum se inter omnes ex animo iudicans. Diligentissimè à proprio sensu vel existimatione, & omni naturæ suæ nequitia sibi cauebit, nec plus de se ipso sentiet, quàm à seipso habet. Semper nouam quandam aggredietur vitam, & in nouis virtutibus, nouaque se veritate exercebit. In verbis sobrius & parcus, in sanctitate vitæ copiosus erit, & ab omnibus derelinqui atque contemni desiderabit. Parua peccata multum ponderabit, minimosque defectus haud leues arbitrabitur. Tantam sui curam aget, vt Dei præsentia nunquam in anima sua frustretur, cunctique ex ipso homines prouocentur ad meliora. Omnia opera sua modo aget perfectissimo, & eis, quæ intellectu capit, faciet satis. Nihil in hac vita sciens admittet, cuius post hanc vitam pœniteat. In diuturna aduersitate perpetuam patientiam, & in continua multiplicitate animum collectum habebit. Nihil proprij in hoc seculo vel habere, vel velle consentiet, nec vllam in rebus electionem habebit. Nihil intra se nisi Deum admittet, nihil proinde nisi Deum continuè in anima sua producturus. Vitabit diligēter & abstrahet se ab hominibus vniuersis, & nudum seu liberum se à cunctis introreceptis imaginibus, animamque suam ab omnibus vndecunque accedentibus expeditam seruabit, quo continenter cælestis Patris sui in animam suam influxum possit excipere. Crebrò seipsum in dignissima Domini nostri Iesu Christi

vita

vita atque exemplari, ceu in speculo, contemplabitur & exercebit, considerans quantum illi vel similis vel dissimilis sit: cunctisq; vitæ rectioris in seipso præbebit exemplum. In omnibus verbis suis verax, & in conuersatione sua religiosus atque maturus erit. Principium seu originem suam, vnde profluxit, contemplabitur, atque in ipsam tota diligentia redire contendet. Denique quid sit, vbinam sit, vnde venerit, quò prolapsus sit, quò mox vocandus sit, quid agat, & qua de causa quæque agat, vigilanter attendens, in virtute atque veritate ad mortem vsque constantissimè perseuerabit. Amen.

ALIA BREVIS INSTITVTIO.

VARIA atque numerosa huius libri exercitia, imò quicquid de vita perfecta seu diuina scribi potest, hoc pacto certissimè cõsequemur, si nosipsos à cunctis rebus caducis abstrahamus, si humilem resignationem ac internam nuditatem studeamus assequi, solumq; Deũ per fidẽ & charitatem in nudo animæ nostræ fundo amplexemur, nosq; totos cum anima, spiritu, corpore, corde ac sensibus, in illius sanctissima abscondamus humanitate, eiq; viua quadam imitatione conformes fieri laboremus, atque per illius denique merita diuinitati ipsius continuè perpetuoq; inhæreamus. Quisquis hæc agit, supradicta omnia haud dubiè consequitur, atque à Deo confortatur & agitur, liberam semper introuersionem habet: cunctaque opera illius, & ipse quoque, diuina efficiuntur, ita vt in hac perfecta exemplaris Christi imitatione, viuam sacræ Scripturæ veritatem, sicut illa omnibus puris affulget cordibus, perspicuè dilucideq; cognoscat. Omnipotens virtus Dei Patris expugnet atque superet in nobis, quicquid ab eo nos præpedire possit, & virtutẽ nobis tribuat, suam gratissimam in omnibus exequendi voluntatem. Lucidissima Dei Sapientia nos illuminet, atque ad bona omnia, quæ ad ipsum nos queant prouehere deducat. Ineffabilis ac superefluentissima charitas Spiritus sancti perfundat, accendat, vniatq; secum in ardentissimo iucundissimoque incendio suo omnes vires nostras, ita vt *quæ retro sunt*, obliti dulcissimam vocationem & amorosum illum tractam sequamur, in quibus nos ab æterno supergloriosissima Trinitas prædestinauit atque vocauit, ab amore videlicet fallacissimi seculi huius ad se, cunctasq; diuitias atque infinitam beatitudinem suam, quo per gratiam efficiamur, quod ipsa est per naturam. Cui est omnis laus, honor, obsequiũ & reuerentia ab omni creatura, in infinita secula. Amen.

CONVIVIVM MAGISTRI ECKARDI, DE PAVpertate Spiritus, de humilitate, diuino amore, resignatione, & vnione cum Deo.

INSIGNIS ille Theologus M. Eckardus vice quadam pauperem quendam Coloniam Aggripinensem, victûs conquirendi gratia, accessisse commemorat. Quem cum domina quædam apud Rhenum fortè inuenisset, vt secum prandere vellet, ipsum studiosè precabatur. Annuente illo, & iam simul eis prandentibus, mendicum illum, vt citra pudorem liberè vesceretur, domina prouocabat. Cui ille: Si nimium

nimium, inquit, comedo, pecco: si minus, similiter delinquo. Medium ergo inter hæc optimum est. Manducare igitur, sicut pauper, debeo. Et illa: Quid est, ait, pauper? Mendicus respondit, tria ad verè pauperem exigi. Primum est, vt cunctis vitijs, creaturis, & affectibus naturalibus mortuus sit in seipso. Deumque solum diligat, Deum solum obseruet, illiq; ardenti desiderio seruiet. Quia quàm impossibile est lapidem suscipere Angelicam sapientiam, tam impossibile est Deum suscipi posse in tempore, rebusq; temporarijs, & corde terreno. Secũdũm, vt Deo magis ac magis vniri semper desideret, nec vnquam in hoc desiderio satiari queat. Tertium, vt quicquid dicitur & est afflictio, paupertas & despectio, hoc nulli magis, quàm sibi, cupiat & optet. Tum illa: Dic mihi, ait, fili charissime, quæ est paupertas hominis interioris? Et hanc ille similiter in tribus consistere respondit. Primum est, perfecta ab omnibus extra Deum creaturis abstractio. Secundum est, strenua hominis interioris & exterioris humilitas. Tertium est, studiosa deuotio, & mens continuè in æternitatem subleuata. Rursus illa: Quid est, inquit, paupertas spiritus? Neque enim, ait, vnquam scire potui, quid pro Dei gloria & hominis salute ad paupertatem spiritûs requiratur. Et mendicus. Verum, ait, domina mi locuta es. Sed & ipsa paupertas spiritûs in tribus consistit. Primum est, vt quis sic se gerat in hoc tempore, vt nihil sciat præter se & Deum. Secundum, vt Deum extra se non requirat, sed in ipso Deo in se præsente contempletur æternam salutem. Tertium, vt nullum spiritale bonum cum proprietate de loco ad locum secum ferat, neque creaturarum imagines creaturali modo secum ad lectum portet, sed nudo & euacuato corde cubitum pergat. O quam nobilis est hæc vita, & quàm iucunda quies, sic pura conscientia indormire in Deo, tametsi super saccum straminum iacueris, dummodo liber & absolutus ab omnibus desiderijs non diuinis fueris. Tunc Domina. Non debet ergo, ait, M. Eckardus, venerabilis Pater noster, concionem suam, quam facturus est, extra cellam suam ad suggestum deferre? Non, inquit ille: Hic enim spiritus ex vulgo nascitur: & quo impræmeditatior, eo & acceptior. Tum illa: Planè, ait, haudquaquam mihi de vulgari hominum sorte esse videris. Respondit pauper: Sol iste, qui Coloniæ radiat, etiam Parisiense illustrat oppidum. Quod cum illa apertius sibi dici postularet, respondit pauper, non id sui muneris esse, quandoquidem M. Eckardus: coram adesset. Tunc itáque M. Eckardus: Quisquis, inquit, veritate intus destitutus est, foris eam diligat, & sic eam intus inueniet. Tum Domina: Abundè, ait, prandium istud compensatum est. Et ille: Tuum igitur, inquit, sit Domina mi, vinum quo vsi sumus, rependere. Et Domina: Libenter, ait, plures adhuc quæstiones mouerem. Obsecro igitur vt dicas mihi, vnde quis opera Spiritus sancti in anima sua cognoscere debeat. Respondit ille, quòd ex tribus illa cognoscantur. Primum est, si indies corporales res atque delectationes, amorq; naturalis, in ipso decrescãt. Secundum si continuè in diuino crescat amore & gratia. Tertium, si ex amore ac strenuitate quadam ad benefaciendum proximis suis, quàm sibijsi, propensior sit. Et vnde, ait illa, bonus quisque scire poterit, num in oratione vel exercitio suo Deus sibi præsens adsit? Hoc, inquit ille, similiter ex tribus intelligi potest. Primò, ex obiecto illo, quod electis suis Deus impendere solet, quod est seculi contemptus, & ad sufferenda quælibet aduersa animi promptitudo. Secũdo, ex gratiæ augmento, quod pro mutui inter Deum & ipsum amoris præstatur ma-

Mendici apophthegma. Quæ tria ad verè pauperē exigātur.

In quibus tribus interna paupertas consistat.

Paupertas vera in quot sita.

Ex tribus opera Spiritus sancti in anima nosci.

Ex quot & quibus præsentia Dei sciatur.

magnitudine. Tertiò, ex hoc quòd nunquam Deus ab homine discedit, quin nouam ei veritatis demonstret viam. Rursus illa. Vnde quæso, ait, sciri potest, si cuncta hominis opera pro gratissima Dei voluntate fiant? Ex tribus, inquit ille. Primum est, si perpetuam habeat conscientiæ puritatem. Secundò, si se nunquam extra Dei vnionem auertat. Tertium, si Pater cælestis suum in ipso Filium pariat incessanter. Tum verò M. Eckardus. Planè, inquit, si nunc debitum omne tam integrè solutum foret, vt hoc, quo vsi sumus, vinum: plures animæ iam cæli interessent gaudijs, quę etiamnum flammis Purgatorij exurũtur. Ait pauper: Quod iam deinceps exoluendum est, M. Eckardo incumbit. Ille verò respõdit, seniori pro ætate deferendum esse. Et pauper: Sine, ait, dilectionem operari. Nam sine accidente operatur. Et Domina ad pauperem: Dic mihi, inquit, Pater, vnde scire quis poterit, se Patris cælestis filium esse? Respondit pauper: Ex tribus. Primũ est, si cuncta opera sua ex Dei amore perficiat. Secundum, vt cum humili resignatione omnia æqualiter de manu Domini suscipiat. Tertium, vt spem atque fiduciam suam finaliter in solo constituat Deo. His dictis, sic M. Eckardum pauper affatus est: Dic mihi Pater, vnde aduertere licet, si virtus in aliquo iuxta supremã excellentiam suam operetur. Cui M. Eckardus in hæc verba respondit: Fili charissime, æternæ veritatis discipulus & indagator ita viuere debet, vt quicquid auditu percipit, moribus & vita exprimat: sicque dispositus erit, vt nihil amplius possideat, quàm verbis possit exprimere. Sicut enim Verbum sempiternum à Patre æterno generatur, sic voluntas Dei, efficiens causa est omnium creaturarum. Præstet hæc nobis misericordia Dei nostri. Amen.

Tria operum Deo gratorum indicia.

Tribus, an Patris cęlestis filius sis, dinosci.

COLLOQVIVM D. IOANNIS THAVLERI THEOLOGI, & Mendici, continens præclarissimum quoddam Exemplum hominis perfecti, vnde doceri possumus, vt in omnibus pro Dei voluntate ac ordinatione, eodem semper animo resignati esse debeamus.




FVIT olim insignis quidam Theologus, quis annis 8. precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, vt ipsi hominem quendam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cumq; vice quadam vehementissimo huius rei flagraret desiderio, vox quædam cælitus lapsa, ita ipsum allocuta est: Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur, inuenit Mendicum quendam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cuius vestes in vniuersum vix tribus obulis supputares: quem salutans, ita affatus est: Det tibi Deus prosperum manè. Respondit mendicus: Non memini me vnquam aduersum manè habuisse. Et Magister: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus, quid ità loqueris? Respondit pauper: Sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille Felix esto, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister: Saluet, inquit, te Deus, iam nunc apertius loquere: neque enim capio quid dicas. Tum pauper respondit: Libenter id faciam. Optabas mihi Domine Magister prosperum manè, & ego me nunquam aduersum manè habuisse respondi. Quando enim fame premor, Deum laudo. Si frigus patior, si grando, si nix, si pluuia cadit, si aura serena est vel turbulenta, Deum laudo: si miser sum at-

que despectus, Deum similiter laudo: & ideo nunquam triste manè mihi contigit. Optabas etiam fortunatum me fieri, & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi. Noui enim cum Deo viuere, certusque sum quicquid ille facit, non posse non esse optimum. Vnde quicquid ipse vel dabat, vel euenire mihi permittebat, siue gratum id esset, siue contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, vt felicem me faceret Deus: ad quod ego similiter, nunquam me infelicem fuisse, subiunxi. Soli nanque diuinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integrè omnem meam transfudi voluntatem, vt quicquid ille vult, & ego velim. Et hac de causa nunquam infelix fui, cum, vt dixi, illius duntaxat voluntati inhærere velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignârim. Hæc cum Mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est: Quid, obsecro, dicturus esses, si te Dominus maiestatis in abyssum demergere vellet? Et ille: In abyssum, inquit, me demergeret? Et reuera si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum amplexarer. Vna est vera humilitas, & hoc illi suppono, atque per ipsum sacratissimæ humanitati ipsius vnitus sum. Alterum, idemque dextrum, est amor, qui diuinitati ipsius vnitus est, atque per hunc ipsum circumplector, ita vt mecum ad infernum descendere cogeretur. Optatius autem multo mihi foret, in inferno cum Deo esse, quam vel in cælis sine illo. Ex his igitur Magister ille didicit, veram resignationem cum humilitate profunda, compendiosissimam ad Deum semitam esse. Dehinc iterum ex illo mendico percontatus est, vnde venisset. Cui ille, à Deo se venisse, respondit. Cumque Magister, vbi Deum reperisset, sciscitaretur: Ibi, inquit ille, vbi creaturas omnes dereliqui. Et Magister: Vbi verò, ait, Deum reliquisti? Respondit pauper: In mundis cordibus, & hominibus bonæ voluntatis. Et Magister. Quisnam, ait, es tu? Respondit ille se regem esse. Sciscitãte Magistro, vbinam esset regnum ipsius: In anima sua id esse, respondit. Sic enim, ait, & externos & internos sensus meos regere noui, vt cunctæ affectiones & vires animæ meæ, mihi subditæ sint. Quod profectò regnum cunctis mundi huius regni præstantius esse, nullus ambigit. Et rursus Magister: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Respondit pauper: Nimirum silentium meum, sublimes meditationes, & vnio cum Deo. In nulla re, quæ Deo minor foret, quiescere potui. Iam verò Deum meum inueni, & in ipso pacem & quietem habeo sempiternam. Amen.

Breuissima ad Deum via, quæ.

Rex propriè quis sit.

SERMO, SEV EXHORTATIO QVAEDAM FIDELIS, vt nos ad aduentum Domini nostri & mortem præparare debeamus, & de diuersis iudicijs Dei super filios hominum,



AH mortales, mortales, euigilate, obsecro, à somno peccatorum & multiplicium vitiorum, & per vitæ synceram emendationem, aduersus ineffabiles illas miserias, calamitates, angustias, quæ in seuerissimo Dei iudicio, præsertim à malignis spiritibus, certo certius vobis occurrent, dum adhuc licet, vos sedulò præmunire. Ecce enim Iudex vester præ foribus assistens, paratus

ratus est vnicuique reddere secundùm opera illius. Dum ergo tempus habetis, & Dominus inueniri potest, discite vos, quæso, ab omni peccato ad ipsum conuertere, & illius gratiam obseruare. In illa nanque extrema hora cum multis, qui modo seipsos decipiunt, periculosius agetur, quàm ipsi nunc cogitare sufficiant. Quando verò *sapientiæ* & salutis omnis *principium est timor Domini*, operæpretium facturus videor, si eorum, quæ timorem hunc in nobis confirment, breuiter admonuero. Proinde nonnulla fideliter exponam, de diuersis illis iudicijs Dei, quæ animabus è corporibus emigrantibus obuenire solent, idq; faciã quatenus intellectu humano rem tantam consequi licet, quemadmodum secretis amicis suis Deus ea reuelare dignatus est. Psal. 110.

Morientium itaque ex hoc seculo migrantium hominum in summa quatuor genera sunt: In primo genere statuuntur sancti perfectique homines, plenè iam deputati, ita vt accipiendis quibusuis Dei donis ab æterno quidem præparatis, optimè idonei existant. Quibus ex hoc seculo demigrantibus, nulla superest luenda pœna, sed statim omnis lætitia, consolatio & quies, quibus in perpetuum perfruentur, eis eadem ratione exhibentur, qua illis ipsis perenniter sunt præfruituri. Ad hos propriè spectat dulcis vox illa Domini: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Morientium genera quot. Matth. 25.

II.

Secundi generis homines, sunt variè differentes. Horum aliqui ad prædictum perfectionis gradum à Deo fuerant vocati: verùm ad res transitorias, siue ad proprium sui amorem commodum & vtilitatem conuersi, non purè vixerunt. Alij verò ob ingenij subtilitatem, intellectusque abusum, à veritatis via ad peregrina aberrantes, sibique placentes, suis proprijs sensibus falsisque verbis arroganter inhærent: sicq; suis profundis ingenijs in profundos prolabuntur errores. Et quanquam hi speciem quandam præ se ferant vitalis doctrinæ, seducunt tamen miseri semetipso, & omnes suos sectatores à via veritatis in errorem & mortem æternam. Tales mortem experiuntur longè omnium formidolosissimam atque periculosissimam, propterea quòd sanis Ecclesiæ Doctorib[us] non acquieuerunt. Sunt & alij in hoc secundo genere, & hi quoq; à Deo ad priorem, quem prædiximus, perfectionis gradum vocati: quam tamen quia in vita sua obtinere neglexerunt, ideo necesse habẽt illam vel in extremis impetrare, cum anima de corpore iamiam distrahenda est. Quod certè tunc fit tam varijs & horrendis mortibus, vt ita dicam, quot quantasq; per omnem vitam pro sui abnegatione sufferre debuissent, adeò vt pœnas infernales hoc ipso tempore sibi ferre videantur. Idcirco verò terribili hac angustia nunc premuntur, quia videlicet humili abstractaq; sui custodia intus proximam veritatem non sunt sequuti, sicut à Deo & sanctis Doctoribus ad hanc inuitabantur. Alij denique huius secundi generis homines sunt, quibus à Deo magna tum spiritualia, tum corporalia dona, siue per naturam, siue per gratiam sunt collata: cuiusmodi sunt omnis generis Prælati, necnon sacerdotij dignitate fulgentes, Religiosi item, inclusi quiq; & claustrales: præterea quibus vigor ingenij, sensuumq; dotes innatæ sunt. Denique quotquot iurisdictionem & potestatem in alios exercẽdam à Deo sumpserunt, siue spirituales, siue seculares iudices habeantur. Huiuscemodi hominum vita quum suo non respondeat officio, iuxta ordinationem Dei, sed seipsos potius quærant, commoda venentur temporalia, vel honorem appetant

contra honorem & iustitiam Dei, tum sanè nimium formidabiles experiuntur angores in morte. Quin etiam illorum nonnulli perditionem inueniunt sempiternam, multoq; damnantur grauius, quàm ipsi Iudæi & pagani. Nonnulli verò in Purgatorij pœnas inexplicabiles detruduntur, nec eas breues quidem, sed ad extremum iudicij diem calamitosissimè sufferendas.

III. Tertium genus ob hoc seculo migrantium, sunt vulgeres & plebeij. Horum quoque duplex habetur differentia. Nam alij peccatis onusti mortalibus, ad extrema deueniunt. Sed quia nonnullis virtutibus eorum vita resplenduit, à Domino conseruantur, ne prorsus pereant. Et hos homines multis modis vltro citroq; per misericordiam suam venari & propellere solet, quatenus ad veram pecacatorum suorum pœnitentiam adduci queant. Sic & in morte cum eis agitur clementius: non pœnæ nimium graues, non austera iudicia Dei morituris ingeruntur, ne fortassis in diffidentiam prolabantur. Igitur ad Purgatorium deducti, mirum, quàm terribilibus ibi pœnis diuexentur, quæ interdum ante iudicij diem non finiuntur. Iam illi, qui magnis peccatis in vita sua inquinati & assuefacti, vsque ad mortem pœnitentiam procrastinant, & in fine cum modica contritione moriuntur: adeò seueram iusti iudicis iracundiam aduersum sese concitant, vt in pœnas detrusi, supplicia quædam velut infernalia subire, & in his extremũ Dei iudicium expectare cogantur: dum interim adeò plectũtur grauiter, vt nesciant misericordiæ locum sibi superesse apud Deum. Quæ pœna omnium atrocissima iudicatur. Iratus enim illis Deus, omniũ illorũ memoriam & curam abiecisse videtur, quandiu meritas luendi pœnas tempus hoc durat. Sed nec permittit iustus ille Iudex, vt pro hisipsis sancti & amici sibi homines intercedant. Quod autem attinet ad pænam Purgatorij, certè minima illic pœna & acerbior & vehementior multo est, quàm quoduis sit supplicium huius temporis omnium etiam atrocissimum, quãtumuis ingens humana mens illud excogitare possit. Alij deinde communium hominum, in Dei timore viuunt, sibiq; cauent à peccatis: communicant etiam Ecclesiæ Sacramentis iuxta institutionem ipsius Ecclesiæ. Sed interim circunferunt & impunita prætereunt venialia delicta. Cũ igitur ad extrema deuenerint, mitius quàm priores Dei iudicium experiuntur. Nec impune tamen euadunt, quin mortui cogantur expiare pœnas tam venialium peccatorum, quàm illorum mortalium, quæ prius aliquando commissa, licet confessi sint, non debito tamen pœnitentiæ dolore expiârunt. Cæterùm quotquot Domino Deo permittente, nunc in varias afflictiones incidunt, aduersa itidem tristiáve voluntario gratoqúe animo suscipiunt, hi non solùm à prædictis malis angustijsqúe liberi sunt, sed etiam æternæ consolationis vbertate refocillantur, & cœlestibus planè gaudijs perfrui merentur.

Quandiu purgatorium quibusdam sustinendum.

Atrocissima pœna quæ.

Quantæ Purgatorij pœnæ.

Afflictiones præsentes quibus solatio futuræ.

IV. Quartum tandem genus morientium eos omnes complectitur, qui peccatis mortalibus obnoxij vitam finiunt citra contritionem & Confessionem. Hi nimirum damnati vocantur vt sunt, quibus in ipso mortis articulo miserrimum ingeritur spectaculum, nempè vastum illud pœnarum tormẽtorumq; chaos, ac dira congeries perpetuò illis duratura. Iam tum ibi sentiũt vermem consciẽtię, qui non moritur: sentiunt & gehẽnam ignis, qui nõ extinguitur. Quod ad bonos Angelos attinet, hi se bonorũ morientium præbent custodes, & in extremo quidem angustię feruore cõfirmant animã ipsam citra superiores ipsius vires, quo sic ad-

Damnandis quid in ipso mortis articulo spectaculi fiat. Marc. 9.

sic adiuta, non frangatur nimio tentationum impetu, néve succumbat territa dæmonum adspectu nimium horrendo. Quo tempore sanctus quoque Michael vnà cum cælesti exercitu sententiam Iudicis præstolatur, vt animam, quò Deus pronuntiauerit, statuat. Quod deinde ad malos angelos attinet, hi non secus, quàm ferissimi leones in prædam inhiantes, circumferuntur & insidiantur morituris, dum horum animas in omnibus viribus, per quas consensum aliquando præbuerunt diabolicis suggestionibus, grauissimè constringunt, conantes quibus possunt modis animam secum pertrahere in æternæ damnationis barathrum. Accedunt illuc & infernales dæmonum principes, & principales veluti duces & capita septem peccatorum mortalium: accedunt, inquam, simul ad moriturum, suum in eo locum requirentes. Et secundum quòd homo plus minúsve peccauit, & sic absque contritione, vel præuia licet contritione & Confessione, absque tamen satisfactione & perfecta emendatione, ad extrema deuenit: secundùm hoc etiam plus vel minus infirmo omnia sua peccata & vitia cum terribili & ineffabili horrore, ad animum reuocant, obtrudunt, & improperant, vt desperet. Ad hæc, operæpretium est animaduertere triplicem tentationum viam, quibus humani generis inimicus, vt plurimum solet impetere iam in extremis constitutos. Primum eos aggreditur, vt peccatorum antea commissorũ incurios, negligentesqúe faciat, nimirum lactans eos falsa quadam spe seu præsumptione, & præsumpta confidentia de Dei misericordia, manente interim tepida cordis contritione, tunc præsertim, vbi quis adhuc sui compos est, & animo valet. Reliquæ duæ tentationum viæ locum habent in angustia mortis, videlicet desperatio de Dei bonitate, & perfidia seu infidelitas. Verùm qui primum tentationis laqueum superauerit, à posterioribus damna non sustinebit. Interim ô homo rationalis te nunc appello, vt præcellentem creationis tuæ cõditionem intelligas. Authorem habes tibi DEVM, qui te formauit *ad imaginem & similitudinem suam.* Redemptorem habes DEVM, qui te morte tam acerba, tam ignominiosa vindicauit, abstraxit & euexit ex ipsis faucibus inferorum, vnde nullus tibi patebat egressus. Ille verò, ille Pater ac Dominus tuus, te nunc quærit, totum sese tibi effundit proximatqúe. Nec id semel tantùm: sed etiamnum te vocat secundùm abyssum miserationum suarum, qui nihil tuorum indiget, pro te solicitus, tibi prouidus agit: idq; multo fidelius ac libentius, quàm vel tu queas æstimare, vel ille amicis suis velit reuelare. Ea propter non est ô homo Christiane, cur peccatorum tuorum vel magnitudine, vel multitudine desperes. Pius Deus *cor contritum & humiliatum* non despiciet. Imò quacunque hora peccator de venia sperans, ex animo ingemiscit, gratia illi non negabitur. Primus tamen salutis gradus est, declinare culpam: Secundus, non desperare veniam. Vbi verò morbum ingrauescere senseris, & ad extrema deuentum erit, sequere consilium hoc longê saluberrimum. In primis piorum sanctorumq; hominum orationes & exhortationes adhibendæ sunt. Nec parum conducit, tales homines morientibus præsentes adesse. Iam pietatis opera, quæ post mortem, non absque fructu, homini possunt applicari, simpliciter consultius est, eadem in mortis necessitate constituto præstare, cùm alioqui neque prius quidem, neque posterius præsidia spiritualia æquè sunt illi necessaria. Singulariter profuerit & illud, vt huiuscemodi verba dicantur ab infirmo, vel ad aures eius elata voce clamentur: Domine Deus, ego sum miser homo ille, quem tu pro paterna boni-

Qualis morientiũ agon.

Tentationum diabolicarũ via quotuplex.

Gen. 1.

Hortatio ad misericordiæ Dei fidendum.

Psal. 50.

Duo salutis gradus

Quid tibi iam iam morituro faciendũ.

Quid morientis auribus ingerẽdum.

bonitate & potentia tua creâsti propter teipsum & ad teipsum. Domine IESV Christe, ego sum ille miser, quem tu per ignominiosissimam & innocentissimam mortem tuam redemisti ab omni potestate inimici. Tu ergo solus imperium habes & potestatem super me. Domine Deus, ego sum homo miser, quem tu saluare potes secundùm abyssum misericordiæ tuæ. Experientia compertum est, & Sanctorum authoritate comprobatur, huiuscemodi verba morientibus recitata, mirum in modum prodesse.

Paradigma. Fuit vir quidam fide dignus, cui in extremis à sensibus alienato, hæc verba in aures inclamabantur, qui ad se reuersus, vidit tres sibi dæmonum turbas assistere, seq; iam penè ad tartarum fuisse relegatum. Porrò quoties vnum ex supradictis tribus verbis proferebatur, vna dæmonum turba aufugit, donec simul omnibus prolatis, omnes quoque dæmonum turbæ recederent, nec eum amplius tentare poterant. Idem ipse ait, quòd cuicunq; verba supradicta in aures inclamarentur morituro, aut ab ipso cogitarentur, haudquaquam perire posset. Benedictus Deus, qui vtilissimam hanc institutionem, alioqui mundo incognitam, per amicos suos pro nostra salute reuelare dignatus est. Adhuc autem in qualibet afflictione, & præsertim in mortis angustia positus, eą quæ sequuntur, diligentissimè obseruabit.

Quę afflictio seu morienti obseruanda.

I. Primò, seipsum, id est, interiora sua ingrediens, afflictionis seu mœroris sui se impedientis causam inuestigabit.

II. Secundò, tam coram Deo quàm hominibus, potissimum autem coram Confessore suo, ex corde sese reum proclamabit, humiliterquê fatebitur, se peccatis suis ea meruisse.

III. Tertiò, passionem suam cum Christi Iesu passione conferens, quàm nihil omnium hominum afflictio in illius cõparatione sit, contuebitur.

IV. Quartò, seipsum ea passione indignum reputans, ex intimis animæ suæ medullis Deo gratias aget, quod se sibi conformem facere dignatur, qui in hoc seculo positus, nunquam absque afflictione fuit: seq; sponte pro acceptissima illius voluntate ad eam offeret ac resignabit.

Cui quæ & quot dona conferat Dominus.

Denique sic ad se cum sua afflictione venienti, Dominus Deus quinque dona largitur. I. Primum est, quòd omnia illi peccata remittit. II. Secundum, quòd pro hac illi amaritudine diuinam suam ostendit faciem. III. Tertium, quòd suo illum corde adstringit, velut mater vnicum filium suum. IV. Quartum, quòd seipsius & Dei illi largitur cognitionem. V. Quintum, quòd tanta illum consolatione perfundit, vt humano solatio facilius carere queat. Consultissimum proinde fuerit, vt ante omnia paci ac puritati cordis maximam quisque impendat operam. *In pace* enim, nec alibi omninò, *factus est locus Dei.* (Psal. 75.) Porrò huic paci impendio suffragatur, vt suum quisq; corpus spiritui subditum reddat, viresq; corporales & sensus suos refrænet, coerceatquê. Dehinc, vt cum omnibus, quantum in ipso est, pacem habeat, nec aliquem sine necessitate contristet: tantaquê firmitate cor suum Deo vnitum seruet, vt nihil eum dolore afficiat, nisi quod Deum ab ipso præpedire, vel Deo displicere possit. Hæc enim semper haud leuiter æstimabit, & minora quotidiana peccata, quæ fortè admiserit, ita auersabitur, tantumq; ponderabit, quantum alius aliquis grauissimum mortale peccatum: sicquê per omnia vitam suam instituet, vt nemo ex ipso aliquod patiatur offendiculum.

Cui quadruplex à Domino mensura conferatur.

Sanè huiusmodi iustis hominibus quadruplex à Domino mensura confertur. I. Primò, mensura bona, cùm illi omnia peccata remittit. II. Secundò, mensura plena, cùm eum ad familiarem tanta cum beneuolentia admittit amicitiã, ac si nulla vnquam peccata perpetrâsset. III. Tertiò, men-

mensura conferta, cùm ita eum in sua gratia confirmat, vt deinceps haud facile IV.
queat in peccata recidere. Quartò, mensura supereffluens, cùm omnis sensus illius sua gratia adimplet, ita vt quicquid audiat vel videat, simul cum illis in Deum, ipsum laudando ac glorificando, sese conuertat, cunctaq; verba, opera & vita illius, prorsus deuota, virtuosa atque diuina efficiantur. Amen.

QVATVOR NOTABILES PRAEPARATIONES potissimum ad felicem mortem, & quomodo tempus deperditum recuperetur.



QVANDOQVIDEM sancta mater nostra Ecclesia Catholicæ sæpius nos cohortatur, quo ad Domini aduentum nos præparare debeamus, de quatuor hic præparationibus loqui decreui, quæ & cunctis scitu per quàm necessaria sunt. Quatuor namque sunt, ad quæ, priusquam adueniant, præparari nos oportet. Si enim donec adsint præ forib⁹, aduersum ea nos præmunire differamus, haud dubiè damnum patiemur.

Ad quæ quatuor nos oporteat præparari.

I. Primum sunt motus siue passiones animi, videlicet gaudium, dolor, spes, timor, amor, odium, desiderium seu concupiscentia, fuga seu abominatio, ira, leuitas, solicitudo, præsumptio, anxietas, inuidia, &c. Aduersus huiusmodi omnino præmuniendus est animus: alioqui dum sese occasiones ingerunt, quę ad ea animum inclinant, facile vitiũ aliquod, priusquam ipse aduertat, homo incurrit. Quod perfectò tota diligentia præcauendum est. Nam etsi peccata venialia & leuiores culpæ, Dei gratiam & amicitiam non abrumpant penitus, faciem tamen Domini, supra omnem æstimationem iucundissimam abscondunt. Quandiu enim sine magnis, siue minutis peccatis inhæremus, eam intueri non possumus. Peccatum etenim, quantumuis minutissimum, magis supersanctissimo DEO inuisum est atque aduersum est, quàm cuicunque etiam mortali res quælibet, quæ in hoc sęculo fieri possit, qualiscunque demum sit illa, quamcunque humanum queat ingenium excogitare. Vnde totis agendum est viribus, vt non solum Deum non amittamus, sed & vt benignum, amabilem, familiarem ipsum habeamus iugiter, & suauiter ad ipsum nos omni tempore conuertere possimus, nec ab ipso alieni aut remotiores efficiamur, quod tamen haud dubiè peccata, licet minima, efficiunt. Cæterùm peccata quotidiana non Confessione tantùm delentur. Imò ea confitendo scrupulosius, & sibi & alijs pretiosum tempus subtrahere, nec necessarium, nec vtile, nec laudabile est. Sola enim mortalia peccata & venialia illa, de quibus dubium foret, vtrum mortalia sint, confiteri obligamur: nec vlla alia omninò. Cætera omnia facilius citiusq; per deuotam cordis ad Deum conuersionem expiantur.

Quę peccata sola confitenda.

Imò tanto cum feruore huiuscemodi amorosa posset fieri conuersio, vt si quis vniuersa totius mundi peccata commisisset, per eam ex toto diluerentur. Delentur etiam venialia peccata per meditationem & exercitium Dominicæ passionis, per orationis Dominicæ aut generalis Confessionis deuotam enuntiationem, Item rem sacram deuotè audiendo, & benedictionem excipiendo, dulcissimis nominibus Iesu & Mariæ genu flectendo, aut inclinando, reuerentiam exhibendo: pectus tundendo ac inclinando, pariterqúe dicendo:

Venialia qui expientur.

Deus,

Deus, propitius esto mihi peccatori: Aqua lustrali sese adspergendo, & peccata sua recogitando cum contritione: infirmis aut alijs quibuscunque Dei amore ministrando: Corpus Dominicum dignè percipiendo. Denique pro deuotionis ac strenuitatis in exercitijs iam dictis magnitudine, ipsa quoque venialia delicta, & mortalia quoque obliuioni tradita, magis ac magis expiantur.

II. Quale sit, Dominici Corporis perceptio, opus Quæ tria ad dignā Communionem requirantur Deuotionem ex duobus nasci 1. 2.

Secundum, ad quod nos præparare debemus, magna sunt & excellentia opera. Præcipuum verò & optimum opus est, Dominicum corpus in Sacramento percipere. Ad hoc quisquis sese præparare negligit, non paruæ se negligentiæ reum facit. Vulgo dicitur: Qui sponsam tum demum instruere & exornare molitur, cum præsens est sponsus, nimis diu distulit. Ita & is, qui iam iam accessurus, nūc primum ad tanta sese parat mysteria, haud dubiè serò id agit. Porrò ad dignam Communionem tria requiruntur. Primò, conscientia munda, ad minus à mortalibus vitijs. Secundò, animus recollectus atque vnitus, ad minus eo quo communicamus tempore. Tertio, præsens deuotio. Deuotio autem ex duobus nascitur. Primum est, vt immensam bonitatem atque beneficia Dei quisque reuoluens, quàm incomprehensibilia multipliciaq́ue sibi ille bona contulerit, simul aduertat. Hæc enim ad deuotionem, ad amorem, ad gratitudinem cogitata inuitant, prouocantq́; Secundum, vt maxima charitatis indicia à Saluatore in omni vita illius, operibus, diris afflictionibus & amarissima demum morte sibi exhibita, perpendat. Ipse nanque Saluator ait, vt in sui commemorationem illius Sacramentis communicemus.

III. Tertium, ad quod nos præparare debemus, magnæ sunt aduersitates, tristitiæ, ægrotationes. Hæ nimirum præuia consideratione sunt præueniendæ & expectandæ: animoq́; priusquam ingruant, sæpius imprimendum, vti eas multa cum patientia ac mansuetudine à Domino suscipere velimus. Interim verò tranquillo corde nos ad eas Domino resignare debemus. Ita faciendo, si postmodum aduersitas aliqua irruit, fit non parum tolerabilior. Quælibet nanque improuisa afflictio siue dolor, nullo dubitante, maiorem dolorem ingerit, quàm si ad eam sciens quis se præmuniat. Et nos igitur in valle lachrymarum & terra afflictionis constituti, omni die, imò horis omnibus aduersitatem expectare debemus. Quanta verò, quamq́; multa, aut cuiusmodi, vel à quibus nos Creator noster pati voluerit, in omnibus integro corde resignati simus.

IV. Hebr. 9. Quartum, ad quod nos præparari oportet, certissima mors est. Ex omnibus, quæ homini accidere possint, nihil morte certius est. *Statutum est* quippe *semel omnibus mori*. Nec tamen ipsa mortis hora, loco vel conditione, aliquid incertius est. Meritò proinde quisque mori addiscere, vitia atq; defectus suos trucidare, & iterum atque iterum mori debet. Nam sic facienti, mors tandem mitior securiorq; occurrit, eo quòd mori duxerit in consuetudinē, mortem expectârit, & animo sæpe præuiderit. Sanè quotidie voluntatis propriȩ atq; concupiscentiarum mortificationi insistendum foret. Quātam enim huiusmodi in Deo mors vtilitatem adferat, quis explicet? Qui sic mori didicit, mortē nō expauescit, sed vt vitæ introitum lætus excipit.

Cuinam mors nō timenda. Apoc. 14.

Inde scriptum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Iucundissima planè res est, in Dei voluntate mortuum esse. Verum nullum exercitiū siue modus, nulla cogitatio, nulla deuotio in extremis vel vtilior vel melior esse poterit, quàm seipsum diuinæ ex integro voluntati resignare.

Optima deuotio quæ.

Fieri namque non potest, quin in huiusmodi resignatione ab hac luce discedens, ad cælestia regna confestim euolet. Sicut enim nihil omnino

nino medij vel pœnæ vel purgatorij ignis in Deum cadere poteſt, ita nec in hominem hoc pacto per amorem cum Deo vnitum. Nec mors vlla ſecurior, nec vita ſublimior perfectiorquè, nec ad alta magnaq́ pertingendi via compendioſior, quam per dilectionem in Dei beneplacito viuere, illi cuncta committere ac reſignare, ſiue dare velit, ſiue auferre, idq́ pura ac ſimplici intentione, qua ſolum Deum, nec quicquam omnino ſuum, neq́ ſeipſum in tempore vel æternitate requirat & intendat. Hic modus, hoc exercitium, modos omnes cunctaq́ vincit exercitia. Denique hæ quatuor præparationes ad Dei amicos ſpectant. *Quæ paratæ erant*, ait Euangeliſta, *intrauerunt cum eo ad nuptias*, non quæ ſe præparare moliebantur. His enim cæleſtis palatij ianua præcludebatur, licet iam tum ſuæ præparationi inſiſterent, & oleum emere feſtinarent. Cæterùm & iureiurando nullam harum ſe nôſſe Dominus proteſtabatur, & ita infeliciſſimè foris remanſerunt. *Dum igitur tempus habemus*, ſuæ quiſque præparationi inſiſtat, vt cum præparatis virginibus admitti quandoque & ipſi mereamur. Libet hìc quærere, quo pacto deperditum tempus vnquam recuperare quis poſſit, cùm nullum ſit tam breue & velox temporis momentum, quod non totum cum omni virtute ac facultate noſtra Deo Creatori debeamus. Sed hac in parte conſilium ſaniſſimum præſtatur. Auertat ſe quiſque cum omnibus tam ſupremis quàm infimis viribus ſuis ab omni loco & tempore, ſeqúe in illud Nunc æternitatis recipiat, vbi Deus eſſentialiter in ſtabili quodam Nunc exiſtit. Ibi neque præteritum aliquid eſt, neq́ futurum. Ibi principium & finis vniuerſi temporis præſentia adſunt. Ibi, in Deo ſcilicet, deperdita omnia reperiuntur. Et qui in cõſuetudinem ducunt, ſæpius ſeſe ſupra creata omnia leuare, atq́ in Deum in animabus omnium præſentem ſe immergere, atque in ipſo commorari, hi nimirũ fiunt locupletes, imò plura inueniunt, quàm deperdere queant. Porrò in hac introuerſione, ſiue ad Deum conuerſione, quiſque ſe ex integro in Deum transfundere, & ex imo cordis ſui ipſum hoc pacto affari debet: O Deus æternæ, vtinam vtinam omni illo tempore, quod ab initio mundi ad finem vſque ſeculi deuoluitur, tibi tam laudabiliter, purè, verè ac obedienter vixiſſem, ſicut omnes vnquam homines vixêre, idque in omni virtutum exercitio, in omni afflictione, in paupertate, in deſolatione, in labore & operatione. O vtinam præ amore ac gratitudine cunctas totius maris vndas per oculos meos plorando deducere, egenos omnes cibo reficere, mœſtos quoſque conſolari, & te Deum meum tanta laude ac amore proſequi poſſem, quantis te & Sancti & Angeli omnes proſequuntur. Hæc enim omnia præ omnibus ſanè quàm libentiſſimè facerem. Profectò quiſquis hanc in corde ſuo voluntatem perfectè ac re ipſa tenet, dubitare non debet, quin ita eam æquiſſimus ille Iudex ſit ſuſcepturus, ac ſi eandem opere compléſſet. Velle namque facere, & feciſſe, tantundem valent apud Deum, ſi tamen perfecta ſit voluntas, & opus virium noſtrarum facultatem excedat. Denique & neglecta omnia atque deperdita, in ipſo quoque Dominicæ paſſionis pretioſiſſimo theſauro reperire ac recuperare licet: ſicut in orationibus ſuis, & eiuſdem paſſionis meditatione quidam à Domino meruit certior fieri, ſic ipſum alloquente: O electe ac prædilecte fili, ſatis ſuperq́ amore tuo vulneratus ſum: & amoris lachrymæ ingentiaq́ deſideria tua mea vulnera ſanant. Vnde meipſum tibi inclinans, ſimul dolens queror tam raros inueniri, qui mea velint onera leuare, meiſq́ dolendis miſerijs & anguſtijs com-

Matth. 25.

pati ac misereri, cum tamen ex meæ passionis deuota meditatione immensum referant fructum. Quæsiuit ergo homo ille, quidnam ei Dominus præstare vellet, qui in suis crebrò vulneribus eum oraret. Ad quod Dominus benignè respondit: Quisquis necessitatibus meis miserationis affectum impendens, aliquoties per diem & noctem passionis meæ meditationi insistit, nouem inde vtilitates consequitur. Prima est, quòd inde à peccatis omnibus mundatur, & quicquid neglexit, ex meis illi meritis restituitur. Secunda, quòd ad resistendum securè hostibus suis ita confortatur, vt nullum ex ipso triumphum referre queāt. Tertia, quòd ad bona quæque opera, diuersasque virtutes peragendas, vires accipit. Quarta, quòd quamlibet breuissima eam cogitatione reuoluat, semper anima illius in mea gratia renouatur. Quinta, quòd deuotè eam commemoranti libenter ipsi commoror. Sexta, quòd arcana mihi à Deo Patre manifestata, illi similiter pandam. Septima, quòd ante mortem illius ad perfectionis eum perducam apicem, & defunctum cum charissimis amicis meis remunerabo. Octaua, quòd nihil eorum, quæ seriò & rationabiliter petit, illi denegabo. Nona, quòd in morte illi aduersus hostes eius assistam, & de vita æterna ipsum faciam certum atque securum. Amen.

Nouem ex meditata Domini passione vtilitates.

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX.

ALIA NOTABILIS AD FELICEM MORTEM PRAEPARATIO.

I. PRIMO moriturus quisque, ab omnibus rebus caducis ac temporalibus auersus, cum omnibus viribus totoque affectu ad cælestem Patrem suū, quo ipsi vniatur, atque terram promissionis sese conuertet, vehemēter sitiens atque desiderans, illic ipsi pro ineffabili bonitate illius gratias agere, & laudis perenne sacrificiū immolare. Ipsam quoque Matrem misericordiæ, omnemque cælestem exercitum deprecabitur, quo in hac sibi necessitate assistere, seque ex hoc exilio ad iucundissimam societatem suam perducere velint.

II. Secundò, nihil omninò quibuslibet bonis operibus suis, quæ se meminit peregisse, innitetur, sed firma fiducia in dignissima Saluatoris nostri merita, profundissimumque immensæ misericordiæ illius pelagus, & dirissima vulnera ipsius, cum vniuersis peccatis & negligentijs suis sese immerget, inclinabit, atque demittet. Nam vel minimum Saluatoris vulnus ad delenda omnia omniū peccata abundè sufficeret. Hæc itaque peccatorum enormitati & districto Dei iudicio opponere debebit, ne in desperationis profunda mergatur. Hęc enim est Christiana atque Catholica fides nostra, quæ neminem fallere potest. Et maximè curādum est, vt tota deuotione Sacramenta Ecclesiæ, per quæ merita Christi singulariter illi impertiuntur cum perfecto nunquam Deum offendendi proposito, tēpestiuè percipiat.

Quid tibi necipere agendum.

III. Tertiò, non metu pœnarum infernalium, aut aliā ex quouis seruili timore se peccasse dolebit, sed quòd fidelissimum Patrem, pijssimumque Dominum suum, à quo tot tantaque se meminit beneficia percepisse, innumeris malis cogitationibus, verbis, operibus, ac negligentijs offenderit, id maiori ipsum dolore afficiet, quàm pœnæ omnes, quas peccatis suis promeruit. Hæc contritio ex amore nascitur: & rarò præstatur ijs, qui ad mortem vsque vitæ correctionem procrastinant.

IV. Quartò, immobiliter, firmiter, atque simpliciter sanctæ Ecclesiæ Catholicæ fidei inhærebit in humili subiectione ac obedientia sub Pastoribus atque Doctoribus, qui à tempore Apostolorum nunc vsque eandem instituēre atque

re atq; gubernarunt, nec dubijs quibuslibet respondere, aut cum ipsis disceptare consentiet. In illa namque extrema hora totis viribus hostis tartareus fidei integritatem in homine labefactare quærit: cui quisquis locum præbet, magnum salutis suæ discrimen incurrit. Quintò, seipsum vt hostiam viuam, ad summam Dei gloriam, pro acceptissima voluntate illius offeret & resignabit, ad sufferendum patienter ex vero amore, purè ad honorem ipsius, nec vlla alia de causa, omnem languoris acerbitatem, ipsam mortis amaritudinem, omnem denique pœnam in tempore & æternitate, quam Dominus ipsi immittere volet: ita vt si pro voto, mille adhuc annis & vltra, in omni carnis suæ voluptate viuere posset, pro Dei tamen amore & gloria mortem potius subire velit. Hoc si reuera assequi poterit, ita vt ex pura dilectione, cum perfecta sui resignatione, ad omnem pœnam pro diuinæ iustitiæ honore sese tranquillo animo offerat exhibeatq;, neq; Purgatorium, neque Infernum subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata cõmiserit. Hoc animo iustus ille latro moriebatur in cruce. Cùm enim mori se debere perspiceret, ita se voluntarium ex amore ad ipsam mortem offerebat, vt si inde eripere se potuisset, haudquaquam id egisset. Libenter enim pro Dei gloria mortem illam subibat. Vnde & Martyrij gloriam cõsecutus est. Sextò, passionem amarissimam mortemq; acerbissimam Domini Saluatoris, eiusdemq; ineffabilem charitatem illam, quæ hanc ipsum sponte subire coegit, sibi proponens, spiritum, animam & corpus suum, cum feruenti spiritu, afflicta anima, sauciòq; & afflicto corpore illius vnire curabit, simulq; cum ipso in cruce morietur, & spiritum suum in manus cælestis commendabit Patris, immensæ misericordiæ illius tota semper fiducia innitendo, & in fide Catholica sanctæ Ecclesiæ simpliciter moriendo. Cor quoq; suum in patulum Saluatoris cor, afflictaq; membra sua, in eiusdem sacratissima vulnera & morientia membra commendabit, seq; totum ad moriendum perfectè mundo & peccatis omnibus, solique Deo deinceps viuendum, sponte offeret ac exhibebit. Denique cùm sacro inungitur Oleo, corde Deum rogabit, vt sanguis & aqua, quæ ex mortuo atque cõfosso illius corde promanabant, & in sacri Olei vnctione designantur, nobisq; impertiuntur, pauperem ac nudam animam suam ab omni vitiorum sorde abluere, sacratisq; virtutibus ac meritis suis ita eam vestire ac exornare dignetur, vt citra confusionem suo & Sanctorum atq; Angelorum omnium conspectui valeat exhiberi. Et hoc pacto securus moriatur. Cæterùm tutissimum est, vt quicquid in extremo decessu se quisq; fecisse vellet, id modò sanus incipiat. Nam ad mortem vsq; protrahere, stultissimum est. Deniq; vitam sanctam sancta quoque mors comitatur. Quam nobis præstare dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanct', cui sit omnis laus, honor, & gloria ab omni creatura, per infinita secula. Amen.

V.

Luc. 23.

VI.

Qui bene mori volentibus viuendũ.

EPISTOLA D. HENRICI SVSONIS, VIRI SANCTISsimi, scripta cuidam in extremis laboranti.

Vt mortem animo imperterrito excipere debeamus.

ABSALON *Fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Quis, inquam, fili charissime, det mihi amantissimo in Christo patri tuo, vt moriar pro te optimæ spei filio meo? Certè etsi corpore non licet mori, tamẽ corde morior tecum Fili cordis mei. Corpore quidem procul absum à te sed

2. Reg. 18.

sed animus meus adstat tibi moribundo, idq; acerbis cum lachrymis, pijsq; ac amantissimis querimonijs. Quæso te, porrige mihi ægras manus tuas. Quòd si ita visum est Deo vt moriaris, firmiter retine fidem Catholicam, & lætus moriaris. Gaudeas pulcherrimam animam tuam (quæ est, purus, rationalis, ac Deiformis spiritus) ab hoc angusto, misero, & graui carcere absoluendam, ac deinceps sine vllo impedimento sua beatitudine felicissimè perfruiturã. Nanq; ipse Dominus ait: *Non videbit me homo, & viuet.* Vnũ est, quod multos inexpertos in morte perterrere solet, eisq; mortem adfert acerbã & anxiã, id videlicet, quòd dum præteritos annos, dissolutamq; & malè transactam vitã suam reducunt ob oculos, grandi se debito Deo obligatos sentiunt, neq; in illa hora satis perspiciunt quid ad id facere debeant. Sed hac in parte certum tibi præstabo consilium, ex diuinis literis & ipsa veritate petitum, vt hinc possis omnino securus euadere. Siquidem in diebus tuis perperam te vixisse nôsti, sicut pauci à vitijs immunes viuunt, inde non nimium in extrema hora terreri debes. Postquam Sacramentis Ecclesiæ munitus es, si ea commode possis obtinere, Crucifixi imaginem tibi ob oculos statuas, eamq; intuearis, & tuo apprimas pectori, atq; in sanguinolenta immẽsæ misericordiæ eius vulnera te reclina, obsecrans eum, vt in cruentis vulneribus suis diuina virtute sua cuncta peccata tua abluat pro sua laude & tua indigentia vel necessitate, ac deinde fide mea securus esto iuxta Ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ nulla ratione fallere potest, si id firmiter ita possis agere, à cunctis te medijs penitus absolutum esse, & hilariter posse mortem oppetere. Est insuper aliud quiddã, quod in mortis hora considerare debeas, vt mortẽ ipsam eo magis possis contemnere. Regio quædam est, cuius ea (vt fertur) consuetudo est, vt dũ quispiam nascitur, omnes cognati eius conueniant, acerbosq; edant ploratus & malè se habeant: dum verò quis moritur, rideant & omnigenis sese recreent gaudijs: idq; hac significatione, neminem scire quanta miseria homini perferenda sit, atque inde lugent nascente homine: & quia ea morte finitur, gaudent homine moriente. Et reuera si quis bene perpendat, hominis natiuitas, qua in hunc miserum editur mundum, iure meritoque mors dici potest, ob calamitates, miserias, & labores illum manentes: contra verò mors corporis meritò noua potest appellari natiuitas, ob grauis & molesti corporis abiectionem, & liberam in æternam vitam accessum & introitum. Qui oculos bene apertos habet ad hæc probè agnoscenda, is facilius moritur. Qui autem hæc videre non potest, is ingenti cum querimonia & magna incertæ mortis acerbitate moritur. Vide, obsecro, quæ sit huius mundi calamitas, quæ cruces, quæ afflictiones, quæ angustię & necessitates vndique existant: & si nihil aliud esset, quàm metus pro corpore & anima nos solicitans, mutabilisque huius mundi inconstantia, meritò hinc exire appeteremus. Si quid cui prosperum eueniat, rursus decem tristia & aduersa occurrunt. Multi sunt, qui si quis ex eis sciscitetur, dicturi sint, se nullum vnquam in hac vita lætum duxisse diem. Mundus plenus est laqueis, imposturis & infidelitate, nec quisquam alteri fidere potest: siquidem *omnes quæ sua sunt quærunt.* Si quis igitur ea causa diutius viuere appetat, vt plura sibi possit coaceruare merita, id quidem valde incertum est, vtrum merita vel debita potius sibi cumulaturus sit. Abundè multum præmij habet, quisquis iucundissimam speciosi forma præ filijs hominum faciem semper contemplabitur, & gratissima ciuium cælestium societate perfruetur. Si mortis hora dolet & acerba est, tamen

Exod. 33.

tamen quandoque ferenda est. Nemo vnquam à mortis lege exceptus est. Itaque *qui non est hodie, cras* fortè multo *minus aptus* & paratus *erit*. Plerunque cum ætate etiam peccata augentur: multoque plures deteriores, quàm meliores fiunt. Si præsens mors amara est, tamen omni amaritudini semel finem imponit. Age igitur fili mi, cor manus, & oculos in cælestem leua patriam, atque ex animi affectu eam saluta Resigna voluntatem tuam in Dei voluntatem, & sis liber hac in parte. Quicquid ille tecum agere volet, siue sit ad vitam, siue mortem, id tanquam optimum de illius manibus accipe, etiamsi id hac vice fortassis non agnoscas. Noli timere, en sancti Angeli tibi assistunt, teque vndique cingunt & circumuallant: & benignissimus atque misericordissimus Deus plus quàm pater no affectu ex cunctis tuis angustijs te eripiet, si tantùm illius benignitati possis confidere. Vale.

DE DECEM CÆCITATIBVS,


QVIBVS MAGNA ETIAM BONORVM ALIOQVI HOMINVM PARS MISERE OBCAECATA EST, INtermixtis varijs, ijsdemquе cælestibus Amoris Radicibus, per quas Intellectus mirificè illustratur, & affectus igne sancti Spiritus vehementer accenditur.

LIBELLVS PLANE PIISSIMVS.

Qui quanquam in vetustis Exemplaribus nullius Authoris nomen prætulerit, quum tamen ad spiritum Thauleri, cui familiare fuit nomen suum supprimere, propinquissimè accedat, dignum duximus eius Operibus annumerare.

PRAEFATIO.

Quantopere, & quanto nostri cum periculo diabolus mentes nostras excæcare moliatur.



VITA *erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. INTER innumeras, easdemque exercitatissimas malitiæ siue artes & fraudes, quas serpens ille pestifer & tortuosus humano generi nullo nō in opere, loco, tēpore moliri nō desinit, nihil cęcitate mētis aut homini videtur perniciosius periculosiusve, aut ipsi diabolo gratius optatiusque. Hæc enim vbi semel anim ū occupârit, ita miserum fascinat hominem, vt frigescente simul charitate, ab illo seductore fallacissimo ad momentaneam vitiorum omnium delectationem abduci se patiatur, nihil interim animaduertens mortis in ea latentem aculeum, quo ad totius miserię atque perennium tormentorum chaos lacumque pertrahitur. Nouit enim serpens ille versipellis, quòd quemadmodum nemo ita stupidus est, vt apertis oculis in foueam sese præcipitare velit: ita visu suo ac lumine

destitutum quantalibet alioqui polleat sapientia, nulla posse ratione præcipitia declinare. Quapropter id cum primis vel maximè necessarium duco, vt interiores intellectus atque rationis nostri aperiantur oculi, quibus tenebras nostras, id est, peccata & vitia nos obcæcantia, & pericula inde consequutura videamus, deploremus, corrigamusque: locisque & horis omnibus, nec vllo non in opere seu negotio id totis agamus viribus, adeoque simus animo peruigili & circunspecto, nec communis salutis nostræ aduersarius, & excæcator luminum nostrorum, nouas rursus mentis nostræ oculis offundat tenebras, neve suis nos fraudibus implicet: sed vt ad adspectum veræ lucis, quæ Christus est, animi obtutus semper habeamus apertos, dum lux præsto est, in luce ambulantes, ne nos tenebræ comprehendant. Ipse nanque Dominus noster Iesus Christus vita est & lux hominum increata, quæ per suam essentiam reuera præsens est & lucet in nuda essentia animæ cuiuslibet hominis, vtpote in qua Dei omnipotentis relucet imago, eidem inseparabiliter vnita manens, idque tam in malis, quàm bonis hominibus, tametsi à sceleratis & impijs, quod ad gratiam & salutem attinet, quam longissimè absit. Cum ergo anima per sui abnegationem fluxis omnibus atque caducis renuntiat creaturis, ab omnique se peccati delectione seruat immunem, & ad Deum in seipsa præsentem sese conuertit, atque cum vniuersis denique vitijs & defectibus suis humili cum contritione, fide, spe, charitate per vulnera humanitatis in lucem diuinitatis dulcis Iesu se immergit, recipit, demittit: tum demum lux illa increata creatam animæ essentiam suis illustrat fulgoribus, vires eius omnes purificat, & in se felicissimè transformat.

Soan 12.

Cæterum cur summum hoc & præcipuum bonum, lumenque verum, quòd (vt dixi) nobis intimè præsens & maximè coniunctum est atque vnitum, toto corde nec amemus, nec appetamus: ratio in promptu est, quòd ipsum nec videamus quidem, neque vera in nobis cognitione sentiamus. Quòd si & huius exigatur ratio, ea nimirum est, quòd intellectus & affectus nostri labentium rerum puluere, id est, *concupiscentia carnis concupiscentia oculorum, superbia vitæ* à quibus auerti eos, quæ quæ in se occidere & extinguere oportebat, nimium adspersi, obcæcati, irretiti sunt, sicque fit, vt in tenebris ambulent, & nesciant quo vadant, donec tandem, nisi resipuerint, exemplo Epulonis illius Euangelici in exteriores protrudantur tenebras, à tartareis spiritibus perenniter illic excruciandi. Vbi tum demum oculos aperiet pœna, quos hîc malè occluserat culpa. Anima igitur, quæ se spontè à summo auertit bono, atque ad rerum labentium inanissimas transfert vanitates, vana itidem cæcaque mox efficitur: in qua tum quidem *lux in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt:* illas verò tenebras nunquam à se depellere, nunquam euadere poterit, donec suæ radicitus causas extirpauerit cæcitatis. Quæ vt omnibus euidentius innotescant, operæpretium nobis visum est, si hic paulo diffusius proponantur & explicentur. Sunt enim superbia, vana gloria, auaritia, inuidia, gula, luxuria, acedia, suspiciones malæ, indignationes, contentiones, detractiones, amaritudines, inutiles vel noxiæ cogitationes, verba & opera vana vel mala, euagationes sensuum, dilectio & oblectatio creaturarum, instabilitas, voluntas propria, concupiscentia, consuetudo mala, & id genus alia: quæ cum anima intro inordinatius admittit, cōspicit, audit, possidet, illicò fit ad diuina, supera & æterna bona, cæca, inops, surda, misera, vt æterna iam non

1. Ioan. 2.
Ioan. 12.
Luc 16.
Ioan. 1.

videat;

videat, seu negligat vt modica, paruifaciatque. Dumque vilia hæc caducaque appetit fit ad Deum clauda: dum gustat eadem, stupida: dum tangit, sordida & immunda: dum amat, insana, gelida, & mortua efficitur. Et vt semel omnia dicam, quicquid siue in memoria, siue in intellectu, siue in voluntate tua quicquid vel in animæ viribus, vel corporis sensibus latet, quod quidem Deus non est, aut cuius illi verissima causa non est, id omne medium quoddam & obicem, tenebras & caliginem, in te noueris efficere, quæ Deum ipsum a corde tuo impediunt & excludunt, ne per suam in te gratiam lucere possit & operari. Quapropter non modò ea, quæ in seipsis manifestè mala & vitia sunt, mentis obcæcant oculos: sed quædam etiam in se bona, indirectè illius aciem destringũt & illaqueant, dum illis abutimur: vt sunt, verbi gratia, cibus & potus, mollities vestium, deliciæ, societas hominum, naturalis pulchritudo & amabilitas creaturarum. Ex quo fit, vt hæc omnia vitanda nobis sint, aut certè multo cum timore ac sobrietate vtenda, si diaboli laqueos subterfugere volemus. Peccator itaque impœnitens, iusto quidem Dei iudicio, tam densis inuoluitur tenebris, adeoque mente fit cęcus, vt nec ante se prospiciat euentura sibi horrenda Dei iudicia, nec post se peccatorum suorum, quæ admisit, multitudinem, grauitatem, turpitudinem recordetur: à dextris non videat, vt ipsi fallacissima mundi imponat vanitas atque prosperitas: à sinistris nec aduertat quidem, vt per aduersa atque contraria probetur: supra se immensam non attendat Dei bonitatem, non innumera quæ ab illo percepit beneficia, non bona in cælestibus præparata: quin & infra se tormenta, quæ promeruit, sed & intra se incomprehensibilem vilitatem & indignitatem suam, peccatorum multitudinem, virtutum excellentiam, & quid denique iuxta illarum perfectionem aut faciendum sibi, aut euitandum sit, minimè contempletur. Ambulat enim vt cæcus, teste Propheta, *quia Domino* peccauit: ideoquè nihil mirum est, si modo in immunditiæ ac turpitudinis lutum, modò in lapides odij & obstinationis, atque ad extremum, quod huiusmodi plerunque vsuuenire solet, in desperationis foueam cadat & præcipitetur. Iam verò si peccator ex horrendis vitiorum tenebris ad lucem emergere atque redire volet, quando suis viribus nihil boni potest, id cum primis illi erit necessarium, vt sancti Spiritus implorata gratia, à cunctis supradictis sese medijs, vitiorum occasionibus, tenebris grauiter ac strenuè auertat: ieiunijs, eleemosynis, orationibus, bonis operibus incumbat, virtutibus itém obtinendis, cunctisque in se Dei charismatibus ac donis cumulandis nauet operam: & per Sacramenta Dei in Ecclesia Catholica emundare cor suum, & quantum quidem in se est, Deo omnipotenti modis illud omnibus pręparare contendat. Enimuerò cuncta hęc eximia quędam Dei munera sunt, & spiritalia lumina, nostrę collata in subsidium infirmitati, quę animam illis inhęrentem purgant mirificè, iustitiæ restituunt originali, diuina illustrant gratia & exornant, donec tandem ad lucem eam perducant indeficiuam, nunquam finiendam. Vt enim Augustinus ait, habet iustitia lucem quandam suam, qua perfundit & illustrat animam inhęrentem sibi. Anima verò à luce sciustitię auertens, quanto magis quęrit quod inueniat contra iustitiam, tanto plus à luce repellitur & in tenebrosa demergitur: Sed vt nostrum persequamur institutum, haudquaquam huc densissimas illas & quasi palpabiles adducturi sumus tenebras, innumeraque pericula & peccata, quibus obcęcantur

Soph. 1.

Augustinus.

cantur

cantur Iudæi, Pagani, Mahometistæ siue Turcæ, Hæretici, Catholici laici publice scelerati, eorumq; Prælati spirituales, & seculares Principes grauibus inuoluti peccatis, sacerdotes quoque impij, & Monachi Ordinem suum non rectè obseruantes, quos irreformatos vocant: de quibus omnibus & singulis multa & penè infinita dici possent, vt videlicet bona eorũ pars, hac procellosissima tempestate suis erroribus, vitijs, concupiscentijs, proprijs voluntatibus indulgeant, inhæreant,
Philip.3. obsequantur: *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* sicq; paulatim vitiosa accedente consuetudine & pertinacia, indurescant, & fiant rebelles lumini, detineanturq; *à diabolo captiui ad ipsius voluntatem*: &
Iob 24. 2. Tim. 2. tandem ceu decem illis Aegyptijs percussi plagis, exemplo Pharaonis suas tenebras, seu illarum causas & occasiones ament, vel etiam (quod multo perniciosius est) pro lumine quodam defendant, eligant, amplectantur. His, inquam, prætermissis, de X. hîc cæcitatibus, quarum quæque in tria vel plura membra subdi-
Coloss. 1. uiditur, nostra instituetur oratio, quas plerique non mediocriter boni, & homines Religiosi, bonæ alioqui conscientiæ, qui specialiter *à Deo vocati sunt in sortem sanctorum in lumine*, periculosè interdum incidunt & incurrunt, vt vel nunc somno excusso lœtifero, oculos aperiant, illuminentur à Christo, vt filij lucis ambulent, priusquam eos tenebræ comprehendant. Et licet plures multo quàm hîc enumeratæ sint, inuenire sit cæcitates, quæ pijs & religiosis imponere soleant, istæ tamen decem instar decem illarum plagarum Aegypti, omni homini, quocunque in statu vixerit, exemplum præbere debebunt & poterunt, vt oculos mentis aperiat, cæcitates, peccata, & pericula sua, ipsis etiam Aegyptiorum plagis multo sæpe horribiliora, in quibus tametsi per ea obcæcatus sit, velut in lumine ambu-
Isaiæ 55. lat, (quod quidem omnium pernicissimum esse quis non videat?) dispiciat, inuestiget, corrigat: quæratq; Deum & *Dominum* suum, *dum inueniri potest*: inuocet *eum propè est*, priusquam acceptissimum hoc gratiæ elabatur tempus, & horrendũ
Heb. 10. incurrat iudicium Dei omnipotentis.

Nobilitas & præstantia animarum quanta: quantum ab ea ipsa degenerârit anima: vtilitas item corporis, & spiritualis profectûs negligentia quanta.

CAECITAS I. CAPVT I.

NVNC igitur, quo primam queas peruidere cæcitatem, quæ circa teipsum est, puta animæ tuæ nobilitatem & deformationem, corporis item vilitatem, atque ad malum omne propensionem, vtq; simul aduertere possis, quo pacto in spiritualibus progrediendum tibi sit: aperi, quæso, oculos mentis tuæ, & vide primò excellentiam, nobilitatem, dignitatem, pulchritudinem ani-
I. Animæ primæua nobilitas quanta. mæ tuæ, vti videlicet à summo illo rerum omnium opifice Deo ab æterno præuisa atque dilecta, & oportuno tempore ab eodem iuxta *imaginem & similitudinem suam* præclarè & excellenter admodum condita sit, non qualitercunque, sed vt æterna immortalis, incorruptibilis sit, & Deum Creatorem suum per intellectum cognoscere, per volũtatem eligare & amare, per memoriam denique
1. Cor. 3. in suo possit iugiter pectore circunferre: atque ita templum fiat celsissimæ semperq; venerandæ Trinitatis, & thronus æternæ sapientiæ, id est, Domini nostri

Iesu

Iesu Christi. Iam de dignitate tua, vt innumera Sanctorum testimonia omittam, vnicum hoc D. Augustini dictum attulisse satis sit, qui ait: Vis nôsse, ô anima, ingenitam nobilitatem & pulchritudinem tuam? Aduerte tantam eam esse, vt vnigenitus Dei Filius *præ natis hominum forma speciosus*, ipsam còncupierit, totque ac tanta pro te fecerit, pro te pertulerit redimenda. Hæc igitur & alia multa, quæ nec verbis consequi licet, dum profunda mecum ipse consideratione perpendo, vix memet capio præ stupore & admiratione super cæcitate & ingratitudine nostra. Enimuerò si animæ tuæ præstantiam, nobilitatem, splendorem, dignitatem lympida contemplatione peruideres, forsitan, non caperes teipsum præ gaudio & exultatione, quin & deficeres viribus. Quando verò ex horum ignorantia, infinita in te mala succrescunt, vtpote ingratitudo, tristitia, pusillanimitas, negligentia, pronitas ad peccata quæuis & vitia, contraque ex notitia & contemplatione dignitatis animæ tuæ innumera sunt haud dubiè bona nascitura, puta amor, gratitudo, erga tam munificentissimum amatorem & Conditorem tuum deuotio, gaudium, pax, magnanimitas, propensio quædam ad virtutes omnes bonaque omnia, ad extremum fortitudo, robur & virtus aduersum tentationes omnes, vitia, defectus: age iam, quęso, pro virili excutere de puluere, quem antiquus ille & versutus hostis tuis solet adspergere oculis, eoque mentis tuæ aciem obtundere & obscurare: discitoque assiduè contemplari Deum, & teipsum, simulque animam tuam, tam ingenuam ac nobilem, ferre semper in manibus, custodire à vitijs, & ab ipsa morte sempiterna, virtutibus ac bonis exornare studijs & operibus, ne vnquā cęcitate obnubilata ac hebetata, seruitute prorsus indigna atque fœdissima Carni, Mundo, Diabolo ceu vile mancipium seruire cogatur, quæ prę creaturis omnibus in humanitate Christi Iesu capitis nostri cōnexa atque vnita est summæ & excellentissimæ Diuinitati, idque nexu quodam & vnione, dignationeque prorsus stupenda & ineffabili, quamque idem Deus ac Dominus noster præ cælo dilexit & terra vehementius, necnon immensis ac impatibilibus pœnis doloribusque suis à morte perpetua in pristinam asseruit, redemit, vindicauit libertatem. Agnosce ea propter ô homo dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione recidere. Memento, cuius capitis & cius sis corporis membrum: reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum: Per Baptismatis Sacramentum sancti Spiritus factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis est Christi. Sed ne fortè prolixior sim, vide secundo loco animæ tuæ deformationem per culpam. Ipsa nanque anima nobilis per auersionem sui à summo & incommutabili bono, sua videlicet origine Deo Opt. Max. & inordinatam ad instabiles fluxasque labentis seculi creaturas, atque ad semetipsam conuersionem & amorem, supra quàm capi possit, vilis, fœda, execrabilis, indigna, abominabilis facta est, non quidem mutata substantia, sed viribus deformatis ac superna destitutis gratia, ita vt sit quædam *abyssus* miseriæ, inuocans *abyssum* diuinæ misericordiæ, vsque adeò in omne præceps atque propensa malū, vt non sit peccatū vllum, cui non victa succumberet & consentiret, nisi misericorditer suum protegeret opus is, qui piè condidit, excluderetque ille ab ea peccandi vel voluntatem, vel occasionem, vel facultatem. Siquidem *prauum est cor hominis & inscrutabile*, quod nemo absque gratia singulari, & quidem magna, peruestigare

Augustinus.
Psal. 44.
Isa. 52.
Iob 13.
Leo papa.
II.
Anima vt deformata sit per peccatū.
Psal. 41.
Ieremi. 17.

præstantissimã obliuioni tradas, hostibusq; tuis sempiternis deuastandam cruciatibus, cæcus & stolidus derelinquas. Apertis igitur mẽtis oculis, profundissima cum humilitate inspice vilitatem tuam, castiga carnem, frænum inijce sensibus, inordinata restringe desideria, & carnem spiritui, spiritum verò subijce Creatori: perpetuaq; id age vigilantia, quandiu in hoc mortali degis corpore, ne aduersus spiritum sese erigat, neve rebellet vnquam, ne, dum sensibus ad externa videnda & amanda laxas habenas, mox intus à diabolo vastæ quædam interioribus oculis offundantur tenebrę, atque ita tandem cęlesti destituaris gratia dicente Domino: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Gen. 6.

Neglectus frequentis discussionis Conscientiæ quàm periculosus.

CAPVT II.

QVartò est & alia omnium perniciosissima ignorantia, & neglectus seu incuria veri profectus, statusq; tum interioris, tum exterioris hominis: dum teipsum negligis discutere, reformare, & obseruare in omnibus cogitationibus, verbis & operibus tuis, ne fortè Ratio tua sit erronea, curiosa, tibi placens & tumida, proprio inhęrens iudicio, obstinata, pertinax, indocilis: Memoria etiam, ne vanis & sordidis occupetur ac distrahatur imaginibus. Voluntas propria, ne seipsam quærat, & irresignata sit: Ne amor item, odium, gaudium, cæteræque affectiones rebus vanis maculentur, aut sordidentur vitijs: Ne vim cȏncupiscibilem auaritia, gula, luxuria defœdent. Ne irascibilem leo superbiæ, canis iracundiæ, basiliscus inuidiæ deuastent. Ne per visum, auditum, gustum, siue loquelam, Deum offendas, & vel teipsum lædas vel proximum. Ad hanc quoque negligentiam pertinet, quòd animo vigili & attentio teipsum minimè obseruas, nec exploras satis, quantum tibi accedat virtutis, quantum adhuc desit tibi, & quibus denique etiamnum vitijs implicitus sis: atque ita fit, vt hinc teipso semper cæcior stupidiorq; fias. Est ea propter vel maximè necessarium, si qua tibi proficiendi cura est, vt fundum intentionum, motusque affectionum, virium & sensuum tuorum, perpetua custodia, iugique tui obseruatione obserues & sicubi aliò, quàm vel externæ vel internæ poscat ràtio vocationis tuæ, siue ad dexteram, siue ad sinistram inclinari te senseris, teipsumq; inordinatius quærere, priuatumq; seu commodum, seu honorem, seu voluptatem expetere, ibi confestim tete propter Deum abneges, exeas, mortifices, relinquas, Dei honorem ac beneplacitũ in omnibus purissimè quæras, spectes, intẽdas, atq; in charitate, humilitate, cæterisq; virtutibus indies proficere, succendi, illustrari, transformarique & desideres, & modis omnibus cȏtendas: moxq; vbi pestifera semel enecata, superbiæ, aueritiæ, irę, inuidię, gulę, luxurię, & acedię germina è radicibus repullulascere notaris, (Nunquam enim dum mortale hoc circumfers corpus, ab his penitus securus eris) renouato ea proposito, diuinoque pie humiliterque implorato auxilio, feruenter retundas, nec te vtcunque è vitiorum emersum tenebris, rursus noua quadam proprię voluntatis, cupiditatis, delectationis in creaturis caligine inuoluant, ac deinde paulatim versa in consuetudinem, ceu densa quadam nube, vel crassis quibusdam pellibus mentis obtutus contegant & obscurent, atque ad extremum in miseriam ac tenebras protrudant sempiternas. Enimuero ò vndecunque menti quędam

IV. Negligentia profectus spiritualis.

quędam sese ingerat caligo, seuera mox discussione conscientię, oratione feruenti, humili pœnitentia, vitæ morumque correptione, synceraq; tuijpsius, & rerum omnium abnegatione, ac profunda in tuum demersione nihilum, eam profligare, & ad iucundum licebit veritatis redire lumen, quandiu quidem ista mortalis agitur vita, & gratię tempus perdurat. Sed heu videas plerosque forinsecus quidem, quod ad speciem attinet, rectam Sanctorum tenere viam, qui tamē intrinsecus propria & voluntate & cupiditate abundent: quibus proinde nunquam dabitur ad altiora proficere, nunquam veram cordis obtinere pacem. Cur hoc? Quòd leuiter nimis ad omnem vel prosperitatis vel aduersitatis inclinatur fluctū, nec interno cordis sui fundo inuigilant, nec in puritate custodiunt, diuinisq; sancti Spiritus commotionibus & instinctibus perabnegationem sui neque obtemperant, neque faciunt satis, nec denique viua quadam strenuitate ac diligētia in diuina assistunt præsentia. Et quia oculos mentis à simplici Dei lumine in eis radiante foras ad multiplicitatem auertunt, in tenebris manent, nec illuminantur à Deo, sibijpsis incogniti, multiplices & instabiles in viribus, & in sensibus inexplebiles: magisq, ex bona quadam consuetudine, quàm ex amore feruenti id, quod faciunt, agunt: plurisq; faciunt bonorum actuum externorum & numerum & magnitudinem, quàm intentionem puram, & flagrantem erga Deum amorem. Ideoquè nec experiuntur quidem, vt in eis viuat Deus secundùm plenitudinem gratiæ suæ.

Essentia & bonitas Dei vt periculosè ignoretur: eius præsentia & dilectio vbique quanto negligatur cum dispendio, quamq; damnabiliter tantus illius ad homines amor nullam penè recipiat vicem ab eis.

CAECITAS II. CAPVT III.

IAM vt secundæ à nobis explicetur ratio cæcitatis, principio attendere te velim, Christiane Lector, quòd cum ex vera cognitione & contemplatione summi & vnici Dei Creatoris nostri, eiusque potentiæ, sapientiæ, bonitatis, amabilitatis, & cæterarum illius perfectionum omnis gratia, virtus, sanctitas, pax, gaudium, beatitudo in nostras promanet animas: sicut è diuerso ex negligentia eiusdem & ignorantia, quæque mala passio, tepor, acedia, tristitia, amaritudo, iniquitas, instabilitas, damnatio nascitur: ea propter summo studio, indefesso conatu, totisquè viribus ac artibus suis, ex acerrimo in nos odio noctuq; diuq; malignus id agit spiritus, vt mentes hominum nullo non tempore in hac Dei cognitione & meditatione impediat, remoretur, obcæcet, quo tandem ad perennes eos secum tenebras possit abducere. Ne igitur diutius tam perniciosa detinearis cæcitate, procul abiectis cogitationibus, curis, & occupationibus quibuscunque te impedientibus, vni soli puro ac libero vacando corde Creatori, mentis aperito oculos, & vide Deum ac Dominum tuum viuam quandam esse substantiam, perpetuam, infinitam, actum purum à nullo pendentem, & omnifariam perfectissimum: Trinitatem summam, virtutem vnam indiscretam maiestatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in personis trinum, substantia vnum verum Deum, omnipotentem, vnius simplicis & incor-

I. Essentia Dei.

& incorporeæ, inuisibilis, incircunscriptæq; naturæ, sine deformitate perfectũ, sine quantitate magnum, bonum citra qualitatem, absque tempore sempiternum, vitam sine morte, sine infirmitate robustum, sine mendacio verum, absque situ vbique præsentem, sine loco totum vbique, sine extensione implentem omnia, absque contradictione vbique obuium, sine motu cuncta transcendentem, absque statione manentem intra omnia, cuncta creantem sine indigentia, absq; labore moderantem vniuersa, absque sui initio cunctis initia dantem, citra sui mutationem quæque facientem mutabilia, magnitudine immensum, virtute omnipotentem, bonitate præcipuum, sapientia inæstimabilem, in consilijs terribilem, iustum in iudicijs, cogitationibus secretissimum, operibus sanctum, affluentem miserationibus, erga errantes patientissimum, erga pœnitentes pijssimum, semper eundem ipsum æternum, immortalem, incommutabilẽ, quem nec dilatant spatia, nec locorum angustia premit, nec vlla coarctant receptacula, non voluntas variat, non necessitas corrumpit, non demulcent prospera, nec mœsta perturbant. Cui nihil tollit obliuio, nihil reddit memoria: cui præterita non transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit: sed ante secula, in seculis, & per secula viuentem. Cui est perennis laus, æterna gloria, summa potestas, singularis honor, regnum perpetuum, nunquam finiendum imperium per indefessa & immortalia secula. *Qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter in numero, pondere & mensura*: qui sua æterna maiestate, celsitudine, profunditate, opulentia, nobilitate, dignitate, perfectione, potestate, sapientia, gloria, pulchritudine, charitate, pietate, bonitate, dulcedine, benignitate, amabilitate, cæterisqúe virtutibus suis, quas omnes enarrare nemo sufficeret: adeò vniuersum tũ Angelicum, tum humanum excedit intellectum, imò & desiderium, vt si cælum terraq; libris replerentur, vastissimumq; pelagus omne atramentum foret, & omnes creaturæ scriptores, citius mare totum scriptoresqúe cuncti deficerent, quàm vel minimam bonitatis aut cuiusuis alterius virtutis illius absoluerent partem. Imò si cunctorum corda mortalium simul vnita, hanc ipsam minimam bonitatis suę partem, quantum quidem in hac liceret vita, feliciter degustarent, mox omnia præ amore scinderentur & gaudio, viribusq; deficerent, nisi sancti Spiritûs temperante gratia, desuper corroborarentur. Vsque adeo nanque Deus sublimis & gloriosus omnem nostram excellit capacitatem, vt verius rectiusq; per negationem ac remotionem omnium, quæ de eo nostro possumus intellectu cogitare vel assequi, quam per eorundem affirmationem, diuinissimo teste Dionysio, cognoscatur. Quando verò tam sublimis, tamqúe gloriosus Dominus te miserum abiectumq; vermiculum secundùm tres superiores animæ vires sibi creauit similem, vt ipsum toto intellectu, memoria & voluntate, non in futura illa duntaxat cælestiq; beatitudine ac gloria, sed etiam in præsenti hac vita præcipuo cum amore, gaudio, & fructu quadam ex parte contemplareris, & amando possideres: idcirco qua possum fide monitum te velim, ne vel à diabolo, vel à creatura vlla misera caducaq;, seu vitio quocunque vel passione diutius tete obcæcari permittas, sed excusso terrenæ pulueræ cupiditatis, apertisqúe mentis oculis radiantissimum veritatis lumen deuotius contemplare, summum illud felicissimum maximeqúe amabile bonum, *vnum* illud solùm *necessarium*, omni cum humilitate vnicè amplectere eligitoqúe, totoqúe illi corde

Sap. 8.
Sap. 11.
Luc. 10.

Ephes. 4. vno in spiritu coniunctus atque vnitus inhære, *solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, quo ab summo illo præstantissimoq; magistro anima tua supernis, cælestibus, diuinis, ac intimis mereatur vngi illustrariq; fulgoribus, donis, charismatibus, longeq; ditari copiosius, quàm vel à me, vel creaturis omnibus dici vel scribi queat, etiam si ad extremum vsq; iudicij diem nostra sese ætas extenderet. Hac ipsa nanq; de causa idem ille benignus Conditor tuus intellectum tibi contulit, vt non modo bonum malumq; discerneres, verùm etiam vt summum potissimumq; bonum, ipsum vtiq; clementissimum Dominum, Creatorem ac Redemptorem tuum, eiusq; gratissimam voluntatem, quatenus quidem in hac vita possibile est, agnosceres intelligeresq;. Dedit itidem voluntatem, vt cognitum toto corde eligeres, appeteres, amares. Memoriam addidit, vt ipsius semper memor, nec vnquam obliuiscens, illi constanti perpetuaq; adhæreas charitate, ab eiusdemq; immenso velut absorptus ardore, in ipso requiesceres.

Prima radix Amoris, Bonitatis Dei consideratio.

CAPVT IV.

Bonitas Dei, prima amoris radix. PRIMA igitur, eaqúe summa ratio siue radix, qua in Amorem Conditoris tui vehementer inflammeris, est frequens infinitæ Bonitatis eius meditatio. Deus nanque natura bonus est, summaq;, simplex & pura bonitas, infinita charitas, impermixta dulcedo, ineffabilis misericordia, qui vniuersam creaturarum in immensum adeo vincit bonitatem, vt *nemo bonus* rectè dici Mar. 10. queat, *nisi ipse solus*: à quo quicquid boni creaturis inest, ceu ex fonte promanauit: cui naturale est, bonitatis suæ radios liberaliter vbique diffundere, quemadmodum luci splendorem, & fonti riuulos emittere: qui nihil in vniuerso bonitatis suæ expers relinquit. Nam si illam à rebus creatis paulisper subtraheret, nihil vtilitatis illæ retinerent. Denique Deus est velut quoddam fluens & refluens mare, vastissimumq; bonitatis pelagus, quod incessabiliter in omnes suos fluit dilectos, iuxta cuiusque indigentiam & dignitatem: estqúe refluens, & in se trahens vniuersos, quos replet & ditat, cum omnibus quæ habent & possident donis, reposcens ab illis, vt cum laude & gratiarum refusione, refluant redeantqúe in ipsum, hoc est, in suam originem: & illi mente purissima, charitateqúe perpetua adhæreant: qui sicut incomparabiliter solus bonus est, ita in immẽsum pijs mentibus solus est amabilis, totusq; desiderabilis: imò summum istud verũ perfectumq; bonum creata omnia naturaliter appetunt, sine quo nec ad momẽtũ subsistere possent. Si ergo hominẽ propter bonitatem eius diligis cur DEVM tuum non magis diligis, quem tenes vitæ tuæ non solũ gratuitũ largitorem, gratissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem, sed insuper copiosissimum redemptorem, æternum conseruatorem, tutorem, glorificatorem? Porrò quemadmodum Deus cum omni virtute sua sese totum purè dat & infundit animæ, nihil vnquam vtilitatis ab ea sperans, sed naturalem illi beatitudinem suam communicare desiderans: ita anima tua cum omnibus viribus suis sese totam ardenter dare & infundere debet Deo, nullum commodum transitorium siue æternum ab eo quærens, sed solam eius bonitatem, sanctitatem, perfectionem diligens. Laudet igitur vsq; ad mortem anima tua hunc Eccle. 51. præ-

prædulcissimum Patrem, non tamen quia bonus est tibi, sed quia bonus est in se, ne dicatur de te: *Confitebitur tibi, quum benefeceris ei.* Est enim qui confitetur, quoniam potens est. Est & qui confitetur, quoniam bonus est sibi. Est & qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus, seruus est, & timet sibi. Secundus mercenarius est, & cupit sibi. Tertius, filius est, & defert patri. Itaq; & qui timet, & qui cupit sibi, vterque pro se agit. Sola quæ in filio est *charitas, non quærit quæ sua sunt.* Quamobrem puto de illa dictum, *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: quòd sola videlicet sit, quæ possit ab amore sui & mundi auertere animum, & in Deum dirigere, quia nihil sibi de suo retinere consueuit. Dic ergo supplici deuotaq; mente cum Diuo Augustino: Cognoscam te Domine cognitor meus, cognoscam te virtus animæ meæ. Ostende te mihi consolator meus. Videam te lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritûs mei. Videam te lætitia cordis mei. Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce. Inueniam te desiderium cordis mei. Teneam te amor animæ meæ. Amplectar te sponse cælestis, exultatio mea summa intus & extra. Possideam te beatitudo sempiterna, possideam te in medio cordis mei. Amem te Deus meus, adiutor meus, turris fortitudinis mihi, & spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Aperi penetralia aurium mearum Verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, vt audiam vocem tuam. Illustra oculos meos lux incomprehensibilis. *Fulgura coruscationem, & dissipa eos, vt non videant vanitatem.* Tribue visum lux inuisibilis, qui te videat. Crea nouum olfactum odor vitæ, qui *post te in odorem vnguentorum tuorum* currat. Gustum sana, vt cognoscat, sapiat, & discernat, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Da cor, quod te cogitet: animum, qui te diligat: mentem, quæ te recolat: intellectum, qui te intelligat: rationem, quæ tibi ô summa dulcedo fortiter adhæreat. Te sapientem amor sapiens diligat. Prope esto in animo, prope in corde, prope in auxilio, prope in ore, quia *amore langueo, Domine Iesu, suscipe spiritum meum*: Vita mea, suscipe animam meam. Gaudiũ meum, attrahe cor meum. Dulcis cibus meus, comedam te. Caput meum, dirige me. Melos meum, tempera me. Odor meus, viuifica me. Verbum Dei, recrea me. Laus mea, *lætifica animam serui tui.* Intra, rogo, in eam, & coapta eam tibi, vt possideas eam, quam fecisti & refecisti, vt habeam te *velut signaculum super cor meum.* Intra in eam dulcedo summa, vt dulcia sapiat. Lumen æternum, illustra super eam, vt te intelligat, cognoscat, & diligat. Ob hoc enim te non diligit Domine, quia te non cognoscit: & te non cognoscit, quia te non intelligit: & ideo non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit: & *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* O lux beatissima, quæ non nisi purissimis oculis videri potes. O lux veritatis, ô lucens veritas: ô vera claritas, qua illuminas *omnem hominem venientem in hunc mundum*, venientem quidem, sed non diligentem: quia *qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur.* Expelle tenebras desuper faciem abyssi mentis meæ, vt videat te intelligendo, cognoscat te apprehendendo, diligat te cognoscendo. Quisquis enim cognoscit te, diligit te, & obliuiscitur se. Amat te plus quàm se: relinquit se, & venit ad te, vt gaudeat de te. O amantissime, amabilissime, benignissime, charissime, dulcissime, desideratissime, præsentissime, pretiosissime, pulcherrime Domine Iesu. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, charitate tua, iucunditate tua, vt

Psal. 48. Psal. 18. Augustinus oratio. Psal. 143. Cant. 1. Psal. 30. Cant. 1. Actor. 7. Psal. 85. Cant. 8. Ioan. 1. Ibidem. 1. Ioan. 2.

totus

totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ vaporatus, diligam te Dominum meum dulcissimum & pulcherrimum *ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis* visceribus seu *viribus meis*, ex omni quoque intentione mea, cũ multa cordis contritione & lachrymarum fonte, cum multa reuerentia & tremore, habens te præ oculis meis, in corde & in ore, semper & vbiq; vt nullis adulterinis amoribus pateat locus. Tribue mihi, vt te laudet cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea: teq; semper quærat anima mea, & quærẽdo non deficiat. Tibi famuletur mens mea pijssime Deus. Tibi suspiret peregrinatio mea. In tui amore ardeat cor meum. In te Deus meus requiescat anima mea. Te contẽpletur in mentis excessu, tibiq; cantet laudes in iubilatione. Et hæc sola sit in hoc exilio consolatio mea.

Matt. 22.

De præsentia Dei, & secunda Amoris radice.

CAPVT V.

II. Præsentia & dilectio Dei.

CAETERVM quod secundo loco de Dei præsentia dilectioneq;, vbique te præueniente, dicendum est, totius teporis, negligentiæ, cæcitatis, dissolutionis, impuritatis tuæ vel hanc præcipuam noueris esse causam, quòd pio cum timore, pudore & reuerentia, vultum Dei perpetuò & vbique te contemplãtis neutiquam reuereris: sicut ediuersò gratiæ omnis, pudoris, & virtutis ingens tibi accederet incrementum, si ambulares coram Deo, diceresqúe ex sententia cum Helia: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto hodie.* Resiste igitur diabolo obcæcatori mentis tuæ, intentisqúe oculis vide, vt idem tantus ac talis Dominus Deus tuus, ex æterna & indicibili charitate sua, multo reuera interius veriusqúe sese tibi vbique locorum, & maximè in anima tua, præsentem exhibeat, quàm sis ipse tibi: quo te inesse conseruet, regat, saluetqúe. Atque hac de causa, vt ait quidam, magna profectò tibi indicta est necessitas probitatis, si dissimulare non velis, quum agas omnia coram oculis cuncta cernentis. Vide, inquam, ingenti cum lætitia & gratitudine cordis, charissimum Deum, feruentissimum amatorem, suauissimum sponsum tuum, noctu diuq; perpetuò tibi intentum, ac intimè præsentem. Atque eam ob rem casto cum timore & reuerentia, coram oculis adorandæ Maiestatis eius semper ingredere, toto illi corde in omnibus placere quærens, illiusq; vitare offensas, ad mortem vsque fidem illi seruans integram, inuiolatamq;, omni cum humilitate, castitate, patientia, paupertate, obedientia, simplicitate & dilectione perfecta atque constanti. Ignitis præterea desiderijs atque feruentibus preculis illius suspira & præstolare aduentum, quo semel ab vniuersis te periculis & hostibus eripere, & in regnum suum cæleste transferre, & beatum atque felicem facere dignetur, gratias agens illi, quòd ad eum te statum gratuita perduxerit benignitate & misericordia, in quo eum potius ex amore desiderare debeas, quàm ex seruili timore fugere. Vt enim iam ante testatus sum, solis hæc hominibus bonæ voluntatis scribuntur.

3. Reg. 18.

Boethius.

Beneficiũ creationis & gubernationis radix secunda.

Vide denique pro secunda ratione seu radice, qua Dei amore incalescas, præuentricem eius gratiam, qua prior te dilexit, creauit & gubernat, vt vel postea non pigeat redamare: de qua dilectione quidam verus Amator dicit: Causa diligendi Deum, Deus est: Modus, sine modo diligere. Causa duplex est, vel quia nihil iustius, siue nihil diligi potest fructuosius, vel quia *ipse prior dilexit nos.* Multum quippe meruit de nobis Deus, qui & immeritis dedit seipsum nobis,

1 Ioan. 4.

Quid

Quid enim melius seipso dare poterat vel ipse? Dignus planè qui redametur, præsertim si aduertatur, Quis, quos, quantum'q; amauerit. Quis enim? Nonne is, cui omnis spiritus confitetur, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges?* Quibus autem pietas tanta exhibetur? *Quum adhuc*, inquit, *inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Dilexit ergo Deus & gratis, & inimicos. Quantum, dicit Ioannes: *Sic Deus dilexit mundum, vt Vnigenitum suum daret.* Et Paulus: *Qui proprio*, ait, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ipse quoque Filius pro se: *Maiorem*, inquit, *charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic meruit iustus de impijs, summus de infimis, de infirmis omnipotens. Mirum certè est, quòd cor meditantis non liquescit ex tantæ dilectionis incendio, neque scinditur ex gratitudinis iubilo. Proinde grata mente exclama cum Diuo Augustino: Miser ego, Deus meus, quantum teneor diligere te? Nunc ergo pater orphanorũ, susceptor pupillorum, exaudi eiulatum filiorum tuorum. Scio Domine, quòd ingratitudo displicet tibi, quæ radix totius mali spiritualis est, & ventus quidam desiccans omne bonum, & obstruens fontem diuinæ misericordiæ super hominem, qua & mala mortua iam oriuntur, & viua opera moriuntur. Et ob hoc ad te pulso, ô Sapientia, quæ aperis *os mutorum*, da mihi vocem laudis, vt enarrem vniuersa *mirabilia tua*, quæ mihi fecisti. Ecce Domine, creâsti me cùm non essem. Et vnde hoc mihi, Domine benignissimè, Deus altissime? Quæ mea merita, quæ mea gratia, vt complaceret ante conspectum tuæ Maiestatis creare me? Non enim eram, & creâsti me, non dico stipulam, non bestiam, non serpẽtem, sed *paulo minus ab Angelis.* Confiteor enim Domine Deus meus, quum me creâsti hominem rationis capacem, Angelis quodammodo creâsti parem, quia possum perfici per Verbum tuum, vt veniam ad æqualitatem Angelorum, vt habeam adoptionem filiorum per vnigenitum Filium tuum, *in quo tibi bene complacuit*, per virum cohærentem & consubstantialem tibi & coæternum Iesum Christum, Dominum nostrum, Redemptorem nostrum, illuminatorem & consolatorem nostrum, Aduocatum nostrum, lumen oculorum meorum, spem & vitam animæ meæ, qui nos dilexit plus quàm se, per quem habemus fiduciam veniendi ad te, repositam apud te: quoniam *dedit potestatem filios Dei fieri*, omnibus qui inuocant eum, & *credunt* in nomine eius. Laudem tribuam Nomini tuo Domine, quòd *ad imaginem & similitudinem* tuam me creâsti, & ad tantam gratiam perduxisti, vt possim filius Dei fieri. Hæc te cogat clementia Domine ad regendum & saluandum, ne pereat in malitia sua, quod creauit omnipotens Bonitas tua, *opus manuum tuarum ne despicias.* Sed & summæ charitati tuæ, ex qua creâsti me, confiteor Creator meus, quando erraui, ad viam reduxisti me: quando ignoraui, docuisti me: quando peccaui, corripuisti me: quando tristis fui, consolatus es me: quando steti, tenuisti me: quando iui, direxisti me: quando dormiui, custodisti me, & quasi filium tuum paruulum & tenellum, vberibus consolationis tuæ lactâsti me. Insuper *facis Angelos tuos spiritus* propter me, quibus mandâsti, vt *custodiant me in omnibus vijs* meis. Hi enim ex te adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronãt vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus. Hæc & multa alia beneficia & dona mihi largitus es Deus meus. Deprecor ergo te per temetipsum, ne derelinquas me. Fecisti nanque me, quum non essem: redemisti me, quum perijssem. Perieram, mortuus fueram: ad mortuum descendisti bone

Psal. 15. Rom. 5. Ioan. 3. Rom. 8. Ioan. 15. Augustini orat. 10. Sap. 10. Psal. 118. Psal. 8. Rom. 8. Matt. 3. Ioan. 1. Gen. 1. Psal. 103. Psal. 90.

Iesu, & mortalitatẽ assumpsisti, & tantum me dilexisti, vt sanguinem tuum pretiosum dares pro me. Ad te clamo, libera me de aduersario meo quotidiano, qui tendit ante me laqueos infinitos in diuitijs, in paupertate, in cibo & potu, in somno & vigilijs, in verbo, in opere & in omnibus vijs meis. Ambulent sancti Angeli tui mecum, & da eis semper gaudere de me in omnibus studijs meis, vt per eos semper lauderis in me, & ego te laudem cum eis. In vnum ouile tuum adducant me, vt confitear nomini sancto tuo Creator hominum & Angelorum. *Quid*
Psal. 115. enim habeo, quod *retribuam tibi pro omnibus* quæ tribuis *mihi?* Certè plus debeo tibi Domine, quã meipsum totum sed nec plus habeo, sed neq; hocipsum possum per me reddere totum. Trahe tu Domine in amorem tuum vel hoc ipsum totum. Totum quod sum, tuum est conditione: fac totum tuum dilectione. Ecce Domine coram te est cor meum. Conatur, sed per se non potest. Admitte, & duc me intra cubiculum amoris tui. Peto, quæro, pulso. Qui me facis petere, fac accipere: das quærere, da & inuenire: doces pulsare, aperi pulsanti. Fac vt adhæreat tibi anima mea, bone Iesu, ne reijcias eam. Fame amoris tui languet, refocilla eã. Satiet eam dilectio tua. Impinguet eam affectus tuus. Impleat eam amor tuus. Occupet possideatq; me totum ignita & melliflua vis dilectionis tuæ bone Iesu.

De Dilectione Dei, & tertia Amoris radice.

CAPVT VI.

III. Dilectio Dei ad te infinita.

DEINDE vide tertiò, vt idem talis ac tantus Dominus, non modò reuera se tibi præsentem exhibeat, sed etiam, vt dicere cœperam, tam immensa stupendaq; & æterna charitate, omnigena, constanti gratuitaq; dilectione perpetuò te prosecutus est, & etiamnum prosequitur, vt non humanum modò, sed & Angelicum omnem vincat intellectum atque desiderium. Tanta eius erga te ingratum & immundum vermiculum dignatio, qua tibi continuè intendit, totoq; corde ad te conuersus, & pro te solicitus est, adeoq; tui curam gerit, ac si nulla alia vel in cælis, vel in terris creatura superesset: totoq; & tantis te beneficijs præuenit, ornat & prosequitur omni momento temporis, vt vel exiguam eorum partem plenè agnoscere nequeas. De quo Augustinus ait: Ita Domine omnem meam obseruas conuersationem, & vigilias nocte ac die super custodiam meam, cunctosq; gressus meos perpetuus contemplator dinumeras, ceu omnium, & quas cælum & quas terra habet, creaturarum oblitus, me vnum attendas, nec sit tibi cura de reliquis. Itaque & ipse inuigilabo saluti meæ, vt soli tibi placeam, qui velut cæterorum oblitus, tanta me dignatione regis & prosequeris. Ex hac eadem charitate sua liberrimam tibi vel momentis omnibus se accedendi copiam præbet, adeo vt vel solo pio desiderio ipsum summum & præstantissimum bonum citius multo faciliusq;, quàm rem quamlibet aliam, licet vilissimam, non obtinere modo, sed etiam feliciter possidere ac frui possis. Nimirum tam incomprehensibili, forti, gratuitoq; amoris ardore cor illud viuificum ac benedictum Saluatoris nostri Christi Iesu semper erga te & flagrauit & flagrat, vt si amoris illius vel tenuissimam cor tuum scintillam perciperet, præ nimij ardoris vehementia non posset ipsum non scindi, resolui, deficere. Atque ô si hæc, aliaq; innumera illius erga te amoris documenta, vigilantibus cordis oculis contemplareris, cordiq; tuo infixa medullitus ruminares: quanto deinde

Augustinus.
Iob. 31.
Abac. 3.

deinde cum gaudio & feruore ad ipsum mane euigilares, quanta cum alacritate bona quæque ad laudem ipsius ageres, a malis abstineres, patereris aduersa atque contraria? Imò verò quasi nimio amore ebrius, nulla iam vel aduersa sentires, vel prospera, & quicquid vsquam vitij est, puta teporem omnem tristitiã, passionem, ingratitudinem, cupiditatem, amarulentiam, instabilitatem, & id genus monstra vitiorum omnia, quæ ob huius ignorantiam veritatis sæpius intra te à maligno spiritu excitantur, ceu fumum inanissimum aspernareris atque dispelleres: perfectaq; humilitate, patientia, paupertate, obedientia, castitate, Dei proximiq; dilectione, tuiqúe abnegatione exornatus, Christo pro tuo conformatus modulo, & in DEI transformatus claritatem, gauderes in pace Christi, ea, inquam, pace, *quæ exuperat omnem sensum*. Neque enim est exercitium vllum melius, sanctius, vtilius hoc exercitio triplici, puta cognitionis essentiæ, præsentiæ, & amoris Iesu Christi, quod olim Diui Augustini aliorumque sanctorum hominum corda transfixit medullitus: per quod cæteræ virtutes omnes suapte sponte succedunt, sine quo nescio si qua verè possit virtus haberi. Huic verò licet dicta iam, dicendaqúe deinceps, conducant omnia, prodest tamen vel maximè, indesinenter meditari Dei Creatoris, Redemptoris, amatoris tui bonitatem, pulchritudinem, pietatem, misericordiam, dulcedinem, amabilitatem, charitatemqúe perennem & infinitam, vt per eas, ceu per ignitos quosdam carbones in cor tuum congerendos, ipse velut in easdem virtutes trãsformeris, & ad reddendam illi amoris qualemcunque vicissitudinem, perpetuò accendaris. Quod si ita abs te fieret, id est, si in his alijsq; sanctis exercitijs sedulò versareris, citò nimirum passiones omnes, cunctasq; diaboli fraudes effugeres, quin & gratiam magnam vberemqúe inuenires pacem, ita vt præ amoris vehementia in quandam extra te rapereris ecstasin: vti è diuerso homines malæ conscientiæ ex eiusdem Dei ac Domini sui, ceu terribilis seuerique iudicis, contemplatione, meritò deficere à seipsis possent præ terrore & expectatione diuini iudicij, modò cæci non essent. Et quinam, obsecro, fieri potest, vt vel ad momentum à tam præcipuo & infinito bono, ab amatore tam amabili cor tuum auertere, aut vllam creaturam ab eo te remorari permittere possis, cùm ille tantopere te expectet prorsusq; liberrimum ad se accessum aditumq; offerat, cũctaqúe illi cordis secreta, & miserias tuas securissimè pandas, nec quidquam illi possis æquè gratum facere, quàm vt eum accedas, & in ipso pace fruaris & gaudio? Certè si quiuis rusticus multo etiam pauciora tibi impendisset beneficia, ipsum cogereris valde redamare. Cur ergo Deum non diligis, à quo habes esse, viuere, & omne bonum, cùm facile plus diligere soleant, qui se amplius dilectos cognoscunt? Phil. 4.

Recordare ergo ô homo, velut pro tertia dilectionis radice, in gratiarum actione manuum huius pijssimi Patris, qua te *eduxit de lacu miseriæ & de luto fæcis*, atque elegit & prælegit ex millibus, vt esses eius: & stude ita viuere, vt *sanctificetur nomen* eius in omnibus vijs tuis, sicut dicit Dominus: *Sancti mihi eritis, quia & ego sanctus sum, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei*: dicasqúe deuoto corde cum Augustino: Ego autem opus manuum tuarum his meis pauperculis confessionibus confitear tibi liberator meus toto corde meo, & recolam in mẽte mea, bona quæ fecisti mihi à iuuentute mea in omni vita mea. Gratias agam tibi Domine, ne sim ingratus, quoniam liberâsti me. Quoties me iam absorbue- Vocatio singularis Radix tertia. Psal. 39. Matt. 6. Leuit. 11. Augustini oratio.

sorbuerat draco ille, & tu ab ore eius extraxisti me? Quoties peccaui, & ipse paratus fuit deglutire me, sed tu defendisti me? Cùm contra te iniquè agebam, cùm tua mandata frangebam, stabat paratus ipse, vt me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas. Ego à te recedebã, imò inimico me exhibebam: tu ipsum, ne me acciperet, deterrebas. Hęc tu Deus meus mihi beneficia conferebas, & ego non cognoscebam. Sic me multoties à faucibus diaboli & de ore leonis eripuisti, & ab inferno me, licet nescientem,
Esa. 38. multis vicibus reduxisti. *Descendi enim vsque ad portas inferi*, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti. Appropinquaui vsque ad portas mortis & ne me ipsa raperet, tu fecisti. Ideóq; Domine lux mea, inimici mei fecerunt de me quicquid voluerunt. Percusserunt me, nudauerunt me, polluerunt & corrupuerunt, vulnerauerunt & ceciderunt me. Et ibam post eos cæcus & nudus, illaqueatus funibus peccatorum, quibus trahebant me post se de vitio in vitium. Seruus enim eram, seruitutem amabam: cæcus eram, cæcitatem desiderabam: vinctus eram, vincula non horrebam: amarum dulce, & dulce amarum credebam. Miser eram, & sine te eram, nec cognoscebam. De morte etiam corporis me sæpius eripuisti Saluator meus. Cùm me graues morbi tenerent, cùm in periculis multis per mare, per terras eram, ab igne, & omni periculo liberans, semper mihi adstitisti, & misericorditer me saluasti. Sciebas enim Domine, quòd si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem. Sed præuenit me misericordia tua, eripiens de morte corporis & animæ meæ Domine Deus meus. Multa præterea beneficia alia magna, & omni acceptione digna, mihi fecisti Deus meus: sed eram cæcus, & non cognoui donec illuminasti me. Væ væ cæcitati & tenebris, in quibus iacui. Væ væ cæcitati, in qua videre non poteram lumen cæli. Serò te cognoui veritas antiqua. Serò te cognoui veritas æterna. Tu eras in lumine, & ego in tenebris: & non cognoscebam te, quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te. Nunc igitur lux animæ meæ Domine Deus meus, vita mea, lumen oculorum meorum, per quod video, gratias ago tibi, licet viles & exiles, & impares beneficijs tuis, sed quales habet fragilitas mea, quoniam tu solus Deus meus, misericordia mea,
Sap. 11. qui amas animas Domine, *& nihil odisti eorum quæ fecisti.* En ego vnus inter peccatores, quos saluasti, vt exemplum alijs tribuas benignissimæ pietatis tuę. Confiteor beneficia tua magna, quoniam eripuisti animam meam ex inferno semel, & secundò, & tertiò, & millesies. Et ego ad infernum tendebam, & tu me semper reduxisti. Et cum me millies millesies damnare potuisses, si voluisses, nolebas qui amabas animas, & dissimulabas *peccata propter pœnitentiam* Domi-
Ibidem. ne Deus meus, *qui es multæ misericordiæ in omnibus vijs tuis.* Dum igitur video hæc Domine mi Deus per lumen tuum, deficit anima mea in misericordia tua ma-
Psal 85. gna super me, quoniam *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, & reduxisti ad vitam. Totus eram in morte, totum me suscitasti. Tuum igitur totum sit quod viuo, quia totus totum me offero tibi, totum spiritum, totum cor, totam vitam meam, quia totum me liberasti, vt me totum possideres. Totum me refecisti,
Psal. 17. vt totum rehaberes. *Diligam te Domine virtus mea*, diligam te ineffabilis exultatio mea, & viuat iam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, & suscitata est à misericordia tua, qui es *Deus miserator & misericors, & multæ misericordiæ omnibus, qui diligunt nomen tuum.* Idcirco Domine Deus, sanctificator

tor meus, iussisti mihi lege tua, vt diligam *te in toto corde meo, & ex totis viribus* meis, & ex intimis medullis cordis omnibus horis & momentis, quibus fruor misericordia tua, quoniā semper perirem, nisi semper me regeres: semper morerer, nisi me semper viuificares. In omni ergo momento me obligas, dum omni momento mihi magna beneficia pręstas. Sicut ergo nulla hora est vel punctus in omni vita mea, quo tuo beneficio non vtor: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos meos in memoria mea. Sed neque hoc habeo, nisi tu dederis mihi, cuius est omne bonum, & *omne datum optimum, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non est volentis, neque currentis, sed tui miserentis*, vt diligamus te. Tuum est hoc donum, cuius est omne bonum. Iubes te diligi: Da quod iubes, & iube quod vis. O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris. O amor, qui semper ferues, & nunquam tepescis: accende me, accende, inquam, totum me, vt totus diligam solum te. Minus enim amat te, qui aliquid amat quod non propter te amat. Vt enim totus tibi deseruirem, omnia quæ fecisti, in meum seruitium tradidisti. Exteriora nempe cuncta pro corpore creâsti, ipsum verò corpus pro anima, animam verò pro te, vt tibi soli vacaret.

Deut. 6.
Matt. 22.
Iacob. 1.
Rom. 9.

Verbum paternæ mentis, verusque Deus, quid pro nostra salute assumpserit, quantiq; hominem ipsum fecerit. Quanto item cum periculo erga tantam eius dignationem cæci & ingrati simus.

CAECITAS III. CAPVT VII.

TErtia deinde cæcitas circa beneficia Incarnationis Dominicæ versatur: Ideoq; primum tibi mentis oculus ad sacratissimam Domini Iesu humanitatem dirigendus est, vt animaduertas, quam non videas, quid ipse tibi in humanitate factus sit, de quo pacto tum extra, tum intra te ille se tibi exhibeat. Principio quidem talis ille ac tantus Dominus, ex sola incomprehensibili stupendaq; charitate, non aliquo commodo suo, pro te misero, abiecto, ingrato vermiculo, fieri dignatus est frater, aduocatus, & iudex tuus. Frater tuus, in eo quòd relicta præstantissima natura Angelica, excellentissimam diuinitatem suam naturæ coniunxit humanę: manens verus Deus, factus verus homo: quem fratrem, os, carnemq; tuam vocare possis, quod totum Angelicę non est concessum sublimitati. Vnde quanta tibi salus, gratia, gloriaque impensa sit, & olim impendetur, quantaq; tibi pariat bona tantæ diuinæ dignationis dilectionisq; erga te profunda meditatio, clara cognitio, perfecta imitatio, vitaq; conformatio, nulla mens concipere, nedum lingua vlla effari posset: cor purum eatenus ea degustare posset, si discussa cæcitate & tępiditate sua, tanti se thesauri capacem redderet, vt præ gaudio & exultatione vix caperet seipsum, modò æquo hæc expenderet libramento: sicut econtra per illorum ignorantiam & cæcitatem infinitis seipsum miserè priuat bonis, dum à diabolo communi humani generis obcæcatore. (qui tantam diuinæ erga nos charitatis dignationem, salutemque nobis paratam, implacabili nobis inuidet odio, ac impedire conatur) per vitia & negligentias suas obcæcari, seduci, illaqueari se patitur. Nemo nanque nouit, sed neque scire quis potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem penes seipsum conti-

I. Incarnati. & vitæ Iesu.

contineat huius venerādi mysterij inscrutabilis altitudo, quæ latet in Incarnatione, conuersatione & passione Saluatoris. Vnde dicit Sanctus quidam: Ardorē desiderij sanctorum Patrum suspirantium Christi aduentum frequentissimè cogitans, confundor & compungor in meipso. Et nunc vix contineo lachrymas: Ita pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui nanque nostrûm tantum ingerit gaudium gratiç huius exhibitio, quantum accenderat veteribus Sanctis desiderium promissio? Quid tu agis ô vilis homuncio, qui præsentem Dominum agnouisti, qui laboriosam eius redemptionem profluentibus vulneribus recepisti? Quales amoris vices rependis? Quales gratiarū actiones exoluis illi, qui tam dulcissimum atque benignissimum se tibi exhibuit in carne, vt etiam lapides scinderentur in eius passione?

Matt. 27.

Vita & passio Christi, Radix quarta. Cant. 1.

Pro quarta igitur diuini amoris radice, sit tibi fidelissimi amatoris tui laboriosa vita, quam plusquam triginta annos pro te in hac valle lachrymarum pertulit, in fame & siti, in labore & dolore, in iniurijs & contumelijs multis: atque extrema eius acerbissima passio, charitasq; ardentissima *quasi signaculum super cor* tuum, & quasi monimentum ante oculos tuos, vt lex Domini sit semper in ore tuo. Ex frequenti enim & assidua ipsius meditatione adducetur anima tua in eius amorem & familiaritatem, exemplo diui Bernardi, ita dicentis: Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque myrrhæ tam charum fasciculum, de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa, quæ propter te pertulit, semper in memoriam reducens, & assidua meditatione reuoluens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Et ego, fratres, ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum, quę mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus amaritudinibus & virtutibus Domini mei. Primùm videlicet fasciculum infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquēdo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, flagellorum, spinarum, clauorum, horumq; similium, quæ in salutem nostri generis, lectione Euāgelica copiosissimè noscitur pertulisse: vbi sanè inter tot odoriferæ myrrhę huius ramusculos minimè putaui prætermittendum, etiam illam myrrham, quam in cruce potauit: sed neq; illam, qua vnctus est in sepulturam: quarum in prima applicat sibi meorum amaritudinem peccatorum, in secunda incorruptionem mei corporis dedicauit. *Memoriam suauitatis* horum *eructabo* quamdiu vixero: *in æternum* non obliuiscar miserationes istas, *quia in ipsis iustificatus sum.* Hæc meditari, dixi sapientiam: in his iustitiæ perfectionem mihi constitui, in his plenitudinem scientię, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suauis vnctio cōsolationis. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis depnimūt, & inter læta tristiaq; vitæ præsentis, via regia incedendi tutum præbent vtrobiq; ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem Dominū tremendū Potestatibus, mitē humilemq; figurant, dum non solum placabilem, sed & amicabilē repræsentant eum, qui est inaccessibilis Principibus, terribilisq; apud

Cant. 1.

Matt. 27. Ioan. 19. Psal. 144. Psal. 118.

apud Reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: in corde semper, sicut Deus scit: stylo meo admodum familiaria, sicut apparet. Hæc mea interim sublimior philosophia, *scire Iesum, & hunc crucifixum*. Gaudet sponsus cælestis talibus odoramentis, & cordis thalamum, frequenter libenterq́ ingreditur, quod istiusmodi refertum fructibus floribusq́ respersum inuenerit, vbi suæ vitæ aut passionis gratiam, aut resurrectionis gloriam inspicit sedula cogitatione versari. Credo, sentiet anima facile in se vim amoris posse torpescere, si non talibus iugiter foueatur incentiuis, si non eius præsentiam suspiret inhianter, & in eius memoria requiescat suauiter, crucis interim ignominia gloriãdo, donec idonea fiat, *reuelata facie gloriam Domini* speculari. Nimirum proinde *in odorem* horum *vnguentorum* sponsa currit alacriter, amat ardenter, & parum sibi amare, sic amata, videtur, etiam si se totam in amore perstrinxerit. Nec immeritò. Quid enim magnum tanto ac tali recompensatur amori, si puluis exiguus totum ad redamandum se recollegerit, quem illa maiestas in amore præueniens, tota in opus salutis eius intensa conspicitur? Si igitur in æternum optas regnare cum Christo, vitam & amorem eius circunfer in arca cordis tui, idq́ non quidem cursim ac breuiter attingendo, sed articulatim aliquid ex ea quotidie assumendo, cui cogitationes, orationes, & actus tuos affigas & vnias, in quo delecteris à tumultibus seculi suauiter obdormire, & passiones tuas vincere. Appropinqua ad ipsum pio corde, vt descendenti de sinu Patris in vterum virginis, quasi alter testis cum Angelo sanctæ conceptionis existas in pura fide, & congratulare Virgini Matri sic propter te fœcundatæ. Adesto huius natiuitati & circuncisioni, quasi bonus nutritius cum Ioseph. Vade cum Magis in Bethlehem, & adora cum eis paruulum regem. Adiuua cum parentibus portare puerum, & præsenta in templum. Noli fugientem in Aegyptum relinquere incomitatum. Comitare cum Apostolis pium pastorem, gloriosa miracula facientem. Adesto patienti & morienti cum Maria matre eius & Ioanne, ad compatiendum ei, & quadam pia curiositate intuere & tracta singula vulnera Saluatoris tui, propter te sic mortui. Quære resurgentem cum Maria Magdalena, donec merearis inuenire. Admirare in cælum ascendentem, quasi inter discipulos in monte oliueti existens. Sed cum Apostolis in conclaui, & absconde te ab exterioribus singulis, vt virtute Spiritu sancti ex alto indui merearis. Et in omnibus his contemplare, ad quę prouehatur in Christo humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo diuinitatis.

1. Cor. 2. — Cant. 1.

Iam secundo idem hic Dei ac Virginis Filius, non modò frater, sed etiã aduocatus tuus ad Patrẽ fieri dignatus est. Hic mihi expẽdas velim, quãtum apud Patrem huius valeat aduocati gratia, quem nimirum infinito cum amore cõplecti certissimum est. Expendas etiam, quãtum ab æterno te dilexerit Pater, qui talem ac tantum inter se atque te intercessorem aduocatumq́ constituit, suum videlicet & Marię dilectissimum & vnicum Filium, qui non modo inter iustissimam Patris indignationem & peccata tua pro te medius intercedit, sed etiã mira, incomprehensibilia, prorsusq́ immania pro te tormẽta perpessus est, atq́ ad extremum in mortem turpissimam ceu Agnus innocens vltro sese obtulit, vt aboleret diluerétq́ errata tua. Sicq́ non solum aduocatus tibi & intercessor datus est, sed etiam pro te lùgens, pœnitens, patiens, mortisq́ indebitam excipiens sententiam, factus est & fideiussor & satisfactor. Quî ergo tam cæcus, durus, ingratus,

II. Passio Iesu. — 1. Ioan. 2. — Esa. 53.

amens

amens ac stolidus permanere potes, vt tam excellentem prorsusque ineffabilem
Matt. 27. amorem non attendas continenter, & rumines cum gratitudine? Cur præ amoris vehementia non liquescit cor tuum, pro qua hæc omnia perpessus est, cum tamen cælum terraque, imò & lapides ad compassionem moti sint? Age igitur, dic mente deuota cum Sancto quodam: Super omnia te mihi bone Iesu reddit amabilem calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ, opus sine exemplo, humilitas sine modo, gratia sine merito, donum sine pretio. Hoc enim amorem nostrum facilè totum vendicat sibi: hoc deuotionem nostram & blandius allicit, & iustius exigit, & stringit arctius, & vehementius afficit. Multum enim in hoc opere laborasti, nec in omni fabrica mundi tantum fatigationis assumpsisti.
Gen. 1. Psal. 32. In illa nanque *dixisti, & facta sunt: mandasti, & creata sunt.* In hoc autem opere sustinuisti in dictis contradictores, in factis obseruatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Etsi de nihilo nos fecisti, non tamen de nihilo
Psal. 73. redemisti: quia triginta tribus annis *operatus es salutem* nostram *in medio terræ.*
Isa. 1. Item 6. Laborasti *sustinens*, sustinuisti patiens. Plus igitur mihi contulisti redimendo, quàm creando. Nam creando, me mihi dedisti: redimendo verò, te dedisti, tibi me mihi reddidisti. Et ideo si me totum debeo pro me facto, quid iam addam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile sum refectus, quàm factus. Dixisti enim multa, egisti mira, pertulisti non solum dura, sed etiam indigna. Quid igitur gratiarum actionis, quid retributionis dignæ pro his omni-
Esa. 5. bus tibi retribuam *puluis & cinis?* Quid enim pro me facere debuisti, & non fecisti? cùm ab imo pedis vsque ad verticem capitis, te totum in aquas passionum
Psal. 68. demersisti, vt me totum de illis extraheres: *& intrauerunt vsque ad animam* tuam,
Esa. 63. quam in mortem perdidisti, & meam perditam mihi reddidisti, meq; triplici debito obligasti. Pro eo nanque, quòd in creatione animam meam mihi dedisti, quam per me perditam, in redemptione mihi reddidisti, meipsum debeo, & bis debeo. Sed pro eo, quod mei causa tuam animam perdidisti, & millies millies mori, grauioraque pro me, si opus fuisset, sustinere paratus fuisti, quid reddam tibi Domine Iesu? Nam etsi millies millies animam meam rependere possem, quid sum ad Deum meum? Reddam tamen, quod possum, totam animam, totamq; dilectionem meam, ex toto corde, & ex tota mente & virtute mea.

III. Iesus factus iudex tuus. Deinde tertiò idem ipse benedictus Dei Mariæq; Virginis Filius, non solùm tibi frater & aduocatus, sed etiam iudex datus est: idq; ex infinito amore, & admirabili pietate & misericordia, vt habeas clementem iudicem, & omni ex parte securus sis in omnibus, quę pro tua possis desiderare salute, quemadmodum
Ioan. 5. ipse testatur: *Pater*, inquiens, *omne iudicium dedit Filio.* Quanquam autem ob multitudinem miserationum suarum, in gratię tempore exhibitarum, duris, ingratis, sceleratis peccatoribus (qui absque contritione, confessione & pœnitentia ad eius venire metuendissimum tribunal non pertimescunt) iustus haud dubiè, seuerus, & terribilis nimium apparebit, eo quod tantam eius sponte neglexêre gra-
Heb. 10. tiam, & *spiritui gratiæ contumeliam irrogârunt*: iustos tamen & bonæ voluntatis homines, qui toto corde pro virium suarum modulo offensas illius omnes minutas & grandes euitare, gratamque illius exequi studuêre voluntatem, in illo metuendo suo iudicio perbenignè, dulciter, amicabiliterq; excipiet, abundeque consolabitur. Et licet interim pro effusissima Dei misericordia obcęcatis etiam ac in-

ac induratis peccatoribus (quibus iam ante semel atque iterum testatus sum me ista non cudere, sed solis duntaxat Deum timentibus, & ex corde inquirentibus) maior præstetur diuinæ pietatis miseratio, clementiusq́ commoneantur & expectentur ab ipso summo iudice, quòd frater, os & caro eorum sit, vt dum gratiæ tempus agitur, conuertantur ab erratis & vitijs suis, & viuant, quàm vel digni sint, vel vlla ratione mereantur, adeò vt nemo, quanlibet insignis peccator, si resipiscere volet, causam vllam habeat desperandi: tu tamen vt pius atque fidelis filius, tantam erga te Domini Dei sponsi tui beneuolentiam, alta mente, consideratione perspicua, gratoq; animo expende, teq; illi vt sponsa fidissima, feruēti desiderio mundam præpara & immaculatam, & eius denique aduentum anhelis præstolare suspirijs, certus quòd qualem te illi præparaueris, talis & tibi appareat, non in animæ duntaxat à corpore discessu, sed etiam in extremo illo examine cunctis adspectantibus creaturis. Esto igitur vigilans, & ad veri adspectum luminis oculos mentis apertos teneas, vt *cum venerit Dominus, inueniat* te vigilantem: ne antiquus ille occæcator vllo te circunueniat tempore, & in Cimmerias suas tenebras per mentis obnubilationem, ignorantiam & negligentiā, pelliciat pertrahatque, vt solet innumerabiles tum seculares, tum religiosos homines, quos suis tenet laqueis irretitos, vt nec Dei beneficia cernant, nec eius (vt par est) minas extimescant, nec charitatem denique illius opere diligant & veritate. Adeoq; cum iure censeatur perditum, quicquid in ingratum contuleris, toto corde stude illi gratias agere & amoris vices tantæ rependere gratiæ, imò si dici liceat, plusquam gratuitæ miserationi, quæ tantis beneficijs obruit non modò immeritos, sed & nimium malè meritos & ingratos. Dic itaque cum cordis iubilo: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nam si centies millies me rependerem, quid sum ad Dominum meum? O dulcissima reconciliato, ô satisfactio suauissima, ô verè reconciliato facilis, sed perutilis, quam nobis vita pariter & morte sua coemit hic frater, aduocatus & iudex noster, vtpote *cuius liuore sanati sumus*, cuius sanguine redempti, cuius sumus merito reconciliati: adeò vt *quacunque hora* homo *peccator ingemuerit, omnium peccatorum illius non* sit recordaturus amplius, iustus iudex in indulgentissimum transiens patrem. O satisfactio parua, sed non paruipendenda. Nam quàm facilis modò, tam difficilis erit postea. Et sicut nemo modò est qui reconciliari nō possit, si velit: ita post paululum, nemo qui possit: Quia sicut nunc *benignitas apparuit* vltra omnem spem & æstimationem, ita similem expectare possumus districtionem. *Multus est enim ad ignoscendum*, multus ad vlciscendum. Noli ergo contemnere eius benignitatē & misericordiam, si non vis sentire iustitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem Hinc misericordia sibi priores vendicat, vt si voluerimus, districtio inueniri non possit, in quem desæuiat.

Luc. 12. Psal. 115. Isa. 53. Apoc 1. Ezech. 18. Bernardus. Tit. 3. Isa. 55.

Amor Dei in S. Eucharistia nobis exhibitus.

CAPVT VIII.

IV. Iesus sem per sibi presens in Euchari-stia.

HInc iam quarto vide loco & ordine, vt idem Dominus Iesus sese erga te extrinsecus exhibeat, præcipuè in venerabili Sacramento. Ex quo, velut ex quinta amoris radice, vt amor ardentior, deuotio exuberantior, intentiusq; in te gaudium absque intermissione excitetur, grata mente pertracta, quòd

Amoris radix quinta.

quod idem Dominus Deus tuus sese tibi cum beatissimorum iucunda frequentia spirituum, diu noctuque in locis sacris præsentem exhibet & paratum, imò & expectantem tete, non minus verè, quam in summa arce polorum: ita vt ipsum accedere & alloqui, eiusque longè optatissima præsentia, quoties volueris, frui possis, idque adeo perfectè, securè, liberè iuxta omne tui cordis votum & desiderium, ac si cæli terræque creaturarumque omnium oblitus, tibi soli prouidēdo vacaret, ac placere & obtemperare appeteret. Cuius quidem admirandæ stupendæque dignationis perspicua & attenta contemplatio non potest non copiosum afferre fructum, & salutem conferre plurimam: sicut è diuerso huius negligētia veritatis, & ea, quæ circa hanc versatur, cæcitas non potest non maximū inferre detrimentum. Certè illuminatos Dei amicos adeò inflammare solet tam inæstimabilis dilecti Dei sui dignatio & præsentia, vt quidam ex illis vix ea satiari, vix à sacris potuerint locis auelli: sed eis summa cum reuerentia ob Dei Angelorumque præsentiam immorari, sesèque decentissima tum interioris tum exterioris hominis compositione illi præparare adnitebantur, ita vt quosdam eorum memoriæ proditum sit, in diuinæ præsentia maiestatis nunquam operto fuisse capite, alios nunquā sedisse, aut fessa mēbra acclināsse parieti. O quantum ex huiusmodi contemplatione amici Dei percepêre gaudium, amorem, sanctitatis incrementum: quàm inde ad gratitudinem & omne bonum capessendum fuêre instructi & adaptati. Nimirum sola hoc nouit experientia, nec scire potest, nisi qui accipit. Heu quàm omnes penè obcæcantur tum seculares tum spirituales homines, qui quālibet diu vanissimis prorsusque friuolis occupationibus, comessationibus, potationibus, vaniloquijs, lusibus, cæterisque peccatis & sensuum oblectamentis atque solatijs (quæ omnia vtique diabolicæ sunt insignia seruitutis) inhæreant, nullo grauātur tædio: si verò diuinis laudibus, rei sacræ, orationibus, cōcionibus, & exercitijs spiritualibus aliquātisper incumbendum sit, languescunt præ inopia spiritus, tristesque & aridi fiunt, opprimuntur somnolentia, & finem auidi suspirant. An non hoc euidens diabolicæ est illusionis iudicium? Iam quid complures seculares Presbyteros ad diuina cantanda seu celebranda inuitet, amórne Dei, an potius spes lucri, ipsi viderint. Attende tu quisquis tibi de bona blandiris voluntate, an ne in hac cæcitate tepidorum sequaris numerum, & absque deuotione, sensu, affectione, timore, amore & reuerentia in conspectu Dei tui verseris, instar multorum, qui magno cum tędio cordisque euagatione Deo assistūt, & turpi festinatione ad finem properant: & quasi hoc satis non sit, etiam eos qui deuotè, tractim, & attentè, vti è sanctis Patribus institutum & obseruatum est, psallere & orare cupiunt, reprehendunt: cùm sint ipsi à diabolo seducti, obcæcati, factique stupidi & insensibiles, vt non aduertant, in cuius assistāt pręsentia: qui si videre possent, quæ illuminati Dei amici vident, tanto cum amore, gaudio & reuerentia locis illis continenter adhærerēt, vt maior vis ad compellendum eos inde interdum discedere, quàm tepidos adeò pertrahendum adhibenda foret. Planè mirum est, spiritales homines, qui quotidie diuinam ex sacris Scripturis illuminationem percipiunt, in præsentia dulcis Iesu non deficere præ iubilo & exultatione cordis, ingentique dulcedine amoris: cùm nullum inuenire sit locum, (cælo dūtaxat empyreo excepto) qui homini spirituali aut optatior possit esse, aut vtilior ædibus sacris, in quibus corpus Dominicum certissimè conseruatur. Meritò quidem nullam habere requiem deberet anima deuota, donec ad locum illum

illum, vbi Dei & Marię Filium pręsentem inueniret, regrederetur: eundemque locum, multis licet inde disiunctâ milliaribus, procul humili cum inclinatione vel salutare deberet, si non daretur accedere. O cæcitatem & insaniam verè diabolicam, quę tantis bonis priuat ingratos, & infinitis miserijs semel excæcatos inuoluit, vt fontem totius gratiæ & salutis, quæ in tanto Sacramento latent, nihilipendant: quorum pericula damnaq; æterna nunquam satis describi, nunquam dignè poterunt deplorari.

Hîc iam quinto vide loco, quod licet idem dulcissimus Iesus nunquam non, vti dictum est, sese tibi præsentem, obuium, paratum, amicabilẽ exhibeat in venerabili Sacramento, absque intermissione sacris contento in locis, hoc tamen exuberatissimæ illius charitati minimè sufficit, sed insuper ex immensa vereque stupenda exosculandaq; dignatione quotidie per manus sacerdotum in Ecclesia Catholica dignatur in singulis quibusque Sacris siue Missis ab excellentissimo cælo cum numerosa Angelorum frequentia ad te descendere, pro noua in te deuotione, amore & gaudio excitandis, adducens tibi & omnibus diuino illi officio deuotè assistentibus incõparabilem sacratissimæ vitæ passionisq; suæ thesaurum, quo tuæ paupertati succurrere, te suscipere & saluare peroptat, longè quidem maiori cum desiderio, quàm tute saluari cupias, & ex magnis augustijs liberari: imò quàm vel fidelissima parens charissimum filium suum vnquam susceperit, saluumve optarit habere & incolumem. Hîc iterum nobis deploranda veniunt tum infinita mala & animarum damna, quæ diabolus ex inueterato odio, quo in nos furit, per huius diuinæ charitatis stupẽdæq; dignationis ignorãtiam, cæcitatemque & ingratitudinem nostram nobis irrogat, tum bona innumera & merita vitæ æternæ à nobis neglecta, quæ ex eorundem clara cognitione nobis accederent: quæ quidem si videremus, & condigna cum gratitudine exciperemus, (quemadmodum sancti Dei amici fecere) tanto omnipotentis Dei succenderemur, impleremur, inebriaremur amore, vt ad quenlibet huiusmodi amabilem in Missæ sacrificio descensum ad nos, non solùm libenti, sed etiam lætissimo animo multa per milliaria properaremus, & præ nimia internæ exultationis exuberantia, etiam viribus destitueremur. Cæterum vnum hîc summopere cauendum est, ne serpens ille pestifer & tortuosus ob vitam sacerdotis diuina peragentis, minus fortasse laudabilem, tibi imponat. Nihil enim à bono amplius, nihil à malo minus sacerdote perficitur: quandoquidem non ex merito celebrantis, sed & virtute summi sacerdotis inuisibiliter peragitur hoc nostrę salutis mysterium, qui ea se ratione Ecclesię suæ præsentem exhibet in hoc admirabili Sacramento, qua & voluit & potuit, idq; diebus omnibus vsque ad seculi cõsummationem. Enimuerò ex sola charitate sua nimia & misericordia, nostræ miseriæ compatiens, in Missis singulis tanta cum humilitate ad nos descendit, vt nemo illic tam peruersus, nemo tam impius adsit, cui sese non humiliter inclinet, si tamen homo ipse velit. Tanta etiam cum patientia venit, vt nemo tam inuisus Dei hostis, nemo tam insignis peccator assistat, quem nõ & ferat æquanimiter, & pœnitere volentem cunctis remissis erratis, in suam sit gratiam recipere paratus. Quin & tanto cum amore venit, vt nemo illic tam frigidus aut durus adstet, quem non incendere ac emollire cupiat. Venit & tanta cum liberalitate, vt nullus illic adsit, quãuis pauperrimus, quem non ditare vehementer aueat. Venit adeo dulcis & sufficiens, vt nemo adsit tam famelicus, quem nõ possit

V. Charitatẽ suam vt quotidie Iesus renouet in Missis.

 & velit

& velit abundè reficere ac satiare. Sed & tanta cum luce ac claritate venit, vt nemo sit quanlibet cæcissimus & maximè obscurus, quem non illuminare appetat. Denique tanta cum sanctitate venit, vt nemo tam segnis, piger & iners sit, quem & à suo nequeat excitare torpore, & superna implere gratia, si tamen ipse pro virili sese accommodare non omittat.

VI. Vt Iesus in te venire non dedignetur. Postremò vide iam sextò, vt non modò pro sua incomprehensibili charitate à summo cælo quotidie ad te descendere dignetur, sed etiam maximo cum desiderio in animam tuam tam indignam & ingratam tanta maiestas, tantusque Dominus solo amore salutis tuæ venire, maiorique cum beneuolentia ingredi, quam tu illius aduentum desideres, nõ recuses: pulsans nihilo minus ad ostium mentis, cum præ cæcitate & ignauia propriam salutem negligis, vt se cum vniuersis charismatibus, diuitijs donis, virtutibus & meritis suis intromittere velis, quibus te expurgare, ornare, regere atque saluare possit. Hac de causa *se nascẽs dedit tibi socium, conuescens in edulium, se moriens in precium, se regnans dat in præmiũ. Panis Angelicus fit panis hominum, dat panis cælicus figuris terminum. O res mirabilis, manducat Dominum pauper seruus & humilis.* Hic iterum penitus non habeo, quibus verbis nostram tum cæcitatem, tum ingratitudinem, Deique excellentissimam charitatem & erga nos extremæ sortis vermiculos dignationem complectar, cùm reuera tanta hæc sint, vt nec dum humanum omnem, sed etiam Angelicum vincãt & affectum & intellectum. An non mirum satis videtur, cum tam suauem fidelemque Dominum, imò & sponsum & amicum, Deum & Patrem longè pijssimũ, intra secreta tui admittis pectoris, præ nimia amoris teneritudine deuotione & mentis excessu stare te posse super pedes tuos, & non protinus concidere & expirare præ ardore, quemadmodum multis Dei amicis contigisse certum exploratumque habemus? Plane væ atque iterum væ damnabili cæcitati & insaniæ, qua diabolus perplures tenet irretitos, qui ab amore & reuerentia huius excellentissimi Sacramenti sese abalienantes, suam, quam in illo ceu in fonte suo inuenirent, salutem negligunt, infinitis sese priuantes bonis, atque malis objicientes innumeris.

Quomodo Iesus intra nos seipsum nobis impendat.
CAPVT IX.

VII. DEhinc septimo vide loco, vt dulcis Iesus sese tibi intra te exhibeat in anima tua: certumque habe, tanto cum amore, tamque ardenti cum desiderio venire eum ad te, semperque tecum permanere, in te commorari, teque regere ac tueri velle, vt nunquam sponsus vllus erga gratissimam licet sponsam, neque pater aut mater erga vnicum pignus suum tantò flagrãrint amore. Enimuerò omnem hoc humanæ excedit captum intelligentiæ. Expergiscere ergo à lœtifero ignauiæ somno, excutere de puluere labentium rerum, diabolicæ resiste cæcitati, *surge, & illuminare: quia venit ad te & in te lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Audi Prophetam dicentem: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, & emite gratis vinum amoris & lac dulcedinis. Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, cum prope est.* (Isa. 60. Isa. 55.)

Beneficia quænam. Hic iam loco octauo & illud vide, vt ex eodem amore te indesinenter consolari & adiuuare appetat, innumeraque in te cumulet beneficia: quorum heu maxi-

maximam partem præ cæcitate cordis non vides, atque ideo nec gratias agis, tametsi nullum sit momentum, quo tibi cesset benefacere, vti & in præcedentibus iam ex parte dictum est. At nihilo minus vt hæc apertius intelligas, noueris Dominum Iesum erga pœnitentes peccatores haud secus amore vulneratum esse, atque matrem erga charissimum filium suum, perditum aliquandiu, sed recuperatum, cùm eum misera putaret morte perimendum. Noueris etiam pœnitentes illos, qui per correctioris vitæ studium cum vitijs colluctantur, in virtutibus ad Deum proficiscuntur, ac nihilo secius tum à vitijs proprijs, tum à creaturis, varijs multisq; modis impediuntur, eundem Dominum Iesum cordibus amicorum suorum commendare & imprimere, vt illi suis eis precibus, quod proprijs non poterant viribus, à DEO obtineant, impetrent, promereantur. Illos verò, qui per continuam introuersionem meditationemq; cordis, sub cruce Iesu stant cum tristissima illius Genitrice, semperq; Virgine Maria, Iesus ipse suo sacratissimo imprimit cordi, in suo confirmat amore, suo purificat sanguine, è suæ diuinitatis faciet potare fonte, & in regno paterno gloriosam illis beatamq; construet mansionem. Cæterùm qui ob Christum reliquêre omnia, hi instar vernantissimi veris florent coram eo. Illis autem, qui in peccatis viuunt, sceleribusq; suis, à quibus abstinere nolunt, Deum gloriæ noctu diuq; offendunt, idem ipse pijssimus Iesus nihilo minus adesse dignatur, eosq; à tartareo spiritu continenter defendere, donec eum criminibus suis velut pedibus conculcauerint. Atque dum demum recedit ab eis, sed tam inuitus, vt si ipsis hoc cernere liceret, tam benignissimo Deo suo saltem compaterentur. Hanc verò ineffabilem misericordiam omnibus offert indiscriminatim, quandiu gratiæ tēpus agitur: in quo quidem nullus viator bonus gloriæ magnitudinem, nec vll' iniquus pœnæ potest capere grauitatem, quas iustus ille iudex post huius vitæ curriculum dabit vnicuiq; pro meritis & actibus singulorum.

operetur Christus in anima.

Ioan. 1.

Apoc. 21.

Nono denique ordine attende, quòd Dominus & Creator tuus longè pijssimus, tecum perpetuò permanere, tibiq; prodesse vehementer desiderat, idq; optimo, excellentissimo & vtilissimo modo, quo id ipse operare queas: quodque amorem suum fidelissimum nunquam à te subducit, neq; nimia tua licet prouocatus ingratitudine à te recedit, nisi fortè, quod absit, in capitalis vitij prolabare consensum, atque ita quasi violenter eum à te reijcias. Atqui nec sic patiēter te expectare desinit, nec statim crudelissimo hosti salutis tuæ diabolo te ad supplicium, vt dignus es, pertrahendi tribuit facultatem, *nolens* videlicet *mortem peccatoris*, imò potius *volens, vt conuertatur & viuat*. Cuius nimirum pietatem ineffabilem sanctus quidam Dei amicus, minimè cæcus, sed bene videns, admirans, ait: Quàm dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus perpessus es, dura verba, duriora verbera, durissima mortis supplicia. O duri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro tam vilibus sarcinulis tam pretiosas margaritas expendit. O bone Iesu, quid tibi & morti? Nos debuimus, & tu soluis: nos peccauimus, & tu tollis peccata: opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Agnosce ô homo, quòd nihil æquè ad amorem illius inflammat, sicut beneficiorum ipsius immensa donatio. Ex hoc etenim, quòd ipsum

IX. Vt Iesus semper desideret esse nobiscum.

Eze. 18.

tam liberalem cogitas, ad largiendum non solum sua, sed etiam seipsum secundùm omnem affectum & modum, ipsum te nimium diligere cogitabis. Nihil autem ad amorem reciprocum tantùm excitat, sicut amari. Quòd si diligis te, qui te destruxisti, quomodo non diligis eum, qui te redemit? Considera quanta fuerit erga te dilectio DEI, quod vellet Deum hominem, & hominem Deum quodammodo fieri, & sic te post lapsum quærere, & post offensam plus quàm prius exaltare. Nunquid exaltationem culpa meruit? Certè non. Sed ne ab eo amplius fugeremus, naturam nostram inseparabiliter sibi vnire voluit. Si ergo qui nihil sumus, imò qui mali sumus, in tantum diligit, cur eum, qui summè bonus est, non diligimus, cùm nihil in suo beneficio quæsierit, nisi vt nos amore sui inebriaret, ac si nos amoris vinculo inseparabiliter colligaret, beatificaretq; æternaliter? Hæc & alia innumera amoris indicia, quæ tibi summus omnipotensq; Creator, & fidelissimus amator tuus, præ multis alijs nedum hominibus, quos in tenebris reliquit, sed etiam Angelis, tibi exhibuit & exhibere non cessat, attentione perpetua, dispulsa diabolica cæcitate, perpende, illi toto corde gratias agere, ipsum redamare, illius sequi vestigia, teqúe cunctaq; vndecunque accidentia, in eius referre laudem & consumere, illiq; in omni castitate, sobrietate, humilitate, paupertate, patientia, & alijs virtutibus fideliter deseruire, ac vicem qualemcunque reddere adnitens pro virili. Enimuerò si cuncta hæc recto perpendas iudicio, non solum nihil condignum tanto illius amori te reddere existimabis: sed etiam præ stuporis & amoris vehementia totus amore saucius, & velut ebrius, à teipso & creaturis omnibus deficies, vt iam nihil aliud vel cogitare possis vel loqui, quàm ipsum dulcissimum Deum amatorem ac Redemptorem tuum, eiusqúe erga te amorem prorsus infinitum, dignationem admirabilem, & gratiam super gratiam. O execranda cæcitas, quàm fœdè miseris imponis mortalibus, quos paterna exuis hæreditate sua, & ad tenebras mittis exteriores, nullo vnquam tempore finiendas.

Vt anima in suam redire debeat originem.

CAPVT X.

POSTREMO ad inflammandum mentis affectum in Deum, velut pro sexta amoris radice, multum profuerit consideratio castæ dilectionis ipsius sponsæ erga dulcissimum sponsum suum, hoc est, Verbum æternum, DEI Filium benedictum, qui est naturalis animæ locus, sedes & vita, ad quem iuxta superiores vires suas, in spiritu semper tendit sursum, velut in principium siue centrum suum, in quo solo veram inuenit requiem. Carnales nanque deliciæ, & quæcunq; infra Creatorem sunt, animam seu in carcere captiuam detinent, in quibus nullam vnquam veram potest obtinere pacem, tametsi creaturæ, modò illis rectè vti nouerit, viam quandam illi indicent ad Creatorem. Siquidem ab omni æternitate anima secundum ideam in Verbo, hoc est, in Deo increata fuit. Deinde cùm à Creatore ad illius imaginem & similitudinem præclare condita est, mansit ei nihilo minus Deus vnitus, adestq; præsens in ipsa interiori essentia, seu centro cuiusuis animæ, idq; tam in malis quam bonis hominibus: quos omnes indiscriminatim sua infinita maiestate circundat, penetrat, atque in esse conseruat: ex quo velut ex sua præclarissima origine omnes æquè promanârunt, in quo & secundū ideas permanent. Non enim longè est ab vnoquoque

Idea animæ in Deo.

quoque

quoque nostrûm: quandoquidem *in ipso viuimus, mouemur & sumus*: adeo vt nihil Act. 17.
iam restet, nisi vt anima in Dei sponsam electa, & mirabiliter redempta, ignitis
desiderijs anhelisque suspirijs iugiter sitiat & ardeat Verbum æternum, suum videlicet sponsum suscipere & amplecti intra se, in eoq; permanere, in præsenti
quidẽ seculo per gratiam, & in futuro per gloriam: fiatque inter sponsum &
sponsam intima quædam per amorem castissimum vnio coniunctioque. Ipse Amor
nanque amor ex natura sua mutuam poscit inhabitationem & intimam vnio- vnit.
nem, qua dilectus alter alteri insit, ad quam adspirabat Propheta sanctus, cùm
diceret: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes*: De qua scribit D. Ioannes: *Deus* Isaiæ 64.
charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Habuit autem ani- 1. Ioan. 4.
ma iuxta ideam in verbo tres præclaras proprietates, videlicet veram eandemq;
cum Deo subsistentiam, suauitatem, & operationem. Nam ipso Augustino teste,
hoc diuinæ simplicitati proprium est, vt quicquid in Deo est, Deus sit: ne accidens ponamus in Deo. Ob hanc ergo subsistentiam anima secundum ideam in
Deo degustat diuinam suauitatem in suo fonte simul cum Verbo ipso: cum eodemque & in eodem existens, teste Anselmo, creauit cælum & terram: cui accommodari potest illud Prouerbiorum: *Delectabar per singulos dies ludens cum* Prou. 8.
eo omni tempore. Quando præparabat cælos, aderam, cum eo componens omnia. Iuxta
has igitur tres insignes proprietates, quas anima naturaliter habet in Deo, triplici æquè desiderio feruenter & indesinenter contendere & suspirare debebit
ad Deum, quo eadem puritate, qua ex ipso profluxit & condita est, redire possit
in ipsam suam originem, id est, Verbum æternum: idemque nihilo minus per
veram charitatis vnionem intra sese recipere, complecti & possidere, ita vt ipsa
anima perpetuò vnita maneat in Deo, & Deus vicissim in ea: idque per fidem
firmam & ardentem charitatem. Trium horum desideriorum primum, est vnionis amorosæ: secundum, degustationis dulcedinis diuinæ: tertium, operationis deificæ. Primum, cor amore vulnerat: secundum, amore reddit languidum: tertium, cor scindit & dirumpit. Primum desiderium, videlicet vnionis,
surgit in anima ex consideratione pristinæ perfectionis suæ in Verbo æterno.
Et quanuis anima iam creata nequaquam in essentia vniri possit cum Verbo æterno, eidem tamen iungi potest & vniri per amorem, quo amans vnum efficitur cum dilecto: sicuti Dominus Iesus Patrem pro nobis precatus est, dicens: Ioan. 17.
Rogo Pater, vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis
vnum sint, videlicet per gratiam & gloriam, non autem per substantiam. Porrò
eiusmodi amorosæ vnionis desiderium adeo nonnunquam conualescit in anima, vt cor illius vulneret, & ceu iaculo quodam configat, quod omnem mox
quarumlibet rerum aliarum fugat amorem, solumq; dilectum tam valide ad
intima cordis pertrahit, vt ipse solus tandem toto corde ametur, iuxta illud: Cant. 4.
Dilectus meus mihi, & ego illi. Hoc autem dulcissimum amoris vulnus intrinsecus à DEO curari oportet. Neque enim vllum ei humanum externúmve solatium mederi potest, absente dilecto. Sic vulneratum erat cor illius, qui ait: *Sagittaueras tu cor meum charitate tua.* Atqui animam sic vulnerari à Verbo æterno nihil mirum est, cùm & ipsum Verbum ab anima vulneratum sit, vt idem
dicit per Prophetam quendam suum: *In charitate perpetua dilexi te.* Et alibi: *Vulnerâsti cor meum, soror mea sponsa* Secundum est desiderium degustationis dulcedinis diuinæ. Quamuis enim animæ, dum hanc mortalem degit vitam, neutiquam

Triplex desideriũ animæ ad Deum.

I. Desideriũ vnionis animam vulnerat.

Augustinus.

Iere 31.
Cant 4.

II. Desideriũ degusta.

quam detur pleno ore de diuinæ suauitatis potare mellitissimo fonte, desiderat tamen & suspirat eò peruenire in æterna futuræ vitæ beatitudine, sicut dicit anima sancta in Psalmo: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Et in hac feruentis desiderij siti datur interim animæ vel guttula quædam illius dulcedinis immēsæ, in qua vtcunq; eam degustat, cuiusq; gustus creata omnia vertit ei in nauseam & tormentum: quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Cor nanque languentis animæ post exceptum amoris vulnus, instar ægroti alicuius (cui cibus omnis quamuis suauissimus insipidus est) adeò fit amore languidum, vt nesciat cogitare quicquam vel appetere præter dilectum suum, ita vt nec ad momentū sui ab eo possit desiderij oculum auertere, exemplo Mariæ Magdalenæ, quæ à monumento non recedebat, nec vllum admittebat solatium.

tionis li gu dam facit. Psal. 41. Ioan. 20.

III. Desideriū operationis cor scindit. Psal. 76. Esaiæ 26.

Tertium est desiderium operationis deficæ. Hoc nanq; desiderio vsqueadeo cor dilatatur & expanditur, vt à seipso deficiat, & nihil penitus operetur, iuxta illud Psalmi: *Memor fui Dei, & delectatus sum: & defecit in me spiritus meus.* Et hoc desiderium dicitur cor scindens siue dirumpens: & in tali diruptione ac defectione cordis cuncta sua opera Deus in anima operatur, sicut scriptum est: *Omnia opera nostra operatus es in nobis:* & Pater æternus gignit Verbum suum sibi consempiternum in ea, fitq; eiusmodi homo Dei filius per gratiam, quemadmodū Verbum, quod in ipso gignitur, est Filius Dei per naturam. Cur ergo miser homo per multa vagaris? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia, & sufficit tibi. Si delectaris pulchritudine, *fulgebunt iusti sicut sol.* Si velocitate & fortitudine, *erunt similes Angelis Dei.* Si longa & incolumi vita, *ibi est sana æternitas, & æterna sanitas.* Si saturitate, *saturabuntur cum apparuerit gloria Domini.* Si sapientia, ibi Christus Dei *sapientia* seipsum eis ostendet. Si amicitia, diligent Deum plus quàm seipsos, & Deus illos plus quàm illi seipsos. Perpetuò eapropter desiderio conare vi amoris ad summum pertingere bonum, in quo sunt omnia bona.

Matth 13. Luc. 20. Psal. 17.

Nobilitatem, præstantiam, dignitatem, pulchritudinem, bonitatem, sanctitatem, amabilitatem sacratißimæ Genitricis Dei, semperq; Virginis Mariæ, non sine graui damno ab hominibus negligi.

CAECITAS IV. CAPVT XI.

VT debito ordine prouinciam hanc, quam Deo fauente suscepimus, persequamur, post cæcitates tres superiores, quas circa diuinam essentiam & humanam Filij Dei naturam potissimè versari manifestum est, superest nunc aliquid de sacratissimæ Virginis Mariæ dignæ Genitricis Dei laudibus proferre in medium: quamq; periculosè ea in re vel cæcutiant homines, vel errent, aliquot rationibus, quantum quidem Dominus dederit, liquidò demonstrare. Cæcitas ergo, quæ suo ordine quarta sequitur, non alia est, quàm ignoratio inæstimabilis pulchritudinis, bonitatis, & amabilitatis gloriosissimæ semperq; Virginis Mariæ. Et primò quidem de pulchritudine eius id habendum est pro comperto, eam *ab initio & ante secula* præ cæteris creaturis omnibus à Deo electam atque dilectam, vt esset Mater Dei, Regina cælorum, Porta paradisi, Domina mundi, Mater gratiæ, Mater misericordiæ: necnon à summo artifice tem-

I. Pulchritudo Matris Dei.

fice tempore præstituto longè nobilissimam, dignissimam, speciosissimam esse creatam, ab omniqúe peccato & macula, tam originali, quàm actuali, præseruatam, vti hoc decebat eam, quæ Mater esset vnigeniti Filij Dei: idq; adeo, vt ipse supersanctissimus Spiritus sanctus, in quem nulla cadit admiratio, eius pulchritudinem, donorumqúe & virtutum atque charismatum omnium splendorem, (quibus mirifice decorata refulget) per suos electos Angelos & homines admiretur, dicens in Canticorum volumine: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* Itemqúe: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Enimuerò Deus gloriæ, quem mirabilem *in Sanctis suis* Propheta dicit, sese mirificissimum ostendit in amabilissima longeqúe charissima Genitrice sua, cui similem nunquam fecit, neque facturus est creaturam dignitate, pulchritudine, nobilitate, & omni maiestate & gloria. Tanta nanque puritate, sanctitate, perfectione nitet & emicat, vt omni sit Angelica puritate longè superior, nec vlla maior sub Deo puritas queat intelligi, quam Deus per suam omnipotentiam, sapientiam & bonitatem, tam in conceptione, quàm omni illius vita, morte & glorificatione, vltra communem naturæ modum, humanamq; conditionem insigni cum miraculo præseruauit, dignam fecit & sublimauit, vt nec leuissimam quidem illius vnquam peccati contraxerit labem, vti hoc diuinæ erat congruum maiestati, quæ ex ipsa carnem sumere dignata est. Et quanquam non defuerint, qui hac in parte non satis illuminati diuinitus, Conceptionis eius puritatem vocarent in dubium, eam tamen sancta Romana eademq; Catholica Ecclesia, quæ errare non potest, hoc ipso quòd festum Conceptionis illius solenniter celebrandum colendumq; assumpsit, haud obscurè adstruit & affirmat. Neque enim id ageret vllo modo, nisi Conceptionem tantæ Virginis & Matris Dei omnis fuisse contagionis expertem, imò & sanctam pro certo exploratoqúe haberet. Profana nanque Festa non nouit Ecclesia. Tota ergo pulchra est & deificata Virgo Maria in corpore, naturaliq; complexione, & sensibus suis sanctissimis: tota itidem speciosa & in Deum transformata in anima, in memoria, intellectu & voluntate, cunctisq; animæ viribus & affectibus, idq; adeo, vt maior pulchritudo, felicitas, perfectio, & ornatus à nulla creatura intelligi, imò nec desiderari queat. Vnde & de ipsa S. Dauid pater illius iubilans canit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Neque id mirum, quando in ea *velut in Sole Deus posuit tabernaculum suum*, & ipse *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ipsa planè est *mulier illa amicta Sole, & luna sub pedibus eius, & in sanctissimo capite eius corona stellarum duodecim: quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Hæc est nobilis illa *stella ex Iacob orta*, cuius radius vniuersum orbem illuminat, Maria scilicet Mater Dei & iudicis nostri, quæ & ipsa *ascendens in altum dedit* dabitq; semper *dona hominibus.* Siquidem nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est, mater vnigeniti Filij Dei est. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ *Deus est, charitas* nouem mensibus corporaliter requieuit.

Cant. 4. Psal. 67. Psal. 44. Psal. 18. Apoc. 12. Cant. 6. Num. 24. Bernard. Psal. 67. 1. Ioan. 4.

II. Misericordia erga

Secundò huius dulcissimæ Virginis Matris bonitas, pietas, amabilitas, misericordia, fidelitas, amicitia, gratiositas, dulcedo, benignitas, & charitas erga

nos huius Matris. Deum & homines, tam incomprehensibiliter ineffabiliterq; multæ, magnæ & perfectæ sunt, vt nulla eas mens creata ad plenum possit capere. In maiestate namque & potestate, in sapientia & claritate in bonitate & dilectione, & in cūctis denique charismatibus, donis, perfectionibus, excellentijs super omnes creaturas, benedicto Filio suo Iesu Christo quàm similima & proxima est, vt tam execrabilem orbis peccatorem non habeat, quem ipsa abominetur, quemque dilectissimo Filio suo, modo suam precetur opem, non possit, sciat, & velit reconciliare. Eius namque erga peccatores charitas, dignatio, misericordia, atque compassio tam exuberans, tamque perfecta est, vt quandiu gratiæ tempus agitur, non possit misericordissimos oculos suos à miseris ac pœnitētibus ipsam inuocantibus hominibus auertere, nec cessare pro illis continuas fundere preces Vnigenito suo, donec hunc eisdem, vt mater verè fidissima, plenè perfectèque sentiat reconciliatum. Ab hoc verò pietatis officio nec ea quamuis excellentissima gloria, qua nunc in dexteris Filij residet coronata, vlla ex parte eam impedire potest: vti nec Filius eius, ob præcellentissimam dignitatem & gloriam suā, secundùm humanitatem, cessat *interpellare pro nobis*, donec veniam obtineamus & gratiam tempore opportuno, modò nos ipsi gratiam vocantem exquirere velimus, partamq; custodire.

Rom 8.

Nunc igitur diabolica cæcitate dispulsa, mentis aperito oculos, & vide, vt malignus ille & teter spiritus, ab amore & deuotione erga Matrem misericordiæ te auocare nititur, quandoquidem bene illi constat, suum ab ipsa cōtritum esse, conteriq; *caput pestiferum*, nec vnquam perire posse, qui deuotè ac perseueranter illam colunt & inuocant: simulq; gratias age fidelissimo Patri cælesti, qui non modo apud se aduocatum tibi & intercessorem dedit Vnigenitum Filium suum, sed etiam eiusdem vnici sui Parentem longè pijssimam, & tuam voluit esse matrem, & aduocatam, imò & conciliatricem apud Filium, vt Mater quidem Filio pectus ostendat & vbera, Filius verò Patri latus & vulnera, nec vllus ibi sit repulsæ locus, vbi tot & tanta exhibentur indicia charitatis. Quibus vtique *nihil Pater negare potest pro sua reuerentia*. Itaque, quod feruentissimus quidam huius tantæ Virginis amator ait, in omni necessitate tua ad hanc splendidam maris stellam oculos attolle. Mariam inuoca, & non desperabis: Mariam sequere, & non errabis. Ipsa te tenente, non corrues: ipsa te protegente, nō deficies: ipsa te ducente, peruenies. O superdulcis & benedicta Mater misericordiæ, solus ille silcat misericordiam tuam, si quis te inuocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus tuis congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Foues enim, nec deseris miserum, quousque tremendo iudici eum noueris reconciliatum. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accedas: nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine tibi diuinitus insita piæ memoriæ ingrederis portas.

Gen. 3.

III.

Maria vt latifi et omnes beatos in cælo.

Tertiò dehinc (quod ad amabilitatem & dulcedinem eius iam in regno sublimatæ attinet) vide, non satis fuisse pijssimo Redemptori tuo, eiusq; amori incomparabili, quòd perenniter felicem atque beatum ex clara diuinitatis suæ contemplatione fruitioneque te facturus est, sed etiam supra omnes beatorum

Spiri-

Spirituum Ordines, præclarissimam humanitatis suæ gloriam, & admirabilem benedictæ Matris suæ pulchritudinem, perpetuò conspiciendas in cælestibus tibi præparauit. Quæ nimirum speciosissima splendidissimaq; Virgo Mater ineffabili cum dulcedine, beneuolentia, familiaritate, gaudio, amicitia, humilitate, charitate erga omnes & singulos Filij sui suosq; cultores, seruos & amicos sese exhibet, imò multo maiori, quàm mens vlla in hac vita vel concipere vel sperare queat, vtpote vera germanaq; soror nostra, & longè fidissima parens. Quod quidem etiam in hoc exilio partim probare licet, vbi se suprà modum miseris, indignis, immundis peccatoribus ipsam deuote inuocantibus, piam, dulcem, benignam, misericordem exhibet. Heu quanta miseris mortalibus impedimenta & damna pariunt tantæ pietatis & misericordiæ, quæ per Matrem gratię peccatoribus offertur, ignoratio, negligentia & ingratitudo: quantaque è diuerso ex earum lympida contemplatione nasceretur dilectio, deuotio, lætitia & gratia: nimirum solus hoc ille, qui accipit, nouit, quam videlicet dignanter, benignè, dulciter, & amice sese habeat Virgo hæc beata & mundi Domina erga Filij sui, suosq; deuotos amatores, pœnitentesq; & humiles peccatores. Quicunque igitur vitæ probationem ingressus es, age accede per deuotam mentis contemplationem gloriosissimam Virginem Mariam Matrem Dei: Quia per ipsam, (vt inquit quidam) & in ipsa & cum ipsa, & ad ipsa habet mundus & habiturus est omne bonum, puta benedictum Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui est omne bonum, & summum bonum, sine quo nihil est bonum. Inuenta itaque Virgine Maria, inuenitur omne bonum. Ipsa namque diligentes se diligit: imò sibi seruientibus seruit. Ipsa donis & charismatibus satis abundè ditat & extruit seruos suos, vt benedicti Filij sui, & Spiritus sancti digna fiant habitatio. Ipsa preces & sacrificia seruorum suorum, maximè quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu diuinæ maiestatis: cum sit Aduocata nostra apud Filium, vti hic apud Patrem, imò apud Patrem & Filium, & Spiritum sanctum procurat negotia & petitiones nostras. Et sæpe quos iustitia Filij iure damnare poterat, Matris misericordia liberantur: quemadmodum thesaurus ipsa est Domini, & thesaurus gratiarum ipsius. Sed & donis spiritalibus copiosissimè ditat seruientes sibi, eosdemqúe potentissimè protegit à triplici aduersario, puta mundo, carne, diabolo: quia salus nostra in manu illius est. Post Filium suum Domina est vniuersæ creaturæ, & in futuro seculo gloriosos efficiet sibi famulantes, quotquot eam modo honorauerint. Eapropter, iuxta consilium cuiusdam deuotissimi cultoris illius, Mariam semper cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragiũ, non deseras conuersationis exemplum. Cæteri enim Sancti, iure quodam patrocinij, sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia altissimi, quàm alienis. Beatissima verò Domina nostra semper Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona & Aduocata: & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat, & trahit radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem deuotionem, consolationis suauitate: præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ. Atque ita non est, *qui se abscundat à calore*, id est, charitate illius. Psal. 18.

SSSSS 2 *Ange-*

Angelorum sanctorum dignitas quanta: eorum erga nos quàm officiosus famulatus, quaq; nos charitate dignentur, & quàm perniciosè ad tam sublimes creaturas attendendas plerique cæcutiant.

CAECITAS V. CAPVT XII.

I. Angelorum dignitas. QVINTA cæcitas est ignoratio tum dignitatis, tum obsequij & dilectionis erga nos sanctorum Angelorum. Principio quidem de dignitate id est certissimum, mirum in modum splendidos, speciosos, nobiles, gloriosos, atq; dignos ab altissimo, æterno, immenso totius nobilitatis fonte Deo, ad imaginem & similitudinem [illegible] summæ adorandæq; Trinitatis, (vti & de animabus hominum ante dictum est, quibus hæc cum Angelis imago communis est) excellenter præclarissimeque esse creatos: atque hanc *imaginem* in Lucifero dæmonibusq; & hominibus per peccata deformatam, integram eos inuiolatamq; seruâsse. Et ideo dignitatem, quam animæ sanctæ ex vnione diuinitatis cum humanitate in Domino nostro Iesu Christo, præ Angelis maiorem habent, hanc Angeli præ hominibus, ex sua innocencia & inconcussa stabilitate splendidiorem obtinent: quorum certè præcelsa naturæ dignitas & præstantia, omni humano intellectu multis modis superior est.

Gen 1.

II. Custodia Angelorum. Secundò vide, obsecro, ô homo rationis particeps, vt hi præclarissimi filij & amici Dei, dignissimiq; cælestis palatij Principes, ex immodica prorsusq; stupenda tum Dei tum sua charitate, tibi ad seruiendum subiecti sunt, teq; tanto studio, cura & prouidentia custodiunt, seseq; tibi impendunt, vt nulla mens id plenè capiat, neq; vlla vnquam mater erga vnicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumq; ita vigilauerit, vti hi beatissimi Spiritus tuæ inuigilant saluti. Idq; præcipuè Angelus proprius, tuæ speciatim custodiæ deputatus à Deo, nocte ac die, omni loco & tempore, in cunctis causis & necessitatibus tuis, contra tentationes omnes & insidias hostium tuorum visibilium, & maximè inuisibilium, tanta cum fidelitate assiduitateq; circa te exequitur, vt ne ad momentum quidem vnquam à te recedat, imò nec deserere te possit, aut suos à te oculos auertere. Ita nimirum impendio tibi necessarium est, cùm in medio verseris innumerabilium hostium tuorum, quos nec videre queas, qui absque fœdere, odio acerrimo te persequuntur, adeo vt nec ad punctum temporis ab illorum furore in hac durares vita, nisi eos arceret Angelus tuus. Aperi eapropter oculos tuos, & grata mente expende, quàm inæstimabili charitate cælestis Pater tuus pro te solicitus est, quantoq; te honore tam extremum vermiculum dignatus est, vt te tam fidelibus & dignis amicis suis, qui summa cura & diligentia tibi famulantur, commendaret *in omnibus vijs tuis* custodiendum. *Sunt* enim omnes *administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Psal 90. Hebr. 1.

III. Dilectio Angelorum. Tertiò id pro certo habeas atque indubitato, quòd dilectio Angelorum ad homines, & Angeli tui proprij erga te, tam incomprehensibiliter magna, feruens, intensa est, vt omnem humanam longè vincat dilectionem: nec vnquam vlla, quamuis indulgentissima, mater tantum erga vnicum suum gessit amorem, quantum erga te habet Angelus tuus proprius. Cum enim cælestes illi

beati-

beatique Spiritus clarè videant & cognoscant, quam immenso, admirabili, ardentissimoque amore & tuus & ipsorum te Dominus prosequatur, hinc etiam & ipsi tanto te amore complectuntur & dignatione, vt à nullo id dignè queat exprimi. Hac que de causa amicissimè, dulcissimè, ac fidelissimè seruit tibi Angelus tuus, omni in loco, tempore, causa & periculo, nocte ac die tui moderationi, gubernationi, protectionique inuigilans, & tecum de loco ad locum proficiscens, nec deserens te vnquam vel ad momentum. Hinc tibi semper optima, tutissima, & felicissima quæque suadet & inspirat, tuis profectibus & bonis studijs mirum in modum gratulatur, vitijs verò & incommodis vehementer affligitur, quæcunque tibi salutaria sunt in isto futuroque seculo, summo cum desiderio tibi cupit, precatur, exoptat, orationes tuas bonaque opera Deo offert, & denique pro salute tua fidissimus perpetuusque apud Deum precator assistit. Omni igitur mentis cæcitate discussa, profligataque ingratitudine, interiores aperito oculos, tantaque erga te diuini documenta amoris animo bene grato reuolue, necnon omni in loco & tempore, noctuque diuque, stans atque sedens, ambulans & iacens, Deo & Angelis eius reuerentiam exhibe, a cunctisque vitijs & peccatis, quibus eorum possis oculos offendere, diligenter abstineto. O si hæc tria iam dicta rectè videres, iustoque iudicio perpenderes: nimirum perquàm solicitè, religiosè, verecũdè, sobriè, castè, deuotè, amabiliter & perfectè semper & vbique, vt dignum est, te gereres, multoque studio absque intermissione bene gratus esse, satisque complacere adniteteris tam gloriosis beatisque Spiritibus, & maximè Angelo custodi tuo, in omni opere, causa & conuersatione tua. Multa quoque cum alacritate ad sacra festinares loca, vtpote in quibus cum Domino suo ac nostro Iesu Christo, eiusque Sacramentis frequentes admodum, grandique numero præsentes semper haud dubiè inueniuntur. Certè quàm ægrè permitteres diuelli te à tam præclara, dulci & amabili societate Angelorum, in sacris locis præsentium, etiam si Dominus & Rex ipse Angelorum in suo Sacramento præsens non adesset. O quam cæci, insensibiles, & ingrati sunt omnes, quantumuis etiam religiosi in exercitijs suis videri velint, qui talibus in locis non solum absque deuotione, gaudio & amore, sed etiam cum tædio & acedia præsentes adsunt. Quorum tamẽ numerus, excęcante corda miserorum diabolo, plerisque in locis (proh pudor atque dolor) tam ingens est, vt neque describi, neque deplorari satis queat. Mirũ certè est, modò ad cæcorum illorum gregem non pertineas, ista te scientem atque videntem, vnquam contristari, angi, desperare & vel pusillanimem fieri, vel ab acedia superari posse.

Amici Dei vt sese habuerint in suis operibus, & ad tempus, & ad æternitatem.

CAECITAS VI. CAPVT XIII.

Sexta dehinc cæcitas est, non videre te, neque animaduertere, vt electi Dei amici sese habuerint ad opera, ad tempus, ad æternitatem. Et primò quidem, I.
quod ad opera attinet, summo cum conatu & diligentia absque cessatione in Sanctorũ opera.
hoc incubuerunt, vt nedum dilectissimum Dominum suum vllo corporis & animæ sensuumque & virium motu, aut quacunque occasione vel culpa, leui vel graui, mortali aut veniali non offenderent, & ignominia afficerent, sed etiam vt ipsi Creatori, Redemptori & amatori suo, tota intentione, desiderio ac deuo-

tione cunctis animæ & corporis sensibus viribusque, totaque vita & actione sua, supremo modo, quo quidem foret homini possibile, placerent, obedirent & famularentur. Quin & supra quam humana ferret infirmitas, totos sese pro Dei amore hominumq; salute *impendere & superimpendere* peroptabant. Hic iam age 2.Cor.12. intuere non oscitanter, quàm tepidus, quàm ignauus sis ad imitandum sanctos Patres tuos, & alios Dei amicos, etiam in communibus virtutibus & actibus bonis, quæ vtique sine periculo exercere posses, modò velles: sed in generali, proh dolor, cæcitate & infirmitate permanes, quæ certè detinet plurimos, & ne progrediantur vlterius, non parum impedit ac remoratur. Hinc verò dolebis quandoque acriter, vbi videris paruo te labore modicaque patientia bona inæstimabilia æternaque præmia breui tempore comporare potuisse, neglexisse iam miserè.

II. Fructuosa temporis expensio. Secundò tempus suum amici Dei tanquam prudentes virgines summa vigilantia obseruârunt, vtpote illis ad merita cumulanda, vitâque rectius perfectiusq; instituendam indultum à Deo, soliciti ne quod tempus absque fructu dilaberetur. Matt. 25. Nouerant enim sese in illo exactissimo pauendoq; summi Iudicis examine, non solum de omni verbo otioso, sed etiam de quolibet momento temporis Matt. 12 rationem reddituros, posseq; se momentis singulis bona ineffabilia lucrari æternaliter, vel eorum etiam iacturam facere, nec posse denique amissum vnquam reuocari tempus. Potissimum verò id eos mouebat, ne fidelissimo amatori suo, qui nullo non tempore maxima eis beneficia donaq; charismatum impenderet, displicere aut ingratos inueniri contingeret: sed vicem qualemcunque illius redderent charitati, ne gratiam eius vel negligerent, vel amitterent etiam. Heu quam multi occæcati homines pretiosissimum tempus sibi indultum, cum gratia Dei miserabiliter perdunt, & sanctorum calcare vestigia Patrum abnuunt, ne dicam contemnunt, quod eos postea vehementer excruciabit. Id igitur attendas velim, totum hoc tempus, quo hic Deo seruiturus es, etiam si mille viuas annos, cum æternitate collatum, non tantum æstimari posse, quantum est ictus oculi ad mille annorum spatia: momentisq; singulis, quanuis breuibus, bona perennia vel lucrari te posse, vel amittere. Sitq; hoc tibi fixum atque statutum, vt ne punctum quidem temporis præterire sinas, quod in deuota diuini beneplaciti & obsequij executione non expendas, dum illud tibi conceditur: quod nimirum opinione tua celerius finietur.

III. Anhelati ad patriã & gloriam Sanctorum. Tertiò pro æterna capessenda beatitudine, Sancti & illuminati Dei amici, toto corde, omniq; animi contentione laborauerunt, eo quòd ad hanc possidendã fruendamq; scirent se creatos à Deo, *qui vult omnes homines saluos fieri*: maximèq; 1.Tim.2. ea de causa ab hoc exilio & carcere educi petebant, vt voluntatem Dei in patria illa cælesti in amando, laudando, conspiciendoq; Deo, diligendoque proximo perspicatius cognoscere, & perfectius, quàm hic fieri queat, implere possent. Hic Isaiæ 52. iam expergiscere à somno torporis, excutere de puluere & affectu omnium labẽtium rerum, de omnique cæcitate diabolica, & disce exemplo amicorum Dei, feruenti desiderio, flagrantiq; animo diu noctuque adspirare ad claram cõtuitionem, synceram dilectionem Dei, Virginis intemeratæ Dominæ nostræ, & omnium electorum Dei fidissimorum amicorum tuorum in patria, qui ardentissimo cum amore & desiderio salutis tuæ, versis ad te oculis, agonem tuum contra hostes contemplantur, fœlicem tuum expectant exitum, teque suis precibus apud

Deum

Deum fidelissimè adituant. Ad hos, inquam absque intermissione clama & suspira è medio hostium tuorum, maximè inuisibilium, qui cum sint crudelissimi, non cessant vexare te, & incumbere tota animi intentione nocte ac die in perditionem tui. Nec velis sequi infinitam tepidorum hominum multitudinem, qui externis, fluxis, friuolis rebus inhærentes, nullo desiderio tenentur æternorum. Cæterum de gloria & beatitudine electorum si vel infinita scribantur volumina, nunquam tamen satis eam explicare poterunt. *Neque enim vel oculus vidit, vel auris audiuit vel in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus diligentibus se.* Facilius vastissimam terræ molem palmo comprehendas, totumque mare angusto includas vasculo, & celerrimum firmamenti motum retineas, quàm vel minimū capias gaudium beatorum, quemadmodum eo nunc in supernæ vitę gloria perfruuntur. Isaiæ. 64. 1. Cor.

De malignorum spirituum erga homines odio implacabili, astutia subtili, & persecutione tentationeque perpetua.

CAECITAS VII. CAPVT XIV.

QVantum etiam periculi ac damni hominibus adferat ignorantia, acerbissimi odij, subtilissimæ fraudis, & incessabilis persecutionis aduersum nos malignorum spirituum, operępretium fuerit paucis explicare. Et primò quidem id animaduertendum venit, quòd licet miro & incomprehensibili odio in commune aduersus omne hominum ferantur genus, speciali tamen liuore insaniunt contra electos Dei amicos, qui illis resistunt, quesq; timent loca ea, vnde ipsi extrusi sunt, occupaturos: idque adeo, vt etiam si iam certum exploratumque haberent, eiusmodi sese homines decipere non posse, ex obstinato tamen odio ab eorum vexatione nihilo magis abstinerēt, quin & perturbare eos, & etiam sub tæ neci tradere non omitterent, si à Deo & bonis Angelis non prohiberentur. Et licet certissimè sciant, ex huiusmodi suo odio & damnandorum numerositate, æterna sua tormenta magis ac magis augeri, nihilo minus tamen ex obstinata sua malitia, quamlibet inde grauia sese tum periculatum damna sustinere persentiant, ab hominum infestatione sibi temperare non possunt, adeo vt etiam puellos intra materna inclusos viscera perdere appetant, si tantum id ipsis permitteretur. Enimuerò tetris illis spiritibus superbia quædam inest, & phantasia proterua, amens furor & inuidia, & concupiscentia irrationabilis, tametsi naturalia in ipsis permanserint integra, puta subtilitas intellectus, fortitudo & similia. Quapropter contra tales hostes, tibi tuique similibus, quam cæteris hominibus, infensiores, mentis aperito oculos, & esto vigil, Deoque preces funde humiles & deuotas, & pro donis illius immensaque charitate gratias age, & gratiam illius custodi, vt per se & sanctos Angelos suos, ab eorum te insidijs seruare dignetur. I. Malignorum spirit. & ad nos odium.

Secundò, quod ad eorum subtilitatem attinet, sciendum est, ab initio apostasiæ suæ nihil eos aliud vel didicisse, vel exercitasse, quam homines fallere, occæcare, perdere, Deoq; gloriæ aduersari: Naturalem item ingenij subtilitatem, incessabilemq; humanæ perditionis sitim adeo eis suffragari, vt nulla sit fraus, dolus, nequitia, vitium siue peccatum, quæ ipsorum experiētiam effugere quāt, per quæ etiam Sanctos & sublimis quoquā vitæ homines vincere, aut subuertere II. Astutia dæmonum ad homines.

pota-

potuerunt: nimirum cùm tanta sit illorum tum naturalis, tum multa industria, longoq́ experimento parta subtilitas, calliditasque, vt nullus eam humanus capiat intellectus. Ex eaq́ cuiuslibet hominis complexionem & naturalem propensionem solerter attendunt, explorant, obseruant, atque hanc ipsam vnà cum carnis fragilitate & pronitate ad malum, & seculi blanditijs & occasionibus ad expugnandam arcem animæ assumunt: sicq́ mille laqueos & pericula omni in loco, tempore studio, causa & opere miserijs tendunt mortalibus, totq́ insidias præparant, vt id sibi habeant omnino persuasum, neminem, quantumuis sanctum & illuminatum, eas omnes posse euadere. Sed & singulariter Dei amicis & spiritalibus hominibus tam subtiles, eosdemq́ innumeros expandunt laqueos, non in apertis modò vitijs, sed in illis etiam, quæ speciem quandam virtutis præ se ferunt, vt non putent aliquem illorum eos posse subterfugere. Nam & diuo teste Augustino, continuè inter laqueos versamur. Hinc age perpende, obsecro, quam periculosum, exitiale atque damnabile tibi tuiq́ similibus sit inter tam multos feroces, capitales & astutissimos hostes, eorumque laqueos in quadam cęcitate & negligentia absque continua solicitudine & timore ambulare,
Gen. 3. & nō omni tempore totis viribus diuinum auxilium ac gloriosæ Virginis, (quę pestiferum serpentis obtriuit caput) Angelorum quoque & Sanctorum in cælis regnantium implorare suffragia, quum vt tuis eos viribus euadas aut superes, prorsus impossibile sit.

III. Tentatione. Tertiò, de incessabili eorum persecutione studioq́ perdendi, id certum habeas, tanta illos tamq́ indefessa vigilantia, tanto studio, labore, conatu in nostri perditionem incumbere: vt nulla, quanuis ardua & seria hominum studia, illis valeant vlla ex parte comparari: quandoquidem nunquam cessant, nunquam dormiunt, nihil ferè exercent, quàm occæcare, fallere, in perditionem rapere homines: quos nimirum omnes, quanlibet sanctos, confidunt in vita aut saltem in morte serè lucraturos, adeo vt etiam ipsum Dominum Iesum Christum in morte aggressi sint rapere & deuorare. Vnde & mirum satis est, homines ista ex Scripturis abundè edoctos, non magis solicitè, vigilanter & virtuosè ingredi, proq́ gratia Dei indefessis non obsecrare & laborare viribus inter tot hostium fraudes, laqueos & dolos, quos equidem neminem puto facilius posse vincere, quam qui ex imo cordis in vera humilitate fundatus, ac per simplicem obediē-
Psal. 22. tiam voluntati Dei intus & superiorum suorum foris promptè, perfectè, humiliterq́ subditus est, ita vt ex sententia dicere possit: *Dominus* per se suosq́ vicarios *regit me*, non ego meipsum rego: itaque *nihil mihi deerit*.

Reproborum hominum vita, quàm misera, mors quam extimescenda & horribilis, quamque eorum damnatio erit certa, impatibilis & interminabilis.

CAECITAS VIII. CAPVT XV.

VErum cum plurimos circa ante dicta, vt & superius à nobis dictum est, cæcutire, salutemq́ suam miserè negligere contingat, congruo satis ordine paucis iam nobis explicandum venit, quæ sit miseria hominum in peccatis viuentium, & absq́ vitæ in melius commutatione discedentium ex hac luce,

luce. Est igitur octaua cæcitas, ignoratio miseræ vitę, anxiæ & infelicis mortis, terribilisquè damnationis impiorum.

Principio quidem nihil ambigendum est, quin vita peccatorum etiam in hoc præsenti seculo adeo sit calamitosa, tristis & amara, spinisq; dolorum & afflictionum abundans, vt vel ob hoc solum peccata omnia summo vitare studio, iure meritoq; deberent, si cæci non essent, etiam si in futuro seculo nulla pro peccatis pœna infligeretur. Vt enim valde iucundum est & delectabile electis Dei amicis, in omni se virtute & amabilis voluntatis Dei executione nocte ac die exercere, etiā si nulla eis in beata vita merces restituenda foret, quòd virtus ipsa sufficiens secum pręmium adferat: ita longè amarissimum, odibile & molestum est, in peccatis & extra gratiam Dei viuere: ideoq; tametsi nulla alia sequeretur pœna, vel ob solam vitiorum turpitudinem, fœditatem & amaritudinem, ad mortem vsque eisdem resistere deberent inimici Dei. Cæterum quòd periculosissimum vitę suę statum infelices isti, vereq; miseri ac maledicti peccatores neque vident, neque cognoscunt, id nimirum diabolica in eis fraude agitur, qui tantam eorum mentibus offundit caliginem, vt nec videre nec gustare queant quàm *suauis Dominus* sit: eiusque amor, gratia & voluntas, virtutesq; itidem quāta abundent dulcedine. Hacque de causa ad vanitates & vana sese conferunt, & vani fiunt. Tu vero, fili mi, prudens & bene videns esto, infatigabiliter tete exercendo ac progrediendo in amore Dei, gratia & virtutibus, vigilantiq; cordis & sensuum custodia, ne vnquam incidas in cęcitatem, miseriam & amaritudinem, quam inimici Dei in peccatis satis superque experiuntur.

I. Iniquorū vita amara. Psal 33.

Secundo de tristissima ipsorum morte id habeas pro comperto, miseram huiuscemodi, calamitosam & infelicem, qualem ante diximus, vitam reproborum, iustè similem sequi exitum, si ipsi maledicti Dei inimici sponte scientesque, absque scelerum suorum agnitione, contritione, confessione, & pœnitentia ad vitę finem perueniant. Et tunc eo grauius prementur & angentur vndique, quo sunt visuri perspicacius, quæ antea ob mentis cęcitatem minimè perspixerunt. Tunc iocus omnis abibit in seria, discentique cruciatu suo nunquam finiendo, quę prius à dæmonibus excęcati, de futuris pœnis & gaudijs ex sacris literis eis prædicebantur, sed credere noluerunt. Tunc oculos mentis, quos malè obstruxerat culpa, pœna aperiet: videbuntq; apertissimè, quàm ante cæci fuerint, quam grauiter aberrauerint, deliquerint & offenderint Deum singulis quibusque vitijs & peccatis suis. Animę nanque hinc emigranti interiores deteguntur oculi, perfecteq; patent omnia sua peccata, non expiata per pœnitentiam, idque cum vniuersis eorum circunstantijs ea aggrauantibus, coram summo & æquissimo iudice Deo, qui tunc in vlciscendis plectendisq; vitijs inæstimabiliter iustus, seuerus atque terribilis apparebit: sicut in tempore gratiæ supra omnem modum, pium, mitem, & longanimem se præbuit. Quin & ad doloris cumulum tetri quoque & maligni accedent spiritus, mira cum insultatione animæ desolatæ, quicquid vnquam contra Deum deliquit, obijcientes, idque exaggerantes vehementissimè, sed & plura falso adijcientes, quam anima commiserit, vti sic eam in teterrimæ desperationis profunda demergant. Tum denique euulsa ex corpore anima, ex his iam dictis alijsque pluribus, quæ enarrare longum foret, tot & tantis corripietur angustijs terroribusque, vt si adhuc intra corpus degeret, præ horroris magnitudine contabescens emigraret è corpore. Hinc iam ipse

I. Mors amarior.

vultus & aspectus irati iudicis, coram quo sistetur, tanto eam pauore concutiet, vt interim in succenso clibano, imò in ipso mallet inferno torreri: libensque totum daret mundum, vt vel vna hora liceret redire ad corpus pro agenda poenitentia, & impetranda venia à Deo: sed prorsus illi denegabitur. Heu quàm tristis, quàm acerba eam tunc vastabit intus desperatio, omni iam ablata spe euadendi. Hæc atque similia præmeditando sapias, quæso, & intelligas, prævideasque nouissima tua, nec vnquam huius terribilis horæ obliuiscaris, dum adhuc gratiæ tibi & misericordiæ tempus præsto est certumque habeas in iam dictis terrore, confusione, angustia, alijsque inexplicabilibus pœnis, quibus anima impia post mortem implebitur, in eisdem quoque fore eam in extremo illo iudicio vniuersali coram omnibus electis & reprobis, semperque sine fine permansuram in inferno.

III. *Pœna amatissima.* Tertiò de reproborum condemnatione id certissimum est, quod sicut electorum gaudia sunt æterna & incomprehensibilia: sic ediuerso damnatorum cruciatus erunt omnium longè grauissimi maximeque horribiles, multi quoque & varij, nec vllo vnquam quamuis longissimo tempore finiendi, vt vel adamantina pectora, imò ipsum quoque cælum & terra, ad lachrymas & miserationem erga illos possent adduci, si diuina id iustitia permitteret. Cùm enim aduersus bonum infinitum, quod Deus est, peccauerint, iure quoque diuino malum pœnæ eis debetur infinitum. Cum quod æternam repudiârint dulcedinem, iustè ad æternã deuoluuntur amaritudinem. Et quia diabolo morem gessêre in vitijs, vt etiam eidem in pœnis subditi sint, planè æquissimum est. Sic &, quandoquidem semper, si potuissent, optâssent viuere & perseuerare in peccatis, in eaque volũtate mortui sunt, velint nôlint, semper quoque in pœnis durare cogentur. Sicut ediuerso electi Dei pro voluntate, qua parati erant perpetuo seruire Deo, si semper vixissent, gaudia recipient nunquam finienda. *Purgatorij pœnæ quantæ.* Cùm ergo ignis ille tartareus supra modum actiuus sit, habeatque vim immensam doloris, pœnæ & acerbitatis, cique ignis Purgatorius, quod ad cruciatum attinet, per omnia similis sit, excepto quòd æternus non est: eam ob rem quisquis hunc semel gustâsset, eligeret potius omnes huius mũdi pœnas & dolores perpeti, quam vel breui tempore igni cremari Purgatorio. Quod cùm ita sit, iam nunc aperi, quæso, oculos tuos, dispulsa mentis caligine, atque ita studeas placere Deo, & illi facere satis, dum adhuc tempus gratiæ voluitur, vt vtrunque possis ignem euadere, & esse semper immunis ab vtroque. Quod vt securus obtineas, breuem hanc institutionem non parum profuerit obseruâsse. Attende itaque diligenter ordinem, statum siue vocationem tuam, in quam traditus es, & stude in ea perfectè, immaculatè, irreprehensibiliter viuere, per simplicem & puram obedientiam, perficiendo omnia tam minuta quam magna, quæ ad statum tuum pertinent, sitque tibi constans & perpetua voluntas, fixumque propositum, nihil vnquam contra gratum Dei beneplacitum scienter admittendi, & hoc solum perpetuò feruẽterque desidera, vt acceptissimam Dei voluntatem & intelligere, & semper operi mancipare queas, atque in hoc tota semper mente incumbas, talisque, *dum spiritus hos regit artus*, constantissimè perseueres. Totum enim hoc tempus, quo laboraturus es, vix momenti habet spatium, si conferas ad æternitatem, quæ nunquam terminabitur, vbi pro modico labore, sempiterna, Deo fauente, requie perfrueris.

Dera-

De ratione proximum diligendi: quantæ item nobilitatis, præstantia & decoris sint animæ rationales.

CAECITAS IX. CAPVT XVI.

IAm superius de animæ rationalis præstantia & dignitate dicta sunt vtcunque multa: hic iam iterum, sed diuerso tamen respectu, aliqua eadem de re dicere, cæcitatis huius ratio poscit. Itaque nona cæcitas est, ignorantia dilectionis proximi propter eius animam: ignoratio item generositatis, præstantiæ & pulchritudinis animæ rationalis. Primò hic auerte, obsecro, vt & diuina & Apostolica à nobis mandata tam seriò in vtriusque Testamenti paginis dilectionem proximi exigunt, vt absque ea quicquid à nobis boni geritur, ceu perditum habeatur. Quod vtique non ignorans communis nostræ salutis inimicus diabolus, diuersis modis varijsq; conatibus & tentationibus pro omni virium suarum facultate, in hoc definenter incumbit, vt hanc præclarissimam charitatis virtutem in nobis prorsus extinguat, aut saltem per displicentiam quandam aut amarulentiam inficiat, vel nos in odium, aut rancorem, vel falsum & temerarium de proximo iudicium præcipitet. Quod vt facilius assequatur, oculos mentis malè nobis aperit, vt cito conspiciamus, iudicemus, exaggeremus vitia aliorum: bona verò aut non videamus, aut certè paruipendamus, colligentes instar aranearum venena duntaxat ex illorum dictis atque factis, neglecto interim melle fraternæ charitatis, nostrisque proprijs vitijs neque attentis, neque repurgatis. Quod certè prorsus diabolicum est vitium, ex radice superbiæ oriundum, & ista tempestate in perniciem multorum latissimè propagatum. Contra hunc deterrimum hostem maximè tibi necessaria est gratia Spiritus sancti, quæ oculos malè apertos tibi occludat, ne videas aut seuerius iudices defectus & vitia aliorum, aperiatque eosdem in bonum, vt non nisi bona illorum, tuaque propria mala perspicias. Tum verò tete vilissimum omnium, & indignum quoque quem terra ferat iudicans, fratres tuos non secundum faciem, neque iuxta id quod forinsecus videntur, sed secundum occultum Dei iudicium optimos, quos orbis habeat, homines existimabis, Deoque pro illis immensas gratias ages, sublimiter de eis senties, & te illorum credens consortio prorsus indignum. Sciesque certo certius, quicquid pietatis, dulcedinis charitatis, gaudij & gratulationis erga fratres tuos in te senseris, cuius Deus finis fit, id omne esse à Spiritu sancto: sicut ediuerso rancor, odium, amarulentia, ira, auersio, displicentia, contemptus, omneque temerarium iudicium, è maligno spiritu trahit originem. Et licet interdum alios te corripere vel castigare oporteat, in animo tamen dulcedinem, charitatem & sublimem de eis existimationem concussam retinebis, tametsi quibusdam ad tempus videantur subiacere defectibus quod & multis sanctis vsuuenisse constat, quandoquidem potens est Deus statuere eos. Ne ergo teipsum displicentia, indignatione & ira diabolica diutius occęcari, fructuque dulcissimo & gaudio ac pace fraternæ charitatis defraudari patiaris ob multas aliorum culpas & imperfectiones, cum *in multis* quotidie offendamus *omnes*. Quin potius toto corde hanc exerce charitatem, primò quidem erga fratres tuos tecum vocatos, deinde ad alios aliqua tibi ratione vel necessitudine coniunctos, & tertio ad omne hominum genus. Nec velis teipsum per displicentiam & amaritudinem tuam dulcis-

I. Dilectio proximi quam necessaria.

Inuidentia fraternæ gratiæ.

Iacob. 3.

ſimis charitatis priuare fructibus, cum certus ſis nihil te inde habiturum lucri, niſi triſtitiam tantùm & tuijpſius inutilem, imò & perniciosam deuaſtationem, atque ad extremum tormenta perpetuis duratura temporibus. Semel ergo perſuade tibi, neminem lædi niſi à ſeipſo, & velis nôlis, caſurum te *in foueam, quam* ipſa feceris. *Qua enim menſura* menſus fueris fratri tuo vel ſuperiori, *eadem remetietur tibi* iuſtus iudex.

Psal. 7. Matt. 7.

II. Animarū nobilitas.

Cæterum ad hanc obtinendam charitatem non parum conducit, ſecundò hîc ordine diligenter contemplari nobilitatem, dignitatem, amabilitatem animæ cuiuslibet hominis à Deo altiſſimo, artificè præclariſſimo, creatæ, (ſicut iam ſuperius in prima cæcitate dictum eſt) & non creatæ ſimpliciter, ſed etiam ad imaginem & ſimilitudinem tanti Regis, cum vniuerſis viribus ſuis mirum in modū decoratæ, doniſq; & chariſmatibus multis, tibi ignotis, ornatæ mirificè. Quod vt clarius videas, conſidera quanta Deus animabus beneficia præſtiterit, quanti eas æſtimarit, quanta pro eis fecerit & paſſus ſit, (vti ſuperius in ſecunda & tertia cæcitate ex innumeris pauca annotauimus) quanta etiam amoris ſui indicia illis exhibuerit, in omneque ſit æuum exhibiturus: ex quibus omnibus & ſingulis facile perpendere poteris, quanta Deus erga animas ſingulas pro earum pulchritudine teneatur charitate, deſiderio & fauore, ſupra omnes alias creaturas: ex quibus & hoc aduertere licet, quā denſa hactenus cæcitate erga omnes & ſingulas animas laborâris, quæ reuera maior fuit, quàm poſſis ipſe credere. Cùm ergo imagines deuotæ, ab hominibus exſculptæ vel depictæ, magnam ſæpe intuentibus deuotionis & compunctionis ſubminiſtrent materiam, cur non potius viuæ illud tibi ſplendidaq; præſtent imagines, puta animæ à ſuo artifice Deo creatæ? Aperi ergo oculos, cęcitate diabolica, omnique amaritudine & diſplicentia profligata, videasq; diligenter, non modò vti Chriſtus Dei Filius erga quanlibet tui ſimilium fratrum tuorum vel ſororum animam ſe habuerit, ſed etiam vt illuminati vereque ſapiētes Dei amici, magno amore, gaudio, deuotione affecti fuerint in præſentia tam nobilium, immortalium, pulcherrimarum, amabiliumque animarum à Deo conditarum: eiuſdemque pretioſiſſimo ſanguine redemptarum, ita vt earum amore totos ſeſe libenter impenderent vſque ad mortem, & omnes res corporeas imaginesq;, quæ ſub cęlo diligi poſſent, earum comparatione pro nihilo ducerent, vel traderent obliuioni. Hos igitur Dei ſectare amicos, vt & ipſe ſapiens fias, nec poſthac excæcari te ſinas, paceque & gaudio ac fructū priuari, quæ percipere poteris in contemplatione viuentium Dei imaginum iam antedictarum.

III. Pretioſitas.

Tertiò de illarum præſtantia id ſcias, quòd niſi animę inæſtimabiliter mirabiliterq; pretioſæ eſſent & charę coram ſummo Deo Patre, haud quaquam is Filium ſuum vnigenitum illarum amore tradidiſſet in mortem, nec idem Dei Filius immaniſſimos cruciatus cum acerbiſſima morti ſuſtinuiſſet illas redimendi gratia. Enimuerò pro vna ſaluanda anima plura fecit, quàm pro cęteris creaturis omnibus, quas produxit gratuita bonitate ſua: malletque omnia, quę in terris ſunt, creata, quàm vnam ſaltem perire animam. Eapropter illuminati Dei amici, ſummo & infatigabili ſtudio, omnique animi contentione in hanc incubuêre curam, vt hunc theſaurum pretioſiſſimum Deo lucrarentur, congregarent, conſeruarentque: ita vt ſatiari non potuerint reducendis conuertendiſque peccatoribus ex captiuitate diabolica ad vitam pœnitentiæ

nitentiæ deditam, sanctam, Deoqúe placentem, vti hoc ex eorum vitis seu gestis euidenter colligere licet. Heu quàm graui cæcitate premuntur, captiq; tenentur plerique hoc infelicissimo seculo, qui pro hoc pretioso thesauro animarum, quas Deo acquirere, multoq; in numero colligere & deberent & facile possent, neruis omnibus, pecunijs, agris, prædijs, ædificijs cumulandis inhiant, non audentes sese Deo credere & resignare, quasi is deserere possit fideles seruos suos in necessitate constitutos in quo etiam sua priuata sectantur commoda, abundantius fortassis, quàm in seculo habuissent. Tu contra, fili mi, dilige, quæso, lucra animarum, *zelo zelando pro Domino Deo exercituum*: proq; illarum reductione, exemplo Christi & Sanctorum, nullis parce laboribus. Quod si nil aliud potes, saltem indesinenter pro illis ingemisce, precare, clamato ad Dominum, plorans & lugens peccata & pericula animarum, nocte ac die pereuntium. 3 Reg. 19.

IV. Pulchritudo. Quartò, quod ad animarum spectat pulchritudinem, de ea iam superius in earum creatione nonnihil dictum est. Certè cùm ea in nobis per peccatum, proh dolor, vitiata sit & deformata, idcirco illuminati Dei amici totis id agebant viribus, vt pristinam in se pulchritudinem (qua nihil Deo charius est) & in alijs itidem hominibus repararent, seruarentq; inuiolatam, nec non continuè excolerent & augerent per Sacramenta Ecclesiæ, per virtutes & charismata, per opera bona, exercitationesq; spiritales. Porrò amici seculi huius, reuera excæcati à diabolo, tanquam fatuæ virgines, animarum suarum internum decorem non vident, neque per pœnitentiam intra se reficere student, neque pro viribus eam tuentur, sed ad exteriora commoda solatiaq; dilapsi, per creaturas mente discurrunt, satisque externis quibusdam curiosis ornamentis delectantur, cùm tamen *omnis gloria filiæ regis* intrinsecus (teste Sacra Scriptura) posita sit. Ideoq; omnis eiusce modi ornatus, etiam circa diuina, si immoderatius adhibeatur siue quæratur, non minimum interno animæ splendori officit, quem Sancti tam studiosè sectabantur, vt extrinsecus non nisi simplicissima paucaq; admitterẽt, vitæ vsui necessaria: cætera potius in pauperum ac rationalium imaginum consolationem conuersionemq; erogarent. Denique hunc ornatum internum quilibet in seipso & proximo, Prælati verò maximè in subditis suis nocte ac die infatigabiliter quærere & augere, seruare atque tueri adstricti sunt, idq; orando, admonendo, verbis & exemplis, obsecrando, increpando, *opportunè & importunè* insistendo, nihilqúe omittendo, quod ad eam rem conducere videatur. Sed heu, proh dolor, hac frigidissima tempestate Prælati quidam adeo cæci & muti sunt, non quidem absque culpa sua & subditorum suorum, (qui in suis vitijs, cupiditatibus, & propria voluntate perseuerantes, monita salutis ægrè audiunt, neque illis simpliciter volunt morem gerere) vt vno cæco alteri se ducem præbente, ambo in foueam prolabantur. Cæterùm si Prælati & subditi omnes, iuxta suam quisque vocationem, toto se corde emendare vellent, *non* esset certè etiam nunc *abbreuiata manus Domini*, vt iuxta dies antiquos saluare & operari non possit. Sed iniquitates nostræ *diuiserunt inter Deum* & animas nostras, quæ si tollantur è medio, licebit vtique respirare in lucem miserationum tuarum Domine. Matt. 25. Psal. 44. 2. Tim. 4. Matth. 23. Luc. 6.

Subditorum ad Prælatos suos Dei vicarios certitudo, securitas & iucunditas cuiusmodi esse debeat: quamq́; necessarius sit cuiq́; ad Christiformium adspiranti virtutum perfectionem dux aliquis & moderator.

CAECITAS X. CAPVT XVII.

I. Subditorum erga Prælatos certitudo. DECIMA cæcitas est, ignorantia certitudinis, securitatis, & iucunditatis subditorum erga suos superiores. Principio hîc noueris, tam grandi studio, infatigabili labore, continua industria niti diabolum, vt te in displicentiam, auersionem, temerarium iudicium, contemptum & detractionem contra superiores tuos inducat, præcipitetq́ue per diuersas causas & occasiones, suspicionesq́ue siue veras, siue falsas, interim etiam sub specie iusti zeli & virtutis, vt parum curet, si te cæteris quibuslibet tentationibus occæcare aut vincere non possit, modò hac vltima omnium periculosissima, à superiorum tuorum te obedientia, amore, & reuerentia queat abducere: certus nimirum, nullum tibi prodesse consilium apud Deum, diuinæq́; tibi gratiæ præcludi influxum, quandiu isthæc perseuerat auersio, vti nec membro corporis vlla potest inesse virtus, si influxum & motum à suo capite non percipiat. Sicut enim illi, qui obseruant & in honore habent spiritales suos patres vel superiores propter Deum, cuius vicem gerunt, quantumuis malæ vitæ sint, benedictionem, gratiam & cōsolationem recipiunt: ita qui eos contemnunt, maledictione, afflictione, amaritudine & in isto & in futuro abundant seculo. Contra hanc longe perniciosissimam pestem necessaria tibi est multa gratia Spiritus sancti, quæ te perspicuè videre faciat, certoq́; tibi persuadeat, Deum sua æterna sapientia & bonitate superiores istos tuos, in eo, quem aggressus es, statu tibi prædestinâsse ac prouidisse, per eosdemq́ue, non alios, suam tibi gratiam præstare, teq́; seruare constituisse. Vnde si te eis propter Deum in humili simplicitate, simpliciq́; obedientia, in omnibus absque exceptione submiseris, & longanimi patientia iugum ipsorum, quamuis fortè molestum, tibi impositum, ad mortem vsque exemplo Christi pertuleris: omnes Satanæ laqueos & tentationes, cunctaq́; pericula & tristitias subtiliter euades, infinitaq́; tibi cælestium charismatum & meritorum acquires bona: insuper non tibi solùm, sed etiam Prælatis tuis, imò & toti Ecclesiæ magnum apud Deum fructum produces. Sed & Deus per superiorem tuum loquetur, dirigetq́; te iuxta voluntatem suam, si simplici intentione Deum quæsieris, ita quod ad extremum errare non poteris vel seduci, sed *omnia tibi cooperabuntur in bonum*, etiam si Prælatus tuus ipso quoque Caipha homine sceleratissimo, per quem tamen Deus locutus est voluntatem suam, peior & iniquior foret. Vt enim sanctitas illius, si dignus non fueris, parum tibi conferet: ita nec eius malitia obesse tibi poterit, si ipse bonus fueris, & eius te peccatis non admiscueris. Sicq́; fidenter dices: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Huc non parum facit, vt non modò secundum externam speciem, sed iuxta occultum Dei iudicium, simplici corde superiores tuos præ cunctis tibi credas mundi hominibus vtiliores, meliores, digniores q́ue, amesq́; & honores, timeas & defendas eos, quemadmodum innocentes pueri suos naturales parentes, quantumuis alioqui malos, meliores credunt, & ex natura tuentur: quod & tu facias ex gratia. Et

Rom. 8. Ioan. 11. Psal. 22.

tia. Et quomodo duo illi benedicti filij Noæ, retro incedentes operuerunt verenda patris sui, nec ea adspicere voluerunt, ita nec tu, etiam reclamante naturæ sensu, audire, videre, vel credere velis mali quippiam de Prælatis tuis: quin potius omni eos virtute & gratia aut iam infusâ, aut olim infundenda abũdare confidas. Atque hinc nullius hominis præsentia vel amor tanta te lætitia, fauore, gratulatione perfundet, quàm superiorum tuorum, vicariorum Christi. Hei quàm tristem, calamitosam, amaram, infelicem vitam agunt, periculosamq́ue mortem experientur, qui à capitibus suis sese abiungentes, seipsos regunt, proprio iudicio, sensui & voluntati penè in omnibus innitentes, immortificati, passionibus subditi, & irresignati, seipsos potius quàm Deum purè quærentes. Hos nimirum diabolus, non Dominus regit: multumq́; eis deerit & hîc, & in futuro. Gen. 9.

Secundò de securitate scias, quòd cum te totum, vt dictum est, simpliciter resignâris & abnegaueris propter Deum, regiq́; permiseris à Deo per ipsius organum, hominem videlicet, quem loco sui ab æterno ad hoc elegit applicuitque, tunc certè multa cum pace, lætitia, & securitate bonæ conscientiæ vitam transiges, itidemq́; mortem cunctis terribilem, vbi venerit, lætus subibis. Nulla enim transactæ vitæ ratio poscetur à subdito obtemperante, sed tota illius cura de manu iubentis exigetur: nec aliud illi incumbet coram æquissimo iudice vel agendum vel patiendum, nisi hoc tantum, vt mercedem recipiat pro simplici obedientia, ex qua cuncta illius opera peracta sunt, cui vtique non pœna, sed corona perpetua diuino iure debetur: ideoq́ue securè euadit omnia tam inferni tormenta, quàm pœnas Purgatorij. O quàm ineffabilis hîc latet gratia, quam, singulos motus, verba & opera nostra ex virtute sanctæ obedientiæ iuxta voluntatem Dei superiorumq́ue nostrorum perficiendo, obtinere possemus apud Deum & homines. Quocunque enim modo nos gesserimus erga Deum, eiusq́; vicarios & proximos, eodem remetietur nobis Deus iusto iudicio, reddetq́; æqualia & hîc & in futuro. II. Securitas. Luc. 6.

Tertiò, iucunditate magna frui licebit, si attendas quòd non modò liberè alloqui, consulere, inuocare queas in precibus tuis benignissimum Creatorem ac Redemptorem tuum, verùm etiam ipsum tibi verè præsentem, loquentem, respondentem, & præcipientem audire ex ore vicarij ipsius Prælati tui, sicut ipse ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Non ergo putes: ipsum vicarium nomine & ex persona Domini sui absentis loqui ad te, sed ipse Dominus re vera præsens, per organum viuæ vocis vicarij sui, per seipsum loquitur tibi voluntatem suam, idq́; in omnibus, quæ non directè contra Deum militãt, quæq́; fieri possunt absque peccato. Attamen quia oris nostri organo triplex spiritus vti potest, videlicet diuinus, noster proprius, & spiritus malignus, cùm id ei permittitur, si Prælatus tuus etiam præcepto ad peccandum te cogeret, vel manibus palpare posses ipsum non præcipere ex Spiritu Dei, nec fas esse tibi, hac illi in parte morem gerere. Cæterùm in quibuscunque alijs causis, quoties voles, alloqui & audire poteris Deum in vicario ipsius, qui siue præcipiat, siue vetet, arguat, consoletur, doceat, præmoneat, aut quippiam consulat ex parte Dei, id haud secus quàm ab ipso ore & spiritu Dei accipere debebis, qui ea vice ad hoc superiorem tuum illuminauit mouitq́ue pro salute tua. Iam verò quid amplius petere possis à dilecto Deo tuo, aut quid is amplius tibi III. Iucunditas. Luc. 10.

facere

pridem renuntiârunt) in quibus etiam multis annis miserabiliter perseuerant, aut etiam moriuntur captiui, vix meipsum capio præ stupore, dolens tam immensam nobilium iacturam animarum, quæ æternis & ineffabilibus diuitijs sibi præparatis seme ipsas miserè defraudant: & pro vili ac momentanea delectatione, horrenda sibi tormenta lucrantur, vti facile tum sacris literis, tum Catholicorum Patrum scriptis comprobarem, nisi breuitati studens, pauca hęc simplicibus simpliciter tradenda potius ducerem.

Scripsimus alibi nonnulla huc spectantia, quæ breuiter hîc nobis repetenda sunt, de septem displicentijs, quibus hostis malignus bonam piorum hominum partem abducit in perditionem, puta per eam, quam illis ingerit, displicentiam & auersionem. Primò quidem contra Ordinem Religiosum vel statum melioris vitæ, quem pro salute animæ suæ assumere statuerunt. Secundò, contra statum ipsum iam assumptum. Tertiò, contra situm dispositionemq; loci. Quartò, contra obedientiam seu officium eis iniunctum. Quintò, contra fratres & vicinos, quibuscum viuunt. Sextò, aduersum suos superiores. Septimò tandem, contra ipsum Deum sublimem & benedictum, (quod dictu quoque nefas sit) eiusq; mandata & iudicia, quæ licet plerunque occulta sint, semper tamen vera sunt. Hæ verò displicentiæ tanquam fontes quidam pestiferi, cum innumeris tentationum, suspicionum, amaritudinum, iudiciorum, auersionum, detractionum, odiorum, aliorumq; vitiorum riuulis ex ipsis manantibus, ab hoste maligno pijs mentibus, interdum etiam sub zeli boni specie, fallaciter instillare, quàm grauia damna, fructusq; peccatorum quàm noxios pariant, in illis præcipuè, qui dolent & ingrati sunt de bonis, quæ ipsis conferuntur, vnde potius ingentes (si rectè saperent) gratias eos agere oportebat, nemo dignè æstimare sufficit. Enimuerò spiritus ille malignus, certo certius sciens arborem in radicibus vitiatam, seu humore destitutam, non posse non carere fructibus atque perire, totis in hoc incumbit viribus, vt bonorum hominum corda (quos in manifesta vitia pellicere non valet) veneno amaritudinis, auersionis, instabilitatis & superbiæ velut in radice inficiat, quo fructus omnes, qui inde oriri poterant, semel perdat. Contra quæ pericula certè vel maxima, summopere cuiq; esse necessarium ducimus, non modo vt contra hostem malignum semper & vbique vigilet, viriliterq; decertando stet pro anima sua, sed etiam vt rationes, Scripturas, & consilia contraria, à Deo Deumq; timentibus diligenter perquirat, & simpliciter suscipiat: ac ediuerso pro dilectione, gaudio, dulcedine, complacentia, grataq; mente, tanquam remedijs, morbo suo contrarijs, perfectè obtinendis, erga suum statum, ordinem, vocationem, fratres & superiores, & maximè erga Deum (qui sua ineffabili prouidentia ad hos ipsum, velut qui saluti eius præ cunctis alijs statibus & mundi hominibus, modò ipse velit, quàm maximè conducant, misericorditer vocauit) infatigabiliter oret & laboret: certus quod sicut omnis talis dilectio, gaudium, complacentia, & stabilitas originem trahit è Spiritu sancto, ita illa, quam diximus, displicentia, cum vniuerso venenoso germine suo, haud dubiè à spiritu maligno proficiscitur. Et sicut felix & benedictus est, qui sese hoc pacto à Spiritu sancto regi sinit, ita reuera miser, tristis & infelix est, semperq; erit, qui se per memoratam ante displicentiam, eiusq; proles omnino pestiferas à diabolo torqueri fallique permittit.

V. Septem periculosæ displicentiæ.

Remedia.

Vt cæcitates omnes & tenebras euadere, rectoq́ tramite ad veritatis agnitionem, veramq́ pacem liceat peruenire.

CAPVT XVIII.

Qvisqvis cæcitates omnes, & vniuersam mentis caliginem euadere, rectaq́ ac facili cupit via ad agnitionem veritatis, & perfectam animæ pacem peruenire, huic cum primis necessarium est, vt tam integrè ab omni se terrenarum rerum, labentiumqúe creaturarum dilectione excutiat, denudet, expropriet́q, ac deinde ab omni suipsius amore, id est, proprij commodi, iudicij, delectationis, & propriæ volũtatis affectu, naturaliumq; passionum, cupiditatum, desideriorum inordinatis motibus & vsibus sese expoliet, abneget, resignet, mortificetq́, vt toto corde quouis loco & tempore, liberè se in Deũ erigere proijcereq́, ac pro perfecta animæ suæ cum Deo vnione, ignitis possit indesidenter desiderijs suspirare: nihil omnino sibi reseruans, neq; de crastino, aut futuro tempore solicitus, ita vt nihil per proprij sensus arbitrium sibi procuret prouideatqúe: sed semper aptus sit, ac perpetua quadam interioris & exterioris hominis sui custodia vigilans & paratus, ductum sancti Spiritûs, voluntatemq́ & vocationem ipsius, per simplicem suî abnegationem & prudentẽ obedientiam in omnibus tam aduersis quàm prosperis æquanimiter sequi & adimplere. Qui namq; Deo coniungi & vniri appetit, nullum inter se & Deum medium retinere potest. Tot autem media sunt, quot res quas amat. Ne igitur Dei impediatur coniunctio, omnis inordinatus amor & voluntas propria abdicentur, maneatq́ animus semper abnegatus sibi, & suspensus atque resignatus in Dei beneplacitum, oransq́ & adspirans ad incendium diuini amoris. Enimuerò hęc ipsissima causa est, cur plerique, etiam celebris alioqui opinionis, Religiosi externas obseruantias, bonas certè, multo tempore seuerè soliciteq́ sectantes, tepidi nihilominus permanent, nec ad perfectionis statum pacemq́ solidam pertingunt: quòd videlicet aliquod seu intra se, seu extra se proprium reseruant, quod amore prosequuntur, quod medium & obstaculum efficit inter Deum & ipsos. Atque ob huiusce modi media, quæ intro admittunt in animam suam, crebras recipiunt alterationes, fiuntq́ instabiles in animo, & in sensibus inexplebiles. Et licet sentiant interdum dulcedinem Spiritus sancti, suasq́ deuotas preces & obseruantias contineant, & piè afficiantur ad Deum, postea tamen reuertuntur ad fabulas seculares, inania sensuum oblectamenta, murmurationes & passiones solitas, & ad alia denique externa quæ amant, quasi nihil de Deo percepissent, instar muscarum, quæ modo melli insident & herbis pretiosis, modo sputis & alijs sordidis ac immundis rebus. Quæ enim alia ratio est, cur sacratissima Domini Iesu passio (cuius tanta virtus & efficacia est, vt vno meditationis actu corda quæque durissima scindere posset, meritoqúe deberet) multos, in illius meditatione pluribus annis exercitatos, nihil immutet, nisi quòd media, quæ reseruant, neque animæ ad Christum, neque Christo ad animam liberum permittunt accessum? & licet interdum ista auferantur media, postea tamen redeunt tanquam ad domum vacantem, suumq́ domicilium liberè repetũt. Quãuis autem istiusmodi nonnunquam compungantur, & delectentur in passione Saluatoris, habeantq́ pios quosdam sensibilis deuotionis affectus, sed vitam nõ corrigunt: quin potius dum à meditatione surgunt, suis dissolutionibus, vt ante, laxant

Amor sui extinguit amorem Dei.

Qui cur muscis pulchrè similentur.

laxant habenas. Ceterum si anima ex toto ab omni se creato amore denudet expropriet quê, veramq; habeat paupertatam spiritûs, quęrens Deum ex toto corde, & non delectationem in aliqua seculi creatura, tunc nimirum trahitur & impletur amore diuino, vbi se totam cum virili ac efficaci suijpsius cunctarumq; labentium rerum contemplatione & desperatione in Deum proiecerit. Quòd si postea ad huiuscemodi animam ea, quæ abdicauerat, media reuertantur, qualia iam ante diximus, non tamen ingredi in eam possunt, eo quòd don.* plena sit, & hospitium omne ipse sibi diuinus amor vindicet occupetq;: haud secus quàm viator ad hospitia iam plena non diuertit, sed aliud inquirit vacuum, in quo requiescere possit. Expoliatio omnium rerum quanta bona pariat.

Deinde posteaquam ita capta & amore diuino repleta est anima, (quod illi absque mora contingit, vbi omni eam alieno amore, etiam suijpsius vacuâ conspicit Deus) iam tunc illuminari incipit ab ipsa veritate, quæ Deus est. In hac porrò veritate omnium cernit creaturarum labentium vilitatem & nihilû, agnoscitq; vilia vt vilia, & pretiosa ceu pretiosa. Videt, inquam, in hoc lumine, quàm viles & nihil sint omnes res terrenæ, quantamq; illarum amor sibi adferat detrimenti. Vnde iam ab illis sibi vlterius imponi non sustinet, tametsi plures alios eas insequi videat: perinde ac si quis veneno cibum infectum nôsset, licet multi ex illo ederent, dicerentq; ei, Comede, quia cibus bonus est: ille nihilo minus abstineret se, & diceret: Venenum est in cibo: ideoq; non possum inde sumere: vos autê planè stolidi estis, dum inde editis: quâdoquidê certa vos mors manet. Similiter si quis turrim cerneret iam iamq; ruituram, quantumlibet inuitaretur ab alijs ad ingressum, dicentibus vt securus in ea moraretur, quando & ipsi idem facerent, si quis illi sensus esset, non vtiq; intraret, sed illos potius irrideret. Hoc igitur lumine quisquis perfusus est & regitur, non modo terrena non diliget, sed etiam odio ea & contemptui habebit, tanquâ mortem inferentia. Enimuerò animâ veneno inficiunt, cumq; certo certius ruitura sint, animam secû trahunt in præcipitium mortis æternæ. Quòd & si aliquo in casu terrena hæc vtilia ipsi fore, aut commodum temporale allatura videantur, isto tamen lumine illis renuntiare docetur, eo quòd lucra potiora sectetur. Quomodo si quis Imperatori prædiolum, licet non contemnendum, sexaginta libris venale offerat, quod alioqui septuaginta vendi possit: contemneretur vtiq; ab Imperatore, recusaretq; hic audire tam friuola offerentem, quandoquidem integra is oppida castraq; mercari potius studet, estq; rebus & negotijs potioribus intentus. Sic anima cælestibus lucris inhians & occupata, terrenis & temporalibus emolumentis dedignatur animum apponere. Illuminatur anima vt vitet noxia.

In hoc præterea lumine cunctarum animæ virtutum perfectio confertur à Deo. Quid est enim aliud humilitas, nisi quoddam lumen veritatis? Quid charitas, quid patientia, quid obediêtia, quid virtutes cæteræ, nisi quædam sunt lumina veritatis? Dirigitur ergo anima isto lumine ad ipsarum virtutum vim & efficaciam discernendam, earumq; exercitia amplectenda, atque per hoc ad ipsas virtutes perfectè apprehendendas possidendasq;. Vnde si cuipiam hoc illustrato lumine vel centum totius orbis elegantissimæ fœminæ proponerentur, mox eas fastidiret, nec vel breuissimo temporis puncto ad luxuriam moueretur. Idemq; gulam non solùm respuit, sed & cum tædio ingenti magnoq; cruciatû mollia ac delicata cibaria, si sibi apponerentur, perciperet. Eodem modo ex Virtutes perfectè sectatur.

huius operatione luminis alia omnia abhorret vitia, eorum malitia considerata. Et in summa, dirigitur per hoc lumen in singulis quibusque rebus & operibus particularibus: quandoquidem illustratur ab ipso, quo repletus est, ad cõsiderandum in cunctis sibi occurrentibus honorem & voluntatem Dei. Cùm enim hunc solum diligat, eius honorem & voluntatem quærit, spectat & intendit in omnibus, exemplo Iesu Christi, qui tempore passionis hæc duo studiosissimè obseruauit, nobisq; imitanda reliquit. Inclinando etenim sese in oratione instar pauperis cuiusdam homuncionis, honorauit Patrem: dicendoqúe, *Non mea, sed tua voluntas fiat*, eiusdem quæsiuit voluntatem. Sic igitur anima per hoc lumen exemplum sequitur Christi Domini sui, vt si id quod occurrit, cum honore & voluntate Dei consentiat, prompto illud animo exequatur: Sin verò alteri horum seu vtrique sentiat esse aduersum, respuat ac detestetur, nec pro re qualibet aut pro cuiusquam gratia illud admittat faciatve. Hac de causa à verbis otiosis, prauis cogitationibus, & vitijs atque peccatis omnibus cauet sibi pro viribus, cùm sciat illa omnia diuino honori ac voluntati esse contraria, vti per hoc lumen perfectius edocetur.

Honorem & voluntatem Dei quærit in omnibus.

Matt. 26.

Deinde vbi in hac via anima bene assuefacta & roborata est, non intercipitur nec impeditur illi hoc lumen propter occupationes alias bonas, interdum occurrentes, vt est cura regiminis animarum, solicitudo concionandi, aut proximis quippiam vel obsequij vel beneficij impendendi. Vt enim aliquis cernens murum aliquanto spatio à se distantem, vno oculorum adspectu tam murum ipsum, quàm quæque interposita media contemplatur: sic anima hoc illustrata lumine, & Deum simul & omnia propter Deum agenda videt. Neque tamen propterea recedit à via iam cœpta, tametsi contemplatio interdum DEI causis intermittatur. In hoc etiam lumine cognoscit anima vtilitatis suæ veritatem, quantoq; vicinius Deo coniungitur, tanto se censet viliorem, quia sese clarius conspicit, quid sit, quidq; habeat à seipsa. Et quia nihil sibi reseruat, neque appropriat de omnibus receptis à Deo, vel de bonis, quæ ex eius munere facit, sed omnia illi fert accepta, à quo habet, cunctaq;, quæ accipit, ab eius benignitate sine suis meritis sibi collata nouit: ideo non extollitur, nec propter ingratitudinem donis Dei priuatur. Imò Dominus ipse, nihil eum furari vel vsurpare sibi temere animaduertens, sed omnia in se refundere, vbertim in ea collocat thesauros suos: multoq; ei plura largitur, quàm vel petat ipsa, vel desideret. Hæc verò omnia consequitur anima ex hac expropriatione & abnegatione sui. Enimuero pestiferis exclusis ac profligatis cupiditatibus, ambitionibus, inordinatis affectibus, proprijs voluntatibus, atque vniuersis demum creatis amoris medijs, quæ animam obscuram reddunt & obcæcant, mox diuina lux ingreditur, illustrans, replens, & docens eam de omnibus. Neque tamen ex hac sui expropriatione dictam duntaxat luminis veritatis gratiam anima consequitur, sed etiam gratiam stabilitatis & pacis. Et tunc reuera eam Deus inhabitat, qui nusquam habitare dignatur, nisi in tabernaculo pacis.

Occupationes eam non impediunt.

Vnde iam talis anima in afflictionibus, damnis, iniurijs & pressuris quibuscunq; tranquillam seruat patientiam, manetq; stabilis & fortis in Deo, in quem sese ex toto proiecit, & in quo manet, sicut & ipse in ea, cui etiam se totum commisit, ipsiusq; se voluntati conformat in omnibus. Ideoqúe animaduertens grauamina quæq; ex mera Dei voluntate accidere, consentit eidem, & non patiẽter

Gaudet in tribulationibus. 1. Ioan. 4.

modo,

modò, verum etiam libenter sustineret vniuersa. Vnde fit, vt verba iniuriosa, damnave temporalia, imò nec totus eam contingat mundus, cum non possint ista pertingere vsque ad Deum, in quo anima suam constituit hæreditatem, nec est colligata amplius terrenis rebus & cupiditatibus: ideoq; iam non illic eam reperiunt, vbi esse consueuerat: haud secus quam si me quispiam inquirens, loca scrutaretur omnia, in quibus ante esse solitus fui, adeoq; vel mundum vniuersum, eo duntaxat, in quo nunc essem, loco excepto, me vtique minimè reperiret: & sicut domus, dum absente & ignorante domino ignibus conflagratur, dolorē non infert Domino: sic qui tēporalia per amorem non adspicit, damna iacturāque illorū ducit pro nihilo. Vigorē nihilo minus roburq; accipit per exemplū Christi in ea commorantis, qui tot tantaq; pro ipsa perpessus est, vt hæc mente reuoluens, dissimulare non possit, quin fortiter amore inardescat reciproco, cupiatq; ipsi conformari, gaudeatq; in cruce & afflictionibus ita vt de nullo euentu amplius vel lætetur, vel turbetur inordinatè. Hinc etiam consequitur anima stabilitatem sensuum sui corporis. Postquam enim propter amorē Creatoris omnium à se rerum creatarum abiecit amorem, non vagatur neque discurrit amplius sensibus suis per easdem, sed eis frænum injicit & Deo commendat stabili fide & amore fixa in eo, dicens cum ab oratione recedit: Domine, teneas me ligatum tecum, regeq; sensus meos, nec permittas me vagari extra te. Et vt summatim dicam, adipiscitur anima ex hac abnegatione & expropriationi sui tam liberum sui corporis dominium, tantamque inter carnem & spiritum pacem & concordiam, vt deinceps non à sese inuicem dissentiant: sed caro promptè se subijcit spiritui, sequens illum in omnibus quæcunque exercere velit, tam in rigore abstinentiæ & vigilijs, quàm laboribus & molestijs quibuscunque. Cum enim recordatur corpus siue sensualis homo, anima docente, sub quantis pressuris & angustijs sudare consueuerit propter cupiditatem, auaritiam, ambitionem, & propriam voluntatem siue impatientiam suam, iamque in magna se pace cernit constitutum, libens amplectitur quoscunque labores pœnitentiæ, tantum vt liberetur à pristinis laboribus suis infructuosis, imò & damnosis magisqúe cruciantibus: sicut si quis certus esset pro centum denarijs mille se recepturum auri pondera, non vtique graue illi foret, centum dare denarios, imò libenter exponeret ducentos: ita corpus pro ingenti ducit lucro labores omnes spiritui necessarios, adeò vt hilariter sæpe etiam spiritū anteuertere & præcurrere conetur.

Quanti fructus ex abnegationes sui nascantur.

Valde igitur necessarium est & fructuosum, vt cuncta profligemus & abijciamus media, nosipsos expropriemus, creatis rebus omnibus extra Deum nos abducentibus moriamur, perfectè de nobisipsis & caducis vitæ huius creaturis omnibus desperemus, & denique totos nos pia cum fiducia proijciamus in Deum, qui haud dubiè benignè nos suscipiet, amabiliter nos moderabitur, feliciterq; ad beatum nos perducet finem. Sanè cū videamus quotidie mercatores pro vilibus ac incertis lucris temporalibus innumera viarum & fluctuum subire discrimina: milites quoque pro ventosa honoris cuiusdam gloriola gladijs & mille mortibus sese objicere, cum tamen sæpenumerò & isti optato honore, & illi quæsito lucro fraudentur: aut si maximè consequantur ea quæ volebant, diu tamen retinere non possent. Quāto magis igitur nos pro cælestibus lucris & honore perreni, mercibusq; nunquam interituris, tota virium facultate operam

Exhortatio.

nauare debemus, maximè cum hæc sine vllo periculo adipisci liceat, nunquam amittenda? Quod igitur ante dixi, nunc repetens dico, si quis supradictæ expropriationi fideliter ac purè studeret, breui tempore & intra paucos dies certo certius iam ante memoratos inciperet in se sentire fructus verè suaues, gustaretque diuinam dulcedinem: quanquam hunc suauem gustum quærere propter se, aut in eo quiescere non debet: (In hoc enim seipsam quæreret, & deuiaret à gratia) sed purè solum Deum quærere, in eodemq; absque omni consolatione nudo amore quiescere desiderabit. Atq; ita perseuerãdo in prædicta expropriatione, felici discet experimento cuncta, quæ diximus, verissima esse, ita quod ab oratione surgens, viua quadam fide & dilectione ebrius, sola diuina mente amplexabitur: cernens hunc mundum cum anxietate quadam & stupore, velut attonitus, alienatus, & stupidus, seu alter effectus, & in alium hominem transmutatus: ac velut ex alio mundo veniens, hunc nostrum omninò contemnet, nec vnquam sine tædio adspicere poterit, ob elongationem animi sui ab hoc mundo, & iucundissimam sui in Deum transformationem.

Vt lumen gratiæ in nobis abundè asseaqui, studiosè conseruare & augere, idemque facilè impedire & amittere valeamus.

CAPVT XIX.

Sap 9. SEd quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, opportunè nobis hic subtilius aliquid de lumine gratiæ, vnde præfati sumus, ab omnibus eiusdem impedimentis & medijs custodiendo, dicendum videtur, ne in vacuum gratiam Dei recepisse inueniamur. Nam tum demum Dei gratia in nobis vacua non est, quando illi nec obicem ponimus, nec impedimento sumus, sed illam sedulò obseruamus. Et primo quidem, gratiæ impedimento sumus, quando aliquid contra rectæ rationis iudicium facimus. Quod vt fiat apertius, sciendum est, quod quum, verbi gratia, otiosa verba fundimus, atque interim ex lumine & institutione rationis docemur, malum esse verba inania loqui, atque nihilominus ea perfusi luminis claritate, ita nobiscum cogitamus. Quis tam exactè possit seruare omnia? Simulq; nihil obstante hac luce & discretione, æquè illis otiosis immoramur sermonibus, tametsi iam ratione docente sciamus nos agere vitiosè: id nimirum auctioris gratiæ, à Deo nobis infundendæ, nisi ita illius gratiam paruipenderemus, magnum impedimentum est. Nec tamen adhuc contemptus est, cùm necdum rationalis voluntas consentiat. Quæ si accedat, dũ à rationis lumine seu cognitione seu discretione instituimur, docemur, vel admonemur malum id esse, idq; diu satis perseueret in nobis cum augmento etiam luminis perfectiorisque cognitionis, & nos nihilominus omni hac illuminatione, cognitione, & admonitione neglecta, peccatum admittimus, iam quidem propter rationalis voluntatis consensum, quæ nunc primum accessit, peccatum quoque grauius perpetramus. Præterea cum otiosa loquentes verba, intus inde abstinere admonemur & nos nihilo secius huiusmodi vaniloquijs immoramur, eo quod nos talia dicere delectat, & hoc quoque amplioris gratiæ impedimentum est. Similiter quando de rebus extraneis, friuolis & à nostro instituto alienis verba facimus, & iam in ipso locutionis medio Dominus per Angelicam inspirationem verborum nostrorum nobis indicat otiositatem, ac nos

I. Verba otiosa.

cœptum

cœptum æquè sermonem continuamus propter homines, apud quos verecũdaremur non absoluere semel Inchoatam locutionem, id reuera non mediocriter gratiæ augmentum excludit à nobis. Et certè præstaret pro Dei amore illam sustinuisse verecundiam, quam in loquendo perstitisse, abruptoque sermone friuolo, dixisse: Non expedit ista dicere, potius boni quippiam proferamus in medium. Et si fortasse cõtingat aliquem apud nos eiusmodi inanem habere sermonem, eumq; ex verecundia continuare & absoluere, dicendum est illi: Charissime, si vtile tibi fore credis, non est vt propter me ista pergas dicere. Attamẽ vbi videtur nobis in diuini honoris detrimentum seu diminutionem cessurum apud illos, quibus adsumus, si nos taceamus, ad hoc impedimentum, licet nobis paucis vnum aut alterum loqui verbum de rebus extraneis. Et hoc enim meritũ suum habet apud Deum. Cæterum inaduertenter de huiusmodi extraneis rebus loqui maximè si non diu duret, neque vertatur in consuetudinem, id sanè leue peccatum est siue defectus, sine quo vix possumus vitam agere. Loqui verò de talibus cũ alijs, non quidem propter Deum, sed vt hominibus satisfaciamus, id cauendum est. Sic & subtracto veritatis lumine, si de huiusmodi rebus & vanitatibus ex alijs percontemur, ipsique pariter de illis libere & absque fræno garriamus, idq; diu satis, hoc nimirum grauius est. Et si id ex mala fiat consuetudine, adhuc multo peius est. Iam quando contingit habere quempiam verba de defectibus aliorum, ita illius interrumpe sermonem: Quam nos gratos esse decet pijssimo Creatori nostro, quod nos tales non sumus? Atque ita bene digitum imponet ori suo. Est & hoc quoddam virtutibus impedimentum, quando manè nobiscum proposuimus vel statuimus, quod ea die tacere velimus, idque fortassis tali die, qua nisi vna Missa seu Sacrum celebretur, huiusq; nos obliti, diu hominibus absque necessitate colloquamur, illis placendi gratia, atque inter colloquẽdum bis terve intus admoneamur templum accedere, nec tamen adhuc cogitemus nos in tempore minimè ad futuros, nec cessemus à nostris colloquijs: hoc, inquam, obicem ponit gratiæ copiosiori, eo quòd lumen quidem percepimus, sed non sumus illud secuti: tum etiam, quod à Sacri seu Missę auscultatione prępediti sumus. Cęterum quæcunquè hactenus de verbis inutilibus & eorum impedimentis dicta sunt, etiam de alijs quibuscũquè vitijs seu peccatis rationi contrarijs accipere debemus. Talibus nanque peccatis maiorem Dei gratiam à nobis excludimus, quam ille ex æterna sua ordinatione seu constitutione nobis erat præstiturus. Et certè absque illis viuere non est impossibile. Verum quamuis fortè quispiam Deo obicem posuerit, deinde tamẽ tanta illi poterit à Deo tamq; profunda conferri abiectio seu nihilipensio sui, & contritio siue dolor, tãtoquè cum desiderio ab eodem sursum trahi, vt per hoc vicinius eum propiusq; ad se adducat, quam erat antequam in foueam culpæ venialis corrueret. Iob 2.

II. Passiones vitiosæ.

Secundò gratię in nobis augmento obstaculum prębemus, quando etiam cum notabili mora, affectu seu desiderio ex sensualitate ita effusi sumus ad exteriora, vt ratio nobis lucere non possit vel quod diuinam nõ percipimus admonitionẽ. Similiter quando importune, magnaq; cũ vehementia & festinatione, nulla nos necessitate cogente, aliquid agimus, & quasi capite muros penetrare conamur: nec non quãdo irascimur, idq; diu satis, ita vt ratio suum in nobis lumẽ nõ possit diffundere, nec nos internas admonitiones siue aduertere, siue sentire, siue intelligere queamus: & istud vtique diuinæ est gratiæ præpedimentum, & venialis cul-

lis culpa non parua. At si quis nobis aduersetur, durisque & acerbis nos verbis impetat, nosque iam quandam sentiamus propensionem seu procliuitatem, eique obsequentes, durius respondeamus. Tune nos regere vis? Quid hæc ad te attinent? Age quæ tui sunt officij, ista nihil ad te. Idque fortè vnius vel alterius Dominicæ orationis spatio perduret, nec interim lumen aliquod vel admonitionem intus sentiamus: deinde verò luce & admonitione percepta, facti nos pœniteat, atque inde alteri amicè loquamur, est hoc impedimentum quoddam ex humana nascens infirmitate sine quo vix esse possumus. Impedit tamen eo tempore, quo sic sumus.

III. Cogitationes. Tertiò diuinæ admodum obsistit gratiæ, si sponte scientesq́ extraneas cogitationes ex sensuali delectatione ac desiderio intro recipiamus, eisq́ quasi colludamus. Et si contra rationis lumen seu admonitionem fiat, magis officit & peius est. Si verò cogitationes inutiles, quantumcunque deformes, qualesquales illæ sint, nobis inuitis incidant, siue id cum delectatione, siue absq; delectatione fiat. nec illis tamen immoremur, neq. obtemperemus, sed mox inde auersi, ad Dominum nos conuertamus, ita cogitantes. Benedico te Domine, quòd pro tui amore hanc mihi datur molestiam seu vexationem perpeti. Si placet tibi, vt præter hanc omnes omnium hominum vexationes & cruces summo cum tormento in me vnum irruant, plusq́ sentiam doloris & cruciatus, quam simul omnes illi, quos infernus habet, ægriusque singula quæque pati possim, quam simul homines vniuersi, si cedit hoc ô Deus meus ad augmentum honoris tui, ob amorem pariter & honorem tuum libens cuncta patiar per gratiam tuam: Imò tu in me & mecum simul, quo tuus honor augeatur. Si, inquam, hoc nos modo habeamus, dum malæ se nobis cogitationes ingerunt, ea pugna pro spiritali nobis martyrio imputabitur, multosq́ excedet Martyres, qui sanguinem suum pro veritate fuderunt: tolletq́ etiam Purgatorium nostrum, si tantum id possumus habere ex gratia Dei, vt vbi eas sentimus, prorsus nihilipendamus, nec inde grauamen aliquod vel mœrorem concipiamus haud secus quàm si audiremus aliquid quod iam sciremus, non admodum curaremus, nec attineret ad nos, id nimirum Deo nos coniungeret & vniret. Si vero aliquid inde cogitaremus nec sciremus, tamen esse quoddam extraneum nociuum, equidem affirmare non auderem, veniale id esse peccatum. At si ex propria nostri quæsitione inde cogitaremus, iam certè foret peccatum veniale: noceretque & impediret gratiā Dei eo tempore, quo illi absque necessitate inhæreremus, nec internam sentiremus admonitionem: tum, inquam, impediret à bono, quandiu perseueraret in nobis. Et si id festo accidat die, aut sub Officio diuino, aut in Concione, tanto culpa grauior est. Cæterum si interdum ita sis affectus, vt nescias quid cogites, non est quidem peccatum, sed leue quoddam impedimentum. Porrò cum externa sunt facienda opera, quibus aut omnes sint sensus adhibendi, aut malè facienda sint, præstat tum applicare sensus & bene illud agere, quam interim cogitare de Deo, & facere malè. Vbi verò in otiosas quempiam cogitationes labi accidit, breuiterque & modicè illustratur à lumine, vt illas repellat, at ipse lumen obliuiscens, vnius fortè alteriusue Dominicæ orationis spatio eisdem cogitationibus immoratus, impedit hoc eo quidem tempore. Si verò sponte illis inhæreat, ita hoc impedit, quomodo superius de otiosis verbis dictum est. Iam si quando breuis cuipiam mœror incidat, quem non possit intelligere quid sit, non

non est id vtique lumen, cùm nullum possit lumen, quanlibet breue vel celere, haberi à Deo, quin aliquam præstet cognitionem.

Quartò cùm superuacanea seu otiosa facimus opera, vt verbi gratia, cùm respicimus aliquid, quod nihil prosit vidisse, aut absque necessitate vanæ nos hominum societati admiscemus, atque hinc inutiles habemus cogitationes, monemur intus inde abstinere: sed quia non statim lumen illud studiosè sequimur, illius obliuiscimur, & vanis operibus immoramur: & hoc quoque gratiæ à nobis incrementum excludit: quantoq́ue sæpius intus admonemur, maiorq́ue inde nobis præstatur cognitio, nec illius obliuiscimur, tanto & grauius est impedimentum. Sic & quando boni quippiam nobis incidit, quod præstaret facere, tametsi prædictam inde claritatem & lucem non habeamus, vt verbi gratia si manè expergefactis vel à somno excitatis, quando iam nocte illa satis dormiuimus, satisque rectè valemus, bis térve incidat vt surgamus, nosque illud seu somnium negligamus, & ad vanas deuoluamur cogitationes, etiamsi non accedat rationis consensio, quoddam nihilo minus virtutis est præpedimentum. Qui si ilicò surgentes, Deum in nobis operari sineremus, singularem ille nobis conferret gratiam: sed quia huic obicem ponimus, non datur nobis ab ipso. Atque ita de alijs quoque rebus sentiendum est. Si verò ante dictam inde habeamus claritatem, & bis térve moniti, nihilo minus non obtemperemus, id vtique multo peius est. Enimuerò si perspicuè nobis in mentem veniat, possimusq́ue cum pace facere, vt dum manè pulsum audimus campanæ, surgamus, quòd tempus sit surgendi, nos verò lumen non ilicò sequentes, nesciamus quid cogitemus, duretque id fortasse vnius Angelicæ salutationis spatio, etiam hoc illo tempore impedimentum præstat: sed tale, quale semper euadere vix possumus, quin aliquando illud incidamus. At deinde vbi iam clarius nobis lumen intus prestatur, vt surgamus, & pro gloria Dei templum accedamus, si tunc confestim nos recipiamus ex lectulo, nimirum satisfacimus gratiæ Dei. Verùm si priori illi admonitioni euestigio obtemperassemus, maioris id dilectionis perfectiorisque erga Deum obedientiæ signum foret. IV. Opera otiosa.

Quintò obicem ponimus Deo nostra electione, dum indifferentes sumus ad omnia citra electionem: & quicquid nobis confertur à Deo, triste siue iucũdum, breue vel aridum, breuis compunctio, & permodicus sensibilis amor, aut quicquid demum nobis occurrit, non accipimus de manu Domini, nec placet nobis, mallemusque pro nostra habere voluntate & desiderio. V. Propria electio.

Sextò, Deo impedimento sumus per proprietatem, dum non permittimus operari Deum, nec illum sequimur, nisi prius nostros conceptus seu priuatam quædam exercitia absoluamus: quod vtique ex propria simul voluntate nascitur, quæ omnis gratiæ magnum est impedimentum. VI. Propria voluntas.

Septimò impeditur gratia, cum se quispiam bono fuisse cooperatum existimat, aut certe vel fecisse vel dimisisse se aliquid, cuius gratia Dominus id fecerit: vel etiam putat, tametsi Deus sit qui fecerit bonum illud, se nihilo minus quoque nonnihil cooperatum fuisse. Certè nihil ex nobisipsis boni facere possumus. Obseruare quidem, auscultare & videre possumus Deo, quid intra nos & per nos operetur: verùm tametsi appareat nos aliquid cooperari, vt quòd oramus, laudamus, scribimus, non tamen id nostrum est: quandoquidẽ Deus nobis adhoc instrumenta contulit, vt his eum operari sinamus: quod non fieret, VII. Propria cõplacentia & gloria vana.

 si vitam

si vitam non haberemus, quam & ipsam dedit nobis Deus, & conseruat in nobis. Sed & hanc licet haberemus, nihil tamen ea possemus boni facere, sed nec sciremus, nec vellemus, nisi Deus vitam moueret, nobisque inspiraret, faciens illud cogitare nos per memoriam, scire & agnoscere per intellectum, velle & appetere per voluntatem. Quod cum ita sit, quid nos de bono habemus, nisi sentire, acceptare, & pati, & non impedire gratiam Dei? Neque tamen ita hæc accipienda sunt, quasi debeamus sedere otiosi, & neque exercere nos, neque orationi & actioni insistere: sed vt quicquid ex inspiratione Dei nos vel exercere, vel orare, vel agere debere intelligimus, id ita adspiciamus, tanquam quod Deus ipse in nobis & per nos efficiat, vtpote instrumentis vtens, quæ nobis ipse ad hoc contulit: hincq; simul gaudeamus, & ipsum deuotè laudemus, non quia nos id habemus, aut in nobis id agitur, sed quia ad ipsius cedit honorem, quòd operari dignatur in tam vili creatura: quamquidem illius operationem supradictis medijs impedimus.

Vitia & peccata. Gen 1. Rom. 1. Maximè tamen quibuslibet vitijs & peccatis, quæ sunt contra rationem superiorem, Dominum impedimus: quod certè tam ingens nobis damnum infert, vt homini ad Dei imaginem facto nullum possit in hac vita grauius accidere. Nam secundum operantis Dei magnitudinem, illius quoque præclara & magna sunt opera: imò quanlibet exiguum, breue vel sterile nobis videatur, quod Deus in anima, quæ absque proprietate (id est, propria voluntate, priuato amore, propria complacẽtia) viuit, & mundam se seruat à vitijs, operatur, hoc ipsum tamen melius est omnibus illis, quæ posset aliquis cunctis vitæ suæ diebus ex proprio iudicio & voluntate sensus sui facere. Vt enim Diuus Ambrosius ait, Deo non placet nisi suum opus, nec nisi illi mercedem restituit. Non enim *nisi vnus tantùm bonus* est in cœlo & in terra, qui est solus *Deus*. Ideoque nec operari quisquam bonum potest, nisi ipse solus. Vnde quisquis Deo bonum ipsius, (quod libentissimè in anima tam excellenter condita operatur) per intellectûs contra dictamen rationis abusum, aut consuetam quandam torpitamque negligentiã impedit, ita vt in anima non possit operari, seipsum æterna sua priuat beatitudine, & omni bono, quod Deus est. Quod peccatum pro illius, quem offendimus, maiestate, excellentia, nobilitate, tam magnum, graue & incomprehensibile est, vt à nullo possit creato intellectu concipi. Tam celsus, tam magnus, tam nobilis est Deus noster. Et si quis id dignè dolere velit, impossibile est vt doloris ferat magnitudinem. Enimuerò peccatum veniale, quod quis bene vitare posset, & tamen committit, maius est, quam omnis creatus possit intellectus comprehendere: quantoque peccata grauiora sunt & crebrius fiunt, tãto & amplius ponderãda sunt, & plãgenda vehementius. Quocirca anima bene in lumine constituta, mallet totum contra se mundum insurgere, & maximas hinc sibi euenire cruces & afflictiones, quàm se vel semel in exiguam licet culpam venialem cecidisse. Attamen, vt iam semel dictum est, tantam illi deinde Deus sui nihilipensionem, cognitionem & dolorem, quòd Dei minuisset honorem, infundere posset: tantoq; cum desiderio sibi eam attrahere, vt per hoc vicinius eam sibi adduceret, quã fuerit ante lapsum. Libenter nanq; Deus veniam dat quibuslibet erratis nostris, ob dolorem, agnitionem, vilipensionem, & bonam voluntatẽ nostram, eo quod hæc ipse in anima operatur: sed & satisfecit, pro peccatis nostris sacratissima vita & acerbissima passione sua, si tamẽ nos nõ pigeat facere quod nobis faciendũ est.

Ambrosius. Marc. 10.

Deni-

Denique vbi aliquis in peccata cecidit, quanlibet ea minuta videantur, prius à Deo dolorem cõsequatur oportet, quòd Dei honor per ea imminutus sit: & iste quidē dolor à Deo infusus præcedat oportet, antequam copiosius possit lumen assequi. Interim nihilominus magis placet Deo, quòd quanlibet diu in culpis & defectibus iacuerimus, imaginationem & phantasias, quas cum amaritudine & pusillanimitate concipimus de peccatis nostris, mortificemus & abijciamus. Ita nanque inspicere & perscrutari defectus medium præstat: sicut, verbi gratia, quidam scire moliuntur, quicquid cogitauerint, diuq; huiusmodi perscrutationi cũ quadam perturbatione inhærent. Sed melius facient, si huic moriantur: multoq; præstat, defectus in genere cũ dulci dolore, qui à Spiritu sancto infunditur, emēdandiq; renouato proposito, & mentis ad Deum cõuersione, inspicere, eo quòd Dei honor inde imminutus sit. Id vbi sic haberi potest à Deo, nos citius eidem coniungit & vnit. Et quisquis à Deo hanc obtinuit gratiam, vt iam dictis medijs & impedimentis mori curet, in eo *Dei gratia vacua non est.* Mira nanque Deus in eo operatur. Vt citò resurgendũ à peccatis. 1. Cor. 15.

Triplex quoddam exercitium diuinitus reuelatum, totius sanctitatis perfectionem velut summatim complectens.

CAPVT XX.

Porrò si vitia & impedimenta quæque citius vincere, gratijs & virtutibus illustrari, Deo vniri, & feliciter mori volueris, omnem vitam tuam in hæc tria curabis exercitia distinguere, in eisdemq; perseuerare vsque in finem.

Pro primo exercitio, quod debitum dicitur, meditare die ac nocte, quid pro loco tempore & hora qualibet faciendum sit, iuxta Dei vel Ordinis siue status tui leges ac instituta. Ingratum est enim Spiritui sancto quicquid feceris, neglecto eo ad quod teneris. Studeas ea propter summa cum deuotione, puraq; intentione, ad laudem Dei, quicquid debes, exequi tempore suo: at nunquam facias quod malè libet, aut quod te secundum sensualitatem oblectat. Huc vero accommodos & necessarios libros diligenter euolue: sed curiosos, & quotquot huic proposito non seruiunt, nihilque necessarios codices, relinque. Deuotos homines, & quos de salutiferis diuinisq; rebus loqui delectat, libenter consule & audi, quo diuinam discas nosse voluntatem: vagos autē & curiosos deuita, aut ex charitate corripe, & pro ipsis Deum ora. Inter ipsa autem opera debita, cum primis diuinas laudes precesq; tuas, tum in templo, tum domi, summa cum deuotione & reuerentia statutis temporibus persoluere curato, Saulis exemplo admonitus, qui vbi intumuit, & neglecta sancta obedientia, quod sibi bonum videbatur, obtulit, à Domino proiectus est. Sub Psalmodia, & dum *Gloria Patri* dicitur, alijsq; diuinis Officijs, summo cum desiderio opta Deum tuum à creaturis omnibus perfectissimè laudari pro singulis quibusq; illius operibus, quæ in Psalmis vel Scripturis cõmemorantur, videlicet pro sanctissima incarnatiõe & Passione ipsi⁹, vel pro quolibet beneficio nobis præstito, vel pro singulis quibusque periculis & vitijs, à quibus nos liberauit, simulq; eadem peccata ardentissimo deinceps vitare zelo, & amare Dñũ tuũ, in omniq; illũ virtute imitari, & proficere vsq; ad mortē desidera. Denique lauda, obsecra, supplica, veniam quoque & I. Meditatio debita. Bernardus. Libri vti, & qui legendi. 1. Reg. 16.

gratiam pete pro teipso, pro tibi commissis, pro viuis & defunctis, idque corde deuotissimo in Deum fixo & erecto, cum profundissima tui humiliatione in præsentia diuinæ maiestatis prout hæc omnia vel aliqua ex his, in Psalmis aliisve Scripturis sacris occurrerint, vel inde per pios affectus ac desideria elici potuerint, quod vnctio docebit. Pari deuotione cætera omnia, quæ tibi ratione status vocationisque tuæ facienda necessariò incumbunt, promptoque animo quàm potes diligentissimè perfectissimeque tam temporalia quàm spiritalia opera tua exequi conare, cuncta illa per puram intentionem in Deum referens ad gloriam illius ad communem Ecclesiæ salutem, propria tua semper & in omnibus volũtate cupiditateque abnegata.

II. Meditatio iusta. Exercitium secundùm, quod iustum placuit dici, hinc tibi necessarium est. Enimuerò in quotidiano tuijpsius examine singula quæque opera tua in seipsis multis esse permista defectibus, teque in multis Deum tuum offendisse videbis. Et quia eiusmodi peccatorum maculis & cordis immunditia fœdatus, sponsum cælestem, summæ puritatis authorem, amplecti non potes, nimirum necesse habes Deum sic offensum, primùm placare per pœnitentiam, ac deinde cor ab omni sorde peccati, quamlibet exigui, quoad poteris, vt ad amorosam mentis tuæ cum Deo vnionem semper sis idoneus, diligenter expurgare. Vespertino igitur aut nocturno tempore solus te exerceas in cubiculo tuo, scopando & emundando *spiritum* tuum cum magna cordis contritione, pro singulis peccatis tuis, Psal. 76. quasi *luctum* faciendo *vnigeniti*, & tibijpsi pœnam aliquam imponendo, quòd Ierem. 6. tam multipliciter, tamq; grauiter Deum offenderis Creatorem tuum. Ipsa autem peccata suo tempore humiliter confitere, occulta quidem secretè, publica verò publicè accusando, paratus ad flagella, ad verbera, & ad aduersa omnia, quæ siue Deus, siue homines tibi inferre voluerint, aut ipse tibi imposueris pro satisfactione qualicunque: orans nihilo minus Deum, vt ipse, quod tibi deficit, nec præstare potes, supplere dignetur, & perfectè te purgare in hoc seculo. Ideoque & aduersa omnia ex Deo multa cum gratitudine velut è manu paternæ dilectionis illius ad te profecta, suscipere curato: renouesq; propositum amplius plangenda nõ admittendi, humili cum fiducia sperãs in misericordia Dei, quod veniam sis consecuturus. Interim nihilo minus tua quidem peccata semper iudicabis grauissima, cæterorum verò hominum extenuabis, ob multas rationes ipsos saltem in parte excusantes: & teipsum plusquam vllam habebis odio creaturam, quòd tam pium Dominum tam malè offenderis: cunctos autem homines plusquam teipsum amabis, tanquam te longè meliores, quòd non tam grauiter peccarint, neque tot & tanta beneficia, dona charismata, & occasiones declinandi à malo, bonumque faciendi habuerint, vt tu habuisti, modo illis rectè accõmodare te voluisses.

III. Meditatio deuota. Tertium exercitium, quod deuotum volumus appellari, præcipuè consistit in prompta voluntate, qua nunquam non feruere debes, ad Dei obsequia, cunctaq; illi placita exequenda: per quod ad contemplanda bona supercælestia peruenitur. Ad hæc nulla securior via est, quàm vt mundis cordis oculis inspicias & mediteris vitam & passionem Christi, & in eis copiosissimè relucentem illius ardentissimum amorem, idque tam secundum diuinitatem, quam humanitatem: tam ante secula, quàm in seculo, & post finem seculorum: tam in Scripturæ, quàm creaturæ libro expressa. Ad hoc etiam exercitium non parum conferet

Psalte-

Psalterium Dauidicum, vtpote Christi mysterijs refertissimum, sicut & cæteræ Scripturæ. Enimuerò Dominus noster Iesus Christus est *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, maximè tamen illum, qui simplici deuotaq; fide, puro corde, pia meditatione accedit ad ipsum, non solùm patienti intimè compatiendo, sed etiam pro tam indicibili charitate & beneficio, taliq; exemplo ex omnibus cordis medullis eum benedicendo, laudando, redamando, in Psalmisq; ac alijs precibus ipsi gratias agendo & iubilando, necnon creaturas omnes ad ipsum collaudandum inuitando: adhæc, eundem pro virili in cunctis verbis, actibus & exemplis illius feruenti amore studioq; irremisso sectando, vitamq; & mores suos illi conformando. Ioan. 1.

Hinc iam ante omnia id diligentissimè addiscere curato, vt reuera perfecteque in Deo viuas permaneasque: id quod hæc tria tibi præstabunt, vtpote vera viuaq; fides, spes firma, & purus Dei amor. Primò quidem, firmiter credas esse te in Deo, & Deum intra te præsentem, vt sacrum testatur Euangelium Christi & Scriptura diuina. Attamen vt id clarè perspicueq; cognoscas, magnum est donum Dei, quod meritò petere debebis. Deinde vbi iam liquido credideris agnoueris q; esse te in Deo, discendum tibi est, viuere & permanere in illo: quod est homini maximè salutiferum. Cùm enim in Deo viuis, vires animæ tuæ ac sensus semper Deo inclusa serues oportet, vbi semper multa gaudent securitate. Vt si, verbi gratia, teipsum in conclaui includas, nihil illic videre, audire, gustare, vel tangere potes, nisi quod fit in conclaui: & quotquot foris sunt, neque cõtingere, neque lædere te possunt. Ita & quando in Deo viuis, quicquid siue tangas, siue adspicias, siue audias, siue gustes, Deum tibi exhibet præsentem, qui tibi factus est *omnia in omnibus*. Ideo etiam omnia bona & mala non à creaturis, sed in sancta simplicitate, absque omni multiplicitate & curiositate, immediatè à solo Deo humiliter recipis, & rursus in Deum portas, quærendo in omnibus honorem & beneplacitum eius fideliter implere: quandoquidem & te & omnia cognoscis esse in Deo, nec vlla te potest creatura attingere, nisi prius Deum contingat, eo quòd teipsum incluseris in Deo. Et hac de causa Deum semper magis audias, videas, tangas, gustes oportet, quàm vllam rem aliam. Vbi ergo teipsum sic Deo vnitum cognoueris, vt anima tua Deo quàm tuo corpori coniunctior sit, quodq; Deus sit æternum, vnicum, incomprehensibile ac ineffabile bonum, & ex ipso anima tua profluxerit, tantamq; habeat Dei similitudinem, vt creatura nulla animæ nobilitatem plenè capere & scire possit, diuino tunc succensus amore, ad diuinitatem accedendo quotidie matutino tempore ista te poteris ratione exercere.

Vt viuas in Deo, omni tempore. I. Ioan. 6. Ioan. 17. 1. Ioan. 4. II.

Coram crucifixi imagine procumbens, credes sedere te coram nudo, crucifixo, cruentoque Iesu Domino tuo: & licet eum non videas oculis externis, interioribus tamen adspicere debebis. Cùm enim tete illi vnire, eumq; supra omnia diligere appetas, reuera præsens tibi adest. Dehinc ascendes per Christum Iesum, & per eius quinque sacratissima vulnera, quæ eam ob causam suscepit retinuitque, vt per eius humanitatem ad diuinitatem accedamus, sicut ipse ait: *Ego sum ostium. Si quis per me introierit, pascua inueniet.* Et primò quidem profunda cum humilitate ad sacros illius collapsus pedes, duo illic facies. Primò dulciter deplanges, prorsusque immerges omnia peccata & defectus tuos magnos & paruos in sacra illa pedum vulnera. Aeterna namq; bonitas Dei nullum patitur

Exercitium vniens animam cum Deo hic incipies. Ioan. 10. Vt purgeris à peccatis. 1.

medium quantumuis exiguum, ne vnam quidem vanam cogitationem, aut verbum otiosum, vel morsellum inordinatè sumptum, nisi per contritionem
2. huiusmodi expurgetur. Secundò sacros hos *Domini Iesu pedes* exterges *capillis tuis*, id est, perfecta voluntate peccata omnia quanlibet parua deuitandi, ita vt mori potius velis, quàm peccatum admittere. Deinde ardenti cum desiderio virtutes omnes amplecteris, cunctis vitijs moriendo, eisdemque virtutibus crucifiges corpus tuum iuxta Christi pro te crucifixi similitudinem, vt sic honorem illi suum, quo eum peccando priuasti, restituere possis. Tum verò Deo tuo humiliter confidere debebis, cunctos illum defectus tuos in æternum ac immensum exuberantium meritorum suorum pelagus absorpsisse, eosque tibi penitus condonâsse. Et tunc quidem omnibus peccatis tuis prorsus inferius relictis, ad sanctas illius manus conscendes. Hic verò iam propius accedens ad Deum, tanquam ad amorosam tui cum illo vnionem processurus (quod qui semel ad minus in die non facit, nescio si verus Christianus dicendus sit) principio quidem curas omnes, distractiones, & creaturas excludas oportet à corde, & in Deum, cui nihil perire potest, proijcias, Deumque tibi reuera præsentem, teque ardentissimè diligentem, expectantem, pulsantem attendas, atque ita & te in Deo, & Deum in te (vt ita dicam) includas collectis pariter vniuersis sensibus & viribus tuis. Deinde Patrem orabis cælestem, vt sua infinita potentia è memoria tua cunctas amoueat imagines, ipsamque totam & seipso & diuinis repleat imaginibus ac desiderijs. Rogabis & Filium, vt æterna sua sapientia intellectum tuum agnitione summi & increati boni, beneficiorumque suorum clementer illustret. Orabis etiam sanctum illum & viuificantem Spiritum, vt sua incomprehensibili bonitate voluntatem tuam & affectum prorsus in se rapiat, absorbeat, & ardentissima charitate inflammet. Denique & crucifixum Iesum instanter humiliterque precaberis, vt per sanctissimas vires animæ, sensusque corporis sui, omnes vires sensusque tuos cunctis nudare phantasmatibus ac vitijs, reformareque easdem & seipsum totum in illis, atque illas in seipso nudè ac purè vnire & includere dignetur. Hinc iam duabus animæ viribus laborabis, intellectu scilicet & voluntate. Intellectum quidem extẽdes ad cognoscendum infinitam Dei charitatem & bonitatem, sentiendumque cruciatum omnem & pressuram, quæ Christus Iesus pro nobis sustinuit, necnon admirando charitatis opera, quæ tibi exhibere dignatus est, & singulis momentis adhuc exhibere non cessat, colligendo omnia illius beneficia velut in fasciculum quendam, id est, quæcunque cælestis Pater per vnigenitum Filium suum tibi præstitit. Hinc iam voluntas accedens, amare eum vult & fortissimè desiderat, quem se nouit æterna charitate tantopere dilexisse. Et hic Deus triplici amore tibi diligendus est. Primò, nudo amore,
I. videlicet vt sis nudus & expeditus ab omni creaturarum dilectione, & amicorum, & cognatorum, & rerum, & vestium, & quorumlibet aliorum: quãdoquidem simul hæc cum Deo diligi non possunt, cùm Deus totum amorem nostrum solus sibi optimo iure vendicet, & Dominus Iesus Christus vnicus illius Filius, pauper & nudus pro nobis ex amore pependit in cruce. Et istud adhuc ad externa pertinet, ideoque necdum satis est, sed secundò etiam puro amore nobis diligendus est Deus. Enimuerò sunt quidem nonnulli extrinsecus pauperes, sed quamuis nihil habeant, multa tamen habere concupiscunt: necessarium proinde est, vt & intrinsecus pauperes & puri simus. Hæc autem interna puritas
II. poss-

Marginalia: Luc. 7. — Præparatio virium animæ ad Dei vnionem. — Vt triplici amore Deo accẽdaris. — Ierem. 31. — Puritas interna.

potiſſimum conſiſtit in mortificatione cunctarum paſſionum naturalium & vitiorum, & in vera ordinatione ac puritate omnium virium animæ, vt ſint mūdæ & abſolutæ à medijs quibuslibet imaginibus, Deumq; ſuum mundo ac puro complectantur amore. Tertiò demum, vehementi ac efficaci Deus amore diligendus eſt, quo fiet, vt ſemper in Deo permanere queas, vbicunq; vel apud quoſcunque te eſſe contingat. Hic namque amor nunquam te ab amando & teipſum totum in Dei gloriam impendendo quieſcere ſinet, ſed ex ipſo eſt, vt ex ſingulis quibuſq; folijs, vel gramineis herbulis tuo conſpectui ſeſe offerentibus, præclaram optares efficere creaturam, quæ tecum amaret laudaretq; Deum Creatorem tuum. Imò ſi poſſibile foret, vt ex quibuslibet hominibus cælos condere poſſes, eoſq; illi offerre ad ſuam laudem & gloriam, id tibi perquam gratum eſſet, libēterq; faceres. Et ſic omnia tibi occurrentia referes ſemper in ſummam laudem & gloriam fideliſſimi amatoris tui. III.

Hoc iam triplici amore ornatus & accenſus, totuſq; dilectione plenus, ſenſus vireſq; omnes efficaciter intra te colliges, atque ita ad cor IESV accedes, quod eſt immenſus quidam theſaurus & fons infinitæ charitatis & bonitatis, in ipſumque his quatuor exercitijs ingredieris. Primò teipſum totum cum vniuerſis creaturis, in ſimplicitate cordis tui, illi offeres in eius gratiſſimam voluntatem in tempore & æternitate, ad proſpera & aduerſa, ad abundantiam & inopiam, ad vitam & mortem, illius ſemper beneplacitum obſeruans, & propriam abnegans voluntatem: offeres, inquam, te illi, vt te talem efficiat poſſideatque, vt illi placet, haud ſecus quàm cùm necdum creatus eſſes, potuiſſet. Tum enim nullum ei præſtabas impedimentum. Secundò, liberè exiges à Deo omnes gratias & virtutes, & quicquid ſaluti tuæ vel proximi tui accommodum eſt, pro viuis & pro animabus in Purgatorio detentis, vel etiam res temporales ſaluti neceſſarias vel vtiles maximè vero fortem in omni virtute perſeuerantiam, quantum poſſibile fuerit in hac vita, & ſingulariter ipſum nudum dilectum Dominum Deum tuum. Et quia ipſe æterna charitas eſt, quæ te ab æterno in ſua geſtauit diuinitate, idcirco tertiò illi te conformabis, videlicet deſiderando, ſi id ei gratum foret, in tanta derelictione, cruciatu, ignominia, paupertate & miſeria viuere, vt Chriſtus ipſe vixit. Sic & quia ipſa æterna *charitas eſt*, & te quoque in amorem transformari oportet, antequam in ipſum peruenire queas, idcirco rogandum tibi eſt & impetrandum, vt ea poſſis dilectione ornari, qua Chriſtus ornatus fuit, quo ſic illi conformis effectus. Quartò demum fortiter deſiderare queas, vt illi poſſis ſine vllo medio feliciſſimè vniri. Tum verò illi iam vnitus, ad diuinitatem ipſam accedes, vbi quicquid creatum eſt, foris relinquens, & nec teipſum quidem ſentiens, tam profundè te immerges in dulciſſimum Deum tuum, vt amplius à creaturis non inueniaris, vt creatura: & hic deſiderabis ab illo abſorberi, & ipſum viciſſim abſorbere, cùm vtique nihil ipſe ſit niſi mons quidam & pelagus immenſum amoris & bonitatis: rogabiſq; eum, vt aperiat tibi ſpecioſiſſimum, luculiſſimum & amœniſſimum regnum diuinitatis ſuæ, in illud te prorſus immergi, liquefieri, & transformari permittens: dicesq; hoc vel ſimili modo: O ſuperadmirabilis potentia, ſapiētia & bonitas Domini Dei mei. O ſuperadmirabile mirum, & ſuperadmirabile bonum, quando me totum trāsformabis & abſcondes in te, & te in me? Quod enim eſt mari abſorbere vnam guttam, hoc tibi eſt abſorbere me infimam creaturam

Quatuor exercitia.

1. Reſignatio.

2. Poſtulatio.

3. Conformatio. 1. Ioan. 4.

4. Vnio animæ cum Deo.

tuam,

tuam. O Domine Deus meus & omnia, vtinam ex qualibet creatura facere animam possem, & ex qualibet anima, maximè autem mea, facere regnum cœlorum: libentissimè hæc omnia tibi darem & toto corde offerrem pro omnibus culpis & negligentijs meis. Patiar, quæso, pro honore tuo, si vis, pœnā omnium damnatorum, & laudem te laude omnium beatorum. Aperi, quæso, mihi deliciosissimas diuitias superardentissimæ diuinitatis tuæ, & abscondas me in te, vt à nulla vnquam creatura inueniri queam. Quòd si hic vlla adhuc tibi creati intellectus scintilla superest, licebit paulisper attendere æternam potentiam, sapientiam & charitatem illius, donec mirabili quodam modo velut in ecstasi cogitando vias absq; cogitatione, cognoscendo absq; cognitione, amando sine amore, efficiarisq; per gratiam, quod Deus est per naturam. Deniq; si sic in corde Iesu versantem te diuinitas absorbuerit, felix eris: & senties quæ nec dici, nec scribi possunt, nec in cor hominis ascenderunt. Solus expertus vtcunq; intelligit.

Exemplū. Quemadmodum non ita pridem occulto cuidam Dei amico contigisse nouimus, qui pro exercitio deuoto illuminatis mentis oculis meditabatur inspiciebatqúe vitam & passionem Iesu, primò in antiquis Patribus in veteri Testamento multipliciter præsignificatam atque prædictam: secundò, per ipsum Dominum Iesum miris operibus reuera exhibitam: tertiò, in actibus & afflictionibus sanctorum membrorum eius, filiorum Dei, (in quibus ipse Dominus iterum passus est, & patitur) in nouo Testamento multifariè exercitatam, & nobis vtiliter admodum per exempla declaratam. Atque hoc modo traxit omnia ad vitam & passionem Christi, sicuti scriptum est: *Memor fui dierum antiquorū*, quantum attinet ad antiquos patres: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis*, videlicet per ipsum Saluatorem exhibitis: *In factis manuum tuarum meditabar*, videlicet considerando Sanctorum noui Testamenti exempla præclara. Sicqúe idem hic Dei amicus ex meditatione seu exercitio debito magnam in hoc seculo obtinuit Dei amicitiam & familiarem de omnibus necessarijs informationem: & ex meditatione iusta perfectam in hac vita peccatorum expurgationem: atque ex meditatione deuota mirabiles mentis illustrationes & raptus etiam vsque ad tertium cælum, & secretorum Dei cognitionem lympidissimam, vnionemq; cum Deo in vno Spiritu longè felicissimam: præterea, quæ & isti Deus & cunctis ipsum diligentibus in futuro seculo præparauit, quæ vtique *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*.

(Psal. 142.)

(Esa. 64. 1. Cor. 2.)

Cautio. Hæc autem tria exercitia seruare volenti semper feruidè orandum est, cumq; perpetua sui obseruatione studiose pro his obtinendis laborandum, sine quibus nemo ea obtinebit. Sed & ante omnia necesse est, vt bene sit à vitijs expurgatus, vt sciens & volens nullum intra conscientiam peccatum habeat non cōfessum, & cuius eum non pœniteat. Adhæc, nullius attente vultum contuebitur, sed oculis demissis semper plus in seipsum ad Deum intra se præsentem, quàm foras ad creaturas, respiciet. Nunquam etiam vanus aut leuis erit, sed amans pias lachrymas & luctum pro suis & omnium hominum peccatis. Solitudinem diliget & in seipsum introuersus, Dominum Deum suum verè præsentem attendet. Sensus denique suos intro recipiet, & animæ vires à cunctis imaginibus denudatas, tam profundè in Deum figet & demerget, vt nulla ei creatura medium aliquod præstare queat: sicq; *in meditatione* illius vehementer *exardescet ignis* diuini amoris. Sunt qui primo loco aptius seruant exercitium debitum, inde se-

(Psal. 38.)

cunde

cundo loco exercitium deuotum, & postremò exercitium iustum vesperi, pro culpis tam in exercitio debito, quam deuoto contractis. Eligat quisque quod sibi magis vtile prospexerit.

De sanctorum desideriorum lucro maximo, & gaudijs regni cælestis.

CAPVT XXI.

CAEterùm quando iuxta Augustinum in medio laqueorum positi sumus, facile à cęlesti desiderio refrigescimus, nisi assiduo fulciamur munimento, quo excitati ad summum bonum Dominum Deum nostrum, cùm defluimus, recurramus & cor nostrum, ceu *pupillā oculi* ab omni peccato mundum seruemus. Vt enim exiguus puluis vel fumus, aciem visus obscurat, tametsi non excæcet penitus: ita & minutum peccatum veniale, aciem sancti desiderij retundit siue perturbat. Peccata verò mortalia penitus obtenebrāt & extinguunt sanctorum desideriorum obtutus. Passiones quoque vitiorum, desideria terrena, & cogitationes vanę gressus sanctorum affectuum dissipant. Quapropter vtile cum primis fuerit, vt pro septima amoris radice, omni tēpore & loco, stando, sedendo, ambulando, laborando, quiescendo, cor tuum amorosa conuersione ad Deum studeas subleuare, ipsiq; tibi reuera præsēti familiariter colloqui, atq; cum feruenti desiderio illi placendi, ipsum perfectissimè diligendi, & ad æternam eius gloriam citius pertingendi, hoc vel simile modo ad ipsum suspirare indefinenter: O dulcissime Domine Deus meus, ô vita animæ meæ, ô totum desiderium & gaudium meum, quando te ardentissimè diligā, & meipsum mundumq; omnem perfectè contemnam? O vtinam possem à meipso totus deficere, & ab immenso amoris tui incendio rapi, liquefieri, absorberi, & trāsformari. O Domine, da mihi diligere te *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desideret anima mea ad te Deum. Quādo veniam, & apparebo ante* dulcissimam faciem tuam? His alijsq; diuersis eiusdem *farinæ* preculis & suspirijs ignitis consuesce dilectum tuum nūquam non laudare, diligere, illiq; gratias agere, & teipsum in holocaustum laudis iuxta voluntatem eius offerre & resignare, vti *vnctio* te docebit. Per hoc namque præclarum exercitium petere licebit immensa ab immēso, plusq; obtinere poteris, quàm cuncti homines opere exequi possent: quandoquidem in infinitū se extēdere debet sanctū pij amoris desideriū ad Deum, qui sicut petere nos iussit, & exaudire pollicitus est: ita pro infinita sua liberalitate nullum prorsus suspirium vel gemitū ad se emissum, vacuum ad te redire permittet. Aut enim nouā infundit gratiam, aut charitatē cæterasq; virtutes augebit vel corroborabit, aut arctius se tibi adstringet, & dulcius reficiet. Porrò quo crebrius sancta emiseris desideria, eo magis tua desideria inflammabit, ad progrediendum de virtute in virtutē, & ad videndū Deum *Deorum in Sion.* Noli ergo tanta bona, quæ momentis omnibus obtinere potes, per desidiam negligere, noli fugere à facie Dei tui. Sequere dilectum tuū per ignem & aquā: sæpiusq; distractus, tentatus, aut etiam (quod absit) prolapsus, ad misericordem Dominū pœnitens reuertere, rursus viriliter incipe, & teipsum totum manibus eius captiuum trade. Certè suscipiet te, quoties ad ipsum reuersus fueris, ex sua dulcissima bonitate, quæ finē nō habet.

Sanctorū desiderioꝝ fructus inæstimabilis. Radix amoris septima.

Deut. 6. Matt. 22. Psal. 41.

1. Ioan. 2

Matth. 6. Lucæ 11. Ioan. 16.

Psal. 8.

Ionæ 2.

Vt autem ad manum habeas apta munimenta & excitamenta feruoris, quę iā diximus tibi necessaria, ea, quæ superius de cæcitatibus dicta sunt, frequenter attende. In quibus si diligenter & perseueranter te exercitaueris, præsertim in deplora-

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC OPERE SPARSIM EXPLICANTVR, LIBRORVM, CAPITVM, & versuum ordine seruato

PROVERBIORVM.

CANTICORVM.

5. Expe-

46 D

28. Pro-

FINIS.

7-2-2




IHS

